FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

EPITOME || OMNIVM OPERVM || DIVI AVRELII AVGVSTINI || HIPPONENSIS EPISCOPI, || IN QVA QVIDQVID VIR ILLE SANCTISSI-||mus & doctißimus demysterijs ...

Augustinus <Hipponensis>

[Genf], 1556

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downladed and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-154960

Visual Library



10, A, 9.


EPITOME

OMNIVM OPERVM DIVI AVRELII AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

IN QVA QVIDQVID VIR ILLE SANCTISSIMus & doctiſsimus de myſteriis Religionis & Sacramentis Eccleſiæ, præcipuúſque ac inſignibus totius Scripturæ locis ſenſit, ſcripſit, docuit, per Ioannem Piſcatorium fideliſsimè & commodiſsime, compẽdiaria quadam via & ratione ordinis eſt contractũ atque cõpoſitum.

LECTORI.

HOC tibi affirmare poſſum, amice Lector, te in hoc opere nihil aliud reperturum, quàm ipſius Auguſtini eadem tum verba tum ſententias. Nihil planè eſt additum, demptum, aut immutatum, niſi ea ratione quam commoditas & breuitas libri poſtulabat. Dedimus ſane operam, vt omnia accuratius emẽdata & impreſſa emitterentur.



AVGVSTINVS EPIST. VII.

Ego ex eorum numero me eſſe profiteor, qui ſcribunt proficiendo, & ſcribendo proficiunt.

Apud Ioannem Criſpinum,

M. D. LVI.

Ex libris Johannis Walbrun
Ao D. 1592.

IOANNES PISCATORIVS
LITHOPOLITANVS, LECTORI CHRISTIANO
gratiam & pacem à Deo, per Christum Seruatorem nostrum.

NON mihi vitio vertendum arbitror, optime Lector, tametsi ex diui Aurelii Augustini operibus, quædam scitu dignissima selegerim atque exscripserim, in tempora profectò nostra accõmodatissima. Certè quidẽ, vt ingenuè fatear, rem adorsus, humeris meis & paruitati meæ longè imparẽ, & per omnia vires ingenii mei excedentẽ. Id mihi cogitanti, & iamiam manus ab opere sæpissime retrahenti (propterea quod huic nostro sæculo nemo sufficere videbatur, ingratissimũ nãque est) in mentem venit non mediocre ex sacra Scriptura exemplum, quod me solabatur inhortabaturque. Nempe Euangelium sancti Matthæi abbreuiasse Marcum Euangelistã, non nisi summa cum amborũ laude, & Ecclesiæ acceptatione. Deinde quid dedecoris afferat, lacteo eloquentiæ flumine permananti, vt inquit Hieronymus, Tito Liuio suus abbreuiator Florus, nõ video. Quorũ scripta vbique gentiũ, ab omnibus literarũ bonarũ studiosis, obuius, vt dicitur, vlnis amplectũtur & venerãtur vnicé. Sed forsitã dicet quispiã, Hæc quid ad rem? Primus enim Spiritus sancti ductu, & eo impulsore suum ausus est facinus. Alter vero historiæ dedituissimus, munus suum strenuè obiuit, atque non minori cum dexteritate administrauit. Non ago pugnaciter: imò de meo nec iotulã quidẽ te reperturum scio. Eóque animosior atque securior hac re inuitor, maximè quòd saluæ & assertionis propriæ nihil admiscuerim. Ego nãque semper alienis à veritate non abhorrentibus, verecundè vti malo, quàm mea impudenter & perfricta fronte ingerere. Atqui nemo me melius nouit, multa & præclarissima extare & delitescere ingenia, quorũ interesset illa conari: sed hæc vtilioribus forsan & commodioribus inuigilant atque student. Præterea quàm curta sit mihi sacræ Scripturæ cognitio, non egeo vt aliquis me illius moneat, & illud mihi exprobret. Quid autem prohibet compendiaria quadam via, illa quæ sine periculo animæ ignorare non possumus, scire etiam cum rerum incommodo debeamus, & cõmonstrare breuius, & in propatulum ducere commodius? Aggressus itaque illam prouinciam, quo labore, quibus vigiliis, facillimè ex ipso opere coniicere, iudicare & perdiscere poteris. Eo verè animo, Lector amice, vt haberent docti, quibus copia diui Augustini lucubrationum est omnium, ex tempore quod in eis desyderauerint, ne tempus illud nobilissimum, quo charius nihil, quod maioribus etiam & potioribus debetur studiis, quærendo insumant & miserè perdant. Alii verò qui hinc & inde passim episcopãtur, quibus per inopiam & pauperiem fortassis omnia opera Augustini comparare non licet, quæ certè vt numero excedunt, ita multò pluris venduntur, experiantur, & ipsa veritate edoceantur, sine magno conatu & paruo ære, quid sanctus ille vir, de Ecclesiæ sacramentis, & omnibus illis rebus, de quibus adhuc sub iudice litem esse mundus credit, scripserit docuerítque. Ad hæc vt Christianæ reipublicæ satis supérque satis consuleretur, integros quosdam Augustini, & potissimè Quæstionum libros imprimẽdos, & hisce meis rapsodiis cõnectendos haud inconsultò curauimus. Adiunximus insuper etiam Retractationum libellos duos, vt quidem mirari tandẽ cessent de illo, quid fuerit tamẽ quòd recantauerit. Simul vt haberet diligens Lector ex optimis illius libris optima quæque. Certissimè in eo quod non inueneris à cæteris scriptoribus, nec deposcere quidem audebis: is enim omnium doctrinarum vbertate redundat, tum verò literarum sacrarum pugil inuictus semper est habitus, qui etiam acumine ingenii, & magnarum rerũ scientia, necnon vitæ innocentia, humana diumáque prospexit. Et vt liberius dicã cum Augustino, magni animi & altissimi consilii viro, in aliquibus hallucinari malim, quàm cum quibusdam vitiligatoribus & eisdem erronibus de lana caprina (vt aiunt) perpetuò certãtibus, quibus etiam nulla, nisi sint tetrica, & in sua ipsorũ officina fabrefacta, non vnquam ad Areopagitas vsque transmittenda sapiunt, per altercãtem logomachiam veritatem amittere omnem. Quis enim hæreticis vndequaque Ecclesiam malitia suæ tempestatis perturbantibus impetẽtibúsque magis infensus, vt verè dicatur, nihil iam posse dici, quod non sit dictum antea, illis etiam nec ad latum vnguem cessisse omnibus liquet? Paucis igitur accipe quid velim. Arrianorum non ferendam impietatem, Pelagianorum dementem impudentiam, Manichæorum lasciuientẽ religionem, & Donatistarum fathanicum furorem, vsqueadeo contudit, & omnium illarum hæresum vires infregit, vt toto cælo totáque terra eos perperam errauisse, nec posteri tacebunt. Liberum, quod vocant arbitrium, & prædestinationem Dei, me iudice quis eo vel feliciùs vel dexterius docuit describítve vnquam? Quis Sacramenta Dei & suæ Ecclesiæ, tanquam pro socis & a-

vis dimicãs, illo defẽdi, vindicauítque sanctius atque verius? Quis denique sacræ Scripturæ arcana, quasi per apodixes, aliquãdo perterebrauit & demõstrauit viuidius vel efficacius? Bone Deus, quẽ in sacra Theosophia non mouit lapidẽ? Hæc ita mihi visa sunt vtcunque sacras literas à limine salutãti. Ignoscite mihi interim, qui nasutiores & emũctiores in diiudicãdis illis rebus estis. Cæterũ quòd ad me attinet, nõ credo defuturos, qui hunc meũ laborẽ, quãtus quãtus ille sit, rõchis atque sibilis & excipere, & contẽptui habere religionẽ sibiipsis nescio quã esse pollicebuntur: & nisi à cæteris quoque suæ farinæ hominibus id fiat, ægrè latturos. Hos igitur ipsos qui camino dente cuncta lacerare & proscindere assolẽt, nullo modo clauã de Herculis manu extorsisse, sibiipsis persuadeãt velim. Nãque exploratissimũ est & probatione non indiget, maleuolos & inuidos, etiã optima inuertere, & simisterrimè interpretari solitos. Profectò nõ decrũt etiã qui me impudentẽ & audaculũ, inani verborũ lenocinio & strepitu cõcrepabunt, & procul dubio cõiuratis calamis in me debacchaturi. & illos potius imaginẽ, idolum & vmbrã veri, quàm ipsam veritatem sectari, quis nisi delirus inficiabitur? Quãtunuis multò sese venditẽt populis, hi sciãt mei instituti solũmodo fuisse, ea quæ proximius & penitius rẽ contingerẽt, me excerpturũ atque conscripturũ, haud inscius multa ad hoc necessaria esse diligẽtia. Nonnunquã enim in his cõportandis cõgerendisque, lupũ quasi auribus tenebã, nec quò me verterẽ, satis dispicere poterã, veritus primò si nimiũ breuitati studerẽ, decurtata potius & imperfecta relinqueretur sentẽtia, & sine capite suboriretur fabula: deinde ne inciderẽ in Scyllã cupiẽs vitare Caribdim. Suppleat ergo & resarciat quod deesse iudicauerit quispiã. Admiret quod superflaũ existimauerit prudẽs Lector. Postmodũ bonũ aliquãdo dormitare Homerũ, nec omnia nos omnes posse iampridẽ decantatũ & tritissimè personatũ meminerint Momi. Ad extructionem itémque tẽpli veteris, nõ solùm qui aurũ & argentũ suppeditabant, verumetiã qui lapides & ligna, quæ ad ædificationẽ plurimum cõducere videbantur, afferebãt, rẽ optimã fecisse, ore omniũ propalabantur. Sim Argo oculatior, vix tandẽ inuidorum latratus effugiam. Testor interim Deum Opt. Max. nihil me quam Christianæ reipublicæ cõmodum atque vtilitatem ad hoc opus suscipiendum adegisse & impulisse, & præterea non parum calcaria addidisse, quòd Augustinus solus (ni fallar) ad cõponendam in Christiano negotio diaphoniam & cõtrouersiam omnem, sufficere. si arbitris opus esset, non subdubitatur. Volui autem non citra rationem, candidissime Lector, illũ tibi nuncupatim dedicare librum, quanuis nulla mea mea Minerua. Quapropter te volo non moueant vel offendant, sacrificii, altaris, oblationis vocabula, quæ antiquis patribus fuere frequentissima: sed ad quid illis ipsis vsi sint, non est nostræ mentis iam recensere, sed alterius erit considerationis. Proinde quod te præterire minimè volebam, data opera quædã inserui, quæ consuetudinis Ecclesiarum omnium minimè sunt. Ea Augustinus ipse, potius charitatem proximi, pacem Ecclesiæ, morẽ veterum, traditionémque patrũ, quam authoritatẽ Scripturarum sacrarum secutus, scriptis memoriæ mãdauit. Illa, ne insimularemur quæ nobis arriderent suffurari, & cætera fastidire, intermittere nolebã. Et simul haberes quid de quauis re scripsisset diuus Aurelius Augustinus. Tu verò, integerrime Lector, fac precor, quemadmodum semper soleo cõmonere & contestari fratres, vt pictores cùm pulcherrimas describũt imagines, quibus tãque fermè gratia perornatas, si qui ppiã ineptulum illis insit, neque omnino prætermittere, neque penitus exculpere dignũ censent: sic quoniã in humanis rebus, nõ modò difficile, sed impossibile penè arbitramur, ex omni parte nõ solùm aclus, verũetiam integrã puriſſimámque vitã hominis posse cõstare, siquid dignè, honestè, pulchrè aclũ est, id omni historia cõplecti decet. Cõtra verò, si quid vel casu aliquo, aut temporum necessitudine non integrè factum, clarissimis rebus intercidat, non multa diligentia insignire oportet. Quinimo idipsum magis defectũ quendã virtutis, quàm nequitiæ vitiũ iudicare par est, humanæ naturæ veneratione adductos, quæ nihil decorũ ad summam natiũ virtutẽ perfectè integréque producit. Porrò si quid id est, sanctissimo viro adscribas, gratiã habeas, omniáque illi accepta feras. Quòd autẽ ad discrimen librorum eruditissimi viri spectare videtur, iudicium eorũ habebis, qui supposititii cẽsentur, à tergo operis. Hos collegerit Bernardus aut Anselmus, qui fuere Augustini studiosissimi, quod quidã opinantur, non ausim dicere. Ego sophistã aliquẽ verbosulũ & quouis heritio magis spinosũ, illos emẽdicasse planè affirmãuerim: quandoquidẽ energiã, viuacitatẽ, & genuinã Augustini vim, nõ solùm nullã habere, verũetiam veris & retractatis ipsius libris in aliquibus ex diametro repugnare, luce meridiana clarius est. Postremò, vt facilè cuiuis quod occurrerit inuenire possit, indicẽ & elenchũ rerũ omniũ in calce libri adposui: ipse etiã ordo locorũ perinde vt repertorium quempiam manu ducit. Datum Balzen. Anno M. D. XXXVII, die verò XXI. Maii.

INSIGNIVM LOCORVM ELENCHVS,

quos primus continet Tomus.

De Trinitate & vnitate in Diuinis, Deo & Patre pagina i. columna i.
Christo, eius Diuinitate, & humanitate & gratia xix. ii
Spiritu sancto Deo, & operationibus ipsius xxxiii. i
Angelis & eorum officio xli. ii
Prædestinatione, Præscientia, Prouidētia, Electione, Vocatione, Glorificatione & Gratia Dei, Induratione, Reprobatione, Dānatione malorum, Libero arbitrio & Merito hominis l. ii
Sacramento corporis & sanguinis Domini lxxxix. i
Sacramento Baptismatis c. ii
Vnico Baptismate cōtra Anabaptismū cvi. ii
Infantium Baptismate & peccato originali cxv. ii
Ecclesia & eius auctoritate cxlix. i
Ministris Ecclesię & censura eiusdē cxxxix. i
Sacrarum Scripturarum laude & studio earūdem cxlix. i
Veritate & vtilitate verbi Dei clvii. i
Ceremoniis, consuetudinibus & traditionib⁹ humanis clxi. i
Fide & operibus clxv. i
Perfectione iustitiæ cxxx. ii
Lege & Euangelio, Spiritu & Litera clxcv. i
Officio Magistratus ccxv. ii
Iure belli & stipendiariis militibus ccxxxiiii. ii
Iuramētis & fide publica seruanda ccxlvi. ii
Dæmonibus & miraculis, Magia & variis superstitionibus cclviii. i
Anima & eius immortalitate cclxxxv. ii
Pœnitentia ccxcvi. ii
Oratione & deprecatione ccci. i
Eleemosyna & pauperibus cccvii. i
Abstinentia & ieiunio cccx. i
Coniugio ccexiiii. ii
De Sanctis & veneratione eorum cccxx. ii
Idolis & simulachris cccxxiii. ii
Indulgētiis & remissione peccatorū, cccxxvi. ii
Cōfessione cccxxix. ii
Vero Christianorum sacrificio cccxxxi. i
Sepultura mortuorum cccxxxiiii. ii
Antichristo cccxxxvii. ii
Resurrectione mortuorum cccxl. ii
Extremo iudicio cccxlviii. ii
Mortuis ccclii. ii
Pœnis inferni & dānatione malorū ccclv. ii
Vita æterna & Beatitudine Sanctorū ccclx. ii

TOMVS SECVNDVS CONTINET VARIA ET *miscellanea.*

De Hæresibus & Hæreticis ccclxviii. i
Hypocrisi, Simulatione & Mendacio ccclxix. ii
Simonia ccclxxiii. ii
Sacrilegio ibidem
Vsura ccclxxiiii. i
Fuga in persecutione ccclxxiiii. ii
Labore manuali ccclxxv. ii
Medicina & Medicis ccclxxvii. i
Viduis ccclxxvii. ii
Fato ccclxxviii. i
Votis ccclxxxii. i
Ornatu indecenti ccclxxxiii. i
Vltione & vindicta ccclxxxiiii. i
Visionib⁹ & variis apparitionibus, ccclxxxvi. i
Visionibus phantasticis ccclxxxvi. i
Morte ccclxxxvi. i
Aduocatis & iurisperitis ccclxxxvii. ii
Curiositate ccclxxxviii. i
Acceptione personarum ccclxxxviii. ii
Festis & solennitatibus ccclxxxix. i
Sapientia ibidem
Munerum acceptoribus ibidem. ii
Sacerdotibus ibidem
Reconciliatione cum proximo ibidem
Rapina ibidem
Errore ibidem
Pulchritudine corporis cccxc. ii
Prouidentia humana ibidem
Regibus & principibus cccxci. i
Prædicatione verbi Dei ibidem
Historia ibidem
Prophetia cccxcii. i
Præsumptione cccxcii. ii
Poetis cccxciii. i
Fraterna correctione ibidem
Diuitiis & diuitibus cccxciii. ii
Fama bona curanda cccxx. i
Iudicio temerario ibidem
Liberalitate & hospitalitate ibidem. ii
Tentatione. ibidem
Ignorantia cccxcvi. i
Variis superstitiosorū nominibus cccxcvi. ii
Miraculis cccxcvii. i
Ecstasi ibidem
Aduersitatibus & tribulationibus, cccxcvii. ii
Catechizandis rudibus cccxcviii. i
Virtutibus in genere cccc. i
Fide cccc. ii
Spe ccccci. ii
Charitate ccccci. ii
Prudentia cccciii. i
Iustitia ccccciii. i
Fortitudine ibidem
Temperantia ccccciii. ii
Castitate & continentia ccccv. i
Abstinentia ccccv. ii
Vitiis in genere ccccvi. i
Superbia ccccvi. ii
Adulatione ccccvii. ii
Auaritia ccccviii. i
Luxuria ccccix. ii
Ira cccccx. i
Gula & ebrietate cccccx. ii
Odio & inuidia ccccxi. ii
Acedia. ccccxii. i

TERTIVS TOMVS CONTINET
HOS INTEGROS AVGVSTINI
Libros.

In libros Mosi, Iosue & Iudicum, quæstionũ libri vii. pagina i. colum. i
Quæstionum veteris & noui Testamenti, cl. ii
Quæstionum Euangeliorum secundũ Matthæum ccii. ii
Quæstionum ad Orosium, liber vnus, ccvii. ii
Quæstionum Hilarii liber vnus ccxx. ii
De diuersis quæstionibus, ad sanctum Simplicianum, lib. ii. ccxxx. i
Quæstionum Euangeliorum libri duo ccli. i
De sex quæstionibus contra Paganos, liber vnus cclxxi. ii
Ad inquisitiones Ianuarii lib. duo cclxxxii. i
De hęresibus ad Quoduultdeum, liber vnus ccxci. ii
Retractationum libri duo cceiii. ii

QVID DE SVIS LIBRIS ET OPERIBVS SENTIENDVM ATQVE TENENDVM ESSE *censuerit iudicaritque Augustinus ipse.*

In proœmio iii. Libri de Trinitate.

Noli meis literis, quasi Scripturis canonicis inseruire. Sed in illis, quod non credebas cùm inueneris, incunctanter crede. In istis autem, quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmè retinere.

Libro iiii. de anima & eius origine ad Vincentium Victorem.

Negare non possum nec debeo, sicut in ipsis maioribus, ita tam multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt iusto iudicio, & nulla temeritate culpari.

Ad Paulinam, Epistola cxii.

Nolo auctoritatem meam sequaris, vt ideo tibi putes, aliquid necesse esse credere, quoniam à me dicitur, sed aut Scripturis canonicis credas, si quid nondum quod verum sit vides, aut interius demonstranti veritati, vt hoc planè videas.

Ad Fortunatianum, Epistola cxcviii.

Neque enim quorunlibet disputationes, quanuis catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, vt nobis nõliceat salua honorificentia, quę illis debetur hominibus, aliquid in eorũ scriptis improbare atque respuere, si forte inuenerimus quod aliter senserint, quam veritas habet Diuino adiutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.

Ad Hieronymum, Epistola xix.

Ego enim fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur didici hunc timorem honorémque deferre, vt nullum eorum auctorem scribẽdo aliquid errasse firmissimè credam. At si in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, doctrináque præpolleant, non ideo verum putẽ, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi, vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.

VITA DIVI AVGVTINI EX TRITEMIO Spanhaimensium Abbate.

AVgustinus Episcopus Hipponensis, natione Carthaginensis in Africa, vir tam in Diuinis Scripturis, quàm in secularibus literis omnium doctorum eruditissimus, sermone disertus, eloquio clarus, sensu profundus, vita & cõuersatione sanctissimus, tanta scripsit opuscula, vt neminẽ crediderim omnia vel posse legere, vel habere. Vnde sine dubio mentiri conuincatur, qui se Augustinum inuenisse totũ confitetur. Cunctos enim scriptores & numero librorum & vtilitate præcedit, qui pluſquam mille tractatus insignes composuit. Nemo sic profundè sacram Scripturam, vt Augustinus explanauit, Christianos mores nemo sic vtiliter instituit, nec fidem catholicã aliquis eo ardentius defensauit. Introduxit eum Rex in cellam vinariam, tantáque fortitudine induit, quòd omnes aduersarios fidei, oris sui gladio fortiter prostrauit. Hunc si doctorem habueris, etiã deficientibus cæteris, sufficit ipse tibi. Multa edidit opuscula, quæ si quis nosse desiderat, indiculum librorum eius à Possidonio editum legat. Scribit quoque Iacobus Vorago, Episcopus Ianuensis in tractatu suo, quem de libris Augustini cõposuit, quòd numerus librorum, tractatuum, sermonum & epistolarum eius, vltra mille triginta ascendat, conduditque ita, Et ideo nullus vnquam repertus est, qui omnes libros Augustini potuerit inuenire. Et Possidonius, Mentitur qui se se totum Augustinum legisse fatetur. Ego autem in hoc opere quosdam tractatus non absque consilio omisi, qui à pleriſque beato Augustino adscribuntur. E quibus est liber de spiritu & anima. in cuius xxxvii. capitulo Boetius allegatur, qui longo tempore post Augustinum natus est. Sed & stylus ipse Augustinum non redolet. Item liber qui de vera & falsa pœnitentia, sub Augustini nomine, tam impressus est, illi mendaciter adscribitur, quoniam in xvii. capitulo circa finem ipse Augustinus allegatur. Liber de conflictu vitiorum & virtutum, qui incipit, Apostolica vox, & stylum Gregorii Papæ resonat, & cum antiquioribus exemplaribus concordat. Item liber de scala paradisi, cuius initium est, Cùm quadã die, in antiquis exemplaribus beato Bernardo inscribitur, cuius & spiritum & phrasim eloqui videtur. Quid multis nitar? Tot sunt tractatus & sermones qui beato Augustino falsò inscribuntur, vt eorum recensio propriũ volumen exquirat. Nec meum est vt arbiter sedeam, & quæ aliena sunt, titulis priuem. Lector prudens, quid in his sibi faciendum vel tenendum sit, solerter prospiciat. Moritur autẽ sanctus doctor Augustinus in ciuitate Hipponensi, cùm obsideretur à Vvandalis, anni Domini cccxxx. indictione xiii. ætatis suæ lxxvi. sacerdotii verò xl. Secundũ Marianũ Scotũ, quinto Calendas Septembris, obsidionis vrbis mense tertio: libris Iuliani inter impetus obsidentium Vvandalorum, in ipso dierum suorum fine respondens, & glorioſe in defensione Christianæ fidei perseuerans. Testamentũ nullum condidit, quia vnde conderet non habuit, præter bibliothecam Ecclesiæ, quam fratribus diligentissimè custodiendam etiam in morte commendauit. Rebus pauper, meritis & scientia diues Augustinus Põtifex in Domino quieuit, cuius vitam Possidonius Calamensis descripsit.

LIBRO I. DE TRINITATE,

Cap. II.

Trinitas vnus Deus, solus, & verus est.

QVÒD Trinitas sit vnus Deus, & solus & verus: & quàm rectè Pater & Filius & Spiritus sanctus, vnius eiusdémq; substantiæ vel essentiæ dicatur, credatur, intelligatur: vt non quasi nostris excusationibus illudantur, sed re ipsa experiantur, & esse illud summum bonum, quod purgatissimis mētibus cernitur: & à se propterea cerni comprehendíque non posse: quia humanæ mentis acies inualida, in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei nutrita vegetetur.

Cap. III.

Nihil quæritur laboriosius quam vnitas Trinitatis.

Vbi quæritur vnitas Trinitatis, Pater & Filius & Spiritus sanctus, nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur. Quisquis ergo quum legit, dicit, Hoc non bene dictum est, quoniam non intelligo: locutionem meam reprehendat, non fidem: & fortè verè potuit dici planius: veruntamen nullus hominum ita locutus est, vt in omnibus ab omnib⁹ intelligeretur, &c.

Cap. IIII.

Quæ esse propria diuinæ Trinitatis, seu fuerunt catholici tractatores

Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ est Deus, diuinorum librorum veterum & nouorum catholici tractatores hoc intēderunt secundum Scripturas docere, quòd Pater & Filius & Spiritus sanctus, vnius eiusdémque substantiæ, inseparabili æqualitate diuinam insinuent vnitatem. Ideóque non sunt tres dii, sed vnus Deus: quanuis Pater Filium genuerit: & ideo Filius non sit qui Pater est, Filiúsque à Patre sit genitus: & ideo nō sit Pater, qui Filius est: Spiritúsque sanctus nec Pater sit nec Filius: sed tantùm Patris & Filii Spiritus, Patri & Filio etiam ipse coæqualis, & ad Trinitatis pertinens vnitatem, non tamen eandem Trinitatem natam de virgine Maria, & sub Pontio Pilato crucifixam & sepultam, tertio die resurrexisse, & in cælum ascendisse. sed tantummodò Filium. Nec eandem Trinitatem descendisse in specie colūbæ super Iesum baptizatum, aut die Pentecostes post ascensionem Domini, sonitu facto de cælo, quasi ferretur flatus vehemens, & linguis diuisis velut ignis: sed tantummodò Spiritum sanctum. Nec eandem Trinitatem dixisse de cælo, Tu es Filius meus: siue quum baptizatus est à Ioanne, siue in monte quādo cum illo erant tres Discipuli, aut quādo sonuit vox, dicēs, Et clarificaui, & iterum clarificabo: sed tantummodò Patris vocem fuisse ad Filium

Matth. 3.

Act. 2.

Marc. 1. Matth. 3 Matth. 17.

Ioan. 12.

factam, quanuis Pater & Filius & Spiritus sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operentur. Hæc etiam mea fides est, quoniam est catholica fides.

Cap. VI.

Humano visu Trinitas videri non potest.

Videri autem Trinitas humano visu nullo modo potest: sed eo visu videtur, quonam qui vident, non homines, sed vltra homines sunt. Rectè ergo ipse Deus Trinitas intelligitur, beatus & solus, potens, ostendens aduentum Domini nostri Iesu Christi temporibus propriis.

Cap. X. lib. II.

In specie hominis videtur Deus locutus fuisse cum Adam.

Ac primùm in eo quod scriptum est in Genesi, Locutum deum cum homine, quem de limo finxerat: si excepta figurata significatione, vt rei gestæ fides etiam ad literam teneatur, ita tractamus: in specie hominis videtur Deus cum homine tunc locutus. Verbo quidem expressè hoc in libro positum est: sed circunstantia locutionis id resonat, maximè in illo quod scriptum est, Vocem Dei audiuisse Adam, deambulantis in paradiso ad vesperam, & abscondisse se in medio ligni quod erat in paradiso, Deóque dicenti, Adam vbi es? respondisse, Audiui vocem tuam, & abscondi me à facie tua, quoniam nudus sum. Quomodo enim posset ad literam intelligi talis Dei ambulatio & collocutio, nisi in specie humana, non video.

Gene. 3.

Cap. XIIII. ibidem.

Per subiectam creaturam, eādémque corporeā, Deum apparuisse oculis mortalium.

Item, in exitu filiorum Israel de AEgypto, scriptum est, Deus autem præibat illos: die quidem in columna nubis, & ostēdebat illis viam: nocte autem in columna ignis, & non deficiebat columna nubis die, & columna ignis nocte ante populum. Quis & hìc dubitet, per subiectam creaturam eandémque corpoream, non per suam substantiam Deum oculis apparuisse mortalium? Sed vtrū Patrem an Filium an Spiritū sanctum, an ipsam Trinitatem vnū Deum similiter, non apparet.

Cap. XVIII. eodem lib.

Patrem, corporali specie mortalibus sensibus significationē sui dare potuisse.

Ipsa enim natura vel substantia vel essentia, vel quolibet alio nomine appellandum est idipsum quod Deus est, quidquid illud est, corporaliter videri nō potest. Per subiectam verò creaturam, non solum Filium vel Spiritum sanctum, sed etiam Patrem corporali specie, siue similitudine, mortalibus sensibus significationem sui dare potuisse, credendum est.

Lib. III. Cap. X.

Quæ in cælis sunt, non quidem inuestigamus: quo rerū genere, & corpora Angelica secundum propriam dignitatem, & eadem quædam corporalis actio continetur, secundum Spiritum Dei missum nobis de

altissimis, & impartitam eius gratiam mentibus nostris audeo fiducialiter dicere, nec Deum Patrem, nec Verbum eius, nec Spiritum eius, qui Deus vnus est, per id quod est, atque idipsum est, vllo modo esse mutabilem, ac per hoc multò minus esse visibilem: quoniam sunt quædam quanuis mutabilia, non tamen visibilia, sicut nostræ cogitationes, memoriæ & volũtates, & omnis incorporea creatura. Visibile autẽ quidquam non est, quod non sit mutabile.

Deus non est mutabilis.

Omne visibile est mutabile.

Cap. XI. in eodem lib.

Quapropter substantia, vel si melius dicitur, essentia Dei, vbi pro modulo nostro ex quantulacunque particula intelligimus Patrem & Filium & Spiritũ sanctũ: quandoquidem nullo modo mutabilis est, nullo modo potest ipsa per semetipsam esse visibilis. Proinde illa omnia quæ Patribus visa sunt, quum Deus illis secundum suam dispensationem temporibus congruam præsentaretur, per creaturam facta esse manifestum est. Etsi nos latet quomodo ea ministris Angelis fecerit, per Angelos tamen esse facta, nõ ex nostro sensu dicimus, ne cuiquam videamur plus sapere, præterquam oportet sapere: sed sapiamus ad temperantiam, sicut Deus nobis partitus est mensuram fidei, & credimus propter quod & loquimur. Extat enim auctoritas diuinarum Scripturarum, vnde mens nostra deuiare non debet, nec relicto solidamẽto diuini eloquii, per suspicionum suarum abrupta præcipitari, vbi nec sensus corporis regit, nec perspicua ratio veritatis elucet.

Visa Patribus, per creaturam subiectam facta esse manifestum est.

Roma. 12. 2. Corinth. 4.

Ibidem.

Sed iam satis, quantum existimo, pro captu nostro disputatum & demõstratum est, quod in hoc libro susceperamus ostendere, cõstitítque & pro habilitate rationis, quãtum homo, vel potius quantum ego potui, & firmitate auctoritatis, quantum de Scripturis sanctis diuina eloquia potuerunt, quòd antiquis Patribus nostris ante incarnationem Saluatoris quum Deus apparere dicebatur, voces illæ ac species corporales per Angelos factæ sunt, siue ipsis loquentibus vel agentibus aliquid ex persona Dei, sicut etiam Prophetas solere ostendimus, siue assumẽtibus ex creatura, quod ipsi non essent, vbi Deus figuratè demonstraretur hominibus. Quod genus significationum nec Prophetas omisisse multis exemplis docet Scriptura.

Voces ac species illæ corporales quibus Patribus apparuisse dicitur Deus, per Angelos factæ sũt

In proœmio. IIII. lib.

Omnino enim Dei essentia, qua est, nihil mutabile habet, nec in æternitate, nec in veritate, nec in voluntate: quia æterna vbi est veritas, & æterna charitas, & vera ibi est charitas, vera æternitas: & chara ibi est æternitas, chara veritas.

Essentia Dei qua est, nihil mutabile habet omnino.

Lib. IIII. Cap. XXI.

Sed planè fidenter dixerim Patrem & Filium & Spiritum sanctũ vnius eiusdémque substantiæ, Deum creatorem, Trinitatem omnipotentem, inseparabiliter operari: sed ita non posse per longè imparem, maximéque corpoream creaturam inseparabiliter demonstrari, sicut per voces nostras, quæ vtique corporaliter sonant, non possunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, nisi suis & propriis interuallis temporum certa separatione distinctis, quæ suæ cuiusque vocabuli syllabæ occupant, nominari. In sua quippe substantia qua sunt tria, vnum sunt, Pater & Filius & Spiritus sanctus: nullo temporali motu, super omnem creaturam idipsum sine vllis interuallis tẽporum vel locorum, & simul vnum atque idem ab æternitate in æternitatem, tanquam ipsa æternitas, quæ sine veritate & charitate non est: in meis autem vocibus separati sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, nec simul dici potuerunt, & in literis visibilibus sua separatim locorum spatia tenuerunt.

Trinitas inseparabiliter operatur.

Coæterna Trinitas est.

Lib. V. Cap. I.

Vt sic intelligamus Deum, si possumus, quantum possumus sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia Creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco vbique totum, sine tempore sempiternum, sine vlla sui mutatione mirabilia facientẽ, nihilq; patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum potest omnino inuenire quid sit, piè tamen caueat quantum potest, aliquid de eo sentire quod non sit.

Qui non potest inuenire quid sit Deus, caueat fingere de eo quod non sit

Cap. V. in eodem.

Quamobrem quanuis diuersum sit Patrem esse & Filium esse, non est tamen diuersa substantia: quia hæc non secundum substantiam dicũtur, sed secundum relatiuum, quod tamen relatiuuum non est accidens, quia non est mutabile.

Patris & Filij vna est substantia.

Cap. VIII.

In Patris nomine ipse per se Pater pronuntiatur: in Dei verò, ipse & Filius & Spiritus sanctus, quia Trinitas vnus Deus est.

In Dei nomine Pater, Filius, & Spiritus sanctus pronũtiatur.

Ibidem.

Essentiam dico, quæ vsia Græcè dicitur, quam vsitatius substãtiam vocamus. Dicũt quidem & illi hypostasim: sed nescio quid volunt interesse inter vsiam & hypostasim. Ita vt plerique nostrũ, qui hoc Græco tractant eloquio, dicere consueuerunt, μίαν οὐσίαν, τρεῖς ὑποστάσεις, quod est Latinè, vnam essentiam, tres substantias.

Essentia est, quæ Græcè vsia dicitur.

Cap. IX. eodem lib. X.

Reuera enim quum Pater non sit Filius, &

Ioan.10. Quòd dicimus tres personas esse in diuinis, sit magna inopia humani eloqui.

& Filius non sit Pater, & Spiritus sanctus ille, qui etiam donum Dei vocatur, nec Pater sit, nec Filius, tres vtique sunt. Ideóque pluraliter dictum est, Ego & Pater vnum sumus. Non enim dixit vnum est, quod Sabelliani dicunt: sed vnum sumus. Tamen quum quæritur quid tres, magna prorsus inopia humanum laborat eloquium: dictum est tamen tres personæ, non vt illud diceretur, sed ne taceretur.

Cap. XI.

Deus sibi vnitas est.

Et hæc Trinitas, vnus Deus, Deus solus, bonus, magnus, æternus, omnipotens. Ipse sibi vnitas, deitas, magnitudo, bonitas, omnipotentia.

Cap. XIII.

Pater relatiuè dicitur ad Filium.

Dicitur ergo relatiuè Pater, idémque relatiuè dicitur principiũ, & si quid fortè aliud: sed Pater ad Filiũ dicitur, principium verò ad omnia quæ ab ipso sunt.

Cap. XVI.

Ante tempora non fuit tempus.

Non enim erat tempus antequam inciperent tempora: & ideo non in tempore accidit Deo, vt dominus esset: quia ipsorum temporum dominus erat, quæ vtique non in tempore esse cœperunt. Quid respondebis de homine, qui in tempore factus est, cuius vtique dominus non erat, antequam esset cui esset? Certè vel vt dominus hominis esset, ex tempore accidit Deo. Et vt omnis auferri videatur controuersia, certè vt tuus dominus esset aut meus, qui modò esse cœpimus, ex tẽpore accidit Deo.

Post pauca ibidem.

Deo nihil accidit.

Quòd ergo temporaliter dici incipit Deus, qui antea non dicebatur, manifestum est relatiuè dici: non tamen secundum accidens Dei, quòd ei aliquid acciderit: sed planè secundum accidens illius, ad quod dici aliquid Deus incipit relatiué: & qui amicus Dei iustus esse incipit, ipse mutatur. Deus autem absit vt temporaliter aliquando diligat, quasi noua dilectione, quæ in illo antè non erat, apud quẽ nec præterita trãsierunt, & futura iam facta sunt. Itaque omnes Sanctos suos ante mundi constitutionem dilexit, sicut prædestinauit.

Epheſ.1.

Lib.VI. cap.VII.

Mole non est Deus magnus

Deus verò multipliciter dicitur, magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quidquid aliud non indignè dici videtur. Sed eadem magnitudo eius est, quæ sapientia: non enim mole magnus est, sed virtute. Et eadem bonitas quæ sapientia, & magnitudo, & eadem veritas, quæ illa omnia. Et non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse. Nec quoniam Trinitas est, ideo triplex putandus est: alioqui minor erit Pater solus, aut Filius solus, quàm simul Pater & Filius. Quanquam non inueniatur quomodo dici possit, aut Pater solus, aut Filius solus, quum semper atque inseparabiliter & ille cum Filio sit, & ille cum Patre: non vt ambo sint Pater, aut ambo Filius: sed quia semper inuicem neuter solus. Quia verò dicimus & Deum solum, ipsam Trinitatem, quanuis semper sit cum spiritibus & animabus sanctis, sed solum dicimus qui Deus est, quia non & illi cum illo Deus sunt: ita solum Patrem dicimus Patrem, non quia separatur à Filio, sed quia non ambo simul Pater sunt, &c.

Deus quomodo intelligatur solus.

Cap. VIII.

Deus non triplex dicendus est.

Quum itaque tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quãtus est simul Pater & Filius & Spiritus sanctus: nullo modo triplex dicendus est. Corpora quippe adiunctione sua crescunt, &c.

Lib. VII. Cap. IIII.

Verius cogitatur Deus quã dicitur.

Quũ ergo quæritur quid tria, vel quid tres: conferimus nos ad aliquod inueniendum speciale vel generale nomen, quo complectemur hæc tria: neque occurrit animo, quia excedit supereminentia diuinitatis vsitati eloquii facultatem. Verius enim cogitatur Deus quã dicitur: & verius est quàm cogitatur.

Post pauca ibidem.

Tres personæ dicimus non secundum scripturã sed quia scriptura non contradicit.

Quid ergo tres? Si enim tres personæ, commune est eis id quod persona est. Ergo speciale hoc, aut generale nomen est eis, si consuetudinem loquendi respicimus. Sed vbi est naturæ nulla diuersitas, ita ibi generaliter enuntiantur aliqua plura, vt etiam specialiter enuntiari possunt. Legimus enim personam Domini, non personam Dominum: propterea licuit loquendi ac disputandi necessitate tres personas dicere: non quia Scriptura dicit, sed quia Scriptura non contradicit.

Cap. V. in eodem.

Cõmodius dicuntur tres personæ quàm tres substantiæ.

Sed tamen siue essentia dicatur, quæ propriè dicitur, siue substantia quod abusiuè, vtrunque ad se dicitur, non relatiuè ad aliquid. Vnde hoc est Deo esse quod subsistere. Et ideo si vna essentia Trinitas, vna etiã substãtia. Fortasis igitur cõmodius dicuntur tres personæ, quàm tres substantiæ.

Cap. VI.

Deum non dicimus vnã essentiam tanquam ex vna materia tria quædã subsistant.

Nec sic ergo Trinitatem dicimus tres personas vel substãtias, vnam essentiam, & vnum Deum, tanquam ex vna materia tria quædam subsistant: etiam si quidquid illud est, in his tribus explicatum sit.

Lib. VIII. Cap. II.

Animum enim verum habet, etiam qui non est magnanimus, quandoquidem cor-

poris & animi essẽtia, non est ipsius veritatis essẽtia, sicut est Tritas, Deus vn⁹, sol⁹, magnus, verus, verax, veritas. Quem si cogitare conamur quantum sinit & donat, nullus cogitetur per locorum spatia contactus aut complexus, quasi trium corporũ nulla compago iunctura: sicut tricorporem Geriomen fabulæ ferunt: sed quidquid animo tale occurrerit, vt maius sit in tribus quàm in singulis, minúsque in vno quàm in duobus, sine vlla dubitatione respuatur. Ita enim respuetur omne corporeum, in spiritalibus autem, omne mutabile, quod occurrerit, non putetur Deus. Non paruæ notitiæ pars est quum de profundo isto in illam súmitatem respiramus: si antequam scire possumus quid sit Deus, possumus iam scire quid non sit.

Trinitatem nõ tricorpẽ esse quèadmodum Geriomem fabulæ ferunt.

Lib. XV. cap. III.

Iam ergo in ipsis rebus æternis incorporalibus, & incommutabilibus, in quarum perfecta contemplatione nobis beata, quæ non nisi æterna est, vita promittitur, Trinitatem, quæ Deus est, inquiramus. Neque enim tantum diuinorum librorum auctoritas esse Deum prædicat: sed omnis quæ nos circunstat, ad quam nos etiam pertinemus, vniuersa ipsa rerum natura proclamat, habere se præstantissimum conditorem, qui nobis mentem rationémque naturalem dedit, qua viuentia non viuentibus, sensu prædita non sentientibus, intelligentia non intelligentibus, immortalia mortalibus, impotentibus potentia, iniustis iusta, speciosa deformibus, bona malis, incorruptibilia corruptibilibus, immutabilia mutabilibus, inuisibilia visibilibus, incorporalia corporalibus, beata miseris, præferenda videamus. Ac per hoc quoniam rebus creatis Creatorem sine dubitatione præponimus, oportet vt eum & summè viuere & cuncta sentire, atque intelligere, & mori, corrumpi, mutarí que non posse: nec corpus esse: sed spiritum omnium potẽtissimum, iustissimum, speciosissimum, optimum, beatissimúmque fateamur.

In æternis rebus, Trinitatẽ inquirere debemus.

Deus non est corpus.

Lib. III. Cap. IIII.

De Trinitate Dei.

Si ergo Apostolus Paulus, quãuis adhuc portaret sarcinam corporis, quod corrumpitur & aggrauat animam, quanuis adhuc ex parte atque in ænigmate videret, optans dissolui & esse cum Christo, & in semetipso ingemiscens, adoptionem expectans redemptionem corporis sui: potuit tamen significando prædicare dominũ Iesum Christum, aliter per linguã suam, aliter per epistolam, aliter per Sacramentum corporis & sanguinis eius. Nec linguam quippe eius, nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos linguæ editos, nec signa literarum conscripta pelliculis, corpus Christi & sanguinem dicimus: sed illud tantùm, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, ritè sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis dominicæ passionis. Quod quum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducitur, non sanctificatur, vt sit tam magnum Sacramentum, nisi operante inuisibiliter Spiritu Dei: quum hæc omnia, quæ per corporales motus in illo opere fiunt, Deus operetur, monens primitus inuisibilia Ministrorum, siue animas hominum, siue occultorum spirituum sibi subditas seruitutes. Quid mirum, si etiam in creatura cæli & terræ, maris & aeris, facit Deus quæ vult, sensibilia atque visibilia, ad seipsum in eis, sicut oportere ipse nouit, significandum atque demonstrandum, non ipsa sua quæ est apparente substantia, quæ omnino incommutabilis est, omnibúsque spiritibus, quos creauit, interius secretiúsque sublimior?

Neta de Sacramento corporis & sanguinis Chr'isti.

De quinque hæresibus, cap. VII.

Pereant vaniloqui, & mentis seductores, Arrianus & Sabellianus. Non ego & Pater vnus sum: sed ego & Pater vnum sumus, inquit. Quod dico vnum, audiat Arrianus, quod dico sumus, audiat Sabellianus. Non diuidat Arrianus vnum, non deleat Sabellianus sumus. Sed ambo veniant, & sint etiam ipsi nobiscum in vnum, sicuti ego & Pater vnum sumus. Ergo si Pater & Filius vnum sunt: imò quia indubitanter vnum sunt, non duo, sed vnus Deus.

Pater & Filius vnũ sunt & idem vnus Deus.

De inquisitione Trinitatis.

Proprium est Patris, quòd solus est Pater, & quòd ab alio non est, nisi à se: proprium est Filii, quòd à Patre genitus est, solus à solo, coæternus & consubstantialis Genitori. Proprium est Spiritus sancti, quòd nec ingenitus, nec genitus est, sed à Patre & Filio coæqualiter procedens.

Proprium est Patris quòd solus Pater est: proprium Filij, quòd à Patre genitus: proprium Spiritus sancti, quòd vtroque procedit.

Ibidem.

Pater per se est plenus Deus, similiter & Filius plenus Deus, & Spiritus sanctus plenus Deus creditur.

Quilibet persona in Trinitate, per se plenus est Deus.

Ibidem.

Quia vna substantia est Pater & Filius & Spiritus sanctus, non tres substantiæ. Proinde vnitas substantiæ, tres Deos prohibet dicere aut credere.

Vnitas, substãtiæ tres deos prohibet credere.

Ibidem.

Nullatenus ad solam Patris personam pertinet, dum dicitur solus Deus, siue in nouo siue in veteri Testamento, & quòd

Non ad solum Patrem pertinet, quòd sit solus Deus: sed

ad Trinitatem quæ est vnus Deus omnipotens.

quòd Deus solus siue hoc siue illud habeat vel faciat: sed ad totã Trinitatem sanctam, quæ est vnus Deus omnipotens, omnia faciens quæ in cælo & in terra.

De essentia diuinitatis in principio.

Vnus Deus in natura, trinus verò in personis.

Omnipotẽs Deus Pater & Filius & Spiritus sanctus, vnus atque trinus: vnus videlicet in natura, trinus verò extat in personis: solus inuisibilis, solus immensus atque incomprehensibilis, solus incircunscriptus, solus immutabilis, incorporeus & immortalis, vbique præsens, sed latens, vbique totus, sed immensus, &c.

Ibidem in fine.

Similitudo Dei in homine refertur ad opus iustitiæ.

Leuit. 19.

Similitudo Dei in homine refertur ad opus iustitiæ, dicẽte Domino in Lege, Sancti estote, quia ego sanctus sum, Deus vester. De qua sanctitate beatus Paulus informans, ait,

Ephe. 4.

Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secũdum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis.

1. Cor. 11.

Et iterum ipse, Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.

1. Io. 2.

Et Ioannes ait, Qui dicit se in Christo manere, debet ambulare sicut ille ambulauit.

Lucæ 6.

Et veritas in Euangelio, Estote misericordes, sicut & Pater vester cælestis misericors est.

Imago Dei ad naturam pertinet animæ.

Sicut enim imago Dei ad naturam pertinet animæ, ita similitudo refertur ad opus iustitiæ.

De Trinitate & Vnitate, Cap. II.

Pater, inquam, Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus: non tres dii, sed vnus

Deut. 6.

est Deus, vt Moyses dicit, Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est Deus: ac per hoc sicut dicimus non tres Deos, non tres essentias, ita nec tres sapientias, nec tres Spiritus. Nam interrogati de singulis personis si sit Pater sapientia, vel Filius, vel Spiritus sanctus: respondemus, Pater est sapientia, Filius est sapiẽtia, Spiritus sanctus est sapientia: non tres sapiẽtiæ, nec tres Spiritus, sed vna sapiẽtia, & vnus Spiritus: sicut vna substantia & vna essentia: quia hoc illi Patri est esse, quod Filio sapientia & Spiritui sancto est esse. Et quum æquales sint Pater & Filius & Spiritus sanctus: Filius tamen dicit,

Ioan. 10.

Pater maior me est: &,

Lucæ 22.

Non veni voluntatem meam facere: sed eius qui misit me Patris: &,

Ioan. 14.

Pater, si possibile est, trãseat à me calix iste: &, Mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit.

Secundum formam hominis ista intelligenda sunt.

Ista omnia & alia quæ dicit Filius secundum formam serui, quam assumpsit, intelligenda & dicta sunt.

In eodem, Cap. IX.

Singulorum autem opera dicuntur, quæ ad vnanquanque manifestantur pertinere personam: sicut natus ex Virgine, non nisi Filius. Et vox de nube, Tu es Filius meus dilectus, ad solius personam pertinet Patris. Et in specie corporali columbæ, solus apparuit Spiritus sanctus. Tamen & illam carnem solius Filii, & illam vocem solius Patris, & illam speciem columbæ, solius Spiritus sancti, vniuersa Trinitas operata est: nõ quòd inualidus sit vnusquisque eorum, sine aliis quæ operatur implere: sed nõ potest operatio esse diuisa, vbi nõ solùm æqualis esset, verũetiam indiscreta natura: ita vt quũ tres sint, ac eorum singulus quisque Deus sit, tres tamen dii non sunt. Nam & Pater Deus est, & Filius Deus est, & Spiritus sanctus Deus est. Nec Filius idem est, qui est Pater: nec idem Spiritus sanctus, qui aut Pater, aut Filius. Sed Pater, semper Pater: & Filius, semper Filius: & amborum Spiritus nunquam cuiquam eorum aut Pater aut Filius, sed semper vtriusque Spiritus. Vniuersa tamen Trinitas vnus est Deus.

Lucæ 3.

Operatio Trinitatis non potest esse diuisa.

Idem Cap. XII.

Gradus aut affectus in Trinitate nullus est.

Quoniam quidem hominum diuersa natura est, quorum separabilia opera esse possunt, quod Trinitatis non esse noscitur, quòd aut gradus aut affectus, qui inuenitur in creaturæ disparilitate & infirmitate, nullus est in illa coæterna & coæquali & impassibili Trinitate.

Cap. VII. De videndo Deo, ad Paulinam.

Deus patribus apparuit specie, quam voluntas elegit, latente natura.

Sed illud propterea dictũ est, quoniam Deus natura inuisibilis est. Illi autem ideo viderunt, quicunque Deum viderunt: quia cui voluerit, sicut voluerit, apparet ea specie, quam voluntas elegerit, etiam latente natura.

Cap. VIII. de videndo Deo, ad Paulinam.

Deus naturæ inuisibilis est non solùm Pater, sed ipsa Trinitas vnus Deus.

Inuisibilis est igitur natura Deus, non tantum Pater, sed & ipsa Trinitas vnus Deus. Et quia non tantùm inuisibilis, verumetiam incommutabilis sic apparet, quibus voluerit, in qua voluerit specie, vt apud eum integra maneat eius inuisibilis incommutabilisque natura. Desiderium autem veraciter piorum, quo videre Deum cupiunt, & inhianter ardescunt, non opinor in eam speciem contuendam flagrat, qua vt vult apparet quod ipse non est: sed in eam substantiam, qua ipse est quod est.

Post pauca, ibidem.

Nam multi viderunt, sed quod voluntas elegit, non quod natura formauit. Et illud quod sanctus Ioannes ait, si rectè intelligitur, Dilectissimi, filii Dei sumus, & nõdum apparuit quid erimus: Scimus quia

1. Ioan. 3.

quũ apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. nõ sicut homines

viderunt quando voluit, in specie qua voluit, non in natura qua in semetipso, etiam quum videretur, latuit: sed sicuti est. Quod ab eo petebatur, quum ei diceretur, Ostẽde mihi temetipsũ, ab eo qui cũ illo facie ad faciem loquebatur. Non quia Dei plenitudinem, quisquam non solùm oculis corporis, sed vel ipsa mente aliquãdo comprehendit.

Exod.33. Plenitudo Dei non solùm oculis corporeis, sed nec mente comprehendi potest.

De præsentia Dei, ad Dardanum, To.2.

Cap. III.

Cauendum tamen est, ne ita diuinitatem adstruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem cõsequens, vt qui in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Nã & de nobis veracissima Scriptura dicit, Qui in illo viuimus, mouemur & sumus: nec tamen sicut ille vbique sumus: sed aliter homo ille in Deo, quoniam & aliter Deus in homine, proprio quodã & singulari modo.

Christi diuinitas ita adstruenda, ne veritatem corporis auferat.

Actor.17.

Cap. V. in eodem.

Si adscendero in cælum, tu ibi es: si descendero ad infernum, ades: quia substantialiter Deus vbique diffusus. Sed sic est Deus per cuncta diffusus, vt non sit qualitas mundi: sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, & sine onere continens mundum. Non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa: ita vt in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio, dimidius: atque ita per totum, totus: sed in solo cælo totus, & in cælo & in terra totus, & nullo contentus loco, sed in seipso vbique totus. Ita Pater, ita Filius, ita Spiritus sanctus, ita Trinitas vnus Deus.

Psal.138. Deus non est qualitas mũdi sed substantia creatrix mundi.

Deus substantialiter vbique totus est.

Cap. VII. ad eundem.

Ideo enim vbique esse dicitur, quia nulli parti rerum absens est. Ideo totus, quia nõ parti rerum partem suam præsentem præbet, & alteri parti alteram partem, æqualem æqualibus, minori verò minorem, maiorique maiorem. Sed non solùm vniuersitati creaturæ, verumetiam cuilibet parti eius totus pariter adest.

Deus quo modo vbique esse intelligendus.

Cap. VIII.

Sicut autem nec ab illo abest, in quo nõ habitat, & totus adest, quanuis eum ille non habeat, ita & ille, in quo habitat, totus est præsens, quanuis eum non ex toto capiat. Neque enim ad habitandum diuidit se per hominum corda seu corpora, aliam sui partem huic tribuẽs, illi aliam: sicut lux ista per aditus & per fenestras domorum: sed potius si quenlibet sonum, quum corporea res sit ac transitoria, surdus non capit, surdaster non tantùm capit: atque in his qui audiunt, quum pariter ei propinquent, tantò magis alius alio capit, quantò est acutioris, tantò autem minus, quantò est obtusioris auditus, quum ille non variè magis minúsve insonet: sed in eo loco, in quo sunt, omnibus æqualiter præsto sit: quantò excellentius Deus natura incorporea, & immutabiliter viua, qui non sicut sonus per moras temporum tendi & diuidi potest, nec spatio aereo tanquam loco suo indiget, vbi præsentibus præsto sit: sed æterna stabilitate in seipso manens, totus adesse rebus omnibus potest, & singulis totus, quanuis in quibus habitat, habeant eum pro suæ capacitatis diuersitate, alii amplius, alii minus, quos ipse sibi dilectissimum templum gratia suæ bonitatis ædificat?

Deus non indiget aereo spatio, tanquam suo loco.

Cap. XX.

Hæc si pro viribus nostris, quantum Dominus adiuuit, ritè tractauimus, quando Deum vbique præsentem, & non spatiis distantibus, quasi aliqua mole vel distensione diffusum, sed vbique totum cogitare te extendis: auerte mentem ab omnibus imaginum corporibus, quas humana cogitatio voluere consueuit.

Mens ab omnibus imaginum corporibus se auertat, quum Deum vbique totum esse cogitat.

De cognitione vitæ, To.9.

Cap. III.

Sciendum igitur, Deum nullis verbis propriè exprimi, nulla posse cogitatione comprehendi. Quomodo enim immensus & incomprehensibilis prædicaretur, si humanæ locutioni vel meditationi includeretur? Nunc autem patet quàm sit admirabilis, quum omnibus linguis sit inedicibilis, omnibus cordibus sit incogitabilis. Dialectica nanque differendi potens, potenter quæque dubia diffiniens, cunctas scripturas euibrans & euiscerans, cunctam humanam sapientiam annihilans, quum diuinitatem intendit, tantæ maiestatis luce repercussa, pauidum caput tremefacta reflectit, atque in abdita mundanæ sapientiæ fugiẽs, delitescit, dissolutísque syllogismorum nexibus, stulta obmutescit: nempe nomine & verbo cuncta exprimuntur, quæ sub decem prædicamentis humano corde concipiuntur: sed quòd ex his nullũ propriè Deo conueniat, manifesta ratio comprobat.

Deus nullis verbis propriè exprimi potest. Ex Dialectico rum prædicamentis Deo nullũ conuenit.

Post pauca ibidem,

His decem prædicamentis cuncta humana conditio includitur, & ab his omnibus proprietas summæ essentiæ euidenti ratione penitus excluditur. Cuncta etenim, quæ vel oppositionem, vel contrarietatem, vel accidens suscipiunt, nulla ratione Deo propriè conueniunt. Igitur quum ratione repugnante, nihil de Deo propriè loqui valemus, saltem impropriè & per ænigmata de Deo loqui satagimus.

Nihil de Deo propriè loqui possumus.

Cap. VII. in eodem.

Porrò summus Spiritus, sicut à nullo intellectu

tellectu valet propriè cogitari, ita nulla definitione poterit propriè definiri vel determinari. Sed quia intellectualis mens eum vtcunque agnoscere anhelat, hæc ænigmatica definitio ei interim sufficiat. Deus Spiritus est, essentia inuisibilis, omni creaturæ incomprehensibilis, totam vitam, totam sapientiam, totam æternitatem simul essentialiter possidēs, idem ipsa vita, ipsa sapientia, ipsa veritas, ipsa iustitia, ipsa æternitas existens, omnem creaturam instar puncti in se continens.

Aenigmatica definitio.

Cap. X.

Quum itaque lux, splendor, calor, vna sit natura, & indiuidua substantia, vocabulo verò diuersa: cōstat profectò Patris & Filii & Spiritus sancti vnam naturam, indiuiduámque essentiam esse, dum in eo quod significat quid sit, substantialiter Spiritus nominatur. Et item in personis diuersitatem necessariam, dum Pater gignens, Filius nascens, Spiritus sanctus ab vtroque procedēs prædicatur.

Deus substantialiter Spiritus nominatur

Eodem lib. Cap. XI.

Ideo vigilātissimè hæc duo nomina, scilicet Substantia & Persona, diuinæ essentiæ coaptantur: quia semper Substātia de indiuiduis prædicatur, in pluralitate cōsistentibus: Persona autem, de indiuidua rationali natura prædicatur, quū nos soleamus personis pluralitatē, substantiæ autem designare essentiæ vnitatem.

Vigilantissimè Substantia & Persona hæc duo nomina, diuinæ essentiæ coaptantur.

De fide ad Petrum, To. 3.

Cap. I.

Quocunque igitur loco fueris constitutus, quia secundum regulam nostri Saluatoris imperio promulgatam, nosti te in vno Patris & Filii, & Spiritus sancti nomine baptizatum, principaliter atque indubitanter toto corde retine, Patrem Deū, Filiū Deū, Spiritum sanctum Deum: id est, sanctam atque ineffabilem Trinitatem, vnum esse naturaliter Deum, de quo in Deuteronomio dicitur, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est: &, Dominum Deum tuū adorabis, & illi soli seruies.

Trinitatem esse vnum Deum naturaliter, est credendum.

Deut. 6. Matth. 4.

Post pauca ibidem,

Sicut ergo nec Filius posterior aut minor est Patre, ita nec Spiritus sanctus posterior aut minor est Filio. A Eternum quippe & sine initio est, quòd Filius de Patris natura natus existit: & æternum ac sine initio est, quòd Spiritus sanctus de natura Patris, Filiíque procedit. Ob hoc ergo tres, vnū rectè credimus & dicimus Deum, quia vna prorsus æternitas, vna immensitas, & vna naturaliter est trium personarū diuinitas. Teneamus igitur Patrem & Filium & Spiritum sanctū, vnum esse naturaliter Deum: neque tamen ipsum Patrem esse, qui Filius est: neque Filiū ipsum esse, qui Pater est: nec Spiritum sanctum ipsum esse, qui Pater aut Filius est. Vna est enim Patris & Filii & Spiritus sancti essentia, quam Græci οὐσίαν vocant, in qua non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus: quanuis personaliter sit alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Quod nobis maximè in ipso sanctarū Scripturarū initio demonstratur, vbi Deus dicit, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, *Gene 1.*

Trinitas vna est naturaliter diuinitas.

In fine capitis.

Trinitas itaque ad personas Patris & Filii & Spiritus sancti refertur, vnitas verò ad naturam.

Trinitas ad personas, vnitas ad naturā refertur.

Cap. III. I. eodem libro, ad eundem.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnū esse naturaliter Deum, in cuius nomine baptizati sumus. Quum enim aliud nomē sit Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, hoc est, vtique vnum naturæ nomen horū trium quod dicitur, Deus, qui dicit in Deuteronomio, Videte, quoniā ego sum Deus, & non est alius præter me. Et de quo dicit, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est: &, Dominum Deum tuū adorabis, & illi soli seruies.

Deus nomē est diuinæ naturæ

Deuter. 32.

Deuter. 6. Matth. 4.

Cap. V. ibidem.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, id est, sanctam Trinitatem esse solum naturaliter vnum Deum. Quia quū tres deos nobis colere non liceat, nisi vnum, solum, verū Deum: tamen sicut Pater verus Deus dicitur, testāte Apostolo, qui ait, Conuersi estis ad Deū à simulachris: seruite Deo viuo & vero, & expectate Filium eius de cælis, quē suscitauit à mortuis, Iesum. Ita quoque Filium verum Deum Ioannes commendat Apostolus, dicens, Scimus quia Filius Dei venit, & dedit nobis intellectum, vt cognoscamus verum Deū, & simus in vero Filio eius Iesu Christo: hic est verus Deus, & vita æterna. Qui vtique quoniam verus Deus est, etiam veritas est, sicut ipse nos edocet, dicēs, Ego sum via, veritas & vita. De Spiritu quoque sancto Ioānes Apostolus ait, Quia Spiritus est veritas. Et vtique non potest naturaliter Deus verus non esse, quia veritas est. Quem etiam Deum Paulus Apostolus confitetur, dicens, Membra vestra templa sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri iuris. Empti enim estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro.

Triū personarum auctoritate probatur diuinitas. De Patre. 1. Thessal. 1. De Filio.

1. Ioan. 5.

De Spiritu sancto. 1. Corinth. 6.

Ioannis 14.

Cap. VI.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites,

Trinitas verus Deus sine initio, sempiternus est.

Patrem & Filium & Spiritum sanctum, id est, sanctam Trinitatem, vnum verum Deū sine initio, sempiternū esse. Propter quod scriptum est, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. hoc erat in principio apud Deum. Hæc denuo sempiternitas intimatur, vbi dicitur in Psalmo, Deus autem Rex noster ante secula. Et alio loco, Sempiterna quoque eius virtus & æternitas, &c.

Ioannis 1.

Psal. 72.

Rom. 3.

Ibidem Cap. XI

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Patris & Filii & Spiritus sancti, vnam quidem esse naturam, tres verò esse personas, Patrémque solum esse qui dixit, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Et Filium solum esse, super quē vox illa solius Patris insonuit, quando in Iordane secundum carnem baptizatus est vnigenitus Deus, qui carnē solus accepit. Itaque Spiritum sanctum, Patris & Filii solum esse, qui in specie columbæ super Christum baptizatum & adscendentem ab aqua descendit, & quinquagesimo die post resurrectionem Christi, fideles in vno loco positos in linguarum ignearum visione aduenies repleuit. Illam vocem qua solus locutus est Pater Deus, & illam carnem qua solus homo factus est vnigenitus Deus, & illam columbam, in cuius specie Spiritus sanctus super Christum descendit, illáque linguas igneas, in quarum visione fideles Apostolos in vno loco constitutos repleuit, opera esse totius sanctæ Trinitatis: id est, vnius Dei, qui fecit omnia in cælo & in terra, visibilia & inuisibilia.

Matth. 1.

Act. 2.

Opera Trinitatis inseparabilia sit quòd solus Filius dicatur incarnatus, &c.

Cap. XV.

Christus verus Deus credendus.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, vnum Filium, atque ipsum esse Deum verū, qui cum Patre Deo, & Spiritu sancto Deo fecit omnia tempora, & in monte Sinai Legem Moysi dedit, ordinatam per Angelos, & ipsum Deum verbum carnem factum, qui veniente plenitudine temporis, missus à Patre & Spiritu sancto, factus est ex muliere quam fecit, solus factus est sub Lege quam dedit, &c.

Exod. 20. & 21.

Galat. 4.

In Manuali. Cap. I.

De mirabili efficatia Dei.

Tu Domine cælum & terram imples, omnia portans sine onere, omnia implens sine inclusione, semper agēs, semper quietus: colligens, & non egens: quærens quum nihil desit tibi: amans, nec æstuans: zelans, & securus es: pœnitet te, & non doles: irasceris, & tranquillus es: opera mutas, sed non mutas consilium: recipis quod inuenis, & nunquā amisisti: nunquam inops, & gaudes lucris: nunquam auarus, & vsuras exigis: supererogas cui nō debes, vel semper superer ogatur tibi vt debeas: & quis habet quicquam non tuum? Reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens. Qui vbique es, & vbique totus, qui sentiri potes, & videri nō potes: qui nusquam dees, & tamen ab iniquorum cogitationibus longè es: qui nec ibi dees, vbi longè es: quia vbi non es per gratiam, ades per vindictā: qui vbique præsens es, & vix inueniri potes. Quem stantem sequimur, & apprehendere non valemus. Qui tenes omnia, imples omnia, circumplecteris omnia, superexcedis omnia, sustines omnia: qui corda fidelium doces sine strepitu verborum. Qui locis non distenderis, nec temporibus variaris, nec habes accessus & recessus. Qui habitas lucem inaccessibilem, quē nullus hominum vidit, nec videre potest: in te manens quietus, vbi circuis totū. Non enim scindi & diuidi potes, quia verè vnus es, nec in partes efficeris, sed totus totum tenes, totum imples, totum illustras & possides.

1. Timoth. 6.

Quæstionum veteris & noui Testamenti.

Quæstion. LXXXVII.

Per incarnationem Christi Sacramentum vnius Dei reuelatum est.

Nihil penè nouum effectū est: sic enim Trinitas prædicatur, vt vnus Deus credatur. Non ergo additum est aliquid, sed Sacramētum Dei vnius reuelatum. Inter ipsa autem primordia, manifestari nō oportuit, quia prius prædicandum, & postea id quod prædicatum est, reuelandum: vt scias Patrē esse à quo cuncta sunt: Filium verò dici, per quem sunt omnia: Spiritum autem sanctum appellari, per quem omnia quæ à Patre quidem, sed per Filium regenerantur ad fidem Dei vnius. Hi ergo tres sunt quidem, sed vna diuinitas.

Quæstionum LXV. ad Orosium,

Quæstio prima.

Matth. 28.

Matth. 3.

Sabelliani hæretici vnam personam Patris & Filii esse dicunt.

Si Trinitas non esset, nunquam Dominus noster Iesus Christus diceret discipulis suis, Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: nec baptizato Domino in Iordane à Ioanne, vox de cælo dixisset, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Nec Spiritus sanctus in colūbæ specie descēdisse super eum, & mansisse diceretur. Miror infelicem Sabellianorum hæresim, hoc est, Patri passianorum, quòd sic cæci sunt mēte, vt tam præclara, tam aperta testimonia non attendant. Ipsi nanque asserunt vnam personam, id est, ipsum Filiū esse qui Pater est, & ipsum Spiritum sanctum. Sed nos cæcitatem ipsorum relinquentes, tres personas secundum Scripturas sanctas intelligamus: id est, alium esse Patrem, qui genuit Filium, alium qui genitus est à Patre, alium Spiritum sanctum, nō aliud: quia substantia vnum sunt. personas distinguimus, non deitatem separamus.

De

De quinque hæresibus,

Cap. VI.

Opera Trinitatis inseparabilia.

Pater Pater est, Filius Filius est, & ille nunquam non fuit Pater, & iste nunquam non fuit Filius: ambo æterni, nec cœperunt esse, nec desierũt. Quod Pater loquitur, Filius loquitur, quia Verbũ Patris est: & quod Filius loquitur, Pater loquitur, quia Pater

Ioannis 14.

Verbi est. Ipsum Verbum dicit, Verba quæ ego loquor, à meipso non loquor. Concedite quæso Creatori, & in creatura si potestis capite Creatorem.

Post pauca ibidem.

Pater in diuinis Pater est sine coniuge, Filius sine matre Filius.

Vnus sine coniuge Pater, alius sine matre Filius, nec diuidi alter ab altero potest: & quum sit alter ex altero, initium tamen alterius esse non potest sine altero.

Libro III. contra Maximinum Arrianorum Episcopum,

Cap. X.

Secũdum fidem autem rectam, quicunque ipsam Trinitatem vnũ Dominum Deũ esse nostrum didicimus: profectò quum ei soli ea, quæ Deo debetur, seruitute seruim⁹, Domino Deo soli nos seruire confidimus. Ergo, inquis, Deus Pater pars est Dei? absit. Tres enim personæ sunt, Pater & Filius &

Nulla est in deitate naturarum vel voluntatum diuersitas.

Spiritus sanctus. Et hi tres quia vnius substantiæ sunt, vnum sunt, & summè vnũ sunt, vbi nulla naturarum, nulla est diuersitas voluntatum. Si autem natura vnum essent, nõ summè vnum essent. Si verò natura dispares essent, vnum non essent. Hi ergo tres, qui vnum sunt, propter ineffabilem cõiunctionem deitatis, qua ineffabiliter copulantur, vnus Deus est.

Eodem libro, cap. XXVI.

1. Cor. 8. Trinitas vnus Deus est.

Hæc est Trinitas vnus Deus, de quo dicit Apostolus, Nullus Deus nisi vnus. Nõ enim quum hæc auditis, Deum negare vnigenitum auditis. Hic Deus Trinitas dicit,

Exod. 3.

Ego sum qui sum, & non sum mutatus, &c.

Eodem cap.

Diuinitas Patris, Filii & Spiritus sancti in sua natura inuisibilis est.

Ego diuinitatem Patris & Filii & Spiritus sancti, in sua natura atque substantia mortalibus oculis inuisibilem dico. Eam verò se in formas visibiles vertere, absit vt dicam: quia & immutabilem dico. Restat ergo vt aspectibus humanis, quando se ostẽdit vt voluit, per subiectam hoc intelligatur fecisse creaturam, qua potest oculis apparere mortalibus.

De vera innocentia, cap. XXI.

Eminentia deitatis excedit intelligentiæ facultatem.

Excedit supereminẽtia deitatis non solùm vsitati eloquii, sed etiam intelligẽtiæ facultatẽ. Verius enim cogitatur Deus quàm dicitur, & verius est quàm cogitatur. Non parua autem notitiæ pars est, si antequam scire possumus quid sit Deus, possimus scire quid non sit.

Cap. CVIII. ibidem.

Accidentia nõ cadunt in Deũ

Tunc dicitur Deus meminisse, quando facit, tunc obliuisci, quãdo non facit. Nam neque obliuio cadit in Deum, quia nullo modo mutatur: neque recordatio, quia nihil obliuiscitur.

Cap. CCLXXXIII.

Deus in miraculis suis nihil contra naturam facit.

Naturarum conditor Deus nihil in miraculis contra naturam facit, nec quod nouum est consuetudini, repugnãs est rationi. Nobis ergo videntur contra naturam insolita, quibus aliter naturæ cursus innotuit: nõ autẽ Deo, quũ hoc est natura quod fecerit.

Ibidem, cap. CCCXLVII.

Christũ Deum & hominem esse sed vnum Christum.

Vtrunque nouerimus esse in Christo, & vnum quo æqualis patri est, & vnum quo illo maior est Pater. illud verbum est, illud caro est: illud Deus est, illud homo est: sed vnus est Christus Deus & homo.

Cap. CCCXVII.

Ioannis 10. Duobus verbis duæ hæreses detruncantur.

Vt rectè credatur Pater & Filius, & ipse Filius audiẽdus est, dicẽs, Ego & Pater vnũ sumus. Duobus enim verbis hæreses simul duæ detruncantur. Nam per id quòd ait Vnum, Arrium perculit: per illud quòd ait Sumus, Sabellium strauit: quia nec sumus de vno, nec vnum diceret de diuerso.

De speculo. cap. II.

Ioannis 4. Deus est Spiritus.

Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare & credere. Sed Spiritus incomprehensibilis, incorporeus, immutabilis, incircunscriptus, vbique totus, nunquam diuisus, secundum ipsius Scripturæ testimonium veridicum, hoc modo discernens Creatorẽ à creatura, in qua sũt qui & Spiritus dicũtur.

Cap. XI. ibidem.

Quatuor literis & duabus syllabis infinitum quid, & incomprehensibile dicitur.

Quotiescunque recolo vel audio duas breues syllabas, vel quatuor literas, quibus scribitur Deus (hoc enim nomen tibi soli Omnipotens iure debetur) atque quum intueor tuæ virtutis magnalia, & mirabilem mundi creationem, id est, cosmopœiæ cõsydero decorem: simúlque mecum tacitus reputo miserationes tuas, quæ à seculo sunt (mirentur enim qui volunt potẽtiam tuam: sed ego plus stupeo animaduertens misericordias tuas) profectò in his quatuor literis & duabus breuibus syllabis, quum infinitum quid & incomprehensibile, immensum, & inenarrabile mentis intuitu & synceris fidei oculis præscire & posse, quod mihi tantillo homini dignaris largiri, contẽplor, &c.

Cap. XIII. ibidem.

Hæresis Antropomorphitarũ.

Falluntur itaque Antropomorphitarum hæresis sectatores, qui dum legunt ho-

Gene.1. minem ad imaginem & similitudinẽ Dei factum, asserunt stulta temeritate speciẽ humanã te habere, quũ illo in loco vel dicaris vel credaris mẽtem non carnẽ ad imaginem tuã creasse. Enimuerò nihil dignum de te humanus sermo loquitur: quia nec secũdum qualitatem & quantitatem, situm vel habitum, seu motum, aliquid de te dignè dicitur.

Mens humana non caro ad imaginem Dei facta.

Contra Cresconium grammaticum, libro I. cap. XXIX.

Non autem existimo quenquam ita desipere, vt credat ad Ecclesiæ pertinere vnitatem eum qui nõ habet charitatem. Sicut ergo Deus colitur ignoranter vnus, etiam extra Ecclesiam, nunc ideo non est ipsa. Vnus Deus, vna fides, vnum Baptisma, vna incorrupta catholica Ecclesia, non in qua sola vnus Deus colitur, sed in qua sola vnus Deus piè colitur. Nec in qua sola vna fides retinetur, sed in qua sola vna fides cũ charitate retinetur. Nec in qua sola vnus Baptismus habetur, sed in qua sola vnus Baptismus salubriter habetur.

Qui non habet charitatem, nõ pertinet ad Ecclesiæ vnitatẽ.

De gratia noui Testamenti ad Honoratum, cap. XVIII.

Porrò pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando. Sũma igitur & vera sapientia est in præcepto illo primo, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c.

Pietas cultus Dei est. Deut. 6. Matth. 22.

Cap. XIX. ibidem.

Non omnia Deus, quæ prædicit, promittit. Prædicit enim illa, quæ nõ ipse facit, quia est omnium præscius futurorum. Prædicit ergo & peccata hominum, quæ potuit præscire non facere. Promittit autem quæ ipse facturus est, nec ea mala, sed bona.

Deus prædicit quædam quæ non facit.

De natura & gratia, contra Pelagianos, cap. XLIII.

Verum est autem quod ait, Quòd Deus tam bonus quàm iustus, talem hominẽ fecerit, cui peccati malo carere sufficeret: sed si voluisset. Quis enim nescit eum sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad iustè viuẽdum potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quẽ semiuiuum latrones in via reliquerunt, qui grauibus saucius confossúsque vulneribus, nõ ita potest ad iustitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere. Qui etiam si iam in stabulo est, adhuc curatur. Non igitur Deus impossibilia iubet: sed iubẽdo admonet & facere quod possis, & petere quod nõ possis.

Primus homo liberum habuit arbitrium.

In Cõmonitorio ad Fortunatianũ, C. & D.

Inuisibilis enim Pater, sed & Filius inuisibilis secundum diuinitatem. Et sunt verba Ambrosii.

Pater & Filius inuisibilis.

Post pauca ibidem.

Videre Deum sicuti est in natura sua oculus hominis non potest. Non solùm homo, nec Angeli, nec throni, nec potestates, nec dominationes, nec omne nomen quod nominatur. Neque enim creatura potest aspicere Creatorẽ suum. Hæc Hieronymus.

Angeli Deum vt est in natura videre non possunt.

De doctrina Christiana, libro I. cap. X.

Quapropter quũ illa veritate perfruendum sit, quæ incommutabiliter viuit, & in ea Trinitas Deus auctor & conditor vniuersitatis rebus quas condidit, consulat: purgandus est animus, vt perspicere illam lucem valeat, & inhærere perfectẽ. Quam purgationem, quasi ambulationem quandam, & quasi nauigationẽ ad patriam esse arbitremur. Nõ enim ad Deum, qui vbique præsens est, locis mouemur, sed bono studio, bonísque moribus.

Ad Deum nõ locis mouemur, sed pijs moribus.

Confessionum libro XI. Cap. XII.

Ecce respondeo dicenti, Quid faciebat Deus antequam faceret cælum & terram? Respõdeo non illud quod quidam respondisse perhibetur, ioculariter eludẽs quæstionis violẽtiam. Alta (inquit) scrutantibus gehennas parabat. Ideo aliud est ridere, aliud videre. Antequam faceret Deus cælum & terram, non faciebat aliquid. Si enim faciebat, quid nisi creaturam faciebat? Et vtinam sit scientia, quidquid vtiliter scire cupio, quemadmodum scio, quòd nulla fiebat creatura antequam fieret illa creatura.

Qui dixerit Deus antequã fieret cælum & terra.

Libro IIII. contra Faustum. Cap. III.

Pater noster qui es in cælis, & de cuius substantia nati non sumus: sed cuius gratia & misericordissima voluntate adoptati, secundum doctrinam Apostolicam, & fidelissimam veritatem. Ipsum quippe habemus & Deum & Dominũ & Patrem. Deum, quòd ab ipso etiam ex hominibus conditi parentibus sumus. Dominum, quòd ei subditi sumus. Patrem, quòd eius adoptione renati sumus, &c.

Qua ratione Deus dicatur Deus & Dominus & Pater.

De natura. cap. I.

Summum bonum, quo superius nõ est, Deus est, ac per hoc incommutabile bonum est, & ideo verè æternũ, & verè immortale: cætera omnia bona non nisi ab illo sunt, sed non de illo.

Omnia bona à Deo sunt. sed non de Deo.

Libro I. de Genesi ad literam. Cap. VI.

In principio fecit Deus cælum & terram. Intelligimus Patrem in Dei nomine, & Filium in Principii nomine, qui non Patris, sed per seipsum creatæ primitus ac potissimùm spiritali creaturæ, & consequenter etiam vniuersæ creaturæ principium est.

Gene. 1. Commendationem Trinitatis 1. cap. libri Geneseos implẽtã agnoscimus.

Dicente

Dicēte autem Scriptura, Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas, completam comme morationem Trinitatis agnoſcimus,&c.

Libro VII.Cap.II.

Nos enim credimus Dei naturam atque ſubſtantiam,quæ in Trinitate creditur à multis, intelligitur à paucis, omnino eſſe incommutabilem.

De Trinitate libro XIII.

Cap.X.

Conuenientior modus quo liberaretur genus humanū Deo non fuiſſe, quā per Chriſtum incarnatum.

Eos itaque qui dicūt, Ita ne defuit Deo modus alius, quo liberaret homines à miſeria mortalitatis huius: vt vnigenitum Filiū Deum,ſibi coæternum, hominem fieri vellet, induendo humanam animam & carnem mortalémque factum, mortem perpeti? parum eſt hic refellere, vt iſtum modum quo nos per Mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum Deus liberare dignatur, aſſeramus & diuinæ congruum dignitati: verumetiam, vt oſtendamus non alium modum poſsibilem Deo fuiſſe, cuius poteſtati cuncta æqualiter ſubiacent. Sed ſanandæ noſtræ miſeriæ, conuenientiorem modū alium non fuiſſe, nec eſſe oportuiſſe.

Libro XV.Cap.I.

Deus eſt natura creatrix.

Supra hanc ergo naturam ſi quærimus aliquid,& verum quærimus,Deus eſt: natura ſcilicet non creata, ſed creatrix. Que vtrùm ſit Trinitas, non ſolùm credentibus diuinæ Scripturæ auctoritati,verūetiam intelligētibus aliqua ſi poſſumus ratione iam demōſtrare debemus. Cur autē ſi poſſumus dixerim,res ipſa quum quæri diſputādo cœperit, melius indicabit.

Eodem libro,Cap.XXVI.

Deum, non diſcipulos dediſſe Spiritū ſanctum.

Quomodo ergo Deus non eſt, qui dat Spiritum ſanctum? imò quantus Deus eſt, qui dat Deū? Neque enim aliquis diſcipulorū eius dedit Spiritū ſanctū. Orabāt quippe,vt veniret in eos, quibus manus imponebāt,non ipſi eū dabāt. Quem morem in ſuis præpoſitis etiā nūc ſeruat Eccleſia,&c.

De eo quod dictum eſt,

Ego ſum,qui ſum.

Fides Catholica credit vnum Deum, vnius ſubſtantiæ.

Catholica autem fides credit Patrem & Filium & Spiritū ſanctum, vnum Deum vnius ſubſtantiæ, Trinitatem inſeparabiliter,æqualiter,non commixtione confuſam, non diſtinctione ſeparatam.

Poſt pauca ibidem.

Deus natura inuiſibilis eſt: apparuit autē quando voluit, cui voluit: non vt eſt,ſed vt voluit.

Deus Pater, Deus Filius, incōmutabilis Pater,incommutabilis Filius: æternus Pater,coæternus Filius. Nam ſi dixeris Patrē inuiſibilem,Filium viſibilē: diſtinxiſti,imò verò ſeparaſti ſubſtantias. Quomodo gratiam inueniſti qui fidē perdidiſti? Soluitur ergo iſta quæſtio ſic, Deus Pater & Filius & Spiritus ſāctus,natura propria inuiſibilis eſt: apparuit autem quando voluit: non vt eſt,ſedvt voluit,cui ſeruiunt omnia.

Ibidem in fine.

Exod.3. In Deo viuimus,mouemur & ſumus. Actu.17.

Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, ſic ſum qui ſū,ſic ſum ipſum eſſe,ſic ſum cum ipſo eſſe,vt nolim hominibus deeſſe. Si quomodo poſſumus Dominū quærere,& inueſtigare eum qui eſt: & quidē non lōgè poſitum ab vnoquoque noſtrūm. In illo enim viuimus & mouemur & ſumus. Laudemus ergo ineffabiliter eius eſſentiam & amemus miſericordiam. Amen.

Libro II.de viſitatione infirmorum.

Cap.II.

Hebr.11.

Mi chariſſime,receſſurus à nobis(te enim compellit dies vltima)fidelis eſto:ſine fide enim nō potes placere Deo: neque enim infidelis eſt Deo acceptabilis. Sunt ergo de Deo multa credenda,ad ſalutem animæ neceſſaria. Sacramētis igitur diuinis fides plus quàm verborum argumentatio adhibenda eſt. Neque enim ſigillatim de Deo credēda per rationis argumenta poſſumus comprehendere: poſſumus autem & debemus credere. Nam neque de Deo loquimur, quum à nobiſmetipſis aliquantulum mente excedamus. Vbi igitur eſt mētis exceſſio,idonea eſt fidei ſucceſſio. Mirabile ergo illud de Trinitatis vnitate,de vnitatis deifica Trinitate ſacramentum, magis eſt credendum quàm exponendum. Enimuerò credatur ſacræ Scripturæ teſtimoniis.

Sacramētis diuinis fides adhibenda eſt, nō verborum argumentatio.

Poſt pauca ibidem.

Quoniam infirmi ſumus ad comprehendendam Dei diuinitatem, ad humanitatē Chriſti oculum intellectualem reflectere debemus.

Quoniam ergo infirmus hominis intellectus ex ſui ipſius humanitate pōderoſa hebetatus, videns nunc per ſpeculum in ænigmate,Dei non poteſt diuinitatem, vt dignū eſt, comprehendere: ad illam quæ ſua eſt, Chriſti humanitatem, oculum ſuum intellectualem reflectat.

De ſalutaribus documentis.

Cap. XXIII.

Deus non verborum,ſed cordis auditor & inſpector eſt.

Deus enim non vult ſe verbis tantùm diligi,ſed corde puro&operibus iuſtis:quia non verborum, ſed cordis eſt auditor & inſpector Deus.

Libro III.de Symbolo ad Cathecumenos, cap.III.

Nos autem dilectiſſimi,quibus donatū eſt credere, nec Solem credamus Deum, vt Regem cæli: nec mare, aut neſcio quem regem eius Neptunum, quem fingit vanitas, non veritas: nec terram & Plutonē: ſed credamus in Deum Patrem omnipotentem,vniuerſorum Creatorem,regem cælorū. Qui enim cuncta,quia voluit,de nihilo fecit,ipſe

Mortales non sunt dij, quia videri possunt.

regit quæ fecit. Mortales isti qui nobis superius commemorati sunt, ideo dii nō sunt: quia & cōprehendi & videri his oculis possunt. Cæteros autem quos vani vanè colūt, Iouem, Saturnum, Martem, Iunonem, Mineruam, Venerem, & cætera portenta, non nomina bona, sed nomina mala, homines mortales fuisse, etiam eorum literæ clamāt, qui talibus erroribus delectantur. Nostræ autem Sacræ literæ qualem Deum prædicent, Paulum audite Apostolum, Immortali, inquit, inuisibili, incorruptibili, soli Deo honor & gloria. Non videtur Deus noster oculis carnis, sed videtur oculis cordis: non videtur ad tempus, sed videtur in æternum.

1. Timo. 1.

De mirabilibus sacræ Scripturæ libro II. cap. XVII.

1. Reg. 17.

Viduæ filius in illo tempore, quo Helias in domo eius morabatur, graui ægritudine mortuus fuit. Sed hunc Helias oratione sua ad vitam iterum reuocauit. de quo tradunt Hebræi, quòd ipse Ionas Propheta postea fuerit, quem de ventre cœti glutientis, euolutis tribus diebus Dominus absoluit: quia Deus qui inimicum suum, in quocūque tuto loco potest occidere: seruum suum quem vult eruere, de qualicunque angustia liberare valet. At verò illa famosa quæstio, quæ de mortuis resuscitatis agitur, vsque ad Lazarum à nobis reseruatur.

Hebræi dicunt Ionam Prophetam fuisse viduæ filium, per Heliam resuscitatum.

Eodem libro, cap. XXV.

4. Regum 6. *De ferro in aqua supernatante.*

Propter quod aquæ natura natans ferrum sufferre poterat, quia Deus quod ex parte per semetipsam creaturam cōsuescit, vt ad integrum faceret, imperabat.

De Ecclesiasticis dogmatibus.

Cap. I.

Sancta Trinitas in natura vnus Deus est.

Credimus vnum esse Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctū. Patrem, eò quòd Filium habeat: Filium, eò quòd Patrem habeat: Spiritum sanctum, eò quòd sit ex Patre & Filio procedēs, Patri & Filio coæternus. Pater ergo principium deitatis, qui sicut nunquam fuit non Deus, ita nunquam fuit non Pater, à quo Filius natus, à quo Spiritus sanctus non natus, quia non est Filius: neque ingenitus, quia non est Pater: neque factus, quia non est ex nihilo: sed ex Deo Patre & Deo Filio, Deus procedens. Pater æternus, eò quòd æternum habeat Filium, cuius æternus sit Pater. Filius æternus, eò quòd sit Patri coæternus: Spiritus sanctus æternus, eò quòd sit Patri & Filio coæternus. Non confusa in vna persona Trinitas, vt Sabellius dicit: neque separata aut diuisa in natura diuinitas, vt Arrius blasphemat: sed alter in persona Pater, alter in persona Filius, alter in persona Spiritus sanctus, vnus natura in sancta Trinitate Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus.

Cap. II.

Deus nō est mutatus in humanam substantiam, nec homo in diuinam.

Deus ergo hominem assumpsit, homo in Deum transiuit, non naturæ versibilitate, sicut Apollinaristæ dicunt, sed Dei dignatione, vt nec Deus mutaretur in humanam substātiam assumendo hominem, nec homo in diuinam glorificatus in Deum: quia mutatio, vel versibilitas naturæ, & diminutionem & abolitionem substātiæ facit. Creditur à nobis sine confusione coniuncta sancta Trinitas, sine separatione distincta.

Cap. III.

Christus nascēdo de Virgine, non suæ diuinitatis tunc initiū sumpsit.

Neque sic est natus ex Virgine Christus, vt & diuinitatis initium homo nascēdo acceperit, quasi antequam nasceretur ex Virgine Deus non fuerit, sicut Arthemon, & Berillus, & Marcellius docuerunt: sed æternus Deus & homo ex Virgine natus est.

Cap. IIII.

Nihil creatum in Trinitate credamus.

Nihil creatum aut seruiens in Trinitate credamus, vt vult Dionysius fons Arrii: nihil inæquale, vt vult Eunomius: nihil inæquale gratiæ, vt vult AEthæus: nihil anterius, posteriúsve, aut minus, vt Arrius: nihil extraneum aut officiale alteri, vt Macedonius: nihil persuasione aut surreptione insertum, vt Manichæus: nihil corporeum, vt Melito & Tertullianus: nihil corporaliter effigiatum, vt Antropomorphus & Vadianus: nihil sibi inuisibile à creaturis, vt Origenes: nihil creaturis visibile, vt Fortunatus: nihil moribus vel voluntate diuersum, vt Martion: nihil ex Trinitatis essentia ad creatarum naturam deductum, vt Plato & Tertullianus: nihil officio singulare, nec alteri communicabile, vt Origenes: nihil confusum, vt Sabellius: sed totum perfectum, quia totum ex vno, & vnum ex toto, non tamen solitarium, vt præsumūt Praxeas & Syluanus, Pētapolitana dānabilis illa doctrina.

Variarum hæresum circa Trinitatem abusiones.

Cap. V.

Homousion Patri Filius.

Homousion ergo, id est, coessentialis in diuinitate Patri Filius, homousion Patri & Filio Spiritus sanctus, homousiō Deo & homini vnus Filiꝰ, manēs Deus in homine suo, in gloria Patris, desiderabilis videri ab Angelis, sicut Pater & Spiritus sāctus adoratur ab Angelis, & ab omni creatura, non homo factus præter Deum, vel Christus cum Deo, sicut blasphemat Nestorius: sed homo in Deo, & Deus in homine.

1. Pet. 1.

Cap. XI. in eodem libro.

Nihil incorporeum & inuisibile natura credendum, nisi solum Deum.

Nihil incorporeum & inuisibile natura credendum, nisi solum Deum, id est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Qui ideo rectè incorporeus dicitur & creditur, quia vbique est, & omnia implet atque constringit: ideo inuisibilis omnibus creaturis, quia incor-

incorporeus est.

De prædestinatione & gratia, cap. V.

Deus enim qui nec loco clauditur, nec tẽ-
Deus omnium rerum scientia plenus est. pore præuenitur, omnium rerum tam præteritarum memoria, quàm imminentium scientia plenus est, nec reminiscens voluitur in præteritum, nec sperans tenditur in futurum.

De triplici habitaculo, cap. V.

Ineffabili æternitate præcessit Deus mun-
Deus præcessit mundum, non tempore. dum, non tempore, cuius tempus ante mundũ non erat, cuius lux tenebras depellit ignorantiæ, cuius aliqua particula hæc omnia, quæ diximus, vera & certa esse cognoscimus.

Contra sermonem Arrianorum, cap. XV.

Eadem sunt opera Patris & Filii. Eadem nanque sunt opera Patris & Filii: non quòd Filius sit idem ipse qui Pater est, sed quia nullũ est opus Filii, quod nõ per eũ Pater facit, nec vllum Patris, quod nõ per Filium simul facientem facit. Quæcunque enim Pater facit, hæc eadẽ similiter Filius facit. Euãgelica est & ista sententia, Filii ipsius consequenter ore prolata. Non sunt ergo alia Filii & alia Patris opera, sed hęc eadem: nec dissimiliter fiunt à Filio, sed similiter, &c.

Ioannis 5.

Post pauca ibidem.

Singulorum opera dicuntur quæ ad manifestationem personarum pertinent. Singulorũ autem opera dicuntur, quòd ad vnãquanque eorum manifestantur pertinere personam, sicut natus ex Virgine non nisi Filius, & vox de nube, Tu es Filius meus dilectus, ad solius personam pertinet Patris, & specie corporali sicut columba, solus apparuit Spiritus sanctus: tamen & illam carnem solius Filii, & illam vocem solius Patris, & illam speciem solius Spiritus sancti vniuersa Trinitas operata est: nõ quòd inualidus sit vnusquisque eorum sine aliis quæ operatur implere: sed nõ potest operatio esse diuisa, vbi nõ solùm æqualis est, verumetiam indiscreta natura: ita vt quum tres sint, & eorum singulus quisque Deus sit: tres tamen dii nõ sunt. Nam & Pater Deus est, & Filius Deus est, & Spiritus sanctus Deus est: nec Filius idem qui Pater est, nec idem Spiritus sanctus, qui aut Pater aut Filius: sed Pater
Patri semper est Pater, & Filius, Filius, & Spiritus sanctus, Spiritus sanctus. semper est Pater, & Filius semper Filius, & amborum Spiritus, nunquam cuiquam eorum aut Pater aut Filius, sed semper vtriusque Spiritus: vniuersa tamen Trinitas vnus est Deus.

Lib. II. Quæstionum super Exodum, Quæst. XIII.

Mendaciter Deus nil iubet. Neque enim Deus mendaciter iubet, quod scit non facturum cui iubetur, vt iustum iudicium consequatur.

Ibidem, cap. CI.

Constat inter eos qui rectè intelligunt, nul-
Deus nullo cõtinetur loco. lo Deum contineri loco, nec aliquo veluti situ corporis membra ponere, sicuti est nostri corporis situs, Sedere, iacêre, stare, & siquid huiusmodi est. Hæc enim sunt nõnisi corporũ: Deus autem Spiritus est. Quòd autẽ se ostendit specie corporali, vel signis corporaliter expressis,

Ioannis 4.

non substantia eius apparet, qua est ipse quod est, sed assumptio formarum visibilium, eius omnipotentiæ subiacet.

Lib. I. contra aduersarium Legis & Prophetarum, cap. II.

Deus nec sine cælo sedis indiguit, nec fa-
Deus manet in se ipso beatissimè. cto cælo sedem tãquam finitis erroribus peregrinus inuenit. Potẽs est enim beatissimè manere in semetipso.

Post pauca.

Deus igitur nec cœpit esse, nec desinet:
Operum Dei differentia. sed opera eius quædam incipientia, certo fine esse desistũt, sicut tempora & tẽporalia. Quædam incipiẽtia permanebunt, sicut ipsa sanctorum hominũ quã percepturi sunt vita æterna.

De mirabilibus sacræ Scripturæ, Lib. I. cap. I.

Hoc fixum interim permaneat, quòd assi-
mulatis naturarũ creationibus, in die septimo Deus ab opere suo requieuit, & nunc postmodùm per omne tempus à creaturæ totius gubernatione non cessat. Sed quãuis dierum septem alternatione omnis instituta fuisse creatura perhibetur: non tamen hæc dierum alternatio per spatium temporis intelligitur, sed in his operum vicissitudo declaratur. Pius nanque historiæ narrator diuisit in sermone, quod Deus non diuisit operis perfectione. Simul e-
Deus cuncta quæ condidit, simul creauit. nim Deus cuncta quæ condidit, creauit, dum vna volũtate multiplicem omnium specierum varietatem fieri disposuit: in qua voluntate vnà omnia simul sine tempore fecit, quæ ab ipso ortu suo per tempus dispensare non desinit.

De fide & Symbolo, cap. VII.

Credimus etiam quia sedet ad dexterã Dei
Deus humanæ formæ circunscribi nõ potest. Patris, nec ideo tamẽ quasi humana forma circunscriptũ esse Deum Patrẽ arbitrandum est, vt de illo cogitãtibus, dextrũ aut sinistrũ latus animo occurrat, aut id ipsum quòd sedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putãdum est, ne in illud incidamus sacrilegium, quo execratur Apostolus eos qui commutauerunt gloriã incorruptibilis Dei in similitudinẽ corruptibilis hominis. Tale enim simulachrũ Deo nefas est Christiano in tẽplo collocare, multò magis in corde nefariũ est, vbi verè est templum Dei, si à terrena cupiditate atque errore mundetur.

Rom. 1.

Eodem libro, cap. IX.

Nec quisquam miretur & absurdũ putet,
quòd Deum dicimus Patrẽ, Deum Filiũ, Deũ Spiritum sanctũ: nec tamẽ tres deos in ista Trinitate, sed vnum Deum, vnámque substãtiam. Et de Patre quidẽ & Filio multis libris disseruerunt docti & religiosi viri, quibus quãtum homines hominibus poterãt, quẽadmodum nõ vnus esset Pater, Pater & Filius, sed vnum es-
Patre & Filium nõ vnus est, sed vnum sunt. sent, & quid propriè Pater esset, & quid Filius insinuare conati sunt, quia ille genitor, hic genitus, ille non de Filio, hic de Patre, ille principium vnum & caput Christi dicitur, quanuis

Ioannis 8.

& Christus principium, sed non Patris: hic verò illius imago, quanuis nulla ex parte dissimilis, & omnino indifferenter æqualis.

De Genesi ad literam imperfecto, cap. V.

Vitiarum nostrorum auctor non est Deus, sed ordinator. Matth. 25.

Nam & vitiorum nostrorũ non est auctor Deus, sed tamẽ ordinator est, quũ eo loco peccatores constituit, & ea perpeti cogit, quæ merentur. Ad hoc valet, quòd oues ponuntur ad dexteram, hœdi autem ad sinistram. Quædam ergo & facit Deus & ordinat, quædã verò tantùm ordinat. Iustos & facit & ordinat: peccatores autem, inquantum peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantùm: quippe quum illos ad dexterã, illos ad sinistram cõstituit. Et quòd in ignem æternum iubet ire, ad meritorum ordinem valet: ita species naturásque ipsas & facit & ordinat: priuationes autem specierum, defectúsque naturarum non facit, sed ordinat tantùm.

LXXXIII. Quæstionum, Quæst. XXI.

Summum bonum non potest esse, nisi bona causa.

Boni igitur tantummodò causa est Deus, & propterea ipse summum bonum est. Quocirca mali auctor non est, qui omnium quæ sunt, auctor est: quia inquantum sunt, intantum bona sunt.

Quæstion. XXIIII.

Deus nullam pœnam hominum merito infligi sinit.

Iustus autem regens & gubernans Deus vniuersa, nullam pœnam cuiquam sinit immeritò infligi, nullum præmium immeritò dari. Meritum autem pœnæ, peccatum: & meritum præmii rectè factum est.

Super Ioannem, tract. XX.

Ioannis 10. Pater & Filius non duo dii sunt, sed vnus est Deus.

Ego & Pater vnum sumus: quia Pater & Filius nõ sunt duo dii, sed vnus Deus. Verbũ, & cuius est Verbum, vnus & vnicus Deus, vnus Pater & Filius charitate complexi, vnúsque charitatis Spiritus eorum, vt fiat Trinitas Pater & Filius & Spiritus sanctus. Non ergo tantùm Patris & Filii, sed & Spiritus sancti: sicut æqualitas & inseparabilitas personarum, ita etiam opera inseparabilia sunt.

Tractatu XXXIX.

Christianus si de quolibet per Iona interrogatur quid sit, respondeat Deus. Ioannis 10.

Quanuis ergo sicut aures catholicæ sunt eruditæ in gremio matris Ecclesiæ, nec ille qui est Pater, sit Filius, nec ille qui est Filius, sit Pater, nec Spiritus sanctus Patris & Filii, sit vel Filius vel Pater: tres deos tamen esse non dicimus, quanuis de singulis si quæratur, necesse est de quocũque interrogati fuerimus, Deum esse fateamur.

In Ioannem, tractatu LXXVII.

Nunquã Trinitas sciretur esse si semper inseparabiliter diceretur.

Omnis igitur & dicit & docet Trinitas, sed nisi etiam sigillatim commendaretur, eam nullo modo humana capere vtcunque possit infirmitas. Quum ergo omnino sit inseparabilis, nunquam Trinitas esse sciretur, si semper inseparabiliter diceretur. Nam & quum dicimus Patrem & Filium & Spiritum sanctum, non eos vtique dicimus simul, quum ipsi non possint esse nisi simul.

Tractatu XCIIII.

In nullo ergo credendus est esse Pater sine Filio & Spiritu sancto, aut sine Patre & Filio Spiritus sanctus, aut Pater & Spiritus sanctus sine Filio: sed vbi eorum quilibet vnus, ibi Trinitas Deus vnus. Oportebat autẽ ita insinuari Trinitatẽ, vt quãuis nulla esset diuersitas substãtiarum, sigillatim tamen cõmendaretur distinctio personarum, vbi eis quia rectè intelligunt, nũquã videri potest separatio naturarũ.

Vbi qualibet persona ibi Trinitas.

Tractatu CVI.

Omnes Deum esse mundi auctorem fatentur

Nam quòd Deus dicitur, vniuersæ creaturæ & omnibus gẽtibus antequã in Christum crederẽt, non omni modo esse potuit hoc nomen ignotum. Hæc est enim vis veræ diuinitatis, vt creaturæ rationali iam ratione vtẽti, nõ omnino ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis in quibus natura nimium depraua est, humanũ genus vniuersũ, Deum mũdi huius fatetur auctorem. In hoc ergo, qui fecit hunc mundum, cælo terráque conspicuum, & antequam imbuerentur in fide Christi, notus omnibus gentibus Deus. In hoc autem, quòd non est in iniuriis suis & cũ diis falsis colẽdus, notus in Iudæa Deus. In hoc verò quòd Pater est huius Christi, per quem tollit peccata mundi: hoc nomen eius prius occultum omnibus, nunc manifestauit eis, quos dedit ei Pater ipse de mundo

Psalmo. 25.

In epistolam Ioannis, tract. VII.

Cùm dicitur ex Deo, aut Filius intelligitur, aut Spiritus Sanctus.

De solo Patre Scriptura non nouit dicere, quia ex Deo. Quũ autem audis ex Deo, aut Filius intelligitur, aut Spiritus sanctus.

Tractatu IIII. in eandem.

Matth. 5.

Esaiæ 64. 1. Cor. 2.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ergo visuri sumus quandam visionem fratres, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.

De Ciuitate Dei lib. VII. cap. XXX

Deus omnia administrat.

Hæc autem facit atque agit vnus & verus Deus. Sed sicut idem Deus vbique totus, nullis inclusus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes fectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cælum & terram, præsente potẽtia, non absẽte natura. Sic itaque administrat omnia quæ creauit, vt etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat.

Lib. XI. Cap. X.

Deus est simplex.

Et hæc Trinitas vnus est Deus: nec ideo non simplex, quia Trinitas. Neque enim propter hoc naturam istã boni simplicem dicimus, quia Pater in ea solus, aut solus Filius, aut solus Spiritus sanctus. Non enim sola est ista nominis Trinitas sine subsantia personarum, sicut Sabelliani hæretici putauerunt. Pater qui genuit, simplex est, & Filius qui genitus est, pariter simplex est, & hoc est quod illud de quo genitus est. Sed ideo simplex dicitur, quoniam quod habet, hoc est, excepto quod relatiuè quæquæ pſona ad alterã dicitur. Nam vtique Pater habet Filium, nec tamẽ ipse est Filius, & Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater.

Eodem

Eodem libro, cap. XXIIII.

Credimus & tenemus, & fideliter prædicamus, quòd Pater genuerit Verbum, hoc est, sapientiam, per quam facta sunt omnia, vnigenitum Filium, vnus vnum, æternus coæternum, summè bonus, æqualiter bonum, & quòd Spiritus sanctus simul & Patris & Filii sit Spiritus, & ipse consubstãtialis & coæternus ambobus: atque hoc totum, & Trinitas sit propter proprietatem personarum, & vnus Deus propter inseparabilẽ d iuinitatem, sicut vnus Omnipotens propter inseparabilem omnipotentiam, ita tamen, vt etiam quum de singulis quæritur, vnusquisque eorum & Deus & omnipotens esse respondeatur: quum verò de omnibus simul, non tres dii, vel tres omnipotentes, sed vnus Deus omnipotens. tanta ibi est in tribus inseparabilis vnitas, quæ sic se voluit prædicari.

Deus dicitur trinus, propter proprietatem personarum.

Vnus propter inseparabilem diuinitatem.

Libro XIX. cap. XXII.

Sed responderi potest, Quis iste est Deus? aut vnde dignus probatur, cui deberent obtemperare Romani, vt nullum deorum præter ipsum colerent sacrificiis? Magnæ cæcitatis est adhuc quærere quis iste sit Deus. Iste est Deus, cuius Prophetæ prædixerunt ista quæ cernimus. Ipse est Deus, à quo responsa accepit Abraham, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Quod in Christo fieri, qui secundum carnem de illo semine exortus est, ipsi qui remanserunt huius nominis inimici, velint nolintve cognoscunt. Ipse est Deus, cuius diuinus Spiritus per eos loquutus est, quorum prædicta atque cõpleta per Ecclesiam quam videmus toto orbe diffusam, in libris superioribus posui. Ipse est Deus, quem Varro doctissimus Romanorũ Iouem putat, quanuis nesciens quid loquatur. Quod tamen ideo cõmemorandum putaui: quoniam vir tãtæ scientiæ, nec nullum istũ Deum potuit æstimare, nec vilem. Hũc enim eum esse credidit, quem summum putauit Deum. Postremò ipse est Deus, quem doctissimus philosophorum, quanuis Christianorum acerrimus inimicus, etiam per eorum oracula quos deos putat, Deum magnum Porphyrius confitetur.

Cæcitatis magnæ est, quærere quid sit Deus

Gene. 22.

Varro Iouem putat Deum, nescius quid dicat.

Porphyrius Christianorum acerrimus inimicus, Deum nostrum Deum magnum confitetur.

Lib. IIII. cap. IX.

Omissa igitur turba ista minutorum deorum, vel aliquãtum intermissa, officia maiorũ deorũ debemus inquirere, quo Roma tam magna est facta, vt tam diu tot gẽtibus imperaret. Nimirum ergo Iouis hoc opus est. Ipsum enim hominũ omniũ, deorúmq; regẽ esse volũt. hoc ei⁹ indicat sceptrũ, hoc in alto colle capitoliũ. De isto Deo, quanuis à Poeta dictum, conueniẽtissimè prædicatur, Iouis omnia plena. Hũc Varro credit etiam ab his coli, qui vnũ Deum solũ sine simulachro colũt, sed alio nomine nũcupari. Quod si ita est, cur tam malè tractatus est Romæ, sicut quidem & in cæteris gentibus, vt ei fieret simulachrum? quod ipsi etiam Varroni ita displicet, vt quum tantæ ciuitatis peruersa consuetudine premeretur, nequaquam tamen dicere & scribere dubitaret, quòd hii qui populis instituêre simulachra, & metum diminuerunt, & errorem addiderunt.

Virgilius in Bucolicis.

De verbis Domini secũdũ Lucã, Serm. XXVI.

Vt sint vnũ, sicut & nos vnum sumus. Et in Actibus Apostolorũ, Multitudinis autem credentium erat anima vna & cor vnũ. Ergo magnificate Dominũ meum, & exaltemus nomen eius in vnum: quia vnum est necessarium, vnũ illud supernum, vnũ vbi Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt vnũ. videte nobis cõmendari vnitatẽ. Certè Trinitas est Deus noster. Pater non est Filius, Filius nõ est Pater, Spiritus sanctus nec Pater est nec Filius, sed amborum Spiritus. Et tamen ista tria nõ tres dii, nõ tres omnipotẽtes, sed vn⁹ Omnipotẽs, ipsa Trinitas vnus De⁹, quia vnũ necessariũ est. Ad hoc vnũ nõ nos perducit, nisi multi habeamus cor vnũ.

Ioannis 17. Actorum 4.

Psalm. 33.

Ad vnũ Deũ nos perducit si multi habeamus cor vnum.

Ad Volusianum, Epistola III.

Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis.

Deus aliquid potest, quod inuestigare non possumus.

Ibidem.

Longè est aliud animæ natura quàm corporis, quãto magis Dei, qui creator est animæ & corporis? Non sic Deus dicitur implere mũdum velut aqua, velut aer, velut ipsa lux, vt minore sui parte, minorem mundi impleat partẽ, & maiore maiorem. Nouit vbique totus esse, & nullo contineri loco. Nouit venire, non recedendo vbi erat. Nouit abire, non deserendo quò venerat. Miratur hoc mens humana, & quia non capit, fortasse nec credit.

Deus vbique totus est, & nullo cõtinetur loco.

Ad Dardanum, Epist. LVII.

Est ergo Deus per cũcta diffusus. Ipse quippe ait per Prophetã, Cælum & terram ego impleo. Et quod paulò antè posui de sapientia eius, Attingit à fine vsq; ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter. Itémq; scriptũ est, Spiritus Domini repleuit orbẽ terrarũ. Esq; dicitur in quodã Psalmo, Quò ibo à Spiritu tuo? & à facie tua quò fugiã? Si ascẽdero in cælũ, tu ibi es: si descẽdero in infernũ, ades: quia substãtialiter Deus vbique diffusus. Sed sic est Deus per cuncta diffusus, vt nõ sit qualitas mũdi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regẽs, & sine onere continẽs mundũ. Non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa, ita vt in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ita per totũ totus: sed in solo cælo totus, & in sola terra totus: & in cælo & in terra totus solus, & nullo contentus loco, sed in seipso vbique totus. Ita Pater & Filius & Spiritus sanctus, ita Trinitas vnus Deus.

Ieremi. 23.

Sapiẽt. 1. & 8.

Psal. 38.

Deus quomodo vbique sit totus

Ad Maximum, Epist. LXVI.

Hæc Trinitas vnius est eiusdémque naturæ atque substãtiæ, nõ minor in singulis quàm in omnibus, nec maior in omnibus quàm in singulis, sed tanta in solo Patre, vel in solo Fi-

Trinitas vnius eiusdémque naturæ & substantiæ est.

lio, quanta in Patre simul & in Filio, & tanta in solo Spiritu sancto, quanta simul in Patre & Filio & Spiritu sancto. Et hæc omnia nec confuse vnum sunt, nec distincte tria sunt: sed quum sint vnum, tria sunt: & quum sint tria, vnum sunt. Proinde, quia tam multis cordibus fidelium suorum donauit, vt essent cor vnum, quanto magis conseruat in seipso, vt sint hæc tria, & singula Deus, & simul omnia, non tres dii, sed vnus Deus?

Actor. 2.

Ad Euodium, Epist. CII.

Proinde in vnum Deum Patrem & Filiũ & Spiritum sanctum, firma pietate credamus: ita vt nec Filius credatur esse, qui Pater est: nec Pater, qui Filius est: nec Pater, nec Filius, qui vtriusque Spiritus est. Nihil putetur in hac Trinitate temporibus locisve distare: sed hæc tria æqualia esse, & coæterna, & omnino esse vna natura, non à Patre aliam, & à Filio aliam, & à Spiritu sancto aliam conditam esse creaturam: sed omnia & singula quæ creata sunt, vel creantur, Trinitate creante subsistere, nec quædam liberari à Patre sine Filio & Spiritu sancto, aut à Spiritu sancto sine Patre & Filio: sed à Patre & Filio & Spiritu sancto, vno vero, verèque immortali, id est, omni modo incommutabili, solo Deo. Multa autem etiam separarim in Scripturis de singulis dici, vt insinuetur quanuis inseparabilis Trinitas, tamen Trinitas, vt quemadmodum simul dici non possunt cum sonis corporalibus commemorãtur, quanuis simul sint inseparabiliter, ita & quibusdam Scripturarum locis, & per quasdam creaturas figillatim vicissimque monstrẽtur. Sicut Pater in voce qua sonuit, Tu es Filius meus: & Filius in homine quem suscepit ex virgine: & Spiritus sanctus in columbæ specie corporali. Hæc separatim quidem, sed nullo modo separata tria illa demonstrant.

In Trinitate nihil temporibus locisve distat.

Luc. 3. Matth. 17. Luc. 2. & 3.

In Psalmum V.

Quanuis & Filius Deus, & Pater Deus, & simul Pater & Filius vnus Deus. Et si interrogemur de Spiritu sancto, nihil aliud respondendum est, nisi quòd Deus sit. Et quum simul dicuntur Pater & Filius & Spiritus sanctus, nihil aliud intelligẽdum est quàm vnus Deus. Et tamen regem solent appellare Christum Scripturæ. Secundum ergo quod dictum, Per me itur ad Patrem, rectè primò Rex meus, & deinde Deus meus. Nec tamen dixit Intendite, sed Intende. Non enim duos aut tres deos fides catholica prædicat, sed ipsam Trinitatem vnũ Deum. Nõ vt eadem Trinitas simul possit aliquãdo Pater, aliquãdo Filius, aliquãdo Spiritus sãctus dici, sicut Sabellius credidit: sed vt Pater nõ nisi Pater, & Filius nõnisi Filius, & Spiritus sãctus nõ nisi Spiritus sanctus, & hæc Trinitas nõ nisi vnus Deus. Quia quũ dixisset Apostol. Ex quo omnia, per quẽ omnia, in quo omnia, Trinitatem ipsam insinuasse creditur. Nec tamẽ subiecit, Ipsis gloria: sed Ipsi gloria.

Intende voci obsecrationis meæ, rex meus & Deus meus.

Ioan 14.

Super Psalmum XIII.

Dixit imprudẽs in corde suo, Nõ est Deus. Nec ipsi enim sacrilegi & detestandi quidam Philosophi, qui peruersa & falsa de Deo sentiunt, ausi sunt dicere Non est Deus. Ideo ergo dixit in corde suo, quia hoc nemo audet dicere, etiam si ausus fuerit cogitare. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in affectionibus suis, id est, dum amant hoc seculum, non amant Deum. Ipsæ sunt affectiones, quæ corrumpunt animam, & sic excæcant, vt possit etiam dicere imprudens in corde suo, Non est Deus. Sicut enim non ꝓbauerũt Deũ habere in notitia, dedit illos Deus in reprobũ sẽsum.

Nemo vnquã ausus est dicere, non esse Deum.

Rom. 1.

Super Psalmum LXVIII.

Deus est quædam substantia. nam quod nulla substantia est, nihil omnino est. Substantia ergo aliquid esse est. Vnde etiam in fide catholica contra venena quorundam hæreticorum sic ædificamus, vt dicamus Patrem & Filium & Spiritum sanctum vnius substãtiæ esse, quidquid vnius est substantiæ: verbi gratia, Si aurum est Pater, aurum est Filius, aurum est Spiritus sanctus. Quod est Pater, hoc Deus: quod Deus est, hoc est Filius, hoc est Spiritus sanctus. Quum autem Pater est, non illud est quod ad illud est. Pater enim non ad se, sed ad Filium dicitur: ad se autẽ, Deus dicitur. Itaque eo quod Deus est, hoc ipso substantia est. Et quia eiusdẽ substãtiæ Filius, proculdubio & Filius Deus, At verò quod Pater est, quia non substantiæ nomen est, sed refertur ad Filium: non sic dicimus Filium Patrem esse, quomodo dicimus Filiũ Deum esse. Quæris quid sit Pater? Respõdetur Deus. Quæris quid sit Filius? Respondetur Deus. Quæris quid sit Pater & Filius? Respõdetur Deus. De solo Patre interrogatus, Deũ respõde. De Filio interrogatus, Deũ responde. De vtroque interrogatus, non deos, sed Deum responde. Tanta enim in diuinis est substãtiæ societas, vt æqualitatem admittat, pluralitatem non admittat. Si ergo tibi dictum fuerit, Cur dicis mihi Filium esse hoc, quod Pater est, profectò & Filius Pater est? Respõde, Secundum substãtiã tibi dixi hoc esse Filium, quod Pater est, nõ secundũ id quod ad aliud dicitur. Ad se enim Deus dicitur, ad Patrẽ Filius dicitur: rursúsque Pater ad se, Deus dicitur, ad Filium Pater dicitur. Quod dicitur ad Filium Pater, non est Filius. Quod dicitur Filius ad Patrem, non est Pater. Quod dicitur ad se Pater, & Filius ad se, hoc est Pater & Filius, idem Deus.

De Dei substantia, pulchra.

In Psalmum LXXIIII.

Iniquitatũ tuarũ Deus iudex est. Et si Deus est, vbique præsens est. Quô te auferes ab oculis Dei, vt in parte aliqua loquaris quod ille non audiat? Si ab oriente iudicat Deus, fece de in occidentẽ, & dic quidquid vis aduersus Deum. Si ab occidente, vade in orientem, & ibi loquere. Si à desertis montium iudicat Deus, vade in medium populorum, vbi tibi submurmures. De nullo loco iudicat qui vbique secretus est, vbique publicus, quẽ nulli licet vt

Deus omnia videt.

est cognoscere,& quē nemo permittitur ignorare. Vide quid agas. Loqueris aduersus Deū iniquitatem. Spiritus Domini repleuit orbem terrarū (alia Scriptura dicit hoc) & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere. Noli ergo cogitare Deum in locis, ille tecum est talis qualis fueris. Quid est talis qualis fueris? Bonus, si bonus fueris, & malus tibi videtur, si malus fueris. Sed opitulator, si bonus fueris, vltor, si malus fueris. Ibi habes iudicem in secreto tuo, volens facere aliquid mali de publico, recipis te in domum tuam, vbi nemo inimicorū videat. De locis domus tuæ promptis, & in faciem constitutis, remoues te in cubiculum tuum, times & in cubiculo aliunde conscium, secedis in cor tuum, ibi meditaris. Ille in corde tuo interior est: quocunque ergo fugeris, ibi est. Te ipsum quò fugies? Nonne quocunque fugeris, te sequêris? Quando autem & teipso interior es, non est quò fugias à Deo irato, nisi ad Deum placatum. Prorsus non est quò fugias. Vis fugere ab ipso? fuge ad ipsum. Ergo ne loquamini aduersus Deum iniquitatem, nec illic vbi loquamini.

Sapient.1.

A Deo facie nemo se fugere præsumat.

In Psalmum LXXXV.

Intendat charitas vestra. Deus ineffabilis est. facilius dicimus quid nō sit, quàm quid sit. Terram cogitas, non est hoc Deus? Mare cogitas, non est Deus? Omnia quæ sunt in terra, homines & animalia, non est hoc Deus? Omnia quæ sunt in mari, quæ volant per aerem, non est hoc Deus? Quidquid lucet in cælo, stellæ, sol & luna, non est hoc Deus? Ipsum cælum, non est Deus? Angelos cogita, virtutes, potestates, Archangelos, thronos, sedes, dominationes, nō est hoc Deus? Et quid est hoc? Solùm potui dicere quod nō sit. Quæris quid sit. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid quæris, vt ascendat in linguam, qui in cor non ascendit?

Deus ineffabilis est.

Facilius dicitur, quid non sit Deus, quàm quid sit.

1. Corinth. 2.

In Psalmum CXIII.

Deus autem noster in cælo: non in cælo, vbi solem & lunam vident opera Dei, quæ impii colunt. Sed in cælo sursum, quod transgreditur omnia corpora, cælestia & terrestria. Nec sic est in cælo Deus noster, quasi subtracto cælo ruinam sine sede formidet. In cælis enim & in terra, omnia quæ voluit, fecit. Nec indiget operibus suis, tanquam in eis collocetur vt maneat: sed in sua æternitate persistit, in qua manens, omnia quæcunque voluit, fecit in cælis & in terra. Neque enim iam eum portabant, vt ab eo fieri possent, quando nisi fierent, eum portare non possent. Ergo in quibus est ipse, tanquam indigentia continet, non ab eis tanquam indigens continetur.

Deus quomodo intelligatur esse in cælo.

De Speculo, cap. XXXIII.

Deus supra quem nihil, extra quem nihil, sine quo nihil, vltra quem nihil, infra quem nihil. Deus sub quo totum, cum quo totum, in quo totum. Deus à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Deus cuius nos fides excitat, spes erigit, & charitas iungit. Deus qui petere iubes, & inuenire facis, & pulsantibus aperis. Deus à quo auerti cadere est, in quem conuerti, resurgere, in quo manere, consistere. Deus quem nemo amittit, nisi deceptus, nemo quærit, nisi admonitus, nemo inuenit, nisi purus & purgatus. Deus quem nescire mori est, quem nosse viuere est, quē spernere perire est, cui seruire regnare est. Tu es ipse Deus meus, viuus, & verus Deus, pius rex, nimis magnus.

Supra Deum nihil.

Ibidem in fine.

Te Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum sanctum paracletum, sanctam & indiuiduam Trinitatem, vnum Deum, in magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inexistimabilem, in consiliis terribilem, in iudiciis iustum, in cogitationibus secretissimū, in verbis veracem, in operibus sanctum, in misericordiis copiosum, erga delinquentes patientissimum, erga pœnitētes piissimum, semper idipsum, æternum ac sempiternum, immortalem atque incōmutabilem, quē nec spatia dilatant, nec breuitas locorum angustat, nec receptacula vlla coarctant, nec voluntas variat, nec necessitudo corrumpit, nec mœsta perturbant, nec læta demulcent: cui nec obliuio tollit, nec memoria reddit, nec præterita transeunt, nec futura succedunt: cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec cursus finem dabit, sed ante secula, & in seculis, & per secula in æternum viuis, & est tibi laus perēnis, & æterna gloria, summa potestas, & singularis honor, perpetuum regnum, & sine fine imperium, per infinita, & indefessa, & immortalia secula seculorum, Amen.

Deus semper idipsum est.

Cap. XXXII. eodem libro.

Deus, qui sine mutabilitate tui simul cuncta respicis, sine distentione cōprehendis, & bona quæ iuuas, & mala quæ iudicas, & quæ iuuans remuneras, & quæ iudicans damnas: in his quæ diuerso disponis ordine, diuersus nō es. Deus qui opera tua extrà circundas, & intrà reples, suprà regis, & infrà fers: & licet sis superior per potentiam, inferior tamen per sustentationem, exterior per magnitudinem, inferior per subtilitatem, causa superior & inferior es, sine loco, amplus sine latitudine, subtilis sine extenuatione: & ideo per molē corporis nunquam es, sed per incircunscriptam substantiam, immensibilitatem incommutabilis naturæ nusquam dees.

Deus per incircunscriptam substantiam nusquā deest.

In libro meditationum, cap. XI.

Te Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum sanctum paracletum, sanctam & indiuiduam Trinitatem, toto corde & ore confitemur, laudamus atque benedicimus, tibi gloria in secula seculorum, Amen.

Toto corde & ore sancta & indiuidua Trinitas cōfitēda.

Cap. XXIX. eodem libro.

O ſumme,optime,omnipotentiſsime,miſericordiſsime, iuſtiſsime, ſecretiſsime, præſentiſsime, pulcherrime & fortiſsime, ſtabilis & incomprehenſibilis,inuiſibilis,omnia videns,immutabilis,omnia mutans,immortalis, illocalis,interminus, incircunſcriptus,nuſquã finitus, inæſtimabilis, ineffabilis, inſcrutabilis, immotus, omnia mouens, inueſtigabilis, indicibilis, metuendus atque terribilis,honorandus atque timendus, venerandus atque reuerendus, nunquam nouus, nunquam vetus, innouans omnia, & in vetuſtatem perducens ſuperbos, & neſciunt, ſemper agens, ſemper quietus, colligens & non egens, omnia portans ſine onere, omnia implens ſine incluſione, omnia creans,protegens,nutriens,& proficiens,quærens quum nihil deſit tibi, amãs nec æſtuans,zelans & ſecurus es,pœnitet te,& non doles, iraſceris & tranquillus es, operamutas, ſed non conſilium.

Deus omnia ſine onere portat.

Cap.XXXI.eodem lib.

Te inuoco beata & benedicta & gloriosa, vna Trinitas, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, Deus, Dominus, paracletus, charitas gratia, communicatio, genitor, genitus, regenerans, verum lumen ex lumine vero, vera illuminatio, fons, flumen, irrigatio, ab vno omnia, per vnum omnia, in vno omnia, à quo, per quem,in quo omnia,viuens vita, vita à viuente,viuẽtium viuificator,vnus à ſe,vnus ab vno,vnus ab ambobus,omnis à ſe,omnis ab altero,omnis ab vtroque,verax Pater,veritas Filius, veritas Spiritus ſanctus. Vna ergo Pater logos, paracletus, eſſentia, vna virtus,vna bonitas,vna beatitudo,à quo,& per quẽ,& in quo beata ſunt omnia quæcunq; beata ſunt,Amẽ.

Oratio ad beatam Trinitatẽ.

De verbis Domini ſecundum Ioannem,Sermone IV.

Veritatem & vitam omnis homo cupit: ſed viam non omnis homo inuenit. Deum eſſe quandam vitam æternam,immutabilem,intelligibilem,intelligentem,ſapientem,ſapiẽtes facientem,nonnulli etiam huius ſeculi Philoſophi viderũt,veritatem fixam, ſtabilem,indeclinabilẽ, vbi ſunt omnes rationes rerũ omniũ creatarum. Viderũt quidem,ſed de lõginquo: viderunt,ſed in errore poſiti: & idcirco ad eam tam magnam & ineffabilem & beatificam poſſeſsionem qua via peruenireturr, non inueneruntNam quia viderũt,etiam ipſi quãtum videri ab homine poteſt,Creatorem per creaturam,Factorem per facturã,Fabricatorem mũdi per mũdum, Paulus Apoſtolus teſtis eſt,cui vtique credere debẽt Chriſtiani: ait enim quũ de talibus loqueretur,Reuelatur ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum,qui veritatem iniquitate detinent.

Philoſophi huius ſeculi veritatem de Deo viderunt ſed non inuenerũt.

Romans.3.

De verbis Domini ſecundum Ioannem,Sermone LIII.

Vltra locos corporales eſt diuinitas: nemo eam tãquam in ſpatiis rebuirat. Vbique inuiſibilis & inſeparabiliter adeſt,non in parte maior,in parte minor: ſed vbique tota, nuſquam diuiſa. Quis videt hoc? Quis capit hoc? Compeſcamus nos, meminerimúsque vnde loquamur illud & illud. Quidquid eſt quod Deus eſt,piè credatur, ſanctè cogitetur: & quantùm datur,quantùm poteſt, ineffabiliter intelligatur. Quieſcat verbum,ceſſet lingua,cor excitetur,cor illuc teneatur. Non enim eſt illud tale quod in cor hominis aſcendit: ſed quò cor hominis aſcendat.

Diuinitas eſt vltra locos corporales.

1.Corinth.2

De verbis Apoſtoli,Sermo.I.

Quid eſt,inquam,omnipotẽs Deus? Quid niſi inæſtimabilis,ineffabilis,incomprehenſibilis,vltra omnia,extra omnia,præter omnia? Omnem enim creaturã ſuam excedit,omnem facturam præterit,vniuerſa præcellit. Si enim quæras magnitudinem,maior eſt: ſi pulchritudinem, pulchrior: ſi dulcedinem, dulcior: ſi ſplendorem, fulgidior: ſi iuſtitiam, iuſtior: ſi fortitudinem,fortior: ſi pietatem,clementior. Nulla enim ratio patitur,vt vel factura factori ſuo æquetur,vel opus artifici comparetur, ſicut legitur in Propheta, Qui fecit fortia,fortior eſt: & qui fecit pulchra,pulchrior illis eſt. Sic autem huius vnicæ deitatis præcelſa inſignia prædicamus: vt tamẽ non ſicut Iudæi,ſed ſicut Chriſtiani, Trinitatis diuina myſteria pariter fateamur. Sicut enim omnipotens & ineffabilis Pater eſt, ita omnipotẽs & incomprehenſibilis Filius, ita etiam Spiritus ſanctus in Patre & Filio indiſcretè connexus, ineffabilis atque immenſus eſt. Pater enim & Filius & Spiritus ſanctus, vnus omnipotens Deus vnus in Trinitate,vnus in poteſtate,vna Trinitas,ſempiterna maieſtas, vnum potens per omnia,& Trinitas in vnitate,& vnitas in Trinitate conſiſtit: ſed nec Trinitas diuiditur, nec vnitas ſeparatur.

Deus omnem excedit creaturam.

Sapien.8

De verbis Apoſtoli,Sermone XIII.

Qui Pater eſt in illa Trinitate, non eſt Filius: qui Filius eſt in illa Trinitate, non eſt Pater: qui Spiritus ſanctus eſt in illa Trinitate, nec Filius eſt nec Pater, ſed Spiritus Patris, idémque Spiritus Filii. Ipſe enim eſt vnus Spiritus ſanctus, & Patris & Filii coæternus, Patri Filio conſubſtantialis & æqualis. Hæc tota Trinitas, vnus Deus, ſummè bonus.

Spiritus ſanctus Patri & Filio conſubſtãtialis & æqualis.

Sermone VI.de tempore.

Maledictus qui vnicum nomen in deitate Trinitatis eſſe non confitetur. Maledictus qui indiuiſam deitatem Patris & Filii & Spiritus ſancti non confitetur. Maledictus qui propria nomina perſonarum, tres deos aut tres dominos aut tres ſpiritus confitetur.

Vnicum eſt nomen deitatis.

Sermone XXIX.de tempore.

Credantur tres perſonæ, ſed non tres ſubſtantiæ. Quantùm autem ad cæleſtis naturæ ordinem pertinet, in Patre & Filio & Spiritu ſancto, ita cõfitẽda eſt vna diuinitas, vt nec ſingularis putetur in Trinitate perſona, nec triplex

plex in vnitate substantia: sed ita adsignetur pluralitas vnitati, ne Trinitati subtrahatur æqualitas. Et licet intromittatur in vna diuinitate numerositas, non sit tamen recipienda diuersitas. Ita ergo fidelium cordibus dispōnēdus est Dei cultus, vt non admittatur vel in vnitate separatio, vel in Trinitate permixtio.

In diuinis, vnitatis separatio vel Trinitatis permixtio non admittitur.

Sermone XXXVIII. de tempore.

Planè ergo & absque omni dubitatione credendum est, Patrem & Filiū & Spiritum sanctum, vnum esse Deum omnipotentem, æternum, incommutabilem, & singulus horum Deus, & simul omnes vn⁹, & singulus quisque horum, plena & perfecta æterna substantia. Quia quidquid est Pater, quo Deus est, quo substātia est, quo æternitas est, hoc Filius, hoc Spiritus sanctus. Ita etiam quidquid est Filius in eo quo Deus est, quo substantia est, quo æternitas est, hoc Pater, hoc Spiritus sāctus est. Et quidquid est Spiritus sanctus, in eo quo Deus est, quo substantia est, quo æternitas est, hoc Pater est & Filius.

Quidquid est Pater, quo Deus est, hoc Filius, hoc Spiritus sanctus est.

Ibidem.

Vna ergo in tribus diuinitas, vna essentia, vna omnipotentia, & quidquid substantialiter potest dici de Deo. Si fortè desolo Patre interrogatus fueris, Quid sit Pater: respōde, Deus. Interrogatus de Filio, respōde, Deus. Interrogatus de Spiritu sancto, respōde, De⁹. Si interrogatus fueris simul de Patre & Filio & Spiritu sancto, nō deos, sed Deum respōde vnum, omnipotentem, incommutabilem.

Vna diuinitas, vna essentia, vna omnipotentia in tribus est personis.

Sermone XL. de tempore.

Ista de Deo dicimus, fratres, quia non inuenimus melius quod dicamus. Dico iustū Deū, quia in verbis humanis nihil melius quod dicamus inuenio: nam est ille vltra iustitiam. Dicimus in Scripturis, Iustus Dominus, & iustitias dilexit.

Ista dicuntur de Deo, quia melius quid dicamus, non inuenimus.

Sermone CXXV. de tempore.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti vnum cōfitemur Deum: quia Deus est nomen potestatis, non proprietatis. Proprium nomen est Patri, Pater: & proprium nomen est Filio, Filius: & proprium nomē est Spiritui sancto, Spiritus sanctus. Hāc Trinitatē vnum Deum credimus, & vnum esse Deum Patrem, & ex vno Patre, Filium, qui est vnius cum Patre naturæ, vniúsque substantiæ & vnius potestatis. Pater Filium genuit, non voluntate, non necessitate, sed natura.

Deus est nomē potestatis, non proprietatis.

Sermone CXXIX.

Si quis non dixerit Patris & Filii & Spiritus sancti vnam diuinitatem, parē maiestatem, potentiam, vnam gloriam, dominationem, vnum regnum, atque vnam volūtatem, anathema sit. Si quis tres personas non dixerit veras, Patris & Filii & Spiritus sancti æquales, semper viuentes, omnia continentes, visibilia & inuisibilia, omnia potentes, omnia iudicantes, omnia viuificantes, omnia facientes, omnia quæ saluanda sunt, saluantes, anathema sit.

Anathema est qui Trinitatis non credit vna diuinitatem.

Sermone CLXXXV.

Et ego rogabo, inquit, Patrem, & alium Paracletum dabit vobis: quàm bene sub titulo promissionis, distinctionem applicuit Trinitatis. Pater est qui indicatur rogandus. Filius est qui intelligitur rogaturus. Spiritus sanctus qui promittitur à Patre mittendus.

Ioan 15. Sub titulo promissionis, distinctionem applicuit Trinitatis.

Sermone VIII. de sanctis.

Credimus Iudæis, quia notus aliquando in Iudæa Deus. Et ipsi id negant: propter quod credimus, quia non Patrem nouerunt, qui Filium negāt. Vnum Dominū natura cōmunis testatur, quia vnus est mundus. Vnum Deum significat, quia vna est fides noui & veteris Testamenti. Vnum Spiritum sanctum gratia testatur, quia vnum Baptismum in nomine Trinitatis, dum Prophetæ dicunt, Apostoli audiunt.

Psal. 75.

Natura vnum Dominum testatur, quia vnus est mundus.

Sermone CLXXXIX. de Trinitate.

Nobis sufficiat scire de Trinitate, quod Dominus exponere dignatus est. Quod ergo dicit ad Apostolos, Ite, & baptizate omnes gē- tes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: tria nomina audio, & vnum dicitur nomen. Non enim dicitur in nominibus, sed in nomine. Tria nomina dicit, & quomodo vnum? In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti vnum est: sed Trinitas est nomen quod dicitur. In nomine Patris Dei, in nomine Filii Dei, in nomine Spirit⁹ sancti Dei. Pater & Filius & Spiritus sanctus vnum nomen est diuinitatis. Sed requiris à me, quomodo vno nomine tres appellantur. Nescio, & libere me nescire profiteor. Quod Christus voluit indicare, hoc solùm scio: quia in hoc Christianus sum, quia vnum Deum in Trinitate confiteor.

Matth. 28.

Pater, Filius & Spiritus sanctus, vnum nomen est diuinitatis.

Post pauca ibidem.

Quandocunque personas appello, rogo vos, ne me putetis personas hominum dicere. Ego personas in Patre & Filio & Spiritu sancto non dico, quasi personas hominum. Personam Patris dico, quia Pater est: & Filii, quia Filius est: & Spiritus sancti, quia Spiritus sanctus est. Non est Pater, Filius: nec Filius, Pater: nec Spiritus sanctus, Pater aut Filius. Diuiduntur enim proprietatibus, sed natura sociantur.

Personæ in diuinis, non sunt personæ hominum.

Post pauca ibidem.

Multa sūt quæ dici possūt, sed sufficiāt fidelibus pauca de mysterio Trinitatis audisse.

Fidelibus sufficiat pauca de Trinitate audisse.

In libro de agone Christiano, Cap. XI.

Sunt autem stulti quidam qui dicūt, Quare non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, & nascerētur ex fœmina, & à peccatoribus omnia illa paterētur? Quibus dicimus, Poterat omnino: sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ

An alio modo quàm per incarnationem Filii, potuisset Deus genus humanum liberasse.

displiceret. Si enim non appareret oculis peccatorũ lumẽ eius vtique æternũ, quod per interiores oculos videtur, inquinatis mẽtib⁹ videre nõ possent. Nunc aũt quia visibiliter nos cõmonere dignatus est, vt ad inuisibilia præpararet, displicet auaris, quia nõ aureum corpus habuit: displicet impudicis, quia ex fœmina natus est (multùm enim oderũt impudici, quòd concipiũt & pariunt fœminæ) displicet superbis, quòd contumelias patiẽtissimè pertulit: displicet delicatis, quòd cruciatus est: displicet timidis, quia mortuus est. Et ne vitia sua viderentur defendere, non in homine dicunt sibi hoc displicere, sed in Filio Dei. Non enim intelligunt quid sit æternitas Dei, quæ hominẽ assumpsit: & quid ipsa humana creatura, quæ mutationibus suis in pristinam firmitatem reuocabatur, vt disceremus docente ipso Domino infirmitates, quas peccando collegimus, rectè faciendo posse sanari. Itaque Filius Dei hominem assumpsit, & in illo humana perpessus est. Ostendebatur itaque nobis, ad quam fragilitatem homo sua culpa peruenerit, & ex qua fragilitate diuino auxilio liberaretur. Hæc medicina hominũ tãta est, quãta non potest cogitari. Nam quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei nõ sanatur?

Cap. XVII. eodem lib.

Qui Christũ dicunt non esse Filium Dei, sed tantùm dignum, non audiendi. *1. Corinth. 1.*

Nec eos audiamus qui Filium Dei Iesum Christum nihil esse aliud, quàm hominem dicunt: sed ita iustum, vt dignus sit appellari Filius Dei. Et hos enim catholica disciplina misit foras, quoniam vanæ gloriæ cupiditate decepti, contentiosè disputare voluerunt, antequam intelligerent quid sit Dei virtus, & Dei sapientia, & in principio Verbũ, per quod facta sunt omnia, & quomodo Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. *Ioan. 1.*

Cap. XVIII. eodem lib.

Christo non nocet humanam eum assumpsisse naturam, quum sol non contaminetur, quantumuis radios suos per fæces & sordes spargat.

Nec eos audiamus qui non verum hominem suscepisse dicunt Filium Dei, neque natum esse de fœmina: sed falsam carnem & imaginem simulatam corporis humani ostendisse vidẽtibus. Nesciunt enim quomodo substantia Dei administrans vniuersam creaturam, inquinari omnino non possit: & tamẽ prædicant istum visibilem solem radios suos per omnes fæces & sordes corporum spargere, & eos mundos & synceros vbique seruare. Si ergo visibilia munda visibilibus immundis contingi possunt, & non inquinari: quantò magis inuisibilis & incommutabilis veritas per spiritum animam, per animam corpus suscipiens, toto homine assumpto, ab omnibus eum infirmitatibus, nulla sui cõtaminatione, liberauit?

Cap. XIX. eodem lib.

Christus animam & mentẽ & corpus habuit.

Nec eos audiamus qui Trinitatem quidem in vna æterna substantia confitentur, sed hominem ipsum qui temporali dispensatione susceptus est, audent dicere non habuisse hominis mentem, sed solùm animam & corpus: hoc est dicere, non fuit homo, sed membra corporis habebat humana. Animam enim & corpus habent & bestiæ, sed rationem non habent, quæ mentis est propria.

Cap. XXIIII.

Christus resurrexit cum corpore posito in monumento. Lucæ 24.

Nec eos audiamus qui negant tale corpus Domini resurrexisse quale positum est in monumẽto. Si enim tale non fuisset, non ipse dixisset post resurrectionem Discipulis, Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Sacrilegum est enim credere Dominũ nostrũ, quum ipse sit veritas, in aliquo fuisse mentitum.

Cap. XXV.

Matth. 16. Actor. 1. Christus suum corpus secum leuauit in cælum. Ioan. 3.

Nec eos audiamus qui negant ipsum corpus secum leuasse in cælum, Dominum nostrum. Et commemorant in Euangelio quod scriptum est, Nemo ascẽdit in cælum, nisi qui de cælo descẽdit. Et dicunt, Quia corpus non descendit de cælo, non potuisse ascendere in cælum. Nõ enim intelligunt, quoniam corpus non ascendit in cælum. Dominus enim ascendit: corpus autem non ascendit, sed leuatum est in cælum, illo leuante qui ascendit.

Cap. XXVI.

Marci 16.

Nec eos audiamus qui negant ad dexteram Patris sedere Filium. Dicunt enim, Nunquid Deus Pater habet latus dextrum aut sinistrum sicut corpora? Nec nos hoc de Deo Patre sentimus: nulla enim forma corporis Deus definitur atque concluditur. Sed dextera Patris est beatitudo perpetua, quæ Sanctis datur: sicut sinistra eius rectissimè dicitur miseria perpetua, quæ impiis datur, &c. vt non in ipso Deo, sed in creaturis hoc modo quo diximus, intelligatur dextera & sinistra: quia & corpus Christi (quod est Ecclesia) in ipsa dextera, hoc est, in ipsa beatitudine futurum est: sicut Apostolus dicit, Quia & simul nos suscitauit, & simul nos sedere fecit in cælestibus. Quanuis enim corpus nostrum non ibi sit: tamen spes nostra ibi est.

Dextera Patris, beatitudo perpetua est.

Ephes. 2.

De Trinitate lib. I. Cap. VII.

1. Timoth. 2. Christus secũdum deitatem æqualis Patri, secundum humanitatem autem minor Patre.

Sed quia multa in sanctis libris propter incarnationem Verbi Dei, quæ pro salute nostra reparanda facta est, vt Mediator Dei & hominum esset homo Christus Iesus, ita dicuntur, vt maiorem Filio Patrem significent, vt etiam apertissimè ostendant: errauerunt homines minus diligenter scrutantes vel intuentes vniuersam seriem Scripturarum, & ea quæ de Christo Iesu secundum hominem dicta sunt, ad eius substantiam, quæ ante incarnationem sempiterna erat, & sempiterna est, transferre conati sunt. Et illi quidem dicunt minorem Filium esse quàm Pater est: quia scriptum est ipso Domino dicente, Pater maior me est. Veritas autem ostendit secundum istum modum, etiam seipso minorem Filium, quomodo etiam non seipso minor fa-

ctus est, qui semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens? Neque enim sic accepit formam serui, vt amitteret formam Dei, in qua erat æqualis Patri.

In fine ibidem.

Contra quosdam nouos hæreticos.

Neque enim illa susceptione alterum eorum in alterum conuersum atque mutatum est. Neque diuinitas quippe in creaturã mutata est, vt desisteret esse diuinitas: nec creatura in diuinitatẽ, vt desisteret esse creatura.

Cap. IX.

Ioan. 14. Christ⁹ voluit à suis agnosci vt purus homo

Oportebat ergo, vt auferretur ab oculis eorum forma serui: quã intuentes, hoc solùm esse Christum putabant, quod videbant. Inde est & illud quod ait, Si diligeretis me, gauderetis vtique, quoniam eo ad Patrem: quia Pater maior me est: id est, propterea oportet me ire ad Patrem: quia dum me ita videtis, & ex hoc quod videtis, æstimatis quia minor sum Patre: atque ita circa creaturam, susceptúmque habitum occupati, æqualitatem quam cum Patre habeo non intelligitis. Inde est illud, Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum. Tactus enim tãquam finem facit notionis: ideóque nolebat in eo esse finem intenti cordis in se: vt hoc quod videbatur, tantummodò putaretur. Ascensio autem ad Patrem erat ita videri, sicut æqualis est Patri, vt ibi esset finis visionis quæ sufficit nobis.

Cap. X

Ioan. 20. 1. Corinth. 15. Tradere Christum, Regnum Deo & Patri, est credentes ad contemplationem Dei perducere. Ioan. 16.

Tradet itaque regnum Deo & Patri, Dominus noster Iesus Christus, non se inde separato, nec Spiritu sancto: quoniam perducet credentes ad contemplationem Dei, vbi est finis omnium bonarum actionum, & requies sempiterna, & gaudium quod nunquam auferetur à vobis. Hoc enim signat in eo quod ait, Iterum videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Cap. XI.

Æqualis Patri secundum formam Dei est Filius & Spiritus sanctus. Ioan. 14. Philip. 2 Matth. 12.

Nam secundum formam Dei, æqualis est Pater & Filius & Spiritus sanctus: quia neuter eorum creatura est: secundum autem formam serui minor est Patre: quia ipse dixit, Pater maior me est. Minor est seipso: quia de illo dictum est, Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiẽs. Minor est Spiritu sancto: quia ipse ait, Qui dixerit blasphemiam in Filium hominis, dimittetur ei.

Cap. XII.

Matth. 24. Christus nescire dicit se quod non vult indicare.

Et de die & de hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater. Hoc enim nescit, quod nescientes facit, id est, quod non ita sciebat, vt tunc Discipulis indicaret. Sicut dictum est ad Abraham, Nunc cognoui quòd timeas Deum: id est, nunc feci vt cognoscerес: quia & ipse sibi in illa probatione tentationis innotuit. Nam & illud vtique dicturus erat Discipulis tẽpore opportuno: de quo futuro, tanquam de præterito loquens, ait, Iam non dicam vos seruos, sed amicos. Seruus enim nescit voluntatem Domini sui: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis: quod nondum fecerat, sed quia certò facturus erat, quasi iam fecisset, locutus est. Ipsis enim ait, Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modó. Inter quæ & intelligitur & de die, & de hora. *Ioan. 16.*

Cap. XIII.

Zacha. 12. Mali Christũ videbunt in forma hominis. Philip. 2.

Videbunt in quem pupugerunt. Quum enim & boni & mali visuri sunt Iudicem viuorum & mortuorum, proculdubio cum videre non poterunt mali, nisi secundum formam qua Filius hominis est: sed tamen in claritate in qua iudicabit, non in humilitate in qua iudicatus est. Cæterùm illam Dei formã in qua æqualis est Patri, proculdubio impii non videbunt. Non enim sunt mundi corde. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Matth. 5.*

Lib. II. Cap. II.

Ioan. 7. Christus à Patre est.

Mea doctrina non mea, sed eius qui me misit, sic intelligatur acsi dictum sit, Ego non sum à meipso: sed ab ipso qui me misit.

Cap. V. eodem lib.

Christus dicitur esse missus quia in carne apparuit.

Ordo quippe temporum in æterna Dei sapientia sine tempore est. Quum itaque hoc à Patre & Filio factum esset, vt in carne Filius appareret, congruenter dictus est missus ille, qui in ea carne apparuit: misisse autem ille qui in ea non apparuit.

De Trinitate & vnitate Dei,

Cap. VII.

Matth. 27. Matth. 26. Ioan. 10. Ioan. 15. Psalm. 15. D. Christi anima.

Ad vnitatem etiam personæ Christi, vt omnia humana pertineãt, sic vt in Christo carnem & diuinitatẽ tantummodò confitemur: quandoquidem quum penderet in ligno, vt ait, Pater, in manus tuas commendo spiritum meum: humanum spiritum intelligimus Filium commendasse Patri, quod est anima. Audiamus ergo Christum adhuc plura exempla de anima sua commemorasse, Tristis est anima mea vsque ad mortem, Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam, Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suã quis pro amicis suis ponat. Et de hac etiam dicitur in Psalmo, Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. His huiusmodi sanctarum Scripturarum testimoniis, fatemur Christum carnem, animam quoque humanam Verbo vnigenito coaptasse: quod esset vna persona, vt Christus est Verbum & Homo: sed & ipse Homo, anima & caro. Et ideo sic intelligendum, geminæ substantiæ, diuinæ scilicet & humanæ: ac per hoc Christus, Verbum, anima & caro, vt ipse ex anima humana constet & carne, tantùm dictum est, Verbum caro factum. Quòd si diceretur, Verbum homo factum est, de quo homine apertissimè dictum est, Vnus Media-

Ioan. 1. 1. Tim. 2.

tor Dei & hominum, homo Christus Iesus.

De incarnatione Verbi, lib. I.

Cap. XIX.

Post hæc verò competenter admonebimus de aduentu corporali & incarnatione Filii Dei: in quo non ita sentiendum est, quòd omnis claritatis eius maiestas, intra breuissimi corporis claustra conclusa sit: ita vt omne Verbum Dei, & Sapientia eius, ac substantialis Veritas, aut Vita, vel à Patre diuulsa sit, vel intra corporis illius breuitatem coercita & circunscripta, ne vsquam præterea putetur operata. Sed inter vtrunque tanta pietatis debet esse confessio, vt neque aliquid deitatis in Christo defuisse credatur: & nulla penitus à Paterna substantia, quæ vbique est, facta putetur diuisio.

Christi deitas, per incarnationem à Patre non est diuisa.

De fide ad Petrum. Cap. XIII.

Firmissimè tene & nullatenus dubites, vnam ex Trinitate personam, id est, Dei Filiũ, qui de natura Dei Patris solus natus est, & vnius eiusdémque naturæ cum Patre est, ipsum in plenitudine temporis, secundum susceptionem formæ seruilis, volũtariè in Virgine conceptum, & de Virgine natũ, Verbum carnem factum: ipsum quoque esse qui essentialiter natus est de Patre, & essentialiter conceptus est, natúsq; de Virgine, ipsum vnum esse & vnius naturæ cum Virgine, qui ait de Deo Patre, Ante secula fundauit me, & ante omnes colles genuit me: de quo etiam dixit Apostolus, Quia quum venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub Lege.

Christum ex Virgine natũ, non Patrem vel Spiritum sanctum. Prouerb. 8 Galat. 4.

Cap. XIIII. ibidem.

Firmissimè tene & nullatenus dubites, Christum Filium Dei, sicut de Deo Patre plenum perfectúmque Deum, ita de Virgine matre verum perfectúmque hominẽ genitum, id est, Verbum Deum, habentem scilicet sine peccato veram nostri generis carnem & animam rationalem.

Christus, verã nostram carnẽ & animam, & rationẽ assumpsit.

Cap. XVI.

Firmissimè tene & nullatenus dubites, Dei Verbum, quod caro factum est, in duas naturas inconfusibiliter permanere: vnam verò diuinam, quam habet cum Patre communem, secũdum quam dicit, Ego & Pater vnum sumus, & Qui me videt, videt & Patrẽ meũ, & Ego in Patre, & Pater in me est. Secundum quam eum dicit Apostolus splendorem gloriæ, & figuram substantiæ Dei. Alteram verò humanam, secundum quam ipse Deus incarnatus dicit, Pater maior me est.

Verbum, duas habet naturas inconfusibiliter permanẽtes.

Ioan. 10.

Hebr. 1.

Ioan. 14.

Cap. XVII. eodem lib.

Firmissimè tene & nullatenus dubites, Deum Verbum carnem factum, vnam habere diuinitatis suæ carnísque personam. Deus enim Verbum plenum, naturam humanam ita sibi veraciter vnire dignatus est, & permanente diuinitate sua, ita Verbum caro factum est, vt quanuis naturaliter hoc non sit Verbum quod caro, quia duarum naturarum veritas manet in Christo: secundum vnam tamen personã, idem Verbum caro ab ipso fieret maternæ conceptionis initio. Deus enim Verbum, nõ accepit personã hominis, sed naturam, & in æternam personam diuinitatis, accepit temporalẽ substantiam carnis. Vnus est ergo Christus Verbũ caro factum, qui etiam ex patribus secundum carnem, & super omnia benedictus in secula. Vnus Iesus, cui & Pater dicit, Ex vtero ante luciferũ genui te. Vbi significatur ante omne tempus sine initio æterna natiuitas. Vnus Iesus, de quo & Euãgelista dicit, Quia vocatũ est nomẽ eius Iesus, quod vocatũ est ab Angelo, priusq; in vtero cõciperetur.

Verbum vnã habet diuinitatis carnísque personam.

Psalm. 109. Luc. 2.

Cap. XVIII. eodem libro.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, nõ carnẽ Christi, sine diuinitate cõceptam in vtero Virginis priusquam susciperetur à Verbo: sed ipsum Verbum Deum, suæ carnis acceptione conceptum, ipsámque carnem Verbi incarnatione conceptam.

Caro Christi non est concepta sine diuinitate.

Cõtra sermonem Arrianorum. Cap. VII.

Vnã quippe ostendit esse personam in vtraque natura, hoc est, Dei & hominis, ne si duas faciat, quaternitas incipiat esse non Trinitas. Quoniam itaque gemina quidem substantia, sed vna persona est, propterea quòd dictum est, Descendi de cælo, refertur ad Dei excellentiam. quod verò adiunctum est, Non vt faciam voluntatem meam: propter Adam, qui fecit suam, refertur ad hominis obedientiam. vtrunque autem Christus, id est, Deus & homo. Tamen obedientia in illo, quæ contraria est inobedientiæ primi hominis, secũdum id quod homo est commendatur. Vnde ait Apostolus, Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi, ita & per obedientiam vnius hominis, iusti constituentur multi.

Vna persona est Christus vtraque natura.

Roma. 5.

Cap. VIII. contra eundem.

Hanc vnitatem personæ Christi Iesu Domini nostri, sic ex natura vtraque constantem, diuina scilicet atque humana, vt quibuslibet earum vocabulum etiam alteri impartiat, & diuina humanæ, & humana diuinæ, beatus ostendit Apostolus, vbi nos quum ad humilitatẽ misericordẽ per Christi exhortaretur exẽplum, Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui quum in forma Dei esset, nõ rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed seipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominis factus, & habitu inuẽtus vt homo. humiliauit seipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.

Paulus exemplo Christi ad humilitatem nos exhortatur Philip. 2.

Contra Iudæos, Paganos, Arrianos.

Capit. VIII.

AEqualis Filius cum Patre creans Angelos, æqualis cum Patre faciens homines, æqualis cum Patre nouum constituens mundum, minor

Potentia æqualitatis Filii cum patre.

minor Patre, perditum ire parans mundum. A Equalis cum Patre, vitam largiēs æternam, minor Patre, mortem ſuſcipiens noſtram.

Ibidem, Cap. IX.

Chriſti Diſcipuli, quamuis multa per Chriſtum fecerint miracula, nullus tamen de virgine natus eſt &c.

Acceperunt ab illo Diſcipuli, vt facerent multa & magna miracula, & fecerunt: nec tamē quiſpiam prædicatur aut creditur de Virgine natus, aut de Spiritu ſancto cōceptus, niſi ille vnus qui Creator eſt temporum, inuentus in tempore, eſt etiam ipſe creatus, ſuſcipiens quam integram formauerat humanam naturam, vt per ipſum quodammodò Redemptor, noſtram repararet ruinam. Et hic Dei Filius, & hominis Filius ex vtero matris. Idē ipſe vnus Chriſtus, qui proceſsit ex vtero virginali tanquā ſponſus de thalamo ſuo. In quo vtero ſpirituales nuptiæ celebratæ. Deus coniunctus carni, & caro adhæſit Deo, vt eſſet vnus Chriſtus, & totus homo.

Pſalm. 18.

Ibidem.

Natiuitas Chriſti omnem perturbat humanam cogitationem.

Et hæc natiuitas perturbat omnem cogitationem humanam: quoniā virtus eſt eam operata diuina. Primum itaque miraculum magnum huius Mediatoris, & ſingulare fuit, quòd ſic natus eſt, vt ille qui veniebat multos docere, faceret miracula: quia ipſe per ſe & per illos faciebat. haberet tamen aliquid proprium qui nihil vſurpauerat alienum.

Eodem lib. Cap. XI.

Teſtimonia Prophetarum humanitatis Chriſti. Eſa. 7.

Dic Eſaia teſtimonium Chriſto, Ecce (inquit) Virgo in vtero concipiet & pariet Filium: & vocabis nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus. Accedat & alius teſtis. Dic & tu Ieremia teſtimonium Chriſto, Hic eſt (inquit) Deus noſter: & non æſtimabitur alius abſque illo, qui inuenit omnem viam ſcientiæ, & dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cū hominibus conuerſatus eſt.

Baruh 3.

Cap. XII.

Chriſto præſente ceſſauit vnctio. Dan. 9

Dic ſanctè Daniel, dic de Chriſto, quod noſti. Quum venerit (inquit) Sanctus Sanctorum, ceſſabit vnctio. Ipſe eſt Lapis ille abſciſſus de monte ſine manibus concidentium.

Cap. XVII.

Caro Chriſti poſteriora Dei. Exod. 33 Lucæ 2.

Non incongruenter ex perſona Domini noſtri Ieſu Chriſti præfiguratum ſolet intelligi, vt poſteriorum eius accipiatur caro eius, in qua de Virgine natus eſt & mortuus & reſurrexit: ſiue propter poſterioritatem mortalitatis poſteriora dicta ſunt: ſiue quòd eum prope finem ſeculi ceperit, hoc eſt, poſterius ſuſcipere dignatus eſt.

Lib. IIII. Cap. V.

Chriſtus redē die creditur paſſus quo & conceptus. Lucæ 23. 8. Calendas Ianuarij natus. Chriſtus pro nobis orat Pa-

Octauo enim Calendas Aprilis conceptus Chriſtus creditur, quo & paſſus. Natus autem creditur octauo Calendas Ianuarii.

Cap. VIII.

Sic ipſe Filius Dei, Verbum Dei, & idem ipſe Mediator Dei & hominum, Filius hominis, æqualis Patri per diuinitatis vnitatem, & particeps noſtri per humanitatis ſuſceptionem, Patrē interpellās pro nobis per id quod homo erat: nec tamen tacens quòd Deus cum Patre vnum erat.

Item vt homo. 1. Timoth. 2. Rom. 8.

Cap. XIII.

Iſa. 10. Coloſ. 2. Chriſtus mortuus eſt, quia vult. Rom. 8.

Nam qui poſſet non mori ſi nollet, proculdubio quia voluit mortuus eſt. Et ideo principatus & poteſtates expoliauit, fiducialiter triumphās eas in ſemetipſo. Morte ſua quippe vno veriſsimo ſacrificio pro nobis oblato, quidquid culpatum erat, vnde nos principatus ac poteſtates ad luenda ſupplicia iure detinebant, purgauit, aboleuit, extinxit, & ſua Reſurrectione in nouam vitam nos prædeſtinatos vocauit, vocatos iuſtificauit, iuſtificatos glorificauit.

Lib. XIII. Cap. XVII.

Præcipua Chriſti incarnationis vtilitas.

Sunt & alia multa, quæ in Chriſti incarnatione, quæ ſuperbis diſplicent, ſalubriter intuenda atque cogitanda ſunt. Quorum eſt vnum quod demonſtratum eſt homini, quem locum haberet in rebus quas condidit Deus: quandoquidem ſic Deo coniungi potuit humana natura, vt ex duabus ſubſtantiis fieret vna perſona, &c.

Et poſt pauca.

In homine Chriſto gratia Dei nobis commendatur.

Deinde vt gratia Dei in nobis ſine vllis præcedētibus meritis in homine Chriſto commendaretur: quia nec ipſe, vt tanta vnitate Deo vero coniunctus, vna cum illo perſona, id eſt, ipſe homo aſſumptus, mox vt homo, etiam Deus, Filius Dei fieret, vllis eſt præcedentibus meritis aſſecutus.

Ibidem poſt pauca in fine.

Per creaturā rationalem Chriſtum, ſuperatur diabolus.

Pertinebat etiā ad iuſtitiā bonitatémque Creatoris, vt per eandem rationalem creaturam ſuperaretur diabolus, quam ſe ſuperaſſe gaudebat, & de ipſo genere venientem, quod genus origine vitiata, per vnum tenebat vniuerſum.

De inquiſitione Trinitatis. C.

Licet Chriſtus ſolus dicatur incarnatus tamen eandem incarnationem ſimul etiam operata eſt tota Trinitas.

Interrogatur, Si vna ſubſtantia eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, quare ſolus Filius incarnatus dicitur? Reſponſio, Quia alia eſt perſona Filii, alia Patris, alia Spiritus ſancti. Et ſola quidem perſona Filii incarnata eſt, operante tamen eandē incarnationē tota ſancta Trinitate, cuius opera ſunt inſeparabilia.

Ibidem.

Chriſtus, quare non dicatur Filius Spiritus ſancti, potius quam Maria: quum de Spiritu ſancto conceptus ſit.

Interrogatur dum in Symbolo catholico cantari ſolet, Dei Filium de Spiritu ſancto, ex Maria virgine incarnatum: quare non dicitur Filius Spiritus ſancti, ſicut dicitur beatæ Virginis? Reſponſio, Non vtique ſic de illo, ſicut de illa natus eſt Filius Dei. De illa ſiquidem, id eſt, ſācta Virgine natus eſt Filius Dei, ſicut de matre: nō de illo, id eſt, Spiritu ſancto, ſicut de Patre, ne duos patres dicerentur in ſancta Trinitate.

Post pauca ibidem.D.

Vtrum diuinitas cum carne concepta, nata & passa sit.

Vtrum diuinitas cum carne concepta, & nata, & passa est, & cætera quæ humanitatis propria esse noscuntur? Respõsio, Vtique diuinitas suæ carnis conceptione concepta est, & natiuitate nata, sẽsitque participatione humani affectus mortem, quam sponte susceperat, non naturæ suæ potentiam perdens, per quam cuncta viuificat. Et ipse auctor qui sponte natus est, sponte passus est. Est idemopus, quia vtrunque vnus, licet non alio cogente solus tamen ipse perpetitur, salua diuinitatis impassibilitate.

De essentia diuinitatis.O.

Christus secundum diuinitatem inuisibilis, secundum humanitatem visibilis.

Et idcirco Dei Filiũ secũdum substantiam diuinitatis suæ inuisibilem, incorporeum & immortalem & incircunscriptum, nos credere & confiteri oportet. Iuxta humanitatẽ verò visibilem, corporeum, localem, atque omnia membra humana veraciter habentem credere conuenit & confiteri.

Libro X. de ciuitate Dei, cap. XX.

1. *Tim.* 2.

Philip. 2.

Christus Sacerdos est offerens & oblatio.

Vnde verus ille Mediator, inquantum formam serui accipiẽs, Mediator effectus est Dei & hominum, homo Christus Iesus, quũ in forma Dei sacrificiũ cum Patre sumat, cum quo vnus est Deus, tamẽ in forma serui sacrificium maluit esse, quàm sumere: ne vel hac occasione quisquã existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc & sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio: cuius rei sacramentũ quotidianũ esse voluit Ecclesiæ sacrificium, quum ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri. Huius veri sacrificii multiplicia, variáque signa erant sacrificia prisca Sanctorũ, quum hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt sine fastidio multũ comẽdaretur. Huic summo veróque sacrificio, cuncta sacrificia falsa cesserunt.

Eodem libro, cap. XXIX.

Gratia Dei nõ potuit nobis gratius commẽdari, quàm per incarnatum Christum.

Gratia Dei non potuit gratius commendari, quàm vt ipse vnicus Dei Filius in se incommutabiliter manens, indueretur hominem, & spem dilectionis suæ daret hominibus, homine medio, quà ad illum ab hominibus veniretur, qui tam longè erat, immortalis à mortalibus, incommutabilis ab incommutabilibus, iustus ab impiis, beatus à miseris.

Ibidem.

An fortè vos offẽdit inusitatus corporis partus ex Virgine? Neque hoc debet offẽdere, imò potius ad pietatẽ suscipiendã debet adducere, quòd mirabilis mirabiliter natus est.

Eodem libro, cap, XXXII.

Præterita fidem faciunt futurorum.

Christus quippe in carne venturus, & quæ in illo tam clarè perfecta sunt, atque in eius nomine impleta, pœnitentia hominum, & ad Deum conuersio voluntatum, remissio peccatorum, gratia iustitiæ, fides piorum, & per vniuersum orbem in veram diuinitatem multitudo credentium, culturæ simulachrorum, dæmonúmque subuersio, & à tentationibus exercitatio, professentium purgatio, & liberatio ab omni malo, iudicii dies, resurrectio mortuorum, societatis impiorũ æterna damnatio, regnúmque æternum gloriosissimæ ciuitatis Dei, conspectum eius immortaliter perfruentis, in huius viæ Scripturis prædicta atque promissa sunt, quorum tam multa impleta conspicimus, vt recta pietate futura esse cætera confidamus.

XXI. lib. Cap. XV.

Incarnationis Christi magna vtilitas.

Vnicus enim natura Dei Filius, propter nos misericordia factus est Filius hominis, vt nos natura filii hominis, filii Dei per illum gratia fieremus. Manens ille quippe immutabilis, naturam nostram, in qua nos susciperet, suscepit à nobis: & tenax diuinitatis suæ, nostræ infirmitatis particeps factꝰ est: vt nos in meliꝰ commutati, quod peccatores mortalésque sumus, eius immortalitatis & iustitiæ participatione amittamus: & quod in nostra natura bonum fecit, impleti summo bono in eius naturæ bonitate seruemus. Sicut enim per vnum hominem peccãtem, in hoc tãm graue malum deuenimus: ita per vnum hominem eundémque Deum iustificantem, ad illud bonum tam sublime veniemus.

Rom. 5.

De musica lib. VI. Cap. IIII.

Natus, passus & mortuus est Christus & nihil horum meritus.

Nam nasci humanitus & pati & mori voluit Christus, nihil horum meritus, sed excellentissima bonitate: vt nos caueremus magis superbiam, qua dignissimè in ista cecidimus, quàm contumelias, quas indignus accepit, & animo æquo mortem debitam solueremus, si propter nos potuit etiam indebitam sustinere: & quidquid secretius aut purgatius in tali sacramento à sanctis & melioribus intelligi potest. Ergo animã in carne mortali operantem, passionẽ corporũ sentire non mirum est.

De fide & Symbolo, Cap. VI.

Confutatæ opiniones Philosophorum, de ascensu Christi in cælum.

Corpus Christi in cælo.

Solet autem quosdam offendere vel ipsos Gẽtiles, vel hæreticos, quòd credamus assumptum terrenum Christi corpus in cælum. At Gentiles plurimíque Philosophorum argumentis nobiscum agere solent, vt dicant terrenum aliquid in cælo esse non posse. Nostras enim Scripturas nõ nouerunt, nec sciunt quomodo dictum sit, Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.

1. *Corinth.* 15.

Post pauca ibidem.

Hæc est immutatio de qua dicit Apostolus, Omnes resurgemus: sed non omnes immutabimur. Quam immutationem non in deterius: sed in melius fieri docet quum dicit, Et nos immutabimur. Sed vbi & quomodo sit in cælo corpus dominicum, curiosissimum & superuacaneũ est quærere: tantũmodò in cælo esse credẽdum est. Non enim est fragilitatis nostræ, cælorum secreta discutere: sed est nostræ

ſtræ fidei, de dominici corporis dignitate, ſublimia & honeſta ſapere.

Eodem lib. Cap. VIII.

Quid per vinos & mortuos quos Chriſtus iudicabit, intelligatur.

Credimus etiam Chriſtum inde venturum conuenientiſsimo tempore, & iudicaturum viuos & mortuos: ſiue iſtis nominibus iuſti & peccatores ſignificentur, ſiue quos tunc ante mortem noſtram in terris inuenturus eſt, appellati ſunt viui: mortui verò, qui eius aduentu reſurrecturi ſunt. Hæc diſpenſatio temporalis non tantùm eſt, ſicut illa generatio ſecundum Deum, ſed etiam fuit & erit. Nam fuit Dominus noſter in terris, & nunc eſt in cælis: & erit in claritate iudex viuorum atque mortuorum. Ita enim veniet ſicut aſcendit, ſecundum auctoritatem, quæ in Actibus Apoſtolorum continetur. Ex hac itaque temporali diſpenſatione loquitur in Apocalypſi, vbi ſcriptum eſt, Hæc dicit qui eſt & qui fuit & qui futurus eſt.

Actu.1.

Apocal.11.

Lib. I. de Geneſi ad literam, Cap. XXXIII.

Chriſti animã venisse vſque ad loca vbi cruciabantur impij.

Et Chriſti quidem animam veniſſe vſque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, vt eos ſolueret à tormentis, quos eſſe ſoluendos occulta nobis ſua iuſtitia iudicabat, nõ immeritò creditur. Quomodo enim aliter accipiendum ſit, quod dictum eſt, Quem Deus ſuſcitauit ex mortuis, ſolutis doloribus inferorum: quia non poterat teneri ab eis: non video, niſi vt quorundam dolores apud inferos eum ſoluiſſe accipiamus, ea poteſtate qua Dominus eſt, cui omne genu flectitur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, per quam poteſtatem etiam illis doloribus, quos ſoluit, non potuit teneri, &c.

Actu.2

Philip.2.

De ſex quæſtionibus contra Paganos, quæſtione II.

Quid reſpondebunt, ſi excepta illa altitudine ſapientiæ & ſcientiæ Dei, vbi fortaſſe aliud diuinum conſilium longè ſecretius latet, ſine præiudicio fortè aliarum cauſarum etiam quæ à prudentibus inueſtigari quærunt, hoc ſolùm eis breuitatis cauſa, in huius quæſtionis diſputatione dicamus, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & vbi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri. His enim tẽporibus & his locis, quibus Euangeliũ eius non eſt prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros eſſe præſciebat, quales non quidem omnes, & tamen multi in eius corporali præſentia fuerunt, qui in eum nec ſuſcitatis ab eo mortuis credere voluerunt. quales etiam nunc multos videmus (quũ tanta manifeſtatione de illo compleantur præconia Prophetarum) nolle adhuc credere, & malle humana aſtutia reſiſtere, quàm tam præclaræ atque perſpicuæ, támque ſublimi & ſublimiter diffamatæ, diuinæ credere auctoritati.

Rom.11.

Chriſtus quare tempore illo incarnatus ſit & natus.

De gratia noui Teſtamenti ad Honoratum, cap. III.

Quum autem venit plenitudo tẽporis, vt gratia quæ occultabatur in veteri Teſtamẽto, iam reuelaretur in nouo: miſit Deus Filium ſuũ, factum ex muliere. quo nomine, proprietate Hebraicæ linguæ, omnis fœmina nuncupatur, ſiue viro intacta, ſiue iam mixta. Quem autẽ Filiũ miſerit, quẽ fieri ex muliere voluerit: quãtus ille Deus ſit, qui hanc humilitatem pro ſalute fidelium ſuſcipere dignatus eſt, vt agnoſcas: nunc attende Euãgelium, In principio erat Verbum, &c. Hic ergo Deus Verbum Dei, per quod facta ſunt omnia, Filius Dei eſt, non commutabiliter manens, vbique præſens, nullo clauſus loco, nec partialiter per cuncta diffuſus, tanquam minorem partem habeat in minori loco, & in maiori maiorem: ſed vbique totus, atque ita non abſens etiam mentibus impiorum, quanuis eum non videant: ſicut nec iſta lux videtur oculis præſentata cæcorum, &c.

Gala.4 Omnes fœminæ Hebrææ mulieres appellantur.

Cap. IX. eodem libro

Chriſtus perſequentes vſque ad mortem pertulit.

Vt igitur exemplo carnis ſuæ Chriſtus exhortaretur fideles ſuos, temporalem pro æterna felicitate contẽnere, vſque ad mortẽ pertulit perſequentes atque ſæuientes, & quaſi victo & oppreſſo ſuperbè illudentes. Quòd autem carnem ſuam reſuſcitauit, & diſcipulorũ conſpectibus & contactibus reddidit, eíſque videntibus aſcendit in cælum: ipſos ædificauit, & quid expectare, quid prædicare deberent, euidentiſsima veritate demonſtrauit. Illos autem à quibus tãta mala vſque ad mortem pertulerat, quaſi de illo ſuperato & extincto gloriantes, in ea opinione dereliquit, vt quiſquis eorum ſalute æterna ſaluus fieri vellet, hoc de illius mortui reſurrectione crederet, quod hi qui viderunt ſignis conteſtantibus prædicauerunt, & pro ea prædicatione ſimilia perpeti non dubitauerunt.

Actu.3.

Marci.6.

De præſentia Dei ad Dardanum, Cap. XVII.

Myſterium Dei Chriſtus eſt.

Nõ enim eſt aliud Dei myſteriũ niſi Chriſtus, in quo oportet viuificari mortuos in Adam: quia ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic & in Chriſto omne s viuificabuntur.

1. Cor. 15.

De præſentia Dei ad Dardanum, Cap. XVII.

Secundum formam Chriſtus in cælo eſt.

Noli itaque dubitare ibi nunc eſſe hominẽ Chriſtum Ieſum, vnde venturus eſt: memoritérque recole & fideliter tene Chriſtianã confeſsionem, quoniam reſurrexit à mortuis, aſcẽdit in cælum, ſedet ad dexteram Patris: nec aliunde quàm inde venturus eſt ad viuos mortuósque iudicãdos. Et ſic venturus eſt illa Angelica voce teſtante, quemadmodum ire viſus eſt in cælum, id eſt, in eadem carnis forma atque ſubſtantia: cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. Secundum hanc formam, non eſt putandus vbique diffuſus.

Actu.17.

cauendum est enim ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Nam & de nobis veracissima Scriptura dicit, Quòd in illo viuimus, mouemur & sumus: nec tamen sicut ille, vbique sumus: sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus in homine, proprio quodam & singulari modo.

In libro qui Enchiridion vocatur, ad Laurentium, Cap. XXXIIII.

Christum fides matris, non libido concepit.

Nam nihil naturæ humanæ in illa suscepti one fas est dicere defuisse: sed naturæ ab omni peccati nexu omni modo liberæ: nõ qualis de vtroque sexu nascitur per concupiscentiã carnis cum obligat ione delicti, cuius reatus per regenerationem diluitur: sed qualem de virgine nasci oportebat, quem fides matris non libido conceperat.

Cap. XXXV. ibidem.

Proinde Christus Iesus Dei Filius est, & Deus & homo est: Deus ante omnia secula, homo in nostro seculo: Deus quia Dei Verbum: (Deus enim erat Verbum) homo autem, quia in vnitatem personæ accesit Verbo anima rationalis & caro. Quocirca inquantum Deus est, ipse & Pater vnum sunt: inquãtum autem homo, Pater maior est illo.

Ioan. 10. Ioan. 14.

Post pauca ibidem.

Vnus Dei Filius, idémque hominis Filius: vnus hominis Filius, idémq; Dei Filius: non duo filii Dei, Deus & homo, sed vnus Dei Filius, Deus sine initio, homo à certo initio, Dominus noster Iesus Christus.

Ibidem Cap. XXXVI.

Vnde naturæ humanæ tanta gloria.

Vnde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis sine dubitatione gratuita: nisi quia magna hîc & sola Dei gratia fideliter & sobriè considerantibus euidenter ostenditur: vt intelligant homines, per eandem gratiam se iustificari à peccatis, per quam factum est, vt homo Christus nullũ habere posset peccatum?

In Euangelium Ioannis, tractatu VII.

Fingunt enim spiritus mali vmbras quasdam honoris sibimetipsis, vt sic decipiant eos qui sequuntur cultum. Vsqueadeò, fratres mei, vt illi ipsi qui seducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, misceant præcantationibus suis nomen Christi: quia iam non possunt seducere Christianos, vt dent venenum, addunt mellis aliquantùm, vt per id quod dulce est, lateat quod amarum est, & bibatur ad perniciem. Vsque adeò vt ego nouerim aliquo tempore illius Palleati sacerdotem solere dicere, Et ipse Palleatus Christianus est. Vt quid hoc, fratres, nisi quia aliter non possunt seduci Christiani? Ne quæratis ergo alibi Christum, quàm vbi se voluit prædicari Christus. Et quomodo vobis voluit prædicari, sic illum tenete, sic in cordibus vestris scribite. Mur° est aduersus omnes impetus, & aduersus omnes insidias inimici.

Christus vbi & quomodo est quærendus.

Post pauca ibidem.

Christ° vnctus, à quo Christiani vnguntur.

Messias Hebraicè, Latinè vnctus, Græcè Christus est, ab vnctione enim dicitur Christus. Chrisma vnctio est Græcè: ergo Christus vnctus. Ille singulariter vnctus, præcipuè vnctus, vnde omnes Christiani vnguntur.

Tractatu XIX. in eundem.

In extremo iudicio forma sola serui videbitur.

Talis apparebit iudex, qualis videri possit & ab eis quos coronatur° est, & ab eis quos dãnaturus est. Forma ergo serui videbitur, occulta erit forma Dei: occultus erit in seruo Filius Dei, & apparebit Filius hominis: quia potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est. Et quia ipse solus apparebit in forma serui. Pater autem non apparebit: quia non est indutus forma serui: ideo superius ait, Pater non iudicat quenquam.

Tractatu XIII.

Christi missio est eius incarnatio.

Christi ergo missio est incarnatio. Quod verò de Deo processit Verbum, æterna processio est. non habet tempus, per quem factum est tẽpus. Nemo dicat in corde suo, Antequã esset Verbum, quomodo erat Deus? Nunquã dicas, Antequam esset Verbum Dei. Nũquam Deus sine Verbo fuit: quia Verbũ est manens, non transiens, Deus, non sonus, per quod factum est cælum & terra, non quod præterit cum his quæ facta sunt super terram. Ergo ab illo processit vt Deus, vt æqualis, vt Filius vnicus, vt Verbum Patris, & venit ad nos, quia Verbum caro factum est, vt habitaret in nobis. Aduentus eius, humanitas eius, mansio eius, diuinitas eius. diuinitas eius, quò imus, humanitas eius, quà imus. Nisi nobis fieret quà iremus, nunquam ad illum manentem perueniremus.

Ioan. 1.

Contra Epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti, Cap. XXXVI.

Christus docet interius.

Docet autem vnus verus Magister, ipsa incorruptibilis veritas, solus Magister interior, qui etiam exterior factus est, vt nos ab exterioribus ad interiora reuocaret, & formam serui accipiens, vt eius sublimitas surgẽtibus innotesceret, iacentibus humilis apparere dignatus est. In eius nomine supplices simus, & per eum misericordiam Patris implorantes, ista quæramus.

Philip. 2.

Lib. VII. Confessionum, Cap. XVIII.

Frui Deo quomodo possim°.

Et quærebam viam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fruendum te, nec inueniebam, donec amplecterer Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, qui est super omnia benedictus Deus in secula, vocantem & dicentem, Ego sum via, veritas & vita.

Ibidem

Ibidem, Cap. XIX.

Quid autem sacramenti haberet, Verbum caro factum est, ne suspicari quidem poteram.

Et post pauca ibidem.

Quia itaque verè scripta sunt, totum hominem in Christo agnoscebã, non corpus tantùm hominis, aut cum corpore sine mente animam: sed ipsum hominem, non persona veritatis, sed magna quadam naturæ humanæ excellentia, & perfectiore participatione sapientiæ præferri cæteris arbitrabar. Alipius autem Deum carne indutum ita putabat credi à Catholicis, vt prẽter Deum & carnem non esset in Christo anima, mẽtẽmque hominis non existimabat in eo prædicari. Et quoniã bene persuasum tenebat ea quæ de illo memoriæ mandata sunt, sine vitali & rationali creatura non fieri, ad ipsam Christianam fidem pigrius mouebatur. Sed postea hæreticorum Apollinaristarum hunc errorem esse cognoscens, catholice fidei collætatus & contemperatus est. Ego autem aliquantò posterius didicisse me fateor in eo quòd Verbum caro factum est, quomodo catholica veritas à Photini falsitate dirimatur.

Ioannis.1.

Lib. X. Cap. XIII

Qualis debeat esse mediator.

Mediator inter Deum & homines oportebat vt haberet aliquid simile Deo, aliquid simile hominibus, ne in vtroque hominibus similis longè esset à Deo, aut in vtroque Deo similis, longè esset ab hominibus, atque ita Mediator non esset.

Eodem libro, Cap. XIIII.

Verax autem Mediator, quem secreta tua misericordia ostendisti humilibus, & misisti vt eius exemplo etiam ipsam discerent humilitatem: Mediator ille Dei & hominum, homo Christus Iesus, inter mortales peccatores, & immortalem iustum, apparuit mortalis cum hominibus, iustus cum Deo: vt quoniã stipendium iustitiæ vita & pax est, per iustitiam coniunctam Deo euacuaret mortem iustificatorum impiorum, quam cum illis voluit habere communem. Hic demõstratus est antiquis Sanctis, vt ita ipsi per fidem futuræ passionis eius, sicut nos per fidem præteritæ, salui fierent. In quantùm enim homo, intantum Mediator, in quantùm autem Verbum, non medius, quia æqualis Deo, & Deus apud Deum, & simul cum Spiritu sancto vnus est Deus.

1. Timot. 2

Christus in quantum homo, mediator.

Quæstionum veteris & noui Testamenti,

Quæst. LXXXIII.

Idcirco tunc venit Christus, quando debuit venire, voluntatis suæ rationem secutus, nõ meritorum nostrorum. Nam si merita perpendas, venire non debuit. Venit ergo quando & subueniri debere sciuit, & gratum futurum beneficium, &c.

Aduentus Christi opportunitas

Post pauca ibidem.

Et quia acceptam Legem gẽtes spreuerunt, nõ se subiicientes ei, neque hi qui acceperunt seruauerunt eam, motus Dominus misericordia, misit Filium suum, qui se pro illis offerẽs, mortẽ destruens, data omnib⁹ remissione peccatorum, Deo Patri illos iustificatos offerret. Non enim posset descendi ad inferos, nisi per mortem. Nec ordo enim nec ratio poscebat, eum qui mortuus non fuisset, intrare ianuas tartari. Nonne si quis vult in terra sua Barbaros decipere, immutat se in habitu illorum, vt putetur vnus ex his, & sic explorat quomodò nos subuertãt? Ita factum est de diabolo, quoniam malo more hominem subuerterat, vt in morte nõ remaneret, inuentum est remedium, quo modo quos malè tenebat, amitteret, & subintraretur ei: & quem putabat se velut hominem occidisse, reperiret illum apud inferos Deum. quo facto reus inuentus, omnes quos tenebat amisit, & de cætero aperta est via ad cælum.

Per Christum via ad cælum aperta est.

Eodem libro, Quæstione CXIII.

Manente ergo fide, diu mecum contuli, vt scirem cur Dominus Deus noster de sacris & de cælestibus sedibus ad terram incarnatus venisset, & non alius ex his, quos ipse Dominus sanctos Angelos vocat. Incongruum enim videtur personæ eius hoc corpus subiisse, nisi causa facti noscatur. Denique, hoc est quod mouet multos, Nùm potuerit Dei Patris permissio per alteram personam hoc negotium gerere, vt & hominibus in errore constitutis ostenderet veritatem, & diabolum præsumptorem, & salutis inuidum, cum satellitibus eius comprimeret, & expoliaret deuictum: quia peruicacia & irreuerentia nequissimorum seruorum, ministris famulis fuerat compescenda, vt non Dominus omnium rem sibi indignam experiretur.

Deus quare nõ Angelum misserit in hunc mundum.

Post pauca ibidem.

Sic factum est, vt animaduerterem causam hoc poposcisse, vt hic veniret qui venerit. Ipsum enim ratio tangebat, vt ad eum comprimendum veniret, qui dignitatem eius & meritum vsurpasset. Post Deum enim Patrem, diabolus deus dici voluit, quod & nunc vsque contendit, quum vtique non illum res contingeret: sed esset hoc Filii Dei, qui post Patrem Deum secũdus est, non natura, sed ordine. Ad hanc ergo causam agendam non alium oportuit venire, nisi Christum dominum nostrum. Quia non tantùm ad comprimendum diabolũ venit: sed & manifestare seipsum omni creaturæ: vt reprobata persona diaboli, hunc esse cognoscerent, cuius principatum & maiestatem præsumpserat satanas. de cætero cognita veritate relinquerent errorem, pro certo habentes Christum esse Filium Dei, qui solus Deus de Deo sit, & caput siue principium eorum omnium, siue quæ in cælo sunt, siue quæ in terra: quia virtute & potentia, qua superauit tyrannum satanam, manifestatus est ipse

Causa incarnationis Christi.

esse, cuius imperiũ præsumpserat impius diabolus, qui est satanas.

De fide contra Manichæos,
Cap. XXVI.

Christus quomodo carne visibiliter inuisibilis apparuit Ioan. 10.

Nos autem Christum Dominum, verum hominem suscepisse credimus, & in ipso visibiliter inuisibilem hominibus apparuisse, in ipso inter homines conuersatum fuisse, in ipso ab hominibus humana pertulisse, in ipso homines docuisse à quibus esset recedendum, quid esset perfruendum, quò esset tẽdendum. Totum autem hoc nulla fecit necessitate. vnde ipse ait, Propter hoc me Pater diligit, quia ego pono animam meam.

Cap. XXVIII. eodem lib.

Deus nullam patitur necessitatem.

Nullam ergo necessitatem patitur Deus, neque necessitate facit, quæ facit: sed summa & ineffabili voluntate ac potestate.

Cap. XXXII.

Manichei error.

Omnes Apostoli, omnes linguæ rationales Dominum Christum passum esse clamant. Omnis sana fides Christum pro nobis passum confitetur: & Manichæus iniquus, dæmones omnes illas passiones asserit pertulisse.

Contra Fœlicianum Arrianum, Cap. X.

Non ego in Christo susceptam carnem perpetuitate diuinæ generationis extẽdo, nec immensam deitatem corporei ortus ætate concludo: quia idem in diuinitate auctor est rerum, qui in carne Redemptor est hominum. Idem impassibilis in se, qui passus in corpore: dum sic vtriusque naturæ proprietatem, verè ex vtraque gignenti similis natus expressit, vt & veram carnem susceperit cum constet ex matre, & indifferentem deitatem habere constet ex Patre, quibus in vnam personam, incõprehensibili Mediatoris dispensatione coniunctis, seruauit singulis propria: sed coniunxit propriis aliena.

Ibidem Cap. XI.

Christi diuinitas cœpit nõ quum Virgo concepit.

Non tunc farentes Christi diuinitatem incœpisse, quum Virgo cõcepit: nec tunc cœpisse carnem, quum ineffabili quodam partu, monas illa sine intercapedine medii temporis, in nullo differentem monadem, nisi quòd monas docetur esse, genuit. Non infirmitatem voluntariam Christi, omnipotens eius maiestas exhorruit, non omnipotẽtiam corporalis infirmitas extinxit.

Ibidem.

Deitas ad inferos descendit propinquitate carnis. Matth. 14.

Scio ad inferos deitatem descẽdisse, proprietate carnis: scio ad cælum ascendisse carnẽ merito deitatis. Non est Dei proprium, quòd famem sensit: sed Dei proprium est, quòd paucis panibus tot millia hominum satiauit.

Ibidem, Cap. XVII.

Nolicalis deitas dicenda quòd ad inferos descendit

Non ergo (inquit) apud inferos Christi anima, non diuinitas fuit? Fuit, inquam. Neque aliter video potuisse resuscitare carnem suam, si apud inferos prædicetur, velut absentis Dei non fuisse potentiam. nec ideo tamen localem nos credat aliquis Dei prædicare præsentiam, de quo ista propter manifestationem certi operis dicimus, quia alicubi fuit, qui vbique non defuit. Iacebat, quantùm ad corpus, mortuus in sepulchro, mortuos resuscitans in inferno, vitam tribuens vniuersis in cælo. non mundum dimittens ad cælos ascendit, nec cælum deserens ad terram venit: sed vno atque eodem tempore totum totus impleuit, qui alicubi manifestatione plus parens, agnitionem præsentiæ suæ indignis negauit, non immensæ deitatis absentiam procurauit.

Ad Articulos sibi falsò impositos,
Articul. I.

Contra peccatum originale singulare remedium mors Christi.

Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata est natura, & vnde omnium concupiscentiarum morbus inoleuit, verum & potens & singulare remedium est mors Filii Dei domini nostri Iesu Christi, qui liber à mortis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus & debitoribus mortuus est. Quòd ergo ad magnitudinem & potẽtiam pretii, & quòd ad vnam pertinet causam generis humani, sanguis Christi, redemptio est totius mundi. Sed qui hoc seculum sine fide Christi, & sine regenerationis Sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt.

De vera innocentia.

Coloss. 2.

Hebr. 10. Quomodo plenitudo diuinitatis in Christo habitet corporaliter.

Plenitudo diuinitatis dicta est in Christo corporaliter habitare: non quia diuinitas corpus est, sed quia sacramentum veteris Testamenti appellantur vmbræ futuri. Propter vmbrarum comparationem corporaliter dicta est in Christo plenitudo diuinitatis habitare, quòd in illo impleantur omnia, quæ in illis vmbris figurata sunt, acsi quodam modo vmbrarum præcedentium ipse sit corpus, hoc est, figurarum & significationum illarum ipsa sit veritas.

Super Magnificat. D.

Mysterium incarnationis Verbi ineffabile. Luc. 5.

Quia fecit mihi magna. Et ideo dixit magna, quia mysterium incarnationis Verbi super omnia constat esse ineffabile. Nihil enim vnquam maius mirum factũ est, quàm vt Deus fieret homo, & natura incomprehẽsibilis, corporis substantiam sibi sic vniret, vt nec minus in ea esset, quia in se erat immensa, nec minor in se extiterat, quia in illa fuit creata. Hæc ergo sunt magna.

De Ecclesiasticis dogmatibus,
Cap. II.

Deus ergo hominẽ assumpsit, homo in Deũ transiuit, non naturæ versibilitate, sicut Apollinaristæ dicunt, sed Dei dignatione: vt nec Deus mutaretur in humanã substãtiã, assumẽdo hominem, nec homo in diuinã, glorificatus in Deũ: quia mutatio vel versibilitas naturæ, & diminutionem & abolitionem substãtiæ facit. Creditur à nobis sine confusione coniun-

cta sancta Trinitas, sine separatione distincta. Natus est ergo Dei Filius ex homine, non per hominem, id est, non ex viri coitu, sicut Ebion dicit: sed carnem ex Virginis corpore trahēs, & non de cælo secum afferens, sicut Martion, Origenes, & Eutyches affirmant. Neque in phantasia, id est, absque carne, sicut Valentinus. Neque à sole, id est, putatiuè imaginatum: sed corpus verum. Non tantùm carnem ex carne, sicut Martianus: sed verus Deus ex diuinitate, & verus homo ex carne: vnus Filius in diuinitate Verbum Patris, & Deus in homine, anima & caro. Anima non absque sensu & ratione, vt Apollinaris: neque caro absque anima, vt Eunomius: sed anima cum ratione sua, & caro cum sensibus suis, per quos sensus veros in passione & ante passionem suæ carnis dolores sustinuit.

Varię hæreses circa Christi incarnationem & diuinitatē.

De Symbolo ad Catechumenos, Cap. III.

Diuinam illa natiuitatē, qua Filius processit ex Patre, qua natus est Deus de Deo, sine initio, sine tempore, sine matre, sine aliqua fragilitate, sine vlla sui diminutione, non possumus explicare. Natiuitatem eius (ait Propheta) quis enarrabit? Et reuera, quis comprehendere potest, vel dicere, quomodo natus sit, qui semper est in Patre, & nunquam recedit à Patre?

Diuina Christi natiuitas explicari non potest.

Esa. 53.

De visitatione infirmorum, Lib. II. Cap. II.

Huius incarnationis desyderio flagrabant omnes Sancti. Quippe quibus erat manifestum, nō aliter posse saluari genus humanum, nisi per Filium Dei incarnatum. Non enim est in aliquo alio salus, nec est nomē aliud sub cælo datum hominibus, in quo oporteat hominem saluum fieri.

In sola Christi nomine seruantur omnes.

Actō. 4.

De laudibus charitatis. B.

Ille ergo, qui venit per crucis irrisionem, carnis perimere corruptionem, & vetustatem vīculi mortis nostræ, suæ mortis nouitate dissoluere, mandato nouo fecit hominē nouum. Res enim vetus erat, vt homo moreretur, quæ ne semper valeret in homine, res noua facta est, vt Deus moreretur. Sed quia in carne mortuus est, non in diuinitate, per sempiternam vitam diuinitatis non permisit esse sempiternum interitum carnis.

Fecit Deus hominem nouum mandato nouo

De ouibus, Cap. XII.

Diuinitas sine humanitate non est mediatrix, humanitas sine diuinitate non est mediatrix: sed inter diuinitatem solam, & humanitatem solam, mediatrix est humana diuinitas, & diuina humanitas Christi. Et seruus meus Dauid princeps in medio eorum.

Diuinitas Christi sine humanitate non est mediatrix.

De verbis Domini secundum Ioannem, Serm. LVIII.

Quid, quòd carnē eius, quam creaturā esse nō negas, simul cum diuinitate adoras, atque ei non minus, quàm diuinitati deseruis? Ego dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quòd à diuinitate susceptа, atque deitati vnita est, vt non alium atque alium, sed vnū eundémque Deum & hominem Dei Filium confitear. Denique si hominem separaueris à Deo, vt Photinus vel Paulus Samosatenus, illi ego nūquam credo, nec seruio. Velut si quis nostrūm aut purpurā aut regale diadema iacens inueniat, nunquid ea conabitur adorare? Quū vero ea Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea simul cum Rege quis adorare contēpserit. Ita etiam in Christo Domino humanitatem non solam aut nudam, sed diuinitati suæ vnitā, vnū Dei Filium, Deum verum & hominem verum qui adorare contempserit, æternæ mortis pœnam patietur.

Hæresis Photini.

Sermone XI. de tempore.

Dominus noster Iesus Christus, quantum animaduertere potuimus per scripturas scilicet paginas sanctas, tribus modis nominatur quando prædicatur, siue per Legē & Prophetas, siue per Epistolas Apostolicas, siue per fidem rerum gestarum, quas in Euāgelio cognoscimus. Primus enim modus est secūdum Deum & diuinitatem illam Patri coæqualem, atque coæternam assumptionem carnis. Alter modus est, quū assumpta carne iam idem Deus, qui homo, & idem homo, qui Deus, secundum quandam suæ excellentiæ proprietatem, qua non cæteris coæquatur hominibus, sed est Mediator & Caput Ecclesiæ, esse & legitur & intelligitur. Tertius modus, est quodammodo totus Christus in plenitudine Ecclesiæ, id est, caput & corpus, secundū plenitudinem cuiusdam viri perfecti, in quo viro singuli membra sumus, quod credentibus prædicatur, & prudentibus agnoscibile offertur.

Christus tribus modis per Scripturas prædicatur.

Sermone CXXV. de tempore.

Proprium nomen est Patri, Pater, & proprium nomen est Filio, Filius, & proprium est Spiritui sancto, Spiritus sanctus. Hanc Trinitatem vnū Deum credimus, & vnum esse Deum Patrem, & ex vno Patre Filium, qui est vnius cum Patre naturæ, vniúsque substantiæ, & vnius potestatis. Pater Filium genuit, non voluntate, non necessitate, sed natura. Filius vltimo tempore, per quem omnia facta sunt quæ in cælis, quæ in terra, visibilia & inuisibilia, ad nos saluandos, & ad implendas Scripturas venit à Patre, qui nunquam desiit esse cum Patre. Quem credimus conceptum de Spiritu sancto & natum de virgine Maria, Verbum carnem factum, non demutatum, sed Deum permanentem, hominem natum non putatiuè, sed verè, non aereum, sed corporeum: non phantasticū, sed carneū, ossa, sanguinē sensū & animā habentē, hoc est, perfectū hominē, verū

Christus homo natus est, non putatiuè, sed verè.

hominem,& verum Deum intelligimus,vt verum Deum,verum hominem fuisse non ambigamus. Non enim amisit quod erat:sed cœpit esse quod non erat: vt perfectus sit in suis, & verus sit in nostris. Nam qui Deus erat,homo fact° est:& qui homo nat° est, operatur vt Deus:& qui operatur vt Deus, vt homo moritur:& qui vt homo moritur,surgit vt Deus. Qui deuicto mortis imperio, cum ea carne qua natus & passus & mortuus fuerat, resurrexit: ascendit ad Patrem, sedétque ad dexteram eius in gloria quã semper habuit, habétque. In eius morte & sanguine credimus nos emundatos, & ab eo resuscitandos die nouissimo in hac carne, in qua nunc viuimus, & quam habemus, consecuturos nos aut vitam æternam pro præmio boni meriti, aut pœnas pro peccatis æterni supplicii. Hæc retinete: huic fidei animas vestras subiugate, à Christo Domino præmia consecuturi regni cælorum, Amen.

Libro.I. de consensu Euangelistarum,

Cap.IX.

Quidam dicant inuenirii in libris, quos Christum scripsisse existimãt, magicas artes.

Ita verò isti desipiunt,vt in illis libris,quos Christum scripsisse existimant, dicant contineri eas artes, quibus eum putant illa fecisse miracula, quorum fama vbique percrebuit. quod existimando seipsos produnt quid diligant & affectent. Quandoquidem Christum sapientissimum propterea fuisse putant: quia nescio quæ illicita nouerat, quæ non solùm disciplina Christiana,sed etiam ipsa terrenæ reipublicæ administratio iure cõdemnat. Et certè qui tales libros Christi legisse se affirmant: cur ipsi nulla talia faciunt, qualia illum de libris talibus fecisse mirantur?

Cap.XI.eodem lib.

Confitentur qui Christum magicis artibus miracula fecisse putant.

Illud quoque attendant, qui magicis artibus tanta potuisse, & nomen Christi ad populos in se conuertendos,arte ipsa consecrasse delirant, vtrùm potuerit magicis artibus tantos Prophetas diuino Spiritu antequam in terra nasceretur implere, qui de illo talia futura prælocuti sunt,qualia iam præterita in Euangelio legimus, & qualia in orbe terrarum præsentia nunc videmus. Neque enim si magicis artibus fecit vt coleretur & mortuus,magus erat antequam esset natus, cui prophetando venturo gens vna deputata est, cuius reipublicæ tota administratio prophetia esset illius Regis vẽturi, & ciuitatem cælestem ex omnibus gentibus condituri.

Cap. XII.

Solebant autem Romani deos gentium, quas subiugabant,colendos propitiare, & eorum sacra suscipere. Hoc de de Deo gentis Hebræx,quũ eã vel oppugnauerũt, vel vicerunt, facere noluerunt. Credo quòd videbant,si eius Dei sacra reciperent, qui se solum deletis etiam simulachris coli iuberet, dimittenda esse omnia quæ prius colenda susceperant, quorum religionibus imperium suum creuisse arbitrabantur.in quo eos plurimùm fallacia dæmonum decipiebat. Nam vtique intelligere debebant occulta Dei veri voluntate (penes quem rerum summa potestas est) sibi datum & auctum regnum, non illorum deorum fauore,qui si aliquid in hac re potestatis habuissent,suos potius protexissent, ne à Romanis superarentur, aut ipsos eis Romanos edomitos subiugassent.

Occulta dei veri voluntate, Romanis regnum auctum & datum est.

Cap.XIII.

Iudæi victi à Romanis quid Christum occiderint.

Vnde nec illud possum dicere, Cur ergo Deus Hebræorum, quem summum & verum Deum dicitis, non solùm Romanos eis non subiugauit, sed nec ipsos Hebræos, ne à Romanis subiugarentur adiuuit? Præcesserunt enim manifesta peccata eorum, propter quæ illis hoc euenturum Prophetę tãtò antè prædixerant,& maximè quia impio furore Christum occiderunt, in quo peccato aliorum occultorum peccatorum meritis excæcati sunt. Et quòd illius passio esset Gẽtibus profutura eadem prophetica contestatione prædictũ est.

Cap.XIIII.

Deus Hebræorum prædicatur vbique per nomen Christi

Rem sanè mirabilem non aduertunt pauci Pagani,qui remanserunt, Deum Hebræorum offensum à victis,nec receptum à victoribus, nunc prædicari & coli ab omnibus gentibus. Ipse est enim Deus Israel, de quo tantò antè Propheta plebem Dei sic allocutus est, Et qui eruit te, Deus vniuersæ terræ vocabitur. Et factum est per nomen Christi venientis ad homines ex semine ipsius Israel, qui nepos fuit Abrahæ, à quo gens cœpit Hebræorum. Nam & ipsi Israel dictum est, In Semine tuo benedicentur omnes tribus terræ.

Esa.14

Gen.22.

Ibidem circa finem.

Doctrinæ Christi magicis artibus inimica.

Romana autem sacra illa de idolorum cultu, nec victus ac subiugatus accepit, vt libros propheticos ad testimonium gerat Christi: ac sic de inimicorum codicibus probetur veritas prophetati Christi. Quid ergo miseri adhuc Christum malè laudando seipsos iudicant, si aliqua magica sub eius nomine scripta sunt: quum vehementer his artibus Christi doctrina inimica sit? Hinc potius intelligant, quantum sit illud nomen,quo addito,etiam illi qui contra eius præcepta viuunt, suas nefarias artes honorare conantur. Sic enim diuersis hominum erroribus multi etiam varias hæreses aduersus veritatem sub eius nomine condiderunt.Ita sentiunt etiã inimici Christi ad suadendum quod proferunt contra doctrinam Christi, nullum sibi esse pondus auctoritatis, si non habeat nomen Christi.

Cap.XV.

Philosophi Christum blasphemare non audent.

Quid quòd vani laudatores Christi, & Christianæ religionis obliqui obtrectatores, propterea non audent blasphemare Christum, quia quidam Philosophi eorum, sicut in libris suis Porphyrius Siculus prodidit,cõsulue-

sulueruntdeos suos,quid de Christo respõderent.Illi autem oraculis suis laudare Christum compulsi sunt. Nec mirum,quum in Euangelio legamus eum dæmones fuisse confessos. Marci 1.

Ad Volusianum,Epist.III.

Primùm te scire volo,nõ hoc habere Christianam doctrinam, quòd ita sit Deus infusus carni,qua ex Virgine nasceretur,vt curam gubernãdæ vniuersitatis vel deseruerit, vel amiserit,vel ad illud corpusculum quasi contractã materiam,collectámque trãstulerit. Hominũ iste sẽsus est,nihil nisi corpora valẽtiũ cogitare. *Christus ita fa ctus est homo, vt curam gubernandæ vniuersitatis non deseruerit.*

Post pauca ibidem.

Putamus nobis de omnipotentia Dei incredibile dici aliquid, quum dicitur Verbum Dei,per quod omnia facta sunt,sic assumpsisse corpus ex Virgine,&sensibus apparuisse mortalibus, vt immortalitatem suam nõ corruperit,vt æternitatem suam non mutauerit,vt potestatem suam non minuerit,vt administrationem mundi non deseruerit,vt à sinu Patris, id est,à secreto,quo cum illo & in illo est,non recesserit? VerbumDei sic intellige,per quod facta sunt omnia,non vt eius transire aliquid cogites, & ex futuro præteritum fieri. Manet sicuti est,& vbique totum est. Venit autem quũ manifestatur, & quum occultatur, abscedit. Adest tamen siue occultum, siue manifestum, sicut lux adest oculis & videntis & cæci:sed videnti adest præsenti,cæco verò absenti. Adest & vox audientibus auribus, adest etiam surdis:sed illis patet,istis latet. Non itaque metuendum est corpusculum infantiæ, ne in illo tantas Deus angustias passus esse videatur. Neque enim mole, sed virtute magnus est Deus, qui prouidentia sua meliorem sensum magis formiculis & apiculis dedit, quàm asinis & camelis.Ipsa enim magnitudo virtutis eius, quæ nullas in angusto sentit angustias,verum virginalem non aduentitio,sed indigena puerperio fœcundauit. Ipsa sibi animam rationalem, & per eandem etiam corpus humanũ, totúmque omnino hominem in melius mutandum, nullo modo in deterius mutata coaptauit, nomen humanitatis ab eo dignãter assumens, diuinitatis ei largiter tribuẽs. Ipsa virtus per inuiolatæ matris virginea viscera, mẽbra infantis eduxit,quæpostea per clausa ostia,membra iuuenis introduxit. Hìc si ratio quæritur,non erit mirabile: si exemplum poscitur,nõ erit singulare. Demus Deum aliquid posse,quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. *Verbum Dei Patris quomodo intelligendũ*

Ibidem post pauca.

Ita Christus inter Deum & homines Mediator apparuit, vt in vnitate personæ copulans vtranque naturam, & solita sublimaret insolitis, insolita solitis temperaret. Quid autem non mirũ facit Deus in omnibus creaturæ motibus, nisi consuetudine quotidiana viluissent? Denique quàm multa vsitata cantur, quæ considerata stupentur? Sicut ipsa vis seminum,quos numeros habet,& quàm viuaces & quàm efficaces, quàm latenter potentes, quàm in paruo magna molientes, quis adeat animo,quis promat eloquio? Ille igitur sibi hominem sine semine operatus est, qui in rerum natura sine seminibus operatur & semina. Ille in suo corpore numeros tẽporum,mensuráque seruauit ætatum, qui sine vlla sui immutabilitate mutando contexuit ordinem seculorum. Hoc enim creuit in tempore, quod cœpit ex tempore. Verbum autem in principio per quod facta sunt tẽpora,tempus elegit, quo susciperet carnem, non tempori cessit, vt verteretur in carnem.Homo quippeDeo accessit, non Deus à se recessit. Sic autem quidam reddi sibi rationem flagitant,quomodo Deus homini permixtus sit, vt vna fieret persona Christi, quũ hoc semel fieri oportuerit:quasi rationem ipsi reddant, de re quæ quotidie fit, quomodo misceatur anima corpori, vt vna persona fiat hominis. Nam sicut in vnitate personæ anima vtitur corpore, vt homo sit:ita in vnitate personæ Deus vtitur homine, vt Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animæ & corporis: in hac persona mixtura est Dei & hominis.Si tamen recedat auditor à consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri,vt neuter seruet integritatẽ suã, quanquã & in ipsis corporibus aeri lux incorrupta misceatur. Ergo persona hominis, mixtura est animæ & coporis. Persona autẽ Christi,mixtura est Dei &hominis.Quum enim Verbũ Dei permixtum est animæ habenti corpus, simul & animam suscepit & corpus. Illud quotidie fit ad procreãdos homines: hoc semel factum est ad liberandos homines. Ioan.1. *Pulchra de incarnatione Christi.*

In eadem Epistola.

Verbum igitur Dei, idémque Dei Filius, Patri coæternus,idémque virtus, & sapientia Dei à superno fine creaturæ rationalis, vsque ad infimum finẽ creaturæ corporalis attingens fortiter,& disponens omnia suauiter, præsens & latens,nusquam concluſa,nusquam discissa, nusquam tumida: sed sine mole vbique tota,longè alio modo quodã, quàm eo quo creaturis cæteris adest,suscepit hominem,séque & illum fecit vnũ Iesum Christum, Mediatorem Dei & hominum, æqualem Patri secundum diuinitatem,minorem Patre secundum carnem, hoc est, secundum hominem, incõmutabiliter immortalem secundum æqualem Patri diuinitatem, eundémque mutabilem atque mortalem, secundum cognitã nobis infirmitatem. In quo Christo eo tempore, quod opportunissimum ipse nouerat,& ante secula dispoſuerat, venit hominibus magisterium & adiutorium, ad capessendam sempiternam salutem. Sapien.8. *Quomodo Christus Mediator inter Deum & homines apparuerit.* *Æqualis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem*

Ibidem post pauca.

Sed & ipse Moyses & cæteri Prophetæ veracissimi,Dominum Christum prophetaue-

runt, & gloriam magnam ei dederunt: hunc non tanquam parem sibi, nec in miraculorum potẽtia superiorem, sed planè Dominũ Deum omnium, & hominẽ propter homines factum venturum prænuntiauerunt. Qui propterea & ipse miracula facere voluit, ne esset absurdũ quæ per illos fecerat, si ipse nõ faceret. Sed tamen & aliquid proprium facere debuit, nasci de Virgine, à mortuis resurgere, in cælum ascẽdere. Hoc Deo qui parum putat, quid plus expectet ignoro. Arbitror enim talia flagitari, qualia gerens hominem facere non debuit. Nã in principio erat Verbũ, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. omnia per ipsum facta sunt. Nunc homine assumpto, alium mũdum facere debuit, vt eum esse crederemus, per quem factus est mundus? Sed nec maior mundus, nec isti æqualis in hoc mundo fieri posset. Si autem minorem faceret infra istum, similiter hoc quoque parum putaretur. Quia ergo nõ oportebat vt nouum faceret mũdum, noua fecit in mundo. Homo enim de Virgine procreatus, & à mortuis in æternam vitam resuscitatus, & super cælos exaltatus, potentius fortasse opus est quàm mundus. Hic fortè respondent se factum hoc esse non credere. Quid ergo fiet hominibus, qui minima contemnunt, maiora non credunt? Reddita vita defunctis ideo creditur, quia & alii fecerũt: & parum est Deo. Caro propria de Virgine creata, & à morte in æternã vitã super cælos leuata, ideo non creditur, quia nemo fecit: & competit Deo. Ac per hoc, quæ sibi quisque facilia non factu, sed captu putat, æquo animo accipit: supra ea, veluti ficta pro falsis ducit. Noli eis esse similis obsecro te. Disputantur hæc latius, & omnis quæstionum necessariarum sinus perscrutati, discussique panduntur: sed intellectui fides aditum aperit, infidelitas claudit.

Ioannis 1.

Post pauca ibidem.

Christum Dei Verbum, Dei Filium, Deũ in carne venturum, moriturũ, resurrecturum, in cælum ascensurum, præpollẽtissimo suo nomine, in omnibus gentibus dicatos sibi populos habiturum, inque illo remissionem peccatorum, salutémque æternam futuram esse credentibus, omnia gentis Hebrææ promissa, omnes prophetiæ, sacerdotia, sacrificia, templum, & cuncta omnino sacramẽta sonuerunt. Venit Christus: complentur in eius ortu, vita, dictis, factis, passionibus, morte, resurrectione, ascensione, omnia præconia Prophetarum.

In Christo omnia complentur præconia Prophetarum.

Ad Dardanum, Epist. LVII.

Noli itaque dubitare ibi nunc esse hominem Christum Iesum, vnde venturus est: memoritérque recole, & fideliter tene Christianam confessionem. Quoniam resurrexit à mortuis, ascendit ad cælum, sedet ad dexteram Patris, nec aliunde quàm inde venturus est ad viuos, mortuósque iudicandos. Et sic vẽturus est illa Angelica voce testãte, quemadmodum ille visus est ire in cælum, id est, in eadem carnis forma atque substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putãdus vbique diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Nam & de nobis veracissima Scriptura dicit, Quòd in illo viuimus, mouemur & sumus. Nec tamẽ sicut ille vbique sumus. sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam & singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrunq; est Deus Christus Iesus, vbique per id quod Deus est, in cælo autem per id quod homo. Quanquam & in eo ipso quod dicitur Deus vbique diffusus, carnali resistẽdum est cogitationi, & mens à corporis sensibus auocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aer, aut lux ista diffunditur.

Secundum formam humanã Christus non vbique diffusus est.

Actorum 17.

Ad Pascentium Epist. CLXXIIII.

In omnipotentẽ Deum Patrem me credere profiteor, eúmque æternum ea æternitate, hoc est, immortalitate dico, quam solus Deus habet. hoc & de Filio eius vnigenito credo in forma Dei, hoc & de Spiritu sancto, qui Spiritus est Dei Patris, & Filii eius vnigeniti. Sed quia ipse Patris Dei vnigenitus Filius Dominus noster Iesus Christus, posteaquam venit plenitudo temporis opportuni, ad diem salutis nostræ formam serui accepit: multa de illo in Scripturis secundum formam Dei dicuntur, multa secundũ formam serui. Quorum (exempli gratia) duo quædam commemoro, vt singula ad singula referantur. Secundum formam Dei de seipso dixit, Ego & Pater vnũ sumus. Secũdum formam serui, Quoniam Pater maior me est. Quod autem de Deo scriptum est, Qui solus habet immortalitatem: &, Inuisibili soli Deo honor & gloria: & cætera huiusmodi, non de Patre tantùm accipimus, sed etiam de Filio, quòd ad formã Dei attinet, & de Spiritu sancto. Pater enim & Filius & Spiritus sanctus, vnus est Deus, & solus verus Deus, & solus immortalis secundum incommutabilem omnino substantiam.

Quæ de Patre dicuntur, etiã de Filio dici possunt, secundum deitatem atque substantiam.

Galat. 4.

Ioannis 10.

Ioannis 14.

In Psalmum XLIIII.

Hoc nomẽ quod appellatur Christus, vnctionis est. Nec in aliquo alibi vngebãtur Reges & Sacerdotes, nisi in illo regno vbi Christus prophetabatur & vngebatur, & vnde venturum erat Christi nomen. Nusquam est alibi omnino, in nulla gente, in nullo regno. Vnctus est ergo Deus à Deo. Quo oleo, nisi spirituali? Oleum enim visibile in signo est, oleum inuisibile in Sacramẽto est: oleũ spirituale intus est, oleũ visibile exterius est. Vnctus est nobis Deꝰ, & missus est nobis, & ipse Deꝰ vt vngeretur homo erat, sed ita homo erat, vt Deꝰ esset. ita Deꝰ erat,

Christus vnctionis nomen est.

erat, vt homo esse nō dedignaretur. Verus homo, verus Deus, in nullo fallax, in nullo falsus: quia vbique verax, vbique veritas. Deus ergo homo, & ideo vnctus Deus, quia homo Deus, & factus est Christus.

In Psalmum XLVI.

Roman. 1. Christus homo ex semine Dauid, Deus, Dominus Dauid.

Non enim homo tātùm erat Christus, sed & Deus. Homo ex semine Dauid: Deus, Dominus Dauid, ex Iudæis carnem habens, quorum patres, ait Apostolus, & ex quibus Christus secundum carnem. Ex Iudæis ergo Christus, sed secundum carnem. Quis autem iste Christus, qui est ex Iudæis secundum carnem? Qui est super omnia Deus benedictus in secula. Deus ante carnē, Deus in carne, Deus cum carne. Nec solùm ante carnem Deus, sed ante terram Deus, vnde facta est caro. nec tantùm ante terram Deus, vnde caro facta est, sed etiā ante cælum Deus, quod prius factum est. Ante diē Deus, qui primus factus est: ante omnes Angelos Deus, in se Christus Deus, quoniam

Ioannis 1.

in principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Ille est ante omnia, per quem facta sunt omnia.

In Psalmum LXXXV.

Caro & Verbum & anima, vnus est Christus.

Neque enim, vt nōnulli dixerunt, caro sola erat & Verbum: sed & caro, anima & Verbum: & totum hoc vnus Filius Dei, vnus Christus, vnus Saluator, in forma Dei æqualis Patri, in forma serui, caput Ecclesiæ.

DE SPIRITV SANCTO.

Ad Bonifacium Epist. L.

De peccato in Spiritum sanctum, impœnitentia scilicet.

QVi peccauerit in Spiritum sanctū, vel qui verbum dixerit aduersus Spiritum sanctum. Nō vtique omne quod in Spiritum sanctum peccatur facto siue dicto, sed aliquid certum & proprium intelligi voluit. Hoc est autem duritia cordis vsque ad finem huius vitæ, qua homo recusat in vnitate corporis Christi, quod viuificat Spiritus sanctus, remissionem accipere peccatorum. Quum enim dixisset di-

Ioannis 20.

scipulis, Accipite Spiritum sanctum, continuò subiecit, Si cui dimiseritis peccata, dimittentur, si cui tenueritis, tenebūtur. Huic ergo dono gratiæ Dei, quicūque restiterit & repugnauerit, vel quoquo modo fuerit ab eo alienus, vsque in finem huius tēporalis vitæ, nō remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Hoc scilicet tam grāde peccatum, vt eo tenēātur cuncta peccata, quod non probatur ab aliquo esse cōmissum, nisi quum de corpore exierit. Quādiu verò hic viuit, cum, sicut dicit Apostolus, patiētia Dei ad pœnitētiam adducit.

Roman. 2.

Sed si ipse perseuerantissima iniquitate, sicut cōsequēter adiungit Apostolus, Secundū duritiam cordis sui, & cor impœnitēs thesaurizat sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicii Dei: non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Isti autē cum quibus agimus, vel de quibus agimus, nō sunt desperādi: adhuc enim sunt in corpore. sed non quærāt Spiritum sanctum, nisi in Christi corpore, cuius habent foris sacramentum, sed rem ipsam non tenent intus, cuius est illud sacramentum: & ideo sibi iudicium manducant & bibunt. Vnus enim panis sacramentum est vnitatis: quoniam sicut Apostolus dicit, Vnus panis, vnum

1. Cor. 10

corpus multi sumus. Proinde Ecclesia catholica sola corpus est Christi, cuius ille caput est Saluator corporis sui. Extra hoc corpus neminē viuificat Spiritus sanctus: quia sicut ipse dicit Apostolus, Charitas Dei diffusa est in cor-

Roman. 5.

dibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Non est autem particeps diuinæ charitatis, qui hostis est vnitatis. Non habent itaque Spiritum sanctū, qui sunt extra Ecclesiam. De illis quippe scriptum est, Qui seipsos segre

Iudæ 1.

gāt animales, Spiritum non habentes. Sed nec ille eū percipit, qui fictus est in Ecclesia & quo modo deinde scriptum est, Sānctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fictum. Qui ergo vult habere Spiritū, caueat foris ab Ecclesia remanere, caueat in eam simulatè intrare. Aut si iam talis intrauit, caueat in eadem simulatione per sistere, vt veraciter coalescat arbori vitæ.

Ad Sixtum, Epist. CV.

Sine Spiritu Sancto nihil possumus.

Sicut ergo nemo rectè sapit, rectè intelligit, rectè consilio ac fortitudine prævalet, nemo scienter pius est, vel piè sciens, nemo timore casto Deum timet, nisi acceperit Spiritum sapientiæ & intellectus, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis, & timoris Dei. nec habet quisquam virtutem veram, charitatem synceram, cōtinentiam religiosam, nisi per Spiritum virtutis & continentiæ: ita sine Spiritu fidei non rectè quispiam crediturus, nec sine Spiritu orationis salubriter oraturus. Non quia tot sunt spiritus, sed omnia hæc operatur vnus

1. Corin. 12.

idem Spiritus, diuidēs propria vnicuique prout vult, quia Spiritus vbi vult spirat. Sed quod

Ioan. 3.

fatendum est, aliter adiuuat nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nōndum inhabitans adiuuat vt sint fideles, inhabitās adiuuat iam fideles.

Ad Pascentium Epistola. CLXXIIII.

Proprio modo Spiritus dicitur Spiritus Sanctus

Proprio quodam modo Spiritus dicitur Spiritus sanctus, secundum quod refertur ad Patrem, & Filium, quod eorum Spiritus sanctus sit. Nam secundum substantiam, quoniam

Ioan. 4.

semel dictū est, Spiritus est Deus, & Pater Spiritus est, & Filius, & ipse Spiritus sanctus· nec tamē tres Spiritus, sed vnus Spiritus, sicut non tres dii, sed vnus Deus.

Ibidem post pauca.

Neque enim Spiritus sanctus, si aut Deus aut verus Deus non esset, templum eius essent corpora nostra. Nescitis, inquit, quia corpora

1. Corint. 6

vestra tēplū est Spiritus sācti, qui in vobis est, quē habetis à Deo? Et ne quisquā ipsū Spiritū negaret Deum, continuò secutus ait, Et non estis vestri iuris. Empti enim estis pretio ma-

gno: glorificate ergo & portate Deum in corpore vestro, eum scilicet, cuius templum corpora vestra esse prædixerat. Iam hoc mirabile est, si verum est quod vos audio dicere Arrianos, ita esse Spiritum sanctum minorem Filio, sicut Patre minor est Filius. Quum enim corpora nostra membra sint Christi, sicut dicit Apostolus, itémque corpora nostra tẽplum sint Spiritus sancti (sicut idem ipse dicit Apostolus) nimium miror, quomodo sint mẽbra maioris tẽplum minoris. An fortè iam placet dicere Spiritum sanctum Domino Iesu Christo esse maiorem? Videtur enim suffragari huic opinioni etiam illa sententia, Quòd qui dixerit verbum aduersus Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit aduersus Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. Periculosius enim peccatur in maiorem quàm in minorem. Nec separari fas est Filium hominis à Filio Dei: quia ipse Filius Dei factus est Filius hominis, non mutando quod erat, sed assumendo quod non erat. Sed absit à nobis etiam talis impietas, vt Spiritus sanctus maior Filio esse credatur.

Arriani Filiũ minorem Patre, Spiritum sanctum minorem Filio dicunt.

Matth.12.

In Psalmum CXLVII.

Quare non apparet modò Spiritus sanctus in linguis omnibus? Imò verò apparet in linguis omnibus. Tunc enim nondũ erat Ecclesia per orbem terrarum diffusa, vt membra Christi in omnibus gentibus loquerẽtur. Tunc implebatur in vno, quod prænuntiabatur in omnibus. Iam totum corpus Christi loquitur omnium linguis, & quibus nondum loquitur, loquetur. Crescit enim Ecclesia donec occupet omnes linguas, &c.

De fide ad Petrum, cap. XI.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Spiritum sanctum, qui Patris & Filii vnus est Spiritus, de Patre & Filio procedere. Dicit enim Filius, Quum venerit Spiritus veritatis, qui à Patre procedit. vbi suum Spiritum esse docuit, quia ipse est veritas. De Filio quoque procedere Spiritum sanctũ, Prophetica atque Apostolica doctrina nobis commendat. Esaias enim de Filio dicit, Percutiet terram virga oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium. De quo & Apostolus ait, Quem interficiet Dominus Iesus Spiritu oris sui. Quẽ etiam ipse vnicus Dei Filius Spiritum oris sui esse significans, post resurrectionem suam insufflãs in discipulos ait, Accipite Spiritum sanctum. De ore verò ipsius Domini Iesu, ait Ioãnes in Apocalypsi, Quia gladius vtraque parte acutus procedebat. Ipse verò Spiritus oris ius, ipse est gladius, qui de ore eius procedit.

Spiritus sanctus de Patre & Filio procedit.

Ioannis 14 & 15.

Esaiæ 11.

2. Thessal. 2.

Ioannis 20. Actorum 1. Apocal. 1.

De cognitione veræ vitæ, Cap. XVIII.

Sancti Spiritus substantia non in columbam vel ignem est transmutata, sicut nec Verbi in carnem est transformata: sed Spiritus sanctus columbæ corpus condidit, in quo se ad horam super corpus sibi inseparabiliter vnitum, ad testimonium hominibus visibilem præbuit: ipse verò inuisibilis in essentia Patris & Verbi inseparabiliter mãsit; animas quoque discipulorum interius possidens, foris speciem ignis vel luminis oculis hominũ pro signo exhibuit, & tamen à substantia Patris & Filii nõ recessit: profectò insinuans quòd Pater & Filius per eum peccata consumunt, & in eorum amorem hominum corda per ipsum accendũt, & quòd impios per eum iudicabunt, iustos verò lumine vitæ in ipso glorificabunt.

Matth. 3. Sancti Spiritus substantia, non est in columba vel igne transmutata.

Libro III. de Mirabilibus sacræ Scripturæ, cap. V.

Quanuis verò corporali specie Spiritus sanctus super Dominum descendere dicitur, non tamen de auibus sumpsisse columbam, sed ex aere minimè dubitatur. Nequaquam enim ex auibus Spiritum sanctum necesse fuit corpus assumere, dum aues sibi connexæ, in nullo trãsgressæ legem naturæ. sed si in aliquo trãsgrederẽtur, in hoc tanti meriti trãsgredi non haberent, vtpote nec æterna, nec rationabili creatura, vt à Spiritu assumptione carnis à delictis soluerentur.

Matth. 3. Spiritus sanctus non ex auibus sumpsit columbam.

Lib. I. de Symbolo ad Catechumenos, cap. V.

Sequitur in Symbolo, Et in Spiritum sanctum. Ita Trinitas vnus Deus, vna natura, vna substantia, vna potẽtia, summa æqualitas, nulla diuisio, nulla diuersitas, perpetua charitas. Vultis nosse quòd est Deus Spiritus sãctus? Baptizabimini, & templum eius eritis. Apostolus dicit, Nescitis quia corpora vestra tẽplum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?

Templum Spiritus sancti.

1. Corinth. 6.

Libro II. de Symbolo ad Catechumenos, cap. IX.

Secundum rectam autẽ verámque doctrinam, quẽadmodum nõ est Filius Patre maior (quia Filio apparuit in homine, Pater in igne) sic non est Spiritus sanctus minor Filio, quia in specie apparuit colũbæ, diuina illa substantia Trinitatis, manẽs in seipsa, sicuti est, vt innouaret perdita, nostrámque restauraret ruinam, pro captu hominum & pro congruentia cuiuslibet rei se inuisibiliter demonstrauit, vnitatem, æqualitatémque suam non amisit. In igne Deus, sed non est ignis. in homine Filius, sed non hoc solùm quod videbatur erat: erat & quod latebat.

Substantia Trinitatis se inuisibiliter demonstrauit.

De incarnatione Verbi, lib. I. cap. I.

Verè enim Christus & à mortuis resurrexit, & post resurrectionem cõuersatus cum discipulis, assumptus est. Tum demũ natura, honore ac dignitate Patri ac Filio sociatum tradiderunt Spiritum sanctũ. Sanè quòd iste Spiritus sanctus vnũquenque Sanctorum vel Prophetarum vel Apostolorum inspirauerit; & in non alius Spiritus in veteribus, alius verò in his qui in aduẽtu Christi inspirati sunt, fuerit: manifestè

Spiritus sanctus discipulis datus & Prophetis.

manifestè in Ecclesia prædicatur.

De Trinitate & vnitate, cap. I.

Spiritus sanctus discipulis datus & Prophetis.

Spiritum sanctum neque genitum fides recta declarat: quia si dixerimus ingenitum, duos patres affirmare videbimur. Si autē genitum, duos filios credere culpamur. Sed quod certasi des tenet, nec ingenitus est, nec genitus, sed ab vtroque procedens, id est, & à Patre & à Filio. Et vt hoc testimoniis approbemus, ipsum Dominum nostrum Iesum Christum audi ad A-

Ioannis 15. postolos dicentem, Quum venerit, inquit, paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Et rursus ipse Dominus Iesus Christus, post resurrectionem suam, vt ostenderet à se procedere Spiritum sanctū, sicut & à Patre, insufflans in discipulos

Ioannis 20. suos, ait, Accipite Spiritum sanctum. Vnus ergo est Spiritus Patris & Filii, vnus amborum Spiritus. Igitur quòd Patris sit Spiritus, ipse Dominus & Saluator noster discipulis suis

Matth. 10. ait, Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Et quòd idem & Filii sit Spiritus, Paulus Apo-

Roman. 8. stolus testis est. Si quis autē, inquit, Spiritum Christi non habet, hic non est eius.

Ibidem, cap. III.

Spiritus sanctus nō columbam assumpsit sicut Filius humanam naturam.

Nō enim sicut Filius hominem assumpsit, vt in æternum permaneat: sic Spiritus sanctus columbam vel ignem. sed illæ factæ visiones de creatura inferiore ad manifestandū Spiritum, esse postea destiterunt. Nunquam enim illa incomprehensibilis incommutabilisque diuinitas, quæ est Trinitas Deus, ab oculis carnalibus videri potest, nisi vt dictum est, per subiectam creaturam.

Eodem cap. post pauca.

Spiritus sanctus quomodo pro nobis interpellare dicatur Roman. 8.

Quid sit autem quòd Spiritus sanctus pro nobis interpellare dicitur, quod dicit Paulus ad Romanos scribens, Nam quid oremus, sicut oportet nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus: quia secundum Deum postulat pro Sanctis. Modus iste locutionis, qui frequenter in Scripturis sanctis inuenitur, est, sicut Deus di-

Gene. 22. cit ad Abraham, Nunc cognoui quoniam timeas Dominum, hoc est, cognoscere te feci,

Galat. 4. sicut dicit Apostolus, Nunc cognoscentes Deum, imò cogniti à Deo. Nempe omnia in præsentia Dei sunt antequam fiant, præsentia sunt futura, & quæ iam facta sūt: quomodo dicit Cogniti à Deo, nisi faciente Deo vt cognoscamus Deum, sicut & hîc scribitur Spiritum sanctum gemere pro nobis, id est, gemētes nos facere, infundendo nobis charitatem in Deum & proximum, sicut legitur, Lætus dies, quia lætos homines faciat? &c.

Ibidem in fine.

Spiritus sanctus non potest

Quanuis Spiritus sanctus apparuisset in specie columbæ vel ignis, nō possumus tamen dicere Spiritum sanctum, Deum & columbam, aut Deum & ignem, sicut dicimus Filium Dei & hominem. Propter has igitur corporales formas, in quibus apparuit Spiritus sanctus, missus dicitur, non propter has minor Patre dici potest: sicut Filius propter formā serui, quæ in hęsit illi ad vnitatē personæ perpetualiter. Illæ vero species corporales, vt est columba vel ignis, ad demonstrandum quod opus fuit, ad tempus apparuerūt, & esse postea destiterunt. Nonne apparere debuerunt creaturæ sicut oportuit, seruiētes Creatori ad nutum eius, qui incommutabiliter in seipso permanet, ad eum significandum & demonstrandum, sicut significari & demonstrari mortalibus oportebat, mutatæ atque conuersæ?

Deus columba, vel Deus & ignis

Eodem libro, cap. IIII.

A quibusdam dubitari solet an Spiritū sanctum habuerūt Apostoli, illo tempore quo fuerunt cum Christo Domino: secūdum quod Euangelista dicit, Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Et in alio loco ait, Si diligitis me præcepta mea seruate: & ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, vt vobiscum sit in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, neque cognoscit eum. vos autem videtis eum, & cognoscitis eum, quia apud vos manet & vobiscum est. Et etiam post resurrectionem suam legitur insufflasse & dixisse discipulis, Accipite Spiritū sanctum. In Pentecoste verò legitur Spiritus sanctus in Apostolos descendisse. Ad hæc dicendum quia vnus Spiritus est, sed dona habet multa. Non est dubium, quin Spiritus sanctus erat cum eis: quia vbi Christus est, Spiritus sanctus est. Et quia venturum Spiritū sanctum à Patre promiserat Christus, non defuit in hoc indifferens eius diuinitas,

Ioan. 7.

Ioan. 14.

Varia dona Spiritus sancti.

Ioan. 20.

Ibidem.

Spiritus sanctus tria officia dedit Apostolis.

Trium officiorū formę doni Spiritus sancti in Apostolis sunt ostensæ. Quarum prima hęc est, quæ ad ius Ecclesiasticum pertinet in regerādis. Ecclesiastica potestas intelligitur esse in officiis Episcoporum & Sacerdotum, qui omnia in traditione dominica per Spiritum sanctum agere debent. Vnde illis dicit Iesus, Quorum tenueritis peccata, tenebūtur, & quo-

Ioan. 20. rum remiseritis, remittuntur eis. Secunda est, quæ in Pentecoste data est, quæ generalis est. Non solùm enim in Apostolos, verum etiam in omnes credentes decidit Spiritus sanctus. Tertia forma est, quæ solum Apostolis vel ordinatis in initio concessa est, in signis ac virtutibus faciendis, vsquedum fidei semina iacerentur ad incrementū. Semina enim fidei sunt virtutes per Apostolos factæ. Ipsi enim Apostoli Antistites positi sunt huiusmodi veritatis, qui per signa & prodigia rationabilem esse fidem nostram testātur. Igitur Spiritus sāctus datur omnibus generaliter credentibus: sed si

manet in eis: in signis verò & prodigiis filii Dei esse probantur. Etiam Spiritus sanctus nō manet quandoque in homine, sed vocatus aduenit, vt suggerat necessaria & recedat. Similiter & in traditione vel ordinatione deforis gratiam & tuitionem præstat deuotis fidei, vt cōmendatiores habeantur per inspirationē eius.

Eodem lib. cap. XII.

Opus Spiritus sancti.

Glorificare, honorificare, ac clarificare, tria quidem verba, sed res vna est. Proinde adorare Filium in Spiritu sancto etiam nos docemus. Spiritus sancti enim opus est, & diligētia sanctificare, & sanctos custodire, & non solùm rationabilia, sed etiam irrationabilia plura sanctificare: & etiā eos qui ceciderunt propter suam negligentiam, ad pristinum statum reuocare, ignorātes docere, obliuiscentes admonere, peccantes arguere, errantes ad viam veritatis perducere, pigros hortari de salute sua cogitare, & solicitè agere, & infirmos curare, & fragilitatem corporis per alacritatem animæ continere, & ad amorem pietatis & castitatis confirmare, & omnes illuminare. Super omnia fidem ac charitatem præbet singulis: pro studio quoque & diligentia, pro syncerita te & simplicitate mentis, pro mensura fidei, & merito conuersationis, gratiam ad vtilitatem vult diuidere, & vnusquisque in quo opere & proposito fuerit habilis, in ipso eum vult ordinare facto. Hæc quidem Spiritus sanctus facit: sed absit vt hæc sine Filio faciat.

De singularitate clericorum, cap. XXIIII.

Munit Spiritus sanctus, qui delictis renuntiant.

Accipimus quidem fortitudinem spiritalem, per quam substantiæ nostræ fragilitas roboretur. sed ita nobis spiritalis fortitudo collata est, vt prouidos nos non præcipites tueatur, vt illos muniat qui renuntiant importunitatibus delictorum, non eos qui se magis importunis delictis immergunt.

Ibidem.

Custos nobis datus est Spiritus.

Custos nobis datus est Spiritus, sed vt contraria declinantibus assistēdo subueniat, non vti contraria eligētibus faueat: nec vt voluntarios & pronos in aduersa confortet, sed vt ab aduersis intentos separari, confirmet. Nam quicunque pernicioſis conatibus audet exercere virtutem, iuuamen non habet Spiritus sancti, qui neminem vult vltroneū virum fortem ad fraudulentas victorias coarctari, nec proteget eum. quinimo deserit quem periculis irruentem per illicitos euentus exquirere triumphos agnouerit: sicut ipse iam tunc per Salomonem locutus est, dicens, Amans periculum in ipso peribit. Ordine igitur suo, non nostro arbitrio virtus Spiritus sancti administratur. Et secundū institutum eius prælia prosperātur. Nunquam nisi præcipitans exercitus cecidit, qui auidus fortiter facere, ducis vel imperatoris sui dispositiones irrumpit. Multò magis perituram erogat fortitudinem, qui sine armis doctrinæ magistri Spiritus præsumpserit triumphare, quum dicat, Væ qui per præsumptionem suam aliquid faciunt, nō per Deum.

Ecclē. 3.

De blasphemia in Spiritum sanctum, Cap. VII.

Charitate colligimur in vnū

Quod ergo commune est Patri & Filio, per hoc nos voluerunt habere communionē, & inter nos & se, quum illud donum nos colligere in vnum, quod ambo habēt in vnum, hoc est, per Spiritum sanctum Deum, & donū Dei. In hoc enim reconciliamur diuinitate, cáque delectamur. Nam quid nobis prodesset quidquid boni nossemus, nisi etiā diligeremus? Sicut autem veritate discimus, ita charitate diligimus: & vt plenius cognoscamus, & beati cognito perfruamur, charitas porrò diffusa est *Roman. 5.* in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, &c.

Ibidem lz.

In Spiritu enim sancto, quo in vnum Dei populus cōgregatur, eiicitur spiritus immundus, qui in seipsum diuisus est. Contra hoc donum, contra istam Dei gratiam loquitur cor impœnitens. Ipsa ergo impœnitentia, Spiritus est blasphemia, quæ non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro. Contra Spiritum sanctum, quo baptizātur, quorum peccata omnia dimittuntur, & quem accepit Ecclesia, vt *Roman. 2.* cui dimiserit peccata, dimittantur ei: verbum valde malum, & nimis impium, siue cogitatione, siue etiam lingua sua dicit, quem patientia *Impœnitentia remissionem nunquā habet. Matth. 3.* Dei, quum ad pœnitentiam adducat, ipse secundum duritiam cordis sui, & cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicii Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius. Hæc ergo impœnitentia (sic enim vno aliquo nomine possumus vtcunque appellare & blasphemiam & verbum contra Spiritum sanctum) remissionem non habet in æternum.

Ibidem M.

Non ergo propterea quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittitur ei, quia in Trinitate maior est Filio Spiritus sanctus: quod nullus vnquā vel hæreticus dixit. Sed quoniam quisquis restiterit veritati, & blasphemauerit veritatem, qui est Christus, etiam post tantā sui prædicationem, vt apud homines Verbum caro fieret & habitaret in nobis, quod est Filius hominis, id est, ipse Christus: si non dixerit verbum illud cordis impœnitentis contra Spiritum sanctum, de quo dictum est, Qui non renatus fuerit ex aqua & Spiritu: & de quo item dictum est, Accipite Spiritum sanctum, Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei: id est, si pœnituerit eum, accipiet per hoc donum remissionem peccatorum: simul & huius, quòd verbum dixit contra Filium hominis: quia peccato ignorantiæ, siue contumaciæ, siue cuiuscunque blasphe-

Nullus hæreticorum Spiritū sanctum maiorē dixit Filio.

Ioan. 3. & 20

blasphemiæ, nõ addidit peccatũ impœnitẽtiæ cõtra donũ Dei, & gratiã regenerationis vel reconciliationis, quæ fit in Ecclesia Spiritu sancto.

Ibidem in fine.

Societas Spiritus in vinculo pacis custodiẽda est.

Vnum ergo suffugium est, ne sit irremissibilis blasphemia: cor impœnitẽs caueatur, necaliter pœnitentia prodesse credatur, nisi vt teneatur Ecclesia, vbi remissio peccatorum datur, & societas Spiritus in pacis vinculo custoditur.

Libro XI. de ciuitate Dei, Cap. X.

Alius est Spiritus sanctus quam Pater & Filius.

Quod enim de simplici bono genitum est, pariter simplex est, & hoc est quod illud de quo genitum est. quæ duo Patrem & Filium dicimus, & vtrunque hoc cum Spiritu sancto vnus est Deus, qui Spiritus Patris & Filii, Spiritus sanctus propria quadam notione huius nominis in sacris literis nuncupatur. Alius est autem quàm Pater & Filius: quia nec Pater est nec Filius. Sed alius dixi, non aliud: quia & hoc pariter simplex, paritérque bonum est incõmutabile & coæternum. Et hæc Trinitas vnus est Deus.

Libro XVIII. Cap. I.

Actorum 1.

Actorum 2.

Conuersatus est in terra quadraginta dies cum discipulis suis, atque ipsis videntibus ascendit in cælum, & post dies decem promissum Spiritum sanctum misit Patris sui. Cuius aduenientis in eos qui crediderant, tunc signum erat maximum, & maximè necessariũ,

Quid sibi vult quod Apostoli linguis omniũ gentium locuti.

vt vnusquisque eorum, linguis omnium gentium loqueretur, ita significans vnitatem catholicæ Ecclesiæ, per omnes gentes futuram, ac sic linguis omnibus locuturam.

De ciuitate Dei, libro XV. Cap. VI.

Spiritus autem sanctus operatur intrinsecus, vt valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinsecus.

De fide & Symbolo, Cap. IX.

Dicitur Spiritus sanctus donum Dei, & Deus creditur.

De Spiritu sancto autem non tantùm copiosè ac diligenter disputatum est à doctis & magnis diuinarum Scripturarũ tractatoribus, vt intelligi facilè possit eius propriũ, quo proprio sit, vt eum neque Filium, neque Patrem, dicere possimus, sed Spiritum sanctum: nisi quòd eum donum Dei esse prædicant, Deum credimus nõ seipso inferius donum dare: seruant tamen, vt non genitum Spiritum sanctũ, tanquam de Patre prædicent (vnicus enim est Christus) neque de Filio, tanquam nepotem summi Patris: nec tamen id quod est nulli debere, sed Patri ex quo omnia, ne duo constituamus principia, sine principio: quod falsissimum est & absurdissimum, & non catholicæ fidei, sed quorundam hæreticorum errori proprium.

Expositionis Epistolæ ad Romanos inchoatæ.

Quis peccat in

Nam siquis per inuidiam opera blasphemat: quoniam bonis Dei, hoc est, donis Dei, malitia sua resistit: in Spiritum sanctum peccare, & propterea spem veniæ non habere existimandus est.

Spiritum sanctum.

Ibidem III.

Quid est verbũ dicere in Spiritum sanctum.

Verbum enim dicere in Spiritum sanctum, non ita videtur hîc positum, vt tantummodo illud intelligatur, quod per linguam fabricamus: sed quod corde conceptum, etiam opere exprimimus. Sicut enim non confitétur Deum, qui tantùm oris sono confitentur, non etiam bonis operibus: nam de his dictum est, Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant. Ex quo manifestum est dici aliquid factis, sicut manifestum est negari aliquid factis. Et sicut illud quod ait Apostolus, Nemo dicit Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto: non potest rectè intelligi, nisi in factis dicere intelligatur.

Tit. 1.
1. Corinth. 12.

In libro octoginta trium Quæstionum, Quæst. LXII.

Ioannis 4.
An discipuli dederint baptizatis Spiritum sanctum.

Quæritur vtrum qui baptizati sunt illo tempore quo scriptum est, Dominum per discipulos suos baptizasse plures quàm Ioannes, acceperunt Spiritum sanctum. Alio enim loco Euangelii sic dicitur, Spiritus enim nondum erat datus, quia Iesus nondum erat clarificatus.

Ioannis 7.

Ibidem responsio.

Quomodo manifestius datus Spiritus.

Spiritus sanctus latenter dabatur ante Domini clarificationem: post manifestationem autem diuinitatis eius manifestius datus est. Et hoc dictum est, Spiritus autem nondum erat datus, id est, nondum sic apparuerat, vt omnes eum datum esse faterentur.

Ioannis 7.

Post pauca ibidem.

Spiritus datus erat ante Christum glorificatum.

Nam si non erat in hominibus Spiritus sanctus, ante Domini visibilẽ clarificationẽ, quomodo dicere potuit Dauid, Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me? aut quomodo impleta est Elizabeth & Zacharias vir eius, vt prophetarent: & Anna & Simeon, de quibus omnibus scriptum est, quòd impleti sunt Spiritu sancto, & illa quæ in Euangelio legimus dixerunt? Vt autem quædam latenter, quædam verò per creaturam visibilem visibiliter Deus operetur, pertinet ad gubernationem prouidentiæ, qua omnes diuinæ actiones locorũ temporúmque ordines distinctione pulcherrima peraguntur: quum ipsa diuinitas nec teneatur, nec migret locis, nec tendatur varietúrve temporibus.

Psalm. 50.

Luca 1. & 2.

Viginti vnius sententiarum, sententia XXI.

Peccans in Spiritum venia caret.

Manifestum est in Spiritum sanctum peccantem veniam habere non posse: nam vindicatur. Quum enim affligitur in ipsa pœnitentia, punit peccatum, & soluit vindictam. non ergo dimittitur, quia punitur.

Contra Epistolam Manichæi, quam

vocant fundament. Cap. X.

Quare bis datus Spiritus sanctus.

Propter geminam Christi clarificationẽ, secundum hominem, & secundum Deum, bis etiam datus est Spiritus sanctus. semel postquã resurrexit à mortuis, quum insufflauit in faciẽ discipulorum, dicens, Accipite Spiritum sanctum. Et iterum postquam ascendit in cælum, decem diebus transactis, qui numerus perfectionem significat, cùm septenario numero, quo condita vniuersa consistunt, additur Trinitas Conditoris, &c.

Ioannis 20. Actorum 2.

De agone Christiano, Cap. XX.

Spiritus sanctus quare non natus de colũba.

Quare autem Spiritus sanctus non est natus de columba, quemadmodum Christus de fœmina? Illa causa est, quia non columbas liberare venerat Spiritus sanctus: sed hominibus significare innocentiam & amorem spiritalem: quod in colũbæ specie visibiliter figuratũ est.

Ibidem in fine.

Spiritus sanctus non apparuit hominibus fallaciter.

Neque hoc ita dicimus, vt Dominum Iesum Christum dicamus solum verum corpus habuisse, Spiritum sanctum autem fallaciter apparuisse oculis hominum: sed ambo illa corpora vera corpora credimus. Sicut enim non oportebat vt homines falleret Filius Dei, sic non decebat vt homines falleret Spiritus sanctus: sed omnipotenti Deo, qui vniuersam creaturam de nihilo fabricauit, non erat difficile verum corpus columbæ, sine aliarum columbarum ministerio figurare: sicut & non fuit difficile verum corpus in vtero Mariæ sine virili semine fabricare: cùm creatura corporea, & in visceribus fœminæ ad formandum hominem, & in ipso mundo ad formandam columbam, imperio Domini voluntatiq; seruiret. Sed stulti homines & miseri, quod aut ipsi facere nõ possunt, aut in vita sua nunquam viderunt, etiam ab omnipotente Deo fieri posse non credunt.

Eodem libro, Capite XXVIII.

Ioannis 14. Actorum 9. Spiritus sanctus nõ in priuata persona solus venit.

Nec eos audiamus qui dicunt Spiritum sanctum, quem in Euangelio Dominus promisit discipulis, aut in Paulo Apostolo venisse, aut in Montano, aut Priscilla, sicut Cataphryges dicunt: aut in nescio quo Manite, vel Manichæo, sicut Manichæi dicunt. Tam enim cæci sunt isti, vt Scripturas manifestas non intelligant, aut tam negligentes salutis suæ, vt omnino non legant. Quis enim quum legerit non intelligit, vel in Euãgelio quod post Domini resurrectionem scriptũ est, dicẽte Domino, Ego mittam promissum Patris mei in vos. vos autem sedete in ciuitate, quousque induamini virtute ab alto? Et in Actibus Apostolorũ, posteaquã Dominus abscessit à discipulorum oculis in cælum, decẽ diebus peractis, die Pentecostes, non attendunt apertissimè venisse Spiritum sanctum, & quum essent illi in ciuitate sicut eos antè monuerat, impleuisse illos, ita vt loquerẽtur variis linguis. Nã diuersę nationes quæ tunc aderãt, vnusquisque audientium suam linguam intelligebant.

Luce 24.

Actor. 1. & 2.

Libro III. De doctrina Christiana, Cap. VI.

Vnum Deum venerati capaces Spiritus sãcti fuerunt.

Sed qui crediderunt, ex quibus facta est prima Ecclesia Hierosolymitana, satis ostẽderũt quanta vtilitas fuerit, eo modo sub pædagogo custodiri, vt signa quæ tẽporaliter imposita erant seruientibus ad vnius Dei cultum, qui fecit cælum & terram, opinionem obseruantium religarent. Namque illi quia proximi spiritualibus fuerunt: in ipsis enim tẽporalibus & carnalibus vocibus atque signis, quanuis quomodo spiritualiter essent intelligenda nescirent, quia vnum tamen didicerant venerari æternum Deum, tam capaces extiterunt Spiritus sancti, vt omnia sua venderent, eorúmque pretium indigentibus distribuendum ante Apostolorum pedes ponerent, séque totos dedicarent Deo, tanquam templum nouum, cuius terrenæ imagini, hoc est, tẽplo veteri seruiebant. Non enim hoc vllas Ecclesias Gentium fecisse scriptum est: quia non tam prope inuenti erãt, qui simulachra manufacta Deos habebãt.

De correctione Donatistarum ad Bonifacium, Cap. XXX.

Extra Ecclesiam nemineꝫ viuificat Spiritus.

Rom. 5.

Iud. 1.

Sapi. 1.

Proinde Ecclesia catholica, sola corpus est Christi, cuius ille Saluator corporis sui caput est. Extra hoc corpus neminem viuificat Spiritus sanctus, quia sicut ipse dicit Apostolus, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Non est autem particeps diuinæ charitatis, qui hostis est vnitatis. Non habent itaque Spiritum sanctũ, qui sunt extra Ecclesiam. De illis quippe scriptum est, Qui seipsos segregant, animales, Spiritum non habentes. Sed nec ille eum percipit, qui fictus est in Ecclesia. Et quoniam deinde scriptum est, Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fictum. Qui ergo vult habere Spiritum sanctum, caueat foris ab Ecclesia remanere, caueat in eam simulatè intrare, &c.

De præsentia Dei ad Dardanum, Cap. XII.

In paruulis etiam Spiritus sanctus habitare creditur.

1. Cor. 3.

1. Cor. 2.

Dicimus ergo in baptizatis paruulis, quãuis id nesciant, habitare Spiritum sanctum. Sic enim eum nesciunt, quanuis sit in eis, quẽadmodum nesciunt & mentem suam, cuius in eis ratio, qua vti nõdum possunt, velut quædam scintilla sopita est, excitãda ætatis accessu. Neque hoc in paruulis mirum debet videri, cùm Apostolus quibusdam etiam maioribus dicat, Nescitis quia templũ Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? de qualibus paulo antè dixerat, Animalis autẽ homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. quos etiam paruulos vocat, non carnis ætate, sed mentis. Non itaque percipiebant cognitione Spiritum sanctum, qui habitabat in eis, & habitante in se Spiritu sancto, adhuc animales, nondũ spiritales erant: quia nondum poterant inhabitatorem suum Spiritum cognitione percipere. Habitare

tare autem ideo & in talibus dicitur, quia in eis occultè agit, vt sint templum eius, idque in proficientibus, & proficiendo perseuerantibus proficit.

Ibidem, Cap. XIII.

Prærogatiuæ manentium in vnitate corporis Christi. Philip. 3.

Hos enim tales homines, si etiam antequã perueniant ad spiritualem mentis ætatem, vbi non lacte alantur, sed solido cibo, dies vitæ huius extremus inuenerit, perficiet in eis habitator illorum, quidquid hic intelligentiæ minus habuerunt: quoniam & ab vnitate corporis Christi, qui nobis via factus est, & à templi Dei societate non recesserunt. Vnde vt non recedant, regulam fidei pusillis magníque cõmunem in Ecclesia perseueranter tenent, & in quod peruenerunt, in eo ambulant, donec eis Deus reuelet, si quid aliter sapiunt. cogitationes suas carnales non dogmatizant: quia non obdurãt contentiosis defensionib⁹ immanendo: sed quodammodo ambulando, id est, proficiendo desudant, intelligentiæ perspicuitatem impetrantes per fidei pietatem.

Contra sermonem Arrianorum, Cap. XIX.

Consolator Spiritus sanctus, Deus dicitur à Paulo.

Consolatorẽ verò (quod officium tanquã personæ infimæ in illa Trinitate, isti Spiritui sancto deputãt) Deũ dicit Apostolus, sicut in Epistola eius legimus ad Corinthios, Is qui cõsolatur humiles, consolatus est nos Deus in præsentia Titi. Sanctorum ergo Deus est consolator: ipsi quippe sunt humiles. Vnde tres viri illi in camino dicunt, Benedicite Sancti & humiles corde Dominum. Deus est itaque Spiritus sanctus, qui consolatur humiles.

2. Corinth. 7.

Daniel. 3.

Ibidem, Cap. XX.

Quàm absurdum dicere Spiritum minore Filio.

Iam illud quod ideo Spiritum sanctum Filio minorem Arriani conãtur ostendere, quòd iste sit illius tãquam iudicis aduocatus, etiam homines sanctos eidem mira cæcitate præponunt, de quibus ait idem Dominus, Sedebitis super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel. Ibi respondeant quid erit Spiritus sanctus, cum Filio iudex, an apud homines etiam iudices aduocatus? Absit autem ista à fideli corde væcordia, vt sit iudicibus minor, aduocatus Spiritus sanctus, quum illi vtique vt iudices sint, repleantur Spiritu sancto, secundum quem viuentes, fiunt spiritales. Spiritalis enim omnia iudicat.

Matth. 19.

1. Corinth. 3.

Contra eundem, Cap. XXII.

Nusquam legitur Spiritus sanctus subditus Filio.

Filius, inquiunt, minister est Patris, Spiritus sanctus minister est Filii: nec attendunt quòd isto modo meliores faciunt Spiritu sancto Apostolos sanctos: qui quũ se Dei ministros esse dicunt, non eos isti vtique etiam Dei Patris ministros negabunt. Eius quippe ministri facti sunt, in cuius nomine etiã baptizauerunt, id est, Patris & Filii & Spiritus sancti. ac per hoc secundum istorum vaniloquia meliores erunt Trinitatis ministri, si propterea minor est Spiritus sanctus, quia solius minister est Filii. Legitur itaque in Scripturis sanctis Filius subditus Patri. Non autem dicit Scriptura alibi Spiritum sanctum subditum Filio.

Luc. 2. Philip. 2.

Libro II. contra aduersarium Legis & Prophetarum, Cap. III.

Roman. 1. Ante aduentũ Christi Spiritus sanctus fuit in Patribus.

Sed fieri non potuit, inquit, vt à Iudæorum Prophetis, Saluatoris nostri prænũtiaretur aduẽtus. Cur fieri non potuit, quũ dicat Apostolus, Quia credita sũt illis eloquia Dei? Sed ante Saluatoris aduentum, inquit, Spiritus sanctus ac diuinus non erat super terram. Hoc vanitas nõ veritas loquitur. Nã quo nisi Spiritu sancto Prophetas suos Dominus impleuit? de quibus in Epistolæ exordio dictum est ad Romanos, quod & suprà commemoraui, Paulus seruus Christi Iesu, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelio Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis, de Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.

Roman. 1.

Post pauca ibidem.

Dauid de Christo pro Spiritũ sanctum protestatur. Psalm. 109.

Quis erat qui dixit, quod ipse Christus de se testatur esse prædictum, Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum? Et hoc Dauid in Spiritu dixisse confirmat: quem Spiritum negat iste fuisse super terram, ante Domini aduentum, &c

Quæstionum veteris & noui Testamenti, quæst. CXXIII

Habere Spiritum sanctum vltra naturam & perfectionem hominis.

Spiritum sanctum habere vltra naturam & perfectionem hominis est, vt possit quæ Dei sunt. ac per hoc in veteribus Sanctis, nõ ita fuit Spiritus sanctus sicut nũc est in fidelibus: quia exeũtes de hoc seculo apud inferos erãt. Ait enim Deus, In nouissimis diebus effundam Spiritum meum super omnem carnem, &c. Et Apostolus inter alia, Quum autem apparuerit, inquit, benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, &c.

Ioelis 2.

Tit. 3.

Ibidem.

Spiritus sanctus quomodo cum patribus fuit.

Cum Prophetis ergo & iustis viris sanctũ fuisse Spiritum, non est ambiguum: cum Prophetis propter dispensationem: cum iustis verò causa sanctitatis, sicut legitur de sancto Simeone, Quia Spiritus sanctus, inquit, erat cum eo. non vt signum esset adoptionis in eo, sed meritorum eius gratia. Nam filii Dei credentes tunc esse cœperunt, quando manifestatus est Filius Dei victa morte, cunctæ creaturæ. Si autem in Adam vel in cæteris, sic dicatur fuisse Spiritus sanctus sicut nunc est in fidelibus, quæ noua dona dedit Deus, quum regnũ Filii sui dedicauit in nobis? Et quomodo felix & beatum tẽpus præ cæteris dicitur Saluatoris aduentus, si ea præstitit quæ iam fuerunt præstita? Et vbi est illud quod dicit Saluator ad discipulos, Multi, inquit, Prophetæ & iusti cupierũt videre quę videtis, & audire quę auditis, & nõ audierũt? Qua ratione ergo poterit dici, quòd beatitudo temporis huius nihil amplius

Luc. 2.

Beatitudo temporis huius non confert fidelibus quam fuerunt patribus.

Matth. 13.

contulit doni, quàm veteribus est collatum? Quod quidē ad iniuriam proficit Saluatoris, vt nihil habuerit nouum quod in ortu imperii sui susciperentibus se donaret,& c.

Eodem libro,quæst.CXXV.

Eusebii error

Memini in quodam libello Eusebii, quondam egregii in reliquis viri,legisse, quia nec Spiritus sāctus sciat mysteriū natiuitatis Domini nostri Iesu Christi: & admiror tantæ doctrinę virum hanc maculam Spiritui sancto inflixisse.hoc enim dicens degenerem illum significauit. Neque enim potest dici de Deo esse,si nescit quæ Dei sunt: quia inferior natura, quod in potentiore fit,nescit. Sin verò substantiæ est eiusdem & diuinitatis, quomodo potest nescire quæ sua sunt? Denique Filius Dei

Ioan.10. Quia ego, inquit, & Pater vnū sumus, ꝓpter vnitatem substantiæ:non immeritò adiecit di-

Ioan.16. cens, Omnia quæ Patris sunt,mea sunt,& quæ mea,Patris sunt. Quamobrem si Spiritus sanctus eiusdem diuinitatis est, qua ratione segregatur, ne sit eiusdem scientiæ, quum eiusdem non negetur esse substantiæ? Quod plus est concesserit, quod minus est renuens,&c.

Libro III.contra Maximinum Arrianorum Episcopum,Cap. XXI.

1.Corin.6. Nescitis quia corpus vestrum templum in vobis Spiritus sancti est, quem habetis à Deo, & non estis vestri iuris? Empti enim estis pretio magno: continuò secutus adiunxit, Glorificate ergo Deum in corpore vestro. vbi dilucidè ostendit Deum esse Spiritum sanctum, glorificandum scilicet in corpore nostro tanquam in templo suo. Et quod Ananiæ dixit Apostolus Petrus, Ausus es mētiri Spiritui sancto? Atque ostendens Deum esse Spiritum sanctum, Non es,inquit,hominibus mentitus,sed Deo.

Spiritus Sanctus Deus probatur per Paulum.

Act.5.

Ibidem.

Tam malè sentientes de Spiritu sancto,vt non ei tribuatis saltem quod tributū est Moysi famulo Dei, qui non munera gratiarum, sed plagarū prodigia in eodem Spiritu sācto(quia ipse est digitus Dei) Aegyptiis ingerebat,&

Exod.7 & 8. tamē Pharaoni Deus erat. Vbique adest Spiritus sanctus in æternam vitam regenerandis: & non est eis Deus? Imò verò est, & Deus verus est,quia Dei veri membra tēplum eius est: & vtique subiectum est templum illi, cuius est templum. Quomodo ergo Deus non est, cui sunt membra Dei subiecta?

Spiritus sanctus Deus demonstratur.

De inquisitione Trinitatis.C.

Interrogatur,vtrùm ad solam sancti Spiritus personam pertineat charitas, dum Apostolus dicit, Deus charitas est: qui dilectio Patris & Filii esse legitur. Responsio, Nullatenus ita Spiritus sācti charitas intelligitur, quasi non sit Pater & Filius charitas. Sicut Spiritus sanctus est charitas,ita & Pater est charitas,& Filius est charitas. Non tamē tres charitates, sed vna charitas. Sed quia Spiritus sācti donum

1.Ioan. 4.

Dei ꝓpriè dicitur, & nullū Dei donū charitate maius est: imò sine illo nullum donū ad perpetuā hominē poterit ducere beatitudinem: proinde Spiritus propriè dicitur charitas.

Spiritus sanctus cur dicatur charitas.

Lib.VI.de Trinitate,Cap.V.

Quapropter etiam Spiritus sanctus in eadem vnitate substantiæ & æqualitate consistit. Siue enim sit vnitas amborum, siue sanctitas, siue charitas: siue ideo vnitas,quia charitas,& ideo charitas, quia sanctitas: manifestum est quòd non aliquis duorum est,quo vterque cōiungitur,quo genitus à gignente diligatur,genitoremque suum diligat, sintque non participatione, sed essentia sua: neque dono superioris alicuius,sed suo proprio, seruantes v-

Ephes.4. nitatem Spiritus in vinculo pacis. Quod imitari per gratiam, & ad Deum & ad nos iubemur. In quibus duobus præceptis,tota Lex pē-

Matth.22. det & Prophetæ. Ita sunt illa tria Deus vnus, solus,magnus,sapiens,sanctus,beatus.

Spiritus sanctus enim Patris & Filii vnius est substantiæ.

In Euangelium Ioannis, Tractatu XXXII.

Credamus fratres, quantum quisque amat Ecclesiam, tantum habet Spiritum sanctum. Datus est enim Spiritus,sicut Apostolus dicit, ad manifestationem. Quam manifestationem? Sicut idem ipse dicit, Quia alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii donatio curationum in vno Spiritu, alii operatio virtutum in eodem Spiritu. Multa enim dantur ad manifestationem, sed tamen forsan horum omnium quæ dixi, nihil habes. Si amas, nonnihil habes: si enim amas vnitatem, etiam tibi habet quisquis in illa habet aliquid.

Vt quisque amat Ecclesiā, ita habet Spiritum.

1.Corinth.12.

Tractatu LXXIIII.in eundem.

Hic est vtique in Trinitate Spiritus sanctus, quem Patri & Filio consubstantialem & coæternum fides catholica confitetur. Ipse est, de quo dicit Apostolus, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctū, qui

Roman.5. datus est nobis. Quomodo ergo Dominus dicit,Si diligitis me,mandata mea seruate,& ego rogabo Patrem,& alium paracletum dabit vobis: quum hoc dicat de Spiritu sancto,quē nisi habeamus,nec diligere Deū possum°,nec eius mādata seruare? Quomodo diligimus,vt eum accipiamus, quem nisi habeamus,diligere non valemus? Aut quomodo mandata seruabimus, vt eum accipiamus, quem nisi habeamus,mandata seruare non possumus?

Quid credit fides catholica.

Fideles nihil possunt sine Spiritu.

Post pauca,responsio.

Restat ergo vt intelligamus Spiritū sanctū habere qui diligit,& habēdo mereri vt plus habeat, & plus habendo plus diligat. Iam itaque habebant Spiritum discipuli,quem Dominus promittebat, sine quo eum Dominū nos dicebāt,nec tamen eum adhuc habebāt, sicut eum Dominus promittebat. Et habebant ergo, & non habebant,qui quantum habendus fuerat,

non

Habuerũt Apostoli Spiritũ sanctum, & nõ habuerunt.

non habebant. Habebant itaque minus, dandus erat eis amplius. Habebant occultè, accepturi fuerant manifestè: quia & hoc ad maius donum Spiritus sancti pertinebat, vt eis innotesceret quod habebant.

Eodem tractatu.

Spiritus hominibus datur ad mensuram. Roman.12.

Quòd autem in vnitatem personæ Vnigeniti assumptus est homo, gratiæ est, nõ naturæ, confitente Euangelio atque dicente, Puer autem crescebat, & cõfortabatur, plenus sapientia: & gratia Dei erat in illo. Cæteris autem ad mensuram datur, & datus additur, donec vnicuique pro modo suæ perfectionis propria mẽsura cõpleatur. Vnde & monet Apostolus, non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad temperantiam, vnicuique sicut Deus partitus est mensuram fidei. Neque enim ipse diuiditur Spiritus, sed dona per Spiritum. Nam diuisiones donationum sunt, idem autem Spiritus.

1. Corinth.12.

Ibidem.

Ioannis 14. Spiritus nisi inuisibiliter videri non potest.

Mundus ergo eum accipere nõ potest, quia non videt eum, neque scit eum. Non enim habet inuisibiles oculos mundana dilectio, per quos videri Spiritus sanctus nisi inuisibiliter non potest.

Tractatu XCIIII.

Ioannis 16.

Quid est ergo, Si nõ abiero, paracletus non veniet ad vos: nisi non potestis capere Spiritũ, quãdiu secũdum carnem persistitis nosse Christum? Vnde ille inquit, qui iamiam ceperat Spiritum sanctum, Etsi noueramus secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Etiam ipsam quippe carnem Christi non secũdum carnem nouit, qui Verbum carnem factũ spiritaliter nouit.

2. Corinth.5. Spiritualiter noscendũ Verbũ caro factũ.

Tractatu XCIX.

Temerariũ est definire, quid interest inter procedere & nasci.

Nam & Filius ei de quo natus est, & Spiritus sãctus ei de quo procedit, æqualis est. Quid autem illic interest inter procedere & nasci, & longum est quærendo differere, & temerarium quum differueris definire: quia hoc & mẽti vtcunque comprehendere, & si quid fortè mens inde comprehenderit, linguæ difficillimum est explicare, quantuslibet præsit doctor, quãtuslibet adsit auditor.

Ibidem.

Spiritus sanctus quare dicatur Spiritus.

Nec ob aliud existimo ipsũ vocari propriè Spiritum, quum etiam si de singulis interrogemur, non possimus nisi Patrem & Filium Spiritum dicere: quoniã Spiritus est Deus, id est, non corpus est Deus, sed Spiritus. Quod ergo communiter vocantur & singuli, hoc propriè vocari oportuit eum qui non est vnus eorum, sed in quo communitas apparet amborum.

Ioannis 4.

De verbis Domini secundum Matthæum, Sermo.XI.

Quæ Ecclesia Spiritum sanctum dare possit.

Remissio peccatorum quoniam non datur nisi in Spiritu sancto, in illa Ecclesia tantummodo dari potest, quæ habet Spiritum sanctum.

Serm.CLXXXI. de tempore.

Spiritus sanctus nisi adsit cordi audientis, otiosus est sermo doctoris.

Ipse vos docebit omnia: quia nisi idem Spiritus cordi adsit audiẽtis, otiosus est sermo doctoris. Nemo docenti homini tribuat, quod ex ore docẽtis intelligit: quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. Vnde quia sine eo nihil boni agere possumus, ipso opitulante tales nos reddamus, ad quos Spiritus sanctus aduenire, & in quibus habitare dignetur.

Serm.CLXXXIII. de tempore.

Relinquẽtibus mũdum, datur Spiritus sanctus. Roman.2.

Si hunc mundum relinquimus, nos similẽ paracletum, sicut Apostoli, id est, Spiritum veritatis, quem mittet nobis Pater, accipiemus. Quoniam non est personarum acceptio apud Deum Patrem: sed promissa Apostolorum nobis proficiunt, si opera & desyderia, & actus gerimus, quos Apostoli fecerunt.

DE ANGELIS ET EORVM OFFICIO.

Lib.I. de doctrina Christ. Cap.XXX.

Matth.22. Præcepto charitatis etiam Angeli continentur.

IAm verò, si vel cui præbẽdum est, vel à quo nobis præbendum est officium misericordiæ, rectè proximus dicitur: manifestũ est hoc præcepto, quo iubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri, à quibus nobis tanta misericordiæ officia impenduntur, quanta multis diuinarum Scripturarum locis animaduertere facile est. Ex quo & ipse Deus & Dominus noster proximum se nostrum dici voluit. Nam & seipsum significat Dominus Iesus Christus, opitulatum esse semiuiuo iacẽti in via afflicto & relicto à latronibus. Et Propheta in oratione ait, Sicut proximum, sicut fratrem nostrum, ita complacebam.

Luc.10.

Psalm.34.

Lib.XX. contra Faustum, Cap.XXI.

Ipsi enim sancti, vel homines, vel Angeli, exhiberi sibi nolunt quod vni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo & Barnaba, quũ cõmoti miraculis, quę per eos facta sũt, Lycaonii, tanquã diis immolare voluerunt. Cõscissis enim vestimẽtis suis, confitentes & persuadẽtes se deos non esse, ista sibi fieri vetuerũt. Apparuit & in Angelis, sicut & in Apocalypsi legimus Angelum se adorari prohibentem, ac dicentem adoratori suo, Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum. Ista sibi planè superbi spiritus exigunt, diabolus & angeli eius, sicut per omnia templa & sacra Gentilium.

Actorum 14.

Angeli nolunt adorari.

Apocal. 9,22.

De videndo Deo ad Paulinam, Cap.V.

Matth.18.

Quomodo verum est, Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est: si Deum nemo vidit vnquam? Si ergo iam dictum est, Deum nemo vidit vnquam, acsi diceretur, nemo hominum: hactenus illa quæstio soluta esse videbitur, vt non sit huic sententiæ contrarium, quod Dominus ait, Angeli eorum semper vidẽt faciem Patris mei: vt scilicet Angelos Deum videre credamus, quem nemo vidit vnquam, scilicet hominum.

Ioannis 1. Angeli Deum vident, quem nemo vnquam vidit hominũ.

Eodem lib. Cap.VI.

Et ideo Deũ nemo vidit vnquã, quia eam

Coloss. 2. quæ in Deo habitat plenitudinem diuinitatis nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. Vidit enim, ad vtrunque referendum est. Denique quum additur, Vnigenitus Filius ipse enarrauit, mentium magis quàm oculorum visio declaratur. Species verò videtur, virtus autem enarratur: illa oculis, hæc mente comprehenditur. Sed quid de Trinitate dicam? Seraphim quãdo voluit, apparuit, & vocem eius Esaias solus audiuit. Apparuit Angelus, & nunc præsto est, sed non videtur. Neque enim in nostra potestate est videre, sed in potestate illius apparere.

Ioan. 1.

Esaiæ 6. Lucæ 1. In nostra potestate non est videre Angelum, sed in illius apparere.

Cap. IX. libro eodem.

Non ab omnibus Angelis Deus æqualiter videtur.

Eo autẽ modo, quo videtur Deus sicuti est, nunc fortasse videtur à quibusdam Angelis, à nobis autem tunc ita videbitur, quum eis facti fuerimus æquales.

In argumento librorum Musices.

Angelorũ virtus Deo seruit.

Esse spiritalem vitalémque virtutem, etiam si non sit animal mũdus. Quę virt⁹ in Angelis sanctis ad decorandum atque ad ministrãdum omnium Deo seruit, vt à quibus non intelligitur, rectissimè credatur.

In fine ibidem.

Animásne Angelos habeant.

Angelos sanctos habere animas, nusquã me legisse in diuinis eloquiis canonicis recolo.

De vera religione, cap. XIII.

Angeli natura mutabiles.

Fatendum est enim & Angelos natura esse mutabiles, si solus Deus est incõmutabilis: sed ea voluntate qua magis Deum quàm se diligunt, firmi & stabiles manẽt in illo, & fruũtur maiestate eius, & vni libẽtissimè subditi sunt.

Eodem cap. IV.

Volunt Angeli homines cum ipsis colere Deum.

Hoc etiã ipsos optimos Angelos, & excellentissima Dei ministeria velle credamus, vt vnum cum ipsis colamus Deum, cuius contẽplatione beati sunt. Neque enim & nos videndo Angelos beati sumus, sed vidẽdo veritatẽ qua etiam ipsos diligimus Angelos, & his congratulamur. Nec inuidemus quòd eò paratiores, vel nullis molestiis impedientibus ea perfruũtur. sed magis eos diligimus, quoniã & nos tale aliquid sperare à communi Domino iussi sumus. Quare honoramus eos charitate, nõ seruitute, nec eis templa construimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis, quia nosipsos quũ boni sumus, templa summi Dei esse nouerunt. Rectè itaque scribitur, hominem ab Angelo prohibitum ne se adoraret, sed vnum Deum, sub quo ei esset & ille conseruus.

2. Cor. 3. Apocal. 22.

Quæstionum Veteris & noui Testamenti, Quæst. I.

Neque Angeli penitus comprehendunt quid sit Deus.

Quia enim supra omnia Deus est, necesse est vt omnium mentes excedat. Homines enim quantum possunt aciem mentis extendere, aspiciunt quid Deus sit opinione, nõ definitione. Angeli autẽ, qui superiores hominibus sunt, quia plus de Deo aliquid sentiũt, nõ est dubium. Archangeli verò eoipso amplius. Cherubim autem & Seraphim, quæ potentiæ iuxta Deum esse dicuntur, maiora de Deo sentiunt, non tamen comprehẽdunt penitus quid Deus sit: quia nemo nouit Patrem nisi Filius, nec Filium quis nouit, nisi pater.

Quæstione XX. eodem libro.

Manna quare dicatur panis Angelorũ.

Ideo autẽ Angelorũ panis dictus est manna, quia ea virtute creatus est, qua Angelica natura subsistit & viuit. Sine Deo enim nulla vita est. Per id ergo quòd de cælo venisse dicitur, Angelorum dictus est panis.

Ibidem in fine.

2. Cor. 3 Christiani etiã Angeli dicuntur.

Et quia maior gratia est nunc, quàm in Prophetis, & libertas data per Christum: quia vbi Spiritus Domini, ibi libertas, ad comparationem tẽporum & gratiarum, Christiani, Angeli dicti sunt, quorum panc, qui Christus est, satiati sunt Iudęi, quos homines dixit. Horum enim magis Christus est, quibus & reuelatus est, & qui hoc nomine vocari cẽsentur. Duplici ergo genere potest intelligi supradicta quæstio, vt & panis Angelorũ, cælestium dici possit, & Christianorum, secundum ea quæ dicta sunt.

Quæst. ad Orosium, quæstio. XVII.

Angeli æquales omnes creati.

Omnes quidem Angeli æquales creati sunt: sed cadentibus illis per superbiam, cæteri Domino pia obedientia cohæserunt, accipientes certam scientiam suæ stabilitatis, quam illi nunquam habuerunt. Et sic sunt gratia Dei in omnibus circundati, vt nunquam possint cadere à beata vita, qua fruuntur, Domino cohærentes.

Ibidem, quæst. XXI.

Genè. 1. Angelica natura cæli nomine nuncupata est.

Porro primus dies ipse est Angelica natura, quæ primo cæli nomine nũcupata est. Vnde euidenter ostenditur primo die spiritalem factam, id est, Angelicam naturam: & sic hoc cælum, quod oculis cernimus.

Lib. III. contra Maximinum, Arrianorum Episcopum, cap. XXV.

Angeli maiores dici possint homine. Sap. 9

Quòd autem tibi videtur, nihil magnum de Deo Patre dici, si forma serui maior est, qua maiores videntur & Angeli: non rectè cogitas quem locum in rebus habeat humana natura, quæ condita est ad imaginẽ Dei. Maiores Angeli dici possunt homine, quia maiores sunt hominis corpore, maiores sunt & animo, sed infirmo, quem peccati originalis merito corruptibile aggrauat corpus. Natura verò humana, qualem naturam Christus humanæ mentis assumpsit, quæ nullo peccato potuit deprauari, solus maior est Deus. Denique propter quod dictum est, Minorasti eum paulominus ab Angelis, aperuit Scriptura vbi legitur, Eũ autem modico minus quàm Angelos minoratum vidimus Iesum propter passionem mortis. non ergo propter naturam hominis, sed propter passionem mortis.

Psalm. 8.

Hebræ. 2.

Ad Orosium contra Priscillianistas & Origenistas, cap. X.

Quanquamin cõparatione iustitiæ Dei, si nec sancti in cælis Angeli iusti esse dicantur,

non

non mihi videtur importuna sententia: non quia vt hoc esset à iustitia lapsi sunt: sed quia facti sunt,& Deus non sunt: tantúmque spiritalis luminis habere non possunt, quantum habet ille à quo facti sunt. Ibi enim summa iustitia, vbi summa sapientia: & hoc Deus est. de quo dictum est, Soli sapienti Deo, &c. Sed alia quæstio est, quantum iustitiæ ipsius capiãt Angeli, quantúmque non capiant: cuius enim participatione iusti sunt, eius comparatione nec iusti sunt.

Angeli participi possunt Dei iustitiæ, sed comparatione iusti non sunt.

Cap. XI. ad eundem, contra eosdem.

Coloss. 1. Certè ait Apostolus, Siue sedes, siue dominationes, principatus & potestates, &c. Et esse itaque sedes, siue dominationes, siue principatus & potestates in cælestibus apparatibus, firmissimè credo, & differre inter se aliquid, indubitata fide teneo. Sed quòd me contemnas, quem magnum putas esse Doctorem, quænam ista sint, & quid inter se differant, nescio. Nec sanè ea ignorantia periclitari me puto, sicuti non obedientia, si Domini præcepta neglexero.

Differentiam dominat. princ. & potest. Angust. ignorat.

Contra sermonem Arrianorum, Cap. XIII.

1. Thessal. 5 Si autem quod dictum est, In iussu, in voce Archangeli, Christum descendere de cælo: ipsius Archangeli iussum volunt intelligi, sicut verba ipsa videntur sonare: quid eis restat, nisi vt Angelis etiam minorem dicant vnigenitum Filium, quorum iussis obedire perhibetur, si iubente minor est cui iubetur? Quanuis quod dictum est, In iussu, in voce Archangeli, possit etiã sic intelligi, vt ipsa vox Archangeli, iussu Dei fieri accipiatur, id est, vt Angelus qui tuba Dei intelligendus est esse, à Domino Deo iubeatur emittere vocem suam, quod inferiori creaturæ necessariũ erit audire, quum Filius Dei descendet de cælo. Ipse est enim tuba, de qua dicit alio loco, Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti.

1. Thessal. 4

Angelus tuba Dei intelligendus est esse.

1 Corinth. 15.

Quæstionum super Num. lib. IIII. cap. XIIX.

Ira Angeli. Num. 22. Veritas & iustitia Dei, iratæ Angelũ facit.

Ad Laurentium in Enchiridio, Cap. XXIX.

Placuit itaque vniuersitatis Creatori atque moderatori Deo: vt quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deserendo perierat, ea quæ perierat, in perpetua perditione remaneret. Quæ autem cum Deo illa deserẽte perstiterat, de sua certissimè cognita semper futura felicitate secura gauderet. Alia verò creatura rationalis, quæ in hominibus erat: quoniam peccatis atque suppliciis, & originalibus & propriis tota perierat, ex eius parte reparata, quod Angelicæ societati ruina illa diabolica minuerat, suppleretur. Hoc enim repromissum est resurgentibus Sanctis, quòd erunt æquales Angelis Dei.

Angelica ruina hominibus supplebatur.

Ibidem, cap. LVIII.

Quomodo autem se habeat beatissima illa & superna societas, quæ ibi sint differentiæ personarũ, vt quũ omnes tanquã generali nomine Angeli nuncupentur, sicut in Epistola ad Hebræos legimus, Cui enim Angelorum dixit Deus aliquãdo, Sede à dextris meis? Hoc quippe modo significauit omnes vniuersaliter Angelos dici. Sunt tamen illic Archangeli, & vtrùm iidem Archangeli nominentur virtutes, atque ita dictũ sit, Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius: acsi diceretur, Laudate eum omnes Angeli eius, laudate eum omnes Archangeli: & quid interse distent quatuor illa vocabula, quibus vniuersam ipsam cælestem societatem videtur Apostolus esse complexus, dicendo, Siue sedes, siue dominationes, siue principatus, siue potestates: dicant qui possunt, si tamẽ possunt probare quod dicũt: ego me ista ignorare confiteor. Sed nec illud quidem certum habeo, vtrùm ad eandem societatem pertineat sol & luna, & cuncta sydera, quanuis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu vel intelligentia videantur.

Heb. 1. Psalm. 109.

Psalm. 148.

Superna societatis quomodo se habeat, Augustinus. Col. 1.

Eodem lib. cap. LIX.

Itémque quis explicet, Angeli cum qualibus corporibus apparuerint hominibus? vt non solùm cernerentur, verùmetiam tãgerentur: & rursus non solida corpulentia, sed spiritali potentia quasdam visiones, non oculis corporeis, sed spiritalibus, vel mẽtibus ingerant, vel dicant aliquid, non ad aurem forinsecus, sed intus in animo hominis, etiam ibidem ipsi constituti: sicut scriptum est in Prophetarum libro, Et dixit mihi Angelus, qui loquebatur in me. Non enim ait, qui loquebatur ad me, sed in me: vel appareant & in somnis, & colloquantur more somniorum. Habemus quippe in Euangelio, Ecce Angelus Domini apparuit illi in somnis, dicens, &c. His enim modis velut indicant se Angeli contrectabilia corpora non habere. Faciúntque difficillimam quæstionem, quomodo Patres eis pedes lauerint, quomodo Iacob cum Angelo tam solida cõtrectatione luctatus sit. Quũ ista quærũtur, & ea sicut potest quisque coniectat, non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, & absit error opinantium se scire quod nesciunt. Quid enim opus, vt hoc atque huiusmodi affirmentur, vel negentur, vel definiantur cum discrimine, quando sine crimine nesciuntur?

Angeli cum qualibus corporibus apparuerint, incertum.

Zacha. 2.

Matth. 1

Gene. 18. & 19

Gene. 32

Ibidem, cap. LXI.

Non enim pro Angelis mortuus est Christus: sed ideo etiam pro Angelis fit quidquid hominum per eius mortem redimitur & liberatur à malo: quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam post inimicitias, quas inter homines & sanctos Angelos peccata fecerunt, & ex ipsa hominum redemptione, ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur.

Pro Angelis non est mortuus Christus.

Ibidem, cap. LXII.

Angeli æterna Dei contemplatione beati.

Et vtique nouerunt sancti Angeli docti de Deo, cuius veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano, integritas illius ciuitatis expectet. Propter quod ait Apostolus, Instaurari omnia in Christo, quæ in cælis sunt, & quæ in terris. In ipso quippe instaurantur quæ in cælis sunt, quum id quod inde in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur. Instaurantur quæ in terris sunt, cùm ipsi homines, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, à corruptionis vetustate renouantur.

Eodem lib. Cap. LXIII.

Æquales Angelis facti, videbimus facie ad faciem, 1. Cor. 13.

Nos autem quãtuscunque sit in nobis intellectus humanus, ex parte scimus, & videmus nunc per speculum in ænigmate. Cùm verò æquales Angelis Dei fuerimus, tunc quemadmodum & ipsi videbimus facie ad faciem, tantámque pacem habebimus erga illos, quantum & ipsi erga nos, quia tantũ eos dilecturi sumus, quantũ ab eis diligimur. Itaque pax eorum nota nobis erit, quia & nostra talis ac tanta erit, nec præcellet tunc intellectum nostrum. Dei verò pax, quæ illic est erga eos, & nostrum & illorum intellectum sine dubitatione præcellet.

Philip. 4.

Lib. I. Meditationũ, Cap. XXIX. in fine.

Angeli Deum non vident vt est.

Et ideo certum est, ô Deus, corporeis oculis te non posse sentiri: sed nec ab vllo mortalium in propria essentia aliquando potuisse videri. Hinc etenim patenter datur intelligi, quòd vnde Angeli te intuentur, inde & nos post hanc vitam te videbimus. Sed nec ipsi profectò te videre possunt sicuti es. Nulli denique alii tota, nisi tibi soli, nota est omnipotens Trinitas.

Lib. II. Meditationum, Cap. III.

1. Cor. 9

Matth. 22

Omnia enim, ait Apostolus, nostra sunt, superiora scilicet, æqualia & inferiora. Superiora quidem nostra sunt ad perfruẽdum, vt Deus Trinitas. Æqualia nostra sunt ad conuiuendum, scilicet Angeli: qui etsi modò sunt superiores nobis, in futuro erunt æquales. Et inferiora nostra sunt, quia ad vsum nobis, sicuti res dominorum dicuntur esse famulorum, non priuatione à domino, sed quia sunt ad vsum eorum. ipsique Angeli in quibusdam Scripturæ locis nobis seruire dicuntur, dum propter nos in ministerium mittuntur. Vnde Apostolus ait, Quoniam omnes administratorii spiritus sunt, missi in ministerium, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Neque id incredibile cuiquam videatur: quandoquidem & ipse Creator & Rex Angelorum venit non ministrari, sed ministrare, & dare animã suam pro multis. Dicuntur enim Angeli orationes & vota nostra offerre Deo, non quia Deum doceant: qui omnia antequã fiãt, sicut & post eaquã facta sunt, nouit: sed quia eius voluntatem super his consulunt, & quod Deo iubente completum esse cognouerint, hoc nobis euidenter vel latenter reportant. Vnde hominibus ait, Quum orastis, orationem vestram obtuli Deo. Similiter & nos quum oramus, non Deum docemus, quasi nesciat quid velimus, & quo indigeamus: sed necesse habet rationalis creatura, temporales causas ad æternam veritatem referre, siue petendo quid erga se fiat, siue consulendo quid fiat. De excelso igitur cælorum habitaculo ad consulendos, visitandos & adiuuandos nos attrahit superemi nẽs charitas Angelos, propter Deum, propter nos, propter seipsos. Propter Deum vtique, cuius tanta erga nos pietatis viscera, ipsi quoque (vt dignum est) imitãtur. Propter nos, in quibus nimirum propriã similitudinẽ admirãtur. Propter seipsos, quorum ordines instaurãdos ex nobis toto desyderio præstolantur.

Matth. 20

Hebræos. 1.

Angeli vota nostra offerre dicuntur Deo. Tobiæ 12

De vera & falsa pœnitentia, Cap. XVI.

Angeli boni peccare potuissent.

Angeli quoque qui perstiterunt, si liberi non fuissent, vnde coronarentur? Potuerunt enim peccare, quorum similes ceciderunt. Licet enim misericorditer cuncta creauerit, iustitiam tamen in misericordia, qui iustus est, custodire oportuit.

De cognitione veræ vitæ, Cap. VI.

Angeli graphicè describuntur.

Angelus autem spiritus est, substantia incorporea, inuisibilis, sensibilis, rationalis, intellectualis, immortalis, bonorum lucida & impassibilis, malorum tetra & passibilis. Sed videndum est, vtrùm aliqua substantia talis in rebus creatis esse credatur, quum à nobis minimè videatur. Angelos enim esse, ipsa insensibilia probant, quæ tam certã sui motus legem obseruant. Omne quippe quod mouetur, aut motum à se habet, aut aliunde: sed omne quod motum à se habet, est sensibile, vt anima: quod aliunde, insensibile, vt corpus. Quòd si sol, luna & sydera per se mouentur, sensu vel ratione vigere videntur, quæ tam certa tẽpora, tam certa cæli spatia custodiunt, & quodammodo suum intellectum huic mundo lumine vel signis innuunt. Sed qui ea rationabilia, aut saltem sensibilia corpora arbitrantur, iure sensu carentes, inter irrationabilia cõputãtur. Cùm autem verè sint corpora visibilia, sed motu carentia, vtpote insensibilia, & tamen moueantur: constat profectò, quòd aliunde moueantur. Restat igitur ea per Angelica ministeria moueri. Similiter vẽtos, pluuias, grãdines, fulgura, tonitrua, tẽpestates, auras, iussu Dei per illos regi qui dubitat, & ea sensibilia putat: hũc ratio stultum cum insensibilibus probat. Bruta quoque animalia, vsibus humanis per illos obsecundari vel aduersari qui non credunt, aut illa per rationalem intellectum hæc facere credunt, longè à ratione recedunt. Sed & cũcta quæ in rebus insensibilibus, vel creaturis sẽsibilibus gerũtur, per illos administrari

qui

qui ambigit, multùm à luce veritatis desipit. Igitur constat Angelos verè esse & cuncta nobis occulta patenter nosse. Sed hoc differt inter illorum & nostram scientiam, quòd ipsi omnes causas rerum antequam eueniant, præsciũt: nos autem vix & cum magno labore inuestigamus eas, postquam res in actu cõstant.

Angeli occulta hominibus norunt.

Eodem lib. Cap. VIII.

Sicut enim luna stellas, sol lunam in claritate excellere cernitur: sic quilibet superior ordo Angelorum, inferiorem ab Angelis vsque ad Seraphim, gloria, dignitate, claritate præcellere creditur.

In Angelis ordo est.

Ibidem post pauca.

Igitur constat, quanquam animam toto mundo longè maiorem fore. Angeli autem, sicut ab animabus beatitudine, ita etiam differunt magnitudine. Hic nemo magnitudinem corporalis quantitatis intelligat: sed illam potius intellectualem, quæ in hunc mundum corporeum, & cuncta in eo corpora ad paruitatem redigat.

Anima maior toto mũdo Angelo minor est.

Ibidem Cap. XXIIII.

Omnis creatura Deum sibi inesse per aliquid sentit. Angeli enim & vniuersa viuentia Deum sibi inesse sentiunt. Deus quippe vita est, & omne quod viuit, vita viuit. Non enim Angelus magis vita viuit, quàm vermis, licet iste sit immortalis, ille mortalis. Nec Angelus magis subsistit quàm vermis, quanuis illius substantia sit æterna, istius autem caduca.

Angeli substãtia æterna.

Eodem lib. Cap. XXXI.

Angeli mutabiles sunt: quia de præterito in præsens, de præsenti in futurum mouentur. Præteritum quippe habent, futurum nondum habent. Constat enim, quòd socios Angelicos olim amissos non habent: & quòd adhuc consortio Sanctorum in terra peregrinãtium carent, præterita memoria recolligunt, futurum præsciendo intelligunt. & sicut potest cogitari, quòd aliquando cœperunt, ita etiam potest cogitari, quòd finiri possint.

Angeli mutabiles sunt.

Ibidem in fine.

Solus ergo Deus habet immortalitatem, quia nullam recipit mutabilitatem. Hic etiam solus est inuisibilis: quia nullæ creaturæ ad plenũ intelligibilis. nempe beatorũ animæ & Angeli, suo more non nostro eum semper vident: non per interualla spatiorum, sicut nos corporea videmus, sed intra se, & extra se, in omni creatura, & extra omnem creaturam eum conspiciunt, nec vllo intellectus intuitu amplitudinem suæ claritatis excedunt. Et quia non ita pleniter ab ipsis, vt à seipso conspicitur vel intelligitur, ideo solus inuisibilis dicitur.

Angeli suo more Deum semper vident.

De fide ad Petrum, Cap. XXIII.

Firmissimè tene & nullatenus dubites, omnem creaturam naturaliter mutabilẽ, à Deo incommutabili factam: nec tamen posse quemlibet sanctorum Angelorum in deterius mutari: quia sic acceperunt æternam beatitudinem, qua Deo stabiliter perfruuntur, vt ea carere non possint. Sed hoc ipsum quòd ab illo statu beatitudinis, in quo sunt, mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum: sed postquam creati sunt, gratiæ diuinæ largitate collatum. Si enim Angeli naturaliter incommutabiles fierent, nunquam de eorum consortio diabolus & eius angeli cecidissent.

Angeli gratiam mutabiles natura.

Ibidem Cap. XXXIIII.

Firmissimè tene & nullatenus dubites, in omni creatura, quam spiritalem atque corpoream summa Trinitas fecit, solos spiritus Angelicos & humanos intelligendi facultatem diuinitus accepisse, & etiam hoc omnino habere non posse, &c.

Angeli & homines soli intelligãtes.

De spiritu & anima, Cap. XVIII.

Omnis verò rationalis creatura corporea est. Angeli & omnes virtutes corporeæ sunt, licet non carne subsistant. Et ex eo intellectuales naturas corporeas esse dicimus, quia loco circunscribuntur, sicut & anima humana, quæ carne clauditur, quæ idcirco in loco & localis esse dicitur. In loco, quia hic alicubi præsens est: localis, quia quod alicubi præsens est totũ, alibi non est. Non habet tamen corporalem dimensionem, nec corporalem circũscriptionem: quoniam corporalis quantitatis expers est. Sed quia per præsentiam & operationem in loco concluditur, localis & ipsa dicitur. veruntamẽ nõ sicut corpus, cui secũdũ locũ, principium, medium & finis assignatur. Circunscriptum est, quod quum alicubi est totũ, non potest simul esse alibi, quod de solis corporeis naturis cernitur. Incircunscriptum verò est, quod simul est vbique totum, quod de solo Deo intelligitur. Circunscriptũ autem simul & incircũscriptum est, quod quum alicubi sit totũ, potest simul alibi esse totũ, nõ tamẽ vbique: quod de creatis spiritibus cognoscitur.

Angeli & anima quomodo locales dicuntur.

Circunscriptũ quid dicatur.

Eodem lib. Cap. XXIIII.

Angeli siquidem his corporalibus iudicandis & ministrandis præsunt, & eorum significatiuas similitudines in spiritu ita discernunt, & tanta potentia quodammodo tractãt, vt eas etiam possint hominum spiritibus reuelando miscere. Inde est quod Angelus Dei apparuit in somnis Ioseph, dicens, Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Et iterum, Tolle puerum & matrẽ eius, & fuge in AEgyptum. Deus etiam per Prophetam dicit, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & iuuenes visiones videbunt, & senes somnia somniabunt, &c.

Angeli spiritibus hominum possunt mysteria.

Matth. 1 & 2

Ioel. 2.

Ibidem XXVII.

Humanum spiritum aliquando bonus, aliquãdo malus assumit spiritus, nec facile discerni potest à quo spiritu assumatur, nisi quia bonus instruit, malus fallit.

Differentia inter bonum & malum spiritum.

Eodem lib. Cap. XXIX.

Quum homines mortui, siue viui, homini-

bus dormientibus vel vigilantibus apparent, non in ipsis rebus vt sunt videntur, sed in quibusdam similitudinibus rerum. Istud autē Angelicis fieri operationibus creditur, per dispensationem prouidentiæ Dei bene vtentis bonis vel malis, secundum inscrutabilem altitudinem iudiciorum suorum: siue hinc instruantur mentes mortalium, siue fallantur, siue consolentur, siue terreantur, sicut vnicuique vel præbēda est misericordia, vel irroganda iustitia, ab eo cui misericordiam & iudicium nō inaniter decātat Ecclesia. Ibi siquidem sunt spiritus defunctorum, vbi non vident, neque audiunt quæ aguntur aut cueniunt in ista vita hominibus. Ita tamen est eis cura de viuis: quanquam quid agant omnino nesciāt, quemadmodum cura est nobis de mortuis, quanuis quid agant vtique nesciamus. Nesciunt quidē mortui quid hic agatur, sed dum hic agitur, postea audire possunt ab eis, qui hinc moriendo ad eos pergunt, non quidem omnino, sed quātum finitur eis indicare, & eos oportet audire. Scire etiam possunt ab Angelis, qui hic nobis præsto sunt, & animas nostras ad illos deferunt. Spiritu etiam Dei reuelante cognoscere possunt quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos noscere. Quidam etiam ex mortuis ad viuos rapi possunt, non per propriam naturam, sed per diuinam potentiam. Vtrum tamen ista fiāt per eorum præsentiam, aut per Angelos suscipiētes eorum personam, affirmare non audeo. Deus enim omnipotens, qui est vbique præsēs, per Angelica ministeria vsquequaque diffusa potest præbere ista hominibus solatia, quibus in huius vitæ miseria iudicat esse præbenda.

Psalm.10

Mortui quomodo sciant quæ hic fiunt

De Ecclesiasticis dogmatibus, Cap. X.

In principio creauit Deus cælum & terrā & aquā ex nihilo, & cùm adhuc tenebræ ipsam aquam occultarent, & aqua terram absconderet, facti sunt Angeli & omnes cælestes virtutes, vt non esset otiosa Dei bonitas, sed haberet in quibus per multa ante spatia bonitatem suam ostenderet. & ita hic visibilis mundus, ex materia quæ à Deo facta fuerat, factus est & ornatus.

Genes 1. Quando facti Angeli.

Ibidem, Cap. IIX

Angeli verò quia in illa, qua creati sunt beatitudine perseuerant, non natura possident bonum, vt non mutarentur cum cæteris, sed arbitrio seruantes bonam voluntatem, & bonum conditionis, & fidem Domino. Propter quod & merito ab ipso Domino sancti Angeli vocantur, quòd tenuerunt arbitrio sanctitatem, nec sociorum exemplo deuiauerunt à bono.

Angeli non natura perseuerant in beatitudine.

Cap. IXI. eodem libro.

Virtutes Angelicæ, quæ in diuino amore perstiterunt fixæ, lapsis superbiētibus Angelis, hoc munere retributionis acceperunt, vt nulla iam rubigine surrepentis culpæ mordeantur: vt & in contemplatione Conditoris, sine felicitatis fine permaneant, & in hoc sic conditæ, æterna stabilitate subsistant.

Angeli in contemplatione creatoris permanserunt.

Item Cap. IXII.

Tales creati sunt Angeli, vt si vellent, in beatitudinis luce persisterē t: si autem vellent, etiam labi potuissent. Vnde & satan cum sequētibus legionibus cecidit: sed post eius lapsum ita confirmati sunt Angeli qui perstiterunt, vt cadere omnino non possint: qui ne omnino iam caderent, virtutem incommutabilitatis acceperunt.

Angeli beati amplius cadere non possunt.

De mirabilibus sacræ Scripturæ, Cap. X XIII.

Panis Angelorum Manna dicitur, non quòd illo Angeli, qui cibo non egent, saturentur: sed per Angelorum ministerium tale officium, sicut Lex & cætera populo præbebātur, quæ dispositа per Angelos, in manu Mediatoris tribuitur.

Manna curpanis Angelorū dicitur.

Gala. 3.

Ad Honoratum, Epist. CXX.

Annuntiabitur Domino generatio ventura, & annuntiabunt iustitiam eius populo qui nascetur, quem fecit Dominus. Quod nō sic accipiendum est, tanquam nescienti Deo aliquid annūtietur vt sciat: sed sicut annūtiant Angeli, nō solùm nobis beneficia Dei, verumetiam illi preces nostras. Nam scriptum est, vbi Angelus hominibus dicit, Ego obtuli memoriam orationis vestræ: non vt tunc Deus nouerit quod velimus, vel quo indigeamus. Nouit enim Pater vester (ait Dominus) quid vobis necessarium sit, priusquā petatis ab eo. sed quia necesse habet rationalis creatura, obtemperans Deo, temporales causas ad æternam veritatem referre, siue petendo quod erga se fiat, siue consulendo quid faciat, qui pius mentis affectus est, vt ipsa construatur.

Psalm. 22.

Angelorum erga nos obsequia

Tobiæ 12.

Matth. 6.

Ad Probam Epistola CXXI.

Vnde & illud Apostoli, vbi ait, Postulationes vestræ innotescant apud Deum: non sic accipiendum est, tanquam Deo innotescant, qui eas & antequā essent vtique nouerat: sed nobis innotescant apud Deum, per tolerantiam, non apud homines per iactantiam. Aut fortè etiam innotescāt Angelis, qui sunt apud Deum, vt quodammodo eas offerant Deo, & de his consulant, & quod eo iubente complendum esse cognouerint, sicut oportere ibi cognouerint, hoc nobis vel euidenter vel latenter apportent. Dixit enim Angelus homini, Tobiæ 12. Quum oraretis, ego obtuli orationē vestram in conspectu claritatis Dei.

Coloss. 4.

Quomodo nostræ preces innotescāt apud Deum.

Quomodo Angelis innotescāt

Tobiæ 12.

Super Psalmum CIII.

Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros ignem flagrantem. Quanuis non videamus apparitionem Angelorum (absconditа est enim ab oculis nostris, & est in quadam republica magna imperatoris Dei) tamen esse Angelos nouimus ex fide, & multis apparuisse scriptum legimus & tenemus. Necinde dubitare

Psalm. 103.

Heb. 1 & 11. Esse Angelos dubitandum non est.

tare fas nobis est. Spiritus autẽ Angeli sunt,& quum spiritus sunt, non sunt Angeli: quum mittuntur fiunt Angeli. Angelus enim officii nomen est,non naturæ. Quæris nomen eius naturæ?spiritus est.quæris officium? Angelus est. Ex eo quod est, spiritus est: ex eo quod agit, Angelus est,&c.

De incarnatione Verbi,Cap.VI.

Angeli quando creati. Est etiam illud in Ecclesiastica prædicatione,esse Angelos Dei quosdam & virtutes bonas,qui ei ministrant ad salutem hominũ consummandam. sed quando isti creati sint, vel quales aut quomodo sint,non satis in manifesto distinguitur,&c.

De visitatione infirmorum,lib.II Cap.VI.

Homo aliquo modo Angelo præstantior. Esa.9. Quod tu es, fieri dignatus est Deus, fili mi,non factus est quod est Angelus,etsi sit magni consilii Angelus, te exaltauit super Angelos: tu etenim iudicabis Angelos. Nollem habere locum Angeli,si possem habere locũ debitum homini.

De eo quod dictum est,Ego sum qui sum.

Angelus officii nomen,non naturæ. Angelus enim officii nomen est, non naturæ.nam Angelus Græcè, qui Latinè nũtius appellatur. Nuntius ergo actionis nomen est: agendo,id est, aliquid nuntiando, nuntius appellatur.

De Ciuitate Dei, lib. IIII. Cap.XVII.

An fortè dicunt Romani, quòd deam Victoriam Iupiter mittat, atque illa tanquam regi deorum obtemperans, ad quos iusserit veniat,& in eorum parte confidat? Hoc verè dicitur,non de illo Ioue quem eorum regem pro sua opinione confingunt: sed de illo vero Rege seculorum,quòd mittat nõ Victoriam,quæ nulla substantia est, sed Angelum suum: & faciat vincere quem voluerit, cuius consilium occultum esse potest, iniquum esse nõ potest.

Mittit Deus Angelum & vincere facit.

Lib.VII.Cap. XXX.

Deus multa facit per Angelos Agit autem multa Deus,etiam per Angelos, sed non nisi ex seipso beatificat Angelos. Ita quanuis propter aliquas causas hominibus Angelos mittat,nõ tamẽ ex Angelis homines sed ex seipso sicut Angelos beatificat. Ab hoc vno & vero Deo, vitã speramus æternam.

Eodem lib.Cap.XXXII.

Mysterium vitæ æternæ, per Angelos prædicatum. Hoc mysterium vitæ æternæ, iam inde ab exordio generis humani, per quædam signa & Sacramenta, temporibus congrua, quibus oportuit,per Angelos prædicatum est. Deinde populus Hebræus in vnam quandam rempublicam(quæ hoc Sacramẽtum ageret)congregatus est:vbi per quosdam scientes, per quosdam nescientes, id quod ex aduentu Christi, vsque nunc & deinceps agitur, prænuntiaretur esse venturum.

Lib.IX. Cap.V.

Sancti verò Angeli & sine ira puniant, quos accipiunt æterna Dei lege puniendos, & miseris sine miseriæ compassione subueniant, & periclitantibus eis quos diligunt, sine timore opitulentur: & tamen istarum nomina passionum, consuetudine locutionis humanæ etiam in eos vsurpentur, propter quandam operum similitudinem,non propter affectionum infirmitatem: sicut ipse Deus secundum Scripturas irascitur, nec tamen vlla passione turbatur. Hoc enim verbum vindictæ vsurpauit effectus,non illius turbulentus affectus. *Angeli sine passionibus operantur.*

Eodem lib.Cap.XXII.

Bonis Angelis fœtida quæ inflantur dæmones,vilia est. Hic igitur Angelis bonis, omnis corporalium rerũmque temporalium scientia, qua inflantur dæmones,vilis est: non quòd earum ignari sint,sed quòd illis Dei, qua sanctificantur, charitas chara est: præ cuius non tantùm incorporali, verumetiam incõmutabili & ineffabili pulchritudine, cuius sancto amore inardescunt omnia quæ infra sunt:& quod illud est non sunt, séque ipsos inter illa contemnũt: vt ex toto quòd boni sint,eo bono ex quo boni sunt,perfruantur. Et ideo certius etiã temporalia & mutabilia ista nouerunt: quia eorum principales causas in Verbo Dei conspiciunt, per quod factus est mundus,quibus causis quædam probantur,quædam reprobantur, cuncta ordinantur.

In fine Capitis ibidem.

Beatitudo Angelorum Dei est. Itaque non solùm æterni,verumetiam beati sunt. Bonum autem quo beati sunt,Deus ille est,à quo creati sunt. Illius quippe indeclinabiliter participatione & contemplatione perfruuntur.

Lib.X. Cap. XII.

Miracula per Angelos facta sunt Deo operante. Porro autem quæcunque miracula,siue per Angelos,siue quocunque modo ita diuinitus fiunt,vt Dei vnius in quo solo beata vita est, cultum religionémque commendent, ea verè ab eis vel per eos, qui nos secundũ veritatem pietatémque diligunt,fieri ipso Deo in illis operante credendum est.

Eodem lib. Cap.XIIII.

Omnia esse in Dei potestate. Actor.7. Omnia quippe quæ præstare hominibus vel Angeli vel homines possunt, in vnius esse omnipotentis potestate, quisquis diffitetur, insanit.

Cap.XV.eodem lib.

Sic itaque diuinæ prouidentiæ placuit ordinare temporum cursum,vt quemadmodum dixi,& in Actibus Apostolorũ legitur, Lex in edictis Angelorum daretur,de vnius veri Dei cultu,in quibus & persona ipsius Dei,nõ quidem per suam substantiam, quæ semper incorruptibilibus oculis inuisibilis permanet: sed certis indiciis per subiectã Creatori creaturam,visibiliter appareret, & syllabatim per transitorias temporum morulas,humanæ linguæ vocibus loqueretur,qui in sua natura,nõ corporaliter,sed spiritaliter, non sensibiliter, *Actor.7.*

sed intelligibiliter,non temporaliter, sed vt ita dicam,æternaliter,nec incipit loqui,nec desinit, quod apud illum syncerius audiunt, non corporis aure, sed mẽtis, ministri eius & nuntii,qui eius veritate incommutabili perfruuntur immortaliter beati, & quod faciẽdum modis ineffabilibus audiunt,& vsque in ista visibilia, atque sensibilia perducendum incunctãter atque indifficulter efficiunt.

Angeli mentis Dei ministri sunt.

Libro XI.Cap.IX.

Vbi de mundi cõstitutione sacræ literæ loquuntur,non euidẽter dicitur, vtrum vel quo ordine creati sint Angeli: sed si prætermissi nõ sunt, vel cæli nomine, vbi dictũ est, In principio fecit Deus cælum & terram, vel potius lucis huius,de qua loquor,significati sunt. Opus autem Dei esse Angelos, hîc quidem, & si non prętermissum, non tamen euidẽter expressum est: sed alibi hoc sancta Scriptura clarissima voce testatur. Nam & in hymno trium in camino virorum,quũ prædictum esset, Benedicite omnia opera Domini Dominũ: in executione eorũdem operũ, etiã sancti Angeli nominati sũt. Et in Psalmo canitur, Laudate eũ omnes Angeli eius,laudate eum omnes virtutes eius,& c.

Gene.1. Opus Dei Angeli sunt.

Daniel.3.

Psalm.148.

Eodem libro,Cap.XIII.

Quis enim catholicus Christianus ignorat nullum nouum diabolum ex bonis Angelis vlterius futurum: sicut nec istum in societatem bonorum Angelorum vlterius rediturũ? Veritas quippe in Euãgelio Sanctis fidelibúsque promittit, Quòd erũt æquales Angelis Dei. quibus etiã promittitur, Quòd ibũt in vitam æternam.

Ex Angelis nullus diabolus futurus est. Matth.22

Matth.25.

Eodem libro,Cap.XV.

Non enim est vlla natura, etiam in extremis infimisque bestiolis, quam non ille constituit, à quo est omnis modus, omnis spes, omnis ordo, sine quibus nihil rerum inueniri vel cogitari potest: quanto magis Angelica creatura, quæ omnia cætera quæ Deus condidit,naturæ dignitate præcedit?

Angelicæ naturæ præstantia.

Cap. XXIX.

Illi quippe Angeli sancti, non per verba sonantia Deum discunt,sed per ipsam præsẽtiam immutabilis veritatis, hoc est Verbum eius vnigenitum.

Angeli quomodo Deum discunt.

Eodem libro, Cap. XXXI.

Sancti verò Angeli,ad quorum societatem & congregationẽ in hac peregrinatione laboriosissima suspiramus, sicut habent permanendi æternitatem, ita cognoscendi facilitatem,& requiescendi felicitatem. Sine difficultate nos adiuuant, quoniam spiritalibus motibus puris & liberis non laborant.

Angeli sine difficultate nos adiuuant

Libro XII. Cap.IX.

Confitendum est igitur cum debita laude Creatoris,non ad solos sanctos homines pertinere, verumetiam de sanctis Angelis posse dici, quòd charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum, qui datus est eis, nec tantum hominũ, sed primitus præcipuéque Angelorũ bonum esse quod scriptũ est, Mihi autem adhærere Deo bonum est. Hoc bonum quibus commune est, habent & cum illo cui adhærẽt, & inter se societatem sanctam,& sunt vna ciuitas Dei,eadémque viuum sacrificium eius,viuúmque templum eius,& c.

Charitas diffusa in Angelorum cordibus.

Psalm.72. Rom.5.

Eodem lib.Cap.XV,

Ideo semper fuisse dicuntur Angeli, quia omni tempore fuerunt, sine quibus tempora nullo modo esse potuerunt: tempus autem, quoniam mutabilitate transcurrit, æternitati immutabili non potest esse coæternum.

Angeli omni tempore fuerũt

Cap.XXIIII.

Neque enim fas est, vllius naturæ, quanlibet minimæ mortalísque, Creatorem suum nisi Deum credere ac dicere, & antequam possit intelligi. Angeli autẽ, quos Platonici deos libentius appellãt, etiamsi adhibẽt vel iussi vel permissi operationem suam rebus quæ gignũtur in mundo: tam non eos dicimus creatores animalium, quàm nec agricolas frugum atque arborum.

Angelos Platonici deos dicũt

Cap.XXV.eodem lib.

Proinde facti primitus Angeli, cuiusmodi ministerium præbuerunt Creatori cætera faciẽti, nescio, nec tribuere illis audeo quod fortè non possunt, nec debeo derogare quod possunt. Creationem tamen conditionémque omnium naturarum, qua fit vt omnino naturæ sint, eis quoque fauẽtibus non facientibus, illi Deo tribuo, cui se etiã ipsi debere quod sunt, cum gratiarum actione nouerunt.

Angeli quale Deo ministerium præstent, nescitur.

Lib.XIII.Cap.XVIII.

Si enim ars humana efficit, vt ex metallis, quæ in aquis posita continuò submerguntur, quibusdam modis vasa fabricata etiam natare possint, quãtò credibilius & efficaci⁹ occultus aliquis modus operationis Dei, cuius omnipotentissima volũtate Plato dicit nec orta interire, nec colligata posse dissolui, quum multò mirabilius incorporea corporeis, quàm quæcunque corpora quibuscunque corporeis copulentur, potest molibus præstare terrenis, vt nullo in ima pondere deprimantur, ipsísque animis perfectissimè beatis, vt quanuis terrena, tamen incorruptibilia iam corpora vbi volunt ponant, & quò volunt agant situ motúque facillimo? An verò si hoc Angeli faciunt, vt quælibet animalia terrestria rapiant vndelibet, constituántque vbi libet, aut eos sine labore non posse, aut onera sentire credendum est? Cur ergo Sanctorum perfectos atque beatos diuino munere spiritus, sine vlla difficultate posse ferre quò voluerint, & sistere vbi voluerint sua corpora non credamus?

Angeli corpora terrestria induũt & exuunt.

Eodem lib.Cap.XXII.

Angeli quoque visibiliter & tractabiliter apparentes, non quia indigebant, sed quia volebant & poterant, vt hominibus congruerẽt, sui ministerii quadam humanitate comederunt. Neque enim illud in phantasmate fecisse creden-

Angelos humi nihil vere deposuisse.

Psalm.77. Rom.5.

credendum est,quando eos homines hospitio susceperunt:quãuis vtrùm Angeli essent ignorantibus consimili nobis indigentia vesci viderentur. Vnde est quod Angelus in libro Tobiæ,Videbatis me manducare, sed visu vestro videbatis:id est, necessitate reficiendi corporis,sicut vos facitis,me cibum sumere putabatis. Sed si fortè de Angelis aliud credibilius disputari potest,certè fides Christiana de ipso Saluatore non dubitat,quòd etiam post resurrectionem, iam quidem in spiritali carne, sed tamen vera, cibum ac potum cum discipulis sumpsit. Non enim potestas,sed egestas edendi ac bibendi talibus corporibus auferetur.

Tobiæ.12.

Ioan.21.

Libro XV.Cap.XXIII.

Angeli an fœminis possint miscere.

Vtrùm possint Angeli, quum spiritus sint, corporaliter coire cum fœminis. Et quoniam creberrima fama est,multíque se expertos,vel ab eis qui experti essent,de quorum fide dubitandum non est,audisse confirmant,Syluanos & Faunos (quos vulgò incubos vocant) improbos sæpe extitisse mulieribus,& earum appetisse au peregisse concubitum: & quosdam dæmones(quos Dusios Galli nuncupant)hãc assiduè immũditiam & tentare & efficere,plures talésque assueuerãt,vt hoc negare impudentiæ videatur. Non hinc aliquid temerè audeo diffinire, vtrùm aliqui spiritus elemento aereo corporati (nam hoc elementum etiam quum agitatur flabello, sensu corporis tactúque sentitur) possint etiam hanc pati libidinem,vt quomodo possunt sentientibus fœminis misceantur. Dei tamen Angelos sanctos nullo modo sic labi illo tempore crediderim potuisse, nec dixisse de illis Apostolũ Petrum, Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit: sed carceribus caliginis inferi retrudens, tradidit in iudicio puniendos reseruari. Sed potius de illis,qui primùm apostatãtes à Deo, cum diabolo principe suo ecciderunt,qui primum hominem per inuidiam serpentina fraude decepit.Angelos autem fuisse etiam Dei homines nuncupatos,eadem Scriptura sancta locupletíssima testis est. Nam & de Ioanne scriptum est, Ecce ego mitto Angelum meũ ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. Et Malachias Propheta, propria quadã, id est,sibi propriè impertita gratia, dictus est Angelus. Verùm hoc mouet quosdam, quòd ex illis qui dicti sunt Angeli Dei, & ex mulieribus quas amauerunt, non quasi homines generis nostri,sed Gigantes legimus esse natos: quasi verò corpora hominum modum nostrum longè excedentia,quod etiam suprà commemorauí,nõ etiã nostris temporibus nata sint. Nonne ante paucos annos, quum Romanæ vrbis, quod à Gotthis factum est, appropinquaret excidium, Romæ fuit fœmina cum suo patre & sua matre, quæ corpore quodammodo giganteo longè cæteris præemineret? Ad quam visendam mirabilis fiebat vsquequaque concursus.Et hoc erat maximè admirationi,quòd ambo parentes eius, nec tam longi erant, saltem quàm longissimos videre consueuimus. Potuerunt ergo Gigantes nasci,& priusquam Filii Dei (qui & Angeli Dei dicti sunt) filiabus hominum,hoc est, secũdum hominem viuentium miscerentur, filii scilicet Seth filiabus Cain.

2.Petri 2.

Nota.

Gene.3.

Matth.11.

Malach.3.

Gene.6.

Ibidem post pauca.

Non autem illos fuisse Angelos Dei,vt homines non essent, sicut quidam putant: sed homines proculdubio fuisse Scriptura ipsa sine vlla ambiguitate declarat. Cùm enim præmissum esset, quòd videntes Angeli Dei filias hominum,quia bonæ sunt,sumpserunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant: mox adiunctum est,Et dixit Dominus Deus,Non permanebit Spiritus meus in hominibus his inæternum, propter quòd caro sunt. Spiritu Dei quippe fuerunt facti Angeli Dei,& filii Dei: sed declinando ad inferiora, homines dicuntur,nomine naturæ,non gratiæ.dicuntur & caro,desertores spiritus,deserendo deserti.

Gene.6. Hominis nomen naturæ est non gratiæ.

Libro XVI. Cap.VI.

Quomodo Angelis loquitur Deus.

Nec sic loquitur Angelis Deus, quomodo nos inuicem loquimur nobis,vel Deo,vel Angelis, vel ipsi Angeli nobis, siue per illos Deus nobis: sed ineffabili suo modo, nobis autem hoc indicatur nostro modo.

Eodem libro, Capite XXIX.

Tres viri Abrahæ apparentes Angeli fuerũt Lib.2.de Trini.Cap.18. Contra Adimantum.Cap 28. Hebræ.13

Item Deus apparuit Abrahæ,ad quercum Mãbre in tribus viris, quos dubitandum non est Angelos fuisse, quanuis quidam existimẽt vnum in eis fuisse Dominum Christum, asserentes eum etiam ante indumẽtum carnis fuisse visibilẽ.Angelos autem fuisse Scriptura testatur.nec solùm hæc, in hoc Geneseos libro,vbi hæc gesta narrantur, verumetiam in Epistola ad Hebræos, vbi cùm hospitalitas laudaretur, Per hanc etiam,inquit, quidam nescientes hospitio receperunt Angelos.

De Trinitate,libro III. Cap.VIII.

Nec boni nec mali Angelum si quãtum permittuntur faciunt.

Sed nec boni Angeli, hæc nisi quãtũ Deus iubet, nec mali hæc iniustè faciunt, nisi quantum iustè ipse permittit. Nam iniqui malitia voluntatem habet iniustam, potestatem autẽ non nisi iustè accipit, siue ad pœnam suam, siue ad aliorum,vel pœnam malorum, vel laudem bonorum.

Eodem lib.Cap.X.

Numæ.21.

Quæ per Angelos fiunt, cur nobis mirabiliora.

Aliquando ad hoc fit quædam species vel aliquantulum mansura, sicut potuit serpens il le æneus exaltatus in eremo, sicut possunt & literæ,vel peracto ministerio transitura: sicut panis ad hoc factus in accipiendo Sacramento consumitur. Sed quia hæc hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religiosa possunt habere,stuporem tanq̃ mira non possunt. Itaque illa quę per Angelos

siunt,quò difficiliora & ignotiora, eò mirabiliora sunt nobis: illis autem taquam suę actiones notæ atque faciles.

Eodem lib.Cap.XI.

Sed quid vltrà differimus ora eorum euidentissimo atque grauissimo alio documento oppilare,vbi nō Angelus singulariter, nec Viri pluraliter: sed omnino Angeli dicuntur, per quos sermo non quilibet factus, sed Lex ipsa data manifestissimè ostenditur,quā certè nullus fidelium Deum dedisse Moysi dubitat, ad subiugandum populum Israel: sed tamen per Angelos datam ita Stephanus loquitur,Dura ceruice(inquit) & non circuncisi corde & auribus, vos sēper Spiritui sācto restitistis, sicut patres vestri. Quem Prophetarū nō persecuti sunt patres vestri? Et occiderūt eos,qui prænuntiabant de aduentu Iusti, cuius vos proditores & interfectores fuistis. qui accepistis Legem edictis Angelorum,nec custodistis. Quid hoc euidentius? Quid tanta auctoritate robustius? In edictis quippe Angelorum Lex illi populo data est: sed Iesu Christi per eam disponebatur & prænuntiabatur aduentus.

Act.7. Edictis Angelorum Lex populo Israel data.

Lib.II. de Genesi ad literam, Cap.VIII.

Neque enim(sicut nos)ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, vt inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicerent,qui ex quo facti sunt,ipsa æternitate sancta,& pia contemplatione perfruuntur, atque inde ista despiciētes, secundum id quod intus vident,vel rectè facta approbant, vel peccata improbant.

Angeli inuisibilia nō per visibilia conspiciunt. Rom.1.

Lib.XI. de Genesi ad literam, Cap.XXIX.

Habent enim quidem boni & mali Angeli opera similia,sicut Moyses & Magi Pharaonis. Verùm in his etiam boni Angeli potentiores sunt,nec mali Angeli etiam talium operum quicquam possunt, nisi quòd bonos Angelos permiserit Deus: vt retribuatur vnicuique secundum cor eius,vel secundum gratiam Dei, vtrunque iustè ac benignè per altitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.

Habent boni & mali Angeli quædā opera similia.

De fide ad Petrum, Cap.III.

Superiores verò spiritus,nullum cum corporeis elementis habere fecit naturale cōsortium,quos æternos creauit, & eis facultatem & intelligentiam cogitandæ,cognoscendæ,diligendæq; diuinitatis inseruit. Quos tamen ita creauit, vt etiam præ seipsis illum diligerēt, cuius se tales creatos opere cognouissent, quum eorum,vt tales fierent,nulla merita præcessissent.

Angeli nullis meritis præcedentibus tales conditi.

Soliloquiorum animæ ad Deum, Cap.XXVII.

Dilexisti enim me vnice amor meus, antequam diligerem te, & ad imaginem tuam creasti me,omnibus creaturis tuis præposuisti me.quam dignitatē tunc quidem seruo,quum nouerim te,propter quem fecisti me. Insuper facis Angelos tuos spiritus propter me, quibus mādasti vt custodiant me in omnibus viis meis,ne fortè offendā ad lapidē pedem meum. Hi enim sunt custodes super muros ciuitatis nouæ tuæ Hierusalem, & montes in circuitu eius vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem tuum, ne quando rapiat vt leo animas nostras,dum non esset qui eriperet, ille antiquus serpens,aduersarius noster diabolus,qui quasi leo rugiens semper circuit, quærens quem deuoret. Hi sunt ciues beatæ ciuitatis supernæ Hierusalem, quæ sursum est mater nostra, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, vt eos liberent ab inimicis suis,& custodiant in omnibus viis suis,confortent quoque & moneant, & orationes filiorum tuorum offerant in conspectu gloriæ maiestatis tuæ. Diligūt nempe concives suos,per quos suæ ruinæ scissuras instaurari expectant. Ideóque magna cura & vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis & locis, succurrentes & prouidentes necessitatibus nostris, soliciti discurrentes inter nos & te Domine, gemitus nostros atque suspiria referentes ad te: vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos desyderatā tuæ gratiæ benedictionem. Ambulant enim nobiscū in omnibus viis nostris.intrant & exeunt nobiscum,attentè considerantes, quàm piè, quàm honestè in medio prauæ nationis conuersemur, quantóque studio & desyderio quæramus regnū Dei & iustitiam eius, quantóque timore seruiamus & exultem⁹ tibi in lætitia cordis nostri. Adiuuāt laborantes,protegunt quiescentes, hortantur pugnantes, coronant vincentes, congaudent gaudentibus,de te,inquam,gaudētibus: compatiuntur patientibus,pro te,inquam,patientibus. Grandis est eis cura de nobis. Magnus est affectus dilectionis erga nos. Et hoc totum, propter honorem tuæ inęstimablis charitatis, qua dilexisti nos. Diligunt enim quos tu diligis: custodiunt quos tu custodis: & deserunt quos tu deseris,nec diligunt operātes iniquitatem: quoniam & tu odisti omnes operantes iniquitatem, & perdes omnes qui loquuntur mendacium. Quoties bene agimus,gaudent Angeli,& tristantur dæmones. Quoties à bono deuiamus,diabolum lætificamus, & Angetuos suo gaudio defraudamus. Gaudium est enim eis,super vno peccatore pœnitentiam agente: sed diabolo super vno iusto pœnitentiam deserente,&c.

Angelorum erga homines charitas & ministeria.

Psalm.90.

1.Petri 5.

Psalm.5.

Lucæ 15.

DE PRAEDESTINATIONE, ELECTIONE, Vocatione, Iustificatione, Gratia & Libero Arbitrio.

Contra Fortunatum disputatione II.

LIberum volūtatis arbitrium, in illo homine dico,qui primus formatus est. Ille sic factus est,vt nihil omnino volūtati eius resisteret

Adam liberū arbitrium habuit.

sisteret, si vellet præcepta Dei seruare. Postq̃ autem libera voluntate ipse peccauit, nos in necessitatẽ præcipitati sumus, qui ab eius stirpe descẽdimus. Quandiu ergo portamus imaginem hominis terreni, id est, quandiu secundum carnem viuimus, qui vetus etiam homo nominatur, habemus necessitatem consuetudinis nostræ, vt non quæ volumus faciamus. Quum autem gratia Dei amorem nobis diuinum inspirauerit, & nos suæ voluntati subiectos fecerit, quibus dictum est, Vos in libertatem vocati estis: &, Gratia Dei liberauit me à lege peccati & mortis. Lex autem peccati est, vt quicunq; peccauerit, moriatur. Ab ista lege liberamur, quũ iusti esse cœperimus. Lex mortis est, qua dictum est homini, Terra es, & in terrã ibis. Ex ipsa enim homines sic nascimur, quia terra sumus, & in terram ibimus propter meritum peccati primi hominis: propter gratiam autem Dei, qui liberat nos à lege peccati & mortis, ad iustitiam conuersi liberamur: vt postea eadem ipsa caro, quæ nos in pœnis torsit in peccatis manentes, subiiciatur nobis in resurrectione, & nulla aduersitate nos quatiat, quominus Legem Dei & præcepta diuina seruemus.

Galat. 5. Rom. 8.

Gen. 3.

Epistola CVI. ad Paulinum.

Philosophi virtute propria beatam vitam efficere voluerunt.

Ne offendant in lapidem offensionis, vel arguẽdo defendendo naturã, & liberũ arbitrium, quemadmodum Philosophi huius mundi, qui vehementer egerunt, vt putarentur, vel putarent sibi beatam vitam vitute propriæ voluntatis efficere. Caueant ergo isti, ne per sapientiam verbi euacuent crucem Christi, & hoc sit eis offendere in lapidem offensionis. Natura enim humana, etiãsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam Creatore suo non adiuuante seruaret. Quum igitur sine gratia Dei, salutem non posset custodire quã accepit, quomodo sine gratia Dei potest reparare quam perdidit?

Qui oppugnat gratiam, captiuum habet arbitrium.

Epistola CVII. ad Vitalem.

Si verè volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus vnde sit liberũ. Nam qui oppugnat gratiam, qua nostrum ad declinandum à malo & faciẽdum bonum liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captiuum.

Ad Paulinum, Epistola IIX.

Sine pœnitentia dona & vocatio Dei sunt.

Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei, certè illos significari, qui pertinent ad numerum prædestinatorum, de quibus alio loco dicit, Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositũ vocati sunt Sãcti. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Qui verò electi, ipsi secundum propositum vocati, in quibus Dei præscientia proculdubio falli non potest. Hos præsciuit & prædestinauit cõformes imaginis Filii sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos prędestinauit, hos & vocauit. Hæc vocatio secundum propositum est: hæc est sine pœnitentia. Quos autem vocauit illos & iustificauit. Quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Non sunt in ista vocatione, qui in fide quæ per dilectionem operatur, etiam si aliquã tulum ambulant, non perseuerant vsque in finem. Et vtique potuerunt rapi, ne malitia mutaret intellectum eorum, si ad illam prædestinationem & vocationem, quæ secundum propositum & sine pœnitẽtia est, pertinerent. At ne quisquam præsumptor ita de occultis iudicet alienis, vt dicat, Ideo non rapti sunt ex hac vita antequam essent fidei desertores, quia in eadẽ vita non fideliter ambulabãt: hoc in eorũ cordibus nouerat Dominus, quanuis hominibus aliter appareret: quid dicturus est de infantulis paruulis, qui plerique accepto in illa ætate Christianæ gratiæ sacramento, cùm sine dubio pertinerẽt ad vitam æternã regnúmque cælorum, si cõtinuò ex hac vita migrarẽt, sinuntur crescere, & nonnulli etiam apostatæ fiunt? Vnde, nisi quia non pertinẽt ad illã prædestinationẽ? Cur autem alii ad eam pertineant, occulta causa esse potest, iniusta non potest. Nũquid enim iniquitas apud Deum? absit. Nam & hoc ad illam pertinet altitudinem iudiciorum, quam mirãs Paulus, tanquam expauit, Apostolus. O altitudo diuitiarum, &c. Ideo quippe illa iudicia vocat, ne quisquam talia fieri putet, siue iniquitate, siue temeritate facientis, siue casu & fortuitò, labentibus vllis partibus iam dispositorum sub tanta potentia & sapientia Dei seculorum.

Matth. 10.

Rom. 8.

Ad Valentinum, Epistola XIVI.

Iacobus 1. Nemo meritis operum suorũ, dicat se habere Dei gratiam.

Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Nec quisquam dicat meritis orationum suarum, vel meritis fidei suæ traditam Dei gratiam, & putetur verum esse quod illi hæretici dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari. quod omnino falsissimum est. Non quia nullum est meritum, vel bonum piorum, vel malum impiorum: alioqui quomodo iudicabit Deus mundum? Sed gratia & misericordia Dei, conuertit hominẽ. de qua Psalmus dicit, Deus meus misericordia eius præueniet me: vt iustificetur impius, hoc est, ex impio fiat iustus, & incipiat habere meritum bonum, quod Deus coronabit, quando iudicabitur mundus.

Psalm. 58.

Ad Vitalem, Epistola. CVII

Respondẽ obsecro, quomodo dicit Apostolus, Gratias agentes Patri idoneos facienti nos in parte sortis Sanctorum in lumine, si non ipse arbitrium nostrum, sed ipsum arbitriũ se liberat? Mẽdaciter ergo gratias agimus Patri, tãquã ipse faciat quod ipse nõ facit. Et errauit q̃ dixit, quòd ipse nos faciat idoneos. Respõde, Quomodo ad declinandum à malo

& faciendum bonum, liberum habemus arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum, vnde nos, si (quemadmodum dicit Apostolus) Deus eruit, ipse vtique illud liberum fecit? Ita fit, vt neque fideles fiãt nisi libero arbitrio: & tamen ipsius gratia fideles fiant, qui à potestate tenebrarum liberauit arbitrium. Sic & Dei gratia nõ negatur: sed sine vllis humanis præcedentibus meritis vera monstratur: & liberum arbitrium ita defenditur, vt humilitate solidetur, non elatione præcipitetur. Non est igitur gratia Dei in natura liberi arbitrii, & in Lege atque doctrina, sicut Pelagiana peruersitas desipit: sed ad singulos actus datur illius voluntate, de quo scriptum est, Animam voluntariam segregans hæreditati tuæ. Quia & liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus, & lex Dei atque doctrina, quanuis sancta, & iusta & bona, tamen occidit, si non viuificet Spiritus, per quẽ fit non vt audiendo, sed vt obediendo, neque vt lectione, sed vt dilectione teneatur. Quapropter vt in Deum credamus, & piè viuamus, non volentis neque currentis, sed miserentis Dei est: non quia velle & currere non debemus: sed quia ipse in nobis & velle operatur & currere. Nõ ergo gratiã dicamus esse doctrinam: sed agnoscamus gratiam, quæ facit prodesse doctrinam. quæ gratia si desit, videmus etiam obesse doctrinam.

Psalm. 87. *Vt in Deum credant homines & piè viuant Dei opus est.*

Ad Paulinam Epistola CVI.

Nam quis nos, nisi qui venit quærere & saluare quod perierat, ab illa perditionis massa & contentione discernit? Vnde Apostolus interrogat, dicens, Quis enim te discernit? Vbi si dixerit homo, Fides mea, volũtas mea, bonũ opus meum: respondetur ei, Quid enim habes quod nõ accepisti? Si autem & accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Hoc itaque totũ, ideo non vt homo non glorietur: sed vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Non quia bona opera ista pia cogitatione frustrantur, quum Deus reddat vnicuique secundum opera eius, sitque gloria, honor & pax omni operanti bonum: sed quia opera ex gratia, non ex operibus gratia: quoniã fides, quæ per dilectionem operatur, nihil operaretur, nisi ipsa dilectio Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Nec ipsa fides esset in nobis, nisi Deus vnicuique partiretur mensuram fidei. Bonum est igitur homini, vt cum totis viribus liberi arbitrii sui veraciter dicat, Fortitudinem meam ad te custodiam: quia ille qui putauit sine ipsius adiutorio se posse custodire quod dedit, profectus in regionem lõginquam, & viuens prodigè cuncta consumpsit, & miseria duræ seruitutis attritus, reuersúsque in semetipsum dixit, Surgam & ibo ad patrẽ meum. Quam cogitationem bonam quãdo haberet, nisi & ipsam illi in occulto Pater misericordissimus inspirasset?

1. Corinth. 4.

Deus quomodo vnicuique reddit secundum opera. Rom 2.

Luc. 1.

Libro I. Homiliarum, Homilia XIIII.

Quum ergo coronat Deus merita tua, nihil coronat, nisi dona sua. Hãc fidem & veram pietatẽ, ne quis extollatur de libero arbitrio in bonis operibus, quisquis sic accipiat, vt nouerit dantẽ, aut quisquis datori nõ sit ingrat⁹, medico non superbiat, vel insanus adhuc, vel non à se sanus. Hanc, inquam, fidem suam atque pietatem, nullæ argumẽtationes euellãt de cordibus vestris. seruate quod accepistis. Et humiliter consideremus, quod Apostolus dicit, De est qui operatur in nobis & velle & perficere.

Deus in hominẽ coronat dona sua.

Ad Anastasium, Epistola CXLIIII.

Tantùm porrò quisque peccatum odit, quantùm iustitiam diligit, quod non poterit Lege terrente per literam: sed Spiritu sanante per gratiam.

Psalmo XII.

Et redime nos propter nomen tuum, hoc est, gratis propter nomen tuum, non propter meum meritum: quia tu dignatus es facere, non quia ego dignus sum cui facias. Nam est hoc ipsum, quod non sumus obliti te, & non recessit retro cor nostrum, quòd non extẽdimus manus nostras ad Deum alienum: nisi te adiuãte vnde possumus? Nisi te intus alloquente, exhortante, non deserente, vnde valemus? Ergo siue patientes in tribulationibus, siue gaudẽtes in prosperitatibus, redime nos: non propter meritum nostrum, sed propter nomen tuum.

Vt propter nomen suum nos liberet Deus, petendum, non propter merita.

In Psalmum XXX.

Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Quid est egent gloria Dei? Vt ipse liberet, non tu. Quia tu liberare non potes, indiges liberatore. Quid est quòd te iactas, quid est quòd de Lege & iustitia præsumis? Non vides quòd intus confligat in te, de te, aduersus te? non audis pugnantem & confitẽtem & adiutorium in pugna desyderantem? Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Quare gratia? Quia gratis datur. Quare gratis datur? Quia merita tua non præcesserũt: sed beneficia Dei te prẽuenerũt.

Rom. 8.

Beneficia Dei, merita nostra præuenerunt.

Prima quinquagena, ex prologo Psalmi XXXI.

Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. &, Ei qui operatur, id est, de operibus præsumit, & eorum merito sibi dicit datam esse gratiam fidei, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitũ. Quid est hoc, nisi quòd merces nostra gratia vocatur? Si gratia est, gratis datur. Quid est gratis datur? Gratis constat. Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorũ. Attendũtur opera tua, & inueniũtur omnia mala. Si quod debetur istis operibus Deus redderet, vtique damnaret. Nõ tibi Deus reddit debi-

Rom. 4.

Omnia opera nostra mala.

tum

tam pœnam: sed donat indebitam gratiam.

Lib. I. Homiliarum, Homilia XIIII.

Hæc ergo & his similia diligẽter ac fideliter cogitãtes, nõ acquiescamus eis qui liberũ arbitrium extollentes, præcipitare magis quàm eleuare conantur. Sed humiliter consideremus illud quod Apostolus dicit, Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere. Gratias agam⁹ Domino & Saluatori nostro, qui nos nullis prȩcedentibus meritis vulneratos curauit, & inimicos reconciliauit, & de captiuitate redemit, de tenebris ad lucem reduxit, de morte ad vitam reuocauit: & humiliter confitentes fragilitatem nostram, illius misericordiam deprecemur: vt quia nos secundum Psalmistam misericordia sua præuenit, dignetur in nobis non solùm custodire: sed etiam augere munera & beneficia sua, quæ ipse dignatus est dare.

Contra liberi arbitrij defensores. Philip. 2.

Psalm. 38.

Ad Vitalem, Epistola CVII.

Sed sicut illud quod dictum est, Omnes in Christo viuificabuntur, quum tam multi ȩterna morte damnãtur: ideo dictum est, quia omnes qui vitam æternam percipiunt, nõ percipiunt nisi in Christo. Ita quod dictum est, Omnes homines vult Deus saluos fieri, quum tam multos nolit saluos fieri: ideo dictum est, quia omnes qui salui fiunt, nisi ipso volente non fiunt. & si quo alio modo illa verba Apostolica intelligi possunt, vt tamen huic apertissimæ veritati, in quam videmus tam multos, volentibus hominibus, sed Deo nolente saluos non fieri, contraria esse non possint. Quo modo autẽ vt non detur gratia diuina, voluntas meretur humana, si eis quibus datur, gratuita misericordia datur, vt vera sit gratia? Quomodo in hac re merita pensantur humanæ voluntatis? Quandoquidem illis quibus gratia ista non datur, nullo plerunque merito, nulla voluntate distantibus: sed misericordia cum eis quibus datur habentibus causam, iusto tamen Dei iudicio non datur. Non enim est iniquitas apud Deum, vt intelligant quibus datur, quàm gratis eis detur, quando iusto vtique non daretur, quoniam similem habentibus causam iustè non datur.

1. Corinth. 2.

1 Timoth. 2. Omnes homines in Christo viuificari, quo modo intelligendum.

Ad Sixtum Romanum Presbyterum, Epistola CV.

Quòd autem personarũ acceptorẽ Deum se credere existimãt, si credant quòd sine vllis prȩcedentibus meritis, cuius vult miseretur, & quos dignatur vocat, & quem vult religiosum facit parum attendunt, quòd debita pœna reddatur damnato, indebita gratia liberato, vt nec ille se indignũ queratur, nec dignum se iste glorietur: atque ibi potius acceptionem nullam fieri personarum, vbi vna eadémque massa damnationis & offensionis inuoluit, vt liberatus de non liberato discat, quòd etiam sibi supplicium conueniret, nisi gratia subueniret. Si autem gratia, vtique nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata. Sed iniustum est, inquiunt, in vna eadémque mala causa, hunc liberari, illum puniri. Nempe ergo iustum est vtrunque puniri. Quis hoc negauerit? Agamus ergo gratias Saluatori, dũ nobis redditum non cernimus, quod in damnatione similium etiam nobis debitum fuisse cognoscimus. Si enim vtrique liberarentur, lateret quid peccato per iustitiam debeatur: si nemo, quid gratia largiretur? Vt ergo in hac difficillima quæstione verbis potius vtamur Apostoli, Volẽs Deus ostẽdere irã & demonstrare potentiam suam, &c. Vbi quia vniuersa massa damnata est, contumeliam debitam reddit iustitia, honorem indebitum donat gratia, non meriti prærogatiua, non fati necessitate, non temeritate fortunæ, sed altitudine diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. Cur igitur sua merita iactaturus est liberatus: cui si digna suis meritis redderentur, non esset nisi damnatus? Nullane ergo sunt merita iustorũ? Sũt planè, quia iusti sunt. Sed vt iusti fierẽt, merita nõ fecerũt. Iusti enim facti sũt, cùm iustificati sũt: sed sicut dicit Apostolus, Iustificati gratis per gratiã ipsius. Quærimus nanq; meritũ obdurationis, & inuenimus. Merito nanque peccati vniuersa massa damnata est: nec obdurat impartiendo malitiam, sed non impartiendo misericordiam. Quibus enim non impartitur, nec digni fiunt, nec merentur: ac potius vt non impartiatur, hoc digni sunt, hoc merentur. Quærimus autem meritum misericordiæ, nec inuenimus, quia nullum est, ne gratia euacuetur, si non gratis donatur, sed meritis redditur. Si enim dixerimus fidem præcessisse in qua erat meritũ gratiæ, quid meriti habet homo ante fidẽ? Quid enim habet, quod nõ accepit? Nam si quærere vellet homo, ante gratiam quid meruerit, vt acciperet eã, mala sua poterit homo inuenire, non bona. etiam si eum vnius diei vitam habentem super terram, gratia Saluatoris inuenerit.

Roma. 9

Roma. 3.

Meritum indurationis si quæritur inuenitur.

1. Cor. 4

Lib. I. ad Simplicianum, Quæst. II.

Eo ipso quòd gratia est Euãgelica, operibus non debetur: alioquin gratia iam non est gratia. Et multis locis hoc sæpe testatur fides, gratiam præponens operibus, non vt opera extinguat, sed vt ostendat non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia: vt scilicet non se quisque arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operatus est: sed bene operari non posse, nisi per fidẽ perceperit gratiam.

Gratia non debetur operibus. Actu. 15 Roma. 11

Ibidem.

Sed vt de re, quę agitur, potius loquamur, ad frangendam atque deiiciendam superbiam hominum ingratorum gratiæ Dei, & audentium gloriari de meritis suis, ista commemorantur, Cùm enim nondum nati fuissent Iacob & Esau, neque aliquid egissent bonum aut malum, non ex operibus, sed ex vocãte dictum est, Quia maior seruiet minori. Vocantis est ergo gratia: percipientis verò gratiam consequẽ

Vocantis Dei gratia est.

Roman 9. Gene. 25

ter sunt opera bona, nec quæ gratiam pariant, sed quæ gratia pariantur.

Post pauca ibidem.

Qui non vocatur non credit.

Nemo enim credit, qui non vocatur. Misericors autem Deus vocat, nullis hoc vel meritis fidei largiens: quia merita fidei sequuntur vocationem potius quàm præcedãt. Quomodo enim credent ei, quem non audierunt? *Rom.10.* Et quomodo audient sine prædicante? Nisi ergo vocando præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, vt ex hoc incipiat iustificari, & accipiat facultatem bene operãdi. Ergo ante omne meritum est gratia. Etenim *Rom 5.* Christus pro impiis mortuus est, &c.

Ibidem.

Vocãdo Deus præstat & fidem.

Vocando Deus præstat & fidem, quia & sine vocatione non potest quisquam credere: quanuis nullus credat inuitus. Nemo itaque credit non vocatus: sed non omnis credit vocatus. *Matth.20* Multi enĩ sunt vocati, pauci verò electi.

Post pauca.

Aliter enim Deus præstat vt velimus, aliter præstat quod voluerimus. Vt velimus enim, & suum esse voluit & nostrum: suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus *Quod volumus, solius Dei est præstare.* solus præstat, id est, posse bene agere, & semper beatè viuere.

Ibidem.

Bona voluntas à Deo est.

Illa etiam verba si diligenter attendas, Igitur non volentis, neque currentis, sed Dei miserentis: non hoc Apostolus propterea tãtùm dixisse videbitur, quòd adiutorio Dei ad id quod volumus, perueniamus: sed etiam ex illa *Philip.2.* intentione, qua & alio loco dicit, Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini: Deus enim est qui operatur & velle, & operari pro bona voluntate. Vbi satis ostẽdit, etiam ipsam bonam voluntatem in nobis, operante Deo fieri. Nam si quæramus, vtrùm Dei donum sit voluntas bona, mirũ si negare quisquam audeat.

Post pauca ibidem.

Rom.9. Ergo Cui vult miseretur, & quẽ vult indurat, ita sententiæ superiori posse congruere, vt *Nolle misereri, obduratio Dei est* obduratio Dei sit, nolle misereri, vt nõ ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantùm quo sit melior non erogetur.

Ibidem.

Itaque huius impudentiam quęstionis ita *Rom.9.* retundit Apostolus, Homo tu quis es, qui respondeas Deo? Sic enim respondet Deo, cùm hoc displicet quod de peccatoribus cõqueritur Deus, quasi quẽquã Deus peccare cogat: sed tãtummodo quibusdã peccãtibus misericordiam iustificationis suæ non largiatur. & ob hoc dicatur obdurare peccantes quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit *Deus non impellit peccantes.* vt peccent: eorum autem non miseretur, quibus misericordiam non esse præbẽdum æquitate occultissima, & ab humanis sensibus remotissima iudicat. Inscrutabilia enim sũt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. *Rom.11.*

Ibidem post pauca.

Illud tantummodo inconcussa fide teneatur, quòd non sit iniquitas apud Deum, qui siue donat, siue exigat debitũ, nec ille à quo exigit rectè potest de æquitate eius cõqueri, nec *Nemo de iustitia Dei conqueri potest.* ille cui donat, debet de suis meritis gloriari. Et ille enim, nisi quod debetur, non reddit: & ille non habet nisi quod accepit. Quod ergo volens Deus ostendere iram, attulit vasa iræ: valet ad vtilem aliis præstandum timorem, & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.

Lib. XIII. de Trinitate, Cap. XVI.

Scimus quoniã diligentibus Deum, omnia *Rom 8.* cooperantur in bonum, his qui secundũ pro- *Vocatis secundum propositum omnia cooperãtur in bonum.* positum vocati sunt Sancti. Quoniam quos antè præsciuit & prædestinauit cõformes fieri imaginis Filii sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, illos & vocauit: & quos vocauit, illos & iustificauit: quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit. Horum prædestinatorum nemo cum diabolo peribit, nemo vsque ad mortem sub diaboli potestate remanebit.

In solutionibus quæstionum Hilarii, Quæstione prima.

Illud verò quod dicunt, sufficere homini liberum arbitrium ad dominica præcepta im- *Quod dicitur per liberum arbitrium posse præcepta sine gratiæ seruari anathematizãdum.* plenda, etiamsi Dei gratia & Spiritus sancti dono, ad opera bona non adiuuetur: omnino anathematizãdum est, & omnibus execrationibus detestandum. Qui enim hoc afferunt, à gratia Dei penitus alieni sunt: qui ignorantes Dei iustitiã (sicut de Iudæis dicit Apostolus) & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non *Rom.10.* sunt subiecti. Plenitudo quippe Legis non est nisi charitas. Et vtique charitas Dei diffusa *Rom.5.* est cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Valet itaque liberũ abitrium ad opera bona, si diuinitus adiuuetur, quod fit *Psalm.118* humiliter petendo & faciẽdo. Desertum verò diuino adiutorio, qualibet scientia Legis excellat, nullo modo habebit iustitiæ soliditatẽ, sed inflationem impiæ superbiæ, & exitiosum tumorem.

Post pauca ibidem.

Desinant ergo sic insanire, & ad hoc se intelligant habere quantum possunt liberum arbitrium: non vt superba voluntate respuant Dei adiutorium: sed vt pia voluntate inuocent Dominum. Hæc enim voluntas libera, tantò erit liberior, quantò sanior: tantò autem sanior quantò diuinæ misericordiæ gratiæq; subiectior. Ipsa quippe fideliter orat & dicit, Itinera mea dirige secundum verbum tuum, ne do- *Libera voluntas non est, cui dominatur iniquitas.* minetur mihi omnis iniquitas. Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas?

Ibidem.

Nõ enim omnis qui viribus suis cõfidit, sed *Rom 10. Ioel.2.* omnis qui inuocat nomẽ Domini, saluus erit.

Quomodo

Quomodo autem inuocabunt, inquiunt, in quem non crediderunt? Ad hoc ergo credunt qui rectè credunt, vt inuocent in quem crediderunt, & valeant facere quod in præceptis legitimis acceperũt. Quoniam id quod Lex imperat, fides impetrat.

Quis seruabitur.

Post pauca ibidem.

Quum scirem, inquit, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det. Iubet ergo Deus continentiam, & dat continentiam: iubet per Legem, dat per gratiam: iubet per literam, dat per Spiritum. Lex enim sine gratia facit abundare delictum: & litera sine Spiritu occidit. Iubet ideo vt facere iussa conati, & in nostra infirmitate sub Lege fatigati, adiutorium gratiæ poscere nouerimus: & siquid facere potuerimus operis boni, ei qui adiuuat non simus ingrati. hoc & iste fecit. Id enim eum sapientia docuit, cuius esset hoc donum. Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia iuuatur: sed ideo iuuatur, quia non tollitur. Quid enim Deo dicit? Adiutor meus esto. Confitetur se velle implere quod iussit: sed ab eo qui iussit adiutorium poscere, vt possit, &c.

Sapient. 8. Iubet Deus continentiam, & quam dat.

1. Corinth. 3.

Psalm. 26.

Ad articulos Augustino falso impositos, ad secundam responsionem.

Siquidem Apostolus solicitè præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissimè custoditur, vt Deo pro omnibus hominibus supplicetur. Ex quibus quòd multi pereunt, pereuntium est meritum: quòd multi saluantur, Saluantis est donum. Vt enim reus damnetur, inculpabilis est Dei iustitia: vt autem reus iustificetur, ineffabilis Dei gratia est.

2. Timot. 2. Quòd multi pereunt, pereuntium est meritum.

Quòd multi saluantur, Saluantis est donum.

Ad primum.

Quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad vnam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mũdi. Sed qui hoc seculũ sine fide Christi, & sine regenerationis Sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt.

Sine fide nemo redemptionis particeps.

Ibidem ad tertium.

Omnium quidem hominũ Deus creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est vt pereat: quia alia causa est nascendi, alia pereundi. Vt enim nascuntur homines, est beneficium: vt autem pereant, præuaricatoris est vitium. In Adã quippe, in quo omnium hominum præformata est natura, omnes peccauerunt: eadémque sentẽtia quam ille accepit, obstricti sunt: neque ab hoc vinculo, etiam si propriis peccatis careant, resoluuntur, nisi in sacraméto mortis & resurrectionis Christi, per Spiritum sanctum renascantur. Nimis ergo impius & indoctus est, qui vitium naturæ non discernit ab Auctore naturæ, à quo prorsus alienum est quidquid in vnoquoque damnandum est. Creat enim vt sint homines, nec multiplicãdis generationum successionibus opificium suum subtrahit, secundum consilium bonæ voluntatis suæ, reparaturus in multis quod ipse fecit, punitus in multis, quod ipse non fecit. Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per vnius hominis obedientiam iusti constituentur multi.

Nullus à Deo creatus vt pereat.

Roman. 5

Ad quartum.

Præuaricatio enim hominũ, dispositæ à seculo creationis ordinem turbare non potuit: & meritò creatura peccatrix pœnalem quidem illius dãnationem patitur, cui relicto vero Deo, sponte se vendidit. Hæc scilicet seruitus, non institutio Dei est, sed iudicium, quo fraus deceptoris diaboli facta est deceptio, & malè credulo homini pœna peccati, de quo nemo eruitur, nisi per Mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum, cuius gratuita gratia & multorũ malis meritis non tribuitur, & nullorum bonis meritis præuenitur.

Seruitus peccatorum institutio Dei est, sed iudicium.

1. Timot. 2

Ad quintum.

Deum iustum, bonum, sic humanæ substantiæ & interiorum exteriorũmque sensuum nouimus Creatorem, vt prorsus ab illo fiat, quidquid pertinet ad naturã, & prorsus ab illo non fiat, quidquid est contra naturam. Peccatum autem contra naturam est, de quo mors, & omnia quæ mortis sunt, oriuntur.

Quidquid contra naturam est, non est à Deo.

Ibidem in fine.

Non ergo cuiusquã peccati auctor Deus est, sed naturæ Creator, quæ cum potestatem habuerit non delinquendi, sponte deliquit, & deceptori suo propria voluntate se subdidit. Nec naturali, sed captiuo motu versatur in vitio, donec moriatur peccato, & viuat Deo. quod sine gratia Dei facere non potest: quia libertatem quam perdidit, nisi Christo liberante non capit. Non enim est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat saluos fieri.

Deus non est peccati auctor, sed naturæ creator.

Actu. 4

Ad sextum articulum.

Totus quidem mundus, sicut ait Apostolus Ioannes, in maligno positus est, & multorũ hominum talis est malitia, qualis & dęmonum, qualibus dicebat Ioannes, Progenies viperarũ quomodo potestis bona loqui, quum sitis mali? Et vos de patre diabolo estis, & concupiscẽtias patris vestri facere vultis. Sed hoc inter malos homines & dęmones distat, quòd hominibus etiam valde malis supereſt, si Deus misereatur, reconciliatio: dæmonibus nulla seruata est conuersio. Sicut ergo præuaricatoribus Angelis, non indidit Deus illã, in qua in veritate non steterunt, voluntatem: ita nec hominibus hunc affectum, quo diabolum imitarẽtur, inseruit. Mendacium enim de proprio loquitur, & liber à mendacio non erit, nisi eum veritas liberauerit.

Matth. 3

Ioan. 8.

Deus nec diabolo, nec malis hominibus indidit peccandi voluntatem.

Ioan. 8.

Ad septimum.

Nullo modo credendum est, huiusmodi homines in hanc desperationem ex Dei voluntate cecidisse: quum potius Dominus alleuet omnes qui corruunt, & erigat omnes elisos. Nemo enim, nisi illius gratia erigitur, nemo nisi

Nemo nisi gratia Dei erigitur.

Psalm. 144

illius gratia ſtabilitur. Dei ergo eſt voluntas, vt in bona volũtate maneat, qui & priuſquam deſeratur, neminem deſerit, & multos deſertores ad ſe conuertit.

Ad decimum.

Deteſtanda opinio eſt, quæ Deum malæ voluntatis credit auctorem. Pſalm. 24.

Deteſtanda & abominãda opinio eſt, quæ Deum cuiuſquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem, cuius prædeſtinatio nunquam extra bonitatem, nunquam extra iuſtitiam eſt. Vniuerſæ enim viæ Domini miſericordia & veritas. Adulteria enim matronarũ, & corruptelas virginum, non inſtruere nouit ſancta diuinitas, ſed damnare: nec diſponere, ſed punire. Quæ mala homines quum admittunt, ſuis concupiſcentiis & cupiditatibus ſeruiunt, quas ab illa prima voluntariæ prævaricationis labe traxerunt. Quum autem declinãtà malo & faciũt bonũ, à Domino greſſus hominis dirigũtur, vt viam eius velit. Propter quod dicit Apoſtolus, Oramus autẽ ad Dominum, vt nihil mali faciatis, non vt nos probati appareamus: ſed vt vos quod bonum eſt faciatis. Non ergo caſus ruentium, nec malignitatem iniquorũ, neque cupiditates peccantium, prædeſtinatio Dei aut excitauit, aut ſuaſit, aut impulit: ſed planè prædeſtinauit iudicium ſuum, quo vnicuique retributurus eſt prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum. Quod iudicium futurum non eſſet, ſi homines Dei voluntate peccarent. Erit autem iudicium manifeſtiſsimè, & omnis homo quem diſcretio diuinæ ſententiæ in ſiniſtra cõſtituerit parte, damnabitur: quòd non Dei, ſed ſuam executus eſt voluntatem.

Pſalm. 36.

1. Cor. 13.

Ad vndecimum articulum.

Diabolus non infert vim facinoroſis.

Si diabolo obiiceretur, quòd talium facinorũ ipſe auctor, ipſe eſſet incentor, puto quòd aliqua ratione hac ſe poſſet exonerare inuidia, & talium ſcelerum patratorem de ipſorum voluntate vinceret: quia & ſi delectatus ſit furore peccantium, probaret tamen ſe non intuliſſe vim criminum. Qua ergo inſipiẽtia, quáve dementia definitur ad Dei referendũ concilium, quod nec diabolo in toto adſcribi poteſt, qui in peccantium flagitiis illecebrarum adiutor, non voluntatum credendus eſt eſſe generator? Nihil ergo talium negotiorum Deus prædeſtinauit vt fieret, nec illam animam turpiter nequitérque victuram, ad hoc vt taliter viueret, præparauit: ſed talem futuram non ignorauit, & de tali ſe iuſtè iudicaturum eſſe præſciuit: atque ita ad prædeſtinationem eius nihil amplius referri poteſt, niſi quod aut ad debitam iuſtitiæ retributionem, aut ad indebitam pertinet gratiæ largitatem.

Ad duodecimum.

Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei

Prædeſtinatio Dei, etſi apud nos, dum in præſentis vitæ periculis verſamur, incerta eſt, apud illum tamen qui fecit, quæ futura ſunt, incommutabilis permanet: nec quæ illuminauit obcæcat: nec quæ ædificauit deſtruit: nec quæ plantauit euellit: ſine enim pœnitẽtia ſunt

Rom. 11.

dona & vocatio Dei. Et firmum fundamẽtum Dei ſtat, habens ſignaculũ hoc, Cognouit Dominus qui ſunt eius. Nullo ergo modo prædeſtinatio Dei facit, vt aliqui ex filiis Dei ſint filii diaboli, aut ex templo Spiritus ſancti templa fiant dæmonum, aut ex membris Chriſti, membra meretricis. Sed potius prædeſtinatio facit, vt ex filiis diaboli fiant filii Dei: & ex templo dæmonum, templum Spiritus ſancti, & ex mẽbris meretricis fiant membra Chriſti: quia ipſe alligat fortẽ, & vaſa eius rapit, eruens ea de poteſtate tenebrarum, & transferens de cõtumelia in gloriam. Hi autem, de quibus dicitur, Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum: voluntate exierunt, voluntate ceciderunt. Et quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati. Eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſẽt reuerſuri & in ſanctitate ac veritate manſuri. Ac per hoc prædeſtinatio Dei multis eſt cauſa ſtandi, nemini cauſa labendi.

2. Tim. 2.

Marci 3.

1. Ioan. 2.

Ad decimumtertium articulum.

Nefas eſt Deo adſcribere cauſas ruinarum.

Omnibus quidem à fide ad infidelitatem, à ſanitate ad turpitudinem relapſis, & ante finem vitæ nulla purgatione emendatis, nihil aliud quàm æterna mors debetur: ſed nefas eſt Deo adſcribere cauſas talium ruinarum. Qui etſi ex æterna ſcientia præcognitũ habet quod vniuſcuiuſque meritis retributurus ſit: nemini tamen per hoc quod falli non poteſt, aut neceſſitatem aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergo à iuſtitia & pietate quis deficit, ſuo in præceps fertur arbitrio, ſua concupiſcẽtia trahitur, ſua perſuaſione decipitur. Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil Spiritus ſãctus, nec in tali negotio quidquam diuinæ voluntatis interuenit: cuius ope ſcimus multos ne laberentur detentos, nullos autem vt laberentur impulſos.

Ad decimumquartum.

Deus eum illum retineat, illum non, impoſſibile eſt comprehendere.

Ad prævaricationem Legis, ad neglectum religionis, ad corruptelam diſciplinæ, ad deſertionem fidei, ad perpetrationem qualiſcunque peccati, nulla eſt omnino prædeſtinatio Dei. nec fieri poteſt, vt per quẽ à talibus malis ſurgitur, per eum in talia decidatur. Si ergo in ſanctitate viuitur, ſi in virtute proficitur, ſi in bonis ſtudiis permanetur, manifeſtum eſt munus Dei, ſine quo nullius boni operis fructus acquiritur. Si autem ab his receditur, & ad vitia atque peccata trãſitur, nihil ibi Deus malæ tẽtationis immittit, & receſſurum non deſerit, antequam deſerat, & facit plerunque ne deſerat: aut etiam ſi diſceſſerit, vt redeat. Cur autẽ illum retineat, illum non retineat, nec poſsibile eſt comprehendere, nec licitum inueſtigare: quum ſcire ſufficiat, & ab illo eſſe quod ſtatur, & non eſſe ab illo quod ruitur.

Ad decimumquintum.

Qui captiuitatem ſuam gemunt, & iudicantes ſemetipſos ad miſericordiam Domini mutato corde confugiunt, non ſine Spiritu diuinæ

uinæ visitationis hoc faciũt. Hæc est enim mutatio dexteræ Excelsi, qui innumeris lapsis pœnitentiam dat, vt resipiscant à laqueis diaboli, à quo captiui detinebantur ad ipsius voluntatem. Nemini autem Deus correctionis ademit viam, nec quenquem boni possibilitate despoliat: quia qui se à Deo auertit, ipse & velle quod bonum est, & posse sibi sustulit. Non est ergo consequens, sicut putant qui talia obiiciunt, vt Deus quibus pœnitentiam non dederit, resipiscentiam abstulerit: & quos non leuauerit, alliserit. Quum aliud sit insontem crimẽ egisse, quod alienum est à Deo, aliud crimino so veniam non dedisse, quod de peccatoris est merito.

Psalm. 76. *2. Timoth. 2.*

Lib. III. contra Pelagianos hyponosticon.

Respondemus neminem posse per se sibi, id est, per liberum arbitrium sufficere implere quod velit. Rectè dicimus, nisi protoplastum solum potuisse, quum voluntas liberi arbitrii fuisset sana eidem ante culpam, &c.

Protoplastus solus liberum habuit arbitrium

Ibidem.

Esse fatemur omnibus hominibus liberum arbitrium, & certa fide credimus, & prædicamus indubitanter. Sed cur dicatur liberum arbitrium, est paululũ differendum. Arbitrium ab arbitrando rationali consideratione, vel discernendo quid eligat, quídve recuset, puto quòd nomen accepit. Vel ideo liberum arbitrium dictum, quòd in sua positum sit potestate, habens agendi quod velit possibilitatem, quod est vitalis & animæ rationalis motus. Sed huiusmodi, vt antè iã dixi, fuit in homine protoplasto, quum ante peccatũ maneret illæsus.

Liberum arbitrium vnde, & quare dicatur.

Post pauca.

Per peccatum ergo liberum arbitrium hominis, possibilitatis bonum perdidit, non nomen & rationem Esse fatemur omnibus homi nibus liberum arbitrium, habens quidem iudicium rationis, nõ per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinẽt, sine Deo aut inchoare, aut certè peragere: sed tantùm in operibus vitæ præsentis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, velle man ducare & bibere, velle habere amicũ, velle habere indumenta, velle fabricare domum, vxorem velle ducere, pecora nutrire, artem discere diuersarũ rerum bonarũ, velle quidquid bonũ ad præsentem pertinet vitam: quæ omnia non sine gubernaculo diuino subsistunt: imò ex ipso, & per ipsum sunt, vel esse cœperunt. Malis verò dico, vt est velle idôlum colere, velle homicidiũ vel adulterium facere, res alienas velle diripere, Deum viuentem in secula blasphemare, velle turpiter viuere, velle maleficio discere, velle inebriari & luxuriosè viuere, velle quidquid non licet, vel non expedit operari. Sed ista non pertinent ad substantiã vitæ præsentis, quia non sunt à Deo: imò malè desiderata maculant vitam, quæ est à Deo.

Per peccatum liberum arbitrium possibilitatis bonum perdidit, non nomen & rationem.

Ibidem.

Non ergo homo voluntate sua adhuc in vitio liberi arbitrii claudicãte, præuenit Deũ, vt cognoscat & quærat eam gratiam, tanquam pro meritis accepturus: sed præcedit, vt iam dixi, misericordissima gratia sua Deus hominis ignorantis & nondum se quærentis voluntatẽ liberii arbitrii, vt eum se scire & quærere faciat: sicut dixit Ioannes Apostolus in Epistola sua, Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus, & vita æterna.

Gratia sua Deus præcedit voluntatem liberi arbitrii quærẽtis se.

1. Ioan. 5

Post pauca ibidem.

Nullum autem esse hominis meritum in accipienda gratia ad salutem, Paulus Apostolus docet, scribens ad Ephesios, Deus autẽ, ait, qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati.

Nullum esse meritum hominis in accipienda gratia. *Ephe. 2.*

Ibidem.

Quomodo autem vnicuique redderetur secundum sua opera in die iudicii, nisi liberũ esset arbitrium? Ideo non est personarum acceptio apud Deum. Quicũque enim sine Lege peccauerũt, sine Lege peribunt. & quicunque in Lege peccauerũt, per Legem iudicabuntur. In omni itaque opere sancto, prior est voluntas Dei, posterior liberi arbitrii, id est, operatur Deus, cooperatur homo. Quòd si dicas, vt dicere consuesti, Quia ego prior volui, Deus voluit: iam meritum facis, vt gratia ex operibus iam non sit gratia, sed merces. Hoc loco redarguit te Apostolus, dicens, Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.

Roma. 2 *Operatur Deus, cooperatur homo.*

Roma. 11.

Ibidem.

Nemo sit segnis & remissus ad seruiendũ Deo, nec sic de gratia cõfidat, tanquam Deus liberii arbitrii eius, quod per mortẽ Filii sui reparauit, & sibi præparauit, opera non requirat. Imò declinet à malo, & faciat bonum. Vigilet, quærat, pulset, petat, contendat vincere seculum, Deo placere: sic vt dum per mundi pelagus currit, quemadmodũ sæpe dictum est, anchoram gratiæ ceruicibus reuectam, fiducia liberi arbitrii non soluat: qua siue in prospero cursu ne extollatur, siue in tempestate tentationum ne mergatur, eius gubernaculo quoadusque ad portũ paradisi perueniat, non poterit permanere securus, & cùm impleuerit cursum, fidenter dicat cum Apostolo Paulo, Bonum certamen certaui, cursum consumma ui, fidem seruaui.

Declinandum à malo, & faciendum bonũ. *Psalm. 36.*

2. Timo. 14.

Ibidem.

Itaque nec gratia sine libero arbitrio facit hominem habere beatam vitam, nec liberum arbitrium sine gratia: & tamen paruulos sine vsu liberi arbitrii facit gratia habere beatam & perpetuam, æternámque vitam. Eos autem, qui iam rationis capaces sunt, præuenit atque

docet, vt bonũ velint & possint. Scriptum est enim in Actibus Apostolorũ, Et aperuit Deus cor Lydiæ purpurariæ, vt audiret ea, quæ dicebantur à Paulo.

Actorum 16.

Post pauca ibidem.

Item in libro Sapientiæ, Quoniam gratia Dei, ait, est in Sanctis eius. Ecce generaliter dictum, neminẽ Sanctorum sine gratia Dei fuisse vel esse. Sed vt in eis sit ad confirmandos eos, acceperunt gratis per fidem, quæ à Deo est, nõ habuerunt ante fidem: quia, vt ait Dauid, pro nihilo faluos faciet illos.

Sapient. 4. *Sine gratia Dei neminem sanctũ fuisse.*

Psalm. 55.

Ibidem.

Audi hæretice stulte, & inimice fidei veritatis. Opera liberi arbitrii bona, quæ vt fiant, præparãtur per gratiæ præuentum, nullo arbitrii liberi merito, & ipso faciente, gubernante, & perficiente, vt abundent in libero arbitrio, non damnamus: quia ex his vel huiusmodi homines Dei iustificati sunt, iustificantur, iustificabuntur in Christo. Damnamus verò auctoritate diuina opera liberi arbitrii, quæ gratiæ præponuntur, & ex his tanquã meritis in Christo iustificati extollũtur. Quis enim prior dedit ei, & retribuetur illi? &c.

Damnãtur opera liberi arbitrii, quæ gratiæ præponuntur.

Roman. 11.

Ibidem.

Ideo cur hoc illi operetur, illi non operetur, metuentem me & trementem iudicia eius inscrutabilia & incomprehensibilia, nolo interroges: quia quod lego credo & vereor, non autem discutio. Quis est enim homo qui respondeat Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare me sic fecisti? Habet enim potestatẽ figulus luti, ex eadẽ massa aliud quidem vas facere in honorem, aliud in contumeliam. Sed interroga eum qui dixit, Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, attraxerit eum. &, Non omnes capiunt hoc verbum, nisi quibus datum est. Itẽ, Vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, cæteris non est datum.

Deus cur illi operetur, & illi non operetur, non discutiendum.

Roman. 9.

Ioannis 6.

Matt. 13. & 19

Lib. VI. hyponosticon.

Prædestinatio quippe à præuidendo & præueniendo, vel præordinando futurum aliquid dicitur. & ideo Deus cui præscientia non accidens est, sed essentia fuit sẽper & est, quidquid antequam fit sic præscit, prædestinat: & propterea prædestinat, quia quale futurum sit præscit. Ideo & Apostolus, Nam quos præscivit, & prædestinauit. Sed non omne quod præscit, prædestinat. Mala enim tantùm præscit, & nõ prædestinat: bona verò & præscit & prædestinat. Quod ergo bonum est, præscientia prædestinat, id est, priusquam sit in re, præordinat. Hoc cùm ipso auctore esse cœperit, vocat, ordinat, & disponit, vnde & sequitur, Nã quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, illos & iustificauit: quos autem iustificauit, illos & glorificauit.

Prædestinatio, vnde dicatur.

Rom. 8.

Eodem libro.

Vbi ergo commemoratio operum Iudæ malorum à sancto fit Spiritu in Psalmis, priusquam esset, præscitus est, non factus, quòd talis aduersus Dei Filium futurus esset. Si enim factus esset, inculpabilis esset, & Dei opificio reputaretur, non Iudæ. Iniustè etiam in eum prolata sententia damnationis esset. Sed absit hoc à summè bono iudice, auctore omnium bonorum Deo: damnatore verò cunctorum malorum: quia mala Iudæ, vt prædixi, præsciuit, nõ prædestinauit, vel fecit: & tamẽ in quibus præsciuit, iudicio iusto tradens eum in reprobum sensum, vt impleret, permisit. Et ideo permisit, quia per Spiritum sanctum eum perituram antè prædixit: quia sicut Christum oportebat pati per Iudam, præcinente sancto Spiritu per Prophetas: ita oportebat Iudam perire, eodem sancto Spiritu prædicente.

Præscitus est Iudas, non ad hoc factus, vt esset proditor.

Post pauca ibidem.

Tenenda est igitur incõcussè huius disputationis regula, quæ diuinis testimoniis claruit, peccatores in malis propriis, antequam essent in mũdo præscitos esse tãtùm, non prædestinatos. Pœnam enim eis esse prædestinatam secundum quod præsciti sunt.

Peccatores in malis præscitos esse non prædestinatos.

Eodem libro.

Nolite itaque putare quòd hæc & huiusmodi dicẽtes, liberum voluntatis amputemus arbitrium: quum tamen constet ea quæ loquimur, ex auctoritate diuina pẽdere: velut nobis calumniam obiicitis, quòd operari bona, & oportere esse in Dei proposito solicitos prohibeamus. Quin potius, qui se dono gratiæ ad Dei misericordiam sentiunt pertinere, hortamur oportere incumbere orationibus, obsecrationibus, ieiuniis, vigiliis, omnísque operi volũtatis diuinæ. Prædestinatis enim dicit Apostolus (quum tamen generale sit quod illis dicitur à Christo, prædestinato secundum carnem ex semine Dauid, prædestinante autem secundum potentiam Dei Patris cum Patre & Spiritu sancto) Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

Prædestinati omnibus bonis operibus incũbere debent.

Roman. 1.

Matth. 26.

Post pauca ibidem.

Et quia non potest homo à se facere quicquam, nisi datum illi fuerit desuper: non hoc agit Deus summè bonus malitia, sed iustitia, nec personarum acceptione, sed causarum secretarum discretione. Nouimus nõnunquam quosdam volentes æternæ vitæ vitam accipere, & eam adipisci, quosdam autem nõ: aliquos etiã nolentes consequi, quum in eis diuina gratia aut dederit vel immutauerit voluntatem, aliquos non. Nouimus aliquos etiam perfectos, ex labore multorum annorum prolapsos in vltimo vitæ suæ, & periisse. Aliquos verò ab ineunte ætate sua in omni scelere & damnabilitate, vsque ad decrepitam ætatem perduraſſe, & repẽtè cælitus inspirata salute raptos esse ad requiem regni cælorum. Nouimus etiam paruulos, quibus vsus liberi arbitrii non est, vt de bonis aut malis eorum iudicemus meritis, parentum manibus ad sacramentum sacri Baptismatis deportatos, & quum in vno eorum,

Ioannis 19. *Omnia facit Deus iustitia.*

per

per manus sacerdotis mysterium fidei adimpleretur, aliquoties alterum in parentum manibus factum exanimem, fraudatum gratia Saluatoris. Quis sapiens & intelliget hæc? aut quis idoneus erit horum reddere rationem? Dicamus cũ Dauid, Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. *Psalm.144.*

Ibidem circa finem.

Dicite igitur, Quare Deus qui personarum acceptor non est, & vult omnes homines saluos fieri, aliquorũ corda referat ad credendum, oculos illuminat ad videndũ, & ad sciendum mysterium regni cælorum, quo scilicet salui fieri possint: aliorum verò, vt lectionis textus dixit, inuoluẽs in parabolis veritatem, obtundit cor, excæcat oculos, claudit aures, ne Euangelium salutis agnoscãt, ne remissionem accipiant peccatorum? Dicite quæso, qualiter hæc loca Euangelii accipitis. docete quid hîc de Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, sentitis. Ecce iam omnes generaliter salui non sunt, quum aliis datur nosse viam salutis, aliis non datur. Hæc itaque quum facit Deus, non personarum acceptione facit, nõ iniustitia, sed iustitia inenarrabili & misericordia indebita. Quoniam verò hinc liquidò vtraque pars dicere nihil valemus, credamus tãtùm reum mortis ex iudicis voluntate pendere. Ne quisquam autem putaret diuino iudicio fieri, non omnes saluari, dixit Apostolus, Qui vult omnes homines saluos fieri. Quapropter omnes homines qui saluantur, Dei voluntate saluantur. Deus enim noster, Deus saluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis: &, Quia ira in furore eius, & vita in voluntate eius. Intelligite itaque in furore iustitiam, in voluntate misericordiam. Prædestinationem igitur negare, quam apud Deum esse breuiter probauimus, immanis blasphemia est, quã non tãtùm, sicut soletis dicere vos Pelagiani, in Apostolis debemus accipere, sed à Patriarchis & Prophetis & Martyribus & Confessoribus, in omnibus Sanctis, & dignè seruientibus Deo. Hinc nemo glorietur, nemo desperet. Solus enim Dominus scit qui sunt eius. Inquantum autem possumus, omnes homines ad bonum opus exhortemur, nulli desperationẽ demus, pro inuicem oremus, in cõspectu Dei nos humiliemus, dicentes, Fiat voluntas tua. Ipsius erit potestatis, iudicium in nobis debitum mutare damnationis, & gratiam prædestinationis indebitam prærogare, &c.

Marci 4.

1. Timot. 2.

Psal. 67. & 29

Prædestinationem Dei negare, est immanis blasphemia.

2. Timot. 2.

Matth. 6.

De vera innocentia, Cap. CLII.

Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, quum vitiis peccatisq; non seruit. tale datum est à Deo, quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi. vnde veritas dicit, Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis.

Arbitrium libertatis quãdo verè liberum.

Ioannis 7.

Eodem libro, Cap. CCCLXXIIII.

Si naturam cogitemus, in qua creati sumus, cùm omnes veritas creauerit, quis non est ex veritate? Sed non omnes sunt, quibus vt audiant veritatem & credant, ex ipsa veritate præstatur. Nullus proculdubio præcedẽtibus meritis saluatur, ne gratia non sit gratia. Si enim dixisset, Omnis qui audit vocem meam, ex veritate est: ideo dictus ex veritate putaretur, quia obtemperat veritati. Non autem hoc ait: sed, Omnis, inquit, qui est ex veritate audit vocem meam. Ac per hoc non ideo est ex veritate, quia audit vocem eius. sed ideo audit quia ex veritate est, id est, quia illi hoc donum collatũ est, quod quidem non est aliud, quàm quòd donante Christo, credit in Christum.

Nullus saluatur præcedentibus meritis.

Ioan. 18.

Ibidem, Cap. CCCLXXIX.

Neminem Deus ad peccandum cogit, præuidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Cur enim non vindicet iustus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim nemo memoria sua cogit facta esse quæ prætereunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt. Et sicut homo quædam quæ facit meminit, nec tamen omnia quæ meminit facit: ita Deus omnia, quorum ipse auctor est, præscit, nec tamen omnium, quæ præscit, ipse auctor est, Quorum autem non est auctor malus, iustus est vltor.

Neminem Deus ad peccandum cogit, præuidet autem.

In Euangelium Ioannis, tractatu XLV.

Nouit Dominus qui sunt eius, nouit præscitos, nouit prædestinatos. de illo quippe dicitur, Quos autem præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filii sui, vt sit primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinauit, ipsos & vocauit, & quos vocauit, ipsos & iustificauit. quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Adde adhuc, Qui proprio Filio suo non pepercit: sed pro nobis omnibus tradidit eum. quomodo etiam non cum illo omnia nobis donauit? Sed quibus? Nobis præscitis & prædestinatis, iustificatis, glorificatis: de quibus sequitur, Quis accusabit aduersus electos Dei? Nouit Dominus qui sunt eius. Ipsæ sunt oues, aliquando se ipsæ nesciunt: sed Pastor nouit eas. Secũdum istam prædestinationem, secundum istam Dei præscientiam, secundum electionem ouium ante constitutionem mundi. Secundum ergo istam præscientiam Dei & prædestinationem, quàm multæ oues foris, quàm multi lupi intus, & quàm multæ oues intus, & quã multi lupi foris! &c.

2. Timo. 2.

Roma. 8.

Romano. 8. Nouit Dominus qui sunt eius.

2 Timo. 2.

Ibidem.

Quis enim alius oues proprias vocat nominatim, & educit eas hinc ad vitam æternam, nisi qui nomina nouit prædestinatorum? Vnde ait discipulis suis, Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo.

Quis nominatim oues vocat. Ioan. 10.

Tractatu XLIX.

Nemo ergo se palpet, de suo satanas est, de Deo beatus est. Quid est enim de suo, nisi de peccato suo? Tolle peccatum quod est tuũ.

Homo de suo satanas: de Deo beatus.

1.Corinth.4. Iustitia,inquit,de meo est. Quid enim habes, quod non accepisti?

Tractatu LIII.

Quidam ergo inter se musitant,& vbi possunt aliquando proclamant, & turbulenta disceptatione contendunt,dicentes, Quid fecerunt Iudæi,vel quæ culpa eorum fuit,si necesse

Esaiæ 53. fuit,vt sermo Esaiæ impleretur,quẽ dixit,Domine,quis credidit auditui nostro? & brachiũ Domini cui reuelatum est? Quibus respondemus, Deum præscium futurorum,per Prophetam prædixisse infidelitatem Iudæorum, prædixisse tamẽ,non fecisse. Non enim propterea

Prædixit Dominus infidelitatem Iudæorum,non fecit. quenquem Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam nouit: ipsorum enim præsciuit peccata,non sua,nõ cuiusquam alterius, sed ipsorum. Quapropter si ea quæ ille præsciuit ipsorum, non sunt ipsorum,non verè ille præsciuit. Sed quia illius præscientia falli non potest,sine dubio nõ alii,sed ipsi peccant,quos Deus peccatores esse præsciuit. Fecerũt ergo peccatum Iudæi, quòd eos nõ compulit facere, cui peccatum non placet, sed facturos esse prædixit, quem nihil latet. Et ideo si non malum,sed bonum facere voluissent,nõ prohiberentur, & hoc facturi præuiderentur ab eo,qui nouit quid sit quisquam facturus, & quid ei sit pro eius opere redditurus,&c.

Eodem tractatu.

Romam.9. Quid ergo dicemus,inquit? Nunquid iniquitas est apud Deum? absit. Si ergo absit vt iniquitas sit apud Deum: siue quando adiuuat, misericorditer facit: siue quando non adiuuat, iustè facit: quia omnia non temeritate, sed iudicio facit. Porrò si iudicia Sanctorum iusta sunt,quantò magis sanctificantis & iustificantis Dei iusta ergo sunt,sed occulta? Ideo quum

Quid homini Christiano in hac quæstionibus facto opus sit. quæstiones huiusmodi in medium venerint, quare alius sic, alius autem sic: quare ille Deo deserẽte excæcetur, ille Deo adiuuante illuminetur: non nobis iudicium de iudicio tãti Iudicis vsurpemus: sed contremiscentes exclamemus cum Apostolo, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Vnde dictum est in Psalmo, Iudicia tua abyssus multa.

Eodem tractatu post pauca.

Si quis autem istam quæstionem liquidius & melius nouit se posse & confidit exponere: abst vt non sim paratior discere quàm docere: tantùm ne audeat quisque liberum arbitrium sic defendere, vt nobis orationem quam dicimus, Ne nos inferas in tẽtationem, conetur auferre. Rursus ne quisquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatũ. Sed audiamus Dominum & præcipientem, opitulantem & iubentem quid facere debeamus,& adiuuantem vt implere possimus. Nam & quosdam nimia suæ voluntatis fiducia extulit in superbiam,& quosdam nimia suæ voluntatis diffidentia deiecit in negligentiam. Illi dicunt, Vt quid rogamus Deum, ne vincamur tentatione,quod in nostra est potestate? Isti dicunt, Vt quid conamur bene viuere,quod in Dei est potestate? O Domine,ô Pater, qui es in cælis,ne nos inferas in quanlibet istarum tẽtationum: sed libera nos à malo.

Ne excusetur peccatum defendit hominis liberum arbitrium Augustinus.

Tractatu LXXXI.

Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso,nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis. Magna gratiæ commẽdatio, fratres mei, corda instruit humilium, ora obstruit superborum. Ecce si qui audent,respondeant,qui ignorantes Dei iustitiã,& suam volentes constituere,iustitiæ Dei non sunt subiecti. Ecce cui respondeant sibi placentes, & ad bona opera facienda Deum sibi necessarium non putantes: nonne huic resistunt veritati,homines mente corrupti,reprobi circa fidem,qui respondent & loquuntur iniquitatem, dicentes, A Deo habemus quòd homines sumus, à nobisipsis autẽ quòd iusti sumus? Quid dicitis,quid vosmetipsos decipitis,non assertores, sed præcipitatores liberi arbitrii, ex alto elationis per inania præsumptionis in profunda submersi? Nempe vox vestra est,quòd homo ex semetipso facit iustitiam,hoc est,altum elationis vestræ. sed veritas contradicit,& dicit, Palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite.

Ioannis 15. *Gratiæ Dei cõmendatio.*

Roman 10.

2.Tim.3.

Tractatu LXXXII.

Hæc est ad Deum gloria, qua glorificatur non homo,sed Deus: si non ex operibus, sed ex fide iustificatur, vt ex Deo illi sit quòd etiam bene operatur: quoniam palmes,sicut superius dixi, non potest ferre fructum à semetipso. Si enim in hoc glorificatus est Deus Pater, vt fructum plurimum afferamus,& efficiamur Christi discipuli,non hoc gloriæ nostræ tribuamus, tanquam ex nobisipsis habeamus: eius enim hæc gratia. & ideo in hoc non nostra, sed eius est gloria,&c.

Roman.4. Abacuc 2. *Vt fructũ plurimum afferamus,non gloriæ nostræ tribuendum.*

Tractatu LXXXVI.

Non vos me elegistis,sed ego elegi vos,neque enim iam credideramus in eum,vt eligeret nos. nam si iam credentes elegit, electos elegit. Cur ergo diceret, Non vos me elegistis, nisi quia misericordia eius præuenit nos? Hìc certè vacat vana illorũ ratiocinatio,qui præsciẽtiam Dei defendunt contra gratiam Dei,& ideo dicunt nos electos ante mundi constitutionem: quia præsciuit nos Deus futuros bonos, nõ se ipsum nos facturum bonos. Non hoc dicit qui dicit, Nõ vos me elegistis: quoniã si propterea nos elegisset,quia bonos futuros nos esse præsciuerat, simul etiam præscisset,quòd eum nos fuissemus prius electuri. Non enim aliter esse possemus boni, nisi fortè dicendus est bonus, qui nõ eligit bonum. Quid ergo eligit in nonbonis? Non enim electi sunt,quia boni fuerũt, qui boni non essent,nisi electi essent: alioquin

Ioannis 15.

Psalm.58.

Ephes.1.

Pij boni non essent,nisi electi essent.

gratia

gratia iam non est gratia, si præcessisse contendimus merita. Hæc quippe electio gratia est, de qua dicit Apostolus, Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ Dei saluæ factæ sunt. Vnde subiungit, Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Audi ingrate, ingrate audi, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Non est vt dicas, Ideo electus sum, quia iam credebã. si enim credebas in eum, iam non elegeras eum. Sed audi, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Nõ est vt dicas, Antequã crederem iam bona operabar: ideo electus sum. Quid enim est boni operis ante fidem, quum dicat Apostolus, Omne quod non est ex fide, peccatum est? Quid ergo dicturi sumus audiendo, Non vos me elegistis: nisi quia mali eramus, & electi sumus, vt boni per gratiã eligentis essemus? Non est enim gratia, si præcesserãt merita: est autem gratia. Hæc igitur nõ inuenit, sed efficit merita. Et videte, charissimi, quemadmodum non eligat bonos, sed quos elegit faciat bonos.

Roman.11.

Roman.14.

Quos Deus elegit, facit bonos.

Tractatu LXXXVII.

Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mũdus. Ergo & ipsi inde erant. Vnde vt nõ essent, electi sunt inde, non meritis suis, quorũ nulla bona præcesserant merita: non natura, quæ tota fuerat per liberum arbitrium in ipsa radice vitiata: sed gratuita, hoc est, vera gratia. Qui enim de mundo mundum elegit, fecit quod eligeret, non inuenit: quia reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Si autem gratia, inquit, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.

Ioannis 15.

Roman.11.

In Epistolam Ioannis, tractatu IIII.

Et omnis qui habet spem hanc in ipso, castificat semetipsum, sicut & ipse castus est. Videte quemadmodum non abstulit liberum arbitriũ, vt diceret, castificat semetipsum. Quis nos castificat nisi Deus? Sed Deus te nolentem nõ castificat. ergo quòd adiungis voluntatem tuam Deo, castificas temetipsum, castificas te, non de te, sed de illo qui venit vt habitet in te. Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideo & tibi aliquid tributum. Ideo autem tibi tributum est, vt dicas sicut in Psalmo, Adiutor meus esto, ne derelinquas me. Si dicis, Adiutor meus esto, aliquid agis. Nam si nihil agis, quomodo ille adiuuat?

Voluntas boni non in omnibus adimitur.

Psalm.26.

Contra Cresconium Grammaticum, libro II. Cap. IX.

Hæc conuersio voluntatis repentè mutauit non solùm in telonio peccatorem, verumetiam in cruce latronem.

Ab exemplo. Matth.9. Luæ 23.

Libro III. contra eundem, Cap. II.

Frustra dicis, Relinquar libero arbitrio, Cur enim non in homicidiis & in stupris, & in quibuscunque aliis facinoribus & flagitiis libero te arbitrio dimittendum esse proclamas? Quæ tamen omnia iustis legibus comprimi vtilissimum ac saluberrimum est. Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem: sed nec bonam infructuosam, nec malam voluit esse impunitam, &c.

Vitia iustis legibus comprimi vtilissimum est.

Libro II. de peccatorum meritis, & remissione, Cap. XVIII.

Quòd à Deo nos auertimus, nostrum est, & hæc est voluntas mala: quòd verò ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante atque adiuuante non possumus, & hæc est voluntas bona. Quid habemus quod nõ accepimus? Si autem accepimus, quid gloriamur, quasi non acceperimus, ac per hoc vt qui gloriatur, in Domino glorietur? Quibus hoc Dominus donare voluerit, eius misericordiæ est, non meriti illorum. quibus autem noluerit, veritatis est.

Quid à Deo sit auersio hominis est, Dei autem est ad Deum nos conuertere.

1.Cor.1.& 4.

Post pauca ibidem in fine.

Quare autem illos velit conuertere, illos pro auersione punire, quanquam & in beneficio tribuendo nemo iustè reprehendat misericordem, & in vindicta exercẽda, nemo iustè reprehendat veracem: sicut in illis Euangelicis operariis, aliis placitam mercedem reddẽtem, aliis etiam non placitam largientem: nullus iustè culpauerit, consilium tamen occultioris iustitiæ penes ipsum est.

Quare Deus illos conuertit, illos pro auersione punit, ecce cultura.

Matth.20.

De spiritu & litera, Cap. III.

Nos autem dicimus humanam voluntatem sic diuinitus adiuuari ad faciendam iustitiam, vt præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterq; doctrinam qua ei præcipitur quẽadmodũ viuere debeat, accipiat Spiritũ sanctũ, quo fiat in animo eius delectatio dilectióque summi illius atq; incõmutabilis boni, quod Deus est. Etenim nunc per fidem ambulatur, nondum per speciem, vt hac sibi velut arra data gratuiti muneris, inardescat inhærere Creatori, atque inflãmetur accedere ad participationem illius veri luminis, vt ex illo ei bene sit, à quo habet vt sit. Nam neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via. Et quũ id quod agendum & quò nitendum est, cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene viuitur. Vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, nõ per arbitrium liberum, quod surgit ex nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

2.Corinth.5.

Charitas Dei per quem diffundatur in cordibus nostris.

De spiritu & litera, Cap. XXX.

Liberum ergo arbitrium euacuamus per gratiam? Absit: sed magis liberum arbitrium statuimus. Sicut enim Lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non euacuatur, sed statuitur. Neque enim Lex impletur, nisi libero arbitrio: sed per Legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ à vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium iustitiæ dilectio, per iu-

Liberum arbitrium per gratiam statuitur, no euacuatur.

f.

ſtitiæ dilectionem Legis operatio. Ac per hoc, ſicut Lex non euacuatur, ſed ſtatuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua Lex impleatur: ita liberum arbitrium non euacuatur per gratiam, ſed ſtatuitur, quia gratia ſanat voluntatem, qua iuſtitia liberè diligatur. Omnia hæc quæ velut catenatim cõnexui, habent voces ſuas in Scripturis ſanctis. Lex dicit, Non concupiſces. Fides dicit, Sana animam meam, quoniam peccaui tibi. Gratia dicit, Ecce ſanus factus es, iam noli peccare amplius, ne quid tibi deterius contingat. ſanitas dicit, Domine Deus meus, clamaui ad te, & ſanaſti me. Liberum arbitrium dicit, Voluntariè ſacrificabo tibi: dilectio iuſtitiæ dicit, Narrauerunt mihi iniuſti delectationes, ſed non vt Lex tua Domine. Vt quid ergo miſeri homines, aut de libero arbitrio audent ſuperbire antequam liberentur, aut de ſuis viribus, ſi iam liberati ſunt? Nec attendunt in ipſo nomine liberi arbitrii vtique libertatem ſonare: vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo ſerui ſunt peccati, quid ſe iactant de libero arbitrio? A quo enim quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. Si autẽ liberati ſunt, quid ſe iactãt velut de opere proprio, & gloriantur, quaſi non acceperint? An ita ſunt liberi, vt nec illum velint habere Dominũ qui eis dicit, Sine me nihil poteſtis facere: &, Si vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis?

Exod.20. Pſalm.40. Ioannis 5.

Pſal.29.55.& 118.

2.Corinth.3. 2.Petri 2.

Ioannis 8, & 15.

Eodem lib.Cap.XXXIIII.

Quid habes quod non accepiſti? Propterea etiam voluntas qua credimus, dono Dei attribuitur: quia de libero exiſtit arbitrio, quod quum crearemur, accepimus. Attendat & videat non ideo tantùm iſtam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt, verumetiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus, ſiue extrinſecus per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata Legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantem credendo confugiat: ſiue intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate quid ei veniat in mentem: ſed conſentire vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat (neque enim credere poteſt quolibet arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio vel vocatio cui credat) profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius præuenit nos. conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt. Quæ res non ſolùm non infirmat quod dictum eſt, Quid enim habes quod non accepiſti? verumetiam confirmat. Accipere quippe & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo: ac per hoc quid habeat & quid accipiat, Dei eſt: accipere autem & habere vtique accipientis & habentis eſt. Iam ſi ad illam profunditatem ſcrutãdam quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadetur, vt perſuadeatur, illi autem non ita, duo ſola occurrunt interim, quæ reſpondere mihi placeat, O altitudo diuitiarum: &, Nũquid iniquitas apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caueat ne inueniat præſumptores.

1.Corinth.4.

Neque enim credere quiſquam poteſt, ſi ſuaſio vel vocatio deeſt.

Roma.11.

Roman.9.

De natura & gratia contra Peſagianos, Cap.I.

Falſò queritur de natura ſua genus humanum. Nã ſi per Legẽ iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Si autem non gratis mortuus eſt, in illo ſolo iuſtificatur impius, cui credenti in eum qui iuſtificat impium, deputatur fides ad iuſtitiam. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per ſanguinem ipſius. Quicunque autem non putantur pertinere ad hoc omnes qui peccauerunt, & egent gloria Dei: profectò nullam neceſsitatem habent vt Chriſtiani fiant: Quia non eſt opus ſanis medicus, ſed ægrotantibus. vnde non venit ille vocare iuſtos, ſed peccatores.

Gala.2.

Roman.4.

Aegrotis opus eſt medicus.

Rom.3.

Matth 9.

Cap.III.Ibidem.

Natura quippe hominis primitus inculpata, & ſine vllo vitio creata eſt. Natura verò iſta hominis, qua vnuſquiſque ex Adam naſcitur, iam medico indiget, quia ſana non eſt. Omnia quidem bona, quæ habet in formatione, vita, ſenſibus, mente, à ſummo Deo habet creatore & artifice ſuo. Vitium verò, quod iſta naturalia bona contenebrat & infirmat, vt illuminatione & curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum eſt, ſed ex originali peccato quod commiſſum eſt libero arbitrio: ac per hoc natura pœnalis ad vindictam iuſtiſsimam pertinet. Si enim iam ſumus in Chriſto noua creatura, tamen eramus natura filii iræ, ſicut & cæteri. Deus autem, qui dites eſt in miſericordia, propter multam dilectionem qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui delictis, conuiuificauit nos Chriſto, cuius gratia ſumus ſalui facti.

Eccleſia.7.

Natura hominis ſine vllo vitio primum creata eſt.

2.Corint.5

Ephe.2.

Cap.IIII.Eodem libro.

Hæc igitur Chriſti gratia, ſine qua nec infantes, nec ætate grãdes ſalui fieri poſsunt, nõ meritis redditur, ſed gratis datur, propter quod gratia nominatur. Iuſtificati, inquit, gratis per ſanguinem ipſius. Vnde ii qui non per illam liberantur, ſiue qui audire nondum potuerunt, ſiue quia obedire noluerunt, ſiue etiã cùm per ætatem audire non poſſent, lauacrũ regenerationis quod accipere poſſent, per quod ſalui fierent, non acceperunt: iuſtè vtique damnantur, quia ſine peccato non ſunt, vel quod originaliter traxerũt, vel quod malis moribus addiderũt. Omnes enim peccauerũt, ſiue in Adam, ſiue in ſemetipſis, & egent gloria Dei.

Roman.11.

Roman.3.

Sine gratia Chriſti nec infantes, nec ætate grandes ſalui fiunt.

Cap.V.

Vniuerſa maſſa

Vniuerſa igitur maſſa pœnas debet, & ſi omnibus

generis humani rea. omnibus debitum damnationis suppliciũ redderetur, non iniustè proculdubio redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur, nõ vasa meritorum suorum, sed vasa misericordiæ nominantur. Cuius misericordiæ, nisi illius qui Christum Iesum misit in hunc mundum, peccatores saluos facere, quos præsciuit & prædestinauit, & vocauit, & iustificauit, & glorificauit? Quis igitur vsqueadeo demẽtissimè insaniat, vt non agat ineffabiles gratias misericordiæ, quos voluit liberantis, qui rectè nullo modo possent culpare iustitiam, vniuersos omnino damnantis?

Roman. 9.

1. Timoth. 1. Roman. 8.

Cap. XXVII.

Vt ad iustitiã redeat quisque, opus habet Christo. Nemo enim dicit, sic hominem factũ, vt de iustitia quidem posset in peccatum ire, & de peccato ad iustitiam redire non posset. Sed vt in peccatum iret, sufficit ei liberum arbitrium, quo se ipse vitiauit. Vt autem redeat ad iustitiam, opus habet medico, quoniam sanus non est, opus habet viuificatore, quia mortuus est.

Cap. XL. eodem libro.

Quæ sit sapientia Verbi, qua euacuatur crux Christi. Sed putat fortasse ideo necessariũ esse Christi nomen, vt per eius Euangelium discamus quemadmodum viuere debeamus, nõ etiam vt eius adiuuemur gratia, qua bene viuamus. Vel hinc saltẽ cõfiteatur esse miserabiles tenebras in animo humano, qui scit quẽadmodũ debeat leonẽ domare, & nescit quemadmodũ viuere. An & hoc vt sciat, sufficit ei liberũ arbitrium, léxque naturalis? Hæc est sapientia Verbi, qua euacuatur crux Christi. Sed qui dixit, Perdam sapientiam sapiẽtum, qua ista crux non potest euacuari, profectò istam sapientiam per stultitiam prædicationis, qua credentes saluantur, euertit. Si enim possibilitas naturalis per liberum arbitrium & ad cognoscendum quomodo viuere debeat, & ad bene viuendum sufficit: sibi ergo Christus gratis mortuus est: ergo euacuatum est scandalum crucis.

Abdiæ 1. 1. Corinth. 1.

Cap. XLIII.

Verum est autem quod dicitur, quòd Deus tam bonus quàm iustus, talem hominem fecerit, cui peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset. Quis enim nescit cum sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio atque ad iustè viuẽdum potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semiuiuum latrones in via reliquerunt, qui grauibus saucius confossúsque vulneribus, nõ ita potest ad iustitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere. Qui etiam & si iam in stabulo est, adhuc curatur. Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubẽdo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis. Iam nunc videamus vnde possit, vnde non possit. Iste dicit, Voluntate non est, quod naturâ potest. Ego dico, Volũtate quidem nõ est homo iustus, si naturâ potest, sed medicinâ poterit, quod vitio non potest.

Luc. 10. Deus iubendo admonet & facere & petere.

Cap. XLIV. ibidem.

Hieronymus in Matthæum. Item quod quidam dicunt, à Hieronymo presbytero dictum esse, Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia, necessitate trahimur: alioqui vbi necessitas, nec corona est: quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? Quis aliter cõditam humanam neget esse naturam? Sed in rectè faciendo, ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis.

Cap. 5. Homo nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahitur.

Contra Pelagium & Cælestium de gratia Christi, Cap. V. lib. I.

Spiritus sanctus gratiæ Dei futuros aduersarios præuidit Deus enim est qui operatur in vobis & velle & perficere, vel sicut in aliis, & maximè Græcis codicibus legitur, Et velle & operari. Videte si non Apostolus gratiæ Dei futuros aduersarios sancto Spiritu tantò antè præuidit: & hæc duo, id est, & Velle & Operari, quæ Pelagius ita nostra esse voluit, tanquam ipsa diuinæ gratiæ non adiuuentur auxilio, Deum in nobis dicit operari.

Contra duas Epistolas Pelagianorum, ad Bonifacium, lib. I. Cap. II.

Quis autem nostrûm dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum: sed illa quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam: propter quod humana natura diuina indiget gratia, dicente Domino, Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis. vtique liberi ad bene iustéque viuendum. Nam liberum arbitrium vsque adeò in peccatore non periit, vt per illud peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet. Vnde & Apostolus, Quum essetis, inquit, serui peccati, liberi fuistis iustitiæ. Ecce ostenduntur etiam peccato minimè potuisse, nisi alia libertate seruire. Liberi ergo à iustitia non sunt, nisi arbitrio volũtatis: liberi autem à peccato non fiunt, nisi gratia Saluatoris, &c.

Ioannis 8. Liberi arbitrio peccatur.

Roman. 6.

Eodem libro, Cap. III.

Datur ergo potestas, vt filii Dei fiant, qui credunt in eum, quum hoc ipsum datur, vt credant in eum. Quæ potestas nisi detur à Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio: quia nec liberum in bono erit, quod liberator nõ liberauerit: sed in malo liberũ habet arbitriũ, cui delectationem malitiæ vel occultus vel manifestus deceptor inseruit, vel sibi ipse persuasit.

Ioannis 1. Vt credatur in Deum, fides a Deo detur.

Ibidem in fine.

Homo bonum velle nõ potest, nisi adiuuetur à Deo. Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adiuuetur ab eo qui malum non potest velle: hoc est, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Omne enim quod non est ex fide, peccatũ est. Ac per hoc bona voluntas, quæ se abstrahit à peccato, fidelis est: quia iustus ex fide viuit. Ad fidem autem pertinet credere in Christum: & nemo potest credere in eum, hoc est, venire ad eum, nisi fuerit illi datum. Nemo igitur potest habere voluntatem iustam, nisi nullis præcedentibus meritis acceperit veram, hoc est, gratuitam desuper gratiam.

Roman. 14. Abacuc 2.

Cap.XVIII.

Hominem,inquit, Dei opus defendimus, nec ex illius potẽtia, vel in malum, vel in bonũ inuitum aliquem cogi, ſed propria voluntate aut bonum facere aut malum. In bono verò opere à Dei gratia ſemper adiuuari : in malum verò diaboli ſuggeſtionibus incitari. Ad hæc reſpondemus, homines eſſe opus Dei,inquantum homines ſunt:ſed ſub diabolo eſſe,inquãtum peccatores ſunt, niſi eruãtur inde per eũ, qui non ob aliud factus eſt inter Deum & homines Mediator, niſi quia ex hominibus non potuit eſſe peccator:neque ex Dei potẽtia, vel in malum, vel in bonum inuitum aliquem cogi,ſed Deo deſerẽte, pro meritis ire in malum, & Deo adiuuante ſine meritis conuerti ad bonum. Non eſt enim homo bonus, ſi nolit : ſed gratia Dei etiã ad hoc adiuuatur, vt velit:quoniã non inaniter ſcriptũ eſt, Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate: &, Præparatur voluntas à Domino.

Homo bonus nõ eſſe poteſt inuitus.

Philip.2.

Cap.XIX.

Dic mihi,obſecro, quid boni Paulus,adhuc Saulus,volebat: ac non potius magna mala,quãdo ſpirans cædem agebatur ad vaſtãdos horrenda mentis cæcitate ac furore Chriſtianos? Quibus meritis bonæ voluntatis Deus illum ab iis malis ad bona, mirabili ac repentina vocatione conuertit? Quid ergo dicam quibus meritis, quum ipſe clamet, Nõ ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit?

Actorum 9.

Paulus mirabili vocatione ad fidem vocatus eſt.

Tit.3.

Libro II.contra eaſdem,

Cap.IX.

Auertat enim Deus hanc amentiam à nobis, vt in donis eius nos priores faciamus, poſteriorem ipſum : quoniã miſericordia præueniet me,& ipſe eſt cui fideliter veracitérq; cantatur, Quoniam præueniſti eum in benedictione dulcedinis. Et quid hîc aptius intelligitur, quàm ipſa,de qua loquimur,cupiditas boni?

Miſericordia Dei præuenit hominem.

Pſalm. 20,& 58.

Ibidem,Cap.IX.

Non enim omnes vocati, ſecundum propoſitum ſunt vocati: quoniam Multi vocati, pauci verò electi. Ipſi ergo vocati ſecundum propoſitum, qui electi ante conſtitutionem mundi. De hoc propoſito Dei dictum eſt & illud quod iam commemoraui de geminis Eſau & Iacob, Vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, Maior ſeruiet minori. Hoc propoſitum Dei, & illo commemoratur loco, vbi ad Timotheum ſcribens, ait, Collabora Euãgelio ſecundum virtutem Dei ſaluos nos facientis, & vocantis vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum & gratiam quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu, ante ſecula æterna, manifeſtata autẽ nunc per aduẽtum Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Hoc ergo propoſitum Dei: vnde dicitur, Omnia cooperatur in bonum, iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt. Hominis autem propoſitum bonum adiuuat quidem ſubſequens gratia. Sed nec ipſum eſſet niſi præcederet gratia. Studium quidẽ hominis, quod dicitur bonum, quãuis cùm eſſe cœperit,adiuuetur gratia, non tamen incipit ſine gratia: ſed ab illo inſpiratur,de quo dicit Apoſtolus, Gratias autẽ Deo,qui dedit idẽ ſtudium pro vobis in corde Titi. Si ſtudiũ quiſque, vt pro aliis habeat, Deus dat, vt pro ſeipſo habeat, quis alius eſt daturus?

Roma.8.

Bonum hominis propoſitum adiuuat gratia Dei.

2.Cor.8.

Cap.X.in fine.

Quia ſicut nemo poteſt bonũ inchoare ſine Domino, ſic nemo perficere ſine Domino.

Sine Deo boni nihil fit.

Libro V. contra Iulianum,Cap.III.

Ex numero electorũ & prædeſtinatorum etiam qui peſsimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducũtur ad pœnitẽtiam, per cuius patientiam non ſunt huic vitæ in ipſa ſcelerum perpetratione ſubtracti : vt oſtendatur & ipſis & aliis cohæredibus eorum de quàm profundo malo poſsit Dei gratia liberare. Ex his nemo perit,quacunque ætate moriatur. Abſit enim vt prædeſtinatus ad vitã,ſine ſacramẽto Mediatoris finire permittatur hanc vitam. Propter hos Dominus ait, Hæc eſt autem voluntas eius qui miſit me Patris,vt omne quod dedit mihi nõ perdam ex eo, &c.

Vocantur ad pœnitentiam etiam peſſimi.

Ioan.6.

Libro VI. contra eundem,

Cap.VIII.

Cùm ergo Deum niſi ſtulta impietas non reprehendat, quòd homines vitioſa voluntate damnabiles, illo viuificante viuunt qui viuificat omnia : cur putamus ab eius operibus abhorrere, quod origine vitiata, damnabiles illo creante naſcuntur, qui Creator eſt omnium, & per Mediatorẽ regenerati à damnatione liberantur debita : ſed gratuita miſeratione non debita, quos elegit ante conſtitutionem mundi, per electionem gratiæ, non ex operibus vel præteritis vel præſentibus vel futuris : alioquin gratia iam non eſt gratia? Quod maximè apparet in paruulis, quorum nec præterita poſſunt dici opera,quia non fuerunt:nec præſentia, quia nihil operantur:nec futura,quando in illa ætate moriuntur,&c.

Eph.1.

Roman.11

In paruulis nec præterita, nec præſentia opera inueniri

In Enchiridio ad Laurentium,

Cap.XXVII.

Melius enim iudicauit Deus de malis benefacere,quàm mala nulla eſſe permittere.

Mirabile iudicium.

Eodem libro,Cap. XXX.

Verùm hæc pars generis humani,cui liberationem Deus regnúmque promiſit æternum,nunquid meritis operum ſuorum reparari poteſt? Abſit. Quid enim boni operari poteſt perditus, niſi quantum fuerit à perditione liberatus ? Nunquid libero voluntatis arbitrio?& hoc abſit. Nam libero arbitrio malè vtens homo, & ſe perdidit & ipſum. Gratia ſalui

Libero arbitrio homo reparari non poteſt.

salui facti estis per fidem.

Cap.XXXI.ibidem.

Et ne ipsam sibi saltem fidem sic arrogarẽt, vt non intelligerent diuinitus esse donatam, sicut idem Apostolus alio loco se dicit, vt fidelis esset, misericordiam consecutum: hȩc quoque adiunxit atque ait, Et hoc nõ ex nobis, sed Dei donum est, nõ ex operibus, ne fortè quis extollatur. Et ne putarẽtur fidelibus bona opera defutura, rursus adiecit, Ipsi⁹ enim sumus figmẽtum, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Tunc ergo efficimur verè liberi, quum Deus nos fingit, id est, format & creat, non vt homines, quod iã fecit, sed vt boni homines simus, quod nunc gratia sua facit, vt simus in Christo Iesu noua creatura, secũdum quod dictum est, Cor mundum crea in me Deus. Neque enim cor eius, quantùm pertinet ad naturam cordis humani, non iam creauerat Deus, &c.

1. Corinth. 7.
Ephes. 2.
Bona opera fidelibus non defutura.
Psalm. 50.

Cap.XXXII.eodem libro.

Item ne quisquam, etsi non de operibus, de ipso glorietur libero arbitrio voluntatis, tanquam ab ipso incipiat meritum, cui tanquam debitum reddatur præmium, bene operandi ipsa libertas: audiat eundem gratiæ præconem dicẽtem, Deus est enim qui operatur in vobis, & velle & operari pro bona voluntate. Et alio loco, Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Quum proculdubio, si homo eius ætatis est, vt ratione iam vtatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, nec peruenire ad palmam supernæ vocationis Dei, nisi voluntate cucurrerit. Quomodo ergo nõ volentis, neque currentis, sed miserẽtis est Dei, nisi quia & ipsa voluntas, sicut scriptum est, à Deo præparatur?

Philip. 2.
Roman. 9.
Voluntas hominis à Deo præparatur.

Cap.XCVII.

Quamobrem videndum est, quemadmodum sit de Deo dictũ, quia & hoc Apostolus verissimè dixit, Qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quum enim non omnes, sed multò plures non salui fiunt, videtur vtique nõ fieri, quod Deus vult fieri, humana scilicet volũtate impediente voluntatem Dei. Quando enim quæritur causa, cur non omnes salui fiant, respondere solent, Quia hoc ipsi nolunt. Item Dominus in Euãgelio, Quoties volui, inquit, colligere filios tuos sicut gallina pullos suos, & noluisti? tanquam Dei voluntas separata sit hominum volũtate, & infirmissimis nolẽdo impedientibus, nõ potuerit facere potẽtissimus quod volebat.

1. Timot. 2.
Quare non omnes salui fiunt.
Matth. 23.

Cap.XCVIII.ibidem responsio ad illa.

Quis porrò tam impiè desipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quãdo voluerit, vbi voluerit, in bonum non posse conuertere? Sed quum facit, per misericordiam facit: quum autem non facit, per iudicium non facit: quoniam cuius vult miseretur, & quem vult indurat, &c.

Quomodo misereri & indurare dicatur Deus.

Eodem libro, Cap.C.

Quantùm enim ad ipsos malos attinet, quod Deus noluit, fecerunt: quantùm verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso, quod contra voluntatem Dei fecerũt, de ipsis facta est voluntas eius. Propterea magna, inquit, opera Domini, exquisita in omnes volũtates eius: vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiã fit contra eius voluntatẽ: quia non fieret, si non sineret, nec vtique nolẽs sinit, sed volẽs. Nec sineret bonus fieri malè, nisi Omnipotẽs etiã de malo facere posset bene.

Non fit præter Dei voluntatẽ, quid fierri videtur contra eius voluntatem.

Cap.CI.

Aliquando autem bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult etiam ipse bona multò amplius multóque certius voluntate. Nam illius voluntas mala esse nunquam potest: tanquam si bonus filius patrem velit viuere, quem Deus bona volũtate vult mori. Et rursum fieri potest, vt hoc velit homo volũtate mala, quod Deus vult bona: velut si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus. Nempe ille vult quod non vult Deus: iste verò id vult quod vult & Deus. & tamen bonæ voluntati Dei pietas illius potius cõsonat, quanuis aliud volẽtis, quàm huius idem volẽtis impietas. Tãtùm interest, quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, vt aut approbetur, aut improbetur. Nã Deus quasdam voluntates suas vtique bonas implet, per malorũ hominum voluntates malas: sicut per Iudæos maleuolos, bona voluntate Patris, Christus pro nobis occisus est. Quod tantum bonum factum est, vt Apostolus Petrus, quando id fieri nolebat, Satanas ab ipso qui occidi venerat, diceretur. Quã bonæ apparebant voluntates fidelium, qui nolebant Apostolum Paulum Hierusalem pergere, ne ibi pateretur mala, quæ Propheta Agabus prædixerat? Et tamen Deus hæc illum pati volebat, pro annuntianda fide Christi exercẽs martyrem Christi. Neque iste bonam voluntatem suam impleuit, per Christianorum voluntates bonas: sed per Iudæorum malas, & ad eum potius pertinebãt, qui nolebant quod volebat, quàm illi per quos volẽtes factũ est quod volebat: quia idipsum quidem, sed ipse per eos bona, illi autem mala voluntate fecerunt.

Vult aliquãdo homo bona voluntate aliquid quod Deus non vult.
Matth. 16.
Actorum 21.

Cap.CIII.

Qui omnes homines vult saluos fieri: non quòd nullus hominum esset, quem saluum fieri nolet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuisse pœnitentiam si fecissent: sed vt omnes homines, omne genus humanum intelligamus, per quascunq; differentias distributum, Reges, priuatos, nobiles, ignobiles, sublimes, humiles, doctos, indoctos, integros corporis, debiles, ingeniosos, tardicordes, fatuos, diuites, pauperes, mediocres, mares, fœminas, infãtes, pueros, adolescẽ-

1. Timot. 2.
Locus ille Pauli exponitur.

tes,iuuenes,seniores,senes, in linguis omnib⁹, in moribus omnibus,in professionibus omnibus,in artibus omnibus, in volũtatum & conscientiarũ varietate innumerabili cõstitutos, & siquid aliud differẽtiarum est in hominibus.

Cap.CIIII.

Quapropter etiam primum hominẽ Deus in ea salute,in qua conditus erat,custodire voluisset, eúmque opportuno tẽpore post genitos filios sine interpositione mortis ad meliora perducere, vbi iam nõ solùm peccatum non committere, sed nec volũtatem posset habere peccandi,si ad permanẽdum sine peccato,sicut factus erat,perpetuam voluntatem habiturum esse præsciuisset. Quia verò eum malè vsurum libero arbitrio, hoc est, peccaturum esse præsciebat, ad hoc potius præparauit voluntatem suam, vt bene ipse faceret etiã de malè facientẽ: ac sic hominis voluntate mala non euacuarentur, sed nihilominus implerentur Omnipotentis bona.

In peccante Adam,nihilominus impleta est Dei voluntas bona.

Cap.CVI.

Immortalitatem natura humana perdidit per liberum arbitrium, & hanc est acceptura per gratiam,quam fuerat (si non peccasset) acceptura per meritum: quanuis sine gratia nec tunc vllum meritum esse potuisset: quia etsi peccatum in solo libero erat arbitrio constitutum: non tamen iustitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni diuinum adiutorium præberetur.

Natura humana per liberum arbitrium perdidit immortalitatem.

Cap.CXVIII.

Sic est & Dei populus ordinatus per temporum interualla, sicut Deo placuit, qui in mensura & numero & pondere cuncta disponit. Nam fuit primitus ante Legem, secundò sub Lege,quæ per Moysen data est: deinde sub gratia,quæ reuelata est per primum Mediatoris aduẽtum: quæ quidem gratia nec antea defuit, quibus impartiri eam oportuit, quanuis pro temporis dispensatione velata & occulta. Neque enim antiquorum quicũque iustorum, præter Christi fidem salutem potuit inuenire. At verò nisi & illis cognitus fuisset, non potuisset nobis per eorum ministerium aliis apertius,aliis occultius prophetari.

Sapient.11.

Gratia Christi patribus non defuit.

Ad Valentinum præliminaris Epistolæ,libri de gratia & libero arbitrio,primæ.

Venerunt ad nos duo iuuenes,Cresconius & Felix, de vestra congregatione se esse dicentes, qui nobis retulerunt monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eò quòd quidam in vobis sic gratiam prædicent, vt negent hominis esse liberum arbitrium, & (quod est grauius) dicant, quòd in die iudicii non sit redditurus Deus vnicuique secundum opera eius. Etiam hoc tamẽ indicauerũt,quòd plures vestrũ nõ ita sentiãt, sed liberũ arbitriũ adiuuari fateãtur per Dei gratiam, vt rectè sapiamus atq; faciamus,vt quũ venerit Dominus reddere vnicuique secundum opera eius, inueniat opera nostra bona, quæ præparauit Deus,vt in illis ambulemus. Hoc qui sẽtiunt, bene sentiunt.

Recte sentiũt de libero arbitrio, qui ita sentiũt.

Ibidem in fine.

Eo ipso quippe, quo præceptum & imperatum est, vt intelligamus atque sapiamus,obedientiam nostram requirit, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio. Sed si posset hoc ipsum sine adiutorio Dei gratiæ fieri per liberum arbitrium, vt intelligeremus atque saperemus, non diceretur Deo, Da mihi intellectum,vt discam mandata tua. Neque in Euangelio scriptũ esset, Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerẽt Scripturas. Nec Iacobus Apostolus diceret, Si quis autem vestrũm indiget sapientia,postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter,& non improperat: & dabitur ei.

Gratiæ Dei omnia debentur,nihil meritis.

Psalm.118. Luc.24

Iacob.1.

In secunda Epistola ad eundem.

Soli enim paruuli, qui nondum habent opera propria,vel bona, vel mala,secundum solum originale peccatum damnabuntur, quibus per lauacrum regenerationis non subuenit gratia Saluatoris. Cæteri autem omnes, qui iam vtentes libero arbitrio, sua propria peccata originali peccato insuper addiderũt, si de potestate tenebrarum per gratiam Dei non eruuntur, nec transferuntur ad regnum Christi, non solum secundum originis, verũ etiam secundum propriæ voluntatis merita iudicium reportabunt. Boni verò etiam ipsi quidem, non solum secundum suæ bonæ voluntatis merita præmium consequentur, sed etiam ipsam bonam voluntatem per Dei gratiam consecuti sunt: ac sic impletur quod scriptum est,Ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum,Iudæi primùm & Græci. gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco.

Paruuli Baptismi exortes, ob originale peccatum damnantur.

Coll.1.

Rom.2.

Post pauca ibidem.

Quantũ ergo potuimus,egimus cum istis & vestris & nostris fratribus, vt in fide sana catholica perseuerent: quæ neque arbitrium liberum negat, siue in vitam malam,siue in bonam, neque tantum ei tribuit, vt sine gratia Dei valeat aliquid,siue vt ex malo conuertatur in bonum, siue vt in bono perseueranter proficiat,siue vt ad bonum sempiternum perueniat, vbi iam non deficiat, non timeat.

Liberũ arbitrium sine gratia nihil valet.

De gratia & libero arbitrio ad Valentinum,Cap II.

Reuelauit autem nobis per Scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis arbitrium. Quomodo autem reuelauit,commemoro vos,non humano eloquio, sed diuino, Primùm, quia ipsa diuina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens, ad promissa præmia perueniret. Ideo enim data sunt, vt homo excusationem de ignorantia non haberet,

Præcepta Dei quare data.

ret,sicut Dominus dicit in Euãgelio de Iudęis,Si nõ veniſſẽ,& locut⁹ fuiſſẽ eis,peccatũ nõ haberent, nunc autẽ excuſationẽ non habent de peccato ſuo. De quo peccato dicit,niſi de illo magno eorum quod præſciebat futurum, quando iſta dicebat, id eſt, quo eum fuerant occiſuri?

Ibidem poſt pauca.

Ipſe ab initio fecit illum, & reliquit illum in manu conſilii ſui. ſi volueris conſeruabis mandata & fidem bonam placiti,apponet tibi ignem & aquam, ad quodcunque volueris extende manum tuam. In conſpectu hominis vita & mors:& quodcunque placuerit, dabitur ei. Ecce apertiſsimè videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quid illud,quòd tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri & fieri iubet Deus? Quomodo iubet, ſi non eſt liberum arbitrium? Quid beatus ille,de quo Pſalmus dicit, Quòd in Lege Domini fuit voluntas eius? Nonne ſatis indicat voluntate ſua hominem in Lege Dei conſiſtere? Deinde tam multa mandata,quæ ipſam quodammodo nominatim conueniunt voluntatem,ſicut eſt,Noli vinci à malo.

Homo ad quid habeat liberũ arbitrium.

Pſalm.1.

Rom.12

Cap.IIII.

Sed metuendum eſt, ne iſta omnia diuina teſtimonia & quæcunque alia ſunt, quæ ſine dubitatione ſunt plurima,in defenſione liberi arbitrii ſic intelligantur, vt ad vitam piam & bonam conuerſationem,cui merces æterna debetur,adiutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur:& audeat miſer homo,quãdo bene viuit & bene operatur, vel potius bene viuere & bene operari ſibi videtur,in ſeipſo non in Domino gloriari,& ſpem rectè viuendi in ſeipſo ponere: vt ſequatur eum maledictũ Hieremiæ dicentis,Maledictus homo,qui ſpem habet in homine,& firmat carnem brachii ſui, & à Domino diſcedit cor eius.

Metuẽdum ne defenſores liberi arbitrij gratiæ Dei non relinquant locũ.

Ibidem.

Proinde,chariſsimi,ſicut ſuperioribus teſtimoniis Scripturarum probauimus ſanctarum, ad bene viuendum & rectè agendum eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium: ſic etiam de gratia Dei, ſine qua nihil boni agere poſſumus, quæ ſint diuina teſtimonia videamus. Vigilate(inquit)& orate, ne intretis in tentationem. Ergo vnuſquiſque contra ſuam concupiſcentiam dimicans, oret, ne intret in tentationem, id eſt, ne ſit ab illa abſtractus & illectus. Non autem intrat in tentationem,ſi voluntate bona vincat concupiſcentiam malam. Nec tamen ſufficit arbitrium voluntatis humanæ, niſi à Domino victoria concedatur oranti,ne intret in tentationem. Quid verò euidentius, quàm Dei oſtenditur gratia, vbi quod oratur,accipitur? Si enim dixiſſet Saluator noſter, Vigilate,ne intretis in tẽtationem: admoniſſe tantummodo videretur hominis volũtatem. quum verò addidit,Et orate,oſtendit Deum adiuuare ne intretur in tẽtationem.

Matth.26.

Homo gratia iuuatur,ne ſine cauſa voluntati eius iubeatur.

Dictum eſt libero arbitrio, Fili, noli deficere à diſciplina Domini. Et Dominus dicit, Ego rogaui pro te Petre,ne deficiat fides tua. Homo ergo gratia iuuatur,ne ſine cauſa voluntati eius iubeatur.

Prouer.3.

Lucæ 22.

Cap.V.eodem lib.

Nam inter cætera,quæ Pelagio ab Epiſcopis Orientis, hoc eſt, in prouincia Palæſtina, in qua eſt ciuitas Hieruſalem,obiecta ſunt: & hoc obiectum eſt illi,quòd diceret gratiã Dei ſecundum merita noſtra dari. Quod ſic alienum eſt à catholica doctrina,& inimicum gratiæ Chriſti, vt niſi hoc obiectum anathematizaſſet,ipſe inde anathematizatus exiſſet.

Gratiam dari ſecundum merita,alienum à doctrina catholica.

Cap.VI.

Teſtimoniis diuinis probatur gratiã Dei non ſecundum merita noſtra dari: quandoquidem non ſolùm nullis bonis, verumetiam multis meritis malis præcedentibus, videmus datam,& quotidie dari videmus. Sed planè cùm data fuerit, incipiunt eſſe etiam merita noſtra bona: per illam tamen. Nam ſi ſe illa ſubtraxerit,cadit homo, non erectus, ſed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter,quando cœperit homo habere merita bona, non debet ſibi tribuere illa,ſed Deo, cui dicitur in Pſalmo, Adiutor meus eſto,ne derelinquas me. Dicendo Ne derelinquas me,oſtendit quia ſi derelictus fuerit,nihil boni valet ipſe per ſe,&c.

Homo ſi deſeratur à Deo,nihil valet per ſe

Pſalm.26.

Cap.VII.

Si ergo Dei dona ſunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua tanquam merita tua,ſed tanquam dona ſua.

Deus coronat dona ſua.

Ibidem.

Miſericordiam conſecutus ſum, dicit Apoſtolus, vt fidelis eſſem: hinc oſtẽdẽs etiam ipſam fidem haberi,niſi Deo miſerante,nõ poſſe: & eſſe donum Dei,quod apertiſsimè docet, dicens,Gratia ſalui facti eſtis per fidem: & hoc non ex vobis:ſed Dei enim donum eſt.

1.Timoth.1.

Fides donum Dei eſt.

Epheſ.2.

Ibidem.

Homines autem non intelligentes quod ait ipſe Apoſtolus, Arbitramur iuſtificari hominem per fidem ſine operibus Legis: putauerunt eum dicere,ſufficere homini fidẽ, etiamſi malè viuat,& bona opera non habeat. Quod abſit vt ſentiret vas electionis, qui cùm dixiſſet quodam loco,In Chriſto enim Ieſu, neque Circunciſio valet aliquid, neque præputium: mox addidit, Sed fides, quæ per dilectionem operatur. Ipſa eſt fides,quæ fideles Dei ſeparat ab immundis dæmonibus,&c.

Rom.3.

Fides quæ per dilectionem operatur,valet.

Galat.5.

Iacob.2.

Cap.XV.

Quare iubet Deus,ſi ipſe daturus eſt? Quare dat,ſi homo facturus eſt, niſi quia dat quod iubet,& adiuuat vt faciat cui iubet? Semper eſt autem in nobis volũtas libera: ſed non eſt ſẽper bona. Aut enim à iuſtitia libera eſt, quando ſeruit peccato, & tunc eſt mala: aut à peccato libera eſt, quando ſeruit iuſtitiæ, & tunc eſt bona. Gratia verò Dei ſemper eſt bo-

Per gratiam Dei, voluntas hominis bona & incepta augetur.

na,& per hanc fit,vt sit homo bonæ voluntatis,qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit,vt ipsa bona volũtas,quæ iam esse cœpit, augeatur & tam magna fiat, vt possit implere diuina mandata quę voluerit,quum valde perfectéque voluerit.

Cap.XVI.

Deus in homine facit vt velit bonum.

Certum enim est, nos mandata seruare si volumus:sed præparatur volũtas à Domino. Ab illo petendũ est, vt tantùm velimus,quantum sufficit vt volendo faciamus. Certum est nos velle quum volumus; sed ille facit vt velimus bonum,de quo dictũ est quod paulò antè posui, Quòd præparatur voluntas à Domino, de quo dictum est,A Domino gressus hominis dirigentur, & viam eius volet. De quo dictum est, Deus est qui operatur in vobis & velle & operari. Certum est nos facere quum facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas volũtati,qui dixit, Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis.

Psalm.36.

Cap. XVII.

Sine Deo ad opera pietatis nihil valemus. Philip.2.

Quoniam Deus vt velimus operatur inciens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus, Certus sũ, quoniam qui operatur in vobis opus bonum,perficiet vsque in diem Christi Iesu. Vt ergo velimus,sine nobis operatur: quum autem volumus,& sic volumus vt faciamus, nobiscũ cooperatur: tamen sine illo vel operante vt velimus,vel cooperante quum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus,&c.

Cap. XX.

Iosue 7. Dominatur Deus voluntatibus hominũ.

Vnde dicit Dominus ad Iesum Naue,Non poterunt filii Israel subsistere à facie inimicorum suorum. Quid est non poterunt subsistere? Quare non subsistebant per liberum arbitrium, sed per timorẽ turbata volũtate fugiebant, nisi quia Deus dominatur & voluntatibus hominum,& quos vult in formidinẽ conuertit iratus?&c.

Cap.XXI.

Quis non ista iudicia diuina cõtremiscat, quibus agit etiam Deus in cordibus malorum hominum quidquid vult,reddẽs eis tamen secundum merita eorum. Roboam filius Salomonis respuit consilium salubre Seniorum, quod ei dederant,ne cum populo durè ageret, & verbis coæuorum suorũ potius acquieuit, respondẽdo minaciter,quibus leniter debuit. Vnde hoc, nisi propria voluntate? Sed hinc ab eo recesserunt decem tribus Israel, & alium regem sibi constituerunt Hieroboam: vt irati Dei voluntas fieret;quod etiam futurum esse prædixerat. Quid enim Scriptura dicit? Et non audiuit Rex plebẽ:quoniam erat conuersio à Domino, vt statueret verbum suum, quod locutus est in manu Ahiæ Silonitæ de Hieroboam filio Nabath. Nempe sic factum est & illud per hominis voluntatem, vt tamen

3. Regum 12. Conuersio cordis, à Deo manet.

conuersio esset à Domino,&c.

Eodem Cap.

His & talibus testimoniis diuinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis quantum existimo manifestatur operari Deum in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia,siue ad mala pro meritis eorum: iudicio vtique suo ,aliquãdo aperto, aliquando occulto,semper autem iusto. Fixum enim debet esse,& immobile in corde vestro, quia non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc quãdo legitis in literis veritatis à Deo seduci homines, aut obtũdi,vel obdurari corda eorum: nolite dubitare præcessisse mala merita eorum,vt iustè ista paterẽtur,ne incurratis in illud prouerbiũ Salomonis, Insipientia viri violat vias eius: Deũ autem causatur in corde suo. Gratia verò non secundum merita hominũ datur: alioquin gratia iam non est gratia: quia ideo gratia vocatur,quia gratis datur. Si autem potens est,siue per Angelos vel bonos vel malos, siue quocunque alio modo operari, etiam in cordibus malorum pro meritis eorum, quorũ malitiam non ipse fecit,sed aut originaliter tracta est ab ipso Adam, aut creuit per propriã volũtatem.

Roma.9. Quomodo intelligendum Deum quempiam indurare.

Cap.XXIII.

Exod.8. Iusto iudicio Deus indurauit Pharaonẽ

Deus indurauit per iustum iudicium Pharaonẽ, & ipse Pharao per liberum arbitrium. Certi ergo estote, quia non erit inanis labor vester,si in bono proposito proficiẽtes,perseueretis vsque in finem. Deus enim qui modò illis quos liberat non reddit secundum opera eorum, tunc reddet vnicuique secundum opera eius. Reddet omnino Deus & mala pro malis,quoniam iustus est, & bona pro malis,quoniam bonus est, & bona pro bonis, quoniam bonus & iustus est. Tantũmodo mala pro bonis non reddet,quoniam iniustus non est. Reddet ergo mala pro malis, pœnam pro iniustitia:& reddet bona pro malis, gratiam pro iniustitia:& reddet bona pro bonis,gratiam pro gratia.

De correptione & gratia, Cap.II.

Intelligenda est enim gratia Dei per Christum Dominum nostrum, qua sola homines liberantur à malo, & sine qua nullum prorsus siue cogitando, siue volendo & amando, siue agendo faciunt bonum. Non solùm vt monstrante ipsa quid faciendum sit sciant, verumetiam vt præstante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt. Hanc quippe inspirationem bonæ volũtatis atque operis poscebat Apostolus eis,quibus dicebat,Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali, non vt nos probati appareamus,sed vt vos quod bonum est facia tis. Quis hoc audiat & non euigilet, atque fateatur à Domino Deo nobis esse, vt declinemus à malo,& faciamus bonum?

Eodem Cap.

Non

Se fallunt qui offenduntur prædestinatione. Philip.2.

Non se itaque fallant, qui dicunt, Vt quid nobis prædicatur atque præcipitur vt declinemus à malo & faciamus bonum, si hoc nos non agimus: sed id velle & operari Deus operatur in nobis? Sed potius intelligãt, si filii Dei sunt, Spiritu Dei se agi, vt quod agendum est, agant: & quum egerint, illi à quo aguntur gratias agant. Agantur enim vt agant, non vt ipsi nihil agãt. Et ad hoc eis ostẽditur quid agere debeant: vt quando id agunt sicut agẽdum est, id est, cum dilectione & delectatione iustitiæ, suauitatem quam dedit Dominus, vt terra eius daret fructum suum, accepisse se gaudeant. Quando autem non agunt, siue omnino non faciendo, siue non ex charitate faciendo, orent vt quod nondum habent, accipiant. Quid enim habebunt, quod non acceperuri sunt, aut quid habent quod non acceperunt? &c.

1.Corinth.4.

Cap.IX.

Vsque in finẽ vocandi & iustificandi tractantur.

Adhuc enim vsque in finem seculi, multi vocãdi & iustificãdi sunt: & tamen verba præteriti temporis posuit, & de rebus etiam futuris, tanquam iam fecerit Deus, quæ iam vt fierent, ex æternitate dispossuit. Ideo de illo dicit & Prõpheta Esaias, Qui fecit quæ futura sũt. Quicunque ergo in Dei prouidentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, iustificati, glorificati sunt: non dico etiam nondum renati, sed etiã nõdum nati, iam filii Dei sunt, & omnino perire non possunt, si verè veniunt ad Christum: quia ita veniunt quomodo ipse

Ioan.6.

dicit, Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me non eiiciam foras, &c.

Cap.X.

Quia verò per liberũ arbitrium Deum deseruit, iustum iudiciũ Dei expertus est Adam: vt cum tota sua stirpe, quæ in illo adhuc posita, tota cum illo peccauerat, dãnaretur. Quotquot enim ex hac stirpe gratia Dei liberantur, à damnatione vtique liberãtur, qua iam tenentur obstricti. vnde etiam si nullus liberaretur, iustum Dei iudicium nemo iustè reprehenderet. Quòd ergo pauci in cõparatione pereuntium, in suo verò numero liberãtur multi, gratia fit, gratis fit, gratiæ agendæ sunt: quia fit ne quis velut de suis meritis extollatur: sed omne os obstruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur.

Pauci comparatione pereuntium in suo verò numero liberantur multi.

Hierem.9.

Cap.XII.

Qui pereunt.

Deus ergo eos facit perseuerare in bono qui facit bonos: qui autem cadũt & pereunt, in prædestinatorum numero non fuerũt, &c.

Ibidem.

Primo itaque homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat posse nõ peccare, posse non mori, posse ipsum bonum nõ deserere, datum est adiutorium perseuerantiæ: non quo fieret vt perseueraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare nõ posset.

Sancti dona Dei

Nunc verò Sanctis in regnũ Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tãtùm tale adiutorium perseuerantiæ datur: sed tale vt eis perseuerantia ipsa donetur: non solùm vt sine isto dono perseuerantes esse possint, verumetiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. Non solùm enim dixit, Sine me nihil potestis facere: verumetiam dixit, Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.

In bonis perseuerant.

Ioan.15.

Ibidem.

Ibidem.

Deus in Sanctis operatur, vt velint.

Tantùm quippe Spiritu sancto accenditur voluntas Sanctorum, vt ideo possint, quia sic velint: ideo sic velint, quia Deus operatur vt velint.

Cap.XIII.eodem lib.

Prædestinatorum certus est numerus.

Hæc de iis loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis: nõ de iis, qui cùm annuntiasset & locutus esset, multiplicati sunt super numerum. Ipsi autem vocati dici possunt, non autem electi: quia non secũdum propositum vocati. Certum verò esse numerum electorum, neque augendum neque minuendum, quanuis & Ioannes Baptista significet, vbi dixit, Facite ergo dignũ pœnitẽtiæ fructũ: &, Nolite dicere apud vosmetipsos, patrem habemus Abraham. potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ: vt ostendat sic istos esse amputãdos, si non fecerint fructum, vt non desit numerus, qui promissus est Abrahæ.

Ibidem post pauca.

Nullus de prædestinatione præsumat.

Quis enim ex multitudine fidelium, quandiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat? Quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio, vt etiam per satanæ angelum ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus. Hinc Apostolis dicebatur, Si manseritis in me: dicente illo qui illos vtique sciebat esse mansuros. Et per Prophetam, Si volueritis & audieritis me: quum sciret ipse in quibus operaretur & velle. Et similia multa dicuntur. Nam propter huius vtilitatem secreti, ne fortè quis extollatur, sed omnes etiam qui bene currunt, timeant, dum occultum est quò perueniant.

2.Corinth.12. Ioan.15.

Esa.1.

Cap.XIIII.

Multis modis intelligitur locus ille Pauli.

Quum autem homines per correptionem in viam iustitiæ seu veniunt seu reuertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui quolibet plantante atque rigante, & quolibet in agris atque arbustulis operante, dat incremẽtum Deus, cui volenti saluũ facere, nullum hominum resistit arbitrium? Sic enim vel velle vel nolle, in volentis aut nolẽtis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult. Et quod scriptum est, Quòd vult omnes homines saluos fieri, nec tamẽ omnes salui fiunt: multis quidem modis intelligi potest, ex qui-

1.Timoth.2.

bus in aliis opusculis nostris aliquos commemorauimus. Sed hic vnum dicam. Ita dictum est, Omnes homines vult saluos fieri, vt intelligãtur omnes prædestinati: quia omne genus hominum in eis est, sicut dictum est Pharisæis, Decimatis omne olus: vbi non est intelligendum, nisi omne quod habebant. Neque enim omne olus, quod erat in toto terrarum orbe decimabant. Secundum istum locutionis modum dictum est, Sicut & ego omnibus per omnia placeo. Nunquid enim qui hoc dixit, placebat etiam tam multis persecutoribus suis? Sed placebat omni generi hominũ, quod Christi congregabat Ecclesiæ, siue iam intus positis, siue introducendis in eam. Non est itaque dubitandum voluntati Dei, qui in cælo & in terra omnia quæcunque voluit fecit, & qui etiam illa quæ futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult: quãdoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, quum vult facit. Nisi fortè (vt ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarũ subdere se memorato viro, siue non subdere. quod vtique in eorum positum erat voluntate, vt etiam Deo valerent resistere. Qui tamen hoc nõ fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium quò placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem. Sic enim scriptum est, Et dimisit Samuel populum, & abiit vnusquisque in locum suum, & Saul abiit in domum suam in Gabaa, & abierunt potẽtes, quorum tetigit Deus corda cũ Saule. Et filii pestilentes dixerunt, Num saluabit nos hic? Et inhonorauerunt eum, & non obtulerunt ei munera. Nunquid aliquis dicturus est, nõ iturum fuisse cum Saul quenquam eorum quorum tetigit corda Deus, vt irent cum illo: aut isse aliquem pestilentiũ, quorum vt hoc facerent, corda non tetigit?

Luc. 11.

1. Corinth. 10.

Regum 10.

Lib. I. Retractationum,

Cap. XXI.

Deus mortem non fecit.

Nullius mortem Deus quærit. quod sic accipiendum est, quia homo sibi acquisiuit mortem deserẽs Deum, & acquirit qui nõ recurrit ad Deum, secũdũ quod scriptũ est, Deus mortem non fecit. Sed etiam illud nõ minus verũ est, Vita & mors à Domino Deo est: vita scilicet à donante, mors à vindicante.

Sapien. 1.

Eccles. 11.

De ciuitate Dei, lib. V.

Cap. IX.

Præscientia Dei falli non potest.

Quapropter & voluntates nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit atque præsciuit. Et ideo quidquid valent, certissimè valent, & quod facturæ sunt, ipsæ omnino facturæ sunt, quia valituras atque facturas ille præsciuit, cuius præsciẽtia falli nõ potest, &c.

Cap. X.

Vnde quidquid præter suã voluntatẽ patitur homo, nõ debet tribuere humanis vel Angelicis, vel cuiusq; creati spiritꝰ volũtatibꝰ, sed eius potius, qui dat potestatẽ volẽtibꝰ. Nõ ergo propterea nihil est in nostra volũtate, quia Deus præsciuit quid futurum esset in nostra voluntate. non enim qui hoc præsciuit nihil præsciuit. Porrò si ille qui præsciuit quid futurum esset in nostra voluntate, non vtique nihil, sed aliquid præsciuit: profectò & illo præsciẽte est aliquid in nostra voluntate. Quocirca nullo modo cogimur, aut retẽta præsciẽtia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum (quod nefas est) negare præscium futurorum: sed vtrunque amplectimur, vtrunque fideliter & veraciter confitemur. Illud vt bene credamus, hoc vt bene viuamus. Malè autem viuitur, si de Deo nõ bene creditur. Vnde absit à nobis eius negare præscientiam, vt liberi esse velimus, quo adiuuãte sumus liberi vel erimus. Proinde nõ frustra sunt leges, obiurgationes, exhortationes, laudes, & vituperationes, quia & ipsas futuras esse præsciuit, & valent plurimum, quantum eas valituras esse præsciuit, & preces valent ad ea impetranda, quæ se precantibus concessurum esse præsciuit, & iusta præmia bonis factis, & peccatis supplicia constituta sunt. Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse præsciuit. Imò ideo non dubitatur ipsum peccare cùm peccat, quia ille, cuius præsciẽtia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præsciuit, qui si nolit, omnino non peccat, sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præsciuit, &c.

Præscientia Dei peccare nõ facit hominem.

Lib. XI. Cap. XVII.

Deus bene vtitur voluntatibus hominum malis.

Deus sicut naturarum bonarum optimus creator est, ita malarum voluntatum iustissimus ordinator, vt cùm malè illæ vtuntur naturis bonis, ipse bene vtatur etiam voluntatibus malis. Itaque fecit vt diabolus institutione illius bonus, voluntate sua malus, in inferioribus ordinatus illuderetur ab Angelis eius, id est, vt profint tentationes eius Sanctis, quibus eas obesse desyderat. Et quoniam Deus, cùm eum conderet, futuræ malignitatis eius non erat vtique ignarus, & præuidebat quæ bonade malo eius esset ipse facturus: propterea Psalmus ait, Draco hic quem finxisti ad illudendũ ei: vt in eo ipso quod eum finxit, licet per suam bonitatem bonum, iam per suam præsciẽtiam præparasse intelligatur, quomodo illo vteretur & malo.

Psalm. 103.

Lib. XIIII. Cap. XI.

Peccato suo Adam diuinum non potuit perturbare cõsilium.

Sed quia Deus cũcta præsciuit, & ideo hominem quoque peccaturũ ignorare non potuit, secundum id quod præsciuit atque disposuit ciuitatem sanctam eam debemus asserere, non secundum illud, quod in nostrã cognitionem vel religionem peruenire non potuit: quia in Dei dispositione non fuit. Non enim homo peccato suo diuinum potuit perturbare consiliũ, quasi Deum quod statuerat mutare compulerit

pulerit,quum Deus præsciendo vtrũque præuiderit, id est, & homo quem bonum creauit, quàm malus esset futurus, & quid boni etiam sic de illo esset ipse facturus,&c.

Eodem lib.Cap. XXVI.

Certus numerus ad vitam prædestinatus.

Veruntamen omnipotenti Deo, summo ac summè bono creatori omnium naturarum, volũtatum autem bonarum adiutori ac remuneratori, malarum autem relictori & damnatori, vtrarunque ordinatori: non defuit vtique consilium, quo certum numerũ ciuium in sua sapientia prædestinatum, etiam ex damnato genere humano suæ ciuitatis impleret: non eos iam meritis (quandoquidem vniuersa massa tanquam vitiata radice damnata est) sed gratia discernens,& liberatis, nõ solùm de seipsis,verumetiam de non liberatis,quid eis largiatur ostendens. Non enim debita,sed gratuita bonitate tũc se quisque agnoscit eruditum malis,quum ab eorum hominum consortio sit immunis,cũ quibus illi iusta esset pœna communis. Cur ergo non crearet Deus quos peccaturos esse præsciuit: quandoquidem in eis & ex eis, & quid eorum culpa meretur, & sua gratia quid donaretur,posset ostendere? Nec sub illo Creatore ac dispositore, peruersa inordinatio delinquentium rectum peruerteret ordinem rerum,&c.

Prescientia Dei peccati facit humani.

Eodem lib.Cap. XXVII.

Psalm.110. Deus non solum bonis, verumetiam malis bene vtitur.

Proinde peccatores & angeli & homines nihil agunt,quo impediãtur magna opera Domini,exquisita in omnes volũtates eius. Quoniam qui prouidenter atque omnipotẽter sua cuique distribuit: non solùm bonis, verumetiam malis bene vti nouit. Ita factum est,vt nec Deum aliquid futurorũ lateret:nec præsciendo quenquam peccare compelleret,& quid esset inter propriam cuiusque præsumptionem, & suam tuitionẽ, Angelicæ & humanæ rationali creaturæ consequenti experiẽtia demonstraret. Quis enim audeat credere aut dicere, vt neque angelus neque homo caderet,in Dei potestate non fuisse? Sed hoc eorum potestati maluit non auferre. atque ita & quantum mali eorum superbia, & quãtum boni sua gratia valeret ostendere.

Lib.XV,Cap.XXI.

Rom.9. Gene.4. Discant electi non fidere libertate arbitrii sui.

Vnde ex ipsa etiã cõparatione vasorum iræ,superna ciuitas discat,quæ peregrinatur in terris,non fidere libertate arbitrii sui: sed speret inuocare nomen Domini Dei: quoniam voluntas in natura, quæ facta est bona à bono Deo, sed mutabilis ab immutabili, ex nihilo ab eo qui est,& à bono potest declinare,vt faciat malum,quod fit libero arbitrio: & à malo vt faciat bonum,quod non fit sine diuino arbitrio.

De verbis Apostoli,Sermone II.

Ioan.6. Credere deni est,non meriti.

Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Durus est, sed duris, id est, incredibilis, sed incredulis. Sed vt doceret nos etiam ipsum credere, doni esse non meriti. Sicut, inquit, dixi vobis, Nemo venit ad me,nisi cui datum fuerit à Patre meo. Vbi autem hoc Dominus dixerit, si superiora Euangelii recolamus,inueniemus eum dixisse, Nemo venit ad me,nisi Pater qui misit me, traxerit eum. Non dixit Duxerit,sed Traxerit eum. Ista violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? Crede,& venis:ama,& traheris. Ne arbitreris istam asperam molestámque violentiam. dulcis est,suauis est,ipsa suauitas te trahit. Nonne ouis trahitur quum esurienti herba monstratur? Et puto,quia non corpore impellitur, sed desyderio colligatur. Sic & tu veni ad Christum: noli lõga itinera meditari. Vbi credis, ibi venis: ad illum enim qui vbique est, amando venitur,non nauigando,&c.

Eodem Sermone.

Docet, neminẽ se extollere debere de sua abundantia. Psalm.29.

Habeo, inquis,liberum arbitrium. Quis me ab ista via separabit? Si legas diligenter, inuenies quendam de sua quadam abundantia, quam tamẽ acceperat,extollere se cœpisse: Dominum autẽ misericordem, vt doceret humilitem,quod erat abstulisse: illum verò subitò inopem remansisse, & misericordiam Dei recordatione confessum, dixisse, Ego dixi in abundãtia mea, Nõ mouebor in æternum,&c.

Post pauca ibidem.

Homo peccando vires liberi arbitrii perdidit.

Quid ergo faciam? Sequitur,Beati omnes qui confidunt in eũ: non in se,sed in eum. Gratia salui facti sumus,non ex nobis,sed Dei donum est. Fortè dicatis,Quid sibi vult, quod hoc sæpe dicit? Iterum hoc, & in tertio hoc, & propè nunquam loquitur, nisi quando dicit: vtinam non sine causa dicam. Sunt enim homines ingrati gratiæ Dei, multum tribuentes inopi sauciæq; naturæ. Verum est,magnas arbitrii vires homo quum conderetur accepit: sed peccando amisit,&c.

De verbis Apostoli,Sermon.XVI.

Rom.8.

Si Deus pro nobis,quis contra nos? Deus pro nobis,vt prædestinaret nos, Deus pro nobis, vt vocaret nos, Deus pro nobis, vt iustificaret nos, Deus pro nobis, vt glorificaret nos. Si Deus pro nobis,quis cõtra nos? Prædestinauit antequam essemus: vocauit, quũ auersi essemus: iustificauit,quum peccatores essemus: glorificauit,quum mortales essemus. si Deus pro nobis, quis contra nos? Prædestinatis à Deo,vocatis, iustificatis, glorificatis qui vult aduersari, paret se si potest bellare aduersus Deum,&c.

Quomodo fideles prædestinentur,&c.

Sermon.CXXIIII.de tempore.

Exemplo Petri hominem sine gratia Dei nihil posse. Esa.40.

Quid enim homo sine Dei gratia possit, timor beati Petri Apostoli euidenter ostendit. Per solum enim liberum arbitrium, non addito etiam Dei adiutorio,promiserat se pro Domino moriturum. Sed quid est homo sine gratia Dei,nisi quod fuit Petrus quando negauit Christum,& nisi quod ait Propheta, Omnis caro fœnum? Et ideo beatũ Petrum pau-

lulum Dominus subdeseruit, vt in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia prævalere, & vt Ecclesiæ rectori futuro ignoscendi peccantibus quædam regula poneretur, &c.

Serm. CXC.II.

Liberum sic confitemur arbitrium, vt dicamus nos Dei sépèr indigere auxilio, & tam illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse, quàm illos, qui cũ Iouiniano asserunt hominem non posse peccare. Vterque enim tollit arbitrii libertatem. Nos verò dicimus hominẽ semper & peccare & non peccare posse, vt nos liberi confiteamur esse arbitrii. Hæc est fides, dilectissimi, quam in catholica didicimus Ecclesia, quáque semper tenuimus, & tenemus, quam credimus & à nobis deinceps posse teneri.

Serm. CCXXXII.

Cur Deus illũ vocet, alium non.

Multi enim dicunt, & scire volunt, quare illum vocat ad se Dominus, & illum nõ vocat. vni subuenit, & vni non. hunc dignum habet, & illum indignum. istum honorat, illum cruciat & affligit. Audi ô homo. Hunc dignum habet pro bonis operibus suis, illum habet indignum pro operibus suis malis: quia debitor est Dominus, & reddet bonis bona, & malis mala.

De vera religione, Cap. XIIII.

Homo libera voluntate peccat.

Voluntate peccatur. Et quoniam peccari non dubium est, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim seruos suos meliores esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter, quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate seruirent. Quòd autem homini à peruerso angelo persuasum dicitur, etiam ad hoc vtique voluntate consensit: nam si necessitate id feciſſet, nullo peccati crimine teneretur.

In expositione Epistolæ ad Romanos inchoata.

Roman. 1.

Omnibus, inquit, qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis sanctis. Etiam hic significauit benignitatem Dei, potius quàm meritũ illorum. Nõ enim ait, Diligentibus Deum, sed dilectis Dei. Prior enim dilexit nos ante omnia merita, vt & nos eum dilecti diligeremus. Inde etiã addidit Vocatis sanctis. Quanquam enim sibi quis tribuat quòd vocanti obtemperat, nemo potest sibi tribuere quòd vocatus est. Vocatis autem sanctis, non ita intelligendum est, tanquam ideo vocati sint, quia sancti erant: sed ideo sancti effecti quia vocati sunt, &c.

Deus ante omnia merita nos diligit.

Ibidem.

Nemo pœnitet nisi à Deo mouetur.

Iusta est ergo gratia Dei, & gratia iustitia: cùm in eo quoque etiam pœnitẽtiæ meritum gratia præcedat, quòd neminem peccati sui pœniteret, nisi admonitione aliqua vocationis Dei.

In libro LXXXIII. Quæstionum, Quæstione II.

Homo voluntate melior quàm necessitate.

Omne quòd fit, ei à quo fit, par esse non potest: alioquin iustitia, quæ sua cuique tribuere debet, de rebus auferatur necesse est. Hominem ergo Deus quum fecit, quanquam optimum fecerit: non tamen id fecit quod erat ipse. Melior autem homo est, qui voluntate, quàm qui necessitate bonus est. Voluntas igitur libera danda homini fuit.

Quæstione LXIIII.

Ioan. 11. Prædestinatio vocationis hominis occulta est.

Quòd autem Dominus interrogat, dicens, Vbi eum posuistis? vocationem nostram quæ fit in occulto, arbitror significari. Prædestinatio enim vocationis nostræ occulta est, cuius secreti signum est, interrogatio Domini, quasi nescientis, quum ipsi nesciamus, sicut dicit Apostolus, Vt cognoscam, sicut & cognitus sum, vel quòd ignorare se peccatores alio loco Dominus ostendit, dicens, Non noui vos, &c.

1. Corinth. 13.

Matth. 7.

Quæstione LXVIII.

Parum est enim velle, nisi Deus misereatur. Sed Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit: quia in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et quoniam nec velle quisquam potest, nisi admonitus & vocatus, siue intrinsecus, vbi nullus hominũ videt, siue extrinsecus per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia: efficitur vt etiam ipsum velle Deus operetur in nobis. Ad illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerũt, nec illi qui noluerũt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi: quoniam vt venirent, vocati erant in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea & si quisquam sibi tribuit, quòd veniat vocatus, non sibi potest tribuere quòd vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii vt vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, quum vocatus venire neglexerit. Ita erunt duo illa, Misericordiã & iudiciũ cantabo tibi Domine. Ad misericordiam pertinet vocatio: ad iudiciũ pertinet beatitudo eorum qui venerunt vocati, & supplicium eorum qui venire noluerũt. Nunquid ergo latebat Pharaonem, quantum boni consecutæ fuerint terræ illæ per aduentum Ioseph? Illius ergo rei gestæ cognitio, vocatio eius fuit, vt populum Israel misericorditer tractans, non esset ingratus. Quòd autem huic vocationi obtemperare noluit, sed exercuit crudelitatẽ in eis quibus humanitas & misericordia debebatur, meruit pœnam vt induraretur illi cor, & tantam cæcitatem mentis pateretur, vt tot & tantis támque manifestis Dei signis non crederet, quô posset eius supplicio, siue obdurationis, siue vltimæ visibilis submersio-

Philip. 2. Luc. 14.

Psalm. 100.

Beneficia per Ioseph AEgy. profecta bona in fuit regi Pharaoni.

nis

nis eruditi populus, cuius afflictione ille & occultæ obtusionis, & manifestæ submersionis meritum sibi cõpararet. Hæc autem vocatio, quæ siue in singulis hominibus, siue in populis, atque in ipso genere humano per temporum opportunitates operatur, altæ & profũdę ordinationis est. Quò pertinet etiam illud, In vtero sanctificaui te, & quum esses in renibus patris tui vidi te. &, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, quum dictum sit antequam nascerentur, nec comprehendi potest, nisi fortè ab eis qui diligunt Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente sua, & diligũt proximos suos tanquam seipsos. Tanta enim charitate fundati, possunt iam fortasse cum Sanctis comprehendere longitudinem, latitudinem, altitudinem & profundum. Illud tamen constantissima fide retinendum, neque quidquam Deum iniustè facere, neque vllam esse naturã, quæ non Deo debeat id quod est: quia Deo debetur omne decus & pulchritudo, & congruentia partium, quam si penitus persecutus fueris, & vsque ad omnes reliquias de rebus detraxeris, remanet nihil, &c.

Hierem. 1. Malach. 9. Roma. 9. Deut. 6. Leuit. 19. Matth. 22. Ephes. 3.

De animæ quantitate, Cap. XXXVI.

Omnia sibi subiicit Deus.

Deus igitur summus & verus, lege inuiolabili & incorrupta, qua omne quod cõdidit, regit, subiicit animæ corpus, animam sibi. & sic omnia sibi: neque in vllo actu eandẽ deserit sine pœna, vel sine præmio. Id enim iudicauit esse pulcherrimum, vt esset quidquid est, quomodo est: & ita naturæ gradibus ordinaretur, vt considerantes vniuersitatem, nulla offenderet ex parte deformitas: omnisque animæ pœna & omne præmium cõferret semper aliquid proportioni iustæ pulchritudinis, dispositionique rerum omnium. Datum est enim animę liberum arbitriũ, quod qui nugatorius ratiocinationibus labefactare conantur, vsqueadeò cæci sunt, vt ne ista ipsa quidem vana atque sacrilega propria voluntate se dicere intelligãt. Nec tamen ita liberum arbitriũ animæ datum est, vt quodlibet eo moliens, vllam partem diuini ordinis legisque perturbet. Datum est enim à sapientissimo atque inuictissimo totius creaturæ Domino. Sed ista vt videnda sunt, videre paucorum est, neque ad hoc quisquam, nisi vera religione sit idoneus.

In argumento librorum de libero arbitrio in fine.

Quum enim omnia bona dicerentur ex Deo, id est, & magna & media & minima. in mediis quidem bonis inuenitur liberũ voluntatis arbitriũ, quia & malè illo vti possumus: sed tamen tale est, quòd sine illo rectè viuere nequeamus. Bonus autem vsus eius iam virtus est, quæ in magnis reperitur bonis, quibus malè vti nullus potest. Et quia omnia bona, sicut dictum est, & magna & media & minima ex Deo sunt, sequitur vt ex Deo sit & bonus vsus liberæ voluntatis, quæ virtus est, & in magnis numeratur bonis. Deinde dictũ est, ex qua miseria peccãtibus iustissimè inflicta, liberet Dei gratia, quia sponte homo, id est, libero arbitrio cadere potuit, non etiam surgere. Ad quam miseriam iustę damnationis pertinet ignorantia & difficultas, quam patitur omnis homo, ab exordio natiuitatis suæ, nec ab isto malo liberatur quisquam, nisi Dei gratia.

De libero arbitrio, libro I. Cap. I.

Deum non esse auctorem mali.

EVOD. Dic mihi, quæso te, vtrum Deus non sit auctor mali. AVGVST. Dicam, si planum feceris de quo malo quæras. Duobus enim modis appellare solemus malũ. vno cùm malè quenquam fecisse dicimus: alio, cùm mali aliquid esse perpessum. EVOD. De vtroque scire cupio. AVG. At si Deum bonum esse nosti vel credis (neque aliter fas est) malum non facit. Rursus si Deum iustum fatemur (nã & hoc negare sacrilegũ est) vt bonis præmia, ita supplicia malis tribuit, quæ vtique supplicia, patiẽtibus mala sunt. Quamobrem si nemo iniustè pœnas luit, quod necesse est credamus, quandoquidem diuina prouidentia hoc vniuersum regi credimus, illius primi generis malorum nullo modo, huius autem secundi auctor est Deus.

Libro III. Cap. III.

Liberum quo modo aliquid dicatur.

AVG. Voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porrò quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberũ, quod in potestate nõ habemus, aut potest non esse quod habemus. Ita fit, vt & Deum non negemus esse præscium omnium futurorũ, & nos tamen velimus quod volumus. Cùm enim sit præscius volũtatis nostræ, cuius est præscius ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius. Non igitur per eius præscientiam mihi potestas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cuius præscientia non fallitur, affuturam mihi esse præscit. EVOD. Ecce iam non nego ita necesse esse fieri quæcunque præscíuit Deus, & ita eum peccata nostra præscire, vt maneat tamen nobis voluntas libera, atque in nostra posita potestate.

Eodem libro, Capite IIII.

De præscientia Dei.

EVOD. Nondũ video quomodo sibi nõ aduersentur hæc duo, præscientia Dei de peccatis nostris, & nostrum in peccando liberum arbitrium. Nam & iustum Deum necesse est fateamur, & præscium. Sed scire vellem, qua iustitia puniat peccata, quæ necesse est fieri, aut quomodo non sit necesse fieri, quæ futura esse præsciuit, aut quomodo non Creatori deputandum est, quidquid in eius creatura fieri necesse est. AVGVSTINVS,

Vnde tibi videtur aduersum esse liberum arbitrium nostrum præscientiæ Dei? quia præscientia est, an quia Dei præscietia est? EVODIVS, Quia Dei potius. AVGVSTINVS, Quid ergo, si tu præscires peccaturum esse aliquem, non esset necesse vt peccaret? EVOD. Imò necesse esset vt peccaret: non enim aliter esset præscientia mea, nisi certa præscirem. AVG. Non igitur quia Dei præscientia est, necesse est fieri quæ præscierit: sed tantummodo quia præscientia est. quæ si non certa prænoscit, vtique nulla est. EVOD. Cõsentio. Sed quorsum ista? AVG. Quia (nisi fallor) non continuò tu peccare cogeres, quem peccaturum esse præscires. Neque ipsa præscientia tua peccare eum cogeret, quanuis sine dubio peccaturus esset. non enim aliter id futurum esse præscires. Sicut itaque non sibi aduersantur hæc duo, vt tu præscientia tua noueris, quod alius sua voluntate facturus est: ita Deus neminem ad peccandum cogens, præuidet tamen eos qui propria voluntate peccabũt. Cur ergo non iudicet iustus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim memoria tua non cogis facta esse quæ præterierunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt. Et sicut tu quædam quæ fecisti, meministi: nec tamen quæ meministi, omnia fecisti: ita Deus omnia, quorum ipse auctor est, præscit: nec tamen omnium quæ præscit, ipse auctor est. Quorum autem non est malus auctor, iustus est vltor. Hinc ergo iã intellige, qua iustitia Deus peccata puniat: quia quæ nouit futura non facit. Nam si propterea non debet retribuere supplicium peccantibus, quia præuidet peccaturos: nec rectè facientibus debet prẽmia retribuere, quia & rectè facturos nihilominus præuidet. Imò verò fateamur & ad præscientiam eius pertinere, ne quid eum lateat futurorum: & ad iustitiam, vt peccatum quia voluntate committitur, ita iudicio eius impunè nõ fiat, sicut præscientia non cogitur fieri.

Deus malorũ iustus vltor.

Cap. V.

AVG. Quapropter non te iam moueat, quòd vituperantur animæ peccatrices, vt dicas in corde tuo, melius fuisse, si non essent. In sui enim comparatione vituperantur, dum cogitatur quales essent, si peccare noluissent. Institutor tamen earum Deus, præclarissimè pro humana facultate laudãdus est: nõ solùm quoniam peccantes eas iustè ordinat, sed quia tales instituit, vt etiam peccatis fordidatæ, nullo modo lucis corporalis dignitate superentur, de qua tamen iure laudatur. Illud quoque moneo caueas, ne fortè non dicas quidem melius fuisse vt nõ essent: sed dicas aliter fieri eas debuisse. Quidquid enim tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum, tãquam bonorum omnium conditorem, &c.

Deus omnia bene fecit.

Meditationum altero libro,

Cap. VII.

Et tu quoque si cogitare cœperis, ô anima mea, quot & quales in comparatione tui abiecti sunt, qui hãc quæ tibi data est, gratiam consequi non potuerunt! Certè audisti ab initio vsque ad hanc diem, quòd multæ generationes pertransierunt, quæ omnes sine cognitione Dei, & pretio suæ redemptionis in interitum sempiternum dilapsæ sunt. Omnibus illis Redemptor tuus te prætulit, quãdo tibi hanc gratiam largitus est, quã nullus eorũ percipere meruit: vt sola præ omnibus illis assumpta es. Et quare hoc in te factum sit, nullum præter solam Saluatoris tui charitatem inuenire poteris causam. Elegit ergo & prælegit te Sponsus tuus, Amator tuus, Deus tuus, Redemptor tuus. Elegit te in omnibus, & assumpsit te ex omnibus, & amauit te in omnibus: nomine suo vocauit te, vt memoriale eius semper esset apud te, voluit te participem esse in nomine, participem in nominis veritate: quoniam vnxit te illo quo & ipse vnctus erat oleo lætitiæ, vt ab vncto sis vnctus: quia à Christo dicitur Christianus, &c.

Multæ generationes præterierunt sine cognitione Dei.

Soliloquiorum, Cap. XIIII.

Fateor quidem, quia quidquid facio & quæcunque facio, ante te facio: & illud quidquid est quod facio, melius tu vides quàm ego qui facio. Quidquid enim semper operor, tu pariter semper præsens assistis, vtpote perpetuus inspector omnium cogitationum, intentionum, delectationum & omnium operationum mearum. Domine ante te est semper omne desyderium meum, ante te tota cogitatio mea.

Deus perpetuus inspector cordium.

Cap. XV, eodem libro.

Nam, vt dixi, Domine credebam me aliquid fore ex me. existimabam me sufficere per me: nec percipiebam, quoniam tu regebas me, donec aliquãtulum te elongasti à me, & cecidi statim in me, & vidi & cognoui, quoniam tu regebas me. & quòd cecidi, fuit ex me: & quòd surrexi, fuit ex te. Aperuisti mihi oculos, lux, & excitasti & illuminasti me: & vidi, quoniã tentatio est hominis vita super terrã, & quòd gloriari non valeat ante te omnis caro, nec iustificatur omnis viuẽs. quoniam si quid boni est, parui vel magni, donum tuum est: & nostrum, non nisi malum est. Vnde igitur gloriabitur omnis caro? Nunquid de malo? Hæc non est gloria, sed miseria, &c.

Cadere hominis est, assurgere autem Dei. Iob 7.

Cap. XXIIII.

Magna est multitudo miseriarum mearum mecum. Velle quippe mihi adiacet, perficere autem non inuenio. Velle quod bonũ est non possum, nisi tu velis: nec quod volo possum, nisi tua potentia me confortet: & quod possum, aliquando nolo, nisi tua voluntas fiat sicut in cælo & in terra. Et quod volo & possũ, ignoro, nisi tua sapientia me illustret. Etsi etiã sciam quandoque volens quandoque valens, imperfecta & vacua transit sapientia mea, nisi adiuuet

Rom. 7.

In voluntate Dei omnia posita esse.

adiuuet vera sapientia tua. In tua voluntate cuncta sunt posita,& non est qui possit resistere voluntati tuæ, Domine vniuersorum, &c.

Cap.XXV.

Dicebam aliquãdo,Hoc faciam,illud perficiam.nec hoc nec illud faciebam. Aderat voluntas,non erat facultas: aderat facultas, non aderat voluntas: quoniã de meis viribus confidebam. Nunc autem confitebor tibi Domine Deus meus,Pater cæli & terræ,quia non in fortitudine sua roborabitur vir, vt glorietur ante te stulta præsumptio omnis carnis. Non enim est hominis velle quod possit, aut posse quod velit,vel scire quod velit & possit: sed potius à te gressus hominis diriguntur, illorum,inquam,qui non à se,sed à te dirigi confitentur.

1.Regum 2.

Gressus hominis à Deo diriguntur.

Cap.XXVIII.

Quos igitur tibi elegisti de multis in templum sanctum tuum, ipsos mundas,effundens super eos aquam mundam.quorũ nomina numerúmque tu nosti, qui solus numeras multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocas: qui etiam scripti sunt in libro vitæ, qui nequaquã perire possunt,quibus omnia cooperantur in bonum,etiam ipsa peccata. Cùm enim cadunt,non colliduntur:quia tu supponis manum tuã,custodiens omnia ossa eorum, vt vnũ ex eis non cõteratur. Attamẽ mors peccatorum pessima,illorum,inquam,quos antequam faceres cęlum & terram,secundum abyssum multam iudiciorum tuorum occultorum, semper autem iustorũ, præsciuisti ad mortem æternam. quorum dinumeratio nominum & meritorum prauorum apud te est, qui numerum arenæ maris dinumerasti, & dimensus es profundum abyssi,quos reliquisti in immunditiis suis, quibus omnia cooperantur in malum, & ipsa etiã oratio vertitur in peccatum: vt si etiam vsque ad cælos ascenderint,& caput eorum nubes tetigerit,& inter sydera cæli collocauerint nidum suum, quasi sterquilinium in fine perdentur.

Ezech.36.

Psalm.41.

Nota profundissimum.

Psalm.33.

Nota horrẽdũ.

Abdiæ 1.

De fide ad Petrum,XXV.

Firmissimè tene & nullatenus dubites,primos homines, id est, Adam & mulierem eius, bonos & rectos & sine peccato creatos esse cũ libero arbitrio,quo possent, si vellent, humili & bona voluntate seruire atque obedire: quo arbitrio etiam possent,si vellent, propria voluntate peccare,cósque nõ necessitate,sed propria voluntate peccasse, illóque peccato sic in deterius mutatam humanam naturam, vt non solùm in ipsis primis hominibus per peccatũ mors obtineret regnum, sed etiam in omnes homines trãsiret peccati mortísque dominiũ.

Primos homines sine peccato creatos esse.

Rom.5.

Cap.XXXI.

Firmissimè tene & nullatenus dubites,neminem hìc posse hominum pœnitentiam agere,nisi quem Deus illuminauerit, & gratuita sua miseratione conuerterit. Apostolus enim dicit, Ne fortè det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem,vt resipiscant à diaboli laqueis, &c.

Neminem pœnitet nisi à Deo conuersum.

Cap.XXXII.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, posse quidem hominem,quem nec ignorantia literarum, nec aliqua prohibet imbecillitas, vel aduersitas, verba sanctæ Legis & Euangelii siue legere, siue ex ore cuiusquam prædicatoris audire.Sed diuinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem Deus gratia sua præuenerit,vt quod audit corpore,corde etiã percipiat: & accepta diuinitus bona voluntate atque virtute, mãdata Dei facere velit & possit. Neque enim qui plãtat est aliquid, neque qui rigat,sed qui incrementũ dat Deus,qui etiam operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate.

Sine gratia Dei mandatis diuinis obedire neminem posse

1.Corint.3. *Philippẽ.2.*

Cap.XXXIIII.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, Trinitatem Deum incommutabilem, rerum omnium atque operum, tam suorum quã humanorum, certissimum cognitorem, ante omnia secula scire, quibus esset per fidem gratiam largiturus, sine qua nemo potest ex initio mundi vsque in finem à reatu tam peccati originalis quàm actualis absolui. Quos enim Deus præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filii sui, &c.

Ante secula, quibus esset gratiam largiturus, præscivit Deus.

Roman.8.

Cap.XXXV.

Firmissimè tene,& nullatenus dubites, omnes, quos vasa misericordiæ gratuita bonitate Deus fecit ante constitutionem mundi, in adoptionem filiorum Dei prædestinatos à Deo:neque perire posse aliquem eorum,quos Deus prædestinauit ad regnum cælorum, nec quenquam eorum, quos non prædestinauit, ad vitam vlla posse ratione saluari. Prædestinatio enim illa, gratuitæ donationis est præparatio,qua nos Apostolus ait prædestinatos in adoptionem filiorũ Dei per Iesum Christum in ipsum.

De immutabili Dei prædestinatione.

Ephesi.1.

De Ecclesiasticis dogmatibus,

Cap.XXI.

Libertati arbitrii sui cõmissus est homo statim in prima conditione, vt salua vigilãtia mentis, annitente etiã præcepti custodia perseueraret,si vellet,in eo quod creatus est permanere. Postquam verò seductione serpentis per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit,pariter & vigorem arbitrii, non tamen electionem, ne non esset suum quòd euitaret peccatum: nec merito indulgeretur quod non arbitrio diluisset. Manet itaque ad quærẽdam salutem arbitrii libertas,id est, rationalis voluntas: sed admonente prius Deo,& inuitante ad salutem,vt vel eligat,vel sequatur,vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione Dei. Vt autẽ consequatur quod eligit,vel quod sequitur,vel quod occasiõe agit,Dei esse liberè cõfitemur.Initiũ ergo salutis nostrę Deo miserãte

Quid liberi arbitrii vel Dei esse proprie dicatur.

habemus: vt acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est. Vt adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus, diuini est muneris: vt non labamur in adepto salutis munere, solicitudinis nostræ est, & cælestis pariter adiutorii. Vt labamur, potestatis nostræ est & ignauiæ: non tamen ad obtinendam sine illo qui quærentes facit inuenire, qui pulsantibus aperit, qui petentibus donat. Sicut ergo initium salutis nostræ, Deo miserante & inspirante habere nos credimus, ita arbitriũ naturæ nostræ sequax esse diuinæ inspirationis, liberè confitemur. Igitur vt non labamur à bono vel naturæ vel meriti, solicitudinis nostræ est, & cælestis pariter adiutorii: vt labamur potestatis nostræ & ignauiæ, &c.

Matth. 7.

Ibidem, XXIII.

Neminem esse per semetipsum bonum, nisi ille participationem sui donauerit, qui solus est bonus.

Nemo per seipsum bonus.

Cap. XXII. eodem libro.

Firmissimè credendum est, in præuaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem & innocentiam perdidisse, & neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserentis erexerit. Liberum enim arbitrium ille perpessus, dum suis inconsultius vtitur bonis, cadens in præuaricationis profunda, demersus est. Et nihil, quẽ admodum exinde surgere posset, inuenit, suáque in æternum libertate deceptus, huius ruina latuisset oppressus, nisi eũ pòst Christi pro sua gratia releuasset aduentus, qui per nouæ regenerationis purificationem, omne præteritum vitium sui Baptismatis lauacro purgauit.

Omnes homines in præuaricatione Adæ naturalem possibilitatẽ amittunt.

Cap. XXIIII.

Neminem etiam Baptismatis gratia renouatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianũ adiutorium Dei perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit.

Ad superãdũ diabolum opus est Dei adiutorio.

Cap. XXV.

Quòd nemo, nisi per Christum, libero bene vtatur arbitrio, idem Magister in Epistola ad Mileuentanum Concilij data prædicat, dicens, Aduerte tandem, ô prauissimarum mentium doctrina, quòd primum hominem ita libertas ipsa decepit, vt dum indulgentius frænis eius vtitur, in præuaricationẽ præsũptionis concideret. Nec ex hac potuit erui, nisi ei prouidentia regenerationis statũ pristinæ libertatis Christi Domini reformasset aduentus.

Christi aduentus genus humanum reparauit.

Cap. XXVI.

Quòd omnia studia, & omnia opera ac merita Sanctorum, ad Dei gloriã laudémque referenda sint, quia nemo aliunde ei placeat, nisi ex eo quod ipse donauerit. In quam nos sententiam dirigit beatæ recordationis Papæ Zozimi regularis auctoritas, quum scribens ad totius orbis Episcopos, ait, Nos autem instinctu Dei (omnia enim bona ad auctorem suum referenda sunt, vnde nascuntur) ad fratrum & coepiscorum nostrorum conscientiam vniuersa retulimus.

Omnia opera Sanctorum, ad laudem Dei referenda.

Ibidem.

Ideo vtique quia præparatur voluntas à Domino. Et vt boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangat corda filiorum. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, ii filii Dei sunt: vt nec nostrum deesse sentiamus arbitrium: & in bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus, magis illius valere non dubitemus auxilium.

Vt boni aliquid fiat, per Deum corda tanguntur. Rom. 8.

Cap. XXVII. eodem libro.

Ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operatur arbitrio, vt sancta cogitatio, pium consilium, omnísque motus bonæ voluntatis ex Deo sit: quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.

Sine Deo nihil possumus.

Cap. XXVIII.

Quicunque dixerit gratiam Dei, qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt: non etiam ad adiutorium gratiæ vt non committantur, anathema sit.

Gratia Dei ad futurum extenditur.

Cap. XXIX.

Quisquis dixerit gratiam Dei per Iesum Christum propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum: quia per ipsum nobis reuelatur & aperitur intelligẽtia mandatorum, vt sciamus quid appetere, & quid vitare debeamus: non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit, &c.

Gratia Dei quæ faciendæ cognouimus ostenditur.

Cap. LI.

In omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur: sed ipse nullis præcedentibus bonis meritis & fidem & amorem sui prius inspirat, vt & Baptismi sacramẽta fideliter requiramus, & post Baptismum cum ipsius adiutorio, ea quæ sibi sunt placita implere possimus. Vnde manifestissimè credendum est, quòd & illius latronis quem Dominus ad paradisi patriam reuocauit, Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est, Zachæúsque, qui ipsum Dominum susc ipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuerit de natura, sed diuinæ gratiæ largitate donata.

Sanctis fidem esse a Deo datam.

Luc. 23.

Act. 10

Luc. 19.

Cap. LVI.

Nullum credimus ad salutem, nisi Deo inuitante, venire. Nullum inuitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari. Nullum nisi orantem auxilium promereri. Nullum Dei voluntate perire, sed per seipsum pro electione arbitrii, ne ingenuitatis libertas atque potestas semel homini attributa, ad seruilem cogatur necessitatem.

Nullum, nisi Deo inuitante ad salutem venire.

Cap. LVII.

Malum

Malitia à Deo non est creata, sed à diabolo inuenta.

Malum vel malitia non est à Deo creata, sed à diabolo inuenta, qui & ipse bonus à Deo creatus est: sed quia libero arbitrio, vtpote rationalis creatura, à Deo auersus est, à quo excogitandi acceperat facultatem, scientiam boni vertit ad malum, & multa cogitando factus est inuentor mali, & quod in se perdiderat, inuidit in aliis: nec contentus solus perire, suasit aliis, vt qui esset suæ malitiæ inuentor, fieret & aliorum auctor: & ex eo malum vel malitia percurrit in cæteras rationales creaturas, &c.

De Cantico nouo, Cap. VIII.

Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum nō.

Quid enim valeat liberum arbitrium non adiutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi, ad bonum non, nisi adiuuetur à Deo. Primus enim ille homo accepit liberum arbitrium rectum, & posuit Deus ante eum, sicut Scriptura dicit, ignem & aquam. *Eccles. 15.* Ad quod volueris (inquit) porrige manū tuā. Elegit ignem, reliquit aquā. Videte iustum iudicem. Quod elegit homo liber, accepit: malum voluit, hoc illum secutum est. Videte rursum illum iustum iudicem, misericordiam facientem. Quum enim videret quòd homo stirpem suam totam, malè vsus libero volūtatis arbitrio, in se tanquam in radice damnasset: ipse non rogatus de cælo descendit, & humanum genus superbia periens, sua humilitate sanauit, errantes perduxit ad viam, peregrinos perducet ad patriam. Non ergo glorietur humana natura de se: sed in eo glorietur, qui fecit se.

De patientia, Cap. XX.

Rom. 11. Quæ sit electio gratiæ.

Hanc autem electionem non præcedentium in bonis operibus meritorum, secundum electionem gratiæ demonstrans Apostolus, sic inquit, Et in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt. si autē gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia. Hæc est electio gratiæ, qua omnia bona merita præueniūtur humana. Si enim vllis bonis meritis datur, iam non gratis donatur, sed debita redditur. ac per hoc non vero nomine gratia nuncupatur: vbi merces (sicut idē dicit *Rom. 4.* Apostolus) non imputatur secūdum gratiam, sed secundum debitum. Si autē vt vera sit gratia, id est, gratuita, nihil inuenit in homine cui meritò debeatur: quod bene intelligitur & in eo quod dictum est, *Psalm. 55.* Pro nihilo saluos facies illos: profectò ipsa dat merita, nō meritis datur. Præueniunt ergo etiam fidem, ex qua omnia opera bona incipiunt. Iustus enim (sicut scriptum est) *Abac. 2.* ex fide viuit. Porrò autē gratia non solùm adiuuat iustum, verumetiam iustificat impium. Et ideo etiam quum adiuuat iustum, & videtur eius meritis reddi, nec sic desinet esse gratia, quoniā id adiuuat, quod ipsa est largita. Propter hanc itaque gratiam, quæ cūcta bona merita humana præcedit, nō solùm Christus ab impiis occisus est: verumetiam pro impiis mortuus est. Et antequam moreretur, non vtique iustos, sed iustificandos elegit Apostolos, quibus ait, Ego vos de mundo elegi. Quibus enim dixit, De mūdo non estis: ne putarent se nunquam fuisse de mundo, mox addidit, Sed ego vos de mundo elegi: profectò *Ioan. 15.* vt de mundo non essēt, ipsius in eos electione collatum est. Quocirca si per suam iustitiam, non per gratiam eius eligerentur, non de mundo electi essent, quoniam de mundo iam non essent, si iam iusti essent. Deinde si propterea sunt electi, quia iam iusti erant, ipsi priores iam Dominum elegerant. Quis enim potest *Roman. 10.* esse iustus, nisi eligendo iustitiam? Finis autem legis Christus est ad iustitiam omni credenti: qui factus est nobis sapientia à Deo, & *Corint. 1.* iustitia, & sāctificatio. Ipse est ergo nostra iustitia.

Cap. XXII.

Homo viens propria voluntate, iniustus est.

Quod cùm ita sit, quid est homo vtens in hac vita propria voluntate antequā eligat & diligat Deū, nisi iniustus & impius? Quid est, inquā, homo aberrās, à Creatore creatura, nisi Creator eius memor sit eius, & eligat eū gratis & diligat gratis, quia non potest eligere vel diligere, nisi prius electus dilectúsque curetur, qui cæcitate eligenda non cernit, languore diligenda fastidit? Sed fortè quis dicat, Quomodo Deus prius eligit & diligit iniquos aut iustificat, cùm scriptum sit, Odisti Domine omnes *Psalm. 5.* operantes iniquitatem? Quomodo putamus, nisi miro & ineffabili modo? Et tamen etiam non possumus cogitare, quòd medicus bonus ægrotum diligit. Odit enim, quia ægrotat, qui diligit ita vt ægritudinem pellat.

Cap. XXV.

Voluntas autem Creatoris, de qua scriptum est, Et torrente voluptatis tuæ potabis eos, longè alterius generis est. Neque enim sicut nos creatura est. Nisi ergo amor eius detur inde nobis, non est vnde esse possit in nobis. Ac per hoc volūtas bona, qua diligitur Deus, in homine non potest esse, nisi in quo Deus operatur & velle. Hæc igitur voluntas bona, id est, voluntas Deo fideliter subdita, voluntas sanctitate superni ardoris accensa, voluntas quæ diligit Deum, & proximum propter Deum, siue amore, de quo respondit Apostolus Petrus, Domine tu scis quia amo te: siue timore, de quo dicit Apostolus Paulus, In timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini: siue gaudio, de quo dicit, Spe gaudētes, *Roman. 12.* in tribulatione patientes: siue tristitia, qualem se dicit habuisse magnā pro fratribus suis; quæcunque amara & aspera sufferat, charitas Dei est, quæ omnia tolerat, quæ non diffunditur in cordibus nostris, nisi per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. *1. Corin. 13. Roman. 5.*

De prædestinatione & gratia, Cap. I.

Quòd si etiā pro magnitudine rei, de qua

De incommutabili voluntate Dei.

quæritur, non facilè intellectus sensibus quærentis occurrit, maximè si de incommutabili voluntate omnipotentis Dei, diuersum sonet canonicæ auctoritatis vtraque sententia: ita illa omnia ad pietatis regulam dirigẽda sunt, vt nec iniustum Deum esse, nec merita singulorum confusa quadam personarum acceptione taxantẽ, nec infirmũ, vt quidquid voluerit non valuerit explicare, inconcussa definitione teneatur.

Cap. II.

Sub huius igitur definitionis iugo, ne in sacrilegam temeritatem malè libera colla luxurient, quæstionis huius, quantum Deo donante possumus, occulta memoremus. quam beatus Apostolus Paulus diuersis in locis, nõ parum discrepantibus verbis, studiosis proponit scrutatoribus, eísque per ipsam loquitur veritatem. Sentẽtiam siquidem in Dei gratia, præcedente latissima & robusti ssima disputatione confectam ita concludẽs, ait, Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat: quum in alia Epistola, de diuina beneuolentia ipse sic dicat, Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Occurrit enim cur pereant ex his aliqui, quum omnipotens Deus omnes homines saluos fieri velit, & in agnitionem veritatis venire. Deinde, cur rursus indurat alios, misertus aliorũ, aut quomodo omnes saluos fieri velit homines, quum ipse nõnullos, ne saluẽtur induret. Hoc quantùm ad humanam iustitiam videtur iniustum. Sed quis ita desipiat, vel potius quis ita blasphemet, vt dicat de iustitia Dei, lege humanæ iustitiæ disputandum? Quæ profectò, si iustitiæ Dei aduersatur, iniusta est. Ab illo enim, qui summè iustus est, omne quod qualitercunque iustum est, manare manifestum est. Quis ergo erit qui incommutabiliter manantem, & omnia quæ sunt condẽtem, regẽtem atque seruantem Dei sapientiam, pendat humanæ sapientiæ arbitrio? De qua idem Apostolus dicit, Quia sapientia carnis inimica est Deo. Et alibi, Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Non ergo de illa maiestate diuinæ sapientiæ, humanæ vanitatis arbitrio disputandum.

Rom. 9.

1. Timo. 2.

De iustitia Dei lege humanæ iustitiæ non disputandum.

Rom. 8.

1. Corinth. 3.

Cap. III.

Si quis autem peccata sua ita nutriendo, figura vel vmbra vel typo superbiæ blandiente decipitur, vt dicat quod nonnullos esse dicturos, statim vidit Apostolus Paulus. Subiunxit enim, Dicet aliquis, Si cuius vult miseretur, & quem vult indurat, quid adhuc queritur? Voluntati enim eius quis resistet? Nouerit hac plus nos ad humilitatem ac pietatem cogi atque arctari sententia. Quum enim totum ad Deum referens, humanis viribus neget Doctor amplissimus, quid aliud quàm in Deum toto corde suspensi, ab eo salutis auxilium postulemus, hortatur? Quem ergo mouet hæc in diuinæ gratiæ dispensatione diuersitas, & iniustũ putat negari alteri, quod alter acceperit: intelligat quemadmodum diuinitus dixerit Psalmista, Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas: atque agnoscat, tali Deũ agitare res humanas iudicio, vt debitas pœnas aut iustè reddat, aut misericorditer donet.

Rom. 9. Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat.

Psalm. 24.

Eodem Capite, in fine.

Quòd verò Deus aliis gratuita vocatione conuersis, misericordiam largitur indebitam: non ad dispẽsatoris iniustitiam, sed ad donantis misericordissimam largitatem, veritatis ratione referendum est. An audebit debitor creditorẽ iniquitatis arguere, si alteri donans ab altero quod debebat exegerit? Si ergo inter cõtractus hominũ, nullus ex hoc præscriptionis locus est, vt à se dicat debitor iniustè exigi, quia sit alteri debitori ab eodem quod debebat creditore donatum: quis in tantam insaniam prophanæ vocis erumpat, vt iniustitiæ Deum arguat, si vni indebitam donauerit gratiam, alteri reddiderit debitam pœnam?

Deus vni indebitam donat gratiam, alteri debitam reddit pœnam.

Cap. IIII.

Itaque ex superiori huius parte sententiæ, quæ dicit, Cui vult miseretur: puto quòd nullus (nisi indignus misericordia) audeat disputare. Quòd verò sequitur, Quem vult indurat: ibi paululum humanæ mẽtis intentio verbi nouitate confũditur. Sed non ita intelligendũ est, quasi Deus in homine ipsam quæ non esset, duritiam cordis operetur. Quid enim aliud est duritia, quàm Dei obuiare mandatis? Vnde illud beatus Stephanus dicebat ad populum, Dura ceruice, & non circunciso corde & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis. Quam qui à Deo fieri putat, propterea quod dictum est, Quem vult indurat: ipsum præuaricationis intueatur exordium, & Deo donante mandatum, per quod transgressionis culpam in corde fuerit operatus, attendat. quanuis ne ab ipso quidem si negaret assensum, potuit tentatore compelli. Ergo quidquid post illam præuaricationem natus supplicii homo patitur, iustè reddi meritóque fateatur. Indurare enim Deus dicitur eum, quem mollire noluerit. Sic etiam excæcare dicitur eum quem illuminare noluerit. Sic etiam repellere eũ quem vocare noluerit. Quos enim prædestinauit, illos & vocauit: & quos vocauit, illos & iustificauit. Ipse enim dedit vt simus, ipse vt boni esse possimus.

Rom. 9.

Indurare Deũ aliquẽ quomodo dicitur.

Rom. 8.

Cap. V.

Præsciuit enim nos eius diuinitas, sapientia condidit, iustitia damnauit, gratia liberauit. Mundus enim quanuis pro tẽpore, ex quo factus est, cœperit, in illa diuinæ præscientiæ luce faciendus, nullũ potuit habere principiũ. Et quanticũque vel ex Adam vsque in hodiernum diem homines nati sunt, vel post nostram ætatem generationis sunt propagine nascituri, apud Deum nati sunt iam, & decurso totius vitæ tempore transierunt: in illo nihilominus diuini

Mundus in Deo æternus.

Electio in Deo libera.

diuini obtutus lumine permanentes: Deus enim qui nec loco clauditur, nec tẽpore præuenitur, omniũ rerum tam præteritarũ memoria, quàm imminẽtium scientia plenus est, nec reminiscens voluitur in præteritum, nec sperãs tenditur in futurum, &c.

Ibidem circa finem.

Romano. 4. Ephe. 1

Ab illo ergo, quia æternus & præscius, quia & iustus & pius est, qui exercet debitam seueritatem, & exhibet indebitam pietatem, & habet in creãdis atque eligẽdis hominibus, sicut in luto figulus, potestatem, facta sunt alia quidẽ vasa in honorẽ, alia verò in cõtumeliã. Anteq̃ faceret nos prẽsciuit nos, & in ipsa nos præscientia, cùm nondum fecisset, elegit. Sed à quo hoc fieri potuit, nisi ab eo qui vocat omnia quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt? Apostolus enim dicit, Qui elegit nos ante mundi constitutionem. Intra mundum facti sumus & ante mundum electi sumus: atque ita vno eodémque nec transeunte, nec futuro, sed continuo tempore, vel si quo alio modo dici potest. si tamen apud Deum est & præscire, & facere, & eligere, & præscientia sua incommutabiliter permanente eligere faciendos, quos facturus fuerat eligendo. Hæc quidem quãtum ad fidei regulam, Deo illuminante prædicta sunt, &c.

Cap. VI.

Deus nihil iniuste facit. Rom. 9.

Cúmque hoc fuerit in mente hominis sana pietate fundatum, quòd nulla sit iniquitas apud Deum: ita intelligat, Cui vult miseretur & quẽ vult indurat, quasi diceret, Cuius vult miseretur, & cuius non vult, non miseretur. Itémque hoc ipsum rursum intelligat, quasi diceretur, Cui vult donat, & à quo vult debitũ poscit. Quod qui dicere perseuerat iniustum, ab Apostolo audiat, O homo tu quis es, qui respondeas Deo?

Cap. VII.

Vocatio non fit secundum merita Rom. 9.

Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Quia maior seruiet minori. Non enim ait ex præteritis operibus: sed cùm generaliter dixerit, Non ex operibus, ibi & præterita intelligi voluit & futura. Præterita scilicet, quæ nulla erant, futura quæ nondum erant. Prædestinatus est Iacob vas in honorem, quia non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Maior seruiet minori.

Cap. VIII.

Viribus nostris nihil tribuendum. Ephe. 2.

Et ne fortè vasa in honorem prædestinata, suis aliquid viribus tribuẽdo, negarent gratiam Conditoris, alio eos loco Apostolus vasa misericordiæ nominauit, vt totum quidquid essent, secundum misericordiam se esse cognoscerent. Sic enim & alibi dicit Apostolus, Et hoc non ex vobis, sed Dei donum est. Beatus etiam Moyses in Deuteronomio dicit ad populũ, *Deut. 8.* Et ne dicas in corde tuo, Fortitudo mea & potẽtia manus meæ, fecit mihi virtutem magnam hãc: sed memoraberis Domini Dei tui, quia ipse tibi dat fortitudinem, facere virtutem, vt statuat testamentum suum, quod iurauit patribus vestris. Itẽ paulò pòst ibidem ad eos, Ne dicas, inquit, in corde tuo, cùm consũpserit Dominus Deus tuus gẽtes istas ante faciem tuam, dicens, Propter iustitias meas induxit me Dominus hæreditare terram bonam istam: Non propter iustitiam tuam, neque propter sanctitatem cordis tui, intras hæreditare terram eorũ: sed propter iniquitatem gentium istarum Dominus disperdet eas à facie tua, &c. *Deut. 9.*

Cap. IX.

Vocatione Dei bonorũ primordia sumimus.

Ne verò rursus homo in vltimam fæcem desidiæ resolutus, arduũ virtutis iter, & quanuis adiuuante gratia Dei, non nisi labore gradiendum, inerti sibi crederet posse deferri, & nullius laboris industriam studio sui profectus adhiberet: ita inter se atque homines Deus tempora officiáque distribuens ordinauit, vt vocatione ipsius bonorum principia sumeremus: vocati autem atque illuminati vias mandatorum eius, boni ingenii intelligẽtia nosceremus, & eas libero vel eligeremus vel relinqueremus arbitrio. Quas tamen, si ipsius fulti adiutorio, continua deuotione sequeremur, in fine rursus non repugnantẽ mandatis suis subiectam in nobis obedientiam coronaret, &c.

Cap. X.

Vocatus à Deo Paulus, vocationem secutus ejus.

Vocatum à Deo Apostolum Paulum, vel in eo libro legimus, vbi eius gesta cum omni veritate narrantur, vel ipse in Epistola sua confitetur, dicens, Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus. *Roman. 1.* Secundo autem loco vocationem secutus, & totum quod in homine fuerat operatus, ipse sic dicit, Plus omnibus illis laboraui. *1. Corinth. 15.* Sed ne hoc ipsum quidem sibi tribuens, solicita pietate subiunxit, Non ego autem, sed gratia Dei mecum. Iam ergo & vocato & vocationem per opera iustitiæ subsecuto, quid supererat aliud, nisi vt liberatus de corpore mortis huius, ad illius alterius vitæ, quæ Sãctis omnibus veritatis ore promissa est, beatitudinẽ peruenire? Quod nullis humanis meritis reddi, sed Dei donantis gratia largiente donari sibi ipse respõdet, post gemitus, quibus dixerat, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? *Roman. 7.* Gratia, inquit, Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

Cap. XI.

Contra liberi arbitrii defensores.

Exeat nunc liberi, contra Dei gratiam, defensor arbitrii, audiat dicentem Apostolum, quum de bonis suis laboribus loqueretur, Nõ ego autem, sed gratia Dei mecum. *1. Corinth. 15.* Audiat Dei vocem in Psalmo de his quos deseruerat, dicẽtem, Et dimisi eos secundum desyderia cordis eorum: ibunt in voluntatibus suis. *Psalm. 80.* Audiat vnũ eundémque Apostolũ de vitæ suæ variis tẽporibus sibi tantùm mala, gratiæ autem Dei bona omnia tribuentem. Qui prius fuit blasphemus & persecutor. Et aliâs, Gratia Dei sum id quod sum, Quũ diceret, Qui prius fui blasphemus & persecutor, nulla gratiæ mentio ini- *1. Timot. 1.*

quo operi copulabatur: quia sufficit sibi, sicut dictum est, ad nequitiam natura libertatis humanæ. Quum verò de præsentis vitæ beatitu-
2. Corinth. 15. dine loqueretur, Gratia, inquit, Dei sum id quod sum, &c.

Cap. XII.

A Deo est velle & perficere. Philip. 2.

Velle enim mihi adiacet, perficere autem non inuenio: quanuis & ipsum velle non est ex nobis, sed Dei donum est: quoniam ab ipso habemus & velle & perficere, pro bona volũtate.

Cap. XIII.

Vnde in homine voluntatum diuersitas.

Vnde ista in vno eodémque homine, qui ex anima & corpore constat, rerum voluntatúmque diuersitas, nisi quia iusta Dei iudicia contemnens, homo Deum, creatura Creatorem, infimus summũ, intra semetipsum inobedientiæ pœnas & contumaciam inferioris inuenit? Qua enim iustitia, quanuis meliori deterior, creaturæ tamen creatura seruiret, si ipsi qualiscunque creatura seruire noluit Creatori?

Cap. XIIII.

Gratulare, ô quicunque illuminatus es, & gratiam quam non merebaris agnosce. Geme quicunque induratus es, iustitiam confitere. Dic quicunque ab originali contagio, lauacro gratiæ te gratularis ablutũ, Misericors & miserator Dominus, patiens & multæ mi-
Psalm. 102, & 144. sericordiæ. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Dic quicunque damna-
Daniel. 3. ris, Iustus es Domine in omnibus quæ fecisti nobis, & omnia iudicia tua vera: quia in veritate & iudicio superinduxisti omnia hæc propter peccata nostra. Et noli iustitiæ Dei culpã
Psalm. 24. tuæ indurationis adscribere, quia omnes viæ Domini, misericordia & veritas: vt nec ii qui
Misericordia Domini saluantur homines. misericordiam fuerint consecuti à Deo, iudicio veritatis de meritis suis aliquid glorientur: nec ii qui indurati atque damnati sunt, excusationem culpæ ex hoc habere posse se credãt, quòd nullam, qua conuerterentur, sint misericordiam consecuti. Hanc ergo Pharao misericordiam non accepit: & ideo ei ad pereundum liberum suffecit arbitrium, quem quidem nullus ita ignarus diuinarum Scripturarum erit, qui audeat dicere illa omnia iniustè esse perpessum, &c.

Cap. XV.

Præscitia Dei non cogit hominem.

Si dicitur iam Pharaonem non potuisse mutari, quia eum præsciuerat Deus non esse mutandum: respondetur, Dei præscientiam non cogere hominem, vt talis sit qualem præsciuit Deus: sed præscire talem futurum, qualis futurus est, quanuis eum non sic fecerit Deus. Quem si cogeret esse, hoc vtique cogeret quod non est. Porrò si hoc præscierat futurum esse quod non est, præscientia nõ est. Quod de Deo quàm impiè dicatur, aduertit quisque qui peccatis suis inde blanditur, quòd Deus eum peccatorem futurum præscierit esse. Existere nihilominus fortasse aliquem reor, qui dicat minus idoneam ad salutem viam, si nulla intrinsecus vocatione pulsatus, tamen quispiam flagelletur. Vnde Nabuchodonosor pœnitẽtiam *Daniel. 4.* meruit fructuosam? Nonne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnũ quod perdiderat, rursus accepit? Pharao autem ipsis *Exod. 14.* flagellis est durior effectus, & periit. Hìc mihi rationem reddat, qui diuinum consilium nimium alta sapienti corde diiudicat: cur medicamentum vnius medici confectum, alii ad interitum, alii valuerit ad salutem: nisi quia Chri
2. Corinth. 2. sti bonus odor, aliis est odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem? Quãtùm ad naturam, ambo homines erant: quantùm ad dignitatem, ambo reges: quãtùm ad causam, ambo captiuũ populum Dei possidentes: quantũ ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diuersos, nisi quòd vnus manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnauit arbitrio? Hìc quicunque respondet, illi vt mutaretur adfuisse diuinum, huic vt induraretur defuisse præsidium: & hoc contendit iniustum. Propter quod rerum ipsarum fines, in Dei voluntate constituens, dixit Apostolus, Cuius *Roman. 9.* vult miseretur, & quem vult indurat. dicente Domino, Sine me nihil potestis facere: intelligat illa omnia, vel adiuuante Domino perfici, vel deserente permitti, vt nouerit tamen nolẽte Domino nihil prorsus admitti, &c.

Cap. XVI.

Donantur hominibus munificentia voluntatis.

Nunc autem quum damnatis pœna iusta reddatur, saluatis autem gratia donetur indebita, quis vsqueadeò humanæ conditionis oblitus, diuini sensus arcana discutiat, vt quum ipse pœnam meritò fuerit consecutus, quærat cur alius gratiam, quæ non debebatur ei, accepit? Hanc itaque diuinam electionem non meritis reddi, sed sola voluntatis munificẽtia donari hominibus, Moyses quũ iam tunc quãuis carnalem populum doceret, ostendit. Sic enim euidẽter in Deuteronomio dicit ad populum, *Deut. 10.* Ecce Domini Dei tui cælum est, & cælum cæli, & terra, & omnia quæ sunt in ea. Veruntamen patres vestros elegit Dominus diligere eos, & semen eorum elegit post ipsos, vos præ omnibus gentibus. Et adiecit, Circuncidimini ergo à duritia cordis vestri, & ceruicem vestram ne induretis amplius.

Eodem capite, in fine.

Roman. 11. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. & inscrutabiles vias eius, & inscrutabilia confitens Paulus Dei esse iudicia. Cum illo ergo quando de talibus quæritur, admiremur, & manente sententia, quòd non sit ini-
Roman. 9. Admirari cum Paulo inscrutabilia Dei decernentis. quitas apud Deum, si quid est illud quod quæritur, quod modum nostri sensus excesserit, & intellectus nostri non dignatur angustias, in illa iustitiæ, misericordiæ, præscientiæque diuinæ plenitudine permanere, inconcussa æqui-

tate

tate fateamur, ne de superioribus diuinæ voluntatis arcanis aliter quàm modus conditionis nostræ patitur, disputantes, Dei iustitiam relinquamus, & nostram statuere cupientes, in ima contumaciæ voragine decidamus, &c.

Roman. 10.

Libro primo de prædestinatione Sanctorum, Cap. II.

Quòd ergo pertinet ad religionem atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus, si non sumus idonei cogitare aliquid, quasi ex nobismetipsis, sed sufficiētia nostra ex Deo est: profectò nō sumus idonei credere aliquid quasi ex nobisipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est. Quocirca, sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiēdum quodcunque opus bonum, quod iam isti fratres, sicut scripta vestra indicant, verum esse consentiunt, vnde in omni opere bono, & incipiendo, & perficiendo sufficientia nostra ex Deo est: ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam, vel ad perficiendam fidem: sed sufficientia nostra ex Deo est. quoniam fides, si non cogitetur, nulla est, & nō sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Cauendum est, fratres dilecti à Deo, ne homo se extollat aduersus Deum, quū se dicit facere quod promisit Deus. Nonne fides gentium promissa est Abrahæ, & ille dans gloriam Deo plenissimè credidit, quoniam quæ promisit, potens est & facere? Ipse ergo fidem gentium facit, qui potens est facere quod promisit. Porrò si operatur Deus fidem nostram, miro modo agens in cordibus nostris vt credamus, nunquid metuendum est, ne totum facere non possit, & ideo homo sibi primas eius vendicet partes, vt nouissimas ab illo accipere mereatur? &c.

2. Corinth 3.

Nemo ad salutem sibi sufficit

Roman. 4.

Cap. III.

Non sic pius atque humilis doctor ille sapiebat, Cyprianum beatissimum loquor, qui dixit in nullo gloriandum, quādo nostrum nihil sit. Quod vt ostenderet, adhibuit Apostolum testem, dicentem, Quid autem habes quod non accepisti? Si autē accepisti, quid gloriaris quasi nō acceperis? Quo præcipuè testimonio, etiam conuictus sum, quū similiter errarem, putās fidem, qua in Deum credimus, nō esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo. Neque enim fidem putabam Dei gratia præueniri, vt per illam nobis daretur quod posceremus vtiliter, nisi quia credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis. Vt autem nobis prædicato Euangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar. Quem meum errorem nonnulla opuscula mea satis indicant, ante episcopatum meum scripta, &c.

1. Corinth. 4.

Confitetur Augustinus errorē.

Cap. IIII.

Videtis certè quid tunc de fide atque operibus sentiebam, quanuis de cōmendāda Dei gratia laborarem. In qua sentētia istos fratres nostros esse nunc video, quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis curauerunt proficere mecum. Nam si curassent, inuenissent istam quæstionē, secundum veritatem diuinarum Scripturarum solutam in primo libro duorum, quos ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsi, Episcopum Mediolanēsis Ecclesiæ, sancti Ambrosii successorem, in ipso exordio episcopatus mei. Nisi fortè non eos nouerūt. Quòd si ita est, facite vt nouerint, &c.

Quidam fratres fidem non esse donū Dei dicebant.

Cap. V.

Proinde posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum: habere autem fidem quemadmodum habere charitatem, gratiæ est fidelium. Illa itaque natura, in qua nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominem, ipsa verò fides discernit ab infideli fidelem, &c. Non enim omnium est fides, cùm fidem posse habere sit omnium.

Fides non est omnium.

1. Thessa. 3.

Cap. VI.

Multi audiunt verbum veritatis: sed alii credunt, alii cōtradicunt. Volunt ergo isti credere, nolunt autē illi. Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? Sed cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino, discernēdum est vtique, quid veniat de misericordia eius, quid de iudicio. Quod quærebat Israel, ait Apostolūs, hoc non est cōsecutus, electio autem consecuta est, cæteri verò excæcati sunt, sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiāt, vsque in hodiernum diem. Et Dauid dicit, Fiat mensa eorum in laqueum, & venationem, & in scandalum, & in retributionē illis. Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Ecce misericordia & iudicium. Misericordia in electione, quæ consecuta est misericordiam Dei: iudicium vero in cæteros, qui excæcati sunt. Et tamen illi, qui voluerunt, crediderunt: illi quia noluerunt, non crediderunt. Misericordia igitur & iudicium in ipsis voluntatibus facta sūt. Electio quippe ista gratiæ est, non vtique meritorum. Superius enim dixerat, Sic ergo & in hoc tēpore reliquiæ per electionem gratiæ salua factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia, iam non est gratia. Gratis ergo consecuta est, quod consecuta est electio. Non præcesit eorum aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis. Pro nihilo enim saluos fecit eos. Cæteris autem, qui excæcati sunt, sicut ibi non tacitum est, in retributione factum est. Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas. Inuestigabiles sunt autem viæ eius. Inuestigabiles igitur sunt & misericordia, qua gratis liberat, & veritas, qua iustè iudicat.

De misericordia & iudicio Dei.

Roma. 13.

Esai. 6.

Psalm. 68.

Roman. 13.

Psalm. 24. Roma. 11.

Cap. VII.

Sed forsitan dicũt, Ab operibus fidem distinguit Apostolus: gratiã verò nõ ex operibus esse dicit: non autẽ dicit quòd non sit ex fide. Ita verò est: sed ipsam quoquẽ fidem, opus Dei dicit esse Iesus, & hanc, vt operemur, iubet. Dixerunt enim ad eum Iudæi, Quid faciemus vt operemur opera Dei? Respondit Iesus, & dixit eis, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Sic ergo distinguit Apostolus ab operibus fidem, quemadmodum in duabus regnis Hebræorum distinguitur Iudas ab Israel, quum & ipse Iudas sit Israel. Ex fide ideo dicit iustificari hominem, nõ ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nũcupantur, in quibus iustè viuitur. Nam dicit etiam ipse, Gratia salui estis facti per fidem, & hoc nõ ex vobis, sed Dei donum est, id est, quod dixi per fidem, non ex vobis, sed Dei donum est. Et iam fides non ex operibus, inquit, ne fortè quis extollatur. Solet enim dici, Ideo credere meruit, quia vir bonus erat, & antequam crederet. Quod de Cornelio dici potest, cuius acceptę sunt eleemosynæ, & exauditæ orationes antequam credidisset in Christum: nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat. Nam quomodo inuocabat in quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse saluus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Apostolus Petrus: quanuis nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt ædificantes eam. Et dicitur à vobis, Fides est à nobis, cætera à Domino ad opera iustitiæ pertinentia, quasi ad ædificandum non pertineat fides: quasi ad ædificiũ, inquam, non pertineat fundamentum. Quòd si in primis & maximè pertinet, in vanum laborat prædicando ædificãs fidem, nisi eam Dominus miserando intus ædificet. Quidquid igitur & antequam in Christum crederet, & quum crederet, & quum credidisset, bene operatus est Cornelius, totum Deo dãdum est, ne fortè quis extollatur. Proinde ipse vnus Magister & Dominus, quum dixisset quæ suprà commemoraui, Hoc est opus Dei vt credatis in eum quem misit ille: in eodem ipso sermone paulò pòst ait, Dixi vobis, Quia & vidistis me, & non credidistis. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, &c.

Ioannis 6.
Actorum 10.
Roman. 10.
Psalm. 126.
Ioannis 6.

Cap. VIII.

Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me. Absit ergo vt quisquam non veniat, qui à Patre audiuit & didicit. Quare, inquiũt, non omnes docet? Si dixerimus, quia nolunt discere quos non docet, respondebitur nobis, Et vbi est quod ei dicitur, Domine tu conuertens, viuificabis nos? Aut si non facit volentes ex nolentibus Deus, quid orat Ecclesia secundum præceptum Domini, pro persecutoribus suis? Nam sic etiam voluit intelligi sanctus Cyprianus quod dicimus, Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra: hoc est, sicut in eis qui iam crediderunt, & tanquam cælum sunt; ita & in eis qui non credũt, & ob hoc adhuc terra sunt. Quid ergo oramus pro nolẽtibus credere, nisi vt Deus in illis operetur & velle? De Iudæis certè Apostolus ait, Fratres, bona volũtas quidem cordis mei, & deprecatio ad Deũ pro illis fit in salutem. Orat pro non credẽtibus. Quid nisi vt credant? Non enim aliter consequuntur salutem. Si ergo fides orantium Dei præuenit gratiam, nunquid eorum fides, pro quibus oratur vt credant, Dei præuenit gratiam? Quandoquidem hoc pro eis oratur, vt non credentibus, id est, fidem non habentibus, fides ipsa donetur.

Ioannis 6.
Psalm. 84.
Pro incredulis orandum est.
Matth. 6.
Roman. 10.

Cap. IX.

Fides igitur & inchoata & perfecta, donum Dei est, & hoc donũ quibusdã dari, quibusdã nõ dari omnino nõ dubitet, qui non vult manifestissimis sacris literis repugnare. Cur autem nõ omnib⁹ detur, fidelẽ mouere nõ debet, qui credit ex vno omnes esse in condemnationem sine dubitatione iustissimam: ita vt nulla Dei esset iusta reprehensio, etiam si nullus inde liberaretur. Vnde constat magnam esse gratiam, quòd plurimi liberantur, & quid sibi deberetur in eis qui non liberantur agnoscunt, vt qui gloriantur non in suis meritis, quæ paria vidẽt esse damnatis, sed in Domino glorientur. Cur autem istum potius quàm illũ liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Melius enim & hic audimus & dicimus, O homo, tu quis es qui respondeas Deo? quàm dicere audeamus, quasi nouerimus quod occultum esse voluit, qui tamẽ aliquid iniustum velle non potuit.

Cur Deus illũ potius quàm illum liberet.

Hierem. 9.
Rom. 9. & 11.

Eodem capite.

Quum enim nonnulli commemorentur in sanctis Hebraicis libris iam ex tempore Abrahæ, nec de stirpe carnis eius, nec ex populo Israel, nec aduentitia societate in populo Israel: qui tamẽ huius sacramẽti (incarnationis Christi scilicet) participes fuerunt: cur non credamus etiam in cæteris hâc atque illâc gentibus, alios atque alios fuisse: quãuis eos commemoratos in eisdem auctoritatibus non legamus? Ita salus religionis huius, per quam solam veram salus vera veracitérque promittitur, nulli vnquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit. Et ab exordio propagationis humanæ vsque in finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad iudicium prędicatur. Ac per hoc & quibus omnino annuntiata non est, non crediturì præsciębãtur, & quibus nõ credituris, tamen annuntiata est, in illorum exemplum demonstrantur. Quibus autem credituris annũtiatur, in regno cælorum & sanctorum Angelorum societati præparantur.

Salus cui desit, indignus est.

Cap. X.

Inter gratiam porrò & prædestinationem hoc tãtùm interest, quòd prędestinatio est gratiæ præparatio: gratia verò, iam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus, Non ex operibus,

Prædestinatio est gratiæ præparatio.

Ephes. 2.

ribus, ne fortè quis extollatur: ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, gratia est: quod autem sequitur, Quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus, prædestinatio est, quæ sine prescientia non potest esse. potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præsciuit quæ fuerat ipse facturus. Vnde dictũ est, Fecit quæ futura sunt. Prescire autem potens est etiam, quæ ipse nõ facit, sicut quæcunque peccata. Quia & si sũt quędã quæ ita peccata sunt, vt pœnæ etiam sint peccatorum (vnde dictum est, Tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant quæ non conueniunt) non ibi peccatum Dei est, sed iudicium. Quocirca prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est, vt dixi, præparatio. Gratia verò est ipsius prædestinationis effectus est.

Rom. 1. Gratia est prædestinationis effectus.

Cap. XI.

Quare vt credamus præcipitur.

Ideo enim hæc & nobis præcipiũtur (scilicet vt credamus, & mortificemus facta carnis) & dona Dei esse monstrantur, vt intelligatur quòd & nos ea faciamus, & Deus facit vt illa faciamus: sicut per Prophetam Ezechielem apertissimè dicit. Quid enim apertius quàm vbi dicit, Ego faciam vt faciatis? Locũ ipsum Scripturæ, fratres charissimi, attendite, & videbitis illa Deum promittere facturum se, vt faciant quæ iubet vt fiant. Non sanè ibi tacet etiã merita eorum, sed mala: quibus se ostendit reddere pro malis bona, hoc ipso quòd eos facit habere deinceps opera bona, quum ipse facit vt faciant diuina mandata.

Cap. XV. eodem libro.

Dei Filius inquantũ homo prædestinatus est.

Nam & ipsum Dominum gloriæ, inquantùm homo factus est Dei filius, prædestinatum esse dicimus. Clamat Doctor gentium in capite Epistolarum suarum, Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secũdum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. Prædestinatus est ergo Iesus, vt qui futurus erat secundum carnem Filius Dauid, esset tamen in virtute Filius Dei secundum Spiritum sanctificationis: quia natus est de Spiritu sancto, & virgine Maria.

Rom. 1.

Cap. XVI.

Duplex vocatio.

Vocat enim Deus prædestinatos multos filios suos, vt eos faciat membra prędestinati vnici Filii sui, nõ ea vocatione qua vocati sunt qui noluerũt venire ad nuptias. Illa quippe vocatione & Iudæi vocati sunt, quibus Christus crucifixus scandalũ est: & gentes, quibus Christus crucifixus stultitia est. Sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus, dicens, Ipsis autem vocatis Iudæis & Græcis prædicare se Christum, Dei virtutẽ, & Dei sapientiam. Sic enim ait, Ipsis autem vocatis, vt illos ostenderet non vocatos, sciens esse quandam certam vocationem eorum qui secundum propositum vocati sunt, quos prę- Rom. 8, & 9.
destinauit, conformes fieri imaginis Filii sui: quam vocationem significans, ait, Non ex operibus sed ex vocante dictum est ei, Quia maior seruiet minori.

Luc. 14. 1. Corinth. 1.

Eodem capite in fine.

Esai. 54. Prædestinati & vocati omnes docibiles Dei.

Ad hanc vocationẽ qui pertinent, omnes sunt docibiles Dei: nec potest eorũ quisquam dicere, Credidi vt sic vocarer. præuenit eum quippe misericordia Dei, qua sic vocatus est, vt crederet. Omnes enim docibiles Dei veniunt ad Filium, quoniam audierunt & didicerunt à Patre per Filium, qui euidentissimè dicit, Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me. Istorum autem nemo perit, quia o Ioan. 6.
mne quod dedit ei Pater, non perdet ex eo quidquã. Quisquis ergo inde est, omnino non perit, nec erit inde qui pereat. propter quod dictum est, Ex nobis exierunt, sed non erant 1. Ioan. 2.
ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum, &c.

Cap. XX.

Audiant Pelagiani, Dabo eis cor cognoscẽdi me, & aures audientes: vel, Dabo eis cor Ezech. 36.
aliud, & spiritum nouum dabo vobis. Audiãt etiam illud, Spiritum meum dabo vobis, & faciam, vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis. Audiant, A Domino corrigũtur gressus viri: mortalis autem quomodo intelliget vias suas? Audiant, *Deus ad vitã æternam parat, & conuertit hominum voluntates.*
Omnis vir videtur sibimetipsi iustus: dirigit autem corda Dominus. Audiant, Crediderũt quotquot erãt præordinati in vitã æternam. Audiant hæc & alia, quæcunque nõ dixi, quibus ostenditur Deus ad regnum etiam cælorum, & ad vitam æternam parare & conuertere hominum voluntates. Cogitate autem, quale sit vt credamus ad constituenda regna terrena hominum volũtates operari Deum, & ad capessendum regnum cælorum homines operari voluntates suas.

Libro II. de bono perseuerantiæ,

Cap. VIII.

Non enim in potestate nostra est cor nostrum, & cogitationes nostræ, quæ improuiso offusæ, mẽtem animúmque cõfundunt, atque aliô trahunt, quàm tu proposueris. Ad secularia reuocant, mundana inserunt, voluptaria *In Dei potestate est, vt fiant homines filii Dei.*
ingerunt, illecebrosa intexunt, ipsóque in tẽpore, quo eleuare mẽtem paramus, inserti inanibus cogitationibus ad terrena plerunque deiicimur. Non itaque in hominum, sed in Ioan. 1.
Dei est potestate, vt habeant homines potestatem filii Dei fieri. Ab ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, Gala. 5.
per quas habeant fidem, quæ operetur per dilectionẽ. Ad quod bonũ sumendum & tenendum, & in eo perseuerãter vsque in finem profi- 2. Corin. 3.
ciẽdum, non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis: sed sufficientia nostra

ex Deo est, in cuius est potestate cor nostrum, & cogitationes nostræ.

Ibidem.

Ex duobus itaq; paruulis, originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, iste relinquatur, & ex duobus ætate iam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, vt vocãtem sequatur: ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem sequatur: inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autẽ piis, cur huic donetur perseuerantia vsque in finem, illi autem nõ donetur: inscrutabiliora sũt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimũ, hũc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis (ait vnus prędestinatorũ, qui de pectore Domini bibebat hoc secretũ) mansissent vtique nobiscum, &c.

Inscrutabilia iudicia Dei.

1. Ioannis 2.

Cap. IX.

Væ tibi Corazim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factę fuissent virtutes quę factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent. Veruntamen Tyro & Sidoni remissius erit in iudicio, quàm vobis. In quibus verbis suis Dominus Iesus altius nobis mysterium prędestinationis ostendit. Si enim quæratur à nobis, Cur apud eos tanta miracula facta sint, qui videntes ea non fuerant crediturí, & apud eos facta non sint, qui crederent si viderent: quid respondebimus?

Luc. 10.

Altum prædestinationis mysterium.

Cap. X.

Quidam disputator catholicus non ignobilis, hunc Euangelii locum sic exposuit, vt diceret pręscisse Dominum Tyrios & Sidonios à fide fuisse postea recessuros, quũ factis apud se miraculis credidissent: & misericordia potius non eum illic ista fecisse: quoniam grauiori pœnæ obnoxii fierent, si fidem quam tenuerant, reliquissent, quàm si eam nullo tempore tenuissent. In qua sententia docti hominis, & admodũ acuti, quæ sint adhuc meritò requirenda, quid me nunc attinet dicere, quũ & ipsa nobis ad id quod agimus, suffragetur? Si enim miserationeDominº nõ fecit in istis virtutes, per quas fieri possent fideles, ne grauius punirentur, quum postea fierẽt infideles, quòd eos iterum infideles futuros fuisse præsciuit: satis apertéque demonstratur, de his peccatis neminem iudicari mortuorum, quæ pręsciuit fuisse facturum, si aliquo modo ei ne ea faciat subuenitur, sicut Tyriis & Sidoniis. Si sententia illa vera est, subuenisse dicitur Christus, quos maluit non accedere ad fidem, quàm scelere multò grauiore discedere à fide: quod eos si accessissent, præuiderat fuisse facturos.

De catholico quodam disputante.

Cap. XI.

Proinde, sicut Apostolus ait, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: qui & paruulis, quibus vult, etiam non volentibus, neque currentibus subuenit, quos ante mundi constitutionẽ elegit in Christo, daturus etiam eis gratiam gratis, hoc est, nullis eorum vel fidei vel operum meritis præcedentibus, & maioribus etiam iis, quos præuidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subuenire, non subuenit, de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed iustè aliud iudicauit. Non enim est iniquitas apud Deum, sed inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius: vniuersæ autem viæ Domini misericordia & veritas. Inuestigabilis ergo est misericordia, qua, cuius vult miseretur, nullis eius præcedentibus meritis: & inuestigabilis veritas, qua, quem vult, obdurat, eius quidem præcedentibus meritis, sed cum eo, cuius miseretur, plerunque communibus. Sicut duorum geminorum, quorum vnus assumitur, alius relinquitur, dispar est exitus, merita communia: in quibus tamen sic alter magna Dei bonitate liberatur; vt alter sine eius iniquitate damnetur. Nunquid enim iniquitas est apud Deum? absit. sed inuestigabiles sunt viæ illius. Itaque misericordiam eius in his qui liberantur, & veritatem in his qui puniuntur, sine dubitatione credamus, neq; inscrutabilia scrutari, neq; iuestigabilia vestigare conemur.

Romanorum 11. Psalm. 24.

Romanorum 9.

Cap. XII.

Confiteamur itaque gratiam Dei non secundum merita accipientium dari, sed secundũ placitum voluntatis eius in laudem & gloriam ipsius gratiæ eius, vt qui gloriatur nullo modo in seipso, sed in Domino glorietur, qui hominibus dat, quibus vult: quoniã misericors est. quòd & si non det, iustus est, & non dat, quibus non vult: vt notas faciat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Dando enim quibusdam quod non merẽtur, profectò gratuitam, & per hoc veram suam gratiã esse voluit. Non omnibus dando, quid omnes merentur, ostendit. Bonus in beneficio certorum, iustus in supplicio cæterorum, & bonus in omnibus: quoniam bonum est quum debitum redditur, & iustus in omnibus, quoniam iustũ est, quum debitum sine cuiusquam fraude donatur.

Gratiam Dei non dari secundum merita. 1. Corinth 1.

Romanorum 9.

Ibidem in fine.

Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subuenire, illis autem nõ subuenire, quũ sit vtriusque causa communis. Aut res humanas in paruulis non diuina prouidẽtia, sed fortuitis agi casibus opinabimur, quum rationales vel damnãdæ vel liberãdæ sint animæ: quãdoquidem nec passer cadit in terram sine volũtate Patris nostri, qui in cælis est, aut parẽtum negligentiæ sic tribuendum est, quòd paruuli sine Baptismo moriuntur, vt nihil ibi agant superna iudicia, tanquam ipsi qui hoc modo malè moriuntur, parentes sibi negligentes voluntate propria, de quibus nascerentur, elegerint. Quid dicã, quòd paruulus aliquando, antequã illi per ministerium baptizantis succurri possit, expirat? Plerunque enim festinantibus parẽtibus, & paratis ministris, vt Baptismus paruulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paruulũ in hac vita non tenuit, vt daretur.

Fatum non cogitur Deus.

Matth. 10.

Quid

Quid etiam quod aliquando paruulis infidelium filiis potuit, ne irent in perditionem, & filiis fidelium non potuit Baptismate subueniri? Vbi certè ostenditur quòd personarum apud Deum non sit acceptio: alioquin cultorum suorum potius quàm inimicorum filios liberaret.

Cap. XIII.

Notate incertorum Sanctorum patroni.

Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei: ad quam vocationem pertinere nullus est homo ab hominibus certa asseueratione dicendus, nisi quũ de hoc seculo exierit. In hac autẽ vita humana, quæ tẽtatio est super terram, qui videtur stare, videat ne cadat. Ideo quippe, sicut iam suprà diximus, non perseueraturi perseueraturis prouidentissima Dei voluntate miscentur, vt esse discamus non alta sapientes, sed humilibus cõsentientes, & quum timore & tremore nostram ipsorũ salutem operemur. Deus est enim qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere: hoc est piũ, hoc verum, vt sit humilis & submissa cõfessio, & detur totum Deo. Cogitantes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quidquid agimus, &c.

Iob 7.
1. Corinth. 10.
Roman. 12.
Philippen. 2.

In fine ibidem.

Corda nostra diuino egent auxilio, vt sursum ascendat. Coloss. 3.

Quum enim non sit in nostra potestate cor nostrum, sed diuino subleuetur auxilio vt ascendat, & quæ sursum sunt sapiat, vbi Christus est in dextera Dei sedens, non quæ super terram: cui de hac tantare agendæ sunt gratiæ, nisi hoc facienti Domino Deo nostro, qui nos per tale beneficium liberãdo de profundo huius mundi elegit & prædestinauit ante constitutionem mundi?

Ephes. 1.

Cap. XIIII.

Prædestinationis definitio vtilitati prædicationis aduersa non est.

Sed aiunt prædestinationis definitionem vtilitati prædicationis aduersam, quasi verò aduersata sit Apostolo prædicanti. Nonne ille Doctor gẽtium in fide & veritate prædestinationem toties commendauit, & verbum Dei prædicare non destitit? Nunquid quia dixit, Deus est qui operatur in nobis & velle & operari, pro bona voluntate sua: ideo non ipse, & vt velimus quæ Deo placeant, & vt operemur hortatus est? Aut quia dixit, Qui in vobis bonum opus cœpit, perficiet vsque in diem Christi Iesu: ideo vt inciperent homines, & perseuerarent vsque in finem, ipse non suasit? Nempe ipse Dominus hominibus præcepit, vt crederẽt, atque ait, Credite in Deum, & in me credite. nec tamen ideo eius falsa est sententia, nec vana definitio, vbi ait, Nemo venit ad me, id est, nemo credit in me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Nec rursus, quia vera est hæc definitio, ideo vana est illa præceptio. Cur ergo prædicationi, præceptioni, exhortationi, correctioníque, quæ omnia frequẽtat Scriptura diuina, existimamus inutilem definitionem prædestinationis, quã cõmẽdat eadẽ Scriptura diuina?

Philip. 1. & 2.
Ioannis 14.
Ioannis 6.

Ibidem post pauca.

Nec prædestinationis igitur prædicatione impedienda est prædicatio fidei perseuerantis & proficientis, vt quod oportet audiant, & quibus datum est vt obediant. Quomodo enim audient sine prædicante? Nec rursus prædicatione fidei proficientis, & vsque ad vltimũ permanentis, impedienda est prædicatio prædestinationis, vt qui fideliter & obedienter viuit, non de ipsa obedientia, tanquam de suo nõ accepto bono extollatur: sed qui gloriatur, in Domino glorietur. In nullo enim gloriandum, quando nostrum nihil sit. Quod vidit fidelissimè Cyprianus, & fidentissimè definiuit: per quod vtique prædestinationem certissimam pronuntiauit. Nam si in nullo gloriandum est, quãdo nostrum nihil est, profectò nec de obedientia perseuerãtissima gloriandum est. Nec ita nostra, tanquam non sit nobis desuper donata, dicenda est, &c.

Roman. 10.
Hieremi. 9.
Hominibus de nullis gloriandum est.

Cap. XV.

Et nostro ævo tales inueniuntur.

Fuit quidam in nostro monasterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret, respondebat, Qualiscunque nunc sim, talis ero, qualem me Deus futurum esse præsciuit. Qui profectò & verum dicebat, & hoc vero non proficiebat in bonum: sed vsqueadeò profecit in malum, vt deserta monasterii societate, fieret canis reuersus ad vomitum suum: & tamen adhuc qualis futurus sit, incertum est. Nunquid ergo propter huiusmodi causas ea quæ de præscientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt, vel tacenda: tunc scilicet quando si non dicantur, in alios itur errores?

Prouer. 26.

Cap. XVI.

Vna ratio tacendi verum.

Sed alia est ratio verum dicendi, alia verum tacendi necessitas. Causas verum tacendi, longum est omnes quærere vel inferere: quarũ tamen est & hæc vna. ne peiores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt, facere doctiores, qui nobis aliquid tale tacentibus, doctiores quidem non fiunt, sed nec peiores fiunt. Quũ autem res vera ita se habet, vt fiat peior, nobis eam dicentibus, ille qui capere non potest: nobis autẽ tacentibus, ille qui potest, quid putamus esse faciendum? Nonne potius dicendũ est verum, vt qui potest capere capiat, quàm tacendum, vt non solùm id ambo non capiant, verumetiam qui est intelligẽtior, ipse sit peior? Qui si audiret & caperet, per illũ etiã plures discerẽt. Quò enim est capacior vt discat, eò magis est idoneus vt alios doceat, &c.

Cap. XVIII.

Præsentiam sequendo pro prædestinatione.

Vnde aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus, Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit. Hoc quod ait, præsciuit, nõrectè intelligitur, nisi prædestinauit, quod circũstantia ipsius locutionis ostendit. Loquebatur enim de reliquiis Iudæorum, quæ saluæ factæ

Roman. 11.

sunt, pereuntibus cæteris.

Cap. XIX.

Lucæ 9. Samaritani cur non receperint Christum.

Beatus Ambrosius in expositione super Lucam, quum ad illum venisset locum, vbi Dominum ad Hierusalem pergentem, Samaritani recipere noluerunt, Simul disce, inquit, quia recipi noluit, non simplici mente conuersos: nam si voluisset, ex indeuotis fecisset deuotos. Cur autem non receperunt eum, Euangelista ipse demonstrat, dicens, Quia facies eius erat euntis in Hierusalem. Discipuli autem recipi intra Samariam gestiebant: sed Deus quos dignatur vocat, & quem vult, religiosum facit, &c.

Ibidem post pauca.

Gregorius Nazanzenus.

Et Gregorius, Vnius deitatis, inquit, quę sumus vos, confitemini Trinitatem. Si verò aliter vultis, dicite vnius esse naturæ: & Deus vocem dari vobis à sancto Spiritu deprecabitur, id est, rogabitur Deus, vt permittat vobis dari vocem, qua quod creditis, confiteri possitis. Dabit enim certus sum. qui dedit quod primum est, dabit & quod secundum est. qui dedit credere, dabit & confiteri, &c.

Cap. XX.

De prædestinatione populis prædicanda est.

Etsi verum est quod dicitur de prædestinatione beneficiorum Dei: non est tamen populis prædicandum. Prædicandum est prorsus, vt qui habet aures audiendi, audiat. Quis autem habet, si non acceperit ab illo qui ait, Dabo eis cor cognoscẽdi me, & aures audientes? Certè qui non accipit, reiiciat: dum tamen qui capit, sumat, & bibat, & viuat. Sicut enim prædicanda est pietas, vt ab eo qui habet aures audiendi, Deus rectè colatur. prædicanda est pudicitia, vt ab eo qui habet aures audiendi, nihil genitalibus membris illicitum perpetretur. prædicanda est charitas, vt ab eo qui habet aures audiendi, Deus & proximus diligatur: ita & prædicanda est ista prædestinatio beneficiorum Dei, vt qui habet aures audiendi, non in seipso, sed in Domino glorietur.

Cap. XXI.

Hæc autem omnia, initium scilicet fidei, & cætera vsque in finem dona sua Deus largiturum se vocatis suis esse præsciuit. Nimiæ igitur contentionis est, prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare.

De præscientia Dei quomodo prædicandum.

Quæ tamen non ita populis prædicanda est, vt apud imperitam, vel tardioris intelligentiæ multitudinem, redargui quodammodo ipsa sua prædestinatione videatur, sicut redargui videtur & præscientia Dei, quam certè negare non possunt, si dicatur hominibus, Siue curratis, siue dormiatis, quod vos præsciuit qui falli non potest, hoc eritis. Dolosi autem vel imperiti medici est, etiam vtile medicamentum sic alligare, vt aut non prosit, aut obsit. Sed dicendum est, Sic currite, vt comprehendatis, atque in ipso cursu vestro, ita vos esse prægnitos noueritis, vt legitimè curratis. Et si quo alio modo Dei præsciẽtia prædicari potest, vt hominis segnitia repellatur.

Libro de prædestinatione Dei,

Cap. I.

De prædestinatione Dei locuturi, anxietatibus quibusdam, inuoluimur, quia dum cõscientiam nostræ stoliditatis perscruta. mur, ab appetitu tã arduæ disputationis reprimimur. Sed dum ad omnipotentiam illius, qui per os asinæ irrationalis rationali sessori verba volũtatis suæ monstrauit, mentem reducimus: sub spe superni adiutorii, ad audendum vires accipimus, sciẽtes quod quidquid boni loquimur vel facimus, non ex nobis hoc, sed ex Deo accipimus.

Omne bonum nostrum à Deo

Cap. II.

Prædestinationis differentia. Certa Dei prædestinatio.

In primis nefas est dicere, Deum aliquid, nisi bonum prædestinare. Sed prædestinationum aliæ sunt alligationis, aliæ conditionis. Istæ sunt iustitiæ, illæ potentiæ. Vt lucidius fiat quod dicitur, quæ sunt alligationis & potentiæ, quæ conditionis & iustitiæ, demonstretur. Creauit Deus cælum & terram, solem & lunam, diem & noctem. prædestinauit insuper, vt cælum semper volueretur, terra immobilis, circunuoluenti cælo loco centri haberetur: sol & luna, diei noctíque præesset: dies & nox certis temporibus vicissim succederent. Hæ prædestinationes potentiæ sunt & alligationis. Vnumquodque enim illorum, quæ prædiximus, sic alligatum est suo operi per prædestinationem Dei, vt ab eo dimoueri non possit. Creauit Deus hominem, & prædestinauit, vt si obediẽs esset, ac à gustu vetiti pomi se abstineret, in vita permaneret. Sin autem inobediens esset, sententiam mortis subiret. Hæc prædestinatio cõditionis est & iustitiæ. Non enim Deus ante casum hominis sic eum per potentiam alligationis prædestinauit mori, vt necesse esset eum mori: sed sub ea conditione, si peccaret. Quia igitur peccauit homo, iustum erat vt moreretur, si non peccaret, nullo vinculo prædestinationis diuinæ morti alligaretur.

Cap. V. in fine.

Quos enim Deus suos fidei opere futuros esse prænouit, hos prædestinauit ad gloriam. Quos absque correctione diabolicæ persuasioni militaturos esse præsciuit, hos pro certo prædestinauit ad pœnam.

Libro X. Confessionum,

Cap. XXIX.

Sap. 8. Orare debemus, vt quod iubet Deus nobis det.

Et tota spes mea, non nisi in magna valde misericordia tua. Da quod iubes, & iube quod vis. Imperas nobis continẽtiam. & Cùm scirem, ait quidam, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum. Per continentiam quippe colligimur & redigimur in vnum, à quo in multa defluximus. Minus enim

enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris. Charitas Deus meus, accẽde me. Continẽtiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis.

Cap. XXXI.

Nemo enim potest esse continens, nisi tu des. Multa nobis orãtibus tribuis, & quidquid boni antequam oremus accipimus, à te accipimus: & vt hoc postea cognoscceremus, à te accipimus. Ebriosus nunquam fui, sed ebriosos à te sobrios factos ego noui.

Post pauca ibidem.

Philip. 4. Omnia possum, inquit, in eo qui me confortat. Cõforta me, vt omnia possim. Da quod iubes, & iube quod vis. Iste se accepisse cõfitetur, & quod gloriatur, in Domino gloriatur. 1. Corinth. 1.

Cap. XXXVII.

Tentamur his tẽtationibus quotidie Domine, sine cessatione tentamur. Quotidiana fornax nostra est humana lingua: imperas nobis & in hoc genere continentiam. Da quod iubes, & iube quod vis. Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum.

In Psalmum XXVI.

Contra præsumẽtes de libero arbitrio. Iam tu accepto libero arbitrio, quasi præsumis vnde ambules. Noli de te præsumere. Si te dereliquerit Deus, in ipsa via deficies, cades, aberrabis, remanebis. Dic ergo illi, Voluntatem quidem liberam dedisti mihi: sed sine te nihil est mihi conatus meus. Adiutor meus esto, ne derelinquas me, &c.

In præfationem Psalmi XXXI.

Ante fidẽ opera inania sunt Quid ergo? Debemus nulla opera præponere fidei, id est, vt ante fidem quisquam dicatur bene operatus? Ea enim ipsa opera, quæ dicuntur ante fidem, quanuis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse, vt magnæ vires, & cursus celerrimus præter viam. Nemo ergo cõputet bona opera sua ante fidem. Vbi fides nõ erat, bonum opus non erat. Bonũ enim opus intẽtio facit, intentionẽ fides dirigit. Non valde attẽdas quid homo faciat: sed quid quum facit, aspiciat, quò lacertos optimę gubernationis dirigat. Nemo ergo iactet bona opera sua ante fidem, nemo sit piger in bonis operibus accepta fide. Dat Deus ergo indulgentiam omnibus impiis, & eos iustificat ex fide, &c.

In Psalmum XXXII.

Consilium Domini manet in æternum. Vnde igitur cõsilium Domini manet in æternum, nisi de nobis, quos antè præsciuit & prædestinauit? Quis tollit prædestinationem Dei? Ante mundi constitutionem vidit nos, fecit nos, emendauit nos, misit ad nos, redemit nos. Hoc eius consilium manet in æternum, hæc eius cogitatio manet in secula seculorum.

Super Psalmum XLIII.

Quid dicturi sumus Deo, qui primo gratis nos fecit: quia bonus est, non quia aliquid meruimus? Deinde de ipsa reparatione, de secũda natiuitate, quid dicturi sum⁹? Merita nostra fecisse, vt nobis illa salus perpetua mitteretur à Domino? Absit. Si merita nostra aliquid facerẽt, ad damnationẽ nostram veniret. Non venit ille ad inspectionem meritorum, sed ad remissionem peccatorum. Non fuisti, & factus es. quid Deo dedisti? Malus fuisti, & liberatus es. quid Deo dedisti? Quid non ab eo gratis accepisti? Meritò & gratia nominatur, quia gratis datur. Exigitur ergo à te, vt tu gratis eũ colas: non quia dat temporalia, sed quia præstat æterna. Merita nostra nos damnant.

In Psalmum XLIX.

Qui ad gratiam se scit pertinere, quod est Christus, & quod est Christi, noui it quia indiget gratia. Si gratia vocatur, gratis datur. Si gratis datur, nulla merita tua præcesserunt, vt detur. Nam si præcesserunt merita tua, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Si ergo dicis præcessisse merita tua, te vis laudari, non Deum. Ideo non agnoscis Christum, qui venit cum gratia Dei. Conuerte ergo te ad merita tua: vide illa mala fuisse, vt non tibi deberetur nisi supplicium, nõ prẽmium. Et quũ videris quid tibi per meritum debeatur, agnoscis quid per gratiam donetur, & sacrificio laudis glorificas Deum. Ibi est enim via, in qua noueris Christum salutare Dei, &c. Roman. 4. Qui meritis suis fidit, non vult Deũ laudari.

In Psalmum LXII.

Quoniam melior misericordia tua super vitas. Multæ sunt vitæ humanæ, sed Deus vnam vitam promittit, & non illam dat nobis quasi propter merita nostra, sed propter misericordiam suam. Quid enim boni egimus, vt illud mereremur? Aut quæ bona facta nostra præcesserunt, vt Deus nobis gratiam suam daret? Nunquid inuenit iustitias quas coronaret, & non delicta quæ donaret? Vtique delicta quæ donauit si punire vellet, non esset iniustum. Quid enim tam iustum quàm vt puniatur peccator? Quum iustum sit vt puniatur peccator, pertinuit ad misericordiam ipsius non punire peccatores, sed iustificare, & de peccatore facere iustum: & de impio facere pium, &c. Deus dat nobis vitam nõ propter merita nostra.

In Psalmum XCIII.

Hæc est ergo disciplina Christiana. Nemo facit aliquid bene, nisi gratia ipsius. Quod facit homo malè, ipsius est hominis: quod facit bene, de beneficio Dei facit: quum cœperit facere bene, non sibi tribuat: quum non sibi tribuerit, gratias agat ei à quo acceperit. Quum autem benefacit, non insultet qui illud non facit, aut extollat se super eum. Non enim in illo finita est gratia Dei, vt ad alium non perueniat, &c. Nemo benefacit, nisi gratia Dei.

In vltimum Psalmum.

Misericordia & pœnitentia tendimus ad vitam.

Nõ enim frustra mihi videtur quinquagesimus Psalmus esse de pœnitentia: centesimus de misericordia & iudicio: cẽtesimꝰ quinquagesimus de laude Dei in Sanctis eius. Sic enim ad æternam beatámque tendimus vitam, primitus peccata nostra damnando: deinde bene viuendo, vt post condemnatam vitam malam, gestámque bonam, mereamur æternam.

Ad Valentinum Epistola XLVI.

Sine gratia De liberum arbitrium nihil potest.

Credite diuinis eloquiis, quia & liberum est hominis arbitrium ex gratia Dei, sine cuius adiutorio liberum arbitrium nec conuerti potest ad Deum, nec proficere in Deo. Et quod piè creditis, vt etiam sapienter intelligatis, orate. Et ad hocipsum enim, id est, vt sapienter intelligamus, est vtique liberum arbitrium. Nisi enim libero arbitrio intelligeremus atque saperemus, non nobis præciperetur, dicente Scriptura, Intelligite ergo qui insipientes estis in populo, & stulti aliquãdo sapite. Eoipso quippe quo præceptum & imperatum est, vt intelligamus atque sapiamus, obedientiam nostram requirit, quæ nulla potest esse sine libero arbitrio. Sed si posset hocipsum sine adiutorio Dei gratiæ fieri per liberum arbitriũ, vt intelligeremus atque saperemus, non diceretur Deo, Da mihi intellectum, vt discam mandata tua. Neque in Euangelio scriptum esset, Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas. Nec Iacobus Apostolus diceret, Si quis autem vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Potens est autem Dominus, qui & vobis donet & nobis, vt de nostra pace & pia consensione, nuntiis celerrimis gaudeamus.

Psalm. 93.

Psalm. 118. Luc. 24.

Iacobi 1.

Ad Valentinum Epistola XLVII.

Voluntas bona à Deo.

Boni quidem non solùm secundum suæ bonæ voluntatis merita præmium consequentur, sed etiam ipsam bonam voluntatem per De gratiã consecuti sunt: ac sic impletur quod scriptum est, Ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci: gloria autem & honor, & pax, omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco.

Roman. 2.

Ibidem post pauca.

Cyprianus martyr de libero arbitrio.

Legimus etiam librum beatissimi martyris Cypriani de oratione Dominica, & ostendimus quemadmodum docuerit omnia quæ ad mores nostros pertinent, quibus rectè viuimus, à Patre nostro qui in cælis est, esse poscenda, ne de libero præsumentes arbitrio, à diuina gratia decidamns, &c.

In eadem Epistola.

Catholica fides de libero arbitrio.

Fides sanè catholica, neque liberum arbitrium negat, siue in vitam malam, siue in bonã: neque ei tantum tribuit, vt sine gratia Dei valeat aliquid, siue vt ex malo conuertatur in bonum, siue vt in bono perseueranter proficiat, siue vt ad bonum sempiternum perueniat, vbi iam non timeat, ne deficiat.

Ad Hilarium Epistola LXXXIX.

Quisquis autem hac velut occasione cõperta, cùm audierit neminem hîc arbitrio suo sine peccato viuere, dederit se libidinibus, & criminibus variis se obligauerit, atque vsque in diem suum vltimum perdurauerit, quasli bet inter hęc eleemosynas faciat & infeliciter ducit vitam, & infelicius finit. Sed isti vtcunque tolerandi sunt, quando dicunt vel esse vel fuisse hic aliquẽ, præter vnum Sanctum Sanctorum, qui nullum omnino haberet peccatũ. Illud vero quod dicunt sufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implẽda, etiam si Dei gratia & Spiritus sancti dono, ad opera bona non adiuuetur, omnino anathematizandum est, & omnibus execrationibus detestandum. Qui enim hoc asserunt, à gratia Dei penitus alieni sunt, Qui ignorantes Dei iustitiam, sicut de Iudæis dicit Apostolus, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Plenitudo quippe Legis nõ est, nisi charitas. Et vtique charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, non per nos ipsos, nec viribus propriæ voluntatis, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Valet itaque liberũ arbitriũ ad opera bona, si diuinitus adiuuetur, quod fit humiliter petẽdo & faciẽdo. Desertũ vero diuino adiutorio, qualibet sciẽtia Legis excellat, nullo modo habebit iustitiæ solliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ, & exitiosum tumorem,

Doctrina liberi arbitrii anathematizanda.

Roman. 10.

Roman. 13. Roman. 5.

Ad Paulinum Epistola CVI.

Quod saluamur misericordiæ Dei, quod damnantur quorundam iudicio.

Quum verò per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem vniuersa defluxit natura, proculdubio quòd ex ea fiunt vasa in honorem, non ipsius iustitiæ, quæ gratiam nullam præcesit, sed Dei misericordiæ: quòd verò in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ absit vt sit apud Deum, sed iudicio deputandum est. Hoc quisquis cũ Ecclesia sapit, non contra gratiam pro meritis disputat, sed misericordiam & iudicium Dominó cãtat: vt nec misericordiã recuset ingratus, nec iudicium accuset inuitus. Secundum propositum enim occultissimæ iustitiæ bonitatis suæ, Deus quos prædestinauit, illos & vocauit, & quos vocauit, ipsos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit. Prædestinatio nostra non in nobis facta est, sed in occulto apud ipsum in eius præsentia. Tria verò reliqua in nobis fiũt, vocatio, iustificatio, & glorificatio. Vocamur prædicatione pœnitentiæ. Sic enim cœpit Dominus euangelizare, Agite pœnitentiam: appropinquauit enim regnum cælorum. Iustificamur in vocatione misericordiæ, & timore iudicii. Hinc est quod dicitur, Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me. nõ timet iudicari, qui impetrauerit antè saluari. Vocati renũtiamꝰ diabolo per pœnitẽtiã, ne sub iugo eiꝰ remaneamꝰ.

Sapienti. 8

Roman. 8.

Matthæi 3.

Psalm. 54.

Iustifi

Iustificati sanamur per misericordiã, ne iudicium timeamus. Glorificati trãsimus in vitam æternam, vbi Deum sine fine laudamus, &c.

DE SACRAMENTO CORPORIS ET SANGVINIS DOMINI.

Libro III. de consensu Euangelistarum, Cap. I.

Hinc igitur incipiamus secundum Matthæum. Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, dedítque discipulis suis, & ait, Accipite & comedite, Hoc est corpus meum. Hæc & Marcus Lucásque commemorant. Quod enim Lucas de calice bis commemorauit, prius antequam panem daret, deinde posteaquam panem dedit, illud quod superius dixit, præoccupauit vt solet. Illud verò quod ordine suo posuit, non commemorauerat superius. Vtrunque autem coniunctum, hanc sententiam facit, quæ & illorum est. Ioannes autem de corpore & sanguine Domini, hoc loco nihil dicit. Sed planè alibi multò vberius hinc Dominum locutum esse testatur.

Matth. 26.

Marci 14. Luc. 22. Concordantia Euangelistarũ circa Cœnæ institutionem.

In Psalmum X.

Christus traditorem suum tanta patientia pertulit, vt ei primam eucharistiam confectam manibus suis, & ore suo commendatam, sicut cæteris Apostolis traderet.

Iudam à Christo eucharistiã accepisse.

In Psalmum XCVIII.

Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quidquam. Quando hoc Dominus commendauit, & de carne sua locutus erat, & dixerat, Nisi quis mãducauerit carnem meam, non habebit in se vitam æternam. Scãdalizati sunt quidam discipuli eius, septuaginta fermè, & dixerunt, Durus est hic sermo, quis potest hoc intelligere? Et recessérunt ab eo, & amplius cum eo non ambulauerunt. Durum illis visum est, quod ait, Nisi quis manducauerit carnem meam, non habebit vitam æternam. Acceperunt illud stultè, carnaliter illud cogitauerunt, & putauerunt, quòd præcisurus esset illis Dominus particulas de corpore suo, & daturus illis: & dixerunt, Durus est hic sermo. Ipsi erant duri, non sermo. Etenim si duri non essent, sed mites essent, dicerent sibi, Non sine causa dicit hoc, nisi quia est ibi aliquod sacramentum latens. Manerent cum illo lenes, non duri, & discerent ab illo, quod illis discedentibus & qui remãserunt didicerunt. Nam quum remansissent cum illo discipuli duodecim illis recedentibus, suggessérunt illi tanquam dolentes illorum mortem, quòd scandalizati sunt in verbo eius, & recessérunt. Ille autem instruxit eos, & ait illis, Spiritus est qui viuificat, caro nõ prodest quidquam. Verba quæ locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt. Spiritualiter intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum vobis aliquod cõmendaui, spiritualiter intellectum viuificabit vos. Et si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen illud inuisibiliter intelligi.

Ioannis 6. De Spirituali manducatione fidei.

Cœna etsi visibiliter agitur, inuisibiliter tamen intelligitur.

In Psalmum XXXIII.

Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Ferebatur autem Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait, Hoc est corpus meum: ferebat enim illud corpus in manibus suis. Eadem dicit in sermone secundo super eundem Psalmum.

Ad Iulianum Epistola CXI.

Vnusquisque antequam corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi accipiat, seipsum probet: & secundũ Apostoli præceptum, sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quia qui indignè manducat corpus & sanguinem Domini, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Quãdo enim eum accipere debemus, antea ad confessionem & pœnitentiam recurrere debemus, & omnes actus nostros curiosius discutere, & peccata obnoxia, si in nobis senserimus, citò festinemus per confessionem & veram pœnitẽtiam abluere, ne cum Iuda proditore diabolum intra nos cælantes pereamus, protrahentes & cælantes peccatum nostrũ de die in diem, & si quid mali aut nequam cogitauimus, de eo pœnitẽtiam agamus, & velociter illud de corde nostro eradere festinemus.

Homo ante suã sumptionem eucharistiæ se probet.

Ad Paulinum Epistola IIX.

Vouentur omnia quæ offeruntur Deo, maximè sancti altaris oblatio, quo Sacramento prædicatur nostrũ aliud votum maximum, quo nos nouimus in Christo esse mansuros, vtique in compage corporis Christi: cuius rei Sacramentum est, quòd vnus panis, vnum corpus multi sumus. Ideo in huius sanctificatione & distributionis præparatione, existimo Apostolum iussisse propriè fieri προσευχὰς, id est, orationes, vel (vt nõnulli minus periti interpretati sunt) adorationes: hoc est enim ad votum, quod vsitatius in Scripturis nuncupatur εὐχή. Interpellationes autem, siue vt vestri codices habẽt, postulationes, fiunt, quum populus benedicitur. Tũc enim Antistites velut aduocati; susceptos suos, manus impositione misericordissimæ offerunt potestati. Quibus peractis, & participato tam sancto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis vltimam commẽdauit Apostolus.

Quare veteres Cœnam Dominicam altaris oblationem nominauerint. *1. Corinth. 10.*

In Euangelium Ioannis, Tractatu I.

Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Quid est enim, Non semper, & quid est, Semper? Si bonus es, si ad corpus Christi pertines, quod significat

Ioannis 12.

Ad corp⁹ Chri sti pertinentes,

habet hic Christū per fidem. Petrus, habes Christum & in præsenti & in futuro. In præsenti per fidem, in præsenti per signū Christi, in præsenti per Baptismatis sacramētum, in præsenti per altaris cibū & potum. Habes Christū in præsenti: sed habebis semper, quia quū hinc exieris, ad illum venies, qui dixit latroni, Hodie mecum eris in paradiso. Si autē malè versaris, videris habere in præsenti Christū, quia intras in Ecclesiā, signas te signo Christi, baptizaris Baptismo Christi, misces te membris Christi, accedis ad altare Christi: in præsēti habebis Christū, sed malè viuēdo nō sēper habebis. Potest & sic intelligi, Pauperes semper habebitis vobiscum, me autē non semper habebitis. Accipiant & hoc boni: sed non sint soliciti: loquebatur enim de præsentia corporis sui. Nam secundum maiestatem suam, secundū prouidentiam, secundum ineffabilem & visibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum est, Ecce vobiscum sum omnibus diebus vsque ad cōsummationem seculi. Secundum carnem verò quam Verbum assumpsit, secūdum id quod de Virgine natus est, secundum id quod à Iudæis comprehensus est, quòd ligno confixus, quòd de cruce depositus, quòd linteis inuolutus, quòd in sepulchro cōditus, quòd in resurrectione manifestatus, non semper habebitis me vobiscum. Quare? Quoniam conuersatus est secundum corporis præsentiā quadraginta diebus cum discipulis suis: & eis deducentibus videndo non sequendo, ascendit in cælum, & non est hic. Ibi enim sedet ad dexterā Patris, & hic est. Nō enim recessit præsentia maiestatis. Aliter secūdum præsentiam maiestatis semper habemus Christum, secundum præsentiam carnis, rectè dictum est discipulis, Me autem non semper habebitis. Habuit enim illum Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus, modò fide tenet, oculis non videt, &c.

Luce 23.

Matth. 28.

Ad Bonifacium Epistola XXIII.

Si enim Sacramēta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerunque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quendam modum, Sacramētum corporis Christi, corpus Christi est: Sacramētum sanguinis Christi, sanguis Christi est: ita sacramētum fidei fides est. Nihil est autem aliud credere, quàm fidem habere, &.

Secūdum quēdam modum, sacramentum corporis Christi, corpus Christi est.

De Trinitate, libro III. Cap. IIII.

Illud corpus & sanguinem Christi dicimus, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum, ritè sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis Dominicæ passionis.

In sermone ad infantes ad altare, de Sacramento.

Hoc quod videtis in altari Dei, etiam transacta nocte vidistis: sed quid esset, quid sibi velit, quàm magnæ rei sacramentum contineret, nondum audistis. Quod ergo vidistis, panis est & calix, quod vobis etiam oculi vestri renūtiant. Quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix est sāguis. Breuiter quidem hoc dictum est, quod fidei fortasse sufficiat, sed fides instructionem desyderat. Dicit enim Propheta, Nisi enim credideritis, non intelligetis. Potestis ergo modò dicere mihi, Præcepisti vt credamus, expone vt intelligamus. Potest enim in animo cuiuspiam cogitatio talis oboriri, Dominus noster Iesus Christus, nouimus vnde acceperit carnem de virgine Maria, infans lactatus est, nutritus est, creuit, ad iuuenilem ætatem perductus est, à Iudæis persecutionem passus est, ligno suspēsus est, in ligno interfectus est, sepultus est, tertio die resurrexit, quo die voluit, in cælum ascendit. Illuc leuauit corpus suum, vnde est venturus vt iudicet viuos & mortuos. Ibi est modò, sedens ad dexteram Patris. Quomodo est ergo panis corpus eius? Et calix, vel quod habet calix, quomodo est sanguis eius? Ista fratres ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur speciem habet corporalem: quod intelligitur fructum habet spiritalem. Corpus ergo Christi si vis intelligere, Apostolum audi dicētem fidelibus, Vos estis corpus Christi & membra. Si ergo vos estis corpus Christi & membra, mysterium vestrum in mensa positum est, mysterium Dei accipitis. Ad id quod estis, Amen respondetis, & respondendo subscribitis. Audis ergo corpus Christi, & respondes Amen. Esto membrum corporis Christi, vt verum sit Amen tuum. Quare ergo in pane? Nihil hic de nostro afferamus. ipsum Apostolum item audiamus. Cùm ergo de isto Sacramēto loquere tur, ait, Vnus panis, vnū corpus multi sumus. Intelligite & gaudete, vnitas, pietas, veritas, charitas, vnus panis, vnum corpus multi. Recolite quia panis non fit de vno grano, sed de multis. Quādo exorcizabamini, quasi molebamini: quando baptizati estis, quasi conspersi estis. Quando Spiritus sanctificationem accepistis, quasi cocti estis. Estote quod videtis, & accipite quod estis. hoc Apostolus de pane dixit. Iam de calice quid intelligeremus, etiam non dictum satis ostendit. Sicut enim vt sit species visibilis panis, multa grana in vnum consperguntur, tanquam illud fiat, quod de fidelibus ait Scriptura sancta, Erat illis anima vna, & cor vnum in Deum. sic & de vino fratres recolite, vnde fit vinum. Grana multa dependent ad botrū, sed liquor granorū in vnitatē cōfūditur. Ita Dominus noster Iesus Christus nos significauit, nos ad se pertinere voluit: mysteriū pacis & vnitatis nostrę in sua mēsa cōsecrauit.

Esaiæ 7.

Panis quemodo dicatur corpus Christi & calix sanguis.

1. Corin. 10.

Actor. 4

Qui

Qui accipit mysterium vnitatis,& non seruat vinculum pacis, nō mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se. Nulli est aliquatenus ambigendum, tunc vnunquenque fidelium coporis sanguinísque Dominici participem fieri, quando in Baptismate membrum Christi efficitur: nec alienari ab illius panis calicísque consortio, etiam si antequam panem illum comedat, & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat,&c.

Sermone XXIII. Cœnæ.

Dominus cor discipuli nequiter induratum,ad dilectionem Sacramenti dulciter inuitauit,dicens sibi post Petrum & cæteros,Accipite & comedite,Hoc est corpus meum.

In Ioannem super locum, Fur erat, &c.

De vno pane & Petrus & Iudas accepit: & tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam,Iudas ad mortem. Qui enim manducat indignè,reus erit,&c.

In Psalmum XXXIX.

Quum datum est quod promissum,ablata sunt verba promisiua, data sunt completiua. Sacrificia ergo illa,tanquam verba promissiua ablata sunt. Quid est ergo quod datum est completiuū? Corpus autem quod nostis,quod non omnes nostis, quod vtinam qui nostis omnes,non ad iudicium noueritis,Sacrificium, inquit,& oblationē noluisti. Quid ergo,nos iam hoc tēpore sine sacrificio dimissi sumus? Absit. Corpus autem perfeciſti mihi. Ideo illa noluisti vt hoc perficeres, perfectio promissorum abstulit verba promittentia. Hoc promittebatur quibusdā signis. Ablata sūt signa promittentia: quia exhibita est veritas promissa. In hoc corpore sumus,huius corporis participes sumus. Quod accipimus,nouimus: & qui non nostis,noueritis: & quum didiceritis,non ad iudicium accipiatis. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Perfectū est nobis corpus,perficiamur in corpore.

De mystico Christi corpore

Psalm.39. Heb.10.

1. Corinth.11.

Super Ioannem, Tract. XXVI.

Qui manducāt carnē meā,& bibit sanguinē meū,in me manet,& ego in illo. Hoc est ergo manducare illam escam,& illum bibere potum,in Christum manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc qui nō manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritaliter carnem eius: nec bibit eius sanguinem,licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & sanguinis Christi. sed magis tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit: quia immundus præsumpsit ad Christi accedere Sacramenta,quæ aliquis non dignè sumit,nisi qui mūdus est. de quibus dicitur, Beati mundo corde,quoniā ipsi Deum videbunt.

Ioan.6. Quid sit manducare carnē & bibere sanguinem Christi.

Matt.5.

Ibidem.

Non enim Filius participatione Patris fit melior,qui est natus æqualis, sicut participatione Filii,per vnitatē corporis eius & sanguinis,quod illa manducatio potatióque significat,nos efficimur meliores.

Ibidem.

Vt autem quisquam viuat propter me,participatio facit qua manducat me.

Eodem Tractatu.

Nam & nos hodie accepimus visibilem cibum: sed aliud est Sacramentum, aliud est virtus Sacramēti. Quā multi de altari accipiunt & moriuntur, & accipiēdo moriuntur! Vnde dicit Apostolus,Iudicium sibi manducat & bibit. Non enim dominica buccella venenum fuit Iudæ, & tamen accepit, & quum accepit, in eum inimicus intrauit: non quia malum accepit,sed quia bonum malè malus accepit. Videte ergo,fratres, panem cælestem spiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate, peccata etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera,antequam ad altare accedatis, attendite quòd dicatis, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si dimittis,dimittitur tibi. Securus accede,panis non venenum est. Sed vide si dimittis. nam si non dimittis,mētiris,& ei mentiris,quem non fallis. Mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. Nouit ille quid agat: intus te videt, intus te examinat, intus inspicit, intus iudicat, intus aut damnat aut coronat.

Aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti.

1. Corinth.11.

Matth.6.

Ibidem.

Et omnes eundem potum spiritalem biberunt. Aliud illi, aliud nos, sed specie visibili quidem, tamen hoc idem significante virtute spiritali.

1. Corinth.10.

Eodem.

Hic est ergo panis, qui de cælo descendit, vt si quis manducauerit ex ipso,non moriatur: sed qui pertinet ad virtutem Sacramenti, non qui pertinet ad visibile Sacramentū. qui manducat intus,non foris,qui manducat in corde, non qui premit dente.

Eodem.

Vnus panis(inquit) vnum corpus multi sumus. O Sacramētum pietatis,ô signum vnitatis,ô vinculum charitatis! Qui vult viuere,habet vbi viuat, habet vnde viuat. Accedat,credat,incorporetur, vt viuificetur. non abhorreat à cōpage membrorum,quod resecari mereatur. nō sit distortū,de quo erubescatur,&c.

1. Corinth. 10.

Ibidem.

Huius rei sacramentum, id est, vnitatis corporis & sanguinis Christi,alicubi quotidie,alicubi certis interuallis dierum in Dominica mēsa præparatur,& de mēsa Dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. Res verò ipsa,cuius & Sacramētum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunque eius particeps fuerit.

Ibidem.

Propterea quippe,sicut etiam ante nos hoc

Cur pane & vino institutu sacramentum hoc.

intellexerunt homines Dei, Dominus noster Iesus Christus, corpus & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur ex multis. Nanque aliud in vnum ex multis granis conficitur & constat, aliud in vnum ex multis acinis confluit.

Tract. XXVII.

Qui mãducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Signum, quia mãducauit & bibit, hoc est, si manet & manetur, si habitat & inhabitatur, si hæret non deseratur. Hoc ergo nos docuit & admonuit mysticis verbis, vt simus in eius corpore, sub ipso capite in membris eius, edentes carnem eius, non relinquentes vnitatem eius. Sed qui aderant plures non intelligendo scandalizati sunt. Non enim cogitabãt hæc audiendo, nisi carnem, quod ipsi erant. Apostolus autem dicit, & verum dicit, Sapere secundum carnem, mors est. Carnem dat nobis Dominus suam manducare, & sapere secundum carnem, mors est, cùm de carne sua dicat, quia ibi est vita æterna. Ergo nec carnem debemus sapere, secundum carnem.

Carnem nõ debemus sapere secundum carnẽ Roman. 8.

Ibidem.

Ioan. 6.

Si ergo videritis Filium hominis ascendentem vbi erat prius? Quid est hoc? Hinc soluit illud quod non nouerant, hinc aperuit vnde fuerãt scandalizati: hinc planè, si intelligerent. Illi enim putabant eum erogaturum corpus suum, ille autem dixit se ascensurum in cælum, vtique integrum, Cùm videritis Filium hominis ascendentem vbi erat prius, certè vel tũc videbitis, quia non eo modo, quo putatis, erogat corpus suum. certè vel tunc intelligetis, quia gratia eius nõ cõsumitur morsibus.

Gratia Dei nõ cõsumitur morsibus.

Ibidem.

Ioan. 6.

Caro non prodest quidquã: sed quomodo illi intellexerũt. Carnem quippe sic intellexerũt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est, Caro non prodest quidquam: quomodo dictum est, Scientia inflat. Iã ergo debemus odisse scientiã? Absit. Et quid est, Sciẽtia inflat? Sola sine charitate. ideo adiunxit, Charitas vero ædificat. Adde ergo scientiæ charitatem, & vtilis erit scientia, non per se, sed per charitatẽ. Sic etiã nũc caro non prodest quidquam, sed sola caro. Accedat Spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, & prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret vt inhabitaret in nobis.

1. Cor. 8. Caro non prodest quidquam

Ibidem.

Mali edunt corpus Christi.

Hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectissimi, vt carnẽ Christi, & sãguinem Christi non edamus tantum in Sacramento, quod & multi mali, sed vsque ad Spiritus participationẽ manducemus & bibamus, vt in Domini corpore tãquã mẽbra maneam⁹, vt ei⁹ Spiritu vegetemur, & nõ scãdalizemur etiam si multi modò nobiscum manducant & bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta. Eodem modo enim corpus Christi mixtum est tanquam area: sed nouit Dominus qui sunt eius. *2. Timoth. 2*

Tractatu IIX. in Ioan.

Apostoli manducabant panem Domini: Iudas verò panem Domini cõtra Dominum. Illi vitam, ille pœnã. Qui enim mãducat indignè (vt Apostolus ait) iudicium sibi mãducat.

De Ecclesiasticis dogmatibus,

Cap. IIII.

Omnibus Dominicis diebus communicandum.

Quotidie eucharistiæ communionem percipere nec laudo nec reprehendo. Omnibus tamen dominicis diebus cõmunicandum suadeo & hortor: si tamẽ mẽs sine affectu peccandi sit. Nam habentem adhuc voluntatem peccandi, grauari magis dico eucharistiæ perceptione, quàm purificari. Et ideo quanuis quis peccato mordeatur, peccãdi non habeat de cætero volũtatem, & cõmunicaturus satisfaciat lachrymis & orationibus, & confidens de Domini miseratione, qui peccata piæ confessioni donare cõsueuit, accedat ad eucharistiã intrepidus & securus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non grauant. Nam quẽ mortalia crimina post Baptismũ cõmissa premunt, hortor prius publica pœnitentia satisfacere, & ita sacerdotis iudicio reconciliatum, communioni sociari, si vult non ad iudicium & cõdemnationem sui eucharistiã percipere. Sed & secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus: sed mutato prius seculari habitu, & confesso religionis studio, per vitæ correctionẽ, & iugi, imò perpetuo luctu, miserante Deo: ita duntaxat, vt contraria pro his quæ pœnitet, agat: & eucharistiam omnibus Dominicis diebus supplex & submissus, vsque ad mortem percipiat.

Scelerati publica pœnitentia satisfacere debent.

Cap. LXXIIII.

Ille nempe baptizatus communicat eucharistiæ in cõmemoratione mortis Domini. Hic catechumenus ipsi Christo commoritur.

Cap. LXXV.

Vinum aquæ cum aqua miscetur.

In eucharistia non debet pura aqua offerri, vt quidam sobrietatis fallũtur imagine, sed vinum cum aqua mixtum: quia & vinum fuit in redemptionis nostræ mysterio, quum dixit, Non bibam amodo de hoc genimine vitis: & aqua mixtũ, non quod post Cœnam dabatur, sed quod de latere eius lancea perfossi, aqua cum sanguine egressa, vinum de vera eius carnis vite, cum aqua expressum ostenditur.

Ad inquisitiones Ianuarii,

Cap. I.

Matth. 11.

Primò itaque tenere volo, quod est huius disputationis caput, Dominũ nostrum Iesum Christum, sicut ipse in Euangelio loquitur, leni iugo suo nos subdidisse,, & sarcinæ leui. Vnde de Sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis

Sacramenta sunt numero pauciss.

mis, societatem noui populi colligauit: sicuti est Baptismus Trinitatis nomine cõsecratus, Cõmunicatio coporis & sanguinis ipsius: & si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur, exceptis iis quæ seruitutem populi veteris, pro congruentia cordis illorum & prophetici temporis onerabant, quæ & in quinque libris Moysi leguntur, &c.

Cap. II.

Alia verò quæ per loca terrarum regionésque variãtur, sicuti est quòd alii ieiunant Sabbato, alii verò non, alii quotidie communicãt corpori & sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt. alibi nullus dies intermittitur quo non offeratur: alibi Sabbato tantùm & Dominico: alibi tantùm & Dominico: & si quid aliud huiusmodi animaduerti potest: totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes. Nec disciplina vlla est in his melior, graui prudẽtíque Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quancunque fortè deuenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendũ: & pro eorũ, inter quos viuitur, societate seruãdum est.

Quid contra fidẽ & bonos mores non est, indifferenter habendum est.

Cap. III.

Dixerit aliquis, non quotidie accipiendam eucharistiam. Quæsieris, quare? Quoniã (inquit) eligendi sunt dies, quibus purius homo continentiúsque viuit, quô ad tantum Sacramentum dignus accedat. Qui enim manducauerit indignè, iudicium sibi mãducat & bibit. Alius contrà, Imò (inquit) si tãta est plaga peccati atque impetus morbi, vt medicamenta talia differenda sint, auctoritate Antistitis debet quisque ab altario remoueri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enĩ indignè accipere, si eo tẽpore accipiat, quo debet agere pœnitentiã. non vt arbitrio suo, quum libet, vel auferat se cõmunioni, vel reddat. Cæterum si peccata tãta non sunt, vt excommunicandus quisque homo iudicetur, non se debet à quotidiana medicina Dominici corporis separare. Rectius inter eos fortasse quispiam dirimit litem, qui monet, vt præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem vnusquisque, quod secũdum fidẽ suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigauerunt inter se, aut quisquam eorũ se alteri præposuit, Zachæus & ille Centurio, quum alter eorum gaudens in domũ suam susceperit Dominum: alter dixit, Non sum dignus vt intres sub tectum meum. Ambo Saluatorem honorificantes diuerso & quasi contrario modo, ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Valet etiam ad hanc similitudinem, quòd in primo populo vnicuique Manna, secundum propriam voluntatem in ore sapiebat: sic in ore cuiusquam Christiani Sacramentum illud, quo subiugatus, æstimandus. Nam & ille honorando non audet quotidie sumere, & ille honorando, non audet vllo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus ille, sicut Manna fastidium. Inde enim & Apostolus indignè dicit acceptum ab eis, qui non discernebant à cæteris cibis, veneratione singulariter debita. Continuò quippe quum dixisset, Iudicium sibi manducat & bibit, addidit, vt diceret, Non diiudicans corpus Domini. quod satis toto ipso loco in Epistola ad Corinth. 1. si diligenter attendatur, apparet.

Quid sit indignè accipere corpus Christi.

Lucæ 19.

Matth 8.

1. Corinth. 11.

Cap. VI.

Liquidò apparet, quando primùm accepe runt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Nũquid tamen propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ, quod à ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honore tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi. Nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Neq; enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres, ad illud Sacramentum accipiendum conuenire debent, aut (sicut faciebant, quos Apostolus arguit & emendat) mensis suis ista miscere. Nanque Saluator, quô vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, vltimum hoc voluit cordibus & memoriæ discipulorum infigere: à quibus ad passionem digressurus erat. Et ideo nõ præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, vt post cibos alios sẽper acciperetur, credo quòd eum morem nemo variasset. Cùm verò ait Apostolus, de hoc Sacramẽto loquẽs, Propter quod, fratres, quũ conuenitis ad manducandum, inuicem expectate: Si quis esurit, domi manducet, vt non ad iudicium conuenia tis: statim subtexuit, Cætera autem quum venero, ordinabo. Vnde intelligi datur, quia multum erat, vt in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quẽ vniuersa per orbem seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diuersitate variatur.

Nõ calumniãdum, quod à ieiunis corpus Christi sumitur.

1. Corinth. 11.

Ibidem.

In Psalm. III.

In historia noui Testamenti, ipsa Domini nostri Iesu Christi tãta & tam miranda fuit patientia, quòd Iudam tandiu pertulit tanquam bonum, quum eius cogitationes non ignorauit, quum adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis commendauit & tradidit.

De ciuit. Dei, lib. XVII. Cap. XX.

Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem perfeciſti mihi: quia pro illis omnibus sacrificiis & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur.

Psalm. 39.

Lib. XXII. Cap. VIII.

Vir Tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, vbi cùm afflictione animalium & seruorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiã perpeti cõperisset, rogauit nostros me absente presbyteros, vt aliquis eorum illò pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus: obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio: Deóque protinus miserante cessauit, &c.

Historia

Ex libro LXXXIII. Quæstionum, Cap. LXI.

Ita Dominus noster Iesus Christus ostenditur Rex noster. ipse est etiam Sacerdos noster inæternum secundum ordinem Melchisedech, qui seipsum obtulit holocaustũ pro peccatis nostris, & eius sacrificii similitudinem celebrandam, in suæ passionis memoriam commendauit, vt illud quod Melchisedech obtulit Deo, iam per totum orbem terrarum Christi in Ecclesia videamus offerri.

In cõmemoratione passionis Christi cœna Domini peragenda.

In libro contra Adimantum, Cap. XVII.

Nonne Apostolus Paulus Christianis fidelibus loquebatur, cùm diceret, Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat? Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini: Propterea in vobis multi infirmi & ægri, & dormiunt multi. Si autem nosipsos diiudicaremus, non vtique diiudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Ecce manifestum est Deum cum dilectione corrigere, non solùm infirmitatibus & ægritudinibus, sed etiam mortibus temporalibus, eos quos nõ vult dãnare cum hoc mũdo.

1. Corin. 11.

Apud Corinthios mortui, nõ tamen dãnati.

Cap. XII.

Nam ex eo quod scriptum est Deut. 12. Sanguinem pecoris animam eius esse, præter id quod supra dixi, non ad me pertinere quid agatur de pecoris anima, possum etiam interpretari præceptum illud in signo esse positum. Nõ enim Dominus dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui.

Matth. 26.

Ex lib. de fide ad Petrum diaconum, Cap. XVIII.

Firmissimè tene & nullatenus dubites, ipsum vnigenitum Deum, Verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse sacrificium & hostiam Deo in odorem suauitatis, cui cum Patre & Spiritu sancto à Patriarchis, Prophetis & Sacerdotibus, tẽpore veteris Testamenti, animalia sacrificabantur, & cui nunc, id est, tempore noui Testaméti, cũ Patre & Spiritu sãcto, cũ quibus illi est vna Diuinitas, sacrificiũ panis & vini in fide & charitate, sãcta Ecclesia catholica p vniuersũ orbẽ terrę offerre nõ cessat. In illis enĩ carnalib⁹ victimis figuratio fuit carnis Christi, quã pro peccatis nostris, ipse fine peccato fuerat oblaturus: & sanguinis, quem erat effusurus in remissionẽ peccatorũ nostrorũ. In isto autem sacrificio, gratiarum actio atque commemoratio est carnis Christi, quam pro nobis obtulit: & sanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit. de quo beatus Paulus dicit in Actibus Apostolorum, Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. In illis ergo sacrificiis, quid nobis esset donandum, figuratè significabatur: in hoc autem sacrificio, quid nobis iam donatum sit, euidenter ostẽditur. In illis enim sacrificiis prænuntiabatur Filius Dei pro impiis occidendus: in hoc autem pro impiis annuntiatur occisus, testante Apostolo, Quia Christus, quum adhuc infirmi essemus, secundum tempus, pro impiis mortuus est: &, Quia quũ inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius.

Sacrificia veteris Testamenti figuræ fuerunt sacrificii Christi.

Act. 20.

Rom. 5.

Libro XXII. de ciuitate Dei, Cap. X.

Denique Gentiles talibus diis suis & templa ædificauerunt, & statuerũt aras, & sacerdotes instituerunt, & sacrificia fecerunt. Nos autem Martyribus nostris, non templa sicut diis: sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuunt spiritus, fabricamus. Nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus nostris: sed vni Deo & Martyrũ & nostro sacrificiũ immolamus: ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur: non tamen à sacerdote qui sacrificat, inuocantur. Deo quippe, non ipsis sacrificat: quanuis in memoria sacrificet eorum: quia Dei sacerdos est non illorum. Ipsum verò sacrificium est corpus Christi, quod non offertur ipsis: quia hoc sunt & ipsi.

Sacrificium quid offertur in Ecclesia, esse corpus Christi mysticum.

De ciuitate Dei, lib. XVII, Cap. XX.

Quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem mensæ huius pertinet, quam & Sacerdos ipse Mediator Testamenti noui exhibet, secundum ordinem Melchisedech, de corpore & sanguine suo? Pro omnibus enim sacrificiis veteris Testamẽti corpus eius offertur, & participantibus ministratur.

Ex XXI. lib. de ciuitate Dei, Cap. XXV.

Sed iam respondeamus illis etiam, qui non solùm diabolo & angelis eius, sicut nec isti: sed ne ipsis quidem omnibus hominibus liberationem ab æterno igne promittunt: verùm eis tantũ, qui Christi Baptismate abluti, & corporis eius & sanguinis participes facti sunt, quomodolibet vixerint, in quacunque hæresi vel impietate fuerint. Sed contradicit eis Apostolus, dicens, Manifesta autẽ sunt opera carnis, quę

Galat. 5.

quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, inuidiæ, ebrietates, commessationes, & his similia: quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agũt, regnum Dei non possidebunt. Hæc profectò Apostolica est sententia falsa, si tales post quantalibet tempora liberati, regnum Dei possidebunt. Sed quoniam falsa non est, profectò regnum Dei non possidebũt. Etsi in regni Dei possessione nunquam erunt, æterno supplicio tenebũtur: quoniam non est locus medius, vbi non sit in supplicio, qui illo non fuerit cõstitutus in regno.

Ioan. 6. Quamobrem quod ait Dominus Iesus, Hic est panis, qui de cælo descendit: si quis ex ipso manducauerit, non morietur, Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: quomodo sit accipiendũ, meritò quæritur. Et ab istis quidem, quibus nunc respondemus, hunc intellectum auferunt illi, quibus deinde respondendum est. Hi sunt autem, qui hãc liberationem nec omnibus habentibus Sacramentum Baptismatis & corporis Christi: sed solis Catholicis, quanuis malè viuentibus, pollicẽtur.

Corpus Christi Sacramentaliter & re ipsa comedere differunt.

qui non solùm (inquiunt) Sacramento, sed re ipsa manducauerunt corpus Christi, in ipso scilicet eius corpore constituti. De quo corpore ait Apostolus, Vnus panis, vnũ corpus multi sumus. Qui ergo est in eo corporis vnitate, id est, in Christianorũ compage membrorum, cuius corporis Sacramentum fideles communicantes de altari sumere consueuerunt, ipse verè dicendus est manducare corpus Christi, & bibere sanguinem Christi. Ac per hoc hæretici & schismatici, ab huius vnitate corporis separati, possunt idẽ percipere Sacramentum: sed non sibi vtile, imò verò etiã noxium, quo iudicentur grauius, quàm vel tardius liberentur. Non sunt enim in eo vinculo pacis, quod in illo exprimitur Sacramento. Sed rursus etiam isti qui rectè intelligunt non dicendum eum manducare corpus Christi, qui in corpore non est Christi, non rectè promittunt eis, qui vel in hæresim, vel etiam in Gentilium superstitionem, ex illius corporis vnitate labuntur, liberationem quandoque ab æterni igne supplicii. Primò quia debent attendere, quàm sit intolerabile, atque à sana doctrina nimis deuium, vt multi ac penè omnes, qui hæreses impias condiderint, exeuntes de catholica Ecclesia, & facti sunt Hæresiarchæ, meliores habeant causas, quàm ii qui nunquam fuerunt Catholici, quum in eorũ laqueos incidissent: si illos Hæresiarchas hoc facit liberare à supplicio sempiterno, quòd in catholica Ecclesia baptizati sunt, & Sacramentũ corporis Christi in vero Christi corpore primitus acceperunt. Quum peior vtique sit desertor fidei, & ex desertore oppugnator eius effectus, quàm ille qui non deseruit quam nunquam tenuit.

Ex eodem Capite.

1. Corinth. 6. *Quid sit Sacramentotenus & reuera corpus Christi manducare.* Ioan. 6. Vt enim alia taceam, non possunt simul esse & membra Christi & membra meretricis. Denique ipse dicens, Qui mãducat meam carnem, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo: ostendit quid sit, non Sacramentotenus, sed reuera corpus Christi manducare, & eius sanguinem bibere. hoc est enim in Christo manere, vt in illo maneat & Christus. Sic enim hoc dixit, tanquam diceret, Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus meum, aut bibere sanguinem meum. Non itaque manent in Christo, qui non sunt membra eius. Non sunt autem mẽbra Christi, qui se faciunt membra meretricis: nisi malum illud pœniteno esse destiterint, & ad hoc bonum reconciliatione redierint.

De verbis Domini, in Euangelio Ioan.

Serm. 46. Qui iam manducant carnem Domini, & bibunt sanguinem eius, cogitent quid manducent & quid bibant: ne (sicut Apostolus dixit) iudicium sibi manducent & bibant. Qui autem nondum manducant & nondũ bibunt, ad tales epulas inuitati festinent. Per istos dies Magistrati pascunt: Christus quotidie pascit. mensa ipsius est illa in medio cõstituta. Quid causæ est, ô audientes, vt mensam videatis, & ad epulas non accedatis?

1. Corinth. 11. *Ad epulas corporis & sanguinis Christi festinandum.*

Et post pauca.

Qui autem vxores nondum habetis, & tamen ad mensam Dominicam iam acceditis, & carnem Christi manducatis & sanguinem bibitis: si ducturi estis vxores, seruate vos vxoribus vestris.

Ex lib. II. Confessionum.

Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me. Nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ: sed tu mutaberis in me.

Contra literas Petiliani, lib. II.

Cap. IV.

Qui corpus & sanguinem Christi in Sacramento manducant & bibunt, & membra eius toto orbe diffusa in Euãgelio non agnoscunt, in iudicio non computantur.

De Ecclesiasticis dogmatibus.

Sacramentum non merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris.

Hoc Sacramentum non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris: nec bonorum dispensatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur.

De verbis Domini, in Euangelio secundum Lucam, Serm. XXVIII.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, &c. Memini sermonis mei, quum de Sacramẽtis tractarem, dixi vobis, quòd ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur. vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur: sed corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica, que postea sequitur, ait, Panem nostrum? Panem quidem dixit: sed

Luc. 11. *Post verba Christi no amplius panem, sed corpus appellari.*

ἐπιούσιον dixit, hoc est supersubstantialem .non iste panis, qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Ideo ergo Græcè ἐπιούσιον dicitur, Latinus autem hunc panem quotidianum dixit, quia Græci dicũt aduenientẽ. Ergo quod Latinus dixit & Græcus, vtrunque vtile videtur. Græcus vtrunque vno sermone significauit. Latinus quotidianum dixit. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumas, quẽ iam modum Græci in oriẽte facere consueuerũt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic viue, vt quotidie mererisaccipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quomodo sanctus Iob quotidie pro filiis offerebat sacrificium, ne fortè aliquid, vel in corde, vel in sermone peccassẽt. Ergo tu audis, quòd quotiescunque offertur sacrificiũ, mors Domini, resurrectio Domini, eleuatio Domini significetur, & remissio peccatorũ, & panẽ istum vitæ nostræ quotidianũ non assumis? Qui vulnus habet, medicinã requirit. Vulnº est, quia sub peccato sumus. medicina est cæleste & venerabile Sacramentum.

Iob. 1.

Ex sermone de Sacramento altaris.

Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel passus sit, quia quotidie peccamus peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest: & ideo, quia quotidie labimur, Christus pro nobis mysticè immolatur.

De mystica oblatione Christi.

Ad inquisitiones Ianuarii, lib. I. Cap. III.

Faciat vnusquisque secundum fidem suã, quotidie an rarius communicet. Neuter enim eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. ille honorando non audet quotidie sumere, alter honorando non audet vllo die prætermittere.

Super Ioannem homilia LXXXVIII.

Accedens enim debet esse plenus sanctimonia, & immaculatus.

De verbis Domini in Euangelio secundum Matthæum.

Multi denique, qui vel corde ficto carnẽ illam manducant, & sanguinem bibunt, vel quum manducauerint & biberint, apostatæ fiunt: nunquid manent in Christo aut Christus in eis? Sed profectò est quidam modus manducandi illam carnem, & bibendi illum sanguinem, quomodo qui manducauerit & biberit, in Christo manet, & Christus in eo. Non ergo quocunque modo quisquam manducauerit carnem Christi, & biberit sanguinem Christi, manet in Christo, & in illo Christus: sed certo quodam modo, quem modum vtique ipse videbat, quando ista dicebat.

Serm. 2.

Certo quodam modo, qui corpus Christi manducat, manet in Christo, & Christus in illo.

Ibidem.

Qui mãducat carnem meã, & bibit sanguinẽ meum, in me manet, & ego in illo: quomodo intellecturi sumº? Nũquid etiã illos hîc poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus, quòd iudiciũ sibi mãducẽt & bibant, quũ ipsã carnem mãducent, & ipsum sanguinem bibãt? Nunquid & Iudas, Magistrî venditor & traditor impius, quãuis primùm ipsum manibus eius confectum Sacramentum carnis & sanguinis eius cum cæteris discipulis, sicut apertius Lucas Euangelista declarat, manducaret & biberet, manſit in Christo, & Christus in eo?

1. Corinth. 11.

Iudam corpus Christi mãducasse & sanguinem bibisse.

Luc. 22.

De verbis Domini, in Euangelio Lucæ.

Cœnam manibus suis consecratam, discipulis dedit. sed nos in illo conuiuio non discubuimus, & tamen ipsam Cœnam fide quotidie mãducamus. Nec magnum putetis in illa Cœna, quam suis manibus dedit, sine fide interfuisse. Melior extitit fides postea, quàm tũc perfidia. Non ibi fuit Paulus, qui credidit: ibi fuit Iudas qui tradidit. Quàm multi & modò in ipsa Cœna, quanuis illam tunc mensam non viderint, nec panem quem Dominus gestauit in manibus, oculis suis non aspexerint, vel faucibus gustauerint: tamen quia ipsa nunc præparatur, quàm multi etiam nunc in ipsa Cœna iudicium sibi manducant & bibunt! Vnde autem tanquam occasio nata est Domino, vt de ista Cœna loqueretur? Dixerat vnus de discũbentibus (in cõuiuio enim erat quò fuerat inuitatus) Beati qui manducant panem in regno Dei. Quasi in lõginqua iste suspirabat, & ipse panis ante illum discumbebat. Quid enim panis de regno Dei, nisi qui dicit, Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi? Nolite parare fauces, sed cor. Inde commendata est ista Cœna. Ecce credimus in Christum, cùm fide accipimus. In accipiendo nouimus quid cogitemus. modicũ accipimus, & in corde saginamur. Nõ ergo quod videtur: sed quod creditur, pascit.

Sermone 35.

1. Corinth. 11.

Luc. 14.

Ioan. 6.

Non quod videtur, sed quod creditur pascit

Super Ioan. tract. XXV

Vt quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducasti.

De verbis Apostoli, Serm. II.

Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis Filiũ hominis ascẽdentem vbi erat prius? Quid sibi vult, Hoc vos scandalizat? Putastis quia de hoc corpore quod videtis, partes facturus sum & membra mea cõscissurus, & vobis daturus? Quid si ergo Filium hominis videritis ascendẽtem vbi erat prius? Certè qui integer ascendi potuit, consumi non potuit. Ergo & de corpore ac de sanguine suo dedit nobis salubrem refectionem: & tam magnam breuiter soluit de sua integritate quæstionem. Manducent ergo qui manducant, bibant qui bibunt, esuriãt & sitiant, vitam mãducent & vitam bibant. Illud manducare, refici est: sed sic reficeris, vt nõ deficiat vnde reficeris. Illud bibere, quid est nisi viuere? Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, & integra est vita. Tunc autem hoc erit, id est, vita vnicuique erit corpus & sanguis Christi, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritaliter manducetur,

Ioan. 6.

Spiritaliter manducandũ & bibendum Sacramẽtum.

tur, spiritaliter bibatur. Audiuimus enim Dominum dicentem, Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ locutus sum, Spiritus & vita sunt. *Ioan.6.*

Idem.

Rogo vos fratres, diligenter attendite. Si ad mensam cuiuscunque potentis hominis, nemo præsumit cum vestibus scissis & inquinatis accedere, quãtò magis ad conuiuium æterni Regis? Ideo ab altari Domini debet se vnusquisque inuidiæ vel odii veneno percussus, iracundiæ furore repletus, cum reuerentia & humilitate subtrahere, propter illud quod scriptum est, Vade prius, reconciliare fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. Et iterum, Quomodo huc intrasti non habens vestẽ nuptialẽ? Et illo obmutescẽte, dixit ministris, Ligate illi manus & pedes, & proiicite eum in tenebras exteriores. ibi erit fletus & stridor dentium. Ecce qualem sententiam merebitur audire, qui ad conuiuium nuptiale, id est, ad altare Domini, aut ebrius, aut adulter, aut odium in corde retinens, præsumit accedere. Auertat hoc Deus à nobis, &c. *Matth.5.* *Matth.22. Nemo peccatis obnexius ad altare Dei accedat.*

Ex sermone. V. de beato Stephano.

Qui mãducat & bibit indignè, iudicium sibi mãducat & bibit. Sed dicit aliquis, Grandis labor est inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare. Nec nos negamus fratres, non paruus quidem labor est in hoc seculo: sed grande erit præmium in futuro. Per amorem enim hominis inimici, efficieris amicus Dei. Imò non solùm amicus, sed etiam Filius, sicut ipse Dominus dixit, Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos, vt sitis filii Patris vestri, qui in cælis est. *1.Cor.11. Inimici diligendi, pro persecutoribus supplicandum.* *Matth.5.*

De vera innocentia, Cap.

CCCXXXVIII.

Caro Christi vita fidelium est, si corpus ipsius esse non negligant. Fiant ergo corpus Christi, si volunt viuere de Spiritu Christi, de quo non viuit, nisi corpus Christi. *Caro Christi vita fidelium.*

Ibidem, Cap. CCCXXXIX.

Escam vitæ accipit, & poculum vitæ bibit, qui in Christo manet, & cuius Christus habitator est. Nam qui discordat à Christo, nec panẽ eius manducat, nec sanguinem bibit, etiãsi tantæ rei sacramentum, ad iudicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat

De vtilitate agendæ pœnitentiæ, Cap. I

Petrus annuntiauit colẽdum eum, quem crucifixerunt, vt eius iam sanguinem nossent bibere credentes, quem fuderant sæuientes. Idem de 4. feria, cap. 4. super Matthæum in homilia, Egressus Iesus, &c. Et super Psal. 75. 28, Tract. 8. in Epist. Ioannis, Lib. 4. cap. 21. de Doct. Christiana, &c.

Contra Donatistas post collationem, Cap. XX.

Puto autem eos, qui apud Corinthios dicebant, Ego sum Christi, non duxisse iugum cum illis qui dicebãt, Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephæ: & tamen omnes ad vnũ altare accedebãt, & eadẽ Sacramenta communicabant, qui eadem vitia non communicabant. His enim Corinthiis etiã illud dictum est, Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Quid enim aliud Apostolus nisi istos vaniloquos cogitabat, vt ei nõ sufficeret dicere, Iudicium manducat & bibit, nisi adderet Sibi: ne hoc etiam ad illos pertinere videretur, qui pariter quidem, sed non ad iudicium manducabant? *1.Corinth.11.* *Indignè sumẽtes, iudicium sibi manducãt & bibunt.*

Ibidem.

Multi enim sunt vocati: pauci verò electi. Quomodo hoc verum est, quum potius vnus è multis fuisset proiectus in tenebras exteriores, nisi quia in illo vno grande corpus figurabatur omnium malorum ante Domini iudicium conuiuio Dominico permixtorũ, à quibus se boni corde interim ac moribus separãt, simul manducantes & bibentes corpus & sanguinem Domini, sed cum magna distinctione: quia isti in honore Sponsi induti sunt veste nuptiali, non sua quærẽtes, sed quæ Iesu Christi: illi autem non habent vestem nuptialem, hoc est, fidelissimam Spõsi charitatem, sua quærentes, non quæ Iesus Christi? Ac per hoc etiam, etsi in vno eodémque conuiuio, isti misericordiam mãducant, illi iudicium: quia ipsius conuiuii canticum est, quod & suprà commemoraui, Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine: nec ideo tamen dormit Ecclesiastica disciplina, vt corripiat inquietos. *1.Corinth.11.* *Matth.22. Per illum vnũ grande corpus figurabatur.* *Philip.2.* *Psalm.100.*

Cap. VII.

Quum verò boni & mali idem verbum Dei simul audiunt, & simul Sacramenta Dei percipiunt: & tamẽ dissimiles habent actuum suorum causas, & dissimiles gerunt voluntatis diuersitate personas, eundem cibum sanctum, aliis manducantibus dignè, aliis indignè: nec causa causæ præiudicat, nec persona personæ: ac per hoc quæcunque testimonia sacrarum Scripturarum Episcopi nostri commemorare potuerunt, quibus ab omni malorũ hominum permixtione pura prænuntiabatur Ecclesia: non qualis nunc est illis testimoniis prænuntiabatur, sed qualis post istam mortalitatem in vita æterna futura est. *Digni & indigni eundem cibum sanctum manducant.*

In eodem lib. Cap. VI.

De ipso quippe pane, & de ipsa Dominica manu, & Iudas partem & Petrus accepit: & tamen quæ societas? quæ consonantia? quæ pars Petro cum Iuda? Quoniam nec causa causæ præiudicat, nec persona personę. Siue ergo exeant, de quibus scriptũ est, Ex nobis exierunt: sed non erant ex nobis: siue intus iudicantur *Luc.22.* *Causam non præiudicare causæ.* *1.Ioan.2.*

esse, de quibus beatus Cyprianus apertissimè loquitur, dicens, Nam etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra, vt quoniam zizania in Ecclesia esse cernimus, ipsi de Ecclesia recedamus.

Ex præliminari Epistola contra Donatistas, post collationem.

Quisquis autem in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata: quia vnusquisque in ea proprium onus portabit, sicut Apostolus dicit. Et quicunque in ea corpus Christi manducauerit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Nam etiam hoc ipse Apostolus scripsit. Quum autē dicit, Iudicium sibi manducat & bibit, satis ostendit, quia non alteri iudiciū manducat & bibit, sed sibi. Hoc nos egimus & ostēdimus & obtinuimus, quia communio malorum non maculat quenquam participatione Sacramētorum, sed consensione factorum.

Galat. 6. 1. Corinth. 11. Communio malorum non maculat.

Ex lib. 1. contra Cresconium Grammaticum, Cap. XXV.

Quid de ipso corpore & sanguine Domini vnico sacrificio pro salute nostra, quanuis ipse Dominus dicat, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinē meum, non habebit in se vitam? Nonne idem Apostolus docet etiam hoc pernicioſum malè vtentibus fieri? Ait enim, Quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.

Ioan. 6. Malè vtentibus corpore Christi perniciosum est. 1. Corinth. 11.

Lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, Cap. XX.

Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de Sacramēto lauacri dicentem: sed de Sacramento sanctæ mensæ suæ, quò nemo ritè, nisi baptizatus accedit, Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum, nō habebitis vitam in vobis. Quid vltrà quærimus? Quid ad hoc respondere poterunt, nisi pertinacia pugnaces neruos aduersus constantiam perspicuæ veritatis intendat? An verò quisquam etiam hoc dicere audebit, quod ad paruulos hæc sentētia non pertineat, posſintq; sine participatione corporis huius & sanguinis in se vitā habere: quia non ait, Qui nō māducauerit, sicut de Baptismo, Qui non renatus fuerit: sed ait, Si non manducaueritis, velut eos alloquens qui audire & intelligere poterant, quod vtique non valēt paruuli? Sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, vt sine corpore & sanguine Filii hominis, vitam habere non posſint, frustra etiam ætas maior id curat. Potest enim si non voluntatem, sed verba loquentis attendas, eis solis videri dictum, quibus tūc Dominus loquebatur: quia nō ait, Qui non manducauerit: sed, Si non manducaueritis. Et vbi est quod eodē loco de hac ipsa re ait, Panis quem ego dedero, caro mea est, pro mundi vita? Secundum hoc enim, etiam ad nos pertinere illud Sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus quādo ista dicebat: quia non posſumꝰ dicere ad seculū nos nō pertinere, pro cuius vita Christus suam carnem dedit. Quis autem ambigat seculi nomine homines significaſſe, qui nascendo in hoc seculum veniunt? Nam sicut alibi ait, Filii seculi huius generant & generantur. Ac per hoc etiam pro paruulorum vita caro data est, quæ data est pro seculi vita. & si non manducauerint carnem Filii hominis, nec ipsi habebunt vitam.

Infantes nisi manducauerint carnē Filij hominis fide, vitam non posse habere. Ioan. 6. Luc. 20.

Cap. XXIIII.

Optimè Punici Christiani, Baptismum ipsū nihil aliud quàm Salutē: & Sacramentum corporis Christi, nihil aliud q̄ Vitam vocant. Vnde nisi ex antiqua (vt æstimo) & Apostolica traditione, qua Ecclesiæ Christi insitū tenent, præter Baptismum & participationē Dominicæ mensæ, non solùm non ad regnū Dei, sed nec ad salutem & vitā æternā posse quenquam hominum peruenire? Hoc enim & Scriptura testatur, secūdum ea quæ suprà diximus. Nam quid aliud tenēt, qui Baptismū nomine Salutis appellant, nisi quod dictum est, Saluos nos fecit per lauacrū regenerationis? Et quod Petrus ait, Sic & vos simili forma Baptisma saluos facit. Quid aliud etiam, qui Sacramētum mensæ Dominicæ Vitam vocant, nisi quod dictum est, Ego sum panis vitæ, qui de cælo descēdi, &, Panis quem ego dedero, caro mea est pro seculi vita: &, Si non manducaueritis carnem Filii hominis, & sanguinem biberitis, nō habebitis vitam in vobis? Si ergo & tot & tanta diuina testimonia concinūt, nec salus, nec vita æterna sine Baptismo & corpore & sanguine Domini cuiquam speranda: frustra sine his promittitur paruulis.

Tit. 3. 1. Petri 3. Ioan. 6. Sine Baptismo & corpore & sanguine Christi, nulli salus sperāda est.

Contra epist. Parmeniani, lib. II. Cap. VI.

Sacrificia ergo impiorum eisipsis oberunt, qui offerunt impiē. Nam vnum atque idem sacrificium propter nomen Domini, quod inuocatur, & semper factum est, & tale cuique fit, quali corde ad accipiendum accesſerit. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Non ait aliis, sed sibi. Qui ergo manducat dignè & bibit, gratiā sibi manducat & bibit. Illi ergo videant, vtrùm dignè māducent, qui inter multos parentes & filios, maritos & vxores, inter tam multos (quod est patētissimū) Dei hæredes, & cohæredes Christi toto orbe diffusos, nefario schismate diuise rūt: quū posſēt vtique, si boni essēt, & verè malos arguerēt, fructuosè tolerare pro pace Christi, quæ pernicioſè tolerant pro parte Donati.

1. Corinth. 11. Cōtra schisma tica.

Lib. III. contra epist. Parmeniani, Cap. II.

Quomodo ergo Cyprianus, & alia frumenta Dominica, in illa tunc vnitatis Ecclesia, cū auaris & rapacibus, cum iis qui regnum Dei non posſidebunt, non laicis vel quibuscūque clericis, sed & ipsis Episcopis, panem Domini

Cyprianus in Epist. de lapsis

ni manducabant,& calicem Domini bibebãt: cùm idem Apostolus præcipiat, non eis commisceri, & clamet cum huiusmodi nec cibum sumere? An quia non poterant ab eis corporaliter separari, ne similiter eradicarent & triticum,sufficiebat eis à talibus corde seiungi,vita moribúsque distingui, propter compensationem custodiendæ pacis & vnitatis,propter salutem infirmorum, & tanquã latentium frumentorum, ne membra corporis Christi per sacrilega schismata laniarent?

Libro vigintivnius Sententiarum siue Quæstionum,Sentent.II.

Exo.12. *Quæ Hebræis fuerant imagines,in nobis sunt veritates.*

Christus enim cum omni simplicis animi pura simplicitate sumitur, cum Pigridiis etenim hoc pascha in Iudæorum damnationem acerbissimas amaritudines cessit. Non nisi circumcisis dabatur.purgatis enim solis, & lauacro indulgentiæ cælestis expiatis,percipiendi Christi corporis sacramenti cibi facultas porrigitur.Itaq; quę figura Israelitis fuerant,in nobis corroborata sunt, & quæ illis imagines,in nobis ipsæ sunt veritates.

Libro II.De bono perseuerantiæ, Cap.IIII.

Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie.Vbi beatus Cyprianus ostendit, quomodo & hîc intelligatur perseuerantia postulari. Ait quippe inter cætera, Hunc autem panem dari nobis quotidie postulam⁹,ne qui in Christo sumus,& Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiori delicto,dum absentes, & non cõmunicantes à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur.

Libro de salutaribus documentis.

Ioan.6. *Probet seipsũ homo antequã accedat.*

Ab his venenis pietas Domini nostri Iesu Christi nos liberet, & seipsum edẽdum nobis tribuat, qui dixit, Ego sum panis viuus qui de cælo descendi.qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam in semetipso æternam.Sed vnusquisque antequam corpus & sanguinẽ Domini nostri Iesu

1.Corin.11. Christi accipiat,seipsũ probet: & secũdũ Apostoli præceptũ,sic de pane illo edat,& de calice bibat. Quia, qui indignè manducat & bibit, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Quando enim illud accipere debemus,antea ad confessionem & pœnitentiam recurrere debemus, & omnes actus nostros curiosius discutere, & peccata obnoxia si in nobis senserimus, citò festinemus per cõfessionẽ & veram pœnitentiam abluere,ne cum Iuda proditore, diabolum inter nos cælãtes,pereamus,protrahentes & cælantes peccatum nostrum de die in diem.

Libro II. de visitatione infirmorum,Cap.IIII.

Iacobi 5. Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, vt orent super eũ, vngẽtes eum oleo sancto in nomine Domini Iesu: & oratio fidei saluabit infirmũ. Ergo sic roges de te,& pro te fieri,sicut dixit Apostolus Iacobus: imò per Apostolum suum Dominus,ipsa videlicet sacri olei delibutio,intelligitur Spiritus sancti typicalis vnctio. Illud etiam viuifici corporis Dominici supplementum susci pere,fili mi, nõ renuas:quin potius illud auidissimè quæras,fi deliter comedas. Cibus ille etenim,incorporabilis, ineffabilis,viaticũ tibi erit saluberrimũ, redemptionis tuæ pretium,Redemptoris monimentum,& redempti munimentum. *Corpus Christi fructuosissimum & morituris viaticum esse.*

Lib.de pœnitentiæ medicina, Cap..III

Multi enim corriguntur vt Petrus: multi tolerantur vt Iudas : multi nesciuntur, donec veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Nam plerique nolunt alios accusare,dũ se per illos cupiunt excusare. Plerique autem boni Christiani propterea tacent,& sufferunt aliorũ peccata quæ nouerunt:quia documentis sæpe deseruntur,& ea quæ ipsi sciunt, iudicibus Ecclesiasticis probare non possũt. Quãuis enim vera sint quædam, non tamen iudici facilè credẽda sunt, nisi certis indiciis demonstrentur. Nos verò à communione prohibere quenquam non possumus:quanuis hæc prohibitio nondum sit mortalis,sed medicinalis: nisi aut sponte confessum,aut in aliquo siue secu lari, siue Ecclesiastico iudicio nominatum atque conuictum. 1.Corinth.4. *Qui sit à sacra communione prohibendus.*

De rectitudine catholicæ conuersationis.

Propterea quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui,non quærantur præcantatores, nõ diuini,non sortilegi, non carcarii, neque per fontes,aut arbores, aut biuia philacteria exerceantur.sed qui ægrotat,in sola Dei misericordia cõfidat, & Eucharistiam cum fide & deuotione accipiat: oleum fideliter benedictum ab Ecclesia petat, vnde corpus suum vngatur, & secundum Apostolũ,Oratio fidei saluabit infirmum,& alleuiabit eum Dominus. *Infirmi eucharistiam sumãt* Iacob.5.

Lib.III.de doctrina Christiana,Cap.IX.

Sub signo enim seruit,qui operatur aut veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet. Qui verò aut operatur aut veneratur vtile signum diuinitus institutum, cuius vim significationémque intelligit,non hoc veneratur quod videtur & transit:sed illud potius,quò talia cuncta referenda sunt. Talis autem homo spiritualis & liber est, etiam tempore seruitutis,quo carnalibus animis nõdum oportet signa illa reuelari,quorũ iugo edomandi sunt. Tales autem spirituales erant Patriarchæ ac Prophetæ, omnésque in populo Israel, per quos nobis Spiritus sanctus ipsa Scripturarum & auxilia & solatia ministrauit. Hoc verò tempore posteaquam resurrectione Domini nostri manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, ne eorum quidem signorum,

quæ iam intelligimus operatione grauiorati sumus: sed quædã pauca pro multis, eadémque factu facillima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse Domin⁹ & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est Baptismi Sacramẽtum, & celebratio corporis & sanguinis Domini. Quæ vnusquisque quũ percipit, quò referãtur imbutus agnoscit: vt ea nõ seruitute carnali, sed spirituali potius libertate veneretur. Vt autem literam sequi, & signa pro reb⁹ iis quæ significãtur, accipere, seruilis infirmitatis est: ita inutiliter signa interpretari, malè vagantis erroris est. Qui autem nõ intelligit quid significet signum, & tamẽ signum esse intelligit, nec ipse premitur seruitute. Melius est autem vel premi incognitis, sed vtilibus signis, quàm inutiliter ea interpretando, à iugo seruitutis eductam ceruicem laqueis erroris inserere, &c.

Apostolicã disciplinam duitatium Sacramẽta tradidisse.

Eodem lib. Cap. XVI.

Si præceptiua locutio est, aut flagitium, aut facinus vetãs, aut vtilitatẽ, aut beneficentiam iubens, nõ est figurata. Si autem flagitium, aut facinus videtur iubere, aut vtilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. Nisi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur iubere: figura est ergo, præcipiẽs passioni Domini esse cõmunicãdum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit,

Figureta hæc est locutio.

Ioan. 6.

Lib. IIII. de doctrina Christiana, Cap. XXI.

Beatus Cyprianus submisso dicendi genere vtitur in eo libro, vbi de Sacramento calicis disputat. Soluitur ibi quippe quæstio, in qua quæritur, vtrùm calix Dominicus aquam solã, an vino mixtã debeat habere. Sed exempli gratia aliquid inde ponẽdum est. Post principiũ ergo Epistolæ, iam soluere incipiẽs propositam quæstionem, Admonitos autem nos sciatis (inquit) vt in calice offerendo Dominica traditio seruetur, neque aliud fiat à nobis quàm pro nobis Dominus prior fecit, vt calix qui in commemorationem eius offertur, vino mixtus offeratur. Nam quum dicat Christus, Ego sum vitis vera: sanguis Christi non aqua est vtique, sed vinũ: nec potest videri sanguis eius, quo redempti & viuificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur, qui Scripturarũ omnium sacramento & testimonio prædicatur.

Epist. quæ sic incipit, Quanquam scia, &c.

Ioan. 15.

Et post pauca ibidem.

Item in sacerdote Melchisedech Dominicum sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod diuina Scriptura testatur & dicit, Et Melchisedech rex Salem protulit panẽ & vinum (fuit autem sacerdos Dei summi) & benedixit Abraham.

Et post pauca.

Gen. 14. In Melchisedech Sacramẽtum Dominicum præfiguratum est.

Quo indicio declaratum videtur, quòd petra illa typum habuerit corporis Christi: quia scriptum est, Bibebant de consequenti petra. petra autem erat Christus. Quod vtique non ad diuinitatem eius, sed ad carnẽ relatum est: quæ sitientium corda populorum, perenni riuo sui sanguinis inundauit.

Petra typum habuit corporis Christi. 1. Corinth. 10

Lib. XX. contra Faustum, Cap. XIII.

Cur autem arbitretur Faustus, parem nobis esse religionem circa panem & calicem, nescio: cùm Manichæis vinum gustare, non religio, sed sacrilegium sit. In vua enim agnoscunt Deum suum, in cuppa nolũt, quasi aliquid eos calcatus & inclusus offenderit. Noster autem panis & calix, nõ quilibet quasi propter Christum in spicis & in sarmentis ligatum, sicut illi desipiunt, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur.

Faustus parem religionem nobis circa panẽ & vinum cum Manichæis esse dixit.

Ibidem post pauca.

Quomodo ergo comparas panem & calicem nostrum, & parem religionem dicis errorem longè à veritate discretum, peius desipiẽs quàm nonnulli, qui nos propter panem & calicem, Cererem ac Liberum colere existiment?

Christianos quidam Cererem & Bacchũ colere existimarunt.

In eodem, Cap. XVIII.

Hebræi autem in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis & variis modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obtulit. Vnde iam Christiani peracti eiusdem sacrificii memoriã celebrant sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis Christi.

Lib. XX. contra Faustum, Cap. XXI.

Sacrificium laudis glorificabit me, & illic via est vbi ostendam illi salutare meum. Huius sacrificii caro & sanguis, ante aduentum Christi, per victimarũ similitudinẽ promittebatur: in passione Christi per ipsam veritatẽ reddebatur: post ascensum Christi, per Sacramentũ memoriæ celebratur. Ac per hoc tantũ interest inter sacrificia Paganorũ & Hebræorum, quantum inter imitationem errantem, & prefigurationem prænuntiantem.

Psalm. 49.

Quid interſit inter ſacrificia Paganorũ & Hebræorum.

DE SACRAMENTO BAPTISMATIS.

Ex I. lib. de moribus Manichæorum, Cap. XXXV.

Nolite, vos Manichæi, iam dicere Catechumenis licere vti coniugibus, fidelibus autem non licere. Catechumenis licere habere pecuniam, fidelibus autem non licere. Nam & multi sunt qui vtantur, tanquam non vtentes. Et illo sacrosancto lauacro inchoatur renouatio noui hominis, vt perficiendo perficiatur, in aliis citius, in aliis tardius. à multis tamẽ proceditur in nouã vitã, si quisq; nõ inimicè, sed diligẽter intẽdat. Ipse quippe sicut ait Apostol⁹,

Manichæorum errores.

Et

2.Corint.4. Etsi exterior homo noster corrũpitur, sed interior renouatur de die in diẽ. Apostolus interiorem hominem renouari dicit, vt perficiatur, & vos à perfectione vultis incipiat.

Ex libro Epistolæ ad Romanos expositionis inchoatæ.

Baptismus nũ contemnendus. Act.10. Nonnulli enim & ante perceptum Baptismi sacramentum cognouerunt Dei voluntatem. Nam & Cornelius centurio voluntatem Dei, vtique Apostolo Petro docente, cognouit, & ipsum Spiritum sãctum manifestissimis coattestantibus signis, antequam baptizaretur, accepit. Quãquam non ideo sacramẽta illa contempserit, sed multo certior baptizatus sit, vt ipsa sacrosãcta signacula, quorum res in eo præcesserat, ad perficiendam scientiã veritatis, percipere nullo modo moraretur. Multi autem nec post acceptum Baptismum curant agnoscere voluntatem Dei. Quapropter quisquis ante Baptismum cognita Dei voluntate peccauerit, nõ possumus dicere aut vllo modo credere, cùm ad Baptismum accesserit, nõ omnia dimitti ei quæcũque peccauit.

Contra Faustum libro XIX. Cap. XI.

Contra Sacramentorum contemptores. In nullum autem nomen religionis, seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur, quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum: & ideo contempta sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas.

Eodem libro, Cap. XIIII.

2.Macha.7. Sacramenta sunt indicia rerum completarum. Si Machabæos cum ingenti admiratione præferimus, quia esças, quibus nũc Christiani licitè vtuntur, attingere noluerunt, quia tunc pro tempore prophetico non licebat: quanto magis nunc pro Baptismo Christi, pro Eucharistia Christi, pro signo Christi, ad omnia perferenda paratior debet esse Christianus, cùm illæ fuerint promissiones rerum complendarum, hæc sint indicia completarum?

Libro eodem, Cap. XII.

Act.8. 2.Tim.3. Veruntamen quia visibilia sacramenta pietatis inesse possunt etiam impiis, sicut habuisse sanctum Baptismum etiam magum Simonem legimus, fiunt tales, quales Apostolus ait, Habentes formam pietatis, virtutem autẽ eius abnegantes. Virtus autem pietatis, est finis præcepti, id est, charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Vnde Apostolus Petrus, cùm de Sacramẽto arcæ, in qua Noe domus à diluuio liberata est, loqueretur, Sic & vos, inquit, simili forma Baptisma saluos facit. Et ne sibi sufficere putarent visibile Sacramentum, per quod habebant formam pietatis, & per malos mores perditè viuendo, virtutem eius abnegarẽt, cõtinuò subiecit, Non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio.

1Tim.1. Sacramenta pietatis inesse possunt impiis 1.Pet.3

Contra epistolam Parmeniani, lib. II.

Cap. XVII.

Siue bonus siue malus minister baptizare potest. Quinimò vt intermittam inquirere diligentius, cur ipse Saluator noster baptizari voluerit: quia certè aliqua causa voluit: propterea fortasse, quum se posset tingere, qui etiam suum Baptizatorem poterat baptizare: voluit Dominus à seruo, & ille per quem facta sunt omnia, ab illo qui factus est inter omnia, baptizari: vt & doceret humilitatẽ, & ostenderet nõ interesse, quis à quo baptizetur, dum eo Baptismo, quo baptizandus est, baptizetur.

Lib. II. contra literas Petiliani, Cap. II.

Baptizari non nostrum sed Christi opus est Nec aqua nostra inquinamur, nec vestra mundamur: sed aqua Baptismi, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, quum datur alicui, nec nostra, nec vestra est: sed illius de quo Ioanni dictum est, Super quem videris Spiritum sicut colũbam descendentẽ & manẽtem super eũ, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. *Ioan.1.*

Cap. XXIIII.

Baptismus Christũ habet auctorem. Matth.28. Ioan.14. Baptismus in nomine Patris & Filii & Spiritꝰ sancti, Christũ habet auctorẽ, nõ quẽlibet hominem, & Christus est, non quilibet homo.

Lib. II. contra Cresconium Grammaticum, Cap. XIII.

Baptismus noua vitæ sacramentum. Baptismus igitur est Sacramentum nouæ vitæ ac salutis æternæ, quem multi habẽt non ad vitam æternam, sed pœnam æternam, non bene vtentes tanto bono.

Et post pauca.

Aquam visibilẽ & boni & mali habere possunt. Si quis sitit, veniat & bibat. Non aquam visibilem commendans, quæ Baptismatis Sacramento, quã & boni & mali habere possunt, quanuis sine illa boni salui fieri non possunt.

Lib. III. contra eundem, Cap. V.

Solus Deus in Baptismo sanctificat. Siue à fideli, siue à perfido dispensatore, Sacramentum quisque percipiat, non sanctificat, nisi Deus.

Cap. VI.

Et ideo per ministros dispares Dei munus æquale est: quia non illorum, sed eius est.

Cap. XI.

1.Corinth.1 Gratias ago Deo meo, quòd neminem vestrùm baptizaui: ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizaui. Quid aliud insinuans, nisi Baptisma Christi non esse nisi eius, cuius nomine datur: & ideo non fieri melius, quum per meliorem datur, nec deterius, per deteriorem?

Lib. IIII. contra Cresconium, Cap. LXII.

Psalm.117. Certè perspicis, quomodo à me de Scriptura sancta cõmemoratum est, Bonũ est cõfidere in Domino, quàm cõfidere in homine: tẽq; inaniter, quãtum ad hãc causam pertinet, respondisse, quòd in eo magis vt iustus, etsi fidelis sit, per quẽ hoc Sacramẽtũ celebratur, inquiras: quia spem & fiduciam Dei non hominis habes. Dei autem esse fidem atque iustitiã, quam semper in eius ministris attendas, &c,

De fide & operibus, Cap. XXVI

Caueamus ergo diligenter, in adiutorio Domini Dei nostri, non facere homines malè securos, dicentes eis, quòd si fuerint in Christo baptizati, quomodolibet in ea fide vixerint, eos ad salutem æternã esse venturos. nec sic faciam⁹ Christianos, quomodo Iudæi proselytos, de quibus Dominus dicat, Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui circumitis mare & terrã, facere vnũ Proselytũ: quũ autẽ feceritis, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos estis. Sed potius sanam doctrinam Dei magistri ~~in vtroque~~ teneamus: & sancto Baptismo consona sit vita Christiana: nec cuiquam homini si vtrunlibet defuerit, vita promittatur æterna. Qui enim dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cælorum: ipse etiam dixit, Nisi abundauerit iustitia vestra pluſquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.

Vita Christianorum Baptismo debet esse consona.

Matth. 23.

Ioan. 3.

Matth. 5.

Ex lib. XIII. de ciuitate Dei, Cap. VII.

Nam quicunque etiam non percepto regenerationis lauacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittẽda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis. Qui enim dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum, alia sententia istos facit exceptos, vbi nõ minus generaliter dixit, Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Et alio loco, Qui perdiderit animã suam propter me, inueniet eam. Hinc est quod scriptum est, Pretiosa in cospectu Domini mors Sanctorum eius. Quid enim pretiosius quàm mors: per quam fit, vt etiam delicta omnia dimittantur, & merita cumulatius augeantur?

Sancti Martyres etiam non aqua baptizati in sanguine baptizantur.

Ioan. 5.

Matth. 10.

Matth. 16.

Lib. I. de nuptiis & concupiscentia, ad Valerium, Cap. XXXIII.

Sic enim accipiendum est, quod ait idem Apostolus, Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam, nõ habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Sic, inquam, accipiendum est, vt eodem lauacro regenerationis & verbo sanctificationis, omnia prorsus mala hominũ regeneratorum mundentur atque sanentur: non solùm peccata, quæ omnia nũc remittuntur in Baptismo: sed etiam quæ posterius humana ignorantia vel infirmitate cõtrahuntur. Nõ vt Baptisma, quoties peccatur toties repetatur: sed quia ipso quod semel datum sit, vt non solùm antea: verumetiam postea quorũlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodesset vel ante Baptismum pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur: vel postea, nisi præcederet?

Psalm. 115. Omnia peccata in Baptismo dimitti.

Ephes. 4.

Libro III. de anima & eius origine, ad Vincentium Victorem, Cap. IX.

Nam si eos, de quibus non scriptum est, vtrùm fuerint baptizati, sine baptismo de hac vita recessisse contẽdimus, ipsis calumniamur Apostolis, qui præter Apostolũ Paulum, quando baptizati sunt vel fuerunt, ignoramus. Sed si ipsos baptizatos esse, per hoc nobis innotescere potuit, quod beato Petro Dominus ait, Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet: quid de aliis, de quibus vel tale nihil legimus dictum, de Barnaba, de Timotheo, de Tito, de Sila, de Philemone, de ipsis Euangelistis Marco & Luca, de innumerabilibus cæteris, quos absit vt baptizatos esse dubitemus, quanuis non legamus?

Apostoli vbi & quando baptizati fuerint ignoratur.

Act. 9.

Contra duas epistolas Pelagianorum, ad Bonifacium, lib. III. Cap. III.

Baptismus igitur abluit quidem peccata omnia: prorsus omnia, factorum, dictorum, cogitatorũ, siue originalia siue addita, quæ ignoranter siue quæ scienter admissa sunt: sed non aufert infirmitatem, cui regeneratus resistit, quando bonum agonem luctatur, cõsentit autem, quando sicut homo in aliquo delicto prœoccupatur.

Per Baptismũ ablui omnia peccata.

Et post pauca in eodem.

Nam si à me quisquam quæsierit, vtrùm per Baptismũ salui facti fuerimus: negare non potero, dicente Apostolo, Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti. Sed si quæsierit vtrùm per idem lauacrum omni prorsus modo iam nos fecerit saluos: respondebo, Nõ ita est. Idem quippe item dicit Apostolus, Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. Salus ergo hominis in Baptismate facta est: quia dimissum est quod peccatum à parentibus traxit, vel quidquid etiã propriè ante Baptismum peccauit. Salus verò hominis tanta esse poterit, vt peccare omnino non possit.

Spe salui facti sumus.

Rom. 8

Lib. VI. contra Iulianum Pelagianum, Cap. V.

Nolite errare. neque fornicarii, neque simulachris seruientes, &c. quibus commemoratis concludit Apostolus, quòd regnum Dei non possidebunt. Et hæc quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis. Mutatos eos dixit in melius: non vt ea carerent (quod in hac vita fieri non potest) sed vt ei non obedirent, quod in bona vita fieri potest: atque vt ab eo quo erãt vinculo eius obnoxii, liberatos se esse cognoscerent. Quod nisi regeneratione fieri nõ potest.

Baptizatus nõ omnino à carnis concupiscentia liberatur.

1. Corinth. 6.

Lib. I. Retractat. Cap. VII.

Ardor quippe charitatis, sequendo Deum factus idoneus, & tã magnus vt vitia cũcta consumat, in hac vita nasci & crescere potest: perficere verò propter quod nascitur, vt nullũ insit homini vitiũ, nõ cõsequẽter hìc potest. Quanuis tanta ista res eodẽ ardore charitatis perficiatur

ciatur vt perficiat quãdo perfici potest: vt quẽ admodũ lauacrũ regenerationis purgat à reatu omnium peccatorũ, quæ humana traxit natiuitas, & contraxit iniquitas: ita illa perfectio purget ab omni labe vitiorum, sine quibus nõ potest esse humana in hoc seculo infirmitas, sicut accipiendum est etiam quod ait Apostolus, Christus dilexit Ecclesiã, &c. Hoc est enim lauacrum aquæ in verbo, quo mũdatur Ecclesia. Sed quum tota dicat Ecclesia, quandiu est hîc, Dimitte nobis debita nostra, non vtique hîc est sine macula aut ruga.

Ephes.5.

Matth.6.

Super Ioannem tractatu V.

Si enim viam humilitatis Christus demonstraturus aduenerat, & seipsum facturus ipsam humilitatis viam, in omnibus ab eo implenda erat humilitas: auctoritatem dare Baptismo suo hinc dignatus est, vt cognoscerẽt serui sui, quãta alacritate deberent currere ad Baptismũ Domini, quando ipse non dedignatus est suscipere Baptismum serui.

In omnibus à Christo implẽda erat humilitas.

Et post pauca.

Intendat charitas vestra. Quomodo creauit Mariam, & creatus est per Mariam: sic dedit Baptismũ Ioanni, & baptizatus est à Ioanne. Ad hoc ergo accepit Baptismum à Ioanne, vt accipiens quod inferius erat ab inferiore, ad id quod superius erat hortaretur inferiores.

Christus quare baptizatus à Ioanne.

Super Ioannem tractatu V.

Aliud est enim baptizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem. Baptisma enim tale est, qualis est ille, in cuius potestate datur: nõ qualis est ille, per cuiꝰ ministeriũ datur.

Bapt ſma tale eſt qualis eſt ille, in cuius poteſtate datur.

Et post pauca.

Potestatem dominici Baptismi in nullum hominem à Domino transituram: sed ministerium plane transiturum. Potestatem à Domino in neminem ministrorum, ministerium & ~~in~~ bonos & in malos.

Ministeriũ Sacramentorum, bonorum & malorum esse.

Tractatu XV.

An vtrunque verum est, scilicet quia & Iesus baptizabat, & non baptizabat? Baptizabat enim, quia ipse mundabat, non baptizabat, quia ipse non tingebat. Præbebant discipuli ministerium corporis, præbebat ille adiutorium maiestatis. Quando enim cessaret à baptizando, quãdo non cessat à mundando? de quo dictum est ab eodem Ioanne, per Ioannis Baptistæ personam dicentis, Hic est qui baptizat. Ergo Iesus adhuc baptizat, & quousque baptizandi sumus, Iesus baptizat. Securus homo accedat ad inferiorem ministrum: habet enim superiorem magistrum. Sed fortè ait aliquis, Baptizat quidem Christus in spiritu, non in corpore: quasi verò alterius dono, quàm illius quisquam etiam sacramẽto corporalis & visibilis Baptismatis imbuatur. Vis nosse, quia & ipse baptizabat, non solùm Spiritu, sed etiã aqua? Audi Apostolum, Sicut Christus, inquit, dilexit Ecclesiam suam, & se ipsum tradidit pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipse sibi gloriosã Ecclesiam, non habẽtem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Mundans eam. Vnde? Lauacro aquæ in verbo. Tolle aquam, non est Baptismus: tolle verbũ, & nõ est Baptismus.

Christus etiam aqua baptizabat. Ephes.5.

Tractatu LXXX. super Euangelium Ioannis.

Iam vos mundi estis propter verbũ, quod locutus sum vobis. Quare nõ ait, Mundi estis propter Baptismũ, quo loti estis: sed ait, Propter verbũ quod locutus sum vobis, nisi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe verbum & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Nam & hoc vtique dixerat, quando pedes discipulis lauit, Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat: nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo, aliud est sonus trãsiens, aliud virtus manẽs. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus. Quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Vnde in Actib. Apostolorum legimus, Fide mundãs corda eorum. Et in epistola sua beatus Petrus, Sic & vos, inquit, Baptisma saluos facit, non carnis depositio sordium, sed cõscientiæ bonæ interrogatio. hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quo sine dubio vt mundare possit, cõsecratur & Baptismus. Christus quippe nobiscum vitis, cum Patre agricola, dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea. Lege Apostolum, & vide quid adiungat, Vt eam sanctificaret, inquit, mundans eam lauacro aquæ in verbo. Mundatio igitur fluxo & labili tribueretur elemẽto, nisi adderetur In verbo. Hoc verbum fidei tantũ valet in Ecclesia Dei, vt per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingẽtem, etiam tantillum mundet infantem, quanuis nondum valentem corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait, Iam vos mũdi estis propter verbum, quod locutus sum vobis.

Per verbum cor mundatur. Roman.10.

Actor.15. 1.Petri3

Ephe.5. Mundatio elemento non tribuitur.

In Epistolam beati Ioannis tractatu V.

Intendat charitas vestra. Videte quid dicam. Ecce accipit sacramentum natiuitatis homo. Baptizatus sacramentum habet, & magnum sacramentum, sanctum, diuinum, ineffabile. Considera quale, vt nouum hominem faciat dimissione omnium peccatorum. Attendat tamen in cor, si perfectum est ibi quod factum est in corpore. Videat si habeat charitatem, & tunc dicat, Natus sum ex Deo. Si autem non habet: characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur.

Baptizatus qui charitatem habet, verè ex Deo natus dicitur.

Habeat charitatem, aliter nō se dicat natum ex Deo: sed habeo, inquit, sacramentum. Audi Apostolum, Si sciam omnia sacramenta, & habeam omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. 1 Corinth. 13.

Ex libro de fide ad Petrum diaconum, Cap. III.

Baptismus nisi in Ecclesia prodest.

Baptismus extra Ecclesiam esse potest quidem: sed nisi in Ecclesia prodesse nequit. In Ecclesia igitur tantummodo catholica, potest vnicuique prodesse, & perceptio Baptismatis, & opera misericordiæ, & nominis Christi gloriosa confessio: si tamen in Ecclesia catholica bene viuat. Sicut enim sine Ecclesiæ societate, nec Baptismus alicui potest prodesse, nec opera misericordiæ, nisi fortè vt mitius torqueatur, non tamen inter filios Dei reputetur: sic intra Ecclesiam catholicam per solum Baptismum vita æterna nō acquiritur, si post Baptismum malè viuat.

Item in eodem, Cap. XXXVII.

Extra Christi Ecclesiam nemo saluatur.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem extra Ecclesiam catholicā baptizatum, participem fieri non posse vitæ æternæ, si ante finem vitæ huius, catholicæ non fuerit redditus atque incorporatus Ecclesiæ. Quia si habeam, inquit Apostolus, omnem fidem, & nouerim omnia sacramēta, charitatem autem nō habeam, nihil sum. Nā & in diebus diluuii neminem legimus extra arcam potuisse saluari.

In libro de Cantico nouo, Cap. I.

Baptizatus homo, nouus dicitur.

Omnis qui Baptismum Christi desyderat, vitam nouam concupiscit. Trāseat ergo à vetustate, vt perueniat ad nouitatem. Prius enim fuit Testamentum vetus, Canticum vetus, homo vetus: nunc autem Testamentum nouum, Canticum nouum, propter hominem nouum.

Ex libro de Cataclysmo, Cap. I.

Baptizatus cū vitijs pugnabit

Baptizatus es, signatus es, regio charactere cœpisti consequi annonam de mensa regis tui. Pugnabis enim cū vitiis, & vt beatus Martyr Cyprianus ait, Si depresseris auaritiam, exurget libido. quòd etsi libidinem superabis, succedet ambitio, & si ambitio à te fuerit deuicta, ira, zelus, æmulatio, inuidentia, superbia, ebrietas, cum cæteris suis pestiferis sociis, in vnum cōtra te dimicantium constituent castra.

Ibidem, Cap. III.

Ecce dilectissimi venturi estis ad fontem aquæ: non dicatis in cordibus vestris, Hoc est totum quod pro magno desyderabamus. Fons iste visibilis similitudo est æterni fontis: renascemini ex aqua & Spiritu. Aqua illa nō solùm corporis sordes mundat, sed animam à peccatis liberat. Debetis autem nosse, cur virtus illius aquæ, & animæ prosit & corpori. Nō enim omnis aqua mundat: sanctificatur hæc per cōsecrationem verbi. Tolle enim verbū, & quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elemētum, & fit Sacramentū. Virtus verbi, per aquā mundauit nos, quia super aquas ambulauit. Vt autem à tempestate huius seculi nos liberaret, vos videte potentiam verbi Dei, quemadmodum dominetur cunctæ creaturæ suæ.

Accedat verbū ad elementum & fit Sacramentum.

Ibidem IIII. Cap.

Ecclesiæ duo Sacramenta.

Os nō comminuetis ex eo: sed vnus ex militibus latus eius aperuit, & cōtinuò exiuit sanguis & aqua, quæ sunt matris Ecclesiæ gemina sacramenta.

Ad Seleutianam Epist. CVIII.

Ioannis 20. Actorum 1.

Rectè dici potest: quia quum Petrus negauit Dominum, nondum fuerant Apostoli baptizati: non tamen aqua, sed Spiritu sancto. Hoc enim eis dixit, posteaquam resurrexit, & conuersatus est cum eis, Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem Spiritu sancto baptizabimini, quem & accepturi estis nō post multos dies. Aliqui autem codices habēt, Vos autē Spiritu sancto incipietis baptizari. Sed siue dicatur, Baptizabimini, siue, Incipietis baptizari, ad rem nihil interest. Nam in quibus codicibus inuenitur, Baptizabitis, aut, Incipietis baptizare, mendosi sunt, qui ex Græcis facillimè conuincuntur. Si autem dicimus aqua non fuisse baptizatos, metuendum est, ne graui ter in eis erremus, ne demus hominibus auctoritatem contemnendi Baptismum, quem vsqueadeò non contemnendum ipsa Apostolica disciplina commendat, vt Cornelius centurio, & ii qui cum illo erāt, etiam accepto Spiritu sancto fuerint baptizati. Sicut antiqui Iusti, si non circunciderentur, non erat eis peccatum. Postea verò quàm iussit Deus vt circunCideretur Abraham eiúsque posteritas, iam si non fieret, graue peccatum fuit. Sic etiam postquam Dominus Christus in Ecclesia sua, sacramentum noui Testamenti, pro Circuncisione carnis, sanctum Baptismum dedit, & apertissimè dixit, Si quis non renatus fuerit ex Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum: iam non debemus quærere, quando quisque fuerit baptizatus: sed quoscunque legimus in corpore Christi, quod est Ecclesia, pertinere ad regnum cælorum, non nisi baptizatos intelligere debemus, nisi fortè quos angustia passionis inuenit, & nolentes negare Christum, antequam baptizarētur, occisi sūt: quibus ipsa passio pro Baptismo deputata est. Sed nunquid hoc possumus de Apostolis dicere, qui vsqueadeò largum tempus habuerunt, quomodo baptizarentur, vt alios etiam baptizarent? Sed non omnia quæ facta sunt, etiam scripta inueniūtur. veruntamen facta esse ex cæteris documentis probantur. Scriptum est, quādo baptizatus sit Apostolus Paulus, & scriptum non est, quādo baptizati sunt alii Apostoli. Verūtamen ipsos baptizatos intelligere etiam debemus, quemadmodum scriptum est, quando baptizatæ sint plebes Ecclesiarum in Hierusalem & Samaria. Quādo autem baptizatæ sunt plebes aliæ gentium, quibus Apostoli epistolas miserunt, non est vtique scriptum: & tamen etiam ipsas baptizatas vtique minimè dubitamus, propter illam

Actorum 10.

Genes. 17.

Ioannis 3.

Apostolos fuisse baptizatos, certis argumentis colligere possumus.

Actorum 9.

Domini

Ioannis 3. Domini sententiam, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum.

Post pauca ibidem.

Post Baptismū etiam nobis per pœnitentiam dimitti peccata probat.

Agunt enim homines ante Baptismum pœnitentiam de suis propriis peccatis: ita tamen vt etiã baptizentur, sicut scriptum est in Act. Apostolorum, loquẽte Petro ad Iudæos, & dicente, Agite pœnitẽtiã, & baptizetur vnusquisque vestrũm in nomine Domini Iesu Christi, & dimittẽtur vobis peccata vestra. Agunt etiã homines pœnitentiam, si post Baptismum ita peccauerint, vt excommunicari, & postea reconciliari mereantur: sicut agunt in omnibus Ecclesiis illi, qui propriè pœnitentes appellantur. De tali enim pœnitentia locutus est Apostolus Paulus, vbi ait, Ne iterum quum venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis qui antea peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & luxuria & fornicatione quam egerunt. Neque enim scribebat ista, nisi eis qui iam baptizati fuerant. Habemus etiam in Actibus Apostolorum, Simonem iam baptizatum, quum pecunia vellet emere, vt aliis per impositionẽ manus eius daretur Spiritus sanctus, admonitum à Petro, vt de hoc graui peccato ageret pœnitentiam. Est enim pœnitẽtia bonorum atque humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Neque enim à nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in Baptismo: sed illa vtique, quæ humanæ fragilitati, quanuis parua, tamen crebra subrepunt. Quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & opprimẽt, sicut vnum aliquod grande peccatum.

2. Corinth. 2.

Actorum 8.

Matth. 6.

In Psalmum LXXVII.

Matth 28. Baptismus licet sit communis, quia tamen gratia, quæ virtus est sacramentorum, communis est

In veteri Testamento, quum essent omnia communia sacramenta, non communis erat omnibus gratia, quæ sacramentorum virtus est. Sicut & nũc iam reuelata fides, quæ tunc velabatur omnibus, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizatis, commune est lauacrum regenerationis: sed ipsa gratia, cuius ipsa sunt sacramẽta, qua membra corporis Christi cum suo capite regenerata sunt, non communis est omnibus. Nam hæretici habẽt eũdem Baptismum, & falsi fratres in communione catholici nominis, &c.

In Psalmum XC.

Matth. 3. & 4. Baptizatus est Dominus, ieiunauit. Quare baptizatus? Vt non aspernarẽtur baptizari. Et Domino quum diceret Ioannes, Tu ad me venis baptizari, ego à te debeo baptizari. & Dominus, Sine modò: sic enim oportet implere omnem iustitiam. Voluit impleri humilitatẽ, vt

Christus quare baptizatus.

abluеretur qui sordes non habebat. Vt quid hoc? Propter superbiã futurorũ. Existit enim aliquis Catechumenus, q fortè doctrina & moribus vincit multos fideles. Attendit iam baptizatos multos imperitos, non sic viuentes, quomodo ipse viuit, non in tãta continentia, non in tanta castitate. Iam ille nec vxorẽ quærit, & videt aliquando fidelem, etsi non fornicantem, tamen vxore intẽperantius vtentem. Potest erigere ceruicem superbiæ, & dicere, Quid mihi iam opus est baptizari, vt hoc accipiam, quod iste habet, quem iam & vita & doctrina præcedo? Huic Dominus, Quid præcessisti? Quantũ præcessisti? Tãtum ne, quantum ego te? Non est seruus super dominum suum, neque discipulus super magistrum suum. Matth. 10. Sufficit seruo, vt sit sicut dominus eius, & discipulo, vt sit sicut magister eius. Noli extolli vt non quæras Baptismum. Baptisma quære Domini, ego serui quæsiui, & c.

In Psalm. CXVIII.

Matth. 6. *Et post Baptismum desyderia peccanda manet.*

Sed adhuc quærendum est, quæ petamus dimitti nobis, quando dicimus Deo, Dimitte nobis debita nostra. Vtrũ quæ nos operamur, quando peccati desyderiis obedimus, an ipsa desyderia nobis dimitti volumus, quæ nos nõ operamur, sed quod habitat in nobis peccatũ. Quantum quidem ego sapere possum, languoris illius & infirmitatis, vnde illicita desyderia commouentur, quod peccatum appellat Apostolus, vniuersus reatus sacramento Baptismatis est solutus, cum omnibus quæ illi obedientes fecimus, diximus, cogitauimus: nec deinceps nobis languor iste obesset, quanuis inesset, si desyderiis eius illicitis nullis vnquã obedientiam præberemus, siue operatione, siue locutione, siue tacita assensione: donec etiam ipse sanaretur, cùm id, quod poscimus, esset impletum, siue dicẽtes, Veniat regnum tuum: siue dicentes, Libera nos à malo. Sed quoniam tentatio est vita humana super terram, etiamsi à criminibus lõgè simus, non tamen deest vbi desyderiis peccati, vel facto, vel dicto, vel cogitatu obediamus, quando aduersus maiora vigilãtibus quædam incautis inuita subrepunt, quæ si aduersus nos colligantur, & si non singula suis motibus conterunt, omnia tamen aceruo nos obruũt. Et propter hoc etiam vt mihi videtur, ii qui ambulant in viis Domini, dicunt, Dimitte nobis debita nostra: quoniam ad vias Domini & ipsa oratio pertinet & ipsa confessio, quanuis non ad ea peccata pertineant.

Roma. 7.

Matth. 6 Iob. 7.

Matth. 6

Libro Quæstionum veteris & noui Testamenti, Quæst. LIX.

Baptismus Spiritu potius quàm aqua consistit.

Qui Baptismum putat, carnali ratione consistere, hic non est spiritalis, nec donum cæleste poterit consequi, qui se per aquam non per fidem immutari credat. Aqua enim cernitur, sed qui non videtur Spiritus, operatur vt fides in eo sit: quia sicut sordes corporeas aqua, ita Spiritus animam abluit à peccatis, vt quomodo visibilia visibilibus, ita & spiritalibus profit Spiritus. Ac per hoc spiritalis ratio vertitur in Baptismo. Plus enim est ibi quod

auditur, quàm quod videtur. Quum hinc ergo Nicodemus carnali instructus ratione dubitaret, Saluator vt eum ad fidem attraheret, exemplo vsus est congruo, vt ad rem inuisibilem firmandam, visibile daret exemplum, quod solo auditu consistit, non visu: & non negatur, & est tamen terrenum, quia mũdi rem operatur. Ait ergo Dominus ad Nicodemum suadendo illi, Ioannis 3. Spiritus vbi vult spirat, & vocẽ eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat. Sic est omnis qui renascitur ex aqua & Spiritu sancto, vt quomodo vox aduenientis Spiritus, id est, venti auditur quidem, non autem videtur: sicut dictum est: sic & ratio Baptismi auditur, quòd dicatur: tamen quomodo per Spiritum fit, non videtur. auditur tamen, quum quid futurum est ab eo qui verba insinuat, prædicatur, vt fieri credatur quod auditur: non tamen ratio facti reddatur, &c.

In libro de hæresibus, ad Quodvultdeum, Cap. XLVI.

Manichæi Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis afferre, nec quenquam eorum quos decipiunt, baptizandum putant.

Ex libro contra Petiliani Epistolam, Cap. XVIII.

Baptismus Ioãnis & Pauli erat diuersus. Quum verò Ioannes Baptista & Paulus Apostolus vnum sunt: quia vterq; sponsi amicus erat: tamen quia non erat vnus Baptismus Actorum 19. qui dabatur à Ioanne, & qui dabatur à Paulo, iussit Paulus Christi Baptismo baptizari eos qui Baptismo Ioannis fuerãt baptizati. Itaque ille Baptismus Ioannis dictus est: qui autẽ per Paulum datus est, nõ est dictus Baptismus Pauli. Sed iussit, inquit, eos baptizari in Christo. Ecce vnum sunt Ioannes & Paulus, & non vnum dant. Ecce non sunt vnum Petrus & Iudas, & vnum dant. At verò Petrus & Paulus, & vnum sunt, & vnum dant. Abraham & Cornelius ex fide iustificati vnum sunt, & non vnum Sacramentum acceperunt. At verò Cornelius & ille Spado, quem Philippus in itinere baptizauit, & vnum sunt, & vnum Sacramentum acActorum 8. ceperunt. Idémque Cornelius & Simon Magus non sunt vnum, & vnum Sacramentum acceperunt. Quum ergo vnum est Sacramẽtum: nec diuersi datores, nec diuersi prẽceptores faciunt vt non sit vnum quod vnum est.

Lib. contra Fulgentium Donatistam, statim à principio.

Baptismus Trinitatis nomine consecratus, sit verus. Etenim Paganus baptizat, Iudæus baptizat, Sadducæus baptizat, & multi extra regulã Legis datæ baptizare non cessant. Sed illud est vnum quod verum, illud verum quod Christi, illud Christi quod Patris & Filii & Spiritus sancti, hoc est verum, hoc salubre, huic nullum est comparandum. Hoc qui non accipit, ipse sibi & vitæ meritum clausit, & mortis aditum patefecit.

De vera innocentia, Cap. CCCXXIIII.

Regenerationis gratiã ita etiam ii minuũt, qui eius dona non seruant, sicut lucis nitorem loca immunda non possunt. Qui ergo gaudes Baptismi perceptione, viue in noui hominis sanctitate, & tenẽs fidem, quæ per dilectionem Galat. 5. operatur, habe bonum quod nondum habes, vt prosit tibi bonum quod habes.

Item contra Fulgentium, vbi suprà.

Sicut enim qui manducat & bibit sanguinem Domini indignè, iudicium sibi manducat & bibit: sic & qui accipit indignè Baptisma, iudicium accipit, non salutem. Nam & Iudas 1. Corinth. 11. Qui indignè sumunt Baptismum, iudicium sibi sumunt. proditor, bonum corpus, & Simõ Magus, bonum Baptisma Christi percepit: sed quia bono bene non vsi sunt, mali malè vtendo deleti sunt. Bonum est Baptisma, bonum est Christi sanguis & corpus, bona est Lex, sed si quis ea legitimè vtatur.

Ex sermone quodam de immolatione Isaac.

Rogo vos fratres, vt quicũque aut filium, aut vernaculũ suum baptizari desyderat, iam nunc eum Ecclesiæ offerre non differat, quia nõ est iustum, vt res quæ tam magna, tam præclara creditur, negligenter aut tardius quàm expedit, requiratur. Timeo enim ne aliquæ mulieres, ideo tardius infantulos suos offerãt: quia cum ipsis ad vigilias venire dissimulant. Certissimè enim credimus, quòd quæ statim Baptismus non differendus. incipiente Quadragesima, eos qui baptizandi sunt, offerre voluerint, & cum ipsis ad vigilias feliciter peruenerint, & filii eorum legitimo ordine accipient Baptismi sacramẽtum, & ipsi acquirent indulgentiam peccatorum, præstante Domino nostro Iesu Christo.

EX AVGVSTINO DE VNICO BAPTISMATE CONTRA ANABAPTISMVM.

Libro I. de Baptismo contra Donatistas, Cap. I.

Baptizatus per recessionem Baptismum non amittit. Sacramentũ Baptismi est, quod habet qui baptizatur, & sacramentum Baptismi dandi est, quod habet qui ordinatur. Sicut autem baptizatus si ab vnitate recesserit, sacramentum Baptismi non amittit: sic etiam ordinatus, si ab vnitate recesserit, sacramẽtum dandi Baptismi non amittit. Nulli enim sacramento iniuria facienda est: si discedit à malis, vtrunque discedit: si permanet in malis, vtrunque permanet. Sicut ergo acceptatur Baptismus, quẽ non potuit amittere, qui ab vnitate discesserat: sic acceptandus est Baptismus, quem dedit ille qui sacramentum dandi quum discederet, non amiserat.

In eodem Capite XVIII.

Extant beati Martyris Cypriani in eius literis magna documenta, vt ad illũ iam veniam, de cuius sibi auctoritate isti carnaliter blandiuntur, quũ eius charitate spiritaliter perimantur. Nam illis temporibus antequam plenarii Concilii sententia, quid in hac re sentiendum esset,

esset, totius Ecclesiæ consensio confirmaret, visum est ei cũ fermè octoginta Episcopis suis Africanarũ Ecclesiarum, omnẽ hominẽ, qui extra Ecclesiæ catholicæ communionem baptizatus fuisset, oportere ad Ecclesiam veniẽtem denuo baptizari. Quod non rectè fieri, tanto viro nimirum propterea Dominus non aperuit, vt eius pia & humilitas & charitas in custodienda salubriter Ecclesiæ pace patesceret, & non solùm illius temporis Christianis, sed etiam posteris ad medicinalem, vt ita dicam, notitiam signaretur. Quum enim tãti meriti, tantæ Ecclesiæ, tanti pectoris, tanti oris, tantæ virtutis, Episcopus, aliud de Baptismo arbitraretur, quàm erat inquisita diligentius veritas obfirmatura, multique eius collegæ, quanuis liquidò nondum manifestatum, id tamen tenerent, quod & præteritæ Ecclesiæ consuetudo, & postea totus catholicus orbis amplexus est: non se ille tamen à cæteris diuersa sentientibus separata communione disiunxit, & hoc etiam cęteris persuadere non destitit, vt sufferrent inuicem in dilectione, studẽtes seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Ita enim corporis manente compage, si quid in quibusdam membris infirmabatur, ex eorum sanitate conualescceret potius, quàm præcisione mortificatum diligentiam nullius curationis admitteret. Et si se ille separasset, quàm multi sequerentur, quantum sibi nomen inter homines faceret, quàm latius Cyprianistæ quàm Donatistæ vocarentur!

Eodem libro, Cap. XIX.

Neminem esse denuo baptizãdum.

Est quidem Christi Baptisma, quod vbique sanctũ est, quãuis apud hæreticos & schismaticos, ipsius tamen hæresis vel schismatis nõ est: & ideo nec ad ipsam catholicam inde venientes, oportet denuo baptizari.

Libro secundo de Baptismo contra Donatistas, Cap. VII.

Auctoritas Cypriani neminẽ debet permouere, vt rebaptizentur reuertentes ad Ecclesiã.

Nolite ergo nobis auctoritatem obiicere Cypriani ad Baptismi repetitionem: sed tenete nobiscum exemplum Cypriani ad vnitatis conseruationem. Nondum enim erat diligenter illa Baptismi quæstio pertractata: sed tamẽ saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, in ipsis quoque schismaticis & hæreticis corrigere quod prauum est, non iterare quod datum est, sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posterorum: & tamen quia custodiuntur per vniuersam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.

Eodem libro, Cap. XIII.

Quid ergo facimus, inquiunt, de his quos iam baptizauimus? respondetur, Redite cum eis ad Ecclesiam, medicamẽto pacis offerte curãdos, quos vulneraſtis: vitæ charitatis offerte

Concordiæ studendum.

suscitãdos quos occidistis. multũ valet ad ꝓpitiandum Deum fraterna concordia. Si duobus ex vobis, ait Dominus, conuenerit in terra, quidquid petieritis, fiet vobis. Si duobus hominibus, quantò magis duobus populis? Simul nos Domino prosternamus, participamini nobiscum vnitate participemur vobiscum dolore: & charitas cooperiet multitudinem peccatorum. *Matt. 18.* *1. Petri 4.*

Libro eodem, Cap. XIIII.

Quid sit autẽ pernicioſius: vtrùm omnino non baptizari, an rebaptizari, iudicare difficile est. Video quidem quid amplius homines detestentur atque horreant: veruntamen recurrens ad illam staterã dominicam, vbi non ex humano sẽsu, sed auctoritate diuina rerum merita pensantur? Inuenio de vtraque re Domini sententiam. Nam & Petro dixit, Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet, vel non habet necessitatem iterum lauandi. Et Nicodemo, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum. Quid habeat secretior diiudicatio Dei, hominibus, quales nos sumus, difficile est fortasse cognoscere: quantum tamen ad ipsa verba attinet, cuilibet homini manifestũ est quantum distet inter Non habet necessitatem iterum lauandi, & , Non intrabit in regnum cælorum. *Ioan. 13.* *Ioan. 3.* *Non baptizati ab altari remouendi.*

Ipsa denique Ecclesia sic traditum tenet, vt hominẽ sine Baptismo, ad altare prorsus non possit admittere: rebaptizatũ autẽ cùm post pœnitentiam liceat admitti: quid aliud ostenditur, nisi eum Baptismo non carere?

Lib. III. contra Donatistas de Baptismo, Cap. IIII.

Dicit forsitã quispiã, Quid ergo tu modò dicis, quid ad Iubaianum scripserit Cyprianus? Iam legi fateor. & profectò issem in eandẽ sententiam, nisi me ad diligentiorem considerationem reuocaret tanta auctoritas aliorum, quos vel paris gratia doctrinæ, vel etiam fortasse doctiores, per tot gentes Latinas, Græcas, Barbaras, & ipsã Hebręã, Ecclesia toto orbe diffusa parere potuit, quæ ipsũ quoque pepererat. Qui mihi quoque nullo modo videri potuerunt frustra noluisse illam sententiam: non quia fieri non potuit, vt in obscurissima quæstione verius pluribus vnus paucíve sentirent: sed quia non facilè pro vno, vel pro paucis aduersus innumerabiles eiusdem religionis & vnitatis viros, & magno ingenio & veri doctrina præditos, nisi pertractatis pro viribus atque perspectis rebus, ferenda sententia est. Itaque solicitius inquirenti, quantum mihi etiam ipsius Cypriani literæ suggesserint, pro hac sentẽtia, quàm nunc Ecclesia catholica tenet, vt Christi Baptismus non ex merito eorum per quos datur, sed ex ipsius, de quo dictum est, Hic est qui baptizat, agnoscendus & approbandus sit, in progressu sermonis nostri res ipsa indicabit. *Baptismus nõ ex merito sed gratia datur.*

Eodem lib. Cap. X.

Nec nos abnuimus, cum qui apud hæreticos vel in aliquo schismate, extra communio-

nem Ecclesiæ, baptizatur, non ei prodesse inquãtum hæreticorũ & schismaticorum peruersitati consentit. Nec illos qui baptizant, quanuis ipsum & verum dent Baptismi sacramentum, rectè tamen facere extra Ecclesiam colligere, & contra Ecclesiam sentire. Sed aliud est non habere aliquid, aliud non iure habere, vel illicitè vsurpare. Non itaque ideo non sunt Sacramenta Christi & Ecclesiæ: quia eis illicitè vtuntur, non hæretici solùm, sed etiam omnes iniqui & impii. Sed tamen illi corrigẽdi aut puniendi: illa verò agnoscenda & venerãda sunt.

Sacramẽta sũt etiamsi eis illicite vtantur homines.

Post pauca ibidem.

Non est autem aqua profana & adultera, super quam nomen Dei inuocatur, etiamsi à profanis & adulteris inuocetur: quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen adulterum est. Baptismus verò Christi, verbis Euangelicis consecratus, & per adulteros & in adulteris sanctus est, quanuis illi sint impudici & immundi: quia ipsa eius sanctitas pollui non potest, & in sacramento suo diuina virtus assistit, siue ad salutem bene vtẽtium, siue ad perniciem malè vtentium. An verò solis vel etiam lucernæ lux quum per cœnosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit, & Baptismus Christi potest cuiusquam sceleribus inquinari? Si enim adres ipsas visibiles, quibus sacramenta tractantur, animum conferamus, quis nesciat eas esse corruptibiles? Si autem ad id quod per illas agitur, quis nõ videat non posse corrumpi, quanuis homines per quos agitur, pro suis moribus vel præmia percipiant, vel pœnas luant? Rectè autem nõ mouit Cyprianum quod scripsit Iubaianus Nouatianensis, rebaptizare eos qui ad se ex catholica venirent.

Baptismus Christi non potest sceleribus inquinari.

Libr. III. contra Donatistas de Baptismo, Cap. XI.

Sed aliud est cur hæretici rebaptizare non debeãt, aliud cur catholica. Hæretici enim nec si in catholica faciendum esset, facere deberẽt: quia in catholicis hoc non esse dicunt, quod ipsi quum ibi essent acceperunt, & quum discederent abstulerunt. Catholica propterea non debet iterare Baptisma, quia apud hæreticos datum est, ne iudicare videatur ipsorum esse quod Christi est, aut eos non habere quod intus quum acciperent, amittere vtique foras exeundo non possent.

Catholici non debent iterare Baptisma.

Cap. XIII. ibidem.

Tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, quum ad Ecclesiæ pacem hæretici venerunt, vt verè dimissa non retineantur: neque vt ille Baptismus quasi alienus aut alius improbetur, aut alter tradatur: sed vt idem ipse qui propter discordiã foris operabatur mortẽ, propter pacẽ intus operetur salutẽ.

Baptismus valet ad dimittẽda peccata.

Cap. XIIII. in eodem.

Nec interest quum de Sacramenti integritate & sãctitate tractatur, quid credat, aut quali fide imbutus sit ille qui accipit Sacramẽtum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. fieri enim potest, vt homo integrum habeat Sacramẽtum & peruersam fidem: sicut fieri potest vt integra teneat verba Symboli, & tamen nõ rectè credat, siue de ipsa Trinitate, siue de resurrectione, vel aliquid aliud. Neque enim parua res est in ipsa int[e]r catholica tenere integrã fidẽ, vt non omnino de aliqua creatura, sed de ipso Deo nihil aliud credat quàm veritas habet.

Homo habet integrum Sacramentum, etiãsi habeat peruersam fidem.

Cap. XV. ibidem.

Quamobrem si Euangelicis verbis, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum: quanuis eius fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quàm catholica veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdẽ verbis, id est, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, non solùm Marcion, aut Valentinus, aut Arrius, aut Eunomius, sed ipsi carnales paruuli Ecclesiæ, quibus dicebat Apostolus, Nõ potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus: si possent singuli diligenter interrogari, tot diuersitates opinionũ fortassis, quot homines numerarẽtur. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei. Nunquid tamen ideo non integrum Sacramentũ accipiunt? Aut nũquid ideo si profecerint, & opinionum carnalium vanitatem emẽdauerint, denuo quod acceperant repetendum est? Accipit quisque secundum fidem suam, sed quãtum capit gubernante illa misericordia Dei: de qua præsumens idem Apostolus, dicit, Si quid aliter sapitis, id quoque vobis Deus reuelabit.

Probat ex exẽplo.

1. Corinth. 3.

1. Corinth. 2.

Philip. 3.

Secundum fidẽ suam accipit quisque.

Cap. XVI.

Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus per manus impositionem modò datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur ad commẽdationem rudis fidei & Ecclesiæ primordia dilatãda. Quis enim nũc hoc expectat, vt ii quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repentè incipiãt linguis loqui? Sed inuisibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus diuina charitas inspirari, vt possit dicere, Quoniã charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Actorum 8. Modò non datur Spiritus per impositionem manuum.

Roman. 5.

Roman. 5.

Cap. XVIII.

Sicut autem isti qui intus cum gemitu tolerantur, quãuis ad eandem columbæ vnitatẽ, & illam glorioſam Ecclesiã non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, non pertineant: tamen si corrigantur, & se pessimos ad Baptismum accessisse fateantur, nõ rebaptizantur: sed incipiunt ad columbam pertinere, per cuius gemitus eis peccata soluuntur, à cuius pace alienatis tenebãtur: sic & qui apertius foris sunt, si eadem Sacramenta sumpserunt, quum correcti ad Ecclesiæ veniunt vnitatem, non iterato Baptismo, sed eadem charitatis lege & vnitatis vinculo liberantur.

Ephes. 5.

Baptismus non iterandus.

Cap.

Cap.XIX.

Illi sanè qui propterea dicunt non esse iterandum Baptismum, quia manus tãtummodo imposita est eis, quos Philippus diaconus baptizauerat: nihil ad rem pertinẽs dicũt. Et absit vt cùm verum quęrimus, talibus argumẽtis vtamur. Quapropter magis hæreticis nõ credimus. sed quod habent de Christi Ecclesia, nõ esse dicamus ipsorũ: nec propter scelera desertorum, Imperatoris nostri signa nolum⁹ agnoscere: magis quia Dominus Deus noster, Deus zelans est, quidquid eius apud aliquem agnoscimus, nullo modo ei concedamus, vt suum proprium esse arbitretur.

Actorum 8.

Exod. 34.

Libro quarto de Baptismate contra Donatist. Cap. I.

Ita fit, vt quum Paradisi aqua sit extra Paradisum: beatitudo tamen non sit, nisi intra Paradisum. Sic ergo Baptismus Ecclesiæ potest esse extra Ecclesiam · munus autem bonæ vitæ & beatæ, non nisi intra Ecclesiam reperitur, quæ super petram etiam fundata est, quę ligandi atque soluendi claues accepit.

Baptismus Ecclesiæ potest esse extra Ecclesia.

Cap. II.

A qua enim Ecclesiæ fidelis, & salutaris & sancta est bene vtentibus. Ea verò bene vti extra Ecclesiam nemo potest. Malè autem vtentibus & foris & intus ad supplicium geritur, non ad præmium suffragatur: & ideo Baptismus corrumpi & adulterari non potest, etsi à corruptis & adulteris habeatur, sicut & ipsa Ecclesia incorrupta & casta & pudica est: & ideo non ad eam pertinent auari, raptores, & fœneratores: quos non tantùm foris, sed etiam intus esse, multis literarum suarum locis Cyprianus ipse testatur: & tamen nõ mutato corde baptizantur & baptizant.

Baptismus non potest corrumpi sicut Ecclesia.

Cap. III.

Non itaque hæreticorum Baptisma acceptamus, quando post eos non baptizamus: sed quod Christi esse cognoscimus, etiam in malis hominibus, siue apertè foris, siue intus occultè separatis, illis in ea re in qua deuiabant correctis, debita veneratione suscipimus. Sicut autẽ vrgeri videor, cùm mihi dicitur, Ergo hæreticus dimittit peccata · sic & ego vrgeo, cùm dico, Ergo qui cælestia mandata non seruat, auarus, raptor, fœnerator, inuidus, verbis non factis seculo renuntians, dimittit peccata. Si per vim sacramẽti Dei, sicut & ille, ita & ille. Si per meritum suum, nec ille, nec ille. Illud enim Sacramentum, & in malis hominibus Christi esse cognoscitur. In corpore autem vnicæ colũbæ, incorruptæ, sanctæ, pudicæ, non habentis maculam aut rugam, nec ille, nec ille inuenitur.

Non accipimus Baptisma hæreticorum.

Ephes. 6.

In eodem, Cap. VI.

Non ergo inuenimus ab Apostolis aliquẽ, cùm apud hæreticos baptizatus esset, in eodẽ Baptismo admissum esse & communicasse: sed neque hoc inuenimus ab hæreticis aliquem veniẽtem, qui apud illos fuerit baptizatus, ab Apostolis denuo baptizatũ. Sed illa cõsuetudo quam etiã tunc homines sursum versus respicientes, non videbant à posterioribus institutam, rectè ab Apostolis tradita creditur.

Apostoli non rebaptizauit venientes ab hæreticis baptizatos.

Eodem libro, Cap. VIII.

Verè decuit Cyprianum de zelo & liuore & arguere grauiter & monere: à quo tam mortifero malo, cor eius penitus alienatum, tãta charitatis abundantia comprobauit, qua vigilantissimè custodita, cũ collegis suis nõ maleuolè de Baptismo diuersa sentientibus, nec ipse maleuola cõtẽtione, sed humana tẽtatione aliter sapiens: quod vt illi Deus in charitate perseuerãti, cùm vellet postea reuelaret, in cõmunionis vnitate permãsit, apertè dicẽs, Neminẽ iudicãtes, neq; à iure cõmunionis aliquẽ, si diuersum senserit, amouẽtes. Neque enim quisquam nostrũm Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit.

Philip 3.

Cyprianus in concilio Carthaginensi.

Cap. X. in eodem.

Dixerit aliquis interiora zizania facilius in frumentũ conuerti. Concedo ita esse: sed quid hoc pertinet ad Baptismum iterandum? Nunquid si fortè aliquis ab hæreticis cõuersus, conuersionis suæ tempore ac facilitate præuenerit eum qui tardius à malitia intus corrigitur & mutatur, ei non est iterandum Baptisma, & illi qui præuentus est ab eo qui ex hæreticis venit, quia tardius correctus est iterandum est? Nihil ergo ad rem pertinet, de qua nunc quæstio est, quis serius se, tardiúsve conuertat à propria peruersitate ad rectitudinem fidei, vel spei, vel charitatis.

Summa, nemo rebaptizandus est.

Post pauca in eodem Capite.

Quãtùm arbitror iam claret & liquet in ista quæstione de Baptismo, non esse cogitandum quis det, sed quid det: aut quis accipiat, sed quid accipiat: aut quis habeat, sed quid habeat.

Cap. XI.

Non nos cõcedimus hæretico Baptismum: sed illius Baptismum de quo dictum est, Hic est qui baptizat, vbicunque inuenerimus agnoscimus. Perfidus autem & blasphemus si in perfidia & blasphemia permanserit, nec extra Ecclesiam, nec intra Ecclesiam, remissionem accipit peccatorum: aut si propter vim Sacramenti ad punctum temporis accipit, & foris & intus eadem vis operatur, sicut vis nominis Christi expulsionem dæmonum etiam foris operabatur.

Blasphemi & perfidi nec intra, nec extra Ecclesiam habent remissionẽ peccatorum.

Eodem libro, Cap. XVII,

Potest igitur nobis & hæreticis Baptisma esse commune, cum quibus potest & Euangelium esse commune, quanuis à fide nostra error distet illorũ, siue aliud de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu sancto sentiant, quàm veritas habet, siue ab vnitate præcisi non colligant cum Christo, sed spargant: quia potest nobis si frumẽta dominica sumus, etiam intus cum auaris, cũ raptoribus, cum ebriosis, & cæteris eiusmodi pestibus, de quibus dicitur, Re-

Baptismus pius & impius communis, vitia & peccata verũ communia.

gnum Dei non posidebunt, & Baptismatis Sacramentum esse commune, & tamen vitia quib⁹ à regno Dei separãtur, nõ esse cõmunia.

Cap.XXIII.

Quid autem valeat,& quid agat in homine corporaliter adhibita sanctificatio Sacramenti,sine qua tamen ille Latro non fuit: quia non eius accipiendæ voluntas defuit, sed non accipiẽdæ necessitas adfuit,difficile est dicere. Nisi tamen plurimum valeret, non serui Baptismum Dominus accepisset.

Luce 23.

Matth.3. Plurimum valet Baptismus.

Libro V.contra Donatistas de Baptismo,Cap.I.

Ecclesiæ catholicæ consuetudinem pristinam nunc teneri, quum ab hæreticis & schismaticis venientes,si Euãgelicis verbis Baptisma consecratum perceperunt, denuo non baptizantur,beato Cypriano teste,&c.

Cap.II.

Væ qui ab vnitate Ecclesiæ recedunt.

Et ideo væ istis qui per sacrilegam præcisionẽ ab vnitate dirupti, etsi apud nos & apud illos est Baptismus,rebaptizãt.Si autem in Catholica sola est:nec baptizabant. Siue ergo rebaptizent,siue non baptizent,non sunt in vinculo pacis,vnde cuilibet istorum vulneri adhibeant medicinam. *Cap.V.*

Baptismus impœnitentibus non prodest.

Quocirca etiam,si verè propterea vellent hæretici correcto errore venire ad Ecclesiam: quia putarent se Baptismum nõ habere,nisi in Catholica acciperent.nec sic eis deberemus ad iterationẽ Baptismi consentire.sed potius docendi essent, nec integritatẽ Baptismi prodesse peruersitati eorum, si corrigi nolẽt:nec eorum peruersitate violatum fuisse integrum Baptisma,quandiu corrigi noluerũt.nec quia corrigi volunt,melius in eis Baptisma fieri: sed ipsos à malignitate discedere, illud autẽ prodesse iam incipere ad salutem, quod prius inuenerat ad perniciem. Hæc enim dicẽtes,& salutem in catholica vnitate desyderabunt, & suũ esse quod Christi est,non æstimabunt, & veritatis sacramentum, quanuis in se positum, cum errore proprio non miscebunt.

Cap.XI.

Actorum 9. De Baptismo Ioannis.

Iam nũc de Baptismo hominis videndũ est quid dicatur. Baptizatos enim à Paulo eos qui iam Baptismo Ioannis baptizati fuissent,legimus in Act. Apostolorũ: non ob aliud,nisi quia Ioãnis Baptismus nõ fuerit Christi Baptism⁹, sed Ioanni à Christo cõcessus, qui Ioãnis propriè diceretur,sicut idem Ioãnes dicit, Nõ potest homo accipere quidquã,nisi datũ fuerit ei de cælo. Accepit autem hoc Ioannes certę dispẽsationis gratia,nõ diu mansurum,sed quantùm satis esset ad parandam viam Domino,cuius eum esse præcursorem oportebat.

Vbi suprà,Cap.X.

Quæro itaque,si Baptismo Ioannis peccata dimittebantur:quid amplius præstari voluit per Baptismũ Christi eis quos Apostolus Paul⁹ post Baptismum Ioãnis Christi Baptismo voluit baptizari? Si autem Ioannis Baptismo nõ dimittebantur peccata, vtrúmnam meliores erant Ioanne,Cypriani temporibus, de quib⁹ ipse dixit,quòd fundos insidiosis fraudibus rapiebant,& vsuris multiplicantibus fœnus augebant: quibus tamen baptizantibus fiebat remissio peccatorũ? An quia eos vnitas Ecclesiæ tenebat? Quid ergo? Ioannes non erat in vnitate,amicus ille Sponsi, viæ Dominicæ præparator,& ipsius Domini Baptizator? Quis hoc demẽtissimus dixerit? Quapropter quãquam credam ita baptizasse Ioannem in aqua pœnitentiæ in remissionem peccatorum, vt ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, re ipsa verò in Domini Baptismo id fieret: sicut Resurrectio, quæ expectatur in finem, spe in nobis facta est, sicut dicit idem Apostolus, Quia simul nos excitauit, & simul sedere fecit in cælestibus. Et idem dicit,Spe enim salui facti sumus. Nam & ipse Ioannes, cùm dicat, Ego quidem baptizo vos in aqua pœnitentiæ in remissionem peccatorum, Dominum videns, ait,Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Ioan.3.

Ephes.2. Roma.8.

Matth.3.

Ioan.1.

Cap.XI.

Cur post Ioannem baptizatum fit,iamiã autem non liceat.

Quæ igitur causa est, nisi quia Baptisma, quod illos iussit Paulus accipere, non per Ioãnem dabatur:& ideo in eadem ipsa vnitate Ecclesiæ Baptismus Christi, si baptizãte fœneratore tradatur, repeti non potest: Baptismum autẽ Ioannis etiam ab ipso Ioanne accipiẽtes, postea Christi Baptismo baptizari oportebat?

Cap.XII.

In baptismo Ioãnes non datur Spiritus qui in Christo.

Sed Christi Baptismum non oportuit iterari, de quo idẽ Ioãnes ait, Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Per quẽlibet enim ministrũ detur,illius est Baptismus, de quo dictum est, Hic est qui baptizat. Sed neque ipsius Ioannis Baptismus iteratus est,cùm ab eo baptizatos baptizari in Christo Paulus Apostolus iussit.Quod enim ab amico Spõsi nõ accepeperãt,hoc ab ipso Sponso accipere debuerũt. de quo ille amicus dixerat, Hic est qui baptizat in Spiritu sancto. *Cap.XIIII.*

1.Thessa.2. Roman.11. Ephes 4. 2.Thimo.2.

Itaque inuenimus dictum ab Apostolo, Et gloriam meam,quanuis vtique in Domino,& ministerium meum, & prudentiam meam, & Euangelium meum:quãuis vtique à Domino impertitũ atque donatũ. Baptism⁹ autẽ meus nemo dixit eorũ omnino. *Cap.XV.*

In baptizato autem inseparabiliter Baptisma permanere,manifestum est:quia in quodlibet profundum malorum,& in quanlibet horribilem voraginem peccatorum irruat baptizatus,vsque ad apostaticam ruinam,non caret Baptismo: & ideo per pœnitentiam redeunti non redditur, quia eo non potuisse carere iudicatur.Baptizatum autem separari ab Ecclesia posse quis dubitauerit? Inde quippe omnes hæreses exierunt,quæ vocabulo Christiano decipiunt.

Cap.

Cap.XIX.

Quid bonis & malis ministris atque Sacramenta ministrantur.

Si autem Deus adest Sacramentis & verbis suis per qualeslibet administrentur, & Sacraméta Dei vbiq; recta sunt,& mali homines, quibus nihil prosunt,vbique peruersi sunt.

Cap.XX.

Spiritus sáctus in Sacramentis datur,etiá malis administrantibus.

Ioannis 9.

Sicut ergo ad hoc valet quod dictum est in Euangelio,Deus peccatorem non audit,vt per peccatorẽ Sacramenta nõ celebrẽtur:quomodo exaudit homicidam deprecantem,vel super aquã Baptismi, vel super oleum,vel super Eucharistiam, vel super capita ipsorum, quibus manus imponitur? Quæ omnia tamen & fiunt & valẽt,etiam per homicidas,id est,per eos qui oderunt fratres, etiam in ipsa intus Ecclesia. Quum dare nemo possit quod nõ habet,quomodo dat homicida Spiritũ sanctum: & tamen ipse intus etiam baptizat?Deus ergo dat etiam ipso baptizante Spiritum sanctum.

Cap.XXI.

Quapropter Sacramentum gratiæ dat Deus per malos : ipsam verò gratiam non nisi per seipsum, vel per Sanctos suos : & ideo remissionem peccatorum, vel per seipsum facit, vel per illius columbæ membra, quibus ait, Si cui dimiseritis, dimittentur : si cui tenueritis, tenebuntur.

Cap.XXIII.

Quare ad Ecclesiam rediens non rebaptizatur. Cyprianus in Epistola ad Pompeium.

Ad Pompeium scribit etiam Cyprianus de hac eadẽ re, vbi apertè indicat Stephanum, quẽ Romanæ Ecclesiæ Episcopum tunc fuisse didicimus, non solùm sibi ad ista non consensisse, verumetiam contrà scripsisse, atque præcepisse. Qui vtique Stephanus non propterea communicauit hæreticis : quia Baptisma Christi, quod in eorum peruersitate integrum mansisse cognouit, improbare nõ est ausus. Nam si non habẽt Baptismum qui de Deo praua sentiũt, hoc posse & intus accidere, iam satis, vt arbitror, disputatum est. Apostoli autem nihil quidem exinde præceperunt : sed cõsuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est : sicut sunt multa quæ vniuersa Ecclesia tenet : & ob hoc ab Apostolis præcepta bene credunt,quanquam scripta non reperiuntur.

Cap.XXIIII.

Anabaptismus potest esse sine Spiritu sancto. Galat.3.

Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. Induunt autem homines Christum vsque ad Sacramenti perceptionem, aliquando & vsque ad vitæ sanctificationem. Atque illud primum & bonis & malis potest esse commune:hoc autẽ alterum proprium est bonorum piorum. Quapropter si Baptisma esse sine Spiritu non potest, habẽt & Spiritum hæretici,sed ad perniciem,non ad salutẽ,sicut habuit Saul. Nam per nomen Christi in Spiritu sancto eiiciuntur dæmonia, quod & ille poterat, qui erat extra Ecclesiam, de quo discipuli Domino suggesserũt: sicut habẽt auari,qui tamen non sunt templum Dei. Quoniam quæ so cietas templo Dei cum idolis? Si autem non habent auari Spiritum Dei,& tamen habent Baptisma,potest esse sine Spiritu Baptisma.

1.Sam.18.

Marci 9.

Cap.XXVI.

Vnum Baptisma esse in Ecclesia Christi. Ephes.4.

Traditum est ergo nobis,sicut Cyprianus cõmemorat,ab Apostolis,quòd sit vnus Deus, & vnus Christus,& vna spes,& vna fides,& vna Ecclesia,& vnum Baptisma. Quum ergo Apostolorum temporibus inueniamus fuisse quosdam,quibus vna spes non erat,& vnum Baptisma erat : sic ex ipso fonte ita in nos ducitur veritas,vt appareat nobis sic fieri posse, vt quũsit vna Ecclesia, sit spes vna, & Baptisma vnum. Habent tamen vnum Baptisma, qui non habent vnam Ecclesiam : sicut etiam illis temporibus fieri potuit vt Baptisma vnum haberent, qui vnam spem non haberent, &c. Quomodo enim habebãt vnam spem cum Sanctis& iustis, qui dicebant, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur? Et tamen in ipsis erãt, quibus idem dicit Apostolus,Nũquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis? Ad eos enim apertissimè scribit, dicens,Quomodo quidam in vobis dicunt,quia resurrectio mortuorum non est?

1.Corinth.5.

1.Corinth.1.

1.Corinth.15.

Libro VI.Cap.XIIII.

Vis Baptismatis non permittit vt rebaptizetur quis.

Tanta vis est in sacramento simplicis Baptismi, vt quum fateamur aliquẽ baptizatum, & adhuc malè viuentem debere mundari, vetemus tamen vlterius baptizari.

Cap.XVI.

Vniuersæ Ecclesiæ catholicæ hæc est sententia,vt hæretici,quanuis in hæresi iam Christi Baptismo baptizati,ad Ecclesiam veniẽtes, non baptizentur. Si enim nulla est apud hæreticos remissio peccatorum, nec intus peccatores peccata dimittunt,& tamen ab eis baptizati non rebaptizantur.

Ibidem,Cap.XVII.

Verum Baptismum etiã pessimi habent.

Patrem & Filium & Spiritum sanctum in Sacramento duntaxat habere omnes, qui Baptismo verbis Euangelicis consecrato baptizantur : in corde autem, & in vita nec illos habere,qui intus perditè & execrabiliter viuunt.

Cap.XXV.

In sacris idolorum multi baptizantur.

Cæterùm quis nesciat non esse Baptismum Christi, si verba Euangelica, quibus Symbolum constat, illic defuerint? Sed facilius inueniuntur hæretici qui omnino non baptizant, quàm qui illis verbis non baptizant. Ideóque dicimus non omne Baptisma (nam in multis idolorum sacrilegis sacris baptizari homines perhibẽtur)sed Baptismum Christi,id est,verbis Euangelicis consecratum, vbique eundem esse, nec hominum quorunlibet, & qualibet peruersitate violari.

Cap.XXVII.

Non probãdo Baptismo in malis.

Non est Baptismus hæreticorum,quem in hæreticis probamus, sicut non est Baptismus auarorum,inuidorum, quem probamus in eis, omnes quippe isti iniqui sunt. Sed iustus est

Christus, cuius in se Sacramentum, quod ad ipsum attinet, non violant, &c.

Libro VII. contra Donatistas,

Cap. XXXVI.

Manet vnum Baptisma si reuertatur.

Sic est vnum Baptisma in Ecclesia catholica, vt quum exinde aliqui exierint, in iis qui exeunt, non fiunt duo, sed idem vnum maneat. Quod ergo in redeuntibus agnoscitur, hoc & in eis qui à recedentibus acceperunt, quod illi quum recederent non amiserunt.

Cap. I.

Sacramenta possint dari iis qui non sunt in Ecclesia.

Ex quo apparet, & in eis esse posse, atque ab eis dari posse sacramẽtum Christi, qui non sunt in Ecclesia Christi, in qua non nisi vnanimes & concordes habitare Cyprianus ipse testatur. Neque enim saltem hoc dici potest, tunc baptizare posse quum latẽt: quoniam illi Paulum Apostolum non latebant, quos in Epistola sua veracissimus testis notat, & gaudere se dicit, quoniam & ipsi Christum annuntiabant. De iis quippe ait, Siue occasione, siue veritate Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. *Philip. 1.*

Eodem libro, Cap. IIII.

Qualiscunque sit qui dat aut recipit Baptisma Christi semper recipit, & dat Sacramẽtũ

Solet etiam quæri, vtrùm approbandum sit Baptisma, quod ab eo qui nõ accepit, accipitur, si fortè hoc curiositate aliqua didicit quẽadmodum dandũ sit. Et vtrũ nihil interfit, quo animo accipiat ille cui datur, cum simulatione, an sine simulatione. Si cum simulatione, vtrum fallens sicut in Ecclesia, vel in ea quæ putatur Ecclesia, an iocãs sicut in Mimo: & quid sit sceleratius, in Ecclesia fallaciter accipere, an in hæresi vel schismate sine fallacia, id est, animo non simulato. Et vtrùm in hæresi fallaciter, an in Mimo cum fide, si quisquam interagendum repentina pietate moueatur, quanquã talem, si etiam illi cõferamus, qui in ipsa Catholica fallaciter accipit, mirũ si dubitatur quis cui præferẽdus sit. Sed nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiæ, quæ nullo in catholico regionali Concilio cœpta, nullo plenario Cõcilio terminata sunt. Id autem sit cura securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi vniuersitatis Ecclesiæ consensione roboratũ est. Veruntamen si quis fortè in eo Cõcilio cõstitutum, vbi talium rerũ quæstio versaretur, nõ præcedẽtibus talibus, quorũ sententias sequi mallem, vrgeret vt dicerem quid ipse sentirẽ: si eo modo affectus essem, quo erã quũ ista dictarẽ, nequaquam dubitarem eos habere Baptismum, qui vbicunque & à quibuscunque illud verbis Euãgelicis conseçratũ, sine sua simulatione, & cũ aliqua fide accepissent: quãquam eis ad salutẽ spiritalẽ nõ prodesset, si charitate caruissẽt, qua catholicæ insererẽtur Ecclesiæ. Si enim habeam fidem, inquit, vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Sicut iam præteritis maiorum statutis, non dubito etiam illos habere Baptismũ, qui quanuis fallaciter id accipiant in Ecclesia, tamen accipiunt, vel vbi putatur esse Ecclesia, ab eis, in quorũ societate id accipitur, de quibus dictum est, Ex nobis exierunt. Vbi autem neque societas vlla esset ita credẽtium, neque ille qui ibi acciperet ita crederet: sed totum ludicrè & mimicè & ioculariter ageretur, vtrùm Baptismus, qui sic daretur, approbandus esset: diuinum iudicium, per alicuius reuelationis oraculum, concordi oratione, & impensis supplici deuotione gemitibus, implorandum esse censerem. Ita sanè vt post me dicturos sententias, ne quid iam exploratum & cognitum afferrent, humiliter exspectarem. Quãtò magis ergo nunc sine præiudicio diligentioris in quisitionis, vel maioris auctoritatis, istud dixisse accipiendus sum? 1. Corinth. 13.

Ad Vincentium Donatistam, Epistola XLVIII.

Sunt quidam qui Cyprianũ non eodem sensisse dicunt de anabaptismate, quæ à quibusdam illis imponuntur.

Cyprianum aliter sensisse de Baptismo quàm forma & consuetudo habebat Ecclesiæ, non in canonicis, sed in suis, & in Concilii literis inuenitur. Correxisse autem istam sentẽtiam non inuenitur. Non incõgruenter tamen de tali viro existimãdum est, quòd correxerit. & fortasse supressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt. Quanquam non desint qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendant: sed sub eius nomine à præsumptoribus atque mendacibus fuisse confictum. Neque enim sic potuit integritas atque notitia literarum vnius quanlibet illustris Episcopi custodiri, quemadmodum Scriptura canonica, tot linguarum literis, & ordine, ac successione celebrationis Ecclesiasticæ custoditur. Contra quam tamen non defuerunt, qui sub nominibus Apostolorum multa confingerẽt. frustra quidem: quia illa sic commendata, sic celebrata, sic nota.

Ad Eleusium, Glorium, & Felicem, Epistola CLXIII.

Catabaptista sceleratior quã homicida.

Reuera enim fieri potest, vt sceleratior sit rebaptizator totius hominis, quàm solius corporis interemptor.

Ad Maximinũ, Epistola CCIII.

Baptizari Catholicum, immanissimũ scelus est.

Noui enim quæ sit Ecclesia catholica. Gẽtes sunt hęreditas Christi, & possessio Christi termini terræ. Nostis & vos. Nam & si non nostis, aduertite: facillimè à volentibus sciri potest. Rebaptizare igitur hæreticum hominem qui hæc sanctitatis signa perceperit, quæ Christiana tradidit disciplina, omnino peccatum est. Rebaptizare autem catholicum, scelus est immanissimum, &c.

Ex libro expositionis Epistolæ ad Romanos inchoatæ.

Qui semel baptizati non sunt rebaptizandi.

Non enim possunt denuo baptizari, qui semel baptizati sunt, quanuis etiam post Baptismum per ignorãtiã veritatis peccauerint.

Ita

Ita fit, vt quoniam sine Baptismo nemo rectè dicitur scientiam accepisse veritatis, omnis qui accepit eam, non ei relinquatur pro peccatis sacrificium, hoc est, non possit denuo baptizari. Eos enim qui iam baptizati fuerint, curari melius dicimus per pœnitentiam non renouari: quia renouatio in Baptismo est. Ideóque remittentes, inquit, initio Christi verbum, in consummationē respiciamus, non iterum iacientes fundamentū pœnitentiæ à mortuis operibus, & fidei in Deum, lauacri doctrinæ, impositionis manus, resurrectionis mortuorum & iudicii æterni. Ista omnia in Baptismo traduntur, quæ negat esse repetēda, vtique in consecrandis fidelibus.

Hebr. 6.

Libro II. contra Epistolam Parmeniani, Cap. XIII.

Deus enim noster nō est dissensionis Deus, sed pacis: nec Ecclesiæ eius Sacramenta in eis qui ab Ecclesia recesserunt, sed ipsi qui recesserunt inimici sunt. Sicut autem habent in Baptismo, quod per eos dari possit: sic in ordinatione ius dandi: vtrunque quidem ad perniciem suam, quandiu charitatem non habent vnitatis. Sed tamen aliud est prorsus non habere, aliud pernicioſē habere, aliud salubriter habere. Quidquid non habetur dandum est cùm opus est dari: quod verò pernicioſē habetur, per correctionem, depulsa pernicie, agendum est, vt salubriter habeamus. quanquam etsi laicus aliqua pereuntis dederit necessitate compulsus, quod quum ipse acciperet, dandum esse addidicit, nescio an piè dixerit quispiam esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris vsurpatio est. Si autem necessitas vrgeat, aut nullum aut veniale delictum est. Sed & si nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quanuis rectè dici possit illicitè datum, &c.

1. Corinth. 14.

In necessitate laicus baptizare potest.

Libro I. contra literas Petiliani, Cap. III.

Bonum est confidere in Domino, quàm cōfidere in homine. Et maledictus omnis qui spē suam ponit in homine. spem baptizandorum auferunt à Domino Deo, & in homine ponendam esse persuadent. Vnde fit omnino vt non incerta, sed prorsus nulla sit salus: quia Domini est salus, & vana salus hominis. Itaque quisquis in homine spem posuerit, etiam quem iustum & innocētem nouit, maledictus est. Vnde & Apostolus Paulus eos qui dicebāt se Pauli esse, obiurgat, & dicit, Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?

Psalm 117. Hierem. 17. Non fidendum hominibus. Psal. 3, & 59.

1. Corinth. 1.

Libro I. contra Cresconium Grammaticum, Cap. XXXI.

Ab hæreticis veniente probate in Scripturis canonicis denuo baptizatum. Nam & nos proferimus Petro dictum. Qui lotus est semel, non opus habet iterum lauari. Sed etiā vos dicitis, Petrus non fuerat apud hæreticos baptizatus. Proinde quia nec vos potestis afferre de Scripturis, quarum nobis est communis auctoritas, ab hæreticis venientem denuo baptizatum, nec nos ita susceptum: quantùm ad hanc rem attinet, par nobis causa est.

Ioannis 13. Qui semel lotus est, non opus habet iterum lauari.

Libro III. contra eundem, Cap. V.

Siue à fideli, siue à perfido dispensatore, Sacramentum quisque percipiat, non sanctificat nisi Dominus.

Deus sanctificat, non minister.

Eodem libro, Cap. VIII, & IX.

Dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos, pascentes cum disciplina. Scio completum est: tales Apostoli fuerunt: tales etiam nūc, etsi pro Ecclesiæ latitudine perpauci, non tamen desunt. Sed quid etiam per Ezechielem Prophetam dicatur aduersus pastores malos, debuisti quærere, legere, cogitare. ibi enim dicit, Ego pascam, non pastores. Proinde quum per pastores bonos & pastores malos, verbum suum Sacramentúmque dispensat, ipse pascit, quia de ipso ait, Vt sit vnus grex, & vnus pastor. Bonum est enim confidere in Domino, quàm confidere in homine.

Hierem. 3. Pastores boni & mali.

Ezech 34.

Ioannis 10.

Psalm. 117.

Ex libro de vnico Baptismo contra Petilianum, Cap. II.

Sacrilegus non est, qui vnicum Baptismū, nō quod tuum, sed quod Christi est, iterare nō audet. Christi est enim vnica hominis in Baptismate consecratio, tua est autem vnici Baptismatis iteratio. Corrige in te quod tuū est, agnosce quod Christi est. Hoc enim iustum est vt cùm mala hominum reprobamus, quæcunque in illis bona Dei reperimus, approbemus.

Sanctificatio Christi est, quæ fit Baptismate.

Cap. VII.

Neque enim tantùm nihil eum adiuuant hæc Euāgelica testimonia, sed etiam causæ nostræ plurimū suffragātur. De Baptismo Ioannis agebatur, à quo baptizatos quosdam si baptizauit Apostolus, non vtique Ioannis Baptismum habentibus, iterum Ioannis Baptismum dedit: sed Christi Baptismum non habentes, baptizari iussit in Christo: ac per hoc neutrum destruxit, sed vtrunque distinxit.

Actorum 19. Distinctus Christi & Ioannis Baptismus.

Contra eundem, Cap. IX.

Ita quisquis extra Ecclesiam fuerit ab hæreticis vel schismaticis, tamen Christi Baptismate consecratus, quum ad Ecclesiam venerit, nō est negandū sacramētum veritatis, quo imbutus est: sed adiicienda est pietas vnitatis, à qua separat' est, & sine quo illud inesse illi possit, prodesse non possit. Hoc facimus, hoc à maioribus traditum accipimus, hoc in catholica Ecclesia, quæ toto orbe diffunditur, contra omnes falsitatis nebulas custodimus.

Pietas vnitatis communicanda, cum venerit, non iterato Baptismo.

Cap. XI.

Quid est ergo quod dicit, illic esse verū Baptisma vbi est vera fides? Prorsus fieri potest, vt aliqui verum habeant Baptisma, & non habeant veram fidem: sicut fieri potest, vt habeant verum Euangelium, quod non rectè

Vbi vera fides, ibi verum Baptisma, quomodo intelligendum.

intelligendo, falsi aliquid credãt de Deo. Nunquid propter ipsam fidei falsitatem, etiam Euãgelium, quod verum apud eos inuenitur, detestandum aut emendandum putabimus?

Cap. XIII.

Contra Catabaptistas. Ego autem, vt quod de hac re sentiam, breuiter dicã, rebaptizare hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris: rebaptizare autem Catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est diabolicæ præsumptionis.

Cap. XIIII.

Stephanus & Cyprianus Episcopi. Duo erãt eminentissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet & Carthaginensis Episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo ab vnitate catholica constituti. Quorum Stephanus Baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus grauiter succensebat. Cyprianus autẽ in hæresi vel schismate baptizatos, tanquam non habentes Baptismũ Christi, baptizandos in Ecclesia catholica existimabat. Multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebant: vtrique cum eis in vnitate sistentes. Si ergo verum est quod isti dicunt, & vnde causam suæ separationis asserere vel excusare conãtur, quod in vna cõmunione Sacramẽtorum mali maculant bonos: & ideo corporali disiunctione à malorum contagione recedẽdum est, ne omnes pariter pereant: iam nunc Stephani & Cypriani temporibus constat periisse Ecclesiam, nec posteris derelictam, vbi Donatus spiritaliter nasceretur.

Libro II. contra secundam Gaudentii Epistolam, Cap. IIII.

Lauacro regenerationis abluuntur peccata. Galienus autem noster, qui fuit aliquãdo vester, & alii quàm plurimi, q ex vobis ad nos, considerata catholica veritate transierunt, non ideo tibi videantur à vestra contagione non fuisse purgati, quia non sunt à nobis rebaptizati. Hi enim qui nõdum baptizati sunt, à peccatis omnibus in catholica Ecclesia lauacro regenerationis abluuntur: in eis autem qui hoc Sacramentum non ad auxilium, sed ad iudiciũ foris accipiũt: quia in desertore violamus characterem regium, fit illud quod scriptum est, Charitas cooperit multitudinem peccatorum. *1. Petri 4.*

In Euangelium Ioannis, Tractatu V.

Boni non præcludunt se ab Ecclesia, etiamsi errant. Tamen quid nobis solent dicere? Ecce post Ioãnem baptizatum est. Antequam enim quæstio ista bene tractaretur in Ecclesia catholica, multi in ea errauerunt, & magni & boni. sed quia de membris columbæ erant, non se præciderunt: & factum est in eis quod dicit Apostolus, Si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelauit. *Philippen. 3.*

Et post pauca ibidem.

Baptisma Christi das, ideo vt post te non baptizaretur. Post Ioannem ideo baptizatum est: quia Baptisma Christi non dabat, sed Baptisma suum: quia sic acceperat vt ipsius esset. Non ergo tu melior quàm Ioannes: sed Baptisma quod per te datur, melius quàm Ioannis. Ipsum enim Christi est: istud autem Ioannis. Et quod dabatur à Paulo, & quod dabatur à Petro, Christi est. Et quod datum est à Iuda, Christi erat. Dedit Iudas, & nõ baptizatum est post Iudam. Dedit Ioannes, & baptizatum est post Ioannẽ: quia quod datũ est à Iuda Christi erat Baptisma, quod autem à Ioanne datum est, Ioãnis erat. Non Iudam Ioanni, sed Baptismum Christi, etiam per Iudæ manus datum, Baptismo Ioannis etiam per manus Ioannis dato, rectè præponimus. Etenim dictum est de Domino antequam pateretur, Quia baptizabat plures quàm Ioannes. Deinde subiectum est, Quanuis ipse non baptizaret, sed discipuli eius. Ipse, & non ipse. Ipse potestate, illi ministerio. seruitutem ad baptizandum illi admouebant, potestas baptizandi in Christo permanebat.

Post pauca ibidem.

Matth. 11. Per malum ministrum potest dari baptismus. Cæterùm fratres mei, delirum est dicere, quia melioris meriti fuit, non dico Iudas, sed quilibet hominum, quàm ille de quo dictum est, In natis mulierum nemo surrexit maior Ioanne Baptista. Non ergo huic quisquã seruus: sed Baptisma Domini etiam per seruum malum datum, Baptismati etiam amici serui præponitur.

Libro de ver a & falsa pœnitentia, Cap. III.

Sicut semel Christus crucifixus est, sic baptismus iterandus non est. In signo enim crucis, quisque in aqua submergitur, & submersus, sepultus ostẽditur. Nõ enim qui lapsi fũt, per iteratũ Baptismum cõsequi veniam poterũt. Sicut enim semel Christus crucifixus est: sic Baptismus iterandus non est. Vna enim morte sua omnes redemit, vt amplius mori non oporteat. Quod videns Ecclesia, intellexit non iterandum Baptisma. Per fructus itaque pœnitẽtiæ baptizatis adhibetur spes veniæ. Nam filius qui receſſerat, à patre in regionem longinquam, susceptus est à patre per pœnitentiam confitentem. *Lucæ. 15.*

De fide ad Petrum, Cap. III.

Reuerso hæretico, non repetendus Baptismus Ergo ideo hæreticus debet ad Ecclesiam redire, non vt sacramentũ Baptismatis iterum accipiat, quod nemo debet in quolibet homine repetere baptizato: sed vt in catholica societate vitam æternam accipiat. Ad quam obtinendam, nunquam potest esse idoneus, qui cum sacramento Baptismatis, ab Ecclesia catholica remanserit alienus.

Ibidem, Cap. XXXVI.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, sacramentum Baptismatis, non solùm intra catholicam Ecclesiam, sed etiã apud hæreticos, qui in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizant, esse posse. Imò sicut intra Ecclesiam rectè credentibus, per sacramentum Baptismi conferri salutem, sic extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, eodem Baptismo accumulari pernicie. Tãtum enim valet Ecclesiasticę vnitas societatis ad salutem, vt Baptis-

Separati ab Ecclesia habent Baptismum in iudicium.

Baptismo non saluetur, cui ibi non datur, vbi oportet vt detur. Ineſſe tamen homini Baptiſmum, etiam extra Eccleſiam baptizato, ſed ad iudicium ineſſe ab Eccleſia ſeparato. Et quia manifeſtum eſt vbicunque datum fuerit hoc Baptiſma, ſemel eſſe dandum. Et ideo ſi ab hæreticis in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti fuerit datum, venerabiliter agnoſcendum: & ob hoc nullatenus iterandum. Saluator enim ait, Qui ſemel lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet. Ioan. 13.

De vera innocentia, Cap. CCCXXX.

Vna eſt natiuitas de terra, alia de cælo eſt: vna eſt de carne, alia de Spiritu: vna eſt de æternitate, alia de mortalitate: vna eſt de maſculo & fœmina, alia eſt de Deo & Eccleſia: & ipſę duæ ſingulares ſunt. Quomodo ergo vterus non poteſt repeti, ita nec Baptiſmus. Aquæ renaſcentia repeti non poteſt.

Lib. contra Petiliani Donatiſtæ epiſtolam, Cap. XIX.

Hæc ſine pertinacia conſiderantes atque cogitãtes, facilè poteſtis intelligere, id in quoquam corrigendum eſſe quod prauũ eſt: quod autem rectum eſt approbandum. Et hoc dandum eſſe quod deerit: quod autẽ inerit, agnoſcendum. Veniens itaque hæreticus, vt Catholicus fiat, erroręm corrigat proprium, non Chriſti violet Sacramẽtum. Accipiat vinculum pacis, quod non habebat, ſine quo illi prodeſſe non poterat Baptiſma, quod habebat. Vtrunque enim neceſſarium eſt ad regnum Dei adipiſcendum, & Baptiſmus & iuſtitia. Et in contẽptore quidẽ Baptiſmi Chriſti, nõ poteſt eſſe iuſtitia. Baptiſmus autẽ & in eo qui iuſtitiam non habet, poteſt eſſe: ſed non poteſt prodeſſe. Sicut enim veritas dixit, Si quis non renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cælorum: ita eadem veritas dixit, Niſi abundauerit iuſtitia veſtra ſuper Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum: vt nõ Baptiſmus ſolus, ſed etiam iuſtitia perducat ad regnum: cui autem vel vtrunque vel vnum defuerit, illuc peruenire non poſsit. Baptiſmus eſſe poteſt in eo qui nõ habet iuſtitiam.

Lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus, Cap. III.

Hæreticorum varia impietatum germina circa Baptiſma.

Neque enim credendum eſt eos fuiſſe baptizatos, qui non in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, iuxta regulam à Domino poſitã, tincti ſunt: vt ſunt Pauliani, Prodiani, Borburitæ, Siphori, qui nunc vocantur Bonoſiani, Fotiniani, Mõtani & Manichæi, variáque impietatis germina, vel cæteræ iſtorum originis ſiue ordinis peſtes, quæ duo principia ſibi ignota introducunt, vt Cerdon & Marcion: vel contraria, vt Manichæus: vel tria & barbara, vt Secianus & Theodoſius: vel multa, vt Valẽtinus: vel Chriſtum hominem fuiſſe abſque Deo, vt Cherinthus, Hebion, Arthemon & Fotinus. Ex iſtis certè, inquam, ſi qui ad nos venerint, non requirendum ab eis vtrùm baptizati ſint an non: ſed hoc tantùm, ſi credant Eccleſiæ fidem, & baptizentur Eccleſiaſtico Baptiſmate.

In Sermone quodam Dominicæ in octaua paſchæ, ad baptizatos.

Sed vos me audite, ô baptizati, audite me. Per ſanguinem Chriſti quo eſtis renati obſecro vos, per nomẽ quod ſuper vos inuocatum eſt, per illud altare ad quod acceſsiſtis, per Sacramenta, quæ accepiſtis, per iudiciũ futurum viuorum & mortuorum. Obſecro vos, obſtringo vos per nomen Ieſu Chriſti, vt non imitemini eos, quos infideles eſſe cognoſcitis: ſed illius Sacramentum maneat in vobis, qui de ligno deſcendere noluit, ſed voluit de ſepulchro reſurgere, AMEN. Hortatur ne imitentur infideles.

DE INFANTIVM BAPTISmate.

In Euangelium Ioannis, Tract. LXVII.

In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Proinde reſpuẽdi ſunt à corde Chriſtiano, qui putant ideo dictũ multas eſſe manſiones, quia extra regnum cælorũ erit aliquid, vbi maneant beati innocentes, qui ſine Baptiſmo ex hac vita emigrarunt, quia ſine illo in regnũ cęlorum intrare non potuerunt. Hæc fides nõ eſt fides, quoniam non eſt vera & catholica fides. Abſit, abſit, vt qui volunt habitare in regno cælorum, in hac ſtultitia velint habitare vobiſcum. Abſit, inquam, vt quum omnis domus regnantium filiorum non ſit alibi, niſi in regno ipſius, regiæ domus pars aliqua non ſit in regno, &c. Ioan. 14. In regno Dei ſunt domus regnatium filiorum.

De libero arbitrio, Lib. III. Cap. XXIII.

Quo loco etiam illud perſecutari homines ſolent, Baptiſmi Sacramentum Chriſti quid paruulis profit, quũ eo accepto plerunque moriuntur, priuſquam ex eo quidquã cognoſcere potuerunt. Qua in re ſatis piè rectéque creditur prodeſſe paruulo eorum fidem, à quibus conſecrandus offertur. Et hoc commendat Eccleſiæ ſaluberrima auctoritas, vt ex eo quiſque ſentiat quid ſibi profit fides ſua, quando in aliorum quoque beneficium, qui propriã nondum habent, poteſt aliena commodari. Quid enim in filio viduæ profuit fides ſua, quã vtique mortuus non habebat: cui tamen profuit matris vt reſurgeret? Quantò ergo potius fides aliena poteſt cõſulere paruulo, cui ſua perfidia non poteſt imputari? De cruciatibus autem corporis, quibus affliguntur paruuli, quorum per ætatem nulla peccata ſunt, ſi animæ quibus animantur, non priuſquam ipſi homines eſſe cœperunt, maior querela & quaſi miſericors deponi ſolet, quum dicitur, Quid mali fecerunt vt iſta paterentur? Quaſi poſsit eſſe innocentiæ meritum, antequam quiſquam aliquid nocere poſsit. Quum autẽ boni aliquid operatur Deus in emendatione maiorũ: quum paruulorum ſuorum, qui eis chari ſunt, dolo- Prodeſt aliena fides offerentium paruulos ad Baptiſmũ.

ribus ac mortibus flagellãtur, cur ista nũc fiãt, quando cùm transierint pro non factis erunt, in quibus facta sunt: propter quos autem facta sunt, aut meliores erũt, si temporalibus incommodis emendati rectius elegerint viuere, aut excusationem in futuri iudicii supplicio non habebunt, si vitæ huius angoribus ad æternam vitam desyderium conuertere noluerunt? Quis autẽ nouit quòd paruulis, de quorum cruciatibus, duritia maiorum contunditur, aut exercetur fides, aut misericordia probatur: quis ergo nouit quid ipsis paruulis in secreto iudiciorum suorum, bonæ compensationis reseruet Deus? Quoniã quanquam nihil rectè fecerint, tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt. Non enim frustra etiam infantes illos, qui cũ Dominꝰ noster Iesus Christus ab Herode necandus quæreretur, occisi sunt, in honore martyrum receptos commendat Ecclesia. quanquam isti calumnioſi, & talium quæstionum non studiosissimi examinatores, sed loquacissimi ventilatores, etiam de pecorum laboribus & doloribus, solẽt minus eruditorum solicitare fidem, &c.

In argumento libri de duabus animabus contra Manichæos.

Paruuli non voluntatu sed originis vti sunt.

Cur ergo, inquiunt Manichæi, peccatum dicitis paruulorum, quorum voluntatem non tenetis ream? Respondetur, Non eos proprietate voluntatis, sed origine reos teneri. Omnis enim homo terrenus quid est origine, nisi Adam? Porrò autem Adam habebat vtique volũtatem: cùm peccasset peccatum, per eum intrauit in mũdum.

Libro IIII. contra Donatistas de Baptismo, Cap. XXIII.

Luc. 23.

Matth. 3.

Quid autem valeat, & quid agat in homine corporaliter adhibita sanctificatio Sacramenti, sine qua tamen ille Latro non fuit, quia non eius accipiendæ voluntas defuit: sed non accipiendæ necessitas adfuit, difficile est dicere. Nisi tamen plurimum valeret, non serui Baptismum Dominus accepisset. Verũ quia per se ipsa consideranda est, excepta salute hominis, cui perficiendæ adhibetur, satis indicat, quòd & in malis, & in eis, qui seculo verbis non factis renuntiant, ipsa integra est: cùm illi nisi corrigantur, salutem habere non possũt. Sicut autẽ in Latrone, quia per necessitatem corporaliter Baptismus defuit, perfecta salus est, quia per pietatem spiritaliter adfuit, sic & quum ipsa præsto est, si per necessitatem desit quod Latroni adfuit, perficitur salus. Quod traditũ tenet vniuersitas Ecclesiæ, cùm paruuli infantes baptizantur, qui certè nondum possunt corde credere ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, quod Latro potuit. quinetiam flendo & vagiendo, cùm in eis mysterium celebratur, ipsis mysticis vocibus obstrepunt: & tamen nullus Christianorum dixerit eos inaniter baptizari.

Latroni spiritualiter adfuit baptismus per pietatem, cum corporaliter per necessitatem adesse non potuit

Roman. 10.

Cap. XXIIII. ibidem.

Exemplis demonstrat quid valeat Baptismus in paruulis.

Et si quisquam in hac re auctoritatem diuinam quærat: quanquã quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur: tamen veraciter coniicere possumus, quid valeat in paruulis Baptismi Sacramentum, ex Circũcisione carnis, quam prior populus accepit, quam priusquam acciperet, iustificatus est Abraham: sicut Cornelius etiam dono Spiritus sancti, priusquam baptizaretur, ditatus est. Dicit tamen Apostolus de ipso Abraham, Signum accepit Circũcisionis, signaculũ fidei iustitiæ, q iã corde crediderat ei, deputatũ illi erat ad iustitiam. Cur ergo ei præceptum est, vt omnẽ deinceps infantem masculum octauo die circumcideret, qui nondum corde poterat credere, vt ei deputaretur ad iustitiam, nisi quia & ipsum per seipsum Sacramentum multum valebat? Quod in filio Mosi per Angelum manifestatum est: qui quũ adhuc incircũcisus à matre ferretur, præsenti & euidenti periculo, vt circũcideretur, exactum est. & quum factum esset, depulsa est pernicies. Sicut ergo in Abraham præcessit fidei iustitia, & accessit Circuncisio, signaculum iustitiæ fidei: ita in Cornelio præcessit sanctificatio spiritalis in dono Spiritus sancti, & accessit Sacramẽtũ regenerationis in lauacro Baptismi. Et sicut in Isaac, qui octauo suæ natiuitatis die circuncisus est, præcessit signaculum iustitiæ fidei: & quoniam patris fidem imitatus est, secuta est in crescente ipsa iustitia, cuius signaculum in infante præcesserat: ita & in baptizatis infãtibus præcedit regenerationis Sacramẽtum: & si Christianam tenuerint pietatem, sequitur etiam in corde conuersio, cuius mysterium præcessit in corpore. Et sicut in illo Latrone, quod ex Baptismi Sacramẽto defuerat, cõpleuit Omnipotentis benignitas: quia non superbia vel contemptu, sed necessitate defuerat: sic in infantibus qui baptizati moriuntur, eadem gratia Omnipotentis implere credenda est, quod non ex impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad iustitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem. Ideo quum alii pro eis respondent, vt impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet vtique ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo qui respondere potest, alius respondeat, nõ itidem valet. Ex qua regula illud in Euangelio dictum est, quod omnes quum legitur, naturaliter mouet, AEtatem habet, ipse pro se loquatur.

Exod. 4.

Gene. 21. Roma. 4.

Ioan. 9.

Cap. XXV. ibidem.

Aliud est Baptismus, aliud conuersio cordis.

Quibus rebus omnibus ostenditur, aliud esse Sacramentum Baptismi, aliud conuersionem cordis: sed ad salutem hominis ex vtroq; compleri. Nec si vnum horum defuerit, ideo putare debemus consequẽs esse, vt & alterum desit: quia & illud sine isto potest esse in infante

Gen. 15. Actor. 10. Rom. 4.

te

te: & hoc sine illo potuit esse in Latrone, complente Deo siue in illo siue in isto, quod non ex voluntate defuisset. Quum verò ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominē inuoluit. Et Baptismus quidē potest inesse, vbi conuersio cordis defuerit. Conuersio autem cordis potest quidem inesse non percepto Baptismo, sed contempto Baptismo non potest. Neque enim vllo modo dicēda est conuersio cordis ad Deum, quum Dei Sacramentum contemnitur. Iustè igitur reprehendimus, anathematizamus, detestamur, abominamur peruersitatem cordis hæreticorum. Sacramentum tamen Euangelicū non ideo non habēt: quia per quod vtile est non habent. Quapropter cùm ad fidem & veritatem veniunt, & agentes pœnitentiam remitti sibi peccata deposcunt, non eos decipimus neque fallimus, quū correctos à nobis ac reformatos in eo quo deprauati atque peruersi sunt, ad regnum cælorum sic disciplinis cælestibus erudimus, vt quod in eis integrum est nullo modo violemus: nec propter hominis vitium, si quid in homine Dei est, vel nullum vel vitiosum esse dicamus.

Lib. X. de Genesi ad literam, Cap. XXIII.

Apostolica traditio est infantes baptizare.

Consuetudo matris Ecclesiæ in baptizandis paruulis nequaquam spernenda est, neque vllo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio. Habet enim & illa paruæ ætas magnū testimonii pondus, quæ prima meruit pro Christo sanguinē fundere.

Matth. 2.

Lib. XXI. de ciuitate Dei, Cap. XIII.

Ecclesiast. 40 Paruuli a peccato originali per Baptismū absoluti.

Quod scriptum est, Graue iugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorū, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium: vsqueadeo impleri necesse est, vt ipsi paruuli per lauacrum regenerationis, ab originalis peccati, quo solo tenebantur, vinculo iam soluti, mala multa patientes, nonnulli etiam incursus spirituum malignorum aliquando patiantur. Quæ quidem passio absit vt eis obsit, si hanc vitam in illa ætate, etiam ipsa passione ingrauescente, & animā de corpore excludente finierint.

Lib. XXII. Cap. XXII.

Satan vexat & paruulos baptizatos.

Contra milleformes dæmonum incursus, quis innocentia sua fidit? Quandoquidem ne quis fideret, etiam paruulos baptizatos, quibus certè nihil est innocentius, aliquando sic vexant, vt in eis (maximè Deo sinente) ita monstretur huius vitæ flenda calamitas, & alterius desyderanda felicitas.

Ex lib. solutionū Quæst. Hilarii, Quæst. II.

Quòd autem dicunt infantem morte præuentum, non baptizatū, perire non posse, quoniam sine peccato nascitur: non hoc dicit Apostolus, & arbitror esse melius, vt Apostolo potius quàm illis credamus. Dicit enim ille Doctor Gentium, in quo Christus loquebatur, Per vnum hominem peccatū intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Et paulò pòst dicit, Nam iudicium quidem ex vno delicto in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Proinde isti, quem fortè inuenerint infantem, non ex vllius hominis concupiscentia procreatum, ipsum dicāt illi damnationi nō esse obnoxium, nec per Christi gratiam ab illa damnatione esse liberandum. Quid est enim, Ex vno delicto in condemnationem, nisi illo delicto quo deliquit Adam? Et quid est, Ex multis delictis in iustificationem: nisi quia Christi gratia non solùm illud delictum soluit, quo obstringuntur infantes ex illo vno homine procreati: sed etiā multa delicta, quæ quum creuerint homines, addunt malis moribus suis? Tamen & illud vnum, quo est obligata propago carnalis, quæ ab illo primo homine originem ducit, sufficere dicit ad condemnationem. Ideo non est superfluus Baptismus puerorum, vt qui per generationem illi condemnationi obligati sunt, per regenerationē liberentur. Et sicut non inuenitur homo, qui ab eadem condemnatione soluatur: sic non inuenitur homo, qui præter Christum spiritaliter regeneretur. Carnalis autem generatio, delicto illi vni & damnationi eius obnoxia est. Spiritalis verò regeneratio, non solùm illud vnum propter quod baptizantur infantes, sed multa delicta facit aboleri, quæ homines malè viuendo ad illud in quo generati sunt, addiderunt.

Baptismus puerorum non est superfluus.

De hæresibus, ad Quoduultdeum, Cap. LXXXVIII.

Hæretici Pelagiani negant peccatum originale.

Pelagiani paruulos negant secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima natiuitate cōtrahere. Sic enim eos sine vllo peccati originalis vinculo asserunt nasci, vt prorsus non sit quod de eis oporteat secunda natiuitate dimitti: sed eos propterea baptizari, vt regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati: non ista renouatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti. Nam etiamsi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidē Dei, sed tamen æternam & beatam quandam vitam suam.

Eodem lib. XLVII. loco.

Hieracitarū error.

Hierachitæ, quorū auctor Hieracha nuncupatur, resurrectionē carnis negant: monachos tantùm & monachas & coniugia non habentes in communionem recipiunt. Ad regnum cælorum non pertinere paruulos dicunt: quia non sint eis merita vlla certaminis, quo vitia superentur.

Lib. V. contra Pelagianos Hyponost.

Luc. 19.

Sinite itaque paruulos venire ad Christum vitam, vt eis perditā per Adam medicina sua

redonet vitam. Venit enim non inaniter quęrere & saluare quod perierat. Vos videbat præscientia sua futuros hæreticos, vósque notabat in Apostolis suis, dicens, Sinite infãtes venire ad me, & nolite eos prohibere: talium est enim regnum cælorum. Talium ad comparationem videlicet venientium ad se dixit, non omnium paruulorum generaliter, etiã & qui in eo renati non sunt. Ideo inquit, Sinite paruulos venire ad me, id est, nolite eos credere me non indigere. non enim possunt venire in regnum Patris mei, nisi per me. Denique ait, Ego sum via, veritas & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Quinimò in remissionem baptizantur & paruuli: alioquin non habent in regnum cælorum vitam. Dimittitur eis regeneratione spiritali, quod traxerunt (vt sæpe dixi) ex Adam generatione carnali.

Luc. 18.

Ioan. 14. Psalm. 115. Regeneratione spirituali dimittitur paruulis quod traxerunt ex Adam.

In lib. de fide ad Pet. diac. Cap. XXVII.

Firmissimè tene & nullatenus dubites, nõ solùm homines iam ratione vtẽtes, verũetiam paruulos, qui siue in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur, siue cum de matrib⁹ nati, sine Sacramẽto sãcti Baptismatis, q datur in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, de hoc seculo trãseunt, ignis ęterni sẽpiterno supplicio puniẽdos: quia etsi ꝓprię actionis peccatum nullũ habuerunt, originalis tamẽ peccati dãnationem carnali conceptione traxerunt & natiuitate.

Paruuli qui sine baptismate decedunt, damnantur, rei peccati originalis.

Lib. de Spiritu & Anima, Cap. XIII.

Vnde si aliqui sub peccato geniti paruuli obeunt absque remedio salutari, pertimesce iustitiam Dei, qui nihil debet alicui, sed damnat in singulis malum, quod nõ fecit in eis. Si autem paruulos renouat sacramentis, admirare misericordiam Dei. Ipsi enim sicut nesciũt culpam, cum qua ex carne nascuntur, sic nesciunt gratiam, qua per Christum renouantur. Non excusat paruulos à culpa, quia eam non norunt: nec excludit gratiam ab eis, quia eam nesciunt. Quæris in eis culpam: inuenis ex carne traductam. Quæris in eis gratiam: inuenis à Deo collatam.

Ignorãtia non excusat paruulos.

De Ecclesiast. dogmat. Cap. XXXIIII.

Quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidẽ peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adã trahere originalis peccati, quod lauacro regenerationis expietur: vnde fit consequẽs, vt in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertrãsiit, in quo omnes peccauerunt: nisi quemadmodũ catholica Ecclesia vbique diffusa sẽper intellexit. Propter hãc enim fidei regulam etiam paruuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc cõmittere potuerũt, ideo in peccatorũ remissionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

Anathema est, qui negat in paruulis esse peccata originis. Roma. 5.

Lib. II. de bono perseuerantiæ, Cap. XII.

Non est apud Deum personarum respectus.

Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subuenire, illis autem non subuenire, quum sit vtriusque causa communis: aut res humanas in paruulis, non diuina prouidentia, sed fortuitis agi casibus opinabimur, quum rationales vel damnandæ vel liberandæ sint animæ: quãdoquidem nec passer cadit in terram sine volũtate Patris nostri qui in cælis est. Aut parentum negligentiæ sic tribuẽdum est, quòd paruuli sine Baptismo moriuntur: vt nihil ibi agant superna iudicia, tanquam ipsi qui hoc modo malè moriuntur, parentes sibi negligentes voluntate propria, de quibus nascerentur, elegerint. Quid dicã, quòd paruulus aliquando, antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit, expirat? Plerunque enim festinantibus parentibus & paratis ministris, vt Baptismus paruulo detur, Deo tamen nolẽte nõ datur, qui eum paruulum in hac vita non tenuit vt daretur. Quid etiam quòd aliquando paruulis infidelium filiis potuit ne irent in perditionem, & filiis fidelium non potuit Baptismate subueniri? Vbi certè ostẽditur, quòd personarum apud Deum nõ sit acceptio: alioqui cultorum suorum potius quàm inimicorum filios liberaret.

De Verbis Apostoli, Sermone VII.

Mortui in Adam opus habent vnificatione Christi.

Ecce infantes in suis vtique operibus innocentes sunt, nihil secum, nisi quod de primo homine traxerunt, habẽtes: quibus propterea est Christi gratia necessaria, vt in Christo viui ficẽtur, qui in Adã mortui sunt: vt quia inquinati sũt generatione, purgẽtur regeneratione.

Item Sermone VI. in octaua Paschæ.

Fideiussores seu Baptismatis susceptores admonere debent spirituales filios.

Hoc itaque admoneo, fratres dilectissimi, vt quoties paschalis solennitas venit, quicunque viri, quæcunque mulieres de sacro fonte filios spiritaliter exceperunt, cognoscant se pro ipsis fideiussores apud Deum extitisse. Et ideo semper illis solicitudinem veræ charitatis impendant, & admoneãt vt castitatẽ custodiant, virginitatem vsque ad nuptias seruent, à maledicto vel periurio linguam refrenent, cantica turpia vel luxuriosa ex ore non proferant, non superbiant, non inuideant, iracundiam vel odium in corde non tenent, auguria non obseruẽt, phylacteria & characteres diabolicos nec sibi nec suis aliquando suspendant, incantatores velut ministros diaboli fugiant, fidem catholicam teneant, ad Ecclesiam frequentius currant, cõtempta verbositate lectiones diuinas attentis auribus audiant, peregrinos suscipiant, & secundum quod ipsis in Baptismo dictum est, hospitum pedes lauent, pacem & ipsi teneant, discordes ad concordiam reuocare contendant, sacerdotibus & parentibus honorem amore veræ charitatis impendant. Hæc ergo

go omnia & hæc similia, si filios & filias vestras admonere contenditis, quum ipsis ad æternam beatitudinem feliciter peruenietis.

In Sermone quodam de Christiano nomine, Dominica X. post Trinita.

Quos de fonte excipimus, castigare vt veros filios debemus

Et ideo, fratres, tam illos qui de vobis nati sunt, quàm illos quos de fonte excipitis, semper castigate atque corrigite, vt castè & iustè & sobriè viuant: & vosipsi ita agite, vt si vos filii vestri imitari voluerint, non vobiscum in igne ardeant: sed simul vobiscum ad prœmia æterna perueniant.

De verbis Apost. Serm. de Baptis. paruulorum contra Pelagi. Cap. XIIII.

Solicitos autem nos facit, non ipsa sententia iam olim in Ecclesia catholica summa auctoritate fundata: sed disputationes quorundam, quæ modò crebrescere & multorum animos euertere moliuntur. Fratres enim nostri sunt, permoti sunt profunditate quæstionis: sed regi debuerunt gubernaculo auctoritatis. *Actu. 4.* Non enim est aliud nomen sub cælo, in quo oportet saluos fieri omnes pusillos cum magnis. Si autẽ saluos fieri oportet in hoc nomine, sine hoc nomine proculdubio nec salus erit, quæ sine Christo promittitur paruulis. Pace eorũ dicam, Qui cuiquam salutem promittit *Sine Christo non est salus.* sine Christo, nescio vtrùm ipse salutem habere in Christo possit.

Ibidem.

Inter credentes igitur baptizatos paruulos numerabis, nec iudicare vllo modo aliter audebis, si non vis esse apertus hæreticus. Ergo ideo habent vitam æternam: quia qui credit in Filium, habet vitam æternam. *Ioan. 3.* Nolo eis *Sine fide & Baptismate nemo saluatur.* sine ista fide, vel sine isto Sacramẽto fidei, promittere vitam æternam.

Et post pauca.

Proinde nemo nos fallat. Scriptura euidẽs est, auctoritas fundatissima est, fides catholicissima est. Omnis generatus, damnatus: nemo *Nemo liberatur nisi regeneratus.* liberatus, nisi regeneratus. vnde & alteri versutiæ illorum iam vos instructi, respõdete charissimi. Quando dicunt & paruulos turbant, Si de peccatore peccatores nati sunt: quare non de baptizato iã fideli, cui remissa sunt omnia peccata, iusti nascuntur? Citò respõdete, Ideo de baptizato non iustus nascitur: quia non eũ generat vnde regeneratus est, sed vnde generatus est. Carnalis est certè ista generatio, & carnalis est Circũcisio: & tamen de circunciso non nascitur circunciſus. Sic ergo de baptizato non potest nasci baptizatus: quia nemo renatus antequam natus.

Post pauca ibidem.

Sed absit vt ego dicam, non credentes infantes. Iã superius disputaui, Credit in altero, qui peccauit in altero. Dicitur credit, & valet, & inter fideles baptizatos computatur. Hoc habet auctoritas matris Ecclesiæ, hoc fundatus veritatis obtinet Canõ. Cõtra hoc robur, contra hũc inexpugnabilem murum, quisquis arietat, ipse confringitur. Ergo prodest Chri- *Christus infantibus fidelibus prodest.* stus aliquid infantibus baptizatis: & sicut ego doceo, & sicut mecum tota Ecclesia dicit, credentibus prodest, fidelibus prodest.

In eodem Sermone.

Si baptizatis infantibus credentibus dicis Christum aliquid prodesse, bene dicis, mecum dicis. Credũt & infantes. Vnde credunt? Fide *Credunt filij fide parentum.* parentum. Si fide parentum purgantur, peccato parentum polluti sunt. Corpus mortis in primis parentibus generauit eos peccatores, spiritus vitæ in posterioribus parẽtibus regenerauit eos fideles. Tu das fidem non respondenti, & ego peccatum nihil agenti.

Et iterum post pauca ibidem.

Interrogatus est Cyprianus, vtrùm infans baptizari debeat ante octauam diem: quia in veteri Lege non licebat circuncidi infantem, *Gene. 7.* nisi octauo die. Dixit sanctus Cyprianus inter cætera, Propterquod neminem putamus ad gratiam cõsequendam impingẽdum esse à Lege quæ iam statuta est, nec spiritalem Circuncisionem impediri carnali Circũcisione debere: sed omnem omnino admittendum esse ad gratiam Christi, quando & Petrus in Actibus *Actu. 10.* Apostolorum loquatur & dicat, Deus mihi dixit, neminem hominem communem dicendum & immũdum. Cæterùm si homines impedire aliquid ad cõsequutionem gratiæ possit, *Nihil impedit pueros à gratia Christi.* magis adultos & prouectos & maiores natu possint impedire grauiora peccata. Porrò autem etiam grauissimis delictoribus, & in Domino multum antè peccantibus, quum postea crediderunt, remissio peccatorum datur, & à Baptismo & gratia nemo prohibetur. Quãtò magis non debet prohiberi infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quòd secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima natiuitate contraxit, qui ad remissa peccatorum accipienda hoc ipso facilius accedit, quòd illi dimittuntur non propria, sed alie na peccata? &c.

Et iterum post pauca.

Fundata ista res est, ferendus est disputator errans in aliis quæstionibus non bene dige stis, nondum plena Ecclesiæ auctoritate firmatis. Ibi ferendus est error: non tantùm progredi debet, vt etiam ipsum fundamentum Ecclesiæ quatere moliatur. Ecclesiæ sanctæ, pro re- *Propter peccatum originis paruuli quotidie baptizãtur* missione peccati originalis paruulorum quotidie laboranti, non contradicant.

In Psalmum L.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, *Psalm. 50.* &c. Nunquid Dauid de adulterio natus erat? *1. Regum 16.* De Iesse viro iusto & cõiuge ipsius. Quid est, quòd se dicit in iniquitate conceptũ, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam? Etiam ipsum vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum est. Nemo nascitur nisi trahens pœnam, trahẽs meritum pœnæ. Dicit & alio loco Propheta,

Iob.15. Nemo mundus in conſpectu tuo, nec infans cuius eſt vnius diei vita ſuper terram. Nouimus enim ex Baptiſmo Chriſti ſolui peccata, & Baptiſma Chriſti valere ad remiſsionẽ peccatorum. Si infantes omnino innocẽtes ſunt, cur matres ad Eccleſiã cum lãguentibus currunt? Quid illo Baptiſmo, quid illa remiſsione dimittitur? Innocentẽ magis video flentem quàm iraſcentem. Quid diluit Baptiſmus? Quid ſoluit illa gratia? Soluitur propago peccati: quia ſi loqui tibi poſſet ille infans, diceret, & ſi iam intellectum haberet, quem habebat Dauid, reſponderet tibi, Quid me attendis inſontem? Nunquid vides facinora mea? Sed ego in iniquitate cõceptus ſum, & in peccatis me mater mea in vtero aluit. Præter hoc vinculum concupiſcentiæ carnalis, natus eſt Chriſtus ſine maſculo, ex Virgine concipiente de Spiritu ſancto. Erat enim & Dominus mortalis: ſed non de peccato ſuſcepit pœnam noſtram, & ideo ſoluit culpam noſtram. Meritò ergo in Adam omnes moriuntur, in Chriſto autem omnes viuificantur. Per vnum hominem enim, ait Apoſtolus, peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertrãſiit, in quo omnes peccauerunt. Definita eſt ſententia, In Adam, inquit, omnes peccauerunt. Solus iſte infans potuit, qui de opere in Adam nõ eſt natus, &c.

Infantes baptizandi propter originale peccatum.

1.Corint.15.

Roman.5.

Ad Bonifacium, Epiſtola XXV.

Tanta illius Sacramenti, hoc eſt, Baptiſmi ſalutaris eſt virtus in ſancta compage corporis Chriſti, vt ſemel generatus per aliorum carnalem voluptatem, cùm ſemel regeneratus fuerit per aliorum ſpiritalẽ voluntatẽ: deinceps nõ poſsit vinculo alienę iniquitatis obſtringi, cui nulla ſine volũtate cõſẽtit. Et anima enim patris mea eſt, inquit, & anima filii mea eſt.

Ezech.18.

DE INFANTIVM BAptiſmate & peccato originali.

Ibidem poſt pauca.

Vt autem poſsit regenerari infans per offi cium volũtatis alienæ, cùm offertur cõſecrandus, facit hoc vnus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus. Non enim ſcriptum eſt, Niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium aut miniſtrantium fide: ſed, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu. Aqua igitur exhibens forinſecus ſacramẽtum gratiæ & Spiritus operãs intrinſecus beneficium gratiæ, ſoluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerat hominem in vno Chriſto, ex vno Adam generatum. Regenerans ergo Spiritus in maioribus offerentibus, & paruulo renato & oblato communis eſt. Ideo per hanc ſocietatem vnius eiuſdémque Spiritus, prodeſt offerẽtium voluntas paruulo oblato.

Infantes quod regenerantur per oblationem voluntatis alienæ facit hoc vnus atque idem Spiritus.

Ioan.3.

In eadem Epiſtola.

Offeruntur quippe paruuli ad percipiendum ſpiritalem gratiã, nõ tam ab eis quorum geſtantur manibus:: quãuis & ab ipſis, ſi & ipſi boni fideles ſunt, quàm ab vniuerſa ſocietate Sanctorum atque fidelium. Ab omnibus nanque offerri rectè intelliguntur, quibus placet quòd offeruntur, & quorum ſancta atque indiuidua charitate ad communicationem ſancti Spiritus adiuuantur. Tota hoc ergo mater Eccleſia, quæ in Sãctis eſt, facit: quia tota omnes, tota ſingulos parit, &c.

Sub finem eiuſdem Epiſtolæ.

Sacramentum fidei, fides eſt ſecundũ quendam modum. Nihil eſt autem aliud credere, quàm fidem habere. Ac per hoc, quum reſpondetur paruulum credere, qui fidei nondum habet affectum: reſpondetur fidem habere, propter fidei ſacramentum, & conuertere ſe ad Deum propter conuerſionis ſacramentum: quia & ipſa reſponſio ad celebrationem pertinet Sacramenti. Sicut de ipſo Baptiſmo Apoſtolus ait, Conſepulti (inquit) ſumus Chriſto per Baptiſmum in mortem. Non ait, Sepulturam ſignificauimus: ſed prorſus ait, Conſepulti ſumus. Sacramẽtum ergo tantæ rei, non niſi eiuſdem rei vocabulo nuncupauit. Itaque paruulum, etſi nõdum fides illa quæ in credentium voluntate conſiſtit, iam tamen ipſius fidei ſacramentum fidelem facit. Nam ſicut credere reſpondetur, ita etiam fidelis vocatur: nõ rem ipſa mente annuẽdo, ſed ipſius rei Sacramentum percipiendo. Quum autem homo ſapere cœperit, non illud Sacramentum repetit, ſed intelligit, eiúſque veritati conſona etiam voluntate coaptabitur. Hoc quandiu non poteſt, valebit Sacramentum ad eius tutelam aduerſus contrarias poteſtates, & tãtum valebit, vt ſi ante rationis vſum ex hac vita emigrauerit, per ipſum Sacramentum commendãte Eccleſiæ charitate, ab illa condemnatione quæ per vnum hominem intrauit in mũdum, Chriſtiano adiutorio liberetur. Hoc qui non credit, & fieri non poſſe arbitratur, profectò infidelis eſt, etſi habeat fidei ſacramẽtum. Longéque melior eſt ille paruulus, qui etiamſi fidem nondũ habeat in cogitatione: nõ ei tamẽ obicem contrariæ cogitationis opponit: vnde Sacramentum eius ſalubriter percipit, &c.

Paruuli fidem habent propter fidei ſacramẽtum.

Rom.6.

Ad Hieronymum, Epiſtola XXVIII.

Quiſquis dixerit quòd in Chriſto etiam viuificabuntur paruuli, qui ſine Sacramenti eius participatione de vita exeunt: hic profectò & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, vbi propterea pro baptizandis paruulis feſtinatur & curritur: quia ſine dubio creditur aliter eos in Chriſto viuificari omnino non poſſe. Qui autem nõ viuificatur in Chriſto, reſtat vt in eadẽ damnatione maneat, de qua dicit Apoſtolus, Per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem. Cui delicto obnoxios paruulos naſci, omnis credit Eccleſia, &c.

Totam cõdemnat Eccleſiam qui infantes ſine Baptiſmo decedentes ſaluos fieri autumat.

Ad Sixtum Ro. Ponti. Epiſt. CV.

Vt ergo alia omittam, hoc de paruulis ſolùm

Iùm dicam, quòd Pelagiani quoque auctoritate Euangelica territi, vel potius Christianorũ populorum cõcordissima fidei conspiratione perfracti, sine vlla excusatione cõcedũt, quod nullus paruulus, nisi renatus ex aqua & Spiritu, intrat in regnum cælorũ. Quã quæso allaturi sunt causam, quòd alius sic gubernatur, vt baptizatus hinc exeat, alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium, priusquam ab eis baptizandus offeratur, expirat? An hoc fato vel fortunę daturi sunt? Non opinor eos in tantam dementiam prodituros, quãtuluncunque nomen Christianum tenere cupiẽtes. Cur ergo in regnum cælorum, non accepto regenerationis lauacro, paruulus nullus intrabit? Nunquidnam ipse sibi parentes infideles vel negligentes, de quibus nasceretur, elegit? Quid dicam de inopinatis vel repentinis innumerabilibus mortibus, quibus sæpe etiam religiosorum Christianorum præueniũtur infantes, & Baptismo præripiuntur: cùm econtrario sacrilegorum & inimicorum Christi, aliquo modo in Christianorum manus veniẽtes, ex hac vita, nõ sine sacramẽto regenerationis emigrent? Quid hinc dicturi sunt, qui vt gratia dari possit, nonnulla præcedere merita humana cõtendunt, nè sit personarũ acceptor Deus? Quæ tandẽ hìc merita præcesserunt? Si eorũdẽ cogitaueris paruulorũ, nulla sunt propria: vtrisque est illa massa cõmunis. Si parentum attẽderis, bona sunt illa, quorũ filii repentinis mortibus sine Christi Baptismate perierunt. Mala verò illa, quorũ filii per Christianorum aliquã potestatem, ad sacramẽta Ecclesiæ peruenerunt. Et cur prouidentia Dei, cui nostri capilli numerati sunt, sine cuius voluntate non cadit passer in terram, quę nec fato premitur, nec fortuitis casibus impeditur, nec vlla iniquitate corrumpitur, vt renascantur ad hæreditatem cælestem, non cõsulit omnibus paruulis filiorũ suorum: & nõnullis cõsulit etiam paruulis impiorum? Iste infãs, de fidelibus coniugatis ortus, lætitia parentum susceptus, matris vel nutricis sõnolentia suffocatus, fit exterus & expers suorum fidei. Ille infans de sacrilego stupro nascitur, crudeli timore matris exponitur, alienorum misericordi pietate colligitur, eorum Christiana solicitudine baptizatur, fit ęterni cõsors & particeps regni. Ista cogitent, ista considerent. Hinc audeant dicere Deum vel acceptorem in sua gratia personarum, vel remuneratorem præcedentiũ meritorũ. Nã & si conabuntur maioris ætatis aliqua merita suspicari, seu bona seu mala, quid de istis infãtibus dicẽt, quorũ nec iste sibi vllis ꝓpriis meritis malis acquisiuit violentiam suffocãtis, nec bonis illi diligẽtiam baptizãtis? Nimiæ vanitatis & cæcitatis sunt, si etiam iis cõsideratis nondum dignantur exclamare nobiscũ, O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Non itaque misericordiæ gratuitæ Dei pertinacissima aduersẽtur insania. Sinãt Filiũ hominis, in qualibet ætate quærere & saluum facere quod perierat: nec de inscrutabilibus iudiciis eius audeãt iudicare, cur in vna eadémque causa, super alium venit misericordia eius, super alium maneat ira eius, &c.

Infantes baptismi regeneratione in regnũ cælorũ introire non possunt.

Matth. 10.

Roman. 11.

Cõtra Dei gratiam impiũ & merita iactantes.

Ad eundem in eadem Epistola.

Quis est enim tam vecors, qui ea neget per Baptismum posse dimitti, quæ sine Baptismo dicit posse puniri? Sed disputãdo aduersus eos qui vsquequaque conuicti, etiam non commissorum peccatorum Deum persuadere moliuntur vltorẽ: verendum est ne nos in eos ista fingere existimemur. Illi autem nullo modo tam hebetes esse credantur, vt hæc vel sentiant, vel cuiquam persuadere conentur. Veruntamen nisi eos hæc dicere audissem, refellenda esse nõ arbitrarer. Circunstipantur enim & diuinarũ auctoritate lectionum, & antiquitus tradito & retento firmo Ecclesiæ ritu in Baptismate paruulorum, vbi apertissimè demonstrantur infantes, & quum exorcizantur, & quum eis per eos à quibus gestantur, renuntiare respondent à diaboli dominatione liberari: & nõ inuenientes quâ exeant, pergunt in præcipitem stultitiam, dum nolunt mutare sententiam. Illud sanè sibi vidẽtur acutissimè dicere, Quomodo peccatum trãsit in filios fidelium, quod in parentibus non dubitamus dimissum esse per Baptismum? Quasi propterea possit non habere generatio carnalis, quod sola tollit regeneratio spiritalis. Aut verò in Baptismo cõcupiscentiæ carnis infirmitas continuò sanetur, sicut cõtinuò reatus eius aboletur, sed gratia renascendi, non conditione nascendi. Vnde quisquis per hanc concupiscentiam, etiam de renato nascitur, sine dubitatione oberit nato, nisi & ipse similiter renascatur, &c.

Renatorum filius obest originale peccatum nisi per Baptismũ remittatur.

Lib. III. cõtra Cresconium Gramma. Cap. X.

Et Iudæis, inquis, à Moyse baptizatis Petr⁹ dixit, Pœnitemini, & baptizetur vnusquisque vestrùm in nomine Iesu Christi. Si propterea iam baptizati erant Iudæi, quia Moyses per mare rubrum ante tam longum tempus parentes eorum baptizauerat: qui de Christianis baptizatis nascũtur, sine causa hodie baptizantur. Et tamen dicis ista & scribis ista, audiris & legeris, & putaris respondere literis nostris, quasi hoc sit respondere potuisse, quod est tacere noluisse.

Actorum 2. Exod. 14.

1. Corinth. 10. Iudæi ꝓ Moysem in mari rubro baptizati.

Lib. de natura & gratia cõtra Pelagianos, Cap. IIII.

Hæc igitur Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes salui fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur: propter quod gratia nominatur. Iustificati (inquit) gratis per sanguinẽ illius. Vnde ii qui non per illam liberantur, siue qui audire nondum potuerunt, siue quia obedire noluerunt, siue etiã

Gratia Christi gratis datur.

quum per ætatem audire non possent, lauacrũ regenerationis quod accipere possẽt, per quod salui fierent, non acceperunt, iustè vtique damnantur: quia sine peccato non sunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis moribus addiderunt. Omnes enim peccauerũt, siue in Adam siue in semetipsis, & egẽt gloria Dei.

Eodem lib. Cap. VIII.

Ego autem dico, paruulum natum in eo loco vbi ei non potuit per Christi Baptismum subueniri, morte præuentũ, idcirco talem fuisse, id est, sine lauacro regenerationis exisse: quia esse aliud non potuit. Absoluat ergo eum & aperiat ei contra sententiam Domini regnũ cælorum. Sed non eum absoluit Apostolus, qui ait, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Rectè ergo ea damnatione, quæ per vniuersam massam currit, non admittitur in regnum cælorum: quanuis Christianus non solùm non fuerit, sed nec esse potuerit.

Ioan. 3.

Rom. 5. Non baptizat' non absoluta est.

Lib. I. de peccatorum meritis & remissione, Cap. XVI.

Potest proinde rectè dici, paruulos sine Baptismo de corpore exeuntes, in damnationem omnium mitissimam futuros. Multum autem fallit & fallitur, qui eos in damnationem prædicat non futuros, & dicente Apostolo, Iudicium ex vno delicto in condemnationem. Et paulò pòst, Per vnius delictum in omnes homines ad cõdemnationem. Quando ergo peccauit Adam non obediẽs Deo, tunc eius corpus, quanuis esset animale atque mortale, gratiam perdidit, qua eius animæ omni ex parte obediebat. *In eodem post pauca.*

Non baptizati paruuli damnabuntur.

Rom. 5.

Sic itaque impletũ est quod dixerat Deus, Qua die ederitis, morte moriemini. Ex hac igitur inobedientia carnis, ex hac lege peccati & mortis quisquis carnaliter generatur, regenerari spiritaliter opus habet: vt non solùm ad regnum Dei perducatur, verumetiam à peccati damnatione liberetur. Simul itaque peccato & morti primi hominis obnoxii nascuntur in carne, & simul iustitiæ vitæq; æternæ secundi hominis sociati renascuntur in Baptismo.

Gene. 2.

Carnaliter nat' regeneratione opus habet.

Cap. XVII.

Quapropter qui dicunt paruulos ideo baptizari, vt hoc eis remittatur quod in hac vita proprium contraxerunt, non quod ex Adam traduxerunt: non magno molimine refellendi sunt. Quando enim secum ipsi paululum sine certandi studio cogitauerint, quàm sit absurdum, nec disputatione dignum quod dicunt: continuò sententiam commutabunt. Quòd si noluerint, non vsqueadeò de humanis sensibus desperãdum est, vt metuamus ne hoc cuipiam persuadeant.

Paruuli non propter propria peccata baptizantur.

Cap. XX.

Cæterùm quis ignorat quòd baptizatus paruulus, si ad rationales annos veniens non crediderit, nec se ab illicitis cõcupiscentiis abstinuerit, nihil ei proderit quod paruus accepit? Veruntamen si percepto Baptismate de hac vita emigrauerit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum, iustificatos præsentia Creatoris illuminat. Peccata enim sola separant inter homines & Deum, quæ soluuntur Christi gratia, per quem Mediatorem reconciliamur, quum iustificat impium. Terrẽtur autem isti sententia Domini dicẽtis, Nisi quis natus fuerit denuo, non videbit regnum Dei.

Peccata separant inter Deũ & homines. Esaiæ 59.

Ioan. 3.

Et post pauca.

Qui credit in Filium, habet vitã æternam. Qui autem incredulus est Filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. In quo igitur horum genere ponimus infantes: in eorum qui credunt in Filium, an in eorum qui increduli sunt Filio? In neutro, ait aliquis, quia cùm adhuc credere nõ possunt, nec increduli deputandi sunt. Non hoc indicat Ecclesiastica regula, quæ baptizatos infantes fidelium numero adiungit. *Cap. XXI. eodem libro.*

Ibidem.

Baptizetur puerorum misericordiæ Dei adiungit numero fidelium.

Nam & ii quibus videtur iniustum, vt paruuli sine gratia Christi de corpore exeuntes, non solùm regno Dei, quod & ipsi fatẽtur, nisi per Baptismum renatos intrare non posse, verumetiam vita æterna & salute priuentur: quærentes quomodo iustum sit, vt alius ab originali impietate soluatur, alius non soluatur: quum eadem sit vtriusque conditio: ipsi respondeãt secundum suam sententiam, quomodo identidem iustum sit, vt huic præstetur Baptismus, quo intret in regnum Dei: illi non præstetur, quum sit vtriusque par causa. Si enim mouet, cur ex his duobus, quum ex æquo ambo sint originaliter peccatores, alius ab hoc vinculo soluitur, cui conceditur Baptismus, alius non soluitur, cui talis gratia non conceditur: cur non pariter mouet quod ex duobus originaliter innocentibus, alius accipit Baptismũ, quo in regnum Dei possit intrare: alius non accipit, ne ad regnum Dei possit accedere? Nempe in vtraque causa ad illam exclamationẽ reditur, O altitudo diuitiarum! Ex ipsis deinde baptizatis paruulis, dicatur mihi cur alius rapitur, ne malitia mutet intellectum eius, & alius viuit impius futurus. Nonne si ambo raperentur, ambo in regnum cælorum ingrederentur? Et tamen nõ est iniquitas apud Deum. Quid illud quem non moueat, quem non in tanta altitudine exclamare compellat? quòd alii paruuli spiritu immundo vexantur: alii nihil tale patiũtur: alii etiã in vteris matrũ, sicut Hieremias, sanctificantur: quũ omnes, si est originale peccatum, pariter rei sunt: si non est, pariter innocentes sint. Vnde ista tanta diuersitas, nisi quia inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius?

Quare alius à peccato soluatur per Baptismum, alius non.

Rom. 11.

Sapien. 4.

Hierem. 2.

Rom. 11.

Cap. XXII.

Ceda-

Cedamus igitur, & consentiamus auctoritati sanctæ Scripturæ, quæ nescit falli vel fallere. Et sicut nondum natos, ad discernenda merita eorum aliquid boni vel mali egisse nō credimus: ita omnes sub peccato (quod per vnū hominem intrauit in mundum, & per omnes homines pertransiit, à quo non liberat nisi gratia Dei, per Dominum nostrum Iesum Christum) nasci minimè dubitemus.

Roman. 5.

Roma. 7. A peccatis liberat gratia Dei.

Cap. XXIII.

Et qui incredulus erit Filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Ab hoc peccato, ab hac ægritudine, ab hac ira Dei, cuius naturaliter filii sunt, qui etiamsi per ætatem non habent propriū, trahunt tamē originale peccatum, nō liberat nisi Agnus Dei, qui tollit peccata mundi: non nisi medicus, qui nō venit propter sanos, sed propter ægrotos: non nisi Saluator, de quo dictum est generi humano, Natus est vobis hodie Saluator: nonnisi Redemptor, cuius sanguine deletur debitum nostrum. Nā quis audeat dicere, non esse Christum infantum Saluatorem nec Redemptorē? Vnde autem saluos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati? Vnde redimit, si non sunt per originem primi hominis vænundati sub peccato? Nulla igitur ex nostro arbitrio, præter Baptismū Christi, salus æterna promittatur infātibus, quā non promittit Scriptura diuina, humanis omnibus ingeniis præferēda.

Ioan. 3.

Ephe. 2.

Agnus Dei liberat ab originali peccato.

Luca. 2.

Cap. XXV. ibidem.

Ego lux in seculū veni, vt omnis qui credit in me, non maneat in tenebris. quod Sacramento Baptismatis in paruulis fieri, non dubitat mater Ecclesia, quæ cor maternū eis præstat, vt sacris mysteriis imbuātur, quia nōdum possunt corde proprio credere ad iustitiam, nec ore proprio cōfiteri ad salutem. Nec ideo tamen eos, quisquam fidelium fideles appellare cunctatur, quod à credendo vtique nomen est, quanuis hoc non ipsi, sed alii pro eis inter Sacramēta responderint.

Ioan. 12.

Alii pro pueris credunt & confitentur.

Cap. XXVI.

Porrò quia paruulos baptizandos concedunt, qui contrà auctoritatem vniuersæ Ecclesiæ, proculdubio per Dominum & Apostolos traditam, venire non possunt: concedant oportet eos egere illis beneficiis Mediatoris, vt oblati per charitatem sacramentúmque fideliū, ac sic incorporati Christi corpori, quod est Ecclesia, reconcilientur Deo: vt in illo viui, vt salui, vt liberati, vt redempti, vt illuminati fiant. Vnde nisi à morte, vitiis, reatu, subiectione, tenebris peccatorum? Quæ quoniam nulla in ea ætate per suā vitam propriam commiserunt, restat originale peccatum.

In puerit originale peccatum.

Cap. XXVII.

Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, Qui verò non crediderit condemnabitur. Quis autem nesciat credere infantibus esse baptizari, non credere autem non baptizari? Quoniam ergo de ouibus eius esse non incipiunt paruuli, nisi per Baptismum, profectò si hoc non accipiūt, peribunt. Vitam enim æternam, quam dat suis ouibus Christus, non habebunt.

Marci 16.

Cap. XXVIII. eodem libro.

Quia sicut per vnum omnes ad condemnationem, sic per vnum omnes ad iustificationem. Nec est vllus vlli medius locus, vt possit esse nisi cum diabolo, qui nō est cum Christo. Hinc & ipse Dominus volens auferre de cordibus malè credētium istam nescio quam medietatem, quam conantur quidā paruulis non baptizatis tribuere, vt quasi merito innocentiæ sint in vita æterna: sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christo in regno eius: definitiuam protulit ad hæc ora obstruenda sententiam, vbi ait, Qui mecum non est, aduersum me est. Constitue igitur quenlibet paruulum: si iam cum Christo est, vtquid baptizatur? Si autem (quod habet veritas) ideo baptizatur, vt sit cum Christo: profectò nō baptizatus nō est cum Christo. Et quia non est cum Christo, aduersus Christum est. Neque enim eius tam manifestam debemus aut possumus infirmare vel immutare sententiam.

Ioan. 10. Paruuli nō baptizati peribūt

Qui non est cū Christo cum diabolo est.

Matth. 12.

Cap. XXXIII.

Qui credit in eum, non iudicatur. qui autem non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti Filii Dei. Vbi ergo ponimus paruulos baptizatos, nisi inter fideles, sicut vniuersæ vbique Ecclesiæ clamat auctoritas? Ergo inter eos qui crediderūt. Hoc enim eis acquiritur per virtutem Sacramēti & offerentium responsionem. ac per hoc eos qui baptizati non sunt, inter eos qui nō crediderūt. Porrò si illi qui baptizati sunt, non iudicātur: isti quia carent Baptismo iudicantur.

Ioan. 3.

Qui carent Baptismo, iudicātur.

Cap. XXXIX.

In paruulis certè gratia Dei per Baptismū eius qui venit in similitudine carnis peccati, id agitur, vt euacuetur caro peccati. Euacuatur autem, non vt in ipsa viuente carne concupiscentia conspersa & innata repentè absumatur & non sit, sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato.

Gratia Dei euacuat carnē peccati.

Lib. II. Cap. IIII.

Concupiscentia igitur, tanquam lex peccati manens in membris corporis mortis huius, cum paruulis nascitur, in paruulis baptizatis à reatu soluitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur, paruulos non baptizatos reos innectit, & tanquam iræ filios, etiamsi paruuli moriantur, ad condemnationem trahit.

Paruuli non baptizati filij iræ.

Lib. eodem, Cap. XXVII.

Quisquis verò adhuc mouetur, quare baptizentur qui iam de baptizatis nascūtur: hoc breuiter accipiat, Sicut generatio carnis peccati per vnū Adam in condēnationem trahit

Nemo in suo parente renascitur.

omnes qui eo modo generantur: sic regeneratio Spiritus gratiæ per vnũ Iesum Christum, ad iustificationem vitæ æternæ ducit omnes, qui eo modo prædestinati regenerantur. Sacramentum autem Baptismi, profectò Sacramentum regenerationis est. Quocirca sicut homo qui non vixerit, mori non potest: & qui mortuus non fuerit, resurgere non potest: ita qui natus non fuerit, renasci non potest. Ex quo conficitur, neminem in suo parente renasci potuisse non natum.

Cap. XXIX.

Christus etiã est paruulorũ Iesus, id est Saluator. Rom. 8.

Quis est igitur qui audeat dicere, Dominũ Christum tantùm maioribus, non etiã paruulis esse Iesum, qui venit in similitudine carnis peccati, vt euacuaret corp⁹ peccati, in quo infirmissimo, nulli vsui cõgruis vel idoneis infãtilibus membris, anima rationalis miserabili ignorantia prægrauatur? Quã planè ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in infante illo, in quo caro Verbum factum est, vt inhabitaret in nobis: nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo paruulo fuerim suspicatus, quam videmus in paruulis.

Sapient. 9.

Ioan. 1.

Ex lib. III. Cap. II.

Non baptizati reputantur in numero non credentium.

Bene quòd ipsi nos admonent iustitiam Christi nisi credentibus prodesse non posse, & prodesse aliquid paruulis confitẽtur: vnde (vt diximus) necesse est eos baptizatos in numero credentium sine vlla tergiuersatione constituant. Consequenter igitur si non baptizentur, inter eos qui non credũt erunt: ac per hoc nec vitam habebunt, sed ira Dei manet super eos. Quoniam qui non credit Filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Ioan. 3.

Cap. IIII. ibidem.

Corpori Christi incorporentur paruuli per Baptismum.

His atque huiusmodi aliis, quæ nunc prętereo testimoniis, diuina luce clarissimis, diuina auctoritate certissimis, nonne veritas sine vlla ambiguitate proclamat, non solùm in regnum Dei non baptizatos paruulos intrare non posse, sed nec vitam æternam habere posse præter Christi corpus, cui vt incorporẽtur, Sacramento Baptismatis imbuuntur?

Cap. V.

Nulli gratia Dei denegãda Gene. 17. Luc. 19.

Quantum verò (inquit beatus Cyprianus) ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem quo nati sunt constitutos, baptizari non oportere: & considerandam esse legem Circuncisionis antiquæ, vt intra octauum diem, eum qui natus est, baptizandum & sanctificandum non putares: lõgè aliud in Concilio nostro visum est. In hoc enim quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit: sed vniuersi potius iudicauimus, nulli hominum nato misericordiã Dei & gratiam denegandam. Nam quum Dominus in Euangelio dicat, Filius hominis non venit animas hominũ perdere, sed saluare: quantũ in nobis est, si fieri potuerit, nulla anima perdenda est.

Et post pauca.

Homini nato licet omni die succurrere.

His certis, illa incerta de octauo die quæstio dissoluta est, atque in Cõcilio iudicatum, homini nato, ne inæternum pereat, omni die licere succurrere: quum etiam de ipsa carnali Circuncisione ratio redderetur, quòd vmbra esset futuri: nõ quòd intelligeremus ipsum Baptisma octauo ex quo natus est homo die dari oportere, sed nos in Christi Resurrectione spiritaliter circũcidi, qui tertio quidẽ post diem passionis, in diebus tamen hebdomadarum, quibus tempora prouoluũtur, octauo, hoc est, post Sabbatũ primo die à mortuis resurrexit.

Cap. VII.

Iouinianus persuasit matrialibus nuptias, etiam adultis.

Ante paucos annos, Romæ quidam extitit, Iouinianus nomine, qui sanctimonialibus etiã ætate prouectioribus nuptias persuasisse dicatur: non illiciendo, quò earum aliquam ducere vellet vxorem, sed disputando virgines sanctimoniæ dicatas nihil amplius fidelibus coniugatis apud Deum habere meritorũ. Nunq̃ tamen ei hoc commentum venit in mentem, vt asserere conaretur sine originali peccato nasci hominum filios. Et vtique si hoc astrueret, multò procliuius vellent fœminæ nubere, fœtus mundissimos parituræ.

Cap. IX.

Regeneratio facit Christianum.

Cedite itaq; veritati, & videte, sicut fieri potuit (quod & vos fatemini) vt de Christianis non Christianus, de mẽbris Christi non membrum Christi: atque vt etiam occurramus omnibus, qui licet falso, tamen quocunque religionis nomine detinentur, de consecratis non consecratus: ita etiam fieri, vt de mundatis nõ mundatus nascatur. Quid respondebitis, quare de Christianis non Christianus nascatur, nisi quia non facit generatio, sed regeneratio Christianos?

Hieronymi testimonium.

Lib. I. de origine animæ ad Hieronymum,

Cap. V.

Liber tuus in Ionã Prophetã satis insigniter dilucidéq; declarat, vbi ieiunare paruulos propter ipsũ originale peccatũ meritò coactos esse dixisti. Non incõueniẽter abs te quæro, hũc reatum anima vbi contraxerit, vnde oporteat eam etiam in illa ætate, per Sacramẽtum Christianæ gratiæ liberari. *Cap. XVIII.*

Paruuli sine Baptismo saluari nõ possunt.

Item quisquis dixerit, quòd in Christo viuificabũtur etiam paruuli, qui sine Sacramẽti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, vbi propterea cum baptizandis paruulis festinatur & curritur: quia sine dubio creditur, aliter eos nisi in Christo viuificari omnino non posse. Qui autem non viuificatur in Christo, restat vt in eadẽ dãnatione maneat, de qua dicit Apostolus, Per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem.

Rom. 5.

Cap. XX.

Curritur ad Baptismum

Deinde quis ferat, si credant se illi qui ad Baptismum cũ suis paruulis currunt, propter car-

nes

tum,ne anima veniat in periculum condemnationis.

nes eorum,non propter animas currere? Beatus quidem Cyprianus nō aliquod decretum condens nouum, sed Ecclesiæ fidem firmissimam seruans, ad corrigendum eos qui putabant ante octauum diem natiuitatis non esse paruulum baptizandum,non carnem, sed animam dixit esse perdendam:& mox natum ritè baptizari posse, cum suis Coepiscopis quibusdam cēsuit. Cōtra Ecclesiæ fundatissimum morem nemo sētiat, vbi ad Baptismum si propter sola paruulorum corpora curreretur,baptizādi offerrentur & mortui.

Cap.XXIII.

Sacramentis liberantur. paruuli.

Sed antequam sciam, quænam earum potius eligēda sit,hoc me non temerè sentire profiteor, eam quæ vera est non aduersari robustissimæ ac fundatissimæ fidei, qua Christi Ecclesia nec paruulos homines recentissimè natos à damnatione credit, nisi per gratiam nominis Christi,quam in suis Sacramentis commendauit,posse liberari.

Lib.II.de sententia beati Iacobi Apostoli ad Hieronymum,Cap.I.

Cùm quidam ruisset in puteum, vbi aqua tanta erat,vt eum magis exciperet ne moreretur,quàm suffocaret ne loqueretur:accessit alius,& eo viso admirans ait,Quomodo huc cecidisti? Ait ille, Obsecro,inquit, cogita quomodo hinc me liberes,non quomodo huc ceciderim quæras. Ita quoniam fatemur,& fide catholica tenemus,de reatu peccati,tanquam de puteo etiam paruuli infantis animam Christi gratia liberandam: satis est ei, quòd modum quomodo salua fiat, nouimus, etiāsi nunquam quomodo in malū illud deuenerit nouerimus

Satis est nosse modum salutis, et gratia Baptismatis.

Lib.de præsc. Dei ad Dard.Cap.XI.

Scire autem diuina paruulos,qui nec humana adhuc nouerint, si verbis velimus ostendere,vereor ne ipsis sensibus nostris facere videamur iniuriam,quando id loquendo suademus,vbi omnes vires officiúmque sermonis facillimè superat euidentia veritatis. Vnde autem in ipso tantæ salutis præsidio, quando eis Christiana gratia subuenitur, quod vocibus quibus possunt & motibus reluctantur,nō eis imputatur,atque eis remissus ipsorū nihili penditur,donec in eis sacramēta peragātur,quib⁹ id quod de originali tractum est dānatione expietur, nisi quia intantum nesciunt quod faciunt,vt nec facere iudicentur?

Gratia solùm tunc potest non valuisse ani sere insice.

Cap.XII.ibidem.

Dicimus ergo in baptizatis paruulis, quāuis id nesciāt, habitare Spiritum sanctum. Sic enim eum nesciunt,quanuis sit in eis,quemadmodum nesciunt & mentem suam,cuius in eis ratio,qua vti nondum possunt,velut quædam scintilla sopita est,excitāda ætatis accessu. Neque hoc in paruulis mirum debet videri, cùm Apostolus quibusdā etiam maioribus dicat, Nescitis quia tēplum Dei estis & Spiritus Dei habitat in vobis?

Spiritus sanctus habitat in paruulis,etiā si nesciunt.

1.Cor.3

Cap.XVI.eodem.

Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in vtero potest,quoniam restat illi adhuc nasci: renascitur ergo antequā nascitur. quod fieri nullo modo potest.

Homo non potest nisi natus renasci.

Lib.II.contra Pelagium & Cœlestium de peccato originali,Cap.XI.

Ipsa,inquam, sanctæ Ecclesiæ Sacramenta satis indicant paruulos à partu etiam recentissimos,per gratiam Christi de diaboli seruitio liberari. Excepto enim quòd in peccatorū remissionem nō fallaci,sed fideli mysterio baptizantur, etiam prius exorcizatur in eis, & exufflatur potestas contraria:cui etiam verbis eorum à quibus portātur,se renūtiare respondent. Quibus omnibus rerum occultarum sacratis & euidentibus signis à captiuatore pessimo ad optimum Redemptorem trāsire monstrantur:qui pro nobis infirmitate susceptā,alligauit fortem,vt vasa eius eriperet: quia infirmum Dei non solùm est hominibus, verùm & Angelis fortius. Liberans itaque Deus pusillos cum magnis, in vtrisque ostēdit quod locuta est per Apostolum veritas. Nō enim solos ætate maiores,sed etiam pusillos eruit à potestate tenebrarum, vt transferat in regnum Filii claritatis suæ.

Pueri statim ex nūtur per Baptismum à potestate diaboli.

Matth.12. 1.Corinth.1.

Colos.1.

Lib.II. de nuptiis & concupiscentia,ad Valerium,Cap.III.

Pelagiani & Cælestiani dicunt naturam humanam à bono Deo conditam bonam: sed ita esse in nascentibus paruulis sanam, vt Christi non habeant necessariam in illa ætate medicinam,quos veritas redarguit,dicens, Venit Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Sed vos,egregii Christiani, respōdete Christo,Si quod perierat quærere & saluare venisti,& ad paruulos nō venisti: isti nec perierant,& salui nati sunt. vade ad maiores. De verbis tuis tibi præscripsimus, Non est opus sanis medicus,sed malè habentibus.

Pelagianorum error.

Luc.19.

Matth.9.

In eodem,Cap.XVIII.

Ac sic accusat Ecclesiam toto orbe diffusam,in qua vbique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exufflantur,nisi vt ab eis princeps mundi mittatur foras, à quo necesse est vasa iræ possideantur,quum ex Adam nascuntur,si in Christo non renascantur,& in eius regnum per gratiā facta vasa misericordiæ transferantur.

Vasa iræ fiūt vasa misericordiæ per Baptismum. Ioan.3.

Ibidem, Cap. XXIX.

Est itaque per quod homo diuino operi vendicetur:quia non esset homo, nisi diuino opere crearetur. Malum autem non esset in paruulis,nisi voluntate primi hominis peccaretur,& ex origine vitiata peccatum originale traheretur. Nō ergo(sicut iste ait)perfectè Manichæ⁹ est,qui malum originale defendit: sed perfectè Pelagianus est,qui malū originale non credit. Neque enim ex quo esse cœpit Manichęi pestilentiosa doctrina, ex illo cœperunt in Ecclesia

Pelagius originale malum non credit.

Dei paruuli baptizãdi,exorcizari & exufflari vt ipſis myſteriis oſtenderetur, non eos in regnum Chriſti, niſi erutos à tenebrarum poteſtate transferri.

In eodem.

Cyprianus de Baptiſmate paruulorum.

Nunquid & glorioſiſsimæ coronæ Cyprianus dicetur ab aliquo, non ſolùm fuiſſe, ſed eſſe potuiſſe Manichæus, quum prius iſte ſit paſſus quàm illa in orbe Romano peſtis apparuit? Et tamẽ in libro de Baptiſmate paruulorum ita defendit originale peccatum, vt propterea dicat & ante octauum diem, ſi neceſſe ſit, paruulũ baptizari oportere, ne pereat anima eius. Quem tantò vult intelligi ad indulgentiam Baptiſmi peruenire facilius, quantò magis eis dimittuntur non propria, ſed aliena peccata.

Ibidem.

Ambroſius contendit ob originale peccatum pueris opus eſſe Chriſto.

Veruntamen vt omittam beatum Ambroſium, cui Pelagius (ſicut iã cõmemoraui) tam magnum integritatis in fide perhibuit teſtimonium: qui tamen Ambroſius nihil aliud defendit in paruulis, vt haberent neceſſarium medicum Chriſtum, niſi originale peccatum.

Lib. de anima & eius origine, ad Renatum, Cap. VII.

Præſcientia quippe Dei eos quos ſanaturus eſt, peccatores prænoſcit, non facit. Nam ſi eas animas liberas à peccato, quaſi innocentes & mundas implicuit ipſe peccato, vulnus ſanat quod intulit nobis, non quod inuenit in nobis. Auertat autẽ Deus, & omnino abſit, vt dicamus, quãdo lauacro regenerationis Deus mundat animas paruulorum, tunc eum mala ſua corrigere, quæ illis ipſe fecit, quum eas nullum habẽtes peccatum, peccatrici carni, cuius originali peccato contaminarẽtur, admiſcuit.

Gratia Dei ſanat vulnus Adæ.

Ibidem, Cap. IX.

Ioan. 3.

Matth. 10.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei. Et alio loco, Qui perdiderit animã ſuam propter me, inueniet eam. Nemo fit membrum Chriſti, niſi aut Baptiſmate in Chriſto, aut morte pro Chriſto. Vnde & Latro ille nõ ante crucem Domini ſectator, ſed in cruce confeſſor: de quo nonnunquam præiudicium captatur ſiue tentatur cõtra Baptiſmatis Sacramentum, à Cypriano ſancto inter Martyres computatur, qui ſuo ſanguine baptizantur: quod pleriſque non baptizatis feruente perſecutione prouenit. Verùm hæc vt volet quiſpiam accipiat, dum tamen de Baptiſmo non præſcribatur Saluatoris præcepto, huius Latronis exemplo: & non baptizatis paruulis nemo promittat inter damnationem regnúmq; cælorum, quietis vel felicitatis cuiuſlibet atque vbilibet quaſi medium locum.

Latro ſanguine ſuo baptizatur. Lucæ 23.

Ibidem, Cap. X.

De fratre ſeptenni Perpetuæ defuncto.

De fratre autem ſanctæ Perpetuæ Dinocrate, nec Scriptura ipſa canonica eſt, nec illa ſcripſit ſic, vel quicunque illud ſcripſit, vt illũ puerum qui ſeptennis mortuus fuerat, ſine Baptiſmo diceret fuiſſe defunctum: pro quo illa imminente martyrio creditur exaudita, vt à pœnis trãsferretur ad requiem. Nam illius ætatis pueri, & mentiri & verum loqui, & confiteri & negare iam poſſunt. Et ideo quum baptizãtur, iam & Symbolum reddũt, & ipſi pro ſe ad interrogata reſpõdent. Quis igitur ſcit, vtrùm puer ille poſt Baptiſmũ, perſequutionis tempore à patre impio per idololatriã fuerit alienatus à Chriſto, propter quod in damnationem mortis ierit: nec inde niſi pro Chriſto morituræ ſororis precibus donat⁹ exierit?

Cap. XI.

A maiori ad minus.

Sed etiam ſi hoc iſti concedatur, quòd ſalua fide catholica & Eccleſiaſtica regula, nulla ratione cõceditur, vt pro nõ baptizatis cuiuſlibet ætatis hominibus offeratur ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti: tanquam per huiuſmodi pietatem ſuorum, ad regnum cælorũ quò perueniant, adiuuentur: quid reſponſurus eſt de tot milibus infantum, qui naſcuntur ex impiis: nec in manus piorum aliqua vel diuina vel humana miſeratione perueniunt, & de iſta vita, in illa tenerrima ætate ſine lauacro regenerationis abſcedunt?

Ibidem.

Rom. 9. In paruulis originale peccatum.

Apoſtolus quippe apertiſsimè definiuit, nõdum in carne natos nihil egiſſe boni ſeu mali. Vnde conſtat paruulos vt remiſsione indigeant peccatorum, non niſi originale traxiſſe peccatum.

Cap. XIII. ibidem.

Hoc itaque medium, ex quo anima miſſa eſt in carnem, quouſque ſolueretur à carne: quoniam paruuli anima eſt, nec liberi arbitrii geſsit ætatem, non inuenit vnde damnaretur non percepto Baptiſmo, niſi originale peccatum. Ex hoc peccato iuſtè damnari animã non negamus: quia peccato ſuppliciũ Lex iuſta cõſtituit. Sed ad hoc peccatũ ſubeundũ cur damnata ſit quærimus, ſi non ex illa vna trahitur, quæ in generis humani primo patre peccauit.

Ex peccato originali animæ damnantur.

Lib. II. de anima & eius origine, ad Petrum, Cap. XII.

Ioan. 3.

Si quis non fuerit renatus ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Atq; vt ab hac ſententia exceptos Martyres faciat, quibus cõtigerit antè pro nomine Chriſti occidi, quàm Chriſti Baptiſmate dilui, dicit alio loco, Qui perdiderit animã ſuam pro me, inueniet eam. Et ne cuiquã qui nõ renatus fuerit Chriſtianæ fidei lauacro, promittatur peccati originalis abolitio, clamat Apoſtolus, Per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem. Cõtra quam cõdemnationem Dominus vnum eſſe oſtendens ſalutis auxilium, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Cuius myſterium credulitatis in paruulis per eorum reſponſionem à quibus geſtantur, impletur: ne ſi factum non fuerit, eant ex vno omnes

Matth. 10.

Rom. 5.

Marc. 16.

Pueri abſque regeneratione non ſaluantur.

mnes in condemnationem. Et tamen contra tam manifestas voces, quas concinit veritas, procedit in medium magis vecors quàm misericors vanitas, & dicit, Non solùm non eunt in condemnationem paruuli, etsi nullũ eos Christianæ fidei lauacrum à vinculo originalis peccati absoluat: verũetiam felicitate paradisi post mortem interim perfruuntur, post resurrectionem verò, etiam regni cælorum felicitatẽ possidebunt. Hæc iste contra catholicam fundatissimam fidem nunquid dicere auderet, si quæstionem soluẽdam de animæ origine vires suas excedentem susciperе non auderet?

Libro III. de anima & eius origine, ad Vincentium Victorem, Cap. IX.

Infantes antequam baptizẽtur, non perueniunt ad indulgentiam originalium peccatorum.

Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur morte præuentos, peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse catholicus. Exempla enim quæ te fallũt, vel de Latrone qui Dominum est confessus in cruce, vel de fratre sanctæ Perpetuæ Dinocrate, nihil tibi ad huius erroris sentẽtiam suffragantur. Nam vt omittam quòd creditur Latronem illum iudicio diuino inter eos deputari, qui martyrii confessione purgantur: tamen vtrùm etiam non fuerit baptizatus, ignoras. *Alterum 9.* *Post pauca.* Nam si eos de quibus non scriptum est, vtrùm fuerint baptizati, sine Baptismo de hac vita recessisse contẽdimus, ipsis calumniamur Apostolis, quibus præter Apostolum Paulum, quando baptizati fuerint, ignoramus. Sed si ipsos baptizatos esse per hoc nobis innotescere potuit, quia beato Petro Dominus ait, *Ioannis 13.* Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet: quid de aliis, de quibus tale nihil legimus dictum, de Barnaba, de Timotheo, de Tito, de Sila, de Philemone, de ipsis Euãgelistis Marco & Luca, de innumerabilibus cæteris? quos absit vt baptizatos dubitemus, quanuis non legamus.

In eodem libro, Cap. XII.

Noli credere, nec dicere, nec docere, sacrificium Christianorum, pro iis qui non baptizati de corpore exierint, offerendum, si vis esse catholicus: quia nec illud quod de Machabæorum libris commemorasti, sacrificium Iudæorum, pro eis qui non circuncisi de corpore exierint, ostendis oblatum.

Pro non baptizatis nihil offertur in Ecclesia. 2. Mac. 12.

Cap. XIII.

Non baptizati non perueniunt in regnum cælorum.

Noli credere, nec dicere, nec docere, aliquos eorum qui sine Baptismo Christi ex hac vita emigrauerint, interim non ire in regnum cælorum, sed in paradisum: postea verò in resurrectione mortuorũ, etiam ad regni cælorum beatitudinem peruenire, si vis esse catholicus. Hoc enim eis dare, nec Pelagiana hæresis ausa est, quæ opinatur paruulos non trahere originale peccatum.

Libro I. contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium, Cap. XXII.

Pelagiani dicunt Baptismũ paruulis necessarium, & maioribus & paruulis cõfitemur, & eos qui dicunt de duobus baptizatis natum non debere baptizari, anathematizamus. Nouimus quomodo non secũdum Paulum Apostolum, sed secundum Pelagium hæreticum ista dicatis, paruulis videlicet Baptismum necessarium, non propter remissionem peccatorum, sed tantummodo propter regnum cælorum. Datis enim eis extra regnum Dei locum salutis & vitæ æternæ, etiamsi non fuerint baptizati. Nec attẽditis quod scriptum est, Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui autem non crediderit, condẽnabitur. Propter quod in Ecclesia Saluatoris per alios paruuli credunt, sicut ex aliis ea quæ illis in Baptismo remittuntur peccata traxerunt. *Marc. 16.*

Lib. I contra Iulianum, Cap. II.

Absit, inquam, vt Constantinopolitanus Ioannes de Baptismate paruulorum, eorũmque à paterni chirographi liberatione per Christum, tot ac tantis Coepiscopis suis, maximéque Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Naziãzeno, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio. Alia sũt, in quibus inter se aliquãdo etiam doctissimi atque optimi regulæ catholicæ defensores, salua fidei cõpage non cõsonant, & alius alio de vna re melius aliquid dicit & verius. Hoc autem vnde nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamẽta. Quisquis in Christiana fide vult labefactare quod scriptũ est, Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: totum quod in Christum credimus auferre molitur. Omnino & paruulorum Saluator est Christus, omnino nisi per illum redimãtur, peribunt: quoniam sine carne & sãguine eius vitam æternam non habebũt. Hoc sensit, hoc credidit, hoc docuit & Ioannes. *1. Corin. 15.* *Paruulorum Christus saluator ipse.*

Ibidem.

Poterat etiam noster Cyprianus hoc dicere de paruulis, quod Ioãnes, quãdoquidem ait quòd infans natus nihil peccauerit, & quòd ei remittãtur non propria, sed aliena peccata. Comparans ergo eos Ioannes maioribus, quorum propria peccata dimittũtur in Baptismo, dixit illos non habere peccata: non sicut verba eius ipse posuisti, non coinquinatos esse peccato: dum vis vtique intelligi, non eos peccato primi hominis inquinatos. *Paruuli peccato primi parentis coinquinati.*

Libro IIII. contra Iulianum Pelagianum, Cap. III.

Minus enim Fabricius quàm Catilina punietur, non quia iste bonus, sed quia ille magis malus, & minus impius quàm Catilina Fabricius, nõ veras virtutes habẽdo, sed à veris virtutibus non plurimum deuiando. An fortè & istis, qui exhibuerunt terrenæ patriæ Babyloni camdilectionem, & virtute ciuili, nõ vera sed verisimili, dæmonibus vel humanæ gloriæ ser- *Ironia aduersus Pelagianos.*

uierunt, Fabriciis videlicet, Regulis, Fabiis, Scipionibus, & Camillis, cæterisque talibus: sicut infantibus, qui sine Baptismate moriuntur, prouisuri estis aliquem locum inter damnationem regnúmque cælorum, vbi non sint in miseria, sed in beatitudine sempiterna, qui Deo non placuerunt, cui sine fide placere impossible est, quam nec in operibus, nec in cordibus habuerunt? Non opinor perditionē vestram vsque ad istā impudentiā posse prosilire.

Eodem lib. Cap. IIII.

Quare sint parmuli sub potestate diaboli.

Galat. 5.

Paruuli nouiter geniti, ideo sub diaboli sunt potestate, qui de corporum commixtione nascuntur, antequam per Spiritum renascantur: quia per illam renascuntur concupiscentiam, qua caro concupiscit aduersus spiritum, & aduersū se cogit cōcupiscere spiritum. Quę pugna boni & mali nulla esset, si nemo peccasset. Sicut autem ante hominis iniquitatem nulla erat: ita post infirmitatem nulla erit.

Lib. V. contra eundem, Cap. VIII.

Paruuli non baptizati in quadamnatione sint.

Ego autem non dico paruulos sine Christi Baptismate moriētes, tanta pœna esse plectendos, vt eis non nasci potius expediret: cùm hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis & impiissimis dixerit. Si enim quod de Sodomis ait, & vtique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die iudicii punietur: quis dubitauerit paruulos nō baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec vllis propriis aggrauātur, in damnatione omnium leuissima futuros? Quæ qualis & quanta erit, quanuis definire nō possim, non tamen audeo dicere, quòd eis vt nulli essent, quàm vt ibi essent potius expediret. Verùm vos quoq; qui eos veluti liberos ab omni damnatione esse contenditis, cogitare non vultis, qua illos damnatione puniatis, alienando à vita Dei & à regno Dei tot imagines Dei: postremò separando à parentibus piis, quos ad eos procreandos tam distertus hortaris. Hæc autem iniustè patiuntur, si nullum habent omnino peccatum: aut si iustè, ergo habent originale peccatum.

Eodem libro, Cap. IX. contra eundem.

Malum de parente transit ad prolem.

Et ideo putas malum quod est in parente vtique in subiecto, alii rei, id est, proli, ad quam non peruenit, reatum non posse transmittere. Rectè hoc diceres, si malum concupiscentiæ de parente non peruenire ad prolem. Quum verò sicut sine illo nemo seminatur, ita sine illo nemo nascatur: quomodo dicis eò nō pertinere quò transit? Non enim Aristoteles, cuius Categorias insipienter sapis: sed Apostolus dicit,

Roman. 5.

Per vnum hominē peccatum intrauit in mundum, & per omnes homines transiit. Nec sanè illa Dialectica mentitur, sed tu non intelligis.

Lib. VI. contra eundem, Cap. I.

Quod generatum est, regeneretur.

Ergo quod generatum est, regeneretur, vt similiter, quia non potest aliter, quod tractum est, remittatur. Frustra identidem conaris obtegere, quòd superfluum Baptismum putatis in paruulis, dicentes mysteriorum Christi gratiam multis locupletem esse muneribus. Velitis, nolitis, paruulos credere confitemini in Christum per corda & ora gestantium. Ergo & ad illos pertinet Dominica ista sententia,

Marci 16.

Qui non crediderit, condemnabitur.

In eodem Capite circa finem.

Roman. 6.

Quicunque enim baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Et illud nihil aliud est quàm peccato mori. In Christo baptizātur infantes: peccato ergo moriuntur. Cui peccato, quæso te, nisi quod originale traxerunt? Argumentationes hominum conticescant. Dominus nouit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.

Psalm. 93.

Abscondit hæc à sapientibus & prudētibus, & reuelauit ea paruulis. Si tibi Christiana fides displicet, apertius confitere: nam Christianam aliam viam non potes inuenire.

Matth. 11.

Vnus homo ad mortem, vnus ad vitam genet.

Vnus homo est ad mortem, vnus ad vitam: ille tantùm homo, iste Deus & homo. Per illum est mundus inimicus factus Deo: per istum mundus reconciliatus Deo, electus ex mundo. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabuntur. Sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus & imaginem eius qui in cælo est. Hæc stabilitamenta fidei Christianæ qui subuertere nititur, stantibus eis ipse subuertitur.

1. Corinth. 15.

Cap. II. in eodem.

Prorsus quod in libro meo dixi, cui resistis, verum est. Nam quod dimissum est in parente, vt trahatur in prole, miris quidem modis fit, sed tamen fit. Et quia modus ipse non facili ratione indagatur, nec sermone explicatur, ab infidelibus non creditur.

Eodem lib. contra eundem, Cap. II.

Pueri renati per Baptismū, viuunt Deo.

Quo corde, quo ore, qua fronte paruulos mortuos negatis, pro quibus Christum mortuum non negatis? Si non est pro eis Christus mortuus, vt quid baptizantur? Quicunque enim baptizati sumus in Christo Iesu, in morte illius baptizati sumus. Si autem etiam pro eis mortuus est, qui vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, & isti cum omnib⁹. Et quia in peccato mortui sunt, moriūtur & peccato, vt viuant Deo, quando renascuntur ex Deo.

In Enchirid. ad Laurentium, Cap. XIIII.

Discrimen puerorum & senū baptizatorum.

A paruulo enim recens nato, vsque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibendus est à Baptismo: ita nullus est qui non peccato moriatur in Baptismo. Sed paruuli tantùm originali, maiores autem etiam iis omnibus moriuntur peccatis, quæcunque malè viuēdo addiderunt ad illud quod nascendo traxerunt.

Cap. XIIII. in eodem.

Sed ideo etiam ipsi peccato mori plerunque dicuntur, quum proculdubio non vni, sed multis peccatis, omnibúsque moriantur, quæcunque iam propria commiserunt, vel cogitatione,

tione, vel locutione, vel opere: quia etiam per singularem numerū pluralis numer⁹ significari solet, sicut ait ille, -vterúmque armato milite complēt: quanuis hoc multis militibus fecerint. Et in nostris literis legitur, Ora ergo ad Dominum, vt auferat à nobis serpentem. Non ait serpentes, quos patiebatur populus vt hoc diceret: & innumerabilia talia. Quū verò & illud originale vnū, plurali numero significatur, quādo dicimus in peccatorū remissionem baptizari paruulos, nec dicim⁹ in remissionē pec cati: illa est contraria locutio, qua per pluralē locutionem significatur numerus singularis: sicut de Herode mortuo in Euangelio dictum est, Mortui sunt enim qui quærebant animam pueri. Non dictum est, Mortuus est. Et in Exodo, Fecerunt, inquit, sibi deos aureos: quum vnum vitulum fecerint tantùm, de quo dixerūt, Hi sunt dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra AEgypti. & hic ponētes pluralē pro singulari.

Virg. AEn. 2.

Num. 21.

Per peccatum originis pluralitas intelligitur.

Matth. 2.

Exod. 32.

DE ECCLESIA ET eius auctoritate.

Lib. I. de moribus Ecclesiæ catholicæ, Cap. XXXIIII.

Nunc vos illud admoneo, vt aliquando Ecclesiæ catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos & ipsa condamnat, & quos quotidie tāquam malos filios corrigere studet. Sed quicunque illorum bona voluntate, Deique auxilio corriguntur, quod amiserant peccando, pœnitendo recuperant. Qui autem voluntate mala in pristinis vitiis perseuerant, aut etiam addunt grauiora prioribus: in agro quidem Domini sinuntur esse, & cum bonis seminibus crescere: sed veniet tempus quo zizania separentur. Aut si propter ipsum Christianū nomen, magis in palea quàm in spinis esse arbitrandi sunt: veniet etiam qui aream purget, & à frumentis paleam separet, & singulis partibus pro suo cuiusq; merito, quod oportet summa æquitate distribuat.

Ecclesia malos filios vt mater castigat.

Matth. 23.

Matth. 3.

Super Ioannem, Tractatu XXXII.

Quum ergo & modò accipiatur Spiritus sactus, dixerit aliquis, Quare & nemo loquitur linguis omnium gentium? Quia iam ipsa Ecclesia linguis omnium gentium loquitur. Antea in vna gente erat Ecclesia, vbi omnium linguis loquebatur. Loquendo linguis omnium significabat futurum vt crescendo per gentes, loqueretur linguis omnium gentium. In hac Ecclesia qui non est, nec modò accipit Spiritum sanctum. Præcisus enim & diuisus est ab vnitate mēbrorum, quæ vnitas linguis omniū loquitur. Si renuntiat, non habet: nam si habet, det signum quod tunc dabatur. Quid est det signum quod tunc dabatur? Loquatur omnibus linguis. Respōdet mihi, Quid enim? Tu loqueris omnibus linguis? Loquor planè, quia omnis lingua mea est, id est, eius corporis cuius membrum sum. Diffusa Ecclesia per gētes, loquitur omnibus linguis. Ecclesia corpus est Christi: in hoc corpore mēbrum es. Cùm ergo membrum sis eius corporis, quod loquitur omnibus linguis, crede te loqui omnibus linguis. Vnitas enim membrorum charitate concordat, & ipsa vnitas loquitur, quomodo tunc vnus homo loquebatur. Accepimus ergo & nos Spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam, si vnitate compaginamur, si catholico nomine & fide gaudemus. Credamus fratres, quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tātum habet Spiritum sanctum. Datus est enim Spiritus ad manifestationem, sicut dicit Apostolus. Quā manifestationē? Sicut ipse idem dicit, Quia alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundem Spiritum.

Ecclesia est corpus Christi cuius nos membra.

1. Corin. 12.

Tract. LXII. Super eundem.

Habebat ergo & Dominus loculos, & fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum Ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, vbi intelligeremus quod præcepit non cogitandum esse de crastino, non ad hoc fuisse præceptū, vt nihil pecuniæ seruetur à Sanctis: sed ne Deo proista seruiatur, & propter inopiæ timorem iustitia deseratur. Nam & Apostolus in posterū prævidens, ait, Si quis fidelis habet viduas, sufficienter tribuat eis, vt nō gravetur Ecclesia, quò veris viduis sufficere possit

Ioan. 13

Quomodo intelligatur non esse sollicitum de crastino.

1 Timot. 5.

Tract. CXVIII.

Quadripartita vestis Domini Iesu Christi, quadripartitam figurauit eius Ecclesiam, toto scilicet, qui quatuor partibus constat, terrarum orbe diffusam, & omnibus eiusdē partibus æqualiter, id est, concorditer distributā. Propter quod alibi dicit missurum se Angelos suos, vt colligant electos eius à quatuor ventis: quod quid est nisi à quatuor partibus mundi, oriēte, occidēte, aquilone, & meridie?

Quadripartitæ vestis Christi significatio.

Ibidem post pauca.

Tunica autem inconsutilis, ne aliquando dissuatur, ad vnum peruenit: quia in vnum omnes colligit, sicut in Apostolis, cùm esset etiam ipse numerus duodenarius, id est, quadripartitus in ternos, & omnes essent interrogati, solus Petrus respondit, Tu es Christus Filius Dei viui. Et ei dicitur, Tibi dabo claues regni cælorum, tanquam ligandi & soluendi solus acceperit potestatem: cùm & illud vnus pro omnibus dixerit, & hoc cùm omnibus, tāquam personam gerens ipsius vnitatis, acceperit. Ideo vnus pro omnibus, quia vnitas est in omnibus. Vnde & hic cùm dixisset, Desuper cō texta, addidit, Per totū. Quod si referamus ad id quod significat, nemo eius est expers, qui pertinere ad totum inueniatur, à quo toto, sicut Græca indicat lingua, Catholica vocatur Ecclesia, &c.

Matth. 19.

Inconsutilis tunica vnitatem significat Ecclesiæ.

Tract. CXXIIII.

Et quia in ipsa quoque via ambulantes

In Ecclesia potestate clauiũ remissio peccatorum est. Matth.6.

nõ sunt sine peccatis, quæ de huius vitę infirmitate subrepũt, dedit cleemosynarũ remedia salutaria, quibus eorum adiuuaretur oratio, vbi eos dicere docuit, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hoc agit Ecclesia, spe beata, in hac vita ærumnosa: cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam. Quòd enim ad ipsum propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Christianus, abundantiore gratia vnus idémque primus Apostolus: sed quãdo ei dictum est, Tibi dabo claues regni cælorum: &, Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis: vniuersam significabat Ecclesiã, quæ in hoc seculo diuersis tẽtationibus, velut imbribus, fluminibus, tempestatibúsque quatitur, & non cadit: quoniam fundata est super petram: vnde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro Petra, sed Petrus à Petra: sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: quia dixerat Petrus, Tu es Christus Filius Dei viui. Super hanc ergo, inquit, Petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus: super quod fundamẽtum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamẽtum quippe aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claues ab eo regni cælorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi soluendíque peccata, &c.

Matth.16. *Matth.7.* *Matth.16.* *1.Corinth.3. & 10.*

Ibidem post pauca.

Est autem alia vita immortalis, quæ non est in malis. Ibi facie ad faciem videbimus quod hìc per speculum & in ænigmate videtur, quando multum cõspicienda veritate proficitur. Duas itaque vitas sibi diuinitus prædicatas & commendatas nouit Ecclesia: quarum est vna in fide, altera in specie, vna in tempore peregrinationis, altera in æternitate mansionis, vna in labore, altera in requie, vna in via, altera in patria, vna in opere actionis, altera in mercede contemplationis, vna declinat à malo, & facit bonum, altera nullum habet à quo declinet malum, & magnũ habet quo perfruatur bonum, vna cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat, vna fortis est in aduersis, altera nihil sentit aduersi, vna carnales libidines frænat, altera spiritalibus delectationibus vacat, vna est vincendi curâ solicita, altera victoriæ pace secura, vna in tentationibus adiuuatur, altera sine vlla tentione in ipso adiutore lætatur, vna subuenit indigenti, altera ibi est, vbi nullum inuenit indigentem, vna aliena peccata vt sua sibi ignoscantur ignoscit, altera nec patitur quod ignoscat, nec facit quod sibi poscat ignosci, vna flagellatur malis ne extollatur in bonis, altera tanta plenitudine gratiæ caret omni malo, vt sine vlla tentatione superbiæ cohæreat summo bono, vna bona & mala discernit, altera quæ sola bona sunt cernit. Ergo vna bona est, sed adhuc misera, altera melior & beata. Ista significata est per Apostolum Petrum, illa per Ioannem. Tota hìc agitur ista vsque in huius seculi finem, differtur illa complẽda post huius seculi finem.

1.Corinth.13. *Ecclesia militans & triumphans.*

Post pauca ibidem.

Omnibus igitur Sanctis ad Christi corpus inseparabiliter pertinentibus, propter huius vitæ procellosissimæ gubernaculum, ad ligan-
da & soluenda peccata, claues regni cælorum primus Apostolorum Petrus accepit: eisdémque omnibus Sanctis, propter vitæ illius secretissimæ quietissimum sinũ, super pectus Christi Ioannes Euãgelista discubuit: quoniam nec iste solus, sed vniuersa Ecclesia ligat & soluit peccata: nec ille in principio Verbum Deum apud Deum, & cætera de Christi diuinitate, & de totius diuinitatis Trinitate atque vnitate sublimia, quæ in illo regno facie ad faciem cõtemplanda, nunc autem donec veniat Dominus, in speculo atque in ænigmate contuenda sunt, quæ prædicãdo ructaret, de fonte Dominici pectoris solus bibit. Sed ipse Dominus ipsum Euangelium, pro sua cuiusque capacitate, omnibus suis bibendum, toto orbe terrarum diffundit.

Matth.16. *Ioannis 13. Vniuersa Ecclesia ligat & soluit peccata.*

In Epistolam beati Ioannis, Tractatu I.

Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem, id est, si tenueris charitatẽ, nec in Christo scandalũ patieris, nec in Ecclesia, nec Christum relinques nec Ecclesiam. Qui enim Ecclesiam relinquit, quomodo est in Christo, qui in membris Christi non est? Quomodo est in Christo, qui in corpore Christi non est? Illi ergo patiuntur scandalum, qui relinquunt aut Christum aut Ecclesiam.

Psalm.120. *Qui relinquũt Christum accusua sponsam Ecclesiam, patiuntur scandalum.*

Post pauca ibidem.

Quando volunt homines videre Lunam nouam, dicimus, Ecce Luna, ecce vbi est. Et si sunt ibi qui non valeant intendere aciem, & dicant, Vbi? Intenditur illis digitus vt videant. Aliquando dum erubescunt, ne cæci putentur, dicunt se vidisse quod non viderunt. Nunquid sic ostendimus Ecclesiã, fratres mei? Nonne aperta est? Nonne manifestata? Nonne obtinuit omnes gentes? Vni fideli promissum est, in milibus fidelium mundus impletus est. Nõne impletur quod ante annos tot promissum est Abrahæ, In semine eius benedici omnes gentes? Ecce mons implẽs faciem vniuersæ terræ. Ecce ciuitas de qua dictum est, Non potest ciuitas abscondi super montem constituta.

In fide Ecclesia est cõspecta. *Genes.22.* *Matth.5.*

Tractatu II. super eandem.

Audistis fratres: tenete. Nemo dubitat de Ecclesia, quia per omnes gentes est. Nemo dubitat, quia ab Hierusalem cœpit, & omnes gẽtes impleuit. Agnoscimus agrum vbi vitis plãtata est: quum autem creuerit, nõ agnoscimus, quia

Ecclesia ab Hierusalem incœpit.

quia totum occupauit. Vnde cœpit? Ab Hierusalem. Quò peruenit? Ad omnes gentes. Pauca remanserunt: omnes tenebit. Interea cùm omnes tenet, aliqua sarmenta inutilia visa sunt agricolæ præcidenda, & fecerunt hæreses & schismata. Non vos inducãt præcisa vt præcidamini: hortamini magis quæ præcisa sunt, vt iterum inserantur, &c.

Tractatu X. in fine super eandem.

Lucæ 24. Vbi remissio peccatorum, ibi Ecclesia.

Euãgelium loquitur, Oportebat pati Christum, & resurgere die tertia à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum. Vbi remissio peccatorũ, ibi Ecclesia est. Quomodo Ecclesia? Illi enim dictum est, Tibi dabo claues regni cælorum, & quæ solueris in terra, soluta erunt & in cælis: & quæ ligaueris in terra, ligata erũt & in cælis. *Matth. 16.* *Lucæ 24.* Quâ diffunditur ista remissio peccatorũ? Per omnes gentes, incipientes ab Hierusalem, &c.

In Apocalypsim, Homilia I.

Apoc. 1.

Septẽ Ecclesias quas vocat vocabulis suis Ioãnes, nõ ideo dicit, quia illæ solæ sunt Ecclesiæ. Quod dicit vni, omnib⁹ hoc dicit. Deniq; *Omnes Ecclesiæ peculiares, vna est domus Dei. 1. Tim. 3.* siue in Asia, siue in toto orbe septẽ Ecclesias omnes esse, & vnam esse catholicam, sicut ad Timotheum ait, Quomodo oportet te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, &c.

In Apocalypsim, Homilia II.

Claues Ecclesiæ Ioannis 21.

Et quia ipsa Ecclesia, sicut habet claues vitæ, ita & inferorum. Ipsi enim dictum est, Cui dimiseritis peccata, dimittũtur: & cui retinueritis, retenta sunt.

In libro de vera & falsa pœnitẽtia, Cap. XII.

Ecclesiæ opera succurrunt pœnitenti.

Credendum est enim, & pietas fidei expostulat credere, quòd omnes eleemosynæ totius Ecclesiæ, & orationes & opera iustitiæ & misericordiæ succurrant recognoscenti mortem suam ad conuersionem suam. Ideóque nemo dignè pœnitere potest, quem non sustineat vnitas Ecclesiæ.

De fide ad Petrum, Cap. XXXIX.

Hæretici cùm non sint in Ecclesia, non saluantur.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites quenlibet hæreticum siue schismaticum, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizatum, si Ecclesiæ catholicæ non fuerit aggregatus, quantascunque eleemosynas fecerit, & si pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse saluari. Omni enim homini qui Ecclesiæ catholicæ non tenet vnitatem, neque Baptismus, neque eleemosyna quãlibet copiosa, neque mors pro Christi nomine suscepta, proficere poterit ad salutem, quãdiu in ea hæretica vel schismatica prauitas perseuerat, quæ ducit ad mortem.

Cap. XIIII. ibidem.

Firmissimè tene, & nullatenus dubites, aream esse Dei Ecclesiam catholicam, & intra eam vsque in finem seculi frumento mixtas paleas contineri, hoc est, bonis malos Sacramentorum communione misceri, & in omni professione siue clericorum, siue monachorum, siue laicorũ, bonos esse simul & malos, nec pro malis bonos deserendos, sed pro bonis malos inquantum exigit fidei & charitatis ratio tolerandos, id est, si vel in Ecclesia nullius perfidiæ semina spargũt, vel fratres ad aliquod malum opus, mortifera imitatione non ducunt: nec posse aliquem intra Ecclesiam catholicam rectè credentem, benéque viuentem alieno vnquam maculari peccato, si cuiquam peccanti nec consensionem præbeat nec fauorem: vtilitérque malos à bonis intra Ecclesiam tolerari, si hoc cum eis bene viuendo & bene monẽdo agatur, vt & videntes & audientes quæ bona sunt, mala sua respuant: iudicandos se à Deo pro suis malis operibus contremiscant: atque ita præueniente dono gratiæ, de suis iniquitatibus cõfundantur, & ad bonam vitã per Dei misericordiã conuertantur. Bonos verò à malis, intra Ecclesiam duntaxat catholicam constitutis, nõ debere nisi operum dissimilitudine separari, vt cum quibus diuina communicant Sacramenta, non habeant mala opera, quibus illi sunt criminosi, communia. In fine verò seculi, bonos à malis etiam corpore separandos, quando veniet Christus, habens ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & cõgregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igni inextinguibili: quãdo per iudicium iustum segregabit iustos ab iniustis, bonos à malis, rectos à peruersis, bonos constituet à dextris, malos à sinistris, & ex eius ore iusti æternúsque iudicii, sempiterna atque incommutabili prolata sentẽtia, iniqui omnes ibunt in combustionem æternam, iusti autem in vitam æternam: iniqui semper arsuri cum diabolo, iusti autem regnaturi sine fine cum Christo.

Eboni & mali mixti in Ecclesia sacramẽta suscipiunt.

Matth. 3.

Matth. 25.

Lib. III. de mirabilibus sacræ Scripturæ, Cap. XVI.

Ecce quãta est Apostolica virtus in Christo. Sanum Ananiam dum Petrus arguit, per sermonis tantum imperium morte ligauit, & Tabitham mortis vinculo ligatam, eadem imperii potestate dissoluit. Ideóque prius Ananias & Sapphira in conspectu Ecclesiæ citò mortui sunt, vt Apostolica auctoritas quanta esset ostenderetur, & quàm magnum peccatum esset, quod oblatum, iterum ab Ecclesia retrahere, monstraretur, & cæteri exemplo huius castigarentur.

Act. 5. Quanta Ecclesiæ virtus. Act. 9.

Lib. primo de Symbolo ad catechumenos, Cap. V.

Credimus Ecclesiam catholicam. Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia vera, Ecclesia catholica, contra omnes hæreses pugnans: pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia, de vite præcisa: ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in charitate sua. portæ inferorum non vincent eam.

Portæ inferorum non præualebunt in Ecclesiam. Matth. 16.

Lib. III. de Symbolo ad catechumenos, Cap. XIII.

Ecclesia Christi, casta corpore, prole fœcunda.

Sancta Ecclesia, in qua omnis huius Sacramenti terminatur auctoritas, mater & virgo, corpore casta, prole fœcunda, sponsa Christi superius declarata, piè nutrit filios, quos Deo Patri dignos assignare contendit. Filii boni amate tantam matrem, filii boni nolite deserere quotidie vos requirentem: rependite vicem, amate amantem. Tanta est, talis est, nobilis est, regia prole fœcúda est, non eam patiamini aut filiorum malorum, aut pessimorum seruorum iniuriis atque insidiis macerari.

Et in fine eiusdem.

Vos autem dilectissimi, qui ab initio vberibus sanctæ matris Ecclesiæ nutriti, vsque ad solidum cibum estis ab ea perducti: manete in ea. Siquis eius vel disciplinam, vel quálibet admonitionem asperè tulit, & iratus abscessit, agnoscat matrem, redeat ad eam libenter: & hęc susćipit quæ requirit, gaudebit filium perditum fuisse cóuersum. Sed licet multũ gaudeat filium perditum fuisse conuersum, stabilitatis dignitatem non quiescit prædicare secum permanentium filiorum.

Ecclesia gaudet reuerso filio.

Lib. III. de Symbolo ad catechumenos, Cap. X.

Cerdo sanctam Ecclesiam. Propterea huius conclusio Sacramenti, per sanctam Ecclesiam terminatur, quoniam si quis absque ea inuentus fuerit, alienus erit à numero filiorum. Nec habebit Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem: nihilque ei valebit quod credidit vel fecit tãta bona sine fine summi boni. Ecclesia mater spiritalis est, Ecclesia sponsa Christi est, gratia eius dealbata, pretioso sanguine dotata. Totum possidet quod à viro suo accepit in dote. Lego tabulas matrimoniales eius: recitabo. Audite hæretici quid scriptũ sit, Oportebat Christum pati & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes. Omnes gentes, totus mundus est. Ecclesia totũ possidet quod à viro suo accepit in dote. Quęcunque congregatio cuiuslibet hæresis in angulis sedet, concubina est non matrona.

Qui non habet Ecclesiam matrem, non habiturus est Deum patrem.

Ex libro de correctione Donatistarum ad Bonifacium, Cap. III.

Ecclesiam verò toto terrarum orbe diffusam, cui non communicat pars Donati, vniuersarum Scripturarum testimonia, consona voce proclamant. In semine tuo benedicentur omnes gentes: Lex Dei dicit. Ab ortu Solis vsque ad occasum, sacrificium mundum offertur nomini meo, quoniam glorificatum est nomen meum in gẽtibus: per Prophetam Deus dixit. Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum: per Psalmum Dominus dixit. Fructificans & crescens in vniuerso mundo: per Apostolum Dominus dixit. Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa & in Samaria, & vsque ad fines terræ: Filius Dei ore suo dixit.

Ecclesia per totum orbem diffusa.

Genes. 22. Malach. 1.

Psalm. 71.

Coloss. 1.

Lucæ 23. Actorum 1.

In eodem, Cap. XXV.

Iustus autem hìc nemo est iustitia sua, id est, tãquam sibi à seipso facta: sed, vt dicit Apostolus, Sicut vnicuique Deus partitus est mensuram fidei. Sequitur autem & adiungit, Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem mẽbra non eosdem actus habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo. Ac per hoc nemo poterit esse iustus, quandiu fuerit ab vnitate eius corporis separatus.

In Ecclesia nemo per se iustus est. Roman. 12.

Eodem libro, Cap. XXX.

Vnus panis, vnũ corpus multi sumus. proinde Ecclesia catholica sola corpus est Christi, cuius ille caput est, Saluator corporis sui. Extra hoc corpus neminẽ viuificat Spiritus sanctus: quia sicut ipse dicit Apostolus, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Non est autem particeps diuinæ charitatis, qui hostis est vnitatis. Non habent itaque Spiritum sanctum, qui sunt extra Ecclesiam: de quibus scriptum est, Qui seipsos segregant, animales, Spiritum non habentes.

1. Corinth. 10.

Roman. 5.

Extra Ecclesiã non est Spiritus sanctus. Iudæ 1.

Libro I. de nuptiis & concupiscentia, ad Valerium, Cap. XXXIIII.

Ac per hoc non solùm omnia peccata, sed omnia prorsus hominum mala, Christiani lauacri sanctitate tolluntur: quo mundat Ecclesiam suam Christus, vt exhibeat eam sibi, non in isto seculo, sed in futuro, non habẽtem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Nam qui modò eam talem esse dicunt, & tamen in illa sunt, quoniam & ipsi fatentur se habere peccata: si verum dicant, profectò quoniam mundi non sunt à peccatis, habet in eis Ecclesia maculam. Si autem falsum dicunt, quia corde duplici loquuntur, habet in eis Ecclesia rugam. Si autem dicunt se habere ista, non ipsam: ergo se nõ esse mẽbra eius, nec ad corpus eius pertinere fateãtur, vt etiam sua cõfessione damnẽtur.

Ephes. 5.

In futuro seculo Ecclesia non est habitura vllam rugam nec maculam.

Libro VII. Quæstionum super Iudicum, Cap. XLIX.

Ex omnibus quippe ætatibus Ecclesia congregatur. quarum prima est ab Adam vsque ad diluuium. Secunda à diluuio, id est, à Noe vsque ad Abraham. Tertia ab Abraham vsque ad Dauid. Quarta à Dauid vsque ad transmigrationem in Babyloniã. Quinta ab hac trãsmigratione vsq; ad Virginis partum. Sexta inde vsque in huius seculi finem.

Per sex ætates Ecclesia congregatur.

Lib. Quæstionum Veteris & noui Testamenti, XCIII.

Illud autem quòd insufflasse in discipulos Dominus legitur, post dies paucos resurrectionis suæ, & dixisse, Accipite Spiritum sanctum: Ecclesiastica potestas collata intelligitur esse. Quia enim omnia in traditione Dominica per Spiritum sanctum aguntur: idcirco cùm regula eis & forma traditur huius disciplinæ, dicitur eis, Accipite Spiritum sanctũ. Et quia verè ad ius Ecclesiasticum pertinet, statim subiecit, dicens,

Inspiratio Spiritus sancti, gratia Dei est.

dicens, Cuius tenueritis peccata, tenebũtur, & cuius remiseritis, remittẽtur ei. Inspiratio ergo hæc, gratia quædã est, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commẽdatiores habeãtur. Vnde Apostolus dicit ad Timotheum, Noli, inquit, negligere gratiam, quę est in te, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterii, &c. 1. Timoth. 4.

Post pauca ibidem.

Tres formæ officiorum in Apostolis. Trium ergo officiorum formæ doni Spiritus sancti, in Apostolis sunt ostensæ. Quarum prima est hæc, quæ ad ius Ecclesiasticum pertinet, in regenerãdis vel cæteris officiis. Secunda, quę in Pentecoste data est, quæ est generalis. Nõ solùm enim in Apostolos, verumetiam in omnes decidit Spiritus sanctus credentes. Tertia forma est, quæ solis Apostolis concessa est, in signis & virtutibus faciendis, vtquedum fidei semina iacerentur ad incrementum. Actorũ 1, & 2. Matth. 16.

Ex libro Quæstionum Euangelii secũdum Matthæum, Cap. XI.

Sed tamen vt dictum est, propter eandem fidem & vnitatem Ecclesiæ, neque inter zizania, quoniam illa extrà radicata sunt, neque inter aristarum paleã, quę se etiam frumentis audet aspera dissensione & fragili electione superimponere, sed quanuis subiectam frumentis, tamen inter paleam, quæ vltima ventilatione separanda est, numerantur. Matth. 13.

Quæstionum LXV. ad Orosium, Quæst. III.

Arca est Ecclesia, bitume charitas. Sicut arca de lignis quadratis construebatur, ita & Ecclesia de Sãctis constituitur. Quadratum enim in quacũque parte posueris, fortiter stat: & Sancti in quibuslibet tẽtationibus stabiles permanent, nõ aduersitatibus, nõ prosperitatibus cedunt. Bitumen enim significat charitatem, per quam Sancti nec illis scandalis, quæ fiunt ab iis qui intus sunt, cedunt, nec illis quæ fiunt ab iis qui foris sunt, & seruãt vnitatem spiritus in vinculo pacis, tolerantes & malos Christianos qui sunt in Ecclesia, & hæreticos qui sunt foris & extra Ecclesiam.

Et alibi.

Genes. 6. Qui in Ecclesia est, saluabitur. Sicut in arca Noe, nemo nisi qui in ea erat à diluuio liberabatur: ita nullus, nisi Ecclesiæ membrum fuerit, saluabitur.

Ex dialõgo altercationis Ecclesiæ & Synagogæ, B.

Genes. 25. Maior seruiet minori, de Ecclesia dictum. Ecclesia dixit, Lege quid Rebeccæ sit dictum quum pareret, Duæ gentes in vtero tuo, & duo populi de ventre tuo diuidentur, & populus populum superabit: & maior seruiet minori. Certè maiorem paulò antè te dixisti regnasse, triumphasse, sceptrum tenuisse, purpuram possedisse: me minusculam vallibus delituisse quondam, vel in collibus habitasse saxorum. Te auro, ornamento, byssо, serico, gẽmis claruisse nobilibus: me minorẽ pecorum lacte vixisse. Ego oues & pecora, tu militem possidebas. Inde est quòd ego minor atq; pauperior, tu maior & diues subiugata mihi degas, populo seruitura minori.

Contra Petiliani Donatistæ Epistolam, Cap. II.

Coloss. 1. Hæc autem Ecclesia corpus Christi est, sicut Apostolus dicit, Pro corpore eius, quæ est Ecclesia. Vnde vtique manifestum est, qui non est in membris Christi, Christianam salutem habere non posse. Membra verò Christi per vnitatis charitatem copulãtur sibi, & per eandem capiti suo cohærent, quod est Christus Iesus. Totũ igitur quod annuntiatur de Christo, caput & corpus est.

Cap. III. ibidem.

In Scripturis sanctis Ecclesiã requiramus. Matth. 24. Si autẽ Christi Ecclesia, canonicarum Scripturarum diuinis & certissimis testimoniis, in omnibus gentibus designata est, quidquid attulerint & vndecunque recitauerint, qui dicunt, Ecce hîc Christus, ecce illic: audiamus potius, si oues eius sumus, vocem Pastoris nostri dicẽtis, Nolite credere. Illæ quippe singulæ in multis gentibus, vbi ista est, nõ inueniuntur: hæc autem quæ vbique est, etiam vbi illæ sunt, inuenitur. Ergo in Scripturis sanctis eam, Ecclesiam scilicet, requiramus.

Cap. IIII. ibidem.

Totus Christus caput & corpus est, caput vnigenitus Dei Filius, & corpus eius Ecclesia, sponsus & sponsa: duo in carne vna. Quicunq; de ipso capite à Scripturis sanctis dissentiunt, etiam si in omnibus locis inueniantur, in quibus Ecclesia designata est, non sunt in Ecclesia. Et rursus quicunque de ipso capite Scripturis sanctis consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia: quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt.

Non sunt in Ecclesia, qui Scripturis sanctis non consentiunt.

In eadem, Cap. X.

Hierusalem cælestis est Ecclesia Christi. Luc. 24. Teneamus ergo Ecclesiam ex ore Domini designatam, vnde cœptura & quousque peruẽtura esset. Cœptura scilicet ab Hierusalem, & peruentura in omnes gentes. Hic iam quisquis dixerit, Hierusalem non illam visibilẽ ciuitatem intelligendam, sed figuratè positam, vt spiritaliter accipiatur tota Ecclesia æterna in cælis, & ex parte in terris peregrina: potest dicere etiam illud figuratè dictum, Quia oportebat Christum pati, & resurgere tertia die. Quod quisquis dixerit, nec quoquo modo Christianus habendus est.

Cap. XI.

Euangelizata est Ecclesia nobis, per totum orbem terrarum futura. Hoc in Lege & Prophetis & Psalmis esse prænuntiatum, ipse Dominus testificatus est, qui eam cœpturam ab Hierusalem, & per omnes gentes peruasuram esse prædixit: testes sibi futuros in Hierusalem & in tota Iudæa & Samaria, & vsque in totam terrã, cùm iam in cælum ascẽderet, præm. Luc. 24. Actorum 1.

nuntiauit. Hæc verba, facta secuta sunt. Quomodo cœptum sit ab Hierusalé, & deinde processum in Iudæam & Samariã, & in totam terram, vbi adhuc crescit Ecclesia, donec vsque in finem, etiam reliquas gentes, vbi adhuc nõ est, obtineat, Scripturis sanctis testibus cõsequenter ostenditur. Quisquis aliud euangelizauerit, anathema sit.

Ab Hierusalem cæpit Ecclesia.

Ibidem, Cap. XIII.

De cõmixtione malorum cum bonis.

Habemus innumerabilia testimonia, & de commixtione malorum cum bonis, in eadem communione Sacramenti, sicut Iudas ab initio malus inter bonos vndecim conuersatus est, & de bonorum paucitate, propter malorum plurimam comparationem, & rursus de bonorum multitudine per seipsam consyderata, ex quibus ne longum faciam pauca commemorabo.

Cantic. 2. Est in Canticis canticorum, quod de sancta Ecclesia omnis Christianus dictum esse agnoscit, Sicut lilium inter spinas, ita proxima mea in

Ezech. 9. medio filiarum. Item, Qui gemunt & mœrent peccata & iniquitates populi mei, quæ fiunt in

Matth. 13. medio eorum. Item in Euangelio Matthæi, Sinite vtraque crescere vsque ad messem. Item, Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mari, quæ congregat omnia genera piscium. Quum autem esset impleta, eduxerunt omnia ad littus: & sedentes elegerunt optimos in vasa

Matt. 7. & 13. sua, malos autem foras miserunt. Sic ergo erit in consummatione seculi. Item, Intrate per angustam portam.

Cap. XIIII. in fine.

Post prædicatũ vbique Euangelium, finis.

Sunt enim adhuc nonnullæ gẽtes, in quibus nondum est Euangelium prædicatum: necesse est autẽ impleri omnia quæ de Christo & Ecclesia prædicta sunt. Oportet ergo in eis prędicari. quod cùm impletum fuerit, tunc erit finis.

Cap. XV. in fine.

Christus annũtiandus in Ecclesijs.

Galat. 1.

Tenent enim Ecclesiæ, Apostolico labore fundatæ, cùm quãta cura sibi prædictum sit, Si quis vobis euangelizarit præterquam quod accepistis, anathema sit.

Lib. IIII. de Trinitate, Cap. VIII, & IX.

Ioannis 17.

Non pro iis autem rogo, inquit, tantùm, sed & pro eis qui crediturí sunt per verba eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: vt mundus credat, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Non dixit, Ego & ipsi vnum, quanuis per id quòd Ecclesiæ caput est, & corpus eius Ecclesia, posset dicere, Ego & ipsi non vnum, sed vnus: quia caput & corpus vnus est Christus: sed diuinitatem eius consubstantialem Patri ostendens, hoc ait.

Vnitas Ecclesiæ.

Ioannis 10. Propter quod & alio loco dicit, Ego & Pater vnum sumus.

Libro de Baptismo contra Donatistas, Cap. XVI.

Genes. 4 & 5. Exod. 2.

Quæ autem peperit Abel & Enoch & Noe & Abraham, ipsa peperit Moysem & Prophetas tẽpore posteriores ante aduentum Domini, & quæ istos, ipsa & Apostolos & Martyres nostros & omnes bonos Christianos. Omnes enim quidem diuersis temporibus nati apparuerunt, sed societate vnius populi continentur, & eiusdem ciuitatis ciues, labores huius peregrinationis experti sunt, & quidam eorum nunc experiuntur, & vsque in finem cæteri experientur. Item quæ peperit Cham & Ismael & Esau, eademipsa peperit & Dathan & alios in eodem populo similes, & quæ istos, eademipsa & Iudam pseudoapostolum, & Simonem magum, & cæteros vsque ad hæc tempora pseudochristianos, in affectione animali pertinaciter obduratos, siue in vnitate permixti sint, siue aperta præcisione dissentiant. Sed cùm tales à spiritalibus euangelizantur, & Sacramentis imbuuntur, tanquam per seipsam Rebecca eos parit, sicut Esau. Cùm autem per illos, qui non castè annũtiant Euangelium, tales in Dei populo generantur, non per Saram quidem, sed per Agar. Itẽ boni spiritales quando euangelizantibus vel baptizantibus carnalibus generantur, Lia quidem vel Rachel iure cõiugali eos, sed per ancillarum vterum, parit. Cùm verò per spiritales in Euãgelio generantur boni fideles, qui vel euadunt in spiritalis ætatis affectum, vel eò tendere non desistunt, vel ideo non faciunt quia non possunt, sicuti ex vtero Saræ Isaac, vel Rebeccæ Iacob, in nouam vitam & nouum Testamẽtum nascuntur.

Ecclesia mater est fidelium omnium.

Genes. 4 & 5 & 16 & 25 Num. 16 Luc. 6 Act. 8

Genes. 25

Genes. 16

Cap. XVII. In eodem lib.

Itaque siue intus versari videatur, siue apertè foris sit, quod caro est caro est. Siue in area sua sterilitate pseueret, siue occasione tẽtationis tanquã vẽto extollatur, quod palea est, palea est, & semper ab illius Ecclesiæ, quæ sine macula & ruga est, vnitate diuisus est, etiam qui in cõgregatione Sanctorum carnali obduratione miscetur. De nullo tamẽ desperãdum est, siue qui intus talis apparet, siue qui foris manifestius adu ersatur. Spiritales autem siue ad hocipsum pio studio proficientes, non eunt foras: quia & cùm aliqua vel peruersitate vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quàm si intus permaneãt: cùm aduersus Ecclesiam nullatenus eriguntur, sed in solida vnitatis petra, fortissimo robore charitatis radicãtur. Ad hoc enim pertinet, quod in illo Abrahæ sacrificio dicitur, Aues autem non diuisit.

Ephes. 5

De nullo in Ecclesia desperandum est.

Genes. 15

Lib. VII. De Baptismo contra Donatistas, Cap. II.

Quibus omnibus consyderatis, puto me non temerè dicere alios ita esse in domo Dei, vt ipsi etiam sint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari super petram, quæ vnica columba appellatur, quæ sponsa pulchra sine macula & ruga, & hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ viuæ, paradisus cum fructu pomorum. Quæ domus etiã claues accepit, ac potestatem

Ecclesia domus Dei.

ſtatem ligandi atque ſoluendi. Hanc domum ſi quis corripientem corrigentémque contemſperit, Sit tibi (inquit) tanquam ethnicus & publicanus. De hac domo dicitur, Domine dilexi decorē domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ: &, Qui habitare facis vnanimes in domo: &, Iocundatus ſum in iis quæ dixerunt mihi, In domum Domini ibimus: &, Beati qui habitant in domō tua, Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te: & innumerabilia talia. Hæc domus etiam triticum dicitur, ſiue tricenum, ſiue ſexagenum, ſiue centenum afferens fructum cum tolerātia. Hæc domus eſt in vaſis aureis & argenteis, & lapidibus pretioſis, & lignis imputribilibus. Huic domui dicitur, Sufferentes inuicem in dilectione, ſtudentes ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: &, Tēplū Dei ſanctū eſt, quod eſtis vos. Hoc quippe in bonis fidelibus eſt, & ſanctis Dei ſeruis vbique diſperſis, & ſpirituali vnitate deuinctis, eadem communione ſanctorum Sacramentorum, ſiue ſe facie nouerint, ſiue non nouerint. Alios autē ita dici conſtat eſſe in domo, vt non pertineant ad compagem domus, nec ad ſocietatem fructiferæ pacificæque iuſtitiæ: ſed ſicut eſſe palea dicitur in frumentis. Nam & iſtos eſſe in domo negare non poſſumus, Paulo Apoſtolo dicente, In magna autem domo non ſolùm aurea vaſa ſunt vel argentea, ſed & lignea & fictilia: & alia quidem ſunt in honorem, alia verò in contumeliam. Ex hoc numero innumerabili, non ſolùm turba intus premēs cor paucorum in tantæ multitudinis cōparatione Sanctorū, ſed etiā diruptis retibus hæreſes & ſchiſmata exiſtūt in eis, qui iā magis ex domo quàm in domo eſſe dicendi ſunt: de quibus dicitur, Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Separatiores enim ſunt, iam etiā corporaliter ſegregati, quàm illi qui in terris carnaliter & animaliter viuunt, & ſpiritaliter ſeparati ſunt.

Matth. 16, & 18. — Pſalm. 25. — Pſalm. 67. — Pſalm. 121. — Pſalm. 83. — Matth. 13. — 2. Timoth. 2. — Epheſ. 4. — 1. Corinth. 3. — 2. Timoth. 2. — 1. Ioannis 2.

Lib. II. contra literas Petiliani, Cap. CVIII.

Nec ideo hæretici putandi ſunt eſſe in Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, quia Sacramentorum eius corporaliter participes fiunt. Illa enim & in talibus ſancta ſunt, & eis indignè tractantibus & ſumentibus ad maius iudicium valebunt. Ipſi autem non ſunt in illa Chriſti compage, quæ in membris Chriſti per connexum & contactum creſcit in incrementum Dei. Illa quippe Eccleſia in Petra eſt, ſicut Dominus dicit, Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Illi autem in arena ædificant, ſicut idem Dominꝰ dicit, Qui audit verba mea, & non facit ea, ſimilabo eum viro ſtulto, qui ædificat domum ſuam ſuper arenam. Sed ne putes Eccleſiam, quæ in Petra eſt, in vna parte eſſe terrarum, & non diffundi vſque ad fines terræ, audi eius vocem de Pſalmo gementis inter mala peregrinationis ſuæ. Ait enim, A finibus terræ ad te clamaui, dum angeretur cor meum, in petra exaltaſti me: Deduxiſti, quia factus es ſpes mea, turris fortitudinis à facie inimici. Videte quēadmodum à finibus terræ clamat. Nō eſt ergo in ſola Aphrica, vel ſolis Aphris, Epiſcopum Romā paucis Mōtenſibus, & in Hiſpaniā domui vnius mulieris ex Aphrica mittētibus. Videte quemadmodū in petra exaltetur.

Coloſſ. 2. — Matth. 16. — Matth. 16. — Pſalm. 60.

Eccleſia in petra exaltatur.

Lib. II. contra Creſconium Grammaticum, Cap. XXII.

In Scriptura quippe ſancta, quæ neminem fallit, area dicta eſt Eccleſia Dei, Dominúmque ipſum cum ventilabro eſſe venturum, & mundaturum aream ſuam, vt frumenta recondat in horreo. paleā verò cōburat igni inextīguibili.

Area Dominica eſt Eccleſia. — Matth. 3.

In eodem, Cap. XXXI.

Proinde cùm dicat Apoſtolꝰ, cuius Epiſtolæ in auctoritate canonica vigent, Quotquot ergo perfecti ſumus hoc ſapiamus: & ſiquid aliter ſapitis, id quoque vobis Deus reuelabit: quandiu aliter ſapuit Cyprianus, ſi ſcripta eius eſſe cōſtat, quę ꝓ vobis proferenda arbitramini: quandiu ergo de hac re aliter ſapuit, quàm veritas diligentius cōſyderata patefecit, donec ei Deus id reuelaret, ineffabili laude charitatis vnitatē pacémq; catholicam etiam cum collegis ſuis, à quibus aliter ſapuit, non reliquit.

Philip. 3.

Cyprianus erauans, tamen vnitatem nō deſeruit.

In eodem, Cap. XXXIIII. contra eundem.

Nam & ſi vidētur (inquit) in Eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas noſtra, vt quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus. Nobis tantūmodo laborandū eſt, vt frumētum eſſe poſſimus, vt cùm cœperit frumētum Dominicis horreis condi, fructum pro opere noſtro & labore capiamus. Apoſtolus in Epiſtola ſua dicit, In domo autem magna, nō ſolùm vaſa ſunt aurea & argētea, ſed & lignea & fictilia. Et quędam quidē honorata, quædā in honorata. Nos operam demus, & quantum poſſumus laboremus, vt vas aureum & argenteum ſimus. Cæterùm fictilia vaſa confringere Domino ſoli cōceſſum eſt, cui virga ferrea data eſt.

In domo Domini vaſa varia.

2. Timoth. 2.

Poſt pauca ibidem.

Vides frater, ſecundum Scripturas diuinas hoc præcepiſſe Cyprianū, etiā propter malos. Qui cùm ſint à bonis vita moribúſque ſpiritaliter ſeparati, corporaliter tamē eis in Eccleſia vidētur eſſe permixti vſq; in diem iudicii, quo etiā corporaliter debitas ſeparabuntur ad pœnas. Nō eſt Eccleſia deſerēda, tāquam frumēta propter paleā vel zizania: ſicut nec domus magna propter vaſa inhonorata. Vides, audis, ſentis, capis, intelligis, quanto ſcelere propter eos, qui vobis ſiue rectè, ſiue quum fallimini, diſplicent, ſeparemini ab Eccleſia, quæ toto orbe diffunditur, cui ſecūdum diuinas Scripturas, tam magnum, tam firmum, tam clarum atque luculentum teſtimonium perhibet Cyprianus.

Eccleſia nō eſt deſerenda propter zizania.

Libro tertio contra eundem, Cap. XXXVIII.

Si ergo licuit regi Dauid, Samueli, Esaiæ, Hieremiæ, Zachariæ, cæterisque Sanctis ac Prophetis Dei, inter contemptores Legis Dei mandata seruare, atque in illosipsos mandati transgressores, multa digna & vera verba iaculari: patrũ quoq; illa peccata quibus sub Moyse ita offenderunt Deum, vt nemo eorũ dignus esset terram promissionis intrare, non imitari, nõ sectari, sed detestari ac fugere, & illos qui ea committerent, similitudinè talium patrum increpare, nec tamen sibi alterum populum quasi purgatum & liquatum, separatione sacrilega constituere: & quomodo nobis non liceat nec facta, nescio quorũ, quæ magis obiicitis quàm probatis, imitari: nec tamen ab ea quæ in vniuerso mundo (sicut Apostolus dicit) fructificat & crescit, sancta Ecclesia separari?

Coloss. 1.

Eodem lib. contra eundem, Cap. I.

Nullis tamen bonis in Catholica hoc placet, si vsque ad mortem in quenquẽ, licet hæreticũ, sæuiatur. Neque verò si longè à morte cuiuslibet molestiis libido vlciscẽdi malum pro malo retribuat, approbamus: multò amplius detestãtes, si exhac occasione, velut pro vnitate conãdi concupita, quisque auferat aliena: non illa quæ sub nomine Ecclesiæ non debent ab hæreticis possideri, sed quoruncunque priuata. Hæc omnia displicent bonis, & ea prohibent & cohibent quantum possunt, quantum autem non possunt, ferunt, & sicut dixi, pro pace laudabiliter tolerant, non ea laudabilia, sed damnabilia iudicãtes, nec propter zizania, segetẽ Christi, nec propter vasa inhonorata, domũ magnã Christi, nec propter pisces malos, retia Christi derelinquunt.

Propter malos pisces rete non deserendum. Matth. 13. 2. Tim 2.

Libro IIII. contra eundem, Cap. LXI.

In semine tuo benedicentur omnes gentes. Omnes, inquit, gentes: non dixit omnium gentium homines. vnde necesse est, non solùm fœcunditate crescẽtis Ecclesię, verũetiam permixta multitudine eius inimicorum, per quos pietas eius exerceri & probari possit, vsq; in finẽ iudiciarię separationis tot° orbis impleatur.

Genes. 22.

Mali mixti bonis.

De gratia noui Testamenti ad Honoratum, Cap. VI.

Ecclesia in Christo patiebatur, quando pro Ecclesia patiebatur: sicut etiam ipse in Ecclesia patiebatur, quando pro illo Ecclesia patiebatur. Nam sicut audiuimus Ecclesiæ vocem in Christo patientis, Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? sic etiam audiuimus Christi vocem in Ecclesia patientis, Saule Saule, quid me persequeris?

Ecclesia in Christo patitur.

Psalm. 21.

Actorum 9.

Quarto loco collationis tertii diei cum Donatistis.

Hæc duo tempora Ecclesiæ, quæ nunc est, & qualis tunc erit, significata esse etiam duabus piscationibus. Vna ante resurrectionem Christi, quando mitti iussit retia, nec sinistram nec dexteram nominans partem, vt nec solos malos nec solos bonos, sed commixtos bonis malos intra retia suorum Sacramentorum futuros doceret. Post resurrectionem autem quando iussit retia mitti in dexteram partem, vt post resurrectionem nostram, bonos solos in Ecclesia futuros intelligeremus, vbi vlterius hæreses & schismata non erunt, quibus modò retia dirumpuntur.

Duæ piscationes, duo tempora.

Luc. 5.

In Epistola, post collationem contra Donatistas. C.

Quisquis ergo ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quantunlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere, quòd à Christi vnitate disiunctus est, non habebit vitam: sed ira Dei manet super eum. Quisquis autem in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata: quia vnusquisque in ea proprium onus portabit, &c.

Contra Donatistas post collationem, Cap. IX.

Ecce manifestum est quod dicebatur à nobis, esse distinguenda tempora Ecclesiæ, non tamen nunc esse talem, qualis post resurrectionem futura est: nunc malos habere permixtos, tunc omnino non habituram: ad illam eius puritatem, non ad huius tẽporis permixtionem illa diuina testimonia pertinere, quibus eam Dominus prædixit ab omni malorum permixtione penitus alienam.

Futura Ecclesia erit pura.

Contra Epistolam Manichæi, quam vocant fundamenti, Cap. IIII.

Vt ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia catholica esse non credidi, multa sunt alia, quæ in eius gremio me iustissimè teneant. Tenet consensio populorum atque gentium. Tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Apostoli Petri, cui pascendas oues suas, post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad pręsentem Episcopatum succesio sacerdotum. Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa in tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cùm omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui vbi ad Catholicum conueniatur, nullus hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere, &c.

Quid in Ecclesia aliquem teneat.

In eodem, Cap. V.

Si ergo inuenires aliquem, qui Euangelio nondũ crederet, quid faceres dicẽti tibi, Non credo? Ego verò Euãgelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ cõmoueret auctoritas.

Ecclesia mouet vt credamus Euangelio.

De agone Christiano, Cap. XXIX.

Nec audiamus, qui sanctam Ecclesiam, quæ vna catholica est, negant per orbem esse diffusam: sed in sola Aphrica, hoc est, in parte Donati pollere arbitrantur, Ita surdi sunt aduersus Prophetam dicentem, Filius meus es tu

Ecclesia nullo loco affixa.

Psalm.2. es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et alia multa, siue in veteris, siue in noui Testaméti libris, quæ scripta sunt, vt apertissimè declarét Ecclesiam Christi per orbem terræ esse diffusam. Quod quum eis obiicimus, dicũt iam ista omnia fuisse completa, antequam esset pars Donati. Sed postea totam Ecclesiam periisse, & in sola Donati parte reliquias eius remansisse contẽdunt. O linguam superbam & nefariam! Nec verè sic viuerent, vt vel inter se pacem postea custodirẽt.

Libro XIII. contra Faustum,
Cap. XIII.

Propter hos enim motus paruulorum, qui possunt seduci ab hominibus à manifestatione claritatis Ecclesiæ, Dominus quoque prouidens dixit, Non potest ciuitas abscondi supra montem constituta: quia vtique sedes gloriæ exaltata, est sanctificatio nostra: vt non audiantur illi, qui ad religionum scissuras traducunt dicentes, Ecce hic est Christus, ecce illic. Partes enim ostendunt, dicentes, Ecce hìc, ecce illic: quum illa ciuitas super montem sit. Quem montem, nisi eum, qui secundum prophetiam Danielis, ex paruulo lapide creuit, & factus est mõs magnus, ita vt impleret vniuersam terram? Nec illi audiãtur, qui nomine quasi secretæ & apocryphæ veritatis & hominis paucitatis, dicunt, Ecce in cubiculis, ecce in deserto: quia non potest ciuitas abscondi supra montem constituta: quia sedes gloriæ exaltata est sanctificatio nostra.

Matth.5. Matth.24. Daniel.2. Ecclesia nõ potest abscondi supra montem constituta.

De catechizandis rudibus,
Cap. XXIIII.

Oportebat autem vt eadem vitis, sicut à Domino identidem prædictum erat, putaretur, & ex ea præciderentur infructuosa sarmenta, quibus hæreses & schismata per loca facta sunt, sub Christi nomine, non ipsius gloriam, sed suam quærentium: per quorum aduersitates magis magísq; exercitaretur Ecclesia, & probaretur & illustraretur & doctrina eius & patientia.

Ioannis 15. Schismatici præcidentur à vite.

Ad Glorium, Eleusium, & Felicem
Epistola CLXIII.

Nemo delet de cælo constitutionem Dei, nemo delet de terra Ecclesiam Dei. Ille totum orbem promisit, ista totum orbem repleuit, & malos habet & bonos. Sed nec in terris amittit nisi malos, nec in cælum admittit nisi bonos, &c.

Ecclesia in terris malos amittit, in cælo bonos admittit.

In Psalmum LVI.

Quoniam totus Christus caput est & corpus, quod bene vos nosse non dubito. Caput est ipse Saluator noster, passus sub Pontio Pilato, qui nunc, posteaquam resurrexit à mortuis, sedet ad dexteram Patris. Corpus autem eius est Ecclesia: non autem ista aut illa, sed toto orbe diffusa. Nec ea quæ nunc est in hominibus, qui præsentem vitam agunt, sed ad eam pertinentibus, etiam iis qui fuerunt ante nos, & iis qui futuri sunt post nos, vsque in finem seculi. Tota enim Ecclesia constans ex omnibus fidelibus, quia fideles omnes membra sunt Christi, habet illud caput positum in cælestibus, quod gubernat corpus suum: & si separatum est à visione, sed annectitur charitate. Quia ergo totus Christus caput est & corpus eius, propterea in omnibus Psalmis sic audiamus voces capitis, audiamus & voces corporis. Noluit enim loqui separatim, quia noluit esse separatus, dicens, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Si nobiscum est, loquitur in nobis, loquitur de nobis, loquitur per nos: quia & nos loquimur per illum: & ideo verum loquimur, qui in illo loquimur. Nam quando in nobis, & ex nobis loqui voluerimus, in mendacio remanebimus, &c.

Ephes.1. Marci 16. Ecclesia Dei toto orbe est diffusa. Matth.28.

In Psalmum LXII.

Ille enim vnus qui natus est de Maria, & passus est, & sepultus est, & resurrexit, & ascendit in cælum, & modò ad dexteram Patris sedet, & interpellat pro nobis, caput nostrum est. Si ille caput est, nos membra sumus, tota Ecclesia eius, quæ vbique diffusa est, corpus ipsius est, cuius est ipse caput. Non solùm autem fideles, qui modò sunt, sed & qui fuerunt ante nos, & qui post nos futuri sunt, vsque in finem seculi, omnes ad corpus eius pertinent, cuius corporis ipse caput est, qui ascendit in cælum. Quia ergo iam nouimus caput & corpus, ille est caput, nos corpus. Quando audimus vocem ipsius, & ex capite debemus audire, & ex corpore: quia quidquid passus est in illo, & nos passi sumus, quia & nos quod patimur in nobis, & ipse patitur. Quomodo si aliquid patiatur caput, nunquid potest dicere manus quia non patitur? Aut si aliquid patitur manus, nunquid potest caput dicere quia non patitur? Quando aliquod patitur membrum nostrum, omnia membra currunt, vt subueniant membro quod patitur. Si ergo ille quum passus est, nos in illo passi sumus, & ille iam ascendit in cælum, & sedet ad dexteram Patris, quidquid patitur Ecclesia ipsius in tribulationibus huius seculi, in tentationibus, in necessitatibus, in angustiis, quibus illam oportet erudiri, vt igne tanquam aurum purgetur: ipse patitur. Probamus hoc, quia nos in illo passi sumus, dicente Apostolo, Si autem mortui estis cum Christo, quid adhuc velut viuentes de hoc mundo decernitis? Itẽ dicit, Quia vetus homo noster & simul crucifixus est cum illo, vt euacuetur corpus peccati. Si ergo in illo mortui sumus, in illo etiam resurreximus. Dicit enim ipse Apostolus, Si autem resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, quæ sursum sunt quærite, vbi est Christus in dextera Dei sedens. Si ergo in illo

Omnes fideles ad Ecclesiæ corpus pertinẽt Coloss.1. Actorum 1. Coloss.2. Roman.6. Coloss.3.

mortui sumus, & in illo resurreximus, & ipse in nobis moritur, & in nobis resurgit. Ipse est enim vnitas capitis & corporis. Non immeritò vox ipsius etiam nostra est, & vox nostra etiam ipsius est, &c.

In Psalmum CIII.

Fundamẽtum Ecclesiæ Christus.

Firmauit Ecclesiam super firmamentum Ecclesiæ. Quid est firmamentum Ecclesiæ, nisi fundamentum Ecclesiæ? Quid est fundamentum Ecclesiæ, nisi de quo dicit Apostolus, Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter quod positum est, quod est Christus Iesus? Et ideo tali fundamento suffulta, non inclinabitur in seculum seculi. Vbi sunt qui dicunt de mundo periisse Ecclesiam, quando nec inclinari potest?

De ciuitate Dei, Cap. XXIIII. Lib. VIII.

Domus Dei ædificatur in omnis terra.

AEdificatur enim domus Domini, ciuitas quæ est sancta Ecclesia, in omni terra, post eam captiuitatem, qua illos homines, de quibus credentibus in Deum, tanquã lapidibus viuis domus ædificatur, captos dæmonia possidebant.

Lib. XVIII. Cap. XLVII.

Et gentes ad Ecclesiam pertinent.

Diuinitus autem prouisum fuisse non dubito, vt ex hoc vno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eíque placuerunt, pertinentes ad spiritalem Hierosolymam. Quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui diuinitus reuelatus est vnus Mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus: qui venturus in carne sic antiquis Sanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est, vt vna eadémque fides per ipsum omnes in ciuitatem Dei, in domum Dei, in Dei templum, prædestinatos perducat ad Deum.

Cap. XLIX.

Actorum 1.

Conuersatus est in terra Christus quadraginta dies cum discipulis suis: atque ipsis videntibus ascendit in cælum: & post dies decem promissum Spiritum sanctum misit Patris sui.

Actorum 2. Vnitas Ecclesiæ per omnes gentes.

Cuius aduenientis in eos qui crediderãt, tunc signum erat maximum, & maximè necessariũ, vt vnusquisque eorum linguis omnium gentium loqueretur: ita significans vnitatem catholicę Ecclesiæ, per omnes gentes futuram, ac sic linguis omnibus locuturam.

Sermo. XLVI. de tempore.

Si ergo sunt tecum feræ, id est, si sunt tecum in Ecclesia praua docentes, falsa sentientes, hæretici vel schismatici, aut etiam ipsi mali catholici, more ferarũ animas deuorare quęrẽtium: tolerentur vsque ad finem seculi, tanquam finem diluuii. Rugiant licet, fremant dentibus, atque ipsam arcem confringere conentur, non expaueſcas. Finito diluuio, illas rapiet inanis ac spinosa sylua: te fertilis suscipiet terra. Post finem seculi, impii rapientur ad tenebras exteriores, vbi est fletus & stridor dentium: pios suscipiet terra viuentium.

Serm. CVII.

Christus totus quomodo Scriptura eum commendat, & caput & corpus est. Sicut Ecclesiæ caput est Christus: ita Christi corpus Ecclesia est. Habet ergo Ecclesia in se fortes, habet infirmos. Habet iustos, habet & iniustos. Modò enim corpus Christi, quod iustis area est, postea horreum erit. Tamen cùm area est, non recusat paleas sustinere. Cùm tempus aduenerit, reponet triticũ, & à paleis segregabit. Eph. 5. Ecclesia habet fortes & infirmos.

Serm. CXXXI. de tempore.

Credimus sanctam Ecclesiam catholicam. Sciendum est, quòd Ecclesiam credere, non tamen in Ecclesiam credere debemus: quia Ecclesia non est Deus, sed domus Dei est. Catholicam dicit, toto orbe diffusam, quia diuersorũ hæreticorum Ecclesiæ ideo catholicæ non dicuntur, quia per loca atque per suas quasque prouincias continentur. Hæc verò à solis ortu vsque ad occasum, vnius fidei splẽdore diffunditur. Ecclesiam credimus non in Ecclesiam.

Sermo. CLXXXI. de tempore.

Qui non est in Ecclesia Christianus non est.

Quisquis ille est, & qualiscunque ille est, Christianus non est, qui in Christi Ecclesia nõ est. Sola quippe est, per quam sacrificium Dominus libenter accipiat, sola quæ pro errantibus fiducialiter intercedat. Vnde etiam de Agni hostia Dominus præcepit, dicens, In vna domo comedetis, nec efferetis de carnibus eius foras. In vna nanque domo Agnus comeditur: quia in vna catholica Ecclesia, vera hostia Redemptoris immolatur. Exod. 12.

Libro I. de moribus Ecclesiæ catholicæ, Cap. XXX.

Ecclesia mater Christianorum.

Nulla creatura adoranda, nulli seruiendum.

Meritò Ecclesia catholica, mater Christianorum verissima, non solùm ipsum Deum, cuius adeptio vita est beatissima, purissimè atque castissimè colendum prædicat: nullam nobis adorandam creaturam inducens, cui seruire iubeamur, & ab illa corrupta atque inuiolabili æternitate, cui soli homo subiiciendus est, cui soli rationalis anima cohærendo non misera est, excludens omne quod factum est, quod obnoxium cõmutationi, quod subditum tempori, neque confundens quod æternitas, quod veritas, quod denique pax ipsa distinguit: nec rursum separãs quod maiestas vna coniungit: sed etiam proximi dilectionem atque charitatem ita complecteris, vt variorum morborum, quibus pro peccatis suis animæ ægrotant, omnibus apud te medicina præpolleat. Tu pueriliter pueros, fortiter iuuenésque & senes, prout cuiusque non corporis tantùm, sed animi ætas est, exerces & doces. Tu fœminas viris suis, non ad explendã libidinem, sed ad propagandã prolem, & ad rei familiaris societatẽ, casta & fideli obedientia subiicis. Tu viros coniugibus, non ad indulgendum imbecilliorem sexum, sed synceri amoris legibus præficis. Tu parentib⁹ filios libera quadã seruitute subiungis, parentes filiis pia dominatione præpo-

præponis. Tu fratribus fratres, religionis vinculo firmiore atque arctiore quàm sanguinis, nectis. Tu omnem generis propinquitatem & affinitatis necessitudinem, seruatis naturæ voluntatisque nexibus, mutua charitate cõstringis. Tu dominis seruos, non tam conditionis necessitate, quàm officii delectatione, doces adhærere. Tu dominos seruis, summi Dei scilicet communis Domini cõsyderatione, placabiles, & ad consulendum quàm coercendum propensiores facis. Tu ciues ciuibus, gentes gentibus, & prorsus hominibus homines, primorum parentum recordatione, non societate tantùm, sed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus timor, quibus cõsolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulò doces: ostendẽs quemadmodum & nõ omnibus omnia, & omnibus charitas, & nulli debetur iniuria.

Lib. III. contra literas Petiliani, Cap. II.

Si enim firmissimè tenueritis quod exhortor & satago, maledictum esse omnẽ, qui spem suam ponit in homine, vt nemo glorietur in homine, aream Dominicam propter paleam, quæ nunc vel vento superbiæ percussa volat, vel vltima ventilatione separabitur, nullo modo deseretis, nec domum magnã propter vasa facta in contumeliam refugietis, nec propter malos pisces in litore separandos, per dirupta retia exibitis, nec propter hœdos, pastore diuisuro ad sinistram ponendos, bona vnitatis pascua relinquetis, nec propter commixta zizania vos à tritici societate, cui caput est granũ illud mortificatũ & multiplicatum, & quæ per mundum simul vsque ad messem crescit, nefaria decisione separabitis. Ager enim est mundus, non Aphrica: messis finis seculi, non tempus Donati.

Matt. 2. & 13.
2. Timoth. 2.
Matth. 13. Matth. 25.
Ioan. 12.
Sinite vtraque crescere vsque ad messem.

Lib. I. Retractationum, Cap. XXI.

In hoc libro dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in eo tanquam in petra fundata sit Ecclesia: qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, vbi de gallo gallinaceo hoc ait, Hoc ipsa Petra Ecclesiæ cantante culpam diluit. Sed scio me postea sic exposuisse, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, vt super hanc intelligeretur, quam confessus est Petrus, dicens, Tu es Christus, Filius Dei viui.

Petra Christ.

DE MINISTRIS ECCLESIAE & eius censura.

De fide & operibus, Cap. XXVII.

Iam satis, quantum arbitror, de illa tota opinione, quid videatur exposui, vbi tres quæstiones mouerunt. Vnã de permixtione in Ecclesia bonorum & malorum, tãquam tritici & zizaniorum, vbi cauendum est, ne ideo putemus esse propositas istas similitudines, vel hãc, vel de immundis in arca animalibus, vel quæcunque alia idem significant, vt dormiret Ecclesiæ disciplina, de qua in figura illius mulieris dictum est, Seueræ sunt conuersationes domus eius. Sed non cousque progrediatur dementiæ potius temeritas, quàm seueritas diligẽtiæ, vt quasi bonos à malis, per nefaria schismata separare præsumat. Neque enim per has similitudines & prænuntiationes cõsilium desidiæ datum est bonis, qua negligãt quod prohibere debent: sed patientia qua perferant salua doctrina veritatis, quod emendare non valẽt. Nec quia scriptum est introisse ad Noe in arcam etiam immunda animalia, ideo præpositi vetare non debent, siqui immundissimi ad Baptismum velint intrare saltãtes, quod est certè mitius quàm mœchantes: sed per hanc figuram rei gestæ prænuntiatum est, immundos in Ecclesia futuros, propter tolerãtiæ rationem, non propter doctrinæ corruptionem, vel disciplinæ dissolutionem. Non enim quacũque libuit intrauerunt immunda animalia, arcę cõpage confracta: sed eâ integrâ per vnum atque idem ostium quod artifex fecerat.

Disciplina Ecclesia dormire non debet.
Gene. 7.

In eodem, Cap. XXVI.

Nisi essent quædam grauia peccata, ita vt etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus, Congregatis vobis & meo spiritu, tradere huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis: vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Vnde etiam dicit, Ne lugeam multos ex iis qui antea peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, super immunditiam & fornicationem quã gesserunt. Item nisi essent quædam, non ea humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis, qui propriè Pœnitentes vocantur: sed quibusdam correptionum medicamentis, nõ diceret ipse Dominus, Corripe eum inter te & ipsum solum. Et si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Postremò nisi essent quædam, sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione quam docuit, vt dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Ecclesia habet quædam grauia peccata.
2. Corinth. 12.
Matth. 18.
Matth. 6.

Lib. I. de doctrina Christiana, Cap. XVIII.

Has igitur claues dedit Ecclesiæ suæ, vt quę solueret in terra, soluta essent in cælo, & quæ ligaret in terra, ligata essent in cælo: scilicet vt quisquis in Ecclesia eius dimitti sibi peccata non crederet, séque ab iis correctus auerteret, in eiusdem Ecclesiæ gremio cõstitutus, eadem fide atque correctione sanaretur.

Ioan. 20.
Peccata in Ecclesia correctione & fide sanantur.

Lib. III. contra Donatistas de Baptismo, Cap. III.

Neque enim quisquam nostrũm, inquit,

Sunt & Episcopi in Ecclesia iudicandi.

Episcopum se Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequẽdi necessitatem collegas suos adegit. Quid mansuetius? Quid humilius? Nulla nos certè deterret auctoritas à quærẽdo quod verum sit. Quando habeat (inquit) omnis Episcopus, pro licentia libertatis & potestatis suæ, arbitrium propriũ, tãquam iudicari ab alio non possit, quomodo nec ipse potest alterum iudicare. Nouerat enim quantam sacramẽti profunditatem, tunc omnis Ecclesia varia disputatione versabat, liberúmque faciebat quærendi arbitrium, vt examinata veritas panderetur.

De verbis Domini super Matthæum, Sermone XVI.

Matt. 18.

Adhibe illi duos vel tres testes. Si nec ipsos audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Noli illum iam deputare in numero fratrum tuorum: nec ideo tamen salus eius negligenda est. Nam & ipsos ethnicos, id est, gentiles vel paganos, in numero quidẽ fratrum non deputamus, sed tamen salutẽ eorum inquirimus. Hoc ergo audiuimus Dominum ita monentem & tanta cura præcipientem, vt etiam hoc adderet continuò, Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quęcũque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis. Cœpisti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terra: sed vt iustè alliges vide. Nam iniusta vincula disrumpit iustitia. Cùm autem correxeris, & concordaueris cum fratre tuo, soluisti illum in terra. cùm solueris in terra, solutus erit & in cælo. Multum non tibi præstas, sed illi: quia multum nocuit non tibi, sed sibi.

Quomodo ligãdus aut soluendus frater.

Ad Festum, Epistola CLXVI.

Cùm tam perspicua veritas aures & corda hominũ feriat, tanta quosdam malæ consuetudinis vorago submersit, vt omnibus auctoritatibus rationibúsque resistere, quàm consentire malint. Resistunt autem duobus modis, aut sæuiendo, aut pigrescendo. Quid igitur hîc faciat Ecclesiæ medicina, salutem omnium materna charitate conquirens, tanquam inter phreneticos, & lethargicos æstuans? Nunquid contemnere, nũquid desistere vel debet, vel potest? Vtrisque sit necesse est molesta, quia neutris est inimica. Nam & phrenetici nolunt ligari, & lethargici nolunt excitari. Sed perseuerat diligentia charitatis, phreneticum castigare, lethargicum stimulare, ambos amare. Ambo offendũtur, sed ambo diliguntur: ambo molestati, quandiu ægri sunt indignantur: sed ambo sanati gratulantur.

Corripiendi charitate sunt fratres.

Epistola CLXIX. ad Eusebium.

Prædicandum verbum Dei cum fiducia.

Nam cùm Deus imperet vt loquamur & prædicemus verbum, & docẽtes quæ nõ oportet refellamus, & instemus opportunè atque importunè, sicut Dominicis & Apostolicis literis probo, nullus hominum mihi silẽtium de iis rebus persuadendum arbitretur. Violẽter autem vel latrocinanter si quid audendum putauerint, non deerit Dominus ad tuendam Ecclesiam suam, qui iugo suo in gremio eius toto orbe diffuso, omnia terrena regna subiecit.

Ad Bonifacium, Epistola CLXXXII.

Bene enim agere, & illicita non prohibere, erroris consensus est.

Libro expositionis in Epistolam ad Galatas.

Dilectione arguendi fratres.

Nunquam itaque alieni peccati obiurgandi negotium suscipiendum est, nisi interius interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquidò nobis coram Deo respondemus, dilectione nos facere. Quidquid enim lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis.

Lib. III. contra epistolam Parmeniani, Cap. II.

Quid aliud dixit hîc, Nõ parcam, nisi quod superius ait, Et lugeam multos, vt luctus eius impetret flagellum à Domino, quo illi corriperentur, qui iam propter multitudinem non poterãt ita corripi, vt ab eorum coniunctione se cæteri continerent, vt eos erubescere facerent, sicut faciẽdum est, si quis frater in aliquo cæteris dissimili crimine nominatur? Et reuera si peccandi contagio multitudinem inuaserit, diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est. Nam consilia separationis & inania sunt, & pernicioſa atque sacrilega: quia & impia & superba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigãt animosos malos.

Separatio plus perturbat bonos, quàm emẽdet malos.

Post pauca ibidem.

Generalis obiurgatio quando prodest.

Turba autem iniquorum, quum facultas est in populis promendi sermonem, generali obiurgatione feriẽda est, & maximè si occasionem atque opportunitatẽ præbuerit aliquod Domini flagellum desuper, quo eos appareat pro suis meritis vapulare. Tunc enim aures humiles præbet emendantis sermoni calamitas auditorum, faciliúsque in gemitum confitendi, quàm in murmura resistẽdi afflicta corda compellit.

Eodem libro contra eandem, Cap. II.

Errantes corripiẽdi vt fratres

Scripsi vobis in Epistola non commisceri fornicariis. Nõ aliquid nouum aut insolitum dicam, sed quod sanitas obseruat Ecclesiæ, vt quum quisque fratrum, id est, Christianorum intus in Ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali delicto fuerit deprehensus, vt anathemate dignus habeatur: fiat hoc vbi periculum schismatis nullum est, atque id cum ea dilectione, de qua ipse alibi præcipit dicens, Vt inimicum non eum existimetis, sed corripite vt fratrem. Non enim estis ad eradicandum, sed ad corrigendum, &c. *1. Corinth. 5.*

De correctione Donatistarum, Cap. VII.

Veri

Veri autem Martyres illi sunt, de quibus
Matth.5. Dominus ait, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Non ergo qui propter iniquitatem, & propter Christianæ vnitatis impiam diuisionem, sed qui propter iustitiã persecutionem patiuntur, ii Martyres veri sunt.
Genes.16. Nam & Agar persecutionem passa est à Sara: & illa erat sancta quæ faciebat. Nunquid & huic persecutioni, quã passa est Agar, comparandus est sanctus Dauid, quem persecutus est iniquus Saul? Valde vtique distat, non quia patiebatur, sed quia propter iustitiã patiebatur.
Matth.27. Et ipse Dominus cum latronibus crucifixus est. sed quos passio iungebat, causa separabat.
Veri Martyres qui sint. Psalm.44. Ideo in Psalmo vox illa intelligenda est verorum Martyrum volentium se discerni à Martyribus falsis, Iudica me Deus & discerne causam meam de gente non sancta. Non dixit, Discerne pœnã meã, sed discerne causam meam.

Cap.VIII.

Deinde quæro, si boni & sancti nemini faciunt persecutionem, sed tantummodo patiuntur, cuius putant esse in Psalmo vocem vbi legitur, Persequar inimicos meos, & cõprehendam illos, & non conuertar donec deficiant? Si
Psalm.17. ergo verum dicere vel agnoscere volumus, est
Persecutio duplex. persecutio iniusta, quam faciunt impii Ecclesiæ Christi, & est iusta persecutio, quam facit impiis Ecclesia Christi. Ista itaque beata est, quæ persecutionem patitur propter iustitiam: illi verò miseri qui persecutionem patiuntur propter iniustitiam. Proinde ista persequitur diligendo, illi fæuiendo: ista vt corrigat, illi vt euertant: ista vt reuocet ab errore, illi vt præcipitent in errorem. Denique ista persequitur inimicos & comprehendit, donec deficiant in vanitate, vt in veritate proficiãt: illi autem retribuentes mala pro bonis, quia eis consulimus ad æternam salutem, etiam temporalem nobis conantur auferre, sic amãtes homicidia, vt in seipsis ea perficiant, quando in aliis perpetrare non possunt.

Cap.X. in eodem.

Vt magna in eos fit misericordia, quum etiam per istas Imperatorum leges, ab illa secta,
Leges Imperatoriæ contra Sectarios vtiles. vbi per doctrinas dæmoniorum mendaciloquorum mala didicerunt, prius eripiuntur inuiti, vt in Catholica postea bonis præceptis & maioribus sanentur assueti.

Cap.XIII. per totum.

Quod enim dicunt, qui contra suas impietates leges iustas institui nolunt, non petiisse à regibus terræ Apostolos talia: non cõsyderãt
Omnia temporibus aguntur. aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christo crediderat Imperator, qui ei pro pietate cõtra impietatem leges ferendo seruiret, quando adhuc illud propheticum complebatur, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania: Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius? Nondum autem agebatur, quod paulò pòst in eodem Psalmo dicitur, Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo reges Domino seruiunt in timore, nisi ea quæ cõtra Domini iussa fiunt, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim seruit quia homo est, aliter quia rex est. Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter: quia verò etiam rex est, seruit leges iusta præcipientes & contraria prohibentes, conueniẽti vigore sanciendo. Sicut seruiuit Ezechias, lucos & tem- *4.Regum 5.*
pla idolorum, & illa excelsa, quæ contra præcepta Dei fuerant constructa, destruendo. Si- *4.Regum 22.*
cut seruiuit Iosias, talia & ipse faciendo. Sicut *Ionæ 3.*
seruiuit rex Niniuitarum, vniuersam ciuitatẽ
ad placandum Dominum compellendo. Sicut *Daniel.14.*
seruiuit Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. Sicut seruiuit Nabuchodono- *Daniel.3.*
sor, de quo iam diximus, omnes in regno suo positos, à blasphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo seruiunt reges Domino, inquantum sunt reges, cùm ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi reges. Cùm itaque nondum reges Domino seruirẽt temporibus Apostolorum, sed adhuc meditarentur inania aduersus eum, & aduersus Christum eius, vt Prophetarum prædicta omnia complerentur: non vtique tunc possent impietates legibus prohiberi, sed potius exerceri. Sic enim ordo temporum voluebatur, vt & Iudæi occiderent prædicatores Christi, putantes se officium Deo facere, sicut prædixerat *Ioan.16.*
Christus: & gentes fremerent aduersus Chri- *Psalm.2.*
stianos, vt omnis patiẽtia Maryrum vinceret. Postea verò quàm cœpit impleri quod scriptum est, Et adorabunt eum omnes reges ter- *Psalm.21.*
ræ, omnes gentes seruient illi: quis mente sobrius regibus dicat, Nolite curare in regno vestro à quo tueatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri: non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse siue religiosus, siue sacrilegus: quibus dici non potest, Non ad vos pertineat in regno vestro quis velit pudicus esse, quis impudicus?

Cap.XIIII. ibidem.

Proponunt nobis quidam sententiam cui- *Terentius in Adelphis.*
usdam auctoris secularis, qui dixit, Pudore & liberalitate liberos retinere satius credo esse, quàm metu. Hoc quidem verum est: sed sicut meliores sunt quos dirigit amor, ita plures sunt quos corrigit timor. Nam vt de ipso auctore istis respondeatur, apud illum etiam legunt, Tu nisi malo coactus recta facere nescis. Porrò autem Scriptura diuina & propter illos
meliores dixit, Timor non est in charitate: sed *1.Ioan.4.*
perfecta charitas foras mittit timorẽ. Et propter hos inferiores, qui plures sunt, ait, Verbis *Proverb.29.*
non emendabitur seruus durus: si enim & intellexerit, non obediet.

Cap. XV. In eodem libro.

Vbi verò est quod isti clamare consueuerunt, Liberum est credere vel nõ credere? Cui vim Christus intulit? quem coegit? Ecce habẽt Paulum Apostolum. Agnoscant in eo prius cogentem Christum, & postea docentem: prius ferientem, & postea consolantem. Mirum est autem quomodo ille qui pœna corporis ad Euangelium coactus intrauit, plus illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Euangelio laborauit. Et quem maior timor compulit ad charitatem, eius perfecta charitas foras misit timorem. Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios vt redirent, si perditi filii coegerũt alios vt perirent? Quanuis etiam illos quos nõ coegerunt, sed tantummodo seduxerunt, si per terribiles, sed salubres leges in eius gremiũ reuocentur, blandius pia mater amplectitur, & de illis multò amplius, quàm de iis quos nunquam perdiderat, gratulatur.

Acto. 9

1. Corin. 15

1. Ioan. 4.

Cap. XVI.

Pastores reuocent peditas oues ad ouile Ecclesiæ.

An non pertinet ad diligentiam pastoralem, etiam illas oues quæ non violẽter ereptę, sed blandè lenitérque seductæ, à grege aberrauerint, & ab alienis cœperint possideri, inuentas ad ouile Dominicum, si resistere voluerint, flagellorum terroribus vel etiam doloribus reuocare: præsertim quoniam si apud fugitiuos & prædones seruos fœcunditate multiplicentur, plꝰ habet iuris quod in eis Dominicus character agnoscitur, qui in eis quos suscepimus, nec tamen rebaptizamus minimè violatur?

Post pauca ibidem.

Dominus iussit cogere erraantes vt redeant.

Sed à Christo coactum ostendimus Paulum. Imitatur itaque Ecclesia in istis cogendis Dominum suum, quæ prius vt neminem cogeret expectauit, vt de fide regum atque gentium prædicatio prophetica compleretur. Etiam hinc enim non absurdè intelligitur Apostolica sententia illa, vbi beatus Paulus dicit, Parati vlcisci omnem inobedientiam, cùm completa fuerit prior obedientia vestra. Vnde & ipse Dominus ad magnam cœnam suam prius adduci iubet conuiuas, postea cogi. Nam cùm ei serui respondissent, Domine factũ est quod iussisti, & adhuc est locus. Exite, inquit, in vias & sæpes, & quoscũq; inueneritis, cogite intrare.

Acto. 9

2. Corin. 10

Lucæ 14

Cap. XVIII.

Episcopus quidem Vagiensis, Maximianus nomine, contra Donatistas ab Imperatore Christiano petiuit auxilium, non tam sui vlciscendi causa, quàm tuendæ Ecclesiæ sibi creditæ. Quod si prætermisisset, nõ eius fuisset laudanda patientia, sed negligentia meritò culpãda. Neque enim & Apostolus Paulus vitæ suę trãsitoriæ consulebat, sed Ecclesiæ Dei, quãdo cõtra illos, qui eum occidere cõspirauerãt, cõsilium illorum Tribuno vt ꝓderetur, effecit. Vnde factũ est, vt eũ, ad locũ quò fuerat perducẽdus, deduceret miles armatus, ne illorũ paterentur insidias. Romanas etiã leges implorare minimè dubitauit, ciuẽ Romanũ se esse ꝓclamãs, quos tunc affligi verberibꝰ non licebat. Itémq; ne Iudæis eũ interimere cupiẽtibus traderetur, Cęsaris popoposcit auxiliũ, Romani qui dem principis, sed non Christiani. Vbi satis ostendit quid facere deberent postea Christi dispensatores, quando Imperatores Christianos, periclitante Ecclesia reperirent. Hinc ergo factum est, vt Imperator religiosus & pius, perlatis in notitiam suam talibus causis, mallet piissimis legibus illius impietatis errorem omnino corrigere, & eos qui contra Christum Christi signa portarent, ad vnitatem catholicam, terrendo & coercendo redigere, quàm sæuiendi tantummodo auferre licentiam, & errandi ac pereundi relinquere.

Actorum 22

Actorum 25.

Lib. V. Quæstionum super Deuteron.

Cap. XXXIX.

Auferte malum ex vobisipsis. Ex quo apparet Apostolum eum voluisse intelligi, qui aliquid tale commisit, vt excommunicatione sit dignus. Hoc enim nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat in veteri Testamento interfectio. Quanuis & aliter illud Apostolicum possit intelligi, vt vnusquisque malum vel malignum ex seipso sit iussus auferre. Qui sensus acceptabilior esset, si hoc malũ vel hoc malignum, non autem hunc malignum in Grẽco inueniretur. Nunc verò credibilius est de homine dictum, quàm de vitio. Quanquam possit elegãter intelligi, etiam homo auferre à se malum hominem, quẽadmodum dictum est, Exuite vos veterem hominem. Quod exponens, ait, Qui furabatur, iam non furetur.

1. Corinth. 5.

Ecclesia excommunicationẽ id agit quod vetus Testamentum interfectione.

Ad Valerianum, Epistola CXLIII.

Ante omnia peto vt cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita & maximè hoc tempore facilius & lætius & hominibus acceptabilius Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur. Sed nihil apud Deum miserius & tristius & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi aut Presbyteri aut Diaconi officio: sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster Imperator iubet, &c.

Laboriosissimũ & periculosissimum Episcopi officium.

In Psalmum IIII.

In omni congregatione multitudinis necesse est vt inueniantur mali. Deus enim qui nouit exercendos nos, miscet nobis & non perseueraturos, aut certè ita simulatos, vt nec inchoauerint in quo perseuerare debeant. Nouit enim necessarium esse nobis vt feramus malos, & proficiat quòd boni sumus. Diligamꝰ inimicos, corrigamus, castigemus & excommunicemus cum dilectione, etiam à nobis separemus. Videte enim quid dicat Apostolꝰ, Si quis autem non obaudit verbo nostro, per epistolam hunc notate, & nolite commisceri cum illo. Sed ne subrepat tibi ex hoc iracundia, & turbet oculum tuum, Non (inquit) vt inimicum

Excommunicandum cum dilectione.

2. Thessal. 3.

cum eum existimetis, sed corripite vt fratrem, vt erubescat. A quo indixit separationem, non præcidit dilectionem, &c.

De vita Christiana, Cap. I.

Christum vnctum interpretari, sapientium & fidelium nullus ignorat. Vnctos verò non ni si sanctos viros, & satis Deo dignos semper fuisse, manifestum est, nec alios quàm Prophetas, aut Sacerdotes, aut Reges. Et tam magnũ fuit ipsius vnctionis mysterium, vt in Iudaico populo, nõ omnes illud, sed satis pauci de plurimis mererentur accipere, & hoc vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi, quẽ Deus oleo lætitiæ, id est, Spiritu sancto præ cæteris consortibus suis vnxit. Ex quo tẽpore credentes illi, & Baptismatis illius sãctificatione purgati, non aliqui, sicut sub Lege prius fuerant, sed omnes cum Prophetis & Sacerdotibus vnguntur & Regibus. Cuius vnctionis, quales esse debemus, admonemur exemplo, vt in quibus tam sancta est vnctio, sit non minus sancta conuersatio. Ex sacramento enim vnctionis huius, & Christi & Christianorum omnium, id est, in Christo credentium vocabulum descendit & nomen. Quod nomen ille frustra sortitur, qui Christum minimè imitatur.

Psalm. 44.

Omnes fideles in Sacerdotes vnguntur & Reges.

Quæstionum Veteris & noui Testamenti, Quæst. CI.

Presbyterum intelligi Episcopum probat Paulus Apostolus, quando Timotheum, quem ordinauit Presbyterum, instruit qualem debeat creare Episcopum. Quid est enim Episcopus nisi primus Presbyter, hoc est summus sacerdos? Deinde non aliter quàm compresbyteros hîc vocat & consacerdotes suos. Nunquid & ministros condiaconos suos dicit Episcopus? Non vtique, quia multò inferiores sunt, & turpe est iudicem dicere primicerium. Nam in Alexãdria & per totam AEgyptum si desit Episcopus, cõsecrat Presbyter. Quanta autẽ sit dignitas ordinis sacerdotalis, causa ostendit Caiphæ, qui cùm esset homo pessimus, prophetauit. Quare? inquit. quia princeps erat sacerdotum. Et iterum multum distare inter Diaconum & Sacerdotem, liber approbat quem dicimus Actus Apostolorũ. Cùm enim ex Samaria credidissent Philippo prædicanti, diacono ab Apostolis ordinato, Miserunt (inquit) ad eos Petrũ & Ioannẽ, vt venirent, & iis qui crediderant, darẽt Spiritum sanctum, per manus impositionẽ. Sed inscii, credo, Scripturarum aut immemores Legis, hæc defendunt. Recordari ergo debet, qui ista putat asserenda, quid Leuitis acciderit, quum taliter saperent. Cùm enim nihil inter Sacerdotes & Leuitas interesse præsumerent, Deo iudice hiatu terræ absorpti sunt Core & consentientes ei: & ducentos quinquaginta viros torrens ignis simul cõsumpsit. Exceptis enim Sacerdotibus, quibus obsequium debent, omnibus præponuntur Diaconi.

1. Timoth. 3.

Presbyterum idem esse quod Episcopum.

Iean. 11.

Actorum 8.

Num. 16.

De correptione & gratia, Cap. III.

Ergo (inquiunt) præcipiant tantummodo nobis quid facere debeamus, qui nobis præsunt, & vt faciamus orent pro nobis: non autem nos corripiant & arguãt si non fecerimus. Imò omnia fiant, quoniam Doctores Ecclesiarum Apostoli omnia faciebant & præcipiebãt quæ fierent, & corripiebãt si non fierẽt, & orabant vt fierent. Præcipit Apostolus, dicens, Omnia vestra in charitate fiant. Corripit, dicẽs, Iam quidem omnino delictũ est in vobis, quia iudicia habetis vobiscum. Quare enim nõ magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini? Sed vos iniquitatẽ facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. An nescitis quia iniusti regnum Dei non possidebũt? Audiamus & orantem, Vos autem (inquit) Dominus multiplicet, & abundare faciat in charitate inuicem & in omnes. Præcipit vt habeatur charitas: corripit quia non habetur charitas: orat, vt abundet charitas.

Ecclesiarum ministris docere, corripere & arguere communiter.

1. Corinth. 16.

1. Corinth. 6.

1. Thessal. 3.

Cap. V. ibidem.

Quicunque Dei præcepta iam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tibi tua vitia demonstrari, non vis vt feriantur, fiátque tibi vtilis dolor, quo medicum quæras: non vis tibi tuipse ostendi, vt cùm deformem te vides, reformatorem desyderes, eíque supplices, ne in illa remaneas fœditate.

Corripiẽdus est qui corripi nõ vult.

Ibidem post pauca.

Porrò qui sibi Euangelium ab homine patiuntur prædicari: quanuis possit etiam non per hominem homini dari: concedunt etiam corripi se debere à præpositis suis, à quibus Christiana gratia prædicatur. quanuis non negetur Deus posse quem velit, etiam nullo homine corripiente corrigere, & ad dolorem salubrem pœnitentiæ, occultissima & potentissima medicinæ suæ potestate perducere.

Cap. XV. in eodem.

Corripiãtur itaque à præpositis suis subditi fratres, correptionibus de charitate venientibus, pro culparum diuersitate diuersis, vel minoribus vel amplioribus. Quia & ipsa quæ damnatio nominatur, quam facit episcopale iudicium, qua pœna in Ecclesia nulla maior est, potest si Deus voluerit, in correptionem salubberrimam cedere atque proficere.

Pro culparum diuersitate corrigẽdi subditi.

Post pauca ibidem.

Pastoralis tamen necessitas habet, ne per plures serpant dira contagia, separare ab ouibus sanis morbidam, ab illo cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam.

Separandæ à sanis ouibus morbidæ.

Cap. XVI. ibidem.

Porrò quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes saluos fieri velle debemus: omnibus, ne pereant vel ne alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter seuera correptio. Dei est autem illis eam facere

In corripiendo adhibenda seueritas.

Rom. 8.

vtilem, quos ipse præsciuit & prædestinauit conformes imaginis Filii sui. Si enim aliquando timore non corripimus, ne aliquis inde pereat: cur non etiam timore corripimus, ne aliquis inde plus pereat? Neque enim dilectionis maiora viscera gestamus, quàm beatus Apostolus, qui dicit, Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patiētes estote ad omnes. Videte ne aliquis alicui malum pro malo reddat. Vbi intelligendum est tunc potius malum pro malo reddi, si corripiendus non corripiatur, sed praua dissimulatione negligitur. Dicit enim, Peccantes coram omnibus corripe, vt cæteri timorem habeant. Quod de iis peccatis accipiēdum est, quæ non latent, ne contra Domini sententiam putetur locutus. Ille enim dicit, Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum. Verum tamen & ipse seueritatem correptionis eousque perduxit vt dicat, Si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

1. Thessa. 5
1. Timo. 5
Matthæi 18

Libro. II. Retractationum. Cap. V.

Sunt duo libri mei quorum titulus est Cōtra partem Donati, in quorum primo libro dixi, mihi non placere vllius potestatis secularis impetu schismaticos ad communionem violēter arctari: quod verè mihi tūc non placebat, quia nōdum expertus eram, vel quātum mali eorū auderet impunitas, vel quantū eis in meli° mutādis cōferre posset diligētia disciplinæ.

Hoc retractauit Augustinus.

Super Euangelium Ioannis Tractatu CXXII.

Vbi ostendit ex Euangelio viuendi, hoc est, victum habendi non necessitatem Apostolis impositam, sed potestatem datam. Quam potestatem commemorat idem Apostolus dicens, Si nos vobis spiritalia seminauimus, magnum est si vestra carnalia metamus? Si alii potestatis vestræ participes sunt, non magis nos? Sed non sumus (inquit) vsi hac potestate. Et paulò pòst, Qui altario seruiunt (inquit) altario compartiuntur: sic & Dominus ordinauit iis qui Euāgelium annuntiant, de Euangelio viuere. Ego autem nullius horum vsus sum. Satis igitur apertum est, non imperatum, sed in potestate Apostolis positum, vt aliūde non viuerent, nisi ex Euangelio, & ab eis quibus Euangelium prædicando spiritalia seminabant, carnalia meterent, hoc est, carnis huius sustentaculum sumerent, & tanquàm milites Christi, stipendium debitum acciperēt, sicut à prouincialibus Christi. Vnde ipse miles egregius idē paulò superius de hac re dixerat, Quis militat suis stipendiis vnquam? Quod tamen ipse faciebat, quia plus illis omnibus laborauit.

Apostolis de Euangelio viuendi potestas libera.
1. Corint. 9.
1. Corint. 9.
2. Corint. 15

In Epistolam Ioannis, Tract. III.

Iam hìc videte magnū sacramētum fratres. Sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus est. Nolite putare quenquā hominem aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ. Si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster. Adeò fratres vultis nosse? Nunquid non sermonem istum omnes audistis? Quàm multi hinc indocti exituri sunt! Quantum ad me pertinet, omnibus locutus sum. sed quibus vnctio illa intus non loquitur, quos Spiritus sanctus intus non docet, indocti redeunt. Magisteria forinsecus, adiutoria quædam sunt & admoniones. Cathedram in cælo habet qui corda docet. Propterea ait & ipse in Euangelio, Nolite vobis dicere magistrum in terra. Vnus est ergo magister Christus. Ipse vobis ergo intus loquitur, quando nemo hominum illic est.

Nisi sit intus qui doceat, inanis fit strepitus prædicantium.
Matth. 23.

Tracta. IIII.

Hoc autem sicut vos recordari certus sum sic exposuimus vobis, quia nos qui forinsecus loquimur ad aures vestras, ita sumus quasi operarii adhibentes culturam forinsecus ad arborem. Sed incremētum dare non possumus, nec fructus formare. Ille autem qui vos recreauit & redemit & vocauit, per fidem & Spiritū suum habitans in vobis, nisi loquatur vobis intus, sine causa nos perstrepimus. Vnde hoc apparet? Quia cùm multi audiunt, non omnibus persuadetur quod dicitur, sed illis solis, quibus intus loquitur Deus. Illis autem intus loquitur, qui ei locum præbent. Illi autem locum Deo præbēt, qui diabolo locum non præbent.

1. Corinth. 3.
Quibus loquatur Deus.

Lib. I de ciuitate Dei, Cap. IX.

Nam si propterea quisque obiurgandis & corripiendis malè agentibus parcit, quia opportunius tēpus inquirit, vel eisdem ipsis metuit ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediāt infirmos alios, & premant atque auertant à fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis.

Opportunitas monendi aduertenda.

Ibidem.

Plerunque enim ab eis docendis, admonendis, aliquādo etiam obiurgandis & corripiendis malè dissimulatur, vel quum laboris piget, vel quum os eorum coram quibus sumus, verecundamur offendere, vel quum eorum inimicitias deuitamus, ne impediant & noceant in istis temporalibus rebus, siue quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas, siue quas amittere formidat infirmitas: ita vt quanuis bonis vita malorum displiceat, & ideo cum eis non incidant in illam damnationem, quæ post hanc vitam talibus præparatur tamen quia propterea peccatis damnabilibus parcūt, dum eos in suis, licet leuibus & venialibus, metuunt, iure cum eis temporaliter flagellantur: quanuis in æternum minimè puniantur.

Quare malos aliquando parcatur.

Lib. II. ibidem, Cap. XXV.

Si ergo natura nostra esset à nobis, profectò & nostram nos genuissemus sapientiam, nec eam ex doctrina, id est, aliunde discendo percipere curaremus, & noster amor à nobis profectus & ad nos relatus, ad beatè viuēdum sufficeret: nec bono alio, quo frueretur, vllo indige-

Vt vera sapiamus Deū debemus habere Doctorem.

indigeret. Nunc verò quia noſtra natura vt eſſet, Deum habet auctorem, proculdubio vt vera ſapiamus, ipſum debemus habere doctorem, ipſum etiam vt beati ſimus, ſuauitatis intimæ largitorem.

Libro XIX. Cap XVI.

Sicut enim non eſt beneficentiæ adiuuando efficere, vt bonum quod maius eſt amittatur: ita non eſt innocentiæ parcendo ſinere, vt in malum grauius incidatur. Pertinet ergo ad innocẽtis officium, non ſolùm nemini malum inferre, verũetiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, vt aut ipſe qui plectitur corrigatur experimento, aut alii terreantur exẽplo.

Innocentis officium, punire delinquentes.

Libro. XX. Cap. XXI.

Non enim ex genere carnis & ſanguinis, ſicut erat primum ſecũdum ordinem Aaron: ſed ſicut oportebat in nouo Teſtamẽto, vbi ſecundum ordinẽ Melchiſedech ſummus Sacerdos eſt Chriſtus: pro cuiuſq; merito, quod in eo gratia diuina contulerit, Sacerdotes & Leuitas elegit: ſicut nunc videmus, qui non iſto nomine, quod ſæpe aſſequuntur indigni, ſed ea quæ non eſt bonis malíſque communis, ſanctitate penſandi ſunt.

Chriſtus non ex genere carnis elegit ſacerdotes. Pſalm. 109

Libro. XIX. ibidem, Cap. XIX.

In actione verò non amandus eſt honor in hac vita ſiue potentia, quoniam omnia vana ſub ſole: ſed opus ipſum quod per eundem honorem vel potentiam fit, ſi rectè atque vtiliter fit, id eſt, vt valeat ad eam ſalutem ſubditorum, quæ ſecundum Deum eſt: vnde iam ſuperius diſputauimus. Propter quod ait Apoſtolus, Qui Epiſcopatũ deſyderat, bonum opus deſyderat. Exponere voluit quid ſit Epiſcopatus, quia nomen eſt operis non honoris. Græcum eſt enim atque inde ductum vocabulum, quòd ille qui præficitur, eis quibus præficitur ſuperintendit, curam eorum ſcilicet gerens. Ἐπὶ quippe ſuper, σκοπὸς verò intentio eſt. Ergo ἐπισκοπεῖν Græcè ſi velimus, Latine ſuperintendere poſſumus dicere, vt intelligat non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe. Itaque à ſtudio cognoſcendę veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium. Locus verò ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, etſiita teneatur atque ad miniſtretur vt decet, tamen indecenter appetitur. Quãobrem otium ſanctum quærit charitas, veritatis negotium iuſtum ſuſcipit neceſsitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati. Si autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſsitatem. Sed nec ſic omnimodo veritatis delectatio deſerenda eſt, ne ſubtrahatur illa ſuauitas, & opprimat iſta neceſsitas.

Eccleſiaſt. 1

1. Timo. 3. Epiſcopatus eſt nomen operis non honoris.

De duodecim abuſionũ gradibus, grad. I.

Primus abuſionis gradus, ſi ſine bonis operibus ſapiẽs & prædicator fuerit, qui quod ſermone docet, actib⁹ cõplere negligit. Auditores enim doctrinę dicta facere contẽnunt, cũ prædicatoris opera, à prædicationis verbis diſcrepare conſpiciunt. Nunquam enim fit efficax prædicantis auctoritas, niſi eam effectu operis cordi affixerit audiẽtis: præſertim quum & ipſe doctor, ſi in vitiorum amorem delapſus fuerit, alterius doctoris medicamentum ſuis vulneribus adhibere paruipendit.

Ibidem decimus gradus.

Decimus gradus abuſionis, eſt Epiſcopus negligẽs, qui gradus ſui honorem requirit inter homines, ſed miniſterii ſui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur, non cuſtodit. Primò nanque ab Epiſcopo quid ſui nominis dignitas teneat inquiratur: quoniam quum Epiſcopus Græcum nomen ſit, ſpeculator interpretatur. Quare verò ſpeculator ponitur, & quid à ſpeculatore requiritur, Dominus ipſe denuntiat, quum ſub Ezechielis Prophetæ perſona Epiſcopo officii ſui rationem denuntiat, ita inquiens, Speculatorem dedi te domui Iſrael. Audiens ergo ex ore meo ſermonem, nuntiabis eis ex me.

Decimus gradus abuſionis eſt Epiſcopus negligens.

Ezechiel. 3

Poſt pauca ibidem.

Decet ergo Epiſcopum, qui omniũ ſpeculator poſitus eſt, peccata diligenter attendere. Audiens ergo & poſtquam attenderit ſermonem, ſi potuerit & actu corrigere: ſi non potuerit, iuxta Euangelii regulam ſcelerum operarios declinare. Si enim (inquit in Euangelio Dominus) peccauerit in te frater tu⁹, corripe illum inter te & ipſum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum: ſi te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium ſtet omne verbum. Si ille non audierit, die Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Tali ordine expellendus eſt quicunque doctori vel Epiſcopo adhærere noluerit. Et qui tali ordine expuſſus fuerit, ab alio aliquo doctore vel Epiſcopo non debet recipi. De ſacerdote nanque in Lege ſcribitur, Viduam aut repudiatam non accipiat vxorem. Qui ergo illam excommunicatam à catholico, illo non permittente ſibi iungit, iura ſacerdotii ſancti, quod Chriſtianorũ genus electum eſt, excedit. Hac ratione Epiſcopum, ad eos quibus in ſpeculatione poſit⁹ eſt, eſſe oportet. *Ibidem.*

Matth. 18. Quo ordine expellendus ſit qui Epiſcopo obedire nolue-rit.

Leuitic. 21.

Cæterùm verò qualis in ſemetipſo eſſe debeat, Paulus Apoſtolus exponit, vt ad gradum Epiſcopi veniens, ſit ſobrius, prudens, caſtus ſapiens, modeſtus, hoſpitalis, filios habens ſubditos cum omni caſtitate, teſtimonium habẽs bonum ab iis qui foris ſunt, proferens doctrinæ fidelem ſermonem, ante epiſcopatum non plures habẽs vxores quàm vnam. Non percuſſor, non bilinguis, non ebrioſus, non neophytus: vt per hæc ipſe oſtendat in opere, quod alios docet in ſermone doctrinæ. *Ibidem.*

Qualis eſſe debeat Epiſcopus 1. Timoth. 3.

Caueant ergo negligẽtes Epiſcopi, quòd in tẽpore vĩdictæ Domin⁹ per Prophetã cõque-

Ezechiel. 34. Iudicium Dei in negligentes Epiſcopos.

ritur,dicens, Pastores mei demoliti sunt populum,& non pascebant gregem meum pastores, sed pascebant semetipsos. Sed potius procurent ii quos constituit Dominus super familiam suam,dare illis cibum in tempore suo tritici mensuram,puram scilicet & probatam doctrinam,quatenus veniente Domino mereantur audire,Euge serue bone & fidelis: quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Matth.25.

De decem chordis,Cap.IIII.

Nudiustertiano die memini me dixisse sanctitati vestræ,quia si citharœdi essemus,aut huiusmodi aliquid populariter exhibētes pro studiis nugacitatis vestræ, quæ iam quæsumus vt relinquatis, tenuissetis nos vt daremus vobis diem, & quisque pro modulo suo conferret nobis mercedem. Quare ambularemus delectati vanis canticis,nulli rei profuturis,ad tempus dulcibus,in posterum amaris? Talibus enim turpitudinibus cātionū,animi humani illecti eneruaatur,& decidunt à virtute, & defluentes in turpitudinem, propter ipsas turpitudines postea sentiunt dolores, & cum magna amaritudine digerunt,quod cum dulcedine temporali biberunt. Melius ergo nos amara vobis cantamus ad tempus, quæ postea dulcescant in vobis. Nec mercedem aliquam exigimus,nisi vt faciatis quæ dicimus: imò non faciatis,si dicimus nos. *Amara dantur, postea vt dulcescant.*

In libro de Pastoribus,Cap.I.

Quisquis ita præpositus est,vt in eo quòd præpositus sit gaudeat,& honorē suū quærat, & cōmoda sua sola respiciat, se pascit,nō oues. *Seipsos pascentes qui.*

Cap.II.ibidem.

Et quidem Apostolus Paulus,quanquam eligeret manibus suis laborare, nec ipsum lac quærere ab ouibus: tamen lactis potestatē percipiendi habere se dixit, & sic Dominum expo suisse,vt qui Euangelium annuntiāt, de Euangelio viuāt. Et dicit alios Coapostolos suos vsos fuisse hac potestate,non vsurpata,sed data. *2.Thess.3. De Euangelio licet viuere.* Matth.10. 1.Corinth.9.

Post pauca ibidem.

Itaque quum esset quodam tempore Apostolus in magna indigētia victus, in confessione veritatis,missum est illi à fratrib⁹,vnde necessitati & indigentiæ eius ministraretur. Respondit autem illis,gratias agens,& dixit, Bene feciſtis communicare necessitatibus meis. Ego enim didici, in quibus sum sufficiēs esse. Scio & abūdare & penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat. *Philippēses ne cessitatib⁹ Pauli cōmunicauerūt.* Philip.4.

Ibidem post pauca.

Vnde enim viuitur,necessitatis est accipere,charitatis est præbere: non tanquam venale sit Euangelium,vt istud sit pretium eius,quod sumunt qui annuntiant vnde viuant. Si enim sic vendunt,magnam rem vili pretio vendunt. Accipiant sustentationem necessitatis à populo,mercedē dispensationis à Domino. Non enim est idoneus populus reddere mercedē illis, qui sibi in charitate Euangelii seruiunt. Non expectent illi mercedem, nisi vnde & isti salutem. Quid ergo isti increpantur, vnde arguuntur,qui cùm lac sumerēt, & lanis se tegerent,oues negligebant? Sua ergo tantùm quærebant,non quæ Iesu Christi. *Charitatis est præbere verbi ministris vnde viuant.* Philip.2.

Cap.III.ibidem.

Proinde ipse Apostolus cùm eos commemorat quales fuerint erga illum,ne quasi oblitus eorum honorificentiæ videretur, perhibet testimonium, quòd sicut Angelum Dei susceperint eū,& quòd si fieri posset,oculos suos vellent eruere & illi dare. Et tamen accedit ad ouem languidam, ad ouem putridam, secare vulnus,non parcere putredini. Ergo inimicus factus sum vobis verum prædicans? Ecce & accepit de lacte ouium,si cut paulò antè memorauimus,& indumentum ex lanis ouium: sed tamen oues non neglexit. Non enim sua quærebat,sed quæ Iesu Christi. *Galat.4. Quet non negligendæ à Pastoribus.* *Philip.2.*

In lib.II.de Baptismo contra Donatistas,Cap.V.

Et ideo plerunque doctioribus minus aliquid reuelatur,vt eorum patiēs & humilis charitas,in qua fructus maior est, comprobetur: vel quomodo teneant vnitatem, quum in rebus obscurioribus diuersa sentiunt, vel quomodo accipiant veritatem, quum contra id quod sentiebant,declaratam esse cognoscunt. *Doctioribus quare minus aliquid reuelatur.*

De opere Monachorum ferè per totum lib. sed illud Cap.XVI.

Etenim Dominus ait, Nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis, neque corpori quid vestiamini. Rectè: quoniam, vt suprà dixerat,Non potestis Deo seruire & mammonæ. Qui enim propter hoc Euangelium prædicat, vt habeat vnde manducet & vnde vestiatur, simul se putat & Deo seruire & mammonæ. Deo,quia Euangelium prædicat: & mammonæ, quia propter ista necessaria prædicat. quod Dominus dicit fieri non posse. Ac per hoc ille qui propter ista Euāgelium prædicat, non Deo,sed mammonæ seruire conuincitur, etsi Deus illo ad aliorum prouectum, quomodo ipse nescit,vtatur. Nam huic sententiæ subiungit,dicens,Ideo dico vobis, Nolite soliciti esse animæ vestræ quid māducetis,neque corpori quid vestiamini. Non vt ista non procurent,quantum necessitati satis est,vnde honestè potuerint: sed vt non ista intueātur,& propter ista faciant quidquid in Euangelii præconio facere iubentur. Eam quippe intētionem quare quid fiat,oculum vocat, Lucerna corporis tui est oculus tuus. *Qui mammonæ seruire cōmittitur.* Matth.6. Matth.6.

Libro II.de Genesi ad literam, Cap.XI.

Alienatus enim à vita Adam, nō solùm quā fuerat si præceptū seruasset cū Anglis acceptu-rus,sed ab illa etiam quam ducebat in paradiso,felici quodam corporis statu, separari vtiq; debuit à ligno vitæ: siue quòd ex ipso illi subsisteret Gene.3.

sisteret felix ille ipse status corporis, ex re visibili virtute inuisibili, siue quòd in eo esset & Sacramentum visibile inuisibilis sapientiæ. Alienandus inde vtique fuerat, vel iam moriturus, vel etiam tãquam excommunicatus: sicut etiam in hoc paradiso, id est, Ecclesia, solent à Sacramentis altaris visibilibus homines disciplina Ecclesiastica remoueri.

A Sacramentis sceleratos Ecclesiastica disciplina remouet.

Libro II. contra literas Petiliani,

Cap. XCII.

Quid, inquies, vobis est cũ regib⁹ seculi quos nunquã Christianitas nisi inuidos sensit? Hoc cùm dixisses, enumerare conatus es quos reges iusti senserint inimicos: nec cõsyderasti quòd plures enumerari possint quos habuerint amicos. Pater Abraham à Rege diuinitus admonito ne attaminaret eius vxorem, & amicissimè habitus est & munus accepit. Isaac filius eius Regem similiter amicissimũ expertus est. Iacob in Aegyptum à Rege honorabiliter exceptus, cum etiam benedicit. Quid loquar de filio eius Ioseph, qui post carceris tribulationem, qua velut igne aurum, castitas eius probata est, magnis ab eo sublimatus est honoribus? Iurabat etiam per Pharaonis salutem, nõ tanquam typho elatus, sed beneuolentiæ non ingratus. Regis filia Moysem adoptauit. Dauid ad alienigenam, Regis Israel cõpulsus iniquitate, confugit. Helias ante currum pessimi Regis, non illius imperio, sed suo cucurrit obsequio. Helisæus hospitæ mulieri, si quid sibi forte à Rege per eius intercessionẽ præstari vellet, etiam vltrò offerendum putauit, &c.

Fidei nihil derogat si prælati cum regibus conueniunt. Genes. 20. Gene. 26. Gene. 47. Gene. 41. Exod. 4. 2. Regum. 27. 3. Regum 18. 4. Regum 4.

Eodem libro contra easdem,

Cap. CV.

Tu ne iustior Paulo, tu perfectior tanto Apostolo, qui eorum quos docebat orationibus se commendabat? Orationi (inquit) instate, vigilantes in illa in gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis ostiũ verbi, ad loquendum mysterium Christi: propter quod & vinctus sum, vt manifestem illud, ita vt oportet me loqui. Ecce oratur pro Paulo Apostolo, quod fieri non vis pro Episcopo.

Coloss. 4.

Libro III. contra literas Petiliani, Cap. I.

Et ne propter malos dispensatores, hoc est, præpositos, societas Christiana diuidatur: etiam illud testimonium posui, Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. dicunt enim & non faciunt.

Matth. 23.

Cap. IV. ibidem.

Minister ergo, id est, dispensator verbi & sacramenti Euangelici, si bonus est, consocius fit Euangelii: si autem malus est, non ideo dispensator non est Euãgelii. Si enim bonus est, volens hoc facit: si autem malus, hoc est, sua quærens non quæ Iesu Christi, inuitus hoc facit propter alia quæ requirit. Vide tamẽ quid idẽ Apostolus dixerit. Si ergo volẽs hoc facio (inquit) mercedẽ habeo: si autẽ inuitus, dispẽsatio mihi credita est. Tanquã diceret, Si bon⁹ bonũ annuntio, etiã ipse peruenio. Si autem malus bonum annũtio: Nunquid enim dixit, Si inuitus facio dispensator non ero? Annuntiauit Petrus & cæteri boni. Inuitus Iudas, tamen cum ipsis missus annuntiauit. Illi mercedem habent: huic dispensatio credita est.

Philip. 1.

Iudas verbum Christi & Euangelium annuntiauit.

Libro I. contra Cresconium grammaticum, Cap. VII.

Nam proculdubio si veritatem suademus errorẽmque refellimus, etiamsi non veritate propriæ intentionis, sed emolumentum seculi huius humanámque gloriam quærentes id agamus, gaudere debent dilectores veritatis, quia & hac occasione veritas annuntiatur, sicut & Apostolus qui dicit, Sed in hoc gaudebo. Si autem, quod Deo maximè notum est, & quod tibi etiam ipsi, quantũ est facultatis humanę, si nobiscum viueres, notum esse potuisset, qua solicitudine charitatis in huius discussionis labore versamur, puto nequaquam iustè reprehendi ministerium nostrum, si contra quoslibet aduersarios veritatis, feruenti spiritu pro veritate certemus.

Cap. IX. ibidem.

Attende etiam quemadmodũ ad Titum cùm explicaret qualis esse Episcopus debeat, etiam perseuerantem dixit esse oportere, iuxta doctrinã fidelis verbi, Vt potẽs sit (inquit) & exhortari in doctrina sana, & contradicentes redarguere, &c.

Episcopi officium. Tit. 1.

Lib. II. contra eundem, Cap. XI.

Neque enim Episcopi propter nos sumus, sed propter eos quibus verbum & Sacramentum Dominicum ministramus: ac per hoc vt eorum sine scandalo gubernandorum sese necessitas tulerit, ita vel esse vel non esse debemus, quod non propter nos, sed propter alios sumus. Denique nõnulli fãcta humilitate prẽditi viri, propter quædã in se offendicula, quibus piè religioséque mouebãtur, episcopatus officium, nõ solùm sine culpa, verũetiam cum laude posuerunt.

Quidam cum laude Episcopatus officium posuere.

Eodem libro, Cap. XXII. contra eũdem.

Tu autem cùm hoc non meum, sed sanctæ Scripturæ testimonium refellere conareris, nullam persequutionem iustam esse posse dixisti. Vbi ignoscendum tibi est, nescienti Scripturas. Vnde tibi venire posset in mẽtẽ, quàm iusta voce sit dictum, Detrahentem proximo suo occultè, hunc persequebar. Et ab ipso Domino nostro Iesu Christo in excellentissima prophetia, Persequar inimicos meos & comprehendã illos: & nõ cõuertar donec deficiãt.

Posse esse & iusta persequutione. Psalm. 100 Psal. 17.

Contra Donatistas post collationem, Cap. IIII.

Quibus parabolis & figuris Ecclesia prænũtiata est vsq; in finẽ seculi, bonos & malos

simul habitura: ita vt nec mali bonis obesse possint, quum vel ignorantur, vel pro pace & tranquillitate Ecclesiæ tolerantur, si eos prodi aut accusari non oportuerit, aut aliis bonis nō potuerint demonstrari: ita sanè, vt nec emendationis vigilantia quiescat, corripiendo, degradando, excommunicando, cæterisque coercitionibus licitis atque concessis, quæ salua vnitatis pace, in Ecclesia quotidie fiunt, secundum præceptum Apostolicum charitate seruata, qui dixit, Si quis autem non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate: & nolite commiscери cum eo, vt erubescat, & non vt inimicum existimetis, sed corripite vt fratrem. Sic enim & disciplina seruat patientiam, & patientia temperat disciplinam, & vtrunque refertur ad charitatem, ne fortè aut indisciplinata patientia foueat iniquitatem, aut impatiens disciplina disipet vnitatem. 2. Thessal 3.

De videndo Deo, ad Paulinam,

Cap. XVI.

Neque enim mihi sic credis quemadmodum Ambrosio, de cuius libris tanta illa testimonia posui. Aut si ambobus nobis æqua lance putas esse credendum: nunquid vllo modo Euangelio comparabis, aut scripta nostra Scripturis canonicis coæquabis? Profectò si rectè diiudicando sapis, longè nos infrà vides ab illa auctoritate distare, & me quidem longius. Sed vtrique nostrûm quantunlibet credas, vtrunque illi excellentiæ nequaquam comparas. *Hominum scripta Euangelio non comparanda.*

Lib. IIII. de doctrina Christiana,

Cap. IIII.

Debet igitur diuinarū Scripturarū tractator & doctor, defensor rectæ fidei, ac debellator erroris, & bona docere, & mala dedocere: atque in hoc opere sermonis conciliare auersos, remissos erigere, nesciētibus quid agatur, quid expectare debeant intimare. *Veri dispensatoris verbi officium.*

Et post pauca ibidem.

Si verò qui audiunt, monendi sunt potius quàm docendi: vt in eo quod iam sciunt, agendo non torpeant, & rebus assensum, quas veras esse fatentur, accommodent, maioribus docendi viribus opus est. Ibi obsecrationes, & increpationes, concitationes & coercitiones, & quæcunque alia valent ad commouendos animos, sunt necessaria. Et hæc quidem cuncta quæ dixi, omnes ferè homines in iis quæ loquēdo agunt, facere non quiescunt.

Cap. XV. in eodem.

Ipsa hora iam vt dicat accedens, priusquam exerat proferētem linguam, ad Deum leuet animam sitientem, vt eructet quod biberit, vel quod impleuerit fundat. Quum enim de vnaquaq; re, quæ secūdum fidem dilectionémque tractanda sunt, multa sint quæ dicantur, & multi modi quibus dicantur ab eis qui hoc sciunt, quis nouit quid ad præsēs tēpus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi q corda omniū videt? Et quis facit vt quod oportet & *Orandū prædicatori.* *Sapient. 7.*

quēadmodum oportet dicatur à nobis, nisi in cuius manu sunt & nos & sermones nostri? Ac per hoc discat quidem omnia quæ docenda sunt, qui & nosse vult & docere: facultatem docendi, vt decet virum Ecclesiasticum, comparet. Ad horam verò ipsius dictionis, illud potius bonæ menti cogitet conuenire, quod Dominus ait, Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enī vobis in illa hora quid loquamini. Nō enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Si ergo loquitur in eis Spiritus sanctus, qui persequentibus traduntur pro Christo: cur non & in eis qui tradunt discentibus Christum? *Matth. 10.*

Cap. XXVII. ibidem.

Nam qui sapienter & eloquenter dicit, viuit autem nequiter, erudit quidem multos dicendi studio, quanuis animæ suæ sit inutilis, sicut scriptum est, Scribæ & Pharisæi in cathedra Moysi sederunt: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. dicunt enim, & non faciunt. *Qui sapienter dicit & nequiter viuit, animæ suæ inutilis est. Matth. 23.*

Et post pauca ibidem.

Multis itaque prosunt dicendo quę non faciunt, sed longè pluribus prodessent faciendo quæ dicunt. Abundant enim qui malæ vitæ suæ defensionem ex ipsis suis præpositis & doctoribus quærunt, respondētes corde suo, aut etiam si ad hoc erumpunt ore suo, atque dicentes, Quod mihi præcipis, cur ipse non facis? Ita fit vt eum non obedienter audiant, qui se ipse non audit, & Dei verbum quod eis prædicatur, simul cum ipso prædicatore contemnāt. Denique Apostolus scribens ad Timotheum, quum dixisset, Nemo adolescentiam tuam cōtemnat: subiecit vnde non contemneretur, atque ait, Sed forma esto fidelium in sermone, in cōuersatione, in dilectione, in fide, in castitate. *In quibus Episcopus formam se debeat fidelium.*

Cap. XXX. ibidem.

Siue autem apud populum vel apud quo sli bet iamiam dicturus, siue quod apud populum dicendum, vel ab eis qui voluerint aut potuerint legendum est, dictaturus, oret vt Deus sermonem bonum det in os eius. Si enim regina Hester orauit, pro suæ gentis temporali salute locutura apud Regem, vt in os eius Deus congruum sermonem daret, quantò magis orare debet, vt tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute in verbo & doctrina laborat? Illi verò qui ea dicturi sunt quæ ab aliis acceperunt, & antequam accipiant orent pro eis à quibus accipiūt, vt eis detur quod per eos accipere volunt. Et quum acceperint, orēt vt bene & ipsi proferant, & illi ad quos proferunt, sumant, & de prospero exitu dictionis eidem gratias agant, à quo id se accepisse non dubitant: vt qui gloriatur, in illo glorietur, in cuius manu sumus nos & sermones nostri. *Orandum concionatori.* *Hester 14.* *2. Corinth. 10* *Sapient. 7.*

De verbis Domini secundum Matthæum,

Sermon. LXII.

Perti-

Ad Pastorem pertinet cura, ad oues obedientia.

Pertineat ergo ad nos cura, ad oues obedientia: ad nos vigilãtia pastoralis, ad vos humilitas gregis. Quãquam & nos, qui vobis videmur de superiore loqui loco, cum timore sub pedibus vestris sumus: quoniã nouim⁹ quàm periculosa ratio, de ista quasi sublimi sede redatur.

De correptione & gratia,

Cap. XV.

Nescientes enim quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat: sic affici debemus charitatis affectu, vt omnes velimus saluos fieri. Hoc quippe fit, cùm singulos quosque vt occurrerint, cum quibus id agere valeamus, ad hoc conamur adducere, vt iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum, quem prædicabat etiam Apostolus, cùm dicebat, Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo reconciliari Deo. Quid est enim ei recõciliari, nisi pacẽ ad illum habere? Propter quã pacẽ etiam ipse Dominus Iesus Christus dixit discipulis, In quancunque domum intraueritis, primum dicite, Pax huic domui. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eũ pax vestra. Sin autem, ad vos reuertetur. Cùm hanc euangelizant pacem, de quibus prædictum est, Quàm speciosi pedes eorum qui annuntiant pacem, qui annuntiant bona. Nobis quidem tunc incipit esse quisque filius pacis, cùm obedierit atque crediderit huic Euangelio, & ex fide iustificatus, pacem ad Deum habere cœperit. secundum autem prædestinationem Dei, iam filius pacis erat. Neque enim dictum est, Super quem requieuerit pax vestra, fiet filius pacis: sed Vbi fuerit, inquit, filius pacis, requiescat super eũ pax vestra. Iam ergo & antequam annuntiaretur hæc pax, filius pacis ibi erat, sicut cum nouerat atque præscierat non Euangelista, sed Dominus. Ad nos ergo, qui nescimus quisnam sit filius pacis, aut non sit, pertinet nullum exceptum facere, nullúmque discernere, sed velle omnes saluos fieri, quibus prædicamus hanc pacem. Neque enim metuendum est, ne perdamus eam, si ille cui prædicamus, non est filius pacis, ignorantibus nobis. Ad nos enim reuertetur, id est, nobis proderit hæc prædicatio, non & illis. Si autem super eum pax prædicata requieuit, & nobis & illi. Quia ergo nos qui salui futuri sint, nescientes, omnes quibus prædicamus hanc pacem, saluos fieri velle Deus iubet, & ipse in nobis hoc operatur, diffundendo istam charitatem in corda nostra per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, &c.

2. Corin. 5

Esaiæ 52. Roman. 10

Quid sit pacẽ reuerti ad prædicatorem.

Roman. 5

DE SACRAE SCRIPTVRÆ auctoritate, & de studio illius.

De Vera innocentia, Cap. III, & XXXVII.

Ad discendum duplici ter ducimur homines.

Ad discendum necessariò dupliciter ducimur, auctoritate atque ratione. Tempore auctoritas, re autem ratio prior est: aliud est enim quod in agendo anteponitur, aliud quod pluris in appetendo æstimatur. Quia ergo & principium sapientiæ timor Domini, & per humilitatem ad sublimia gradus est, incedat humana ignorantia per fidem, vt mereatur fides videre quod credit.

Eccles. iast. 1.

Libro I. de Trinitate, Cap. I.

Sacræ Scripturæ simplicitas.

Vt ergo ab huiusmodi falsitatibus humanus purgaretur animus, sancta Scriptura paruulis congruens, nullius generis rerum verba vitauit, ex quibus quasi gradatim ad diuina siue sublimia noster intellectus velut nutritus assurgeret. Nam & verbis & rebus corporalibus sumptis vsa est, quum de Deo loqueretur, velut quum ait, In tegmine alarũ tuarum protege me. Et de spiritali creatura multa trãstulit, quibus significaret illud, nõ quod ita esset, sed ita dici opus esset: sicuti est, Ego sum Deus zelotes: &, Pœnitet me feciſſe hominẽ. De rebus autem quæ omnino non sunt, non traxit aliqua vocabula, quibus vel figuraret locutiones, vel spiraret ænigmata.

Psalm. 16.

Exod. 20.

Genes. 6.

Ibidem Cap. II. in fine.

Nec pigebit autem me, si cubi hæsito quærere, nec pudebit si cubi erro discere.

De ciuitate Dei libro IX.

Cap. V.

Non est nunc necesse copiosè ac diligenter ostendere, quid de istis passionibus, quæ Christianos animos afficiunt, doceat Scriptura diuina, qua Christiana eruditio continetur. Deo quippe illam ipsam mẽtem subiicit regendam & iuuandam, mentíque passiones ita moderãdas atque frænandas, vt in vsum iustitiæ conuertantur.

Libro I. de Genesi ad literam,

Cap. II.

Bipartitam esse sacram Scripturam.

Omnis diuina Scriptura bipartita est, secundum id, quod Dominus significat, dicens, Scribam eruditum in regno Dei similem esse patrifamilias proferenti de thesauro suo noua & vetera: quæ duo etiam Testamenta dicuntur. In libris autem omnibus sanctis intueri oportet quæ ibi æterna intimentur, quæ facta narrentur, quæ futura prænuntientur, quæ agenda præcipiantur vel moneantur.

Matth. 13.

Super Ioannem, Tractatu IX.

Libri prophetici non intellecto Christo insipidi.

Lege libros propheticos omnes, non intellecto Christo: quid tam insipidũ & fatuũ inuenies? Intellige ibi Christum, non solùm sapit quod legis, sed etiam inebriat, mutans mẽtem à corpore, vt præterita obliuiscens, in ea quæ antè sunt extendaris. Ergo prophetia ab antiquis tẽporibus, ex quo prorsus currit ordo nascentium in genere humano, de Christo nõ tacuit, sed occultũ ibi erat: adhuc enĩ aqua erat.

Philip. 5.

Tractatu XVIII.

Neque enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis, illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etam temerè & audacter asseritur. Itaque, charissimi, valde cautè hæc audire debemus, ad quæ capienda paruuli sumus, & corde pio & cum tremore, sicut scriptum est, hanc tenentes regulam sanctitatis, vt quod secundum fidem, qua imbuti sumus, intelligere valuerimus, tanquam de cibo gaudeamus. quod autem secundum sanam fidei regulam intelligere non poterimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus, hoc est, vt etiam si quid nescimus, bonum tamen & verum esse minimè dubitemus.

Vtile hæreses.

In Epistolam beati Ioannis, Tractatu II.

Vnde crediturí sumus, nisi & vnde ipsos palpantes voluit confirmare? Aperuit enim illis Scripturas, & ostendit eis quia oportebat pati Christum, & impleri omnia quæ de illo scripta sunt in Lege Moysi & Prophetis & Psalmis, id est, omnem veterem Scripturã circumplexus est. Quidquid illarum Scripturarum est, Christum sonat: sed si aures inueniat. Et aperuit eis sensum, vt intelligerent Scripturas. Vnde & nobis hoc orãdum est, vt ipse sensum nostrum aperiat.

Luce 24.

Orandum nobis est, vt Deus sensum aperiat.

Ad Orosium contra Priscillianistas, Cap. XI.

Neque ista multum ad nos pertinent, vt ea summo studio indagare curemus, quæ remota sunt à sensibus nostris, & ab intellectu infirmitatis humanæ, nec in ipsis Scripturis ita posita vt nobis eorum mandata sit cognitio: imò verò ne præcipiti suspicione in fabulas sacrilegas irruamus, clamat Scriptura diuina, Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ tibi præcepit Dominus, illa cogita semper: vt magis in istis temeraria præsũptio, quã cauta ignoratio culpanda videatur.

Altiora te ne quæsieris.

Eccles. 3.

Lib. I. de origine animæ, ad Hieronymum, Cap. I.

Quanquam enim te multò quàm ego sum ætate maiorem, tamen etiam ipse iã senex consulo. Sed ad discendũ quod opus est, nulla mihi ætas sera videri potest: quia etsi senes magis decet docere quàm discere, magis tamẽ discere quàm quid doceant ignorare.

Nulla ætas sera ad discendũ

Lib. II. de anima & eius origine, ad Petrum, Cap. I.

Habet enim non minimum facultatis, qua possit explicare atque ornare quæ sentit, si prius det operam rectè sentire. Valde quippe sunt noxia praua diserta: quia hominibus minus eruditis eò quòd diserta sint, videntur & vera.

Praua diserta noxia.

Libro de octo Dulcitii Quæstionibus, Quæstione III. in fine.

Ego enim, quod confitendum est charitati tuæ, plus amo discere quàm docere. Nam hoc admonemur etiam dicente Apostolo Iacobo, Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Vt ergo discamus, nos inuitare debet suauitas veritatis: vt autem doceamus, cogere necessitas charitatis. Vbi potius orandum est, vt transeat ista necessitas, qua hominem docet aliquid homo: & simus omnes docibiles Dei, quãuis & hoc simꝰ, cùm ea quæ ad veram pietatem pertinẽt discimus, etiam quando illa docere videtur homo: quia Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Cùm itaque si Deus incrementum non daret, non essent Apostoli plantatores, rigatores, quantò magis ego vel tu vel quilibet huius temporis homines, quãdo nobis videmur esse doctores?

Potius discendum quàm docendum.

Iacob. 1.

Esaiæ 54. Ioan. 6.

1. Corinth. 3.

De vera & falsa pœnitentia, Cap. XX.

Caueat spiritalis iudex, vt sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ. Oportet enim vt sciat cognoscere quæ debeat iudicare. Iudiciaria enim potestas hoc postulat, vt quod debet iudicare discernat.

De spiritu & anima, Cap. I. & II.

Scientia est, quando homo ad notitiam sui assidua meditatione illuminatur. Cùm nulla sciẽtia melior sit illa, qua cognoscit homo seipsum, discutiamus cogitationes, locutiones atque opera nostra. Quid enim prodest nobis, si rerum omnium naturas subtiliter inuestigemus, efficaciter comprehendamus, & nosmetipsos non intelligamus? Examinemus ergo quę fecimus nos, si secundum quod debuimus ea fecerimus. Cõsyderemus ea quæ facturi sumus, si sint secundum Deum. Valde siquidem est nobis necessaria circunspectio examinationis, quatenus per experientiam eorum quæ fecimus, ad ea quæ agẽda sunt tutiores reddamur.

Nulla scientia melior quàm nosse seipsum.

In libro de essentia diuinitatis, B.

Vbicunque autem sacra Scriptura sparsim per diuinos libros motus in Deum animæ seu humana membra describit, id est, caput, capillos, oculos, palpebram, nares, os, labia, linguam, cor, imaginem, vterum, manus, dexterã, sinistram, digitos seu digitum, brachium, alas, posteriora, pedes: item motus animæ, iram, furorem, obliuionem, recordationem, pœnitentiam: hæc & alia his similia non carnaliter iuxta historiam à rectè intelligentibus sentienda sunt, sicut à Iudæis & plerisque hæreticis carnaliter sapiẽtibus, qui Deum corporeũ atque localem opinantur: sed spiritaliter omnia de eo intelligenda & confitenda sunt. Si quis autem in Deo humana membra, seu motus animæ more humano inesse credit, proculdubio idola in corde suo fabricat.

Sacra Scriptura de motibus animæ in Deũ quomodo intelligenda.

De

De mirabilibus sacræ Scripturæ, Cap.XI.

Mos Scripturæ imaginata pro veris nominãtis.

Si ergo diabolus à Pytonissa ostenditur, quare Samuel in diuina Scriptura dicitur suscitatus? In multis sacræ Scripturæ locis, imaginatis rebus, verarum rerum nomina sæpe ascribũtur. Quomodo & prædicta virga Moysi in similitudinem serpentis imaginata, & fantastica illa magorum serpentum in AEgypto, & ille æneus serpens nominatur.

De Symbolo ad Catechumenos, Libr IIII.Cap.III.

Mysticis enim figuris loquitur Scriptura diuina, seruans rebus tempora, quibus recognitis manifesta exerceat veritate. Quoniam nec hoc vacat à mysterio, quòd in monte Oreb super petram iussus est ascendere Moyses, & stare. Ipsa est illa petra, quæ percussa produxit aquas populo sitienti, de qua dicit sanctus Dauid, Dirupit petram, & fluxerunt aquæ. Apost. autẽ exponens, ait, Patres nostri eandem escam spiritalem mãducauerũt, & eundem potum spiritalem biberunt: bibebant autem de spiritali consequente eos Petra: Petra autem erat Christus. Ipsa sunt illa posteriora Dei, Christus Dei.

Exod.17.

Psalm.77.

1.Corinth.10.

Per posteriora Dei Christũ intelligi.

Libro speculi peccatoris, Cap.VI.

Erubescat ergo superbus & infelix peccator, & timeat, elatione cæcatus, ira inflammatus, impatientiæ vitio fœdatus, scientia inflatus, cui plus placet ars Aristotelis, quàm scientia de Apostolis, plus codex Platonis, quàm liber diuinus: quem nulla lectio lætificat, nulla scientia ædificat, nullus sermo sapit, nisi fuerit Grammaticè conceptus, Dialecticè imaginatus, Rhetoricè purpurat⁹. Stultus es qui hęc ignoras, & erras: quoniam qui talia agunt, & in talibus dies suos consumunt, peccatum sibi generant, & mortem parant: quia ex simili studio similem concipiunt scientiam, hoc est, folia colligunt, nõ fructus, subaudi verba, & non virtutes. Verba enim in ventum proferunt, & aerem verbis verberant, verbositatem sonant, iactantiam ostentant: de quibus per Psalmistam dicitur, Turbati sunt & moti sicut ebrius, & omnis sapientia eorum deuorata est.

Doctrinæ humanæ pernicies.

Psalm.106.

Libro II.de ordine, Cap.VIII.

Adolescentibus ergo studiosis Legis Dei, ita viuendum est, vt à venereis rebus, ab illecebris ventris & gutturis, ab immodesto corporis cultu & ornatu, ab inanibus negotiis ludorum, à torpore somni & pigritiei, ab æmulatione, obtrectatione, inuidentia, ab honorum potestatúmque ambitionibus, ab ipsius etiam laudis immodica cupiditate se abstineant, amorem autem pecuniæ, totius suæ spei certissimum venenum esse credant, nihil eneruiter faciant, nihil audacter: in peccatis autem suorum vel pellant omnino iram, vel ita frẽnent, vt sit pulsæ similis. Neminem oderint, nulla vitia non curare velint.

Studiosis Legis Dei quomodo viuendum.

Libro I.de moribus Ecclesiæ catholicæ, Cap.I.

Quis enim mediocriter sanus non facilè intelligat Scripturarum expositionem, ab iis petẽdam esse, qui earum Doctores se esse profitẽtur: fierique posse, imò id semper accidere, vt multa indoctis videãtur absurda, quæ cùm à doctioribus exponuntur, eò laudãda videantur elatius, quò abiectius aspernanda videbantur, & eò accipiantur aperta dulcius, quò clausa difficilius aperiebantur? Hoc ferè in sanctis veteris Testamenti libris euenit, si modò ille qui eis offenditur, Doctorem potius eorum pium, quàm impium laceratorem requirat, priúsque studio quærentis, quàm temeritate reprehendentis imbuatur. Nec si ea discere cupiens, in aliquos fortè inciderit vel Episcopos, vel Presbyteros, vel huiuscemodi Ecclesiæ catholicæ Antistites & ministros, qui aut passim caueant nudare mysteria, aut qui contenti simplici fide, altiora cognoscere non curarint: desperet ibi esse scientiam veritatis, vbi neque omnes, à quibus quæratur, docere possunt, neque omnes qui quærunt, discere digni sunt. Et diligentia igitur, & pietas adhibenda est. Altera fiet, vt scientes inueniamus, altera vt scire mereamur.

A Doctoribus Scripturarum expositio petenda.

De vera religione, Cap.II.

Omissis igitur & repudiatis nugis theatricis & poeticis, diuinarũ Scripturarũ tractatione & consyderatione pascamus animum atque potemus, vanæ curiositatis fame ac siti fessum & æstuantem, & inanibus phantasmatibus, tanquam pictis epulis, frustra refici satiarique cupientem. Hoc verè liberali & ingenuo ludo salubriter erudiamur, si nos miracula spectaculorum & pulchritudo delectant, illam desyderemus videre sapientiam, quæ pertendit à fine vsque in finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Quid enim mirabilius vi incorporea mundum corporeum fabricante & administrante? aut quid pulchrius ordinante & ornante?

Scripturarum lectione animus pascendus est.

De blasphemia in Spiritum sanctum, F.

In omni quippe copia Scripturarum sanctarum, pascimur apertis, exercemur obscuris. Illic fames pellitur, hic fastidium.

De vtilitate credendi ad Honoratum, Cap.VI.

Testor, Honorate, conscientiam meam, & puris animis inhabitãtem Deum, nihil me existimare prudentius, castius, religiosius, quàm sunt illæ Scripturæ omnes, quas Testamẽti veteris nomine catholica Ecclesia retinet. Miraris Noui? Non enim dissimulare possum lõgè aliter nobis fuisse persuasum. Quidquid est in Scripturis illis, altum & diuinum est: inest, omnino veritas, & reficiendis instaurãdísque animis, crede mihi, accommodatissima disciplina, & planè ita modificata, vt nemo inde

haurire posit quod sibi satis est, si modò ad hauriendum deuotè ac piè, vt vera religio poscit, accedat.

De Genesi ad literam imperfecto libro, Cap. II. Itẽ ad Honoratũ, Cap. III.

Quatuor sensus Doctorales.

Quatuor modi à quibusdam Scripturarum tractatoribus traduntur Legis exponendæ. Secundum Historiam, secundum Allegoriam, secundum Analogiam, secundum Etymologiam. Historia est, quum siue diuinitus, siue humanitus res humana commemoratur. Allegoria, quum figuratè dicta intelliguntur. Analogia, quum veteris & noui Testamentorum congruentia demonstratur. Etymologia, cùm dictorum factorúmque causæ redduntur.

De Vtilitate credendi ad Honoratum, Cap. IIII.

Tria genera erroris.

Tria genera sunt erroris, quibus homines errant cùm aliquid legunt. De singulis dicam. Primũ genus est, in quo id quod falsum est, verum putatur, cùm aliud qui scripsit putauerit. Alterum est, quãuis non tam latè patẽs, nõ tamen minus noxiũ, cùm id quod falsum est, verum putatur: id tamẽ putatur, quod etiam ille qui scripsit putauit. Tertiũ est, cùm ex alieno scripto intelligitur aliquid veri, cùm hoc ille qui scripsit, non intellexerit. In quo genere non est parum vtilitatis, imò si diligentius consyderes, totus legendi fructus est integer. Primi generis exemplum est, vt si quisquam, verbi gratia, dicat & credat Rhadamantum apud inferos audire ac diiudicare causas mortuorũ, eò quòd Maronis in carmine id legerit. Hic enim errat duobus modis, quòd & rem non credendam credit, neque id putandus est credidisse ille quem legit. Alterum genus animaduerti sic potest. Si quis quia Lucretius animam ex atomis esse scribit, eámque post mortẽ in easdem atomos solui atque interire, id verum ac sibi credendum arbitretur. Nam & hic non minus miser est, si de re tanta, id quod falsum est pro certo sibi persuasit: quanquam id Lucretius, cuius libris deceptus est, opinatus sit. Quid enim huic prodest de sententia auctoris certum esse, quando sibi eum non per quem erraret, sed cum quo erraret, elegerit? Tertio generi est illud accommodatum. Si quis Epicurum, lecto in libris eius aliquo loco vbi continentiam laudat, in virtute illum summum bonum posuisse asseueret, & ideo non esse culpãdum. Huic enim quid obest error Epicuri, si summum bonum hominis voluptatem ille corporis credit, quum iste non sederit tam turpi noxiáque sententiæ, neque ob aliam causam ei placeat Epicurus, nisi quòd eum sensisse non putat, quod sentiri non oporteat? Hic error non modò humanus est, sed sæpe etiam homine dignissimus.

Libro X. de ciuitate Dei. Cap. XVIII.

An dicet aliquis ista falsa esse miracula, nec fuisse facta, quibus Dei populus eruditus est in veteri Testamento, sed mẽdaciter esse scripta? Quisquis hoc dicit, si de iis rebus negat omnino vllis literis esse credẽdum, potest etiam dicere nec deos vllos curare mortalia. Porrò autem si multorum deorũ cultores, qualescunque deos suos esse arbitrentur, ab eis facta esse miracula, vel ciuiliũ rerum historiæ, vel libris magicis, siue (quod honestius putant) theurgicis credũt, quid causæ est cur illis literis nolint credere ista facta esse, quibus tantò maior debetur fides, quantò super omnes est magnus cui vni soli sacrificandum præcipiunt?

Miracula ereditum fuisse Dei populum.

Libro XI. de ciuitate Dei, Cap. I.

Sacram Scripturam super omnium gentium literas esse.

Ciuitatem Dei dicimus, cuius ea Scriptura testis est, quæ non fortuitis motibus animorũ, sed planè summæ dispositione prouidentiæ, super omnes omnium gentium literas, omnia sibi genera ingeniorum humanorum diuina excellens auctoritate subiecit. Ibi quippe scriptũ est, Glorioſa dicta sunt de te, ciuitas Dei. *Psalm. 86*

Cap. III. Ibidem.

Scriptura eminentissima est auctoritatis.

Hic prius per Prophetas, deinde per seipsũ, postea per Apostolos, quantum satis esse iudicauit, locutus, etiam Scripturam cõdidit, quæ Canonica nominatur, eminentissimæ auctoritatis, cui fidem habemus de iis rebus, quas ignorare non expedit, nec per nos ipsos nosse idonei sumus.

Cap. XIX. in eodem.

Sermonis diuini obscuritas ad quid vtilis.

Quanuis itaque diuini sermonis obscuritas, etiam ad hoc sit vtilis, quòd plures sententias veritatis parit, & in lucem notitiæ perducit, dum alius eum sic, alius sic intelligit: ita tamen quod in obscuro loco intelligitur, vel attestatione rerum manifestarum, vel aliis locis minimè dubiis asseratur: siue cùm multa tractantur, ad id quoque perueniatur, quod sensit ille qui scripsit: siue id lateat, sed ex occasione tractandæ profundæ obscuritatis, alia quædam vera dicantur: non mihi videtur ab operibus Dei absurda sentẽtia, si cùm lux illa prima facta est, Angeli creati intelliguntur, & inter sãctos Angelos & immũdos fuisse discretum, vbi dictũ est, Et diuisit Deus inter lucem & tenebras: & vocauit Deus lucem diem, & tenebras vocauit noctem. *Genes. 1*

Lib. XII. Cap. X.

Totum orbem facere Scripturæ credere.

Porrò si hæc Epistola Alexandri Magni, quæ maximè innotuit, multũ abhorret in spatiis temporum à probabili fide rerum: quantò minus credẽdum est illis literis, quas plenas fabulosis velut antiquitatibus proferre voluerunt, contra auctoritatem notissimorum diuinorúmque verborum, quæ totum orbem sibi crediturum esse prædixit: & cui totus orbis, sicuti ab ea prædictum est, credidit, quæ vera se narrasse præterita, ex iis quæ futura prænũtiauit, cùm tanta veritate implentur, ostendit?

Libro XV. de ciuitate Dei, Cap. XXIII.

Omittamus

Scripturarum apocryphorum fabulæ omittendæ.

Omittamus igitur earum scripturarum fabulas, quæ apocryphæ nuncupantur, eò quòd earum occulta origo non claruit Patribus, à quibus vsque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissima & notissima successione peruenit. In iis autem apocryphis, etsi inuenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa, nulla est Canonica auctoritas. Scripsisse quidé nonnulla diuina Enoch illum septimum ab Adam, negare non possumus, cùm hoc in Epistola canonica Iudas Apostolus dicat: sed nō frustra non sunt in eo canone Scripturarum, qui seruabatur in tẽplo Hebræi populi, succedentium diligentia Sacerdotum. Cur autem hoc, nisi quia ob antiquitatẽ suspectæ fidei iudicata sunt: nec vtrùm hæc essent, quæ ille scripsisset, poterat inueniri, non talibus proferentibus, qui ea per seriem successionis reperirentur ritè seruasse?

Iudæ 1.

Libro XIX. Cap. XVIII.

Ex Scripturis sanctis fides concepta est. Abacuc 2. 2. Corinth. 5.

Credit etiam Scripturis sanctis, & veteribus & nouis, quas Canonicas appellamus, vnde fides ipsa concepta est, ex qua iustus viuit, per quam sine dubitatione ambulamus, quandiu peregrinamur à Domino: qua salua atque certa, de quibusdam rebus quas neque sensu, neque ratione percipimus, neque nobis per Scripturam canonicam claruerunt, nec per testes, quibus non credere absurdum est, in nostram notitiam peruenerunt, sine iusta reprehensione dubitamus.

Sermon. CXIX. de tempore.

Si quis aliquas scripturas, præter eas quas catholica Ecclesia recipit, in auctoritate habendas esse crediderit, vel fuerit veneratus, anathema sit.

De verbis Domini secundum Matthæum, Serm. XX.

De sacræ Scripturæ veritate.

Fratres mei, obsecro vos, attendite Scripturas sanctas, si aliquid fefellerunt, si aliquid dixerunt, & aliter accidit quàm dixerunt. Necesse est vt vsque in finem sic fiat, quemadmodum dixerunt.

Ad Volusianum, Epistola I.

Lectionis Scripturæ vtilitas.

Hortor vt valeo, vt literarum verè certéque sanctarum studio te curam non pigeat impendere. Syncera enim & solida res est, nec fucatis eloquiis ambit ad animum, nec vllo linguæ tectorio inane aliquid ac pendulum increpitat. Multum mouet, non verborum sed rerum auidum, & multum terret lectura securum. Præcipuè Apostolorum linguas exhortor vt legas. Ex iis enim ad cognoscendos Prophetas excitaberis, quorum testimoniis vtuntur Apostoli, &c.

Ad eundem, Epistola III.

Tanta est enim Christianarum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, si eas solas ab incunte pueritia, vsq; ad decrepitã senectutẽ maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Non quòd ad ea quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perueniatur difficultate: sed cùm quisque ibi fidem tenuerit, sine qua piè rectéque non viuitur, tam multa, támque multiplicibus mysteriorum vocabulis & vmbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantáque non solùm in verbis quibus ista dicta sunt, verũetiam in rebus quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapiẽtiç, vt annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadẽ Scriptura quodam loco habet, Cùm consummauerit homo, tunc incipit. *Ecclesiast. 18*

In eadem Epistola circa finem.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & proximum tuum tanquam teipsum. *Matth. 22.* Hic Physica, quoniam omnium omnes naturarum causæ in Deo creatore sunt. Hic Ethica, quoniam vita bona & honesta, non aliunde formatur, quàm cùm ea quæ diligenda sunt, quemadmodum diligenda sunt, diliguntur, hoc est, Deus & proximus. Hic Logica, quoniam veritas luménque rationalis animæ non nisi Deus est. Hic etiam laudabilis reipublicæ salus. Neque enim conditur & custoditur optima ciuitas, nisi fundamento & vinculo fidei, firmæque concordiæ, cùm bonum commune diligitur, quod summũ ac verissimũ Deus est, atque in illo inuicem syncerissimè se diligunt homines, cùm propter illum se diligant, cui quo animo diligant occultare non possunt. *Ciuitas nõ continetur, nisi vinculo fidei.*

Post pauca ibidem.

Inspice itaque modum Epistolarum Apostolicarum, vel eorum etiam, qui illa diuina eloquia tractauerunt, & non pigeat te vel multa quærenda proponere, si multa te mouent, vel aliquãdo diutius versare quod quæris, vt quãtum fieri per tales, quales sumus, potest, non remaneat dubitationis nubilum, quod obstet lumini veritatis. Scio enim excellẽtiam tuam, quorundam perpeti obstinatissimas contradictiones, qui propterea putant, vel putari volunt Christianam doctrinam vtilitati nõ conuenire reipublicæ, quia nolunt stare rempublicam firmitate virtutum, sed impietate vitiorũ. Non autẽ sicut regi homini, vel cuilibet principi ciuitatis, ita etiam Deo quidquid à multis peccatur inultum est. Misericordia verò eius, & gratia prædicata hominibus per hominem Christum, impertita autem per Deum Deíque Filium eundem ipsum Christum, non deserit eos qui ex fide viuunt, cúmque piè colunt, siue mala huius vitæ patienter fortitérque experiantur, siue bonis eius misericorditer ac temperãter vtantur, æternum pro vtroque præmium recepturi, in ciuitate superna atque diuina, vbi iam non sit molestè toleranda calamitas, nec laborioſè frenanda cupiditas: sed sola sine vlla difficultate, & perfecta libertate retinenda Dei & proximi charitas. *Christiana doctrina vtilitati reipub. conuenit.*

Ad beatum Hieronymum, Epistola VIII.

Mihi enim videtur exitiosissimè credi aliquod in libris sanctis esse mendacium, id est, eos homines, per quos nobis illa Scriptura ministrata est atque conscripta, aliquid in libris suis fuisse mentitos.

Ad eundem, Epist. XIX.

Sacrarum literarum auctores non errasse.

Ego enim fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honorémque deferre, vt nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Ac si in eis offendero literis quod videatur cõtrarium veritati, nihil aliud quàm vel mẽdosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, vt quãtalibet sanctitate doctrináque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserũt: sed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliquid aliud existimo. Prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle tanquã Prophetarum vel Apostolorum, de quorum scriptis dubitare nefarium est.

De scriptis Apostolorum & Prophetarum dubitare nefarium est.

Ad Vincentium Donatistam, Epistola XLVIII.

Noli, frater, contra diuina tam multa, tam clara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis, siue nostrorum, siue Hilarii, siue antequam pars Donati separaretur, ipsius vnitatis, sicut Cypriani & Agrippini. Primò, quia hoc genus literarum ab auctoritate canonis distinguẽdum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, vt contrà sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerint quàm veritas postulat. In eo quippe numero sumus, vt non dedignemur etiam nobis dictum ab Apostolo accipere. Et si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis reuelauit. Veruntamen in id quò peruenimus, in eo ambulemus, in illa via scilicet, quæ est Christus. De qua via ita Psalmus loquitur, Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.

Sanctorũ scripta ab auctoritate canonis distinguenda.

Psalm. 66.

Ad Iulianum, Epistola CXI.

Omnis enim sanctorum librorum series, ad nostram salutem scripta est: & hoc maximè auribus nostris intonat, & iterũ atque iterum replicat, quid sit omni homini cauendum, vel quid sequendum. In quibus libris tua dignitas optimè excrescere solet: quia per illos nobis loquitur ipse Deus & Dominus noster, & piæ voluntatis nobis demonstrat affectum. Recognoscamus & recogitemus quali honore nobis illius legatio sit accipienda. Quòd si à Rege legatio, aut in diluculo ad nos veniret: nunquid non mox aliis curis posthabitis, prompta voluntate, & cum omni deuotione literas acciperemus, & legentes implere satageremus? Et ecce de cælo cælorum, Rex regũ & Dominus dominatium, imò & Redemptor noster, per Prophetas & Apostolos dignatus est nobis dirigere literas suas, non vt aliquod seruitium sibi necessarium nobis demandet, sed quæ ad salutem & gloriam nobis prodesse possint, innotescat.

Sacra Scriptura cum veneratione legenda.

In Psalmum LXXI.

Ad Christum omnia diuinitus scripta referuntur.

Omnes enim promissiones Dei in Christo firmatæ sunt, quando in illo impletum est quidquid pro salute nostra prophetatum est. Nam summa montium, Scripturarum diuinarum auctores, id est, per quos ministratæ sunt, intelligere conuenit: in quibus vtique ipse est firmamentum: quoniam ad illum omnia quæ diuinitus scripta sunt, referuntur. Hoc autem in terra esse voluit, quia propter eos qui in terra sunt, illa cõscripta sunt. Vnde & ipse in terram venit, vt ea cuncta firmaret, id est, in se mõstraret impleri. Oportebat enim, inquit, impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege & Prophetis & Psalmis de me, &c. *Luc. 24.*

In præfatione Psalmi CXL.

Mysteria Scripturæ abscondunter ne vilescant.

Sunt in Scripturis sanctis profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur ne vilescant, ad hoc quærũtur vt exerceant, ad hoc aperiuntur vt pascãt. Quidquid ergo salubriter mente concipitur, vel ore profertur, vel de qualibet pagina diuina exculpitur, non habet finem nisi charitatem.

Libro I. de consensu Euangelistarum, Cap. I.

Euangelii excellentia.

Inter omnes diuinas auctoritates quæ sanctis literis continentur, Euangelium meritò excellit. Quod enim Lex & Prophetæ futurum prænuntiauerunt, hoc redditum atque completum in Euãgelio demonstratur. Cuius primi prædicatores Apostoli fuerunt, qui Dominum Iesum & Saluatorem nostrum Christum etiam præsentem in carne viderunt.

Lib. II. cõtra Donatistas de Baptismo, Cap. III.

Quis autem nesciat sanctam Scripturam canonicam tam veteris quàm noui Testamenti, certis suis terminis cõtineri, eámque omnibus posterioribus Episcoporũ literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari & disceptari non possit, vtrùm verum, vel vtrùm rectum sit quidquid in ea scriptum esse constiterit? &c.

In Epist. III. ad Volusianum.

Scriptura facilitas & profunditas.

Modus autem ipse dicendi, quo sacra Scriptura contexitur, quanuis omnibus accessibilis, tamen paucissimis penetrabilis, ea quæ aperta continet, quasi amicus familiaris, sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea verò quę in mysteriis occultat, nec ipse eloquio superbo erigit, quò non audeat accedere mens tardiuscula & inerudita, quasi pauper ad diuitem: sed inuitat omnes humili sermone, quos non solùm manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur

tur,eadem rursus operta desyderãtur, desyderata quodammodo renouantur,renouata suauiter intimantur. Hic salubriter & praua corriguntur, & parua nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus est animus,qui vel errãdo eam nescit esse saluberrimam,vel odit ægrotando medicinam.

Libro I. de doctrina Christiana,

Cap. XXXV.

Omnium igitur quæ prædicta sunt,ex quo de rebus tractamus, hæc summa est, vt intelligatur Legis & omnium diuinarum Scripturarum plenitudo & finis esse, dilectio rei qua fruendum est,& rei quæ nobiscũ ea re frui potest, quia vt se quisq; diligat,præcepto nõ est opus. *Roman.13.*

Cap. XXXIX.

Quousque Scripturis opus vt viros perfectos. Homo itaque fide, spe & charitate subnixus, eáque inconcussè retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus viuunt. Vnde in illis arbitror completum esse quod dictum est, Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.

Cap. XL.

Quomodo tractanda Scriptura. Quapropter quum quisque cognouerit finem præcepti esse charitatem, de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta, omnem intellectum diuinarum Scripturarum ad ista tria relaturus, ad tractationem illorum librorum securus accedat.

Libro II. de doctrina Christiana,

Cap. V.

Ex quo factum est, vt etiam Scriptura diuina, qua tantis morbis humanarum voluntatum subuenitur, ab vna lingua profecta, quæ opportunè potuit per orbem terrarum disseminari, per varias interpretum linguas,longè latéque diffusa, innotescerет gentibus ad salutem. Quam legentes nihil aliud appetunt, quàm cogitationem voluntatémque illorum à quibus conscripta est inuenire,& per illas voluntatem Dei, secundum quam tales homines locutos esse credimus. *Voluntas Dei in sacra Scriptura reperitur.*

Cap. VI. ibidem.

Sacra Scriptura non temere legenda. Sed multis & multiplicibus obscuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt,aliud pro alio sentientes,quibusdam autem locis quid vel falsò suspicentur non inueniunt. Ita obscurè quædã dicta densissimam caligem obducunt. Quod totum prouisum diuinitus esse non dubito, ad domãdam superbiam, & intellectum à fastidio reuocandum, cui facilè inuestigata plerunque vilescunt. Magnificè igitur & salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.

Cap. VIII.

In canonicis autem Scripturis, Ecclesiarũ catholicarũ quàm plurium auctoritatẽ sequatur. Inter quas sanè illę sunt quæ Apostolicas sedes habere & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, vt eas quæ ab omnibus accipiũtur Ecclesiis catholicis,præponat eis quas quædã nõ accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures grauioréſque accipiunt,eis quas pauciores minorísque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias inuenerit à pluribus,alias à grauioribus haberi (quanquam hoc inueniri non possit) æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.

Cap. IX. ibidem.

In his omnibus libris, nempe sacræ Scripturæ,timẽtes Deum & pietate mãsueti,quęrunt voluntatem Dei.

Cap. XI.

Contra ignota signa propria sacrarũ Scripturarum, magnum remedium est linguarum cognitio. Et Latinæ quidem linguæ homines, quos nũc instituẽdos suscepimus,& duabus aliis ad Scripturarũ diuinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet & Græca, vt ad exẽplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas. Quanquã & Hebræa verba nõ interpretata sæpe inueniamus in libris, sicut, Amen, Allelu-ia,& Racha,& Osanna,& si qua sunt alia. Quorum partim propter sãctiorem auctoritatem, quanuis interpretari potuisset, seruata est antiquitas, sicut est Amen, & Allelu-ia. Partim vero in linguam trãsferri non potuisse dicuntur, sicut alia duo quæ posuimus. Sed nõ propter hæc pauca, quæ notare atque interrogare facillimum est, sed propter diuersitates, vt dictum est, interpretum, illarum linguarũ est cognitio necessaria. Qui enim Scripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterũt linguam, numerari possunt: Latini autem interpretes nullo modo. Vt enim cuique primis fidei temporibus, in manus venit codex Græcus, & aliquãtulũ facultatis sibimet vtriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari. *Linguarum cognitio multum valet.*

Cap. XXVIII. eodem libro.

Quidquid igitur de ordine temporum transactorum indicat ea quæ appellatur historia, plurimum nos adiuuat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Nã & per Olympiadas, & per Consulũ nomina, multa sæpe quæruntur nobis: & ignorantia consulatus quo natus est Dominus, vel quo passus est, nõnullos coegit errare, vt putarent 46. annorũ ætate passum esse Dominũ, quia per tot annos ædificatũ esse templum dictum est à Iudæis, quod imaginem Dominici corporis habebat. Et annorũ quidẽ ferè triginta baptizatũ esse retinemus auctori- *Historiæ cognitio necessaria.* *Ioan. 2*

tate Euangelica. Sed postea quot annos in hac vita egerit, quanquam textu ipso actionum eius animaduerti possit, tamen ne aliũde caligo dubitationis oriatur, de historia gentiũ collata cum Euãgelio, liquidi⁹ certiúsq; colligitur.

Libro III. de doctrina Christiana,

Cap. V.

Figurata locutio ad literam non intelligenda. 2. Corinth. 3.

Nam in principio cauendum est, ne figuratam locutionẽ ad literam accipias. Et ad hoc enim pertinet quod ait Apostolus, Litera occidit, Spiritus autẽ viuificat. Cùm enim figuratè dictũ sic accipitur, tanquã propriè dictum sit, carnaliter sapitur. Neq; vlla mors animæ congruentius appellatur, quàm cùm id etiã, quod in ea bestias antecellit, hoc est intelligẽtia, carni subiicitur sequendo literam. Ea demum est miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen leuare non posse.

In eodem, Cap. X.

Sed quoniã procliue est humanũ genus non ex momẽtis ipsius libidinis, sed potius suæ cõsuetudinis æstimare peccata, fit plerunque vt quisque hominũ ea tãtùm culpãda arbitretur, quę suæ regionis & tẽporis homines, vituperare atque damnare cõsueuerũt, & ea tãtùm probanda atque laudãda, quæ consuetudo eorum cum quibus viuit, admittit. Eóque contingit, vt si quid Scriptura, vel præceperit quod abhorret à cõsuetudine audiẽtiũ, vel quod nõ abhorret culpauerit, si animũ eorũ iam verbi vinxit auctoritas, figuratã locutionẽ putent. Nõ autẽ præcipit Scriptura nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum. Item si animum præoccupauit alicuius erroris opinio, quidquid aliter asseuerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur. Non autem asserit nisi Catholicam fidem, rebus præteritis & futuris & præsentibus.

Sacra Scriptura quid præcipit & culpat.

Cap. XXVIII.

Scriptura tutò scrutanda est.

Per Scripturas enim diuinas multò tutius ambulatur, quas verbis translatis occupatas cùm scrutari volumus, vt aut hoc inde exeat quod non habeat controuersiam, aut si habet, ex eadem Scriptura vbicunque inuentis atque adhibitis eius testibus terminetur.

Libro IIII. de doctrina Christiana,

Cap. XVI.

Studio sacræ Scripturæ inuitandum. Matth. 6.

Quisquis autem dicit non esse hominibus præcipiendũ quid vel quemadmodum doceãt, si Doctores sanctus efficit Spiritus, potest dicere, nec orandum nobis esse, quia Dominus ait, Scit Pater vester quid vobis necessarium sit priusquam petatis ab eo. Aut Apostolum Paulum Timotheo & Tito nõ debuisse præcipere quid vel quẽadmodum præciperẽt aliis. Quas tres Apostolicas Epistolas ante oculos habere debet, cui est in Ecclesia Doctoris persona imposita. Nõne in prima ad Timotheum legitur, Annũtia hæc & doce? Quæ autẽ sint, suprà dictum est. Nonne ibi est, Seniorẽ ne increpaueris, sed obsecra vt patrem? Nonne in secũda ei dicitur, Formã habe verborum sanorum, quæ à me audisti? Nõne ibi ei dicitur, Satisfage teipsum probabilem operarium exhibẽs Deo, nõ erubescentem, verbum veritatis rectè tractantem? Ibi est & illud, Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa, in omni lõganimitate & doctrina. Itémq; ad Titum, nonne dicit Episcopũ iuxta doctrinam fidelis verbi perseueratem esse debere, vt potẽs sit in doctrina sana, & cõtradicentes redarguere? Ibi etiam dicit, Tu verò loquere quæ decẽt sanam doctrinam, senes sobrios esse, & quæ sequuntur. Ibi & illud, Hæc loquere & exhortare, & increpa cum omni imperio. Nemo te cõtemnat. Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, &c. Quid ergo putamus? Nunquid cõtra seipsum sentit Apostolus, qui cùm dicat doctores operatione fieri Spiritus sancti, ipse illis præcipit quid & quẽadmodum doceant? An intelligẽdum est & hominum officia, ipso sancto Spiritu largiente in docendis etiã ipsis doctoribus non debere cessare: & tamen neque qui plantat esse aliquid, neque qui rigat, sed Deũ qui incremẽtum dat? Vnde ipsis quoque ministris sanctis hominibus, vel etiam sanctis Angelis operantibus nemo rectè discit quæ pertinẽt ad viuẽdum cum Deo, nisi fiat à Deo docilis, cui dicitur in Psalmo, Doce me facere voluntatẽ tuã, quia tu es Deus meus. Vnde & ipsi Timotheo idem dicit Apostolus, loquens vtique ad discipulum doctor, Tu autem perseuera in iis quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens à quo didiceris. Sicut enim corporis medicamenta, quæ hominibus ab hominibus adhibentur, nonnisi eis prosunt, quibus Deus operatur salutẽ, qui & sine illis mederi potest, cùm sine ipso illa non possint: & tamen adhibentur, & si hoc officiose fiat, inter opera misericordiæ, vel beneficentiæ deputatur: ita & adiumenta doctrinæ tunc prosunt animæ, adhibita per hominẽ, cùm Deus operatur vt prosint, qui potuit Euangelium dare homini, etiã non ab hominibus, neque per hominem.

1 Timoth. 4, & 5. *2. Timoth. 2.* *2. Timoth. 4.* *Tit. 1.* *Tit. 1, & 3.* *1. Corinth. 3.* *Psalm. 142.* *2. Timoth. 3.*

Lib. II. de doctrina Christiana, Cap. VIII.

Canon sacræ Scripturæ quibus libris cõtineatur.

Totus autẽ canon Scripturarum, in quo istam consyderationem versandam dicimus, iis libris cõtinetur. Quinq; Moyseos, id est, Genesi, Exodo, Leuitico, Numeri, Deuteronomio, & vno libro Iesu Naue, vno Iudicum, vno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad Regnorum principia videtur pertinere, deinde quatuor Regnorũ, & duobus Paralipomenon non consequentibus, sed quasi à latere adiunctis simúlque pergẽtibus. Hæc est historia, quæ sibimet annexa tẽpora continet, atque ordinem rerum. Sunt aliæ tanquã ex diuerso ordine, quæ neque huic ordini, neq; inter se connectuntur, sicut est Iob, & Tobias, & Hester, & Iudith, & Machabęorũ libri duo, & Esdræ duo, qui

qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam, vsque ad Regnorum vel Paralipomenon terminatam. Deinde Prophetæ, in quibus Dauid vnus liber Psalmorum, & Salomonis tres, Prouerbiorum, Cantica canticorum, & Ecclesiastes. Nam illi duo libri, vnus qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Iesus filius Sirach eos scripsisse constantissimè perhibetur. Qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerãdi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui propriè Prophetæ appellati sũt. Duodecim Prophetarum libri singuli, qui cõnexi sibimet, quoniam nũquam seiuncti sunt, pro vno habẽtur. Quorum Prophetarũ nomina sunt hæc, Oseæ, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuk, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias. Deinde quatuor Prophetæ sunt maiorum voluminum, Esaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel. His quadragĩta quatuor libris veteris Testamenti terminatur auctoritas. Noui autem quatuor libris Euangelii secundum Matthæum, Marcum, Lucam, Ioannem, quatuordecim Epistolis Pauli Apostoli, ex Petri duabus, tribus Ioannis, vna Iudæ, & vna Iacobi, Actibus Apostolorum libro vno, & Apocalypsis Ioannis libro vno.

DE VERITATE VERBI Dei & auditu eiusdem. In Prologo librorum de doctrina Christiana.

Iam verò eorum qui diuino munere exultant, & sine talibus præceptis, qualia nunc tradere institui, se factos libros intelligere atque tractare gloriantur, & propterea superflua voluisse me scribere existimãt, sic est lenienda cõmotio, vt quanuis magno Dei munere iure lætentur: recordentur se tamen per homines didicisse vel literas. Nec propterea sibi ab Antonio, sancto & perfecto viro AEgyptio Monacho insultari debere, qui sine vlla scientia literarũ Scripturas diuinas, & memoriter audiendo tenuisse, & prudenter cogitando intellexisse prædicatur. Aut ab illo seruo Barbaro Christiano, de quo à grauissimis, fidéque dignissimis viris nuper accepimus, qui literas quoque ipsas nullo docente homine in plenam notitiam, orando vt sibi reuelarentur, accepit, triduanis precibus impetrans, vt etiam codicem oblatum, stupentibus qui aderãt, legendo percurreret. At si hæc quisque falsa arbitretur, nõ ago pugnaciter. Certè enim quoniam cum Christianis nobis res, qui se Scripturas sanctas sine duce homine gaudent nosse, & si ita est, vero & non mediocri gaudent bono: concedant necesse est vnunquenque nostrùm & ab incunte pueritia cõsuetudine audiendi linguã suam didicisse, & aliam linguam vel Græcã, vel Hebræam, vel quãlibet cæterarũ, aut similiter audiendo, aut per hominem præceptorem accepisse. Iam ergo si placet, moneamus omnes fratres, ne paruulos suos ista doceant, quia momento vno temporis, adueniente Spiritu sancto repleti Apostoli, omnium gentium linguis loquuti sunt: aut cui talia non prouenerint, non se arbitretur esse Christianum, aut Spiritum sanctum se accepisse dubitet. Imò verò & quod per hominem discendum est, sine superbia discat, & per quem docetur alius, sine inuidia tradat quod accepit. Neque tentemus eum cui credidimus, ne talibus inimici versutiis & peruersitate decepti, ad ipsum quoque Euangelium audiẽdum atque discendum nolimus ire in Ecclesias, aut codicem legere, aut legentem prædicantémque hominem audire, & expectemus rapi vsque in tertiũ cælum, siue in corpore, siue extra corpus, sicut dixit Apostolus, & ibi audire ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, aut ibi videre Dominum Iesum Christum, & ab illo potius, quàm ab hominibus audire Euangelium. Caueamus tales tentationes superbissimas & periculosissimas, magísque cogitemus & ipsum Apostolum Paulum, licet diuina & cælesti voce prostratum & instructum, ad hominem tamen missum esse, vt Sacramenta perciperet & copularetur Ecclesiæ. Et Cẽturionem Cornelium, quanuis exauditas orationes eius, eleemosynásque respectas ei Angelus nũtiauit, Petro tamen traditum imbuẽdum, per quem non solùm Sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligẽdum esset, audiret. Et poterant vtique omnia per Angelum fieri: sed abiecta esset humana conditio, si per homines hominibus verbum suum Deus ministrare nolle videretur. Quomodo enim verum esset quod dictum est, Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, si Deus de humano templo responsa non redderet, & totum quod discendum hominibus tradi vellet, de cælo atq; per Angelos personaret? Deinde ipsa charitas, quæ sibi inuicem homines nodo vnitatis astringit, non haberet aditũ refundendorum, & quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerẽt. Et certè Spadonem illum, qui Esaiam Prophetam legẽs non intelligebat, neq; Apostolus ad Angelum misit, nec per Angelum ei quod non intelligebat expositum, aut diuinitus in mente sine hominis ministerio reuelatum est: sed potius suggestione diuina missus est ad eum, sedítq; cũ eo Philippus, qui nouerat Esaiã Prophetam, eíque humanis verbis & lingua, quod in scriptura illa tectũ erat, aperuit. Nonne cum Moyse Deus loquebatur, & tamen consilium regẽdi atque administrãdi tam magni populi, à socero suo, alienigena scilicet homine, & maximè prouidus, & minimè superbus accepit? Nouerat enim ille vir, ex quacunque animæ verum consilium processisset, non ei, sed illi qui est veritas, incommutabili Deo tribuendum esse. Postremò, quisquis se nullis præceptis

Doctus idiota Antonius.

Non expectandum vt otiosis infundatur scientia.

Actorum 2.

2. Corinth. 12.

Actorum 9.

Actorum 10. Cornelius Veritas traditus imbuendus.

1. Corinth. 3.

Actorum 8. Spado à Philippo instructus.

Exod. 18.

instructum, diuino munere quæcũque in Scripturis sanctis obscura sunt, intelligere gloriatur: bene quidem credit, & verum est non esse illam suam facultatem, quasi ex seipso existentem, sed diuino munere traditam. Ita enim Dei gloriam quærit, non suam.

Libro II. de Symbolo ad Catechumenos, Cap. I.

Verbum Dei animæ cibus.

Accipite itaque vos qui fidem desyderatis, verbum Dei, tanquam competẽtem cibum, ex quo vobis Dominus operetur incrementum. Nõdum quidem adhuc per sacrũ Baptismum renati estis, sed per crucis signũ in vtero sanctæ matris Ecclesiæ iam cõcepti estis. Agat itaque hæc mater congruis alimentis, prius pascere quod portat, vt post partum lætetur se tales suscepisse quos spiritaliter nutriat.

De vera innocentia, Cap. CCCII.

Verbis Euangelij vita debet esse consona.

Bonus odor Christi est prædicatio veritatis, quo odore vitam capit, qui Euangelio bonis operibus seruit & cõgruit. Mortem autem incurrit omnis qui ab iis quæ bene loquitur, vita dissentit. Quæ conditio, & auditores constringit, quum recta prædicatio ab his per incredulitatem auditur in mortem, ab aliis per fidem suscipitur in salutem.

Cap. CXCIII.

Verbi auditor animali ruminanti similis.

Auditor verbi similis debet esse animalibus, qui ob hoc quòd ruminant munda esse dicuntur, & non pigeat cogitare de iis quæ in alquo cordis accepit, & cùm audit sit similis edenti, cùm verò audita in memoriam reuocat, sit similis ruminanti.

Cap. CLXXX.

Veritas multis odiosa est.

Beata vita est gaudium de veritate quod Deus est. Sed multis veritas odiosa est, quã audire nolunt docentem, & volentes falli, volunt mendacia sua veritatem videri. Quibus iustè retribuitur, vt ipsi veritatem non lateãt, ipsos autem lateat veritas.

In Euangelium Ioannis, Tract. XII.

Ioannis 8. Verbũ Dei hoc nimirũ vt pisces hamus.

Quid est ergo sermo meus non capit in vobis? non capit cor vestrum, quia non recipitur à corde vestro. Sic enim est sermo Dei, & sic esse debet fidelibus, tanquam pisci hamus. Tunc capit quando capitur, nec fit iniuria illis qui capiuntur: ad salutẽ quippe non ad perniciem capiuntur.

Ad Hieronymum, Epist. XXVIII.

Exod. 18. Actorum 10. Matth. 23. Galat. 2. Docet Deus per ministros.

Me potius magistrum audire, quàm veluti magistrum delectat audiri. Recolo enim quid dixerit eis quos præ cæteris elegit, Vos autem (inquit) nolite vocari ab hominibus Rabbi: vnus enim est magister vester Christus. Nec alius docuit Moysem per Ietro, nec Cornelium etiam per priorem Petrum, nec alius Petrum etiam per posteriorem Paulũ. A quocunque enim verum dicitur, illo donante dicitur qui est ipsa veritas.

Ad Circenses, Epist. CXXX.

Si id quod in vestra ciuitate nos grauiter contristabat, absumptum est: si duritia cordis humani resistens manifestissimè & quodammodo publicæ veritati, vi eiusdem veritatis euicta est: si sapit dulcedo pacis vnitatísque charitas, & nõ iam reuerberat oculos saucios, sed sanos illustrat ac vegetat: non sunt hæc opera nostra, sed Dei. Non hæc humanis operibus omnino tribuerem: nec si cùm apud vos essemus, tanta cõuersio multitudinis nobis loquẽtibus & hortantibus proueniret. Hoc agit ille & efficit, qui per ministros suos rerum signis extrinsecus admonet, rebus autem ipsis per se ipsum intrinsecus docet. Nec ideo pigrius mo ueri nos oportet ad visendos vos, quoniam quidquid in vobis laudabile est factum, non à nobis, sed ab illo factum est qui facit mirabilia solus. Multò enim alacrius debemus accurre- *1. Corin. 3* re ad spectãda opera diuina, quàm nostra: quia & nos, si quid boni sumus, non hominum, sed opus illius sumus. Vnde Apostolus dixit, Neque qui plãtat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Xenocrates Palemonem vt scribitis, & nos ex illius literis recordamur, de fruge temperantiæ disputando, non solùm ebriosum, verùm & tunc ebrium, ad mores alios repente conuertit. Quanquam ergo ille, sicut prudenter & veraciter intellexistis, non Deo fuerit acquisitus, sed tantùm à dominatu luxuriæ liberatus: tamen ne idipsũ quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerimus, sed Diuino. Ipsius nanque corporis, quod est infirmũ nostrum, si qua bona sunt, sicut forma & vires & salus, & si quid eiusmodi est, non sunt nisi ex Deo Creatore ac perfectore naturæ. Quãtò magis animi bona donare nullus alius potest?

Prædicatores foris personant, Deus autem intus operatur.

In Psalmum LXI.

Veritas vincit non potest.

Occultari potest ad tempus veritas, vincí non potest. Florere potest ad tempus iniquitas, permanere non potest. Nolite igitur sperare super iniquitate.

In Psalmum CXVIII.

Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Quid est hoc verbũ, quod ita lumẽ dicitur, vt lucerna sit? ait enim, Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis: nisi verbum intelligamus quod factũ est ad Prophetas, vel quod prædicatũ est per Apostolos? Non Verbum Christum, sed verbum Christi. De quo scriptum est, Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Nam & verbum propheticum lucernæ comparans Apostolus Petrus, Habemus inquit) certiorem propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes velut lucernæ lucenti in obscuro loco. Quod itaque hîc ait, Lucerna pedibꝰ meis verbum tuum, & lumen semitis meis, verbũ est quod Scripturis sãctis omnibus cõtinetur.

Psalm. 118

Verbum Christus & verbum Christi differunt. Roman. 10 2. Petri.

In præfatione Psalmi CXV.

Notissimum arbitror esse sãctitati vestræ quod

quod ait Apostolus, Non enim est omnium fides. Et quòd maior esse soleat infidelium multitudo non ignoratis, propter quos dicitur,
Roman. 10. Domine, quis credidit auditui nostro? Inter quos etiam illi numerantur, de quibus idem dicit Apostolus, Omnes sua quærunt, non quæ
Philip. 1. & 2. Iesu Christi. Quos alio loco dicit, non ex veritate, sed ex occasione prædicare verbũ Dei, non castè, id est, non ex animo puræ & syncerę charitatis. Aliud enim sentiebant, quod in eorum moribus apparebat, & aliud prædicabant,
De prædicatoribus non purè Christum annuntiantibus. vt sancto nomine placerent hominibus. Nã de his iterum dicit, Neque enim isti Deo seruiũt, sed suo ventri: quos tamen Christum annũtiare permittit. Quanuis enim ea potius crederent, quæ ipsi faciebant vt morerentur, ea tamen prędicabant, quę si alii credentes facerẽt, saluarentur. Non enim aliud annũtiabant prę-
Galat. 1. ter regulam fidei. Eos quippe excludit Apostolus, dicẽs, Si quis vobis annuntiauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Illi non
Philip. 1. Galat. 5. Christum annuntiant qui annuntiant falsitatem: quia Christus veritas est. De istis autem dicit, quòd Christum annuntient, sed non ca-
Matth. 10. stè, id est, non animo simplici & puro, ex fide syncera, quæ per dilectionem operatur. Terrenis quippe cupiditatibus consulentes, regnũ cælorũ annuntiabant, habentes in pectore falsitatem, in lingua veritatem. Sciens itaque A-
Iudas etiam Euangelium annuntiauit. Philip. 1. postolus etiam per Iudam euangelizãtem credentes esse liberatos, istos quoque ita permittit, Siue (inquit) occasione, siue veritate Christus annuntietur. Veritatem quippe annũtiabant, etiã si non veritate, id est, nõ vero animo.
Matth. 23. Isti loquuntur quod non credunt: & ideo reprobati sunt, quanuis sint vtiles eis quos instruit Dominus dicens, Quæ dicũt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim, & non faciunt. Vnde, nisi quia vtilia non credunt esse quæ dicunt? Sunt autẽ alii qui credunt, & non loquuntur quod credunt, vel pigritia, vel timore. Nam & ille seruus qui quis talentũ habuerit, tamen quia erogare noluit, audit à do-
Matth. 25. Ioannis 12. mino iudice, Serue nequam & piger. Et alio Euangelii loco dictum est, Quòd multi ex principibus Iudæorum credidissent in eum, sed nõ eum confitebantur, ne expellerentur de synagogis. Sed & etiam ipsi reprehensi atque reprobati sunt. Sequitur enim Euãgelista, dicẽs, Amauerunt enim gloriam hominum, magis quàm Dei. Si ergo & illi qui verum quod loquuntur non credunt, & illi qui verum quod credunt non loquuntur, meritò reprobantur: quis erit seruus verè dicẽdus fidelis, nisi ille cui
Matth. 25. dicitur, Euge serue bone, quoniam in modico fuisti fidelis, super multa te constituam. intra in gaudium domini tui? Talis itaque seruus, nec antequam credat, loquitur, nec cùm crediderit tacet, vel sic erogat vt ipse nõ habeat, vel ꝙ habet nõ erogando non habeat. Sicut enim
Matth. 13. dictũ est, Qui habet dabitur ei: sic, Qui autem nõ habet, & quod habet, auferetur ab eo, &c.

In Euangelium Ioannis, Tractatu XXX.

Dominum quippe audiebant loquentem, & discipuli & Iudæi. Veritatem loquẽtem audiebant & veraces & mẽdaces. Charitatem loquentem audiebant & amici & inimici. Bonũ loquentem audiebant & boni & mali. Illi audiebant, sed ille discernebat, & quibus sermo prodesset, & profuturus esset videbat & præuidebat. In illis enim qui tunc erãt videbat, in nobis qui futuri eramus, præuidebat. Nos itaque sic audiamus Euãgelium, quasi præsentem *Euangelium eatenus audiendũ tanquã per præsentem Dominum.* Dominum, nec dicamus, O illi felices qui eum videre potuerunt: quia multi in eis qui viderunt, & occiderunt: multi autem in nobis qui non viderunt, & crediderunt. Quod enim pretiosum sonabat de ore Domini, & propter nos scriptum est, & nobis seruatum est, & propter nos recitatur, & propter posteros recitabitur, & donec seculum finiatur. Sursum est Dominus, sed etiam hìc est veritas Dominus. Corpus enim Domini in quo resurrexit, vno loco esse potest: veritas eius vbique diffusa est. Dominum ergo audiamus, & quod ipse donauerit de verbis eius, & nos dicamus. Nõne Moy- *Ioannis 7.* ses, inquit, dedit vobis Legem?

In eodem, Tractatu XIV.

Hoc prouerbium dixit illis Iesus. Illi autẽ *Ioannis 10.* non cognouerunt quid loqueretur eis Iesus. Fortè nec nos. Quid ergo interest inter illos & nos, antequã ista verba agnoscamus & nos? Quia nos pulsamus vt aperiatur nobis: illi autem Christum negando nolebant intrare seruandi, sed foris remanere perdendi. Quòd er- *Verbum Dei disparet habet auditores.* go nos audimus hæc piè, quòd antequã illa intelligamus, credimus vera esse atq; diuina: magna ab istis diuersitate distamus. Cùm enim duo audiunt verba Euangelii: vnus impius, alter pius, & talia sunt vt fortè ambo non intelligant: vnus dicit, Nihil dixit: alius dicit, Verum dixit, & bonum est quod dixit, sed non intelligimus. Iste quia credit iam pulsat, & dignus est cui aperiatur, si pulsare persistat: ille verò adhuc audiat, Nisi credideritis, non intelligetis. *Esaiæ 7.*

Super eundem, Tractatu LVII.

Videbitis cælos apertos, & Angelos Dei *Ioannis 1.* descendetes & ascendẽtes ad Filium hominis. Si ascendunt ad eum, propterea quia sursum est, quomodo ad eum descendunt si etiam non hìc est? Dicit ergo Ecclesia, Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? In iis hoc dicit qui prædicant Christum, & aperiunt illi ostium, vt habitet per fidem in cordibus hominum. In iis hoc dicit quum deliberant, vtrum ministerium tale suscipiant, cui se minus idoneos existimant, vt sine culpa impleant, ne fortè aliis prædicantes, ipsi reprobi fiant. Tutius e- *1. Corinth. 9.* nim veritas auditur quàm prædicatur: quoniã *Veritas tutius auditur quam prædicatur.* quum auditur, humilitas custoditur, quum autem prędicatur, vix nõ surrepit cuiuis hominũ quãtulacunque iactantia, in qua vtique inquinẽtur pedes. Ergo, vt Apost. Iacobus dixit, Sit *Iacobi 1.*

omnis homo velox ad audiẽdum, tardus ad loquendum. Dicit & alius homo Dei, Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. Hoc est quod dixi, cùm veritas auditur, humiliatus custoditur. Dicit & alius, Amicus autem Spõsi stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem Spõsi. Fruamur auditu, sine strepitu nobis loquente intrinsecus veritate: quanquam etiam cùm forinsecus insonat per legẽtem, per annuntiantem, per prædicantem, per disputantem, per præcipientem, per consolantem, per exhortantem, per ipsum etiam cantantem atque psallentem: ipsi qui hæc agunt, inquinare pedes suos timeant, cùm placere hominibus, surrepẽte amore humanæ laudis affectant. Cæterùm qui eos audit libenter & piè, non habet locum iactandi se in laboribus alienis, & non inflatis ossibus humiliatis, gaudio gaudet propter vocem Dominicæ veritatis. Proinde in eis qui libenter & humiliter audire nouerunt, & vitam quietam in studiis dulcibus & salubribus agũt, catholica delicietur Ecclesia, & dicat, Ego dormio, & cor meum vigilat. Quid est Ego dormio, & cor meum vigilat, nisi ita quiesco vt audiã? Otium meum non impenditur nutriendæ desidiæ, sed percipiendæ sapientiæ.

Psal.50. *Ioannis 3.* *Cantic.5.*

Post pauca ibidem.

Aperi mihi, prædica me. Ad eos quippe qui clauserunt contra me, quomodo intrabo sine aperiente? Quomodo enim audient sine prædicante? Hinc fit vt etiam ii qui amant otium studiorum bonorum, & nolunt perpeti laboriosarum molestias actionum, eò quòd minus idoneos ad hæc ministranda & sine reprehensione agenda se sentiunt, mallent si fieri posset sanctos Apostolos & prædicatores veritatis antiquos excitari aduersus abundantiam iniquitatis, quia feruor friguit charitatis. Sed in eis qui iam de corpore exierunt, & carnis indumenta expoliati sunt, neque enim ab ea separati sunt, respondeat Ecclesia, Exui me tunica mea, quomodo induar ea? Passa ergo difficultatem propter inopiam prædicatorum, & recolens illa sua membra sana sermonibus, sancta moribus, sed iam exuta corporibus, ingemit & dicit Ecclesia, Exui me tunica mea, quomodo induar ea? Membra illa mea quæ Christo aperire euangelizando excellentissimè potuerunt, quomodo ad corpora quibus exuta sunt, redire nunc possunt? Deinde respiciens ad eos qui prædicare, & populos acquirere ac regere, ac sic Christo aperire vtcunque possunt: sed in iis difficultatibus actionum pecare metuunt, Laui (inquit) pedes meos, quomodo inquinabo illos? Quisquis enim in verbo nõ offendit, hic perfectus est vir. Et quis est perfectus? Quis est qui non offendat in tanta abundantia iniquitatis, tanto frigore charitatis? Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Quãdoquidẽ lego & audio. Nolite multi magistri fieri, fratres, quoniã maius iudicium sumitis. In multis enim offendimus omnes. Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? Sed ecce surgo & aperio, Christe laua eos. Dimitte nobis debita nostra: quoniam non est extincta charitas nostra, quia & nos dimittimus debitoribus nostris. Quoniam te audimus, exultant tecum in cęlestibus ossa humiliata. Sed quando te prædicamus, terram calcamus, vt tibi aperiamus'. Et ideo si reprehendimur, perturbamur, si laudamur, inflamur. Laua pedes nostros ante mundatos, sed cùm ad aperiendum tibi per terram pergimus inquinatos.

De difficultate prædicatoris officij. *Cant.5.* *Iacobi 3.* *Matth.6* *Psalm.50*

Super Ioannem, Tract. CIX.

Siue ego siue illi, sic prædicauimus & sic credidistis: & iterum, Hoc est (inquit) verbum fidei quod prædicamus: quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Et in Actibus Apostolorum hoc legitur, quòd in Christo Deus diffinierit fidem omnibus, suscitans eum à mortuis. Hoc verbum fidei, quia principaliter ac primitus per Apostolos, qui ei cohæserant prædicatum est, ideo verbum eorum dictum est. Neque enim propterea non est verbum Dei, quia dictum est verbũ eorum, cùm dicat idem Apostolus Thessalonicenses excepisse à se, non vt verbum hominum, sed sicut est, inquit, verè verbum Dei. Ideo ergo Dei, quia Deus id donauit. Eorum verò verbum dictum est, quia hoc prædicandum illis Deus primitus ac præcipuè commendauit. Ac per hoc etiam ille Latro in sua fide verbum eorum habebat, quod eorum propterea dictum erat, quoniam prædicandum ad eorum officium primitus ac præcipuè pertinebat. Deniq; cùm murmur factũ esset de ministerio mẽsarũ à viduis Græcorũ, antequã Paulus credidisset in Christum, responderunt Apostoli, qui Domino antè cohæserãt. Non est bonum nos relinquere verbũ Dei, & ministrare mẽsis. Tunc ordinandos Diaconos prouiderunt, ne ipsi à prædicandi verbi auocarentur officio. Vnde meritò dictũ est verbum eorum, quod est verbum fidei, per quod omnes in Christũ, vndecũque id audierint, crediderũt, vel audituri & crediturí sũt. Ergo illa oratione pro omnib⁹ quos redemit, siue tũc in carne viuẽtes, siue postea futuros, Redẽptor noster orauit, cũ rogãs p Apostolis, q cũ illo tunc erãt, adiũxit etiam illos, q per eorũ verbũ in eũ fuerant crediturí.

Roman.10. *Roman.10* *Actor.13* *Quare verbum fidei verbum Apostolorum dictum sit.* *2.Tessa.2* *Acto.6* *Ioannis 18*

De fide & Symbolo. Cap. III.

Verbum autem Patris ideo dictum est, quia per ipsum innotescit Pater. Sicut ergo verbis nostris id agimus, cùm verũ loquimur, vt noster animus innotescat audiẽti, & quidquid secretè in corde gerimus, per signa huiusmodi ad alterius cognitionem proferatur: sic illa Sapiẽtia, quã De⁹ Pater genuit, quoniã p ipsã innotescit signis secretissimis Pater, Verbum ei⁹ conueniẽtissimè nominatur. Inter animum

Christus verbum Patris dicitur, quia per illud innotescit Pater.

mum autem nostrum & verba nostra, quibus eundem animũ ostendere conamur, plurimum distat. Nos quippe nõ gignimus sonantia verba, sed facimus, quibus faciẽdis materia subiacet corpus. Plurimum autem interest inter animum & corpus. Deus verò cùm verbum genuit, id quod est ipse genuit, neque de nihilo, neque de aliqua iam facta materia cõditáque, sed de seipso, id quod est ipse. Hoc enim & nos conamur cùm loquimur, si diligenter consyderemus nostræ voluntatis appetitum: non cùm mentimur, sed quum verum loquimur. Quid enim aliud molimur, nisi animũ ipsum nostrum, si fieri potest, cognoscendum & perspiciendum animo auditoris inferre, vt in nobis quidem ipsi maneamus, nec recedamus, à nobis, & tamen tale indiciũ, quo fiat in altero nostra notitia, proferamus: vt quantùm facultas conceditur, quasi alter animus ab animo, per quem se indicet, proferatur? Deus autem Pater, qui verissimè se indicare animis cognituris & voluit & potuit, hoc ad seipsum indicandum genuit, quod est ipse qui genuit: quia virtus eius etiam Sapientia esse dicitur, quia per ipsam operatus est, & disposuit omnia: de quo propterea dicitur, Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. *Sapient. 1.*

De natura & gratia, contra Pelagianos, Cap. LXVIII.

Quibus exhortationibus frigida & pigra excitentur.

Si ergo volumus animos ad rectè viuendum frigidos & pigros, Christianis exhortationibus excitare & accendere, primitus exhortemur ad fidem, qua Christiani fiant, & eius nomini subiiciãtur, sine quo salui esse non possunt. Si autem iam Christiani sunt, & rectè viuere negligunt, verberentur terroribus, & premiorum laudibus erigantur: ita sanè, vt non solùm ad bonas actiones, verumetiam ad pias orationes eos exhortari meminerimus, atque hac instruere sanitate doctrinæ, vt & illi gratias agant, quum instituerint bene viuere, quod aliquid sine difficultate fecerint, & vbi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis & perseuerantissimis precibus & misericordiæ promptis operibus facilitatem à Domino impetrare persistant. Sic autem proficientes, vbi & quando plenissima iustitia perficiantur, non nimis curo. Vbicunque autem, & quandocunque perfecti fuerint, nonnisi gratia Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum perfici posse confirmo. Sanè quando liquidò cognouerint nullum peccatum se habere, non se dicant, non habere peccatũ, ne veritas in eis non sit, sicut in eis veritas non est, qui cùm habeãt, non habere se dicunt.

DE CEREMONIIS, CONsuetudinibus, & cantu Ecclesiæ. Libro VII. de ciuitate Dei, Cap. XXXII.

Omnes enim non solùm prophetiæ, quæ in verbis sunt, nec tãtùm præcepta vitæ, quæ mores pietatémque conformant, atque illis literis cõtinentur: verũetiam sacra, sacerdotia, tabernaculum siue tẽplum, altaria, sacrificia, ceremoniæ, dies festi, & quidquid aliud ad eam seruitutẽ pertinet, quæ Deo debetur, & Græcè propriè Latria dicitur: ea significata & prænuntiata sunt, quæ propter æternam vitam fidelium in Christo, & impleta credimus, & impleri cernimus, & implenda confidimus. *Vetus instrumentum, figura nouum.*

Lib. XIX. Cap. XIX.

Quo more viuendi quisque fidem Christi sectetur, nihil refert.

Nihil sanè ad istam pertinet ciuitatem quo habitu vel more viuẽdi, si non est contra diuina præcepta, istam fidem qua peruenitur ad Deum, quisque sectetur. Vnde ipsos quoque philosophos, quando Christiani fiunt, non habitũ vel cõsuetudinem victus, quæ nihil impedit religionẽ, sed falsa dogmata permutare cõpellit. Vnde illam quã Varro adhibuit ex Cynicis differẽtiam, si nihil turpiter atque intemperanter agat, omnino non curat, &c.

Lib. II. Cap. XXVIII.

Quæ in cœtu Ecclesiæ peragi debeant.

Ab istarum immundissimarum potestatum tartareo iugo, & societate pœnali erui per Christi nomen homines, & in lucem saluberrimæ pietatis ab illa pernicioſissimæ impietatis nocte transferri, queruntur & murmurant iniqui & ingrati, & illo nefario spiritu altius obstrictiúsque oppressi, quia populi confluunt ad Ecclesias casta celebritate, honesta vtriusque sexus discretione, vbi audiunt, quàm bene hìc ad tempus viuere debeant, vt post hanc vitam beatè sempérque viuere mereantur. Vbi sancta Scriptura iustitiæque doctrina, de superiore loco in conspectu omnium personante, & qui faciunt audiant ad præmium, & qui non faciunt, audiant ad iudicium. Quô & si veniunt quidam talium præceptorum irrisores, omnis eorum petulantia, aut repentina immutatione deponitur, aut timore vel pudore comprimitur. Nihil enim eis turpe aut flagitiosum spectandum imitandúmque proponitur, vbi veri Dei, aut præcepta insinuantur, aut miracula narantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.

De gratia noui Testamenti, ad Honoratum, Cap. XVII.

Corde cantandum & psallendum. Ephes. 5.

Neque enim omnis qui labiis personat, cantat canticum nouum: sed qui eo modo cantat, vt Apostolus admonet, dicens, Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Intus enim est gaudium, vbi vox laudis & canitur & auditur: qua voce laudatur qui gratis amandus est toto corde, tota anima, tota mente, amatorémque suum attendit in se gratia sui Spiritus sancti. Quid enim est aliud canticum nouum, quàm laus Dei?

De vera innocentia, Cap. LXXXI.

Sicut veteris hominis vetus canticum ad

temporalia,sic noui hominis nouum canticum pertinet ad æterna, & ita vnusquisque cantat vt viuit. Nouum autem canticum, carmen est fidei,quæ per dilectionem operatur.

Ibidem,Cap.CCLXXVIII.

Sabbatum perpetuum & verum.

Obseruatione sabbati,quæ vacatione vni⁹ diei figurabatur,ablata,perpetuum sabbatum obseruat, qui spe futuræ quietis sanctis operibus intentus, nec in ipsis actibus suis, quasi de propriis,& de iis quæ non acceperit gloriatur, & illum in se operari agnoscit, qui simul operatur,& operando quietus est.

Ibidem,Cap.CCCXXI.

Verum sabbatū Christianus obseruat,abstinēs se ab omni opere seruili,id est,à peccato, quoniā qui facit peccatum,seruus est peccati.

Quæstionum veteris & noui Testamenti,Cap.vel quæstione CXIIII.

Consuetudo & antiquitas, nō præiudicat veritati.

Quia quod anterius est, inquiunt, falsum esse non potest, quasi antiquitas & vetus consuetudo præiudicet veritati. Possent enim homicidæ,aut molles,aut adulteri, vel cæteri criminosi per hoc illicita sua defendere, quia antiqua sunt,& ab ipso mundi initio cœpta:cùm hinc magis intelligere debeant errorem suum, quia quod reprehēsibile & turpe est, malè cœptum probatur: quod autem honestum & sanctum est, dignè colitur: nec posse turpe & reprehensibile ante factum, esse honestum & irreprehensibile.

De Cantico nouo,Cap.V.

Veri prædicatores in aperto Christum annuntiant.

Si quis tibi Christum prædicat,attende & consydera qualē prædicat,vbi prædicet.Christus enim veritas est:per Scripturas sāctas prędicatur,non in angulis,non occultè, sed palàm & publicé. In sole posuit tabernaculum suum, hoc est,in manifesto collocauit Ecclesiam suā. Iam hìc respice illum qui tibi Christum prædicat, qualem Christum prædicet.

De rectitudine catholicæ conuersationis,Cap.C.

Omni die Dominico ad Ecclesiam venite: & non causas & rixas,vel otiosas fabulas agatis, sed lectiones diuinas cum silentio auscultate, & pro Ecclesiæ pace, & pro peccatis vestris orate. Qui enim in Ecclesiis fabulari non timet, pro se & aliis redditurus est rationem, dum nec ipse verbum Dei audit, nec alios audire permittit.

De opere Monachorum,Cap.XVII.

Manibus operantes cantica diuina cantare possunt.

Cantica verò diuina cantare,etiam manibus operantes, facilè possunt, & ipsum laborem tanquam diuino celeumate consolari. An ignoramus opifices,quibus vanitatibus,& plerunque turpitudinibus theatricarum fabularum donent corda & linguas suas, cùm manus ab opere non recedant? Quid ergo impedit seruum Dei manibus operantem in Lege Domini meditari, & psallere nomini Domini altissimi? Ita sanè vt ad ea dicenda quæ memoriter recolat,habeat sepositа tempora.

Libro III. De doctrina Christiana. Cap.XIII.

Quidquid autem congruit consuetudini eorum in quibus vita ista degenda vel necessitate imponitur, vel officio suscipitur à bonis & magnis hominibus,ad vtilitatem,& beneficentiam referendum est, vel propriè, sicut & nos debemus,vel etiam figuratè, sicut Prophetis licet.

Libro IX.Confessionum, Cap.VI.

Augustini fletus.

Nec satiabar illis diebus dulcedine mirabili, consyderare altitudinem consilii tui, super salutem generis humani. Quantum fleui in hymnis & canticis tuis, suaue sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter! Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & exinde æstuabat affectus pietatis,& currebant lachrymæ,& bene mihi erat cum eis.

Ibidem,Cap.VII.

Origo cantus in Ecclesia.

Non longè cœperat Mediolanēsis Ecclesia genus hoc consolationis & exhortationis celebrare, magno studio fratrum concinentiū vocib⁹ & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multò amplius,cùm Iustina Valentiniani regis pueri mater, hominem tuū Ambrosium persequeretur,hæresis suæ causa,qua fuerat seducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in Ecclesia, mori parata cum Episcopo seruo tuo.Ibi mater mea,ancilla tua, solicitudinis & vigiliarum primas partes tenens, orationibus viuebat. Nos adhuc frigidi à calore Spiritus tui,excitabamur tamē ciuitate attonita atque turbata. Tunc hymni & Psalmi vt canerentur secundū morem Oriētalium partium, ne populus mœrore & tædio contabesceret, instituтum est:& ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac penè omnibus gregibus tuis,& per cætera orbis imitantibus.

Libro X. Confessionum, Cap.XXXIII.

Athanasius non boatu cantus Ecclesiam suam interturbauit.

Aliquando autē hanc ipsam fallaciam immoderatius cauens, erro nimia seueritate: sed valde interdum, vt melos omne cantilenarum suauium, quibus Dauidicum Psalterium frequentatur, ab auribus meis remoueri velim, atque ipsius Ecclesiæ. Tutiúsque mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum cōmemini: qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem Psalmi,vt pronuntiāti vicinior esset quàm canenti. Veruntamē cùm reminiscor lachrymas meas,quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ,in primordiis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipso cōmoueor,non cantu, sed rebus quæ cantātur,cùm liquida voce & cōueniētissima modulatione cantantur,magnā instituti huius vtilitatē rursus agnosco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis,& experimētum salubritatis:magísque adducor, non quidem irretractabilē sententiā proferēs,cātandi cōsuetudinem approbare in Eccle-

Ecclesia,vt per oblectamẽta aurium, infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen quum mihi accidit, vt me amplius cãtus quàm res quæ canitur moueat,pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem,&c.

De catechizandis rudibus,Cap.XIII.

Mos Orientalium Ecclesiarum.

Longè consultius in quibusdam Ecclesiis transmarinis,non solùm Antistites sedẽtes loquũtur ad populum, sed ipsi etiam populo sedilia subiacent,ne quisquam infirmior stando lassatus à saluberrima intentione auertatur, aut etiam cogatur abscedere.

Ad inquisitiones Ianuarii,libro I.

Cap.II.

Ceremoniæ debent esse liberæ

Alia verò,quæ per loca terrarum regionésque variantur:sicuti est, quòd alii ieiunãt sabbato,alii verò non:alii quotidie communicãt corpori & sanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi sabbato tantùm & Dominico, alibi tãtùm Dominico, & siquid aliud huiusmodi animaduerti potest: totum hoc genus rerum liberas habet obseruationes. Nec disciplina vlla est in his melior graui prudentíque Christiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quancunque fortè deuenerit. Quod enim neque contra fidem neque cõtra bonos mores iniungitur,indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos viuitur societate seruandum est. Credo te aliquando ex me audisse, sed tamen etiam nunc commemoro. Mater mea Mediolanum me consecuta, inuenit Ecclesiam sabbato non ieiunantem. Cœperat perturbari & fluctuare quid ageret. Tunc ego talia non curabam:sed propter ipsam consului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium. Respondit se nihil docere me posse nisi quod ipse faceret:quia si melius nosset,id potius obseruaret. Cúmq; ego putassem nulla reddita ratione, auctoritate sola sua nos voluisse admonere ne sabbato ieiunaremus,subsecutus est, & ait mihi, Cùm Romam venio, ieiuno sabbato, cùm hîc sum, non ieiuno. Sic & tu,ad quam fortè Ecclesiam veneris,eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalo,nec quenquam tibi. Hoc quum matri renuntiassem,libenter amplexa est. Ego de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tanquam eam cælesti oraculo susceperim. Sensi enim sæpe dolẽs & gemẽs multas infirmorum perturbationes fieri per quorundam fratrum contentiosam obstinationem,& superstitiosam timiditatem, qui in rebus huiusmodi,quæ neque Scripturæ sanctæ auctoritate, neque vniuersalis Ecclesiæ traditione,neque vitæ corrigendæ vtilitate,ad certum possunt terminum peruenire, tãtùm quia subest qualiscunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in sua patria sic ipse consueuit, aut quia ibi vidit,vbi peregrinationem suam,quò remotiorem à suis, eò doctiorem factã putat, tam litigiosas excitãt quæstiones, vt nisi quod ipsi faciunt,nihil rectum existiment.

Cap.I.in eodem.

Conciliorum generalium sine saluberrima authoritas.

Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus,quæ quidem toto terrarũ orbe obseruantur,datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis,vel plenariis Cõciliis,quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas,commendata atque statuta retineri,sicuti quòd Domini passio & resurrectio & ascensio in cælum & aduẽtus de cælo Spiritus sancti, anniuersaria solennitate celebrantur, & si quid aliud tale occurrerit, quod seruatur ab vniuersis quacunque se diffundat Ecclesia.

Ad inquisitiones Ianuarii, Epistola CIX.

Cap. XVIII.

Quæ ceremoniæ retinendæ.

Miror sanè quid ita volueris,vt de iis quę variè per diuersa loca obseruantur,tibi aliqua conscriberem,quum & non sit necessarium,& vna in iis saluberrima regula retinenda sit, vt quę non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationẽ vitæ melioris, vbicunque institui videmus,vel instituta cognoscimus,non solùm non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentum sit. Si enim eo modo impediat,vt maiorum studiorum lucra sperandа sint,quàm calumniatorum detrimenta metuenda,sine dubitatione faciendum est, maximè illud quod etiam de Scripturis defendi potest,sicut de hymnis & Psalmis canendis: cùm & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta & exempla & præcepta de hac re tam vtilia. Ad mouendũ piè animum,& accendendum diuinæ lectionis affectum, varia consuetudo est: & pleraq; in Africa Ecclesiæ membra pigriora sunt,ita vt Donatistæ nos reprehendant,quòd sobriè psallimus in Ecclesia diuina cantica Prophetarum: cùm ipsi ebrietates suas ad canticum Psalmorum humano ingenio compositorum,quasi tubas exhortationis inflamment. Quando autem non est tempus,cùm in Ecclesia fratres congregantur, sancta cantandi,nisi quum legitur aut disputatur, aut Antistites clara voce deprecãtur, aut communis oratio voce Diaconi indicitur? Aliis verò particulis temporum,quid melius à congregatis fidelibus fiat, quid vtilius,quid sanctius, non video.

Ad Casulanum Presbyterum.

Quæ probanda consuetudo

Consuetudinem laudamus,quæ tamen contra fidẽ catholicã nihil vsurpare dignoscitur.

Ibidem.

Mos pro lege tenendus.

In iis rebus de quibus nihil certi statuit diuina Scriptura, mos populi Dei, & instituta maiorum,pro lege tenenda sunt. Et sicut præuaricatores diuinarum legũ, ita cõtemptores Ecclesiasticarũ consuetudinum coercẽdi sunt.

Libro II.de vnico Baptismo.

Consuetudo cedat veritati.

Veritate manifestata cõsuetudo cedat veritati. Planè quis dubitet veritati manifestæ consuetudinem cedere?

Ibidem.

Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.

Ad Marcellinum, Epistola V.

Pro temporum varietate statuta mutanda

Non itaque verum est quod dicitur, Semel rectè factum nullatenus esse mutandum. Mutata quippe tẽporis causa, quod rectè ante factum fuerat, ita mutari vera ratio plerunque flagitat, vt cùm ipsi dicant rectè non fieri si mutetur, contra veritas clamet, rectè non fieri nisi mutetur: quia vtrunque tunc erit rectũ, si erit pro tẽporum varietate diuersum.

Ad Casulanum, Epistola LXXXVI.

Potest aliquis etiam ieiunare cum scandalo.

Siue mãducemus, siue bibimus, siue quæcunque facimus, omnia in gloriam Dei faciamus: & quantum in nobis est sine offensione simus Iudæis & Græcis & Ecclesiæ Dei. Quod parum cogitãt, qui cum offensione manducãt, vel cum offensione ieiunant, & per vtranlibet intemperãtiam scandala committunt, quibus non superatur diabolus, sed lætatur.

Ad Ianuarium, Epistola CXIX.

Sed hoc nimis doleo, quia multa quæ in diuinis libris saluberrimè præcepta sunt, minus curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, vt grauius corripiatur, qui per octauas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentia sepelierit. Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix aut omnino nũquam inueniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt: vbi facultas tribuitur, sine vlla dubitatione resecanda existimo. Quãuis enim neque hoc inueniri possit, quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramẽtis misericordia Dei esse liberam voluit, seruilibus oneribus premunt, vt tolerabilior sit conditio Iudæorum: qui etiam si tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subiiciuntur. Sed Ecclesia Dei inter multam paleam multáque zizania constituta, multa tolerat: & tamen quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit, &c.

De Baptismate paruulorum.

Christus dixit se esse veritatem non consuetudinem,

Qui contẽpta veritate prẽsumit cõsuetudinem sequi, aut circa fratres inuidus est & malignus, quibus veritas reuelatur, aut circa Deum ingratus est, inspiratione cuius Ecclesia eius instruitur. Nam Dominus in Euangelio, Ego sum (inquit) veritas: non dixit, Ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata, cedat consuetudo veritati.

Libro I. ad inquisitiones Ianuarii, Cap. IIII.

Consuetudo consuetudini non præponenda.

Sit aliquis peregrinus in eo fortè loco, vbi perseuerantes in obseruatione quadragesimę, nec quinta sabbati lauant, relaxántque ieiunium, Non (inquit) hodie ieiunabo. Quæritur causa. Quia non fit (inquit) in patria mea. Quid aliud ille, nisi consuetudinem suam consuetudini alterius præponere conatur? Non enim mihi de libro Dei hæc recitaturus est, aut vniuersæ, quacunque dilatatur, Ecclesiæ plena voce certabit aut ostendet istum contra fidem facere, se autem secundum fidem: moréque hinc optimos, aut illum violare, aut se custodire conuincet. Violant sanè quietem & pacem suam de superflua quæstione rixando. Mallem tamen in rebus huiusmodi, vt & ille in huius, & hic in illius patria, ab eo quod cæteri faciũt nõ abhorreret. Si verò etiam in aliena patria, quum peregrinetur, vbi maior atque frequentior est populus Dei, vidit, verbi gratia, bis offerre quinta sabbati hebdomadæ vltimæ quadragesimæ & mane & ad vesperam, veniénsq; in patriam suam, vbi in fine diei mos est offerri, malè illicitéque fieri contendat, quoniam alibi aliter ipse viderit: puerilis est sensus ille, cauendus in nobis, tolerandus & corrigendus in nostris.

Libro I. de consensu Euangelistarum, Cap. XVIII.

Socratis sententia de colendo Deo.

Socratis sentẽtia est, Vnũquenque Deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendum esse præcepit.

Ad inquisitiones Ianuarii, Libro II. Cap. I.

Hìc primùm oportet, vt noueris diem natalem Domini non in sacramento celebrari, sed tantùm in memoriam reuocari, quòd natus sit: ac per hoc nihil opus erit, nisi reuolutũ anni diem, quo ipsa res acta est, festa deuotione significari. Sacramentum est autem in alia celebratione, quum rei gestæ ita rememoratio fit, vt aliquid etiã significari intelligatur, quod sanctè accipiendum est.

In eodem, Cap. XII.

Sabbatum obseruãdum non ad literam.

Obseruare diem sabbati, non ad literam iubemur, secundum otium ab opere corporali, sicut obseruant Iudæi. Et ipsa eorum obseruatio, quia ita præcepta est, nisi aliam quandam spiritalem requiem significet, ridenda iudicatur. Vnde non inconuenienter intelligimus ad amorem excitandum, quo ad requiem tendimus, valere omnia quæ figuratè in Scripturis dicuntur: quandoquidem non solùm in Decalogo figuratè præcipitur, vbi requies commendatur, quæ vbique amatur: sed in solo Deo certa & sancta inuenitur.

Cap.

De opere Monachorum,
Cap. XXXIII.

Quapropter qui rectè facere nolunt, desinãt saltem docere peruersa. Sed alii sunt quos isto sermone corripimus. Illos autem qui hoc vno vitio capillorum contra præceptum Apostoli dimissorum, offendunt & perturbant Ecclesiam: quia quum alii nolentes de illis mali aliquid sentire, coguntur manifesta verba Apostoli in peruersam torquere sententiam: alii sanum intellectum Scripturarum defendere malunt, quàm quoslibet homines adulari. Existũt inter fratres infirmiores & firmiores amarissimæ & periculosissimæ contentiones, quod illi fortè si scirent, hoc quoque sine dubitatione corrigerẽt, quorũ cætera miramur & amam⁹.

DE FIDE ET OPERIBVS.

De Trinitate, libro IIII.
Cap. XVIII.

Nũc ergo adhibemus fidem rebus temporaliter gestis propter nos, & per ipsam mundamur, & quum ad speciem venerimus, quemadmodum succedit fidei veritas, ita mortalitati succedet æternitas. Quapropter quoniam fides nostra fiet veritas, quum ad id quod nobis credentibus promittitur, peruenerimus: promittitur autem nobis vita æterna: & dixit Veritas, non quæ fiet, sicut futura est fides nostra, sed quæ semper est veritas, quia ibi est æternitas. Dixit autẽ Veritas, Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Cùm fides nostra videndo fiet veritas, tũc mortalitatem nostram commutatam tenebit æternitas.

Ioan. 17.

Fides credentium fiet veritas.

Ibidem in fine.

Iam enim credentibus, vt in verbo fidei manerent, & inde ad veritatem, ac per hoc ad æternitatem perducti, à morte liberarentur, ita loquitur, Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis. Et quasi quærerent quo fructu, secutus ait, Et cognoscetis veritatem. Rursus quasi dicerent, Quid prodest mortalibus veritas? Et veritas, inquit, liberabit vos. Vnde, nisi à morte, à corruptione, à mutabilitate? Veritas quippe immortalis, incorrupta, incommutabilis permanet. Vera autem immortalitas, vera incorruptibilitas, vera incommutabilitas, ipsa est æternitas, &c.

Ioan. 8.

Quomodo credentes liberantur per veritatem.

Libro VIII. Cap. IX.

Vt quantò flagrantius diligimus Deum, tantò certius sereniúsque videamus: quia in Deo conspicimus incommutabilem formam iustitiæ, secundum quam hominem viuere oportere iudicamus. Valet ergo fides ad cognitionem & ad dilectionem Dei: non tanquam omnino incogniti, aut omnino non dilecti: sed quò cognoscatur manifestius, & quò firmius diligatur, &c.

Fides valet ad cognitionẽ & dilectionẽ Dei.

Libro XII. Cap. VII.

Iudicat autem Apostolus mulierem seductam in præuaricatione facta, saluam fieri per filiorum generationem. Et addit, Si permanserint in fide & dilectione & sãctificatione cum sobrietate. Quasi verò possit obesse bonæ viduæ, si vel filios non habuerit, vel hos quos habuerit, si in bonis operibus permanere noluerint. Sed quia quæ dicuntur opera bona, tanquam filii sunt vitæ nostræ, secundum quam quæritur cuius vitæ sit quisque, id est, quomodo agat hæc temporalia, quam vitam Græci non ζωὴν, sed βίον vocant. Et hæc opera bona maximè in officiis misericordiæ frequentari solẽt. Opera verò misericordiæ nihil prosunt, siue Paganis, siue Iudæis, qui Christo non credunt, siue quibuscunque schismaticis, vel hæreticis, vbi fides & dilectio & sobria sanctificatio non inuenitur: manifestum est quid Apostolus significare voluerit, ideo figuratè ac mysticè, quia de velãdo mulieris capite loquebatur. Quod nisi ad aliquod secretum Sacramenti referatur, inane remanebit. Sicut enim non solùm veracissima ratio, sed etiam ipsius Apostoli declarat auctoritas, non secundum formam corporis homo factus est ad imaginẽ Dei, sed secundum rationalem mentem. Cogitatio quippe turpiter vana est, quæ opinatur Deum membrorum corporalium lineamentis circunscribi atque definiri, &c.

1. Timoth. 5.

1. Timoth. 2.

Mulier salua erit per filiorũ generationem, si permanserit in fide.

1. Corinth. 11.

Libro XIII. Cap. I.

Cùm itaque propterea credere iubeamur, quia id quod credere iubemur videre non possumus, ipsam tamen fidem, quando inest in nobis, videmus in nobis: quia & rerum absentiũ præsens est fides, & rerum quę foris sunt, intus est fides, & rerum quæ non videntur, videtur fides: & ipsa tamen temporaliter fit in cordibus hominum.

Fides verũ absentiũ præsens.

Eodem libro, Cap. II.

Fides verò, de qua in hoc libro aliquando diutius disputare certa dispositionis nostræ ratione compellimur, quam qui habent fideles vocantur: & qui non habent, infideles: sicut ii qui venientem in propria Dei Filium non receperunt, quanuis ex auditu in nobis facta sit, non tamen ad eum sensum corporis pertinet, qui appellatur auditus, quoniam non est sonus: nec ad oculos huius carnis, quoniam non est color aut corporis forma: nec ad eum qui dicitur tactus, quoniam corpulentiæ nihil habet: nec ad vllum sensum corporis, quoniam cordis res ista est non corporis, nec foris est à nobis, sed in intimis nostris, nec eam quisquã hominum videt in alio, sed vnusquisque in semetipso. Denique potest & simulatione cõfingi, & putare esse in quo non est. Si iam igitur quisque fidem apud seipsum videt, in altero autem credit esse, eam non videt, & tãtò firmius credit, quantò fructus eius magis nouit, quos operari solet fides per dilectionẽ. Quam obrem omnibus, de quibus Euangelista sub-

Fides Christianorum.

Ioan.1 iungit & dicit, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatē filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Fides ista communis est, non sicut aliqua corporis forma communis est ad videndum omnium oculis, quibus præsto est (ex ipsa quippe vna omnium cernentium quodam modo informatur aspectus) sed sicut dici potest omnibus hominibus esse facies humana communis. Nam hoc ita dicitur, vt tamen singuli suas habeāt. Ex vna sanè doctrina impressam fidem credentium cordibus singulorum, qui hoc idem credunt, verissimè dicimus. Sed aliud sunt ea quæ credūtur, aliud fides qua creditur. Illa quippe in rebus sunt, quæ vel esse, vel fuisse, vel futura esse dicuntur: hæc autem in animo credentis est, ei tātum conspicua cuius est, quanuis sit & in aliis, non ipsa, sed similis. Non enim numero est vna, sed genere: propter similitudinem tamen & nullam diuersitatem, magis vnā dicimus esse quàm multas. Nā & duos homines simillimos cùm videmus, vnā faciem dicimus & miramur amborum. Facilius itaque dicitur multas animas fuisse singulas vtique singulorum, de quibus legimus in Actis Apostolorum, quòd eis fuerit anima vna, quàm vbi dixit Apostolus vna fides, tot eas audet quisquam dicere quot fideles. Et tamen qui dicit, O mulier magna est fides tua: & alteri, Modicæ fidei quare dubitasti? suam cuique esse significat. Sed ita dicitur eadem credentium fides vna, quemadmodum eadem volentium voluntas vna, cùm & in ipsis, qui hoc idem volunt, sua voluntas sit cuique conspicua, alterius autem lateat, quanuis idem velit. Et si aliquibus signis sese indicet, creditur potius quàm videtur. Vnusquisque autem sui animi conscius, non credit vtique hanc esse suam, sed planè peruidet voluntatem.

Aliud est quod creditur, aliud fides qua creditur.

Actor.4.

Ephes.4

Matth.15 Matth.14.

Eodem libro, Cap. XX.

2. Thessa.3 Actor.15

Beatos esse se velle, omnium hominum est: nec tamen omnium est fides, qua cor mundāte ad beatitudinem peruenitur. Ita fit vt per istā, quā nō omnes volunt, ad illam tendendum sit, in qua nemo possit esse qui nolit. Necessaria est ergo fides, vt beatitudinem consequamur omnibus humanæ naturæ bonis, id est, & animi & corporis. Hanc autem fidem in Christo esse definitam, qui in carne resurrexit à mortuis, non moriturus vlterius, nec, nisi per illum quenquam liberari à diaboli dominatu per remissionem peccatorū. In cuius diaboli partibus necesse est miserā esse vitam, eandémque perpetuam, quæ mors est potius dicēda quàm vita, eadem fides habet.

Fides Christianorum in Christo est definita. Rom.6.

Ibidem in fine.

Abacuc 2. Galat.5.

Nunc librum istum ita claudimus, vt admoneamus, quòd iustus ex fide viuit. Quæ fides per dilectionem operatur, ita vt virtutes quoque ipsæ, quibus prudenter, fortiter, temperanter, iustéque viuitur, omnes ad eādem referantur fidem. Non enim poterunt esse veræ virtutes, quæ tamen in hac vita non valent tantùm, vt aliquando non sit hîc necessaria qualiūcunque remissio peccatorum, quæ non fit nisi per eum, qui sanguine suo vicit principem peccatorum. Ex hac fide & tali vita quæcunque notiones sunt in animo fidelis hominis, cùm memoria continentur, & recordatione inspiciuntur, & voluntati placent, reddunt quandam sui generis trinitatem.

Virtutes & opera ad fidem referenda.

Libro XV. Cap. XVIII.

Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non & prodesse. Propter quod & Apostolus Paulus, In Christo (inquit) Iesu, neque Circuncisio, neque præputium aliquid valet, sed fides quæ per dilectionem operatur. Sic eam discernens ab ea fide, qua & dæmones credunt & contremiscunt, &c.

Fides valet quæ dilectione operatur. Galat.5. Iacob.2.

Libro IIII. de Genesi ad literam, Cap. XVII.

Hæc erit igitur summa miniméque superba & verè pia requies nostra, vt sicut ipse requieuit ab omnibus operibus suis (quia non ei opera sua, sed ipse sibi bonum est, quo beatus est) ita & nos ab omnibus operibus, non tantùm nostris, verumetiam ipsius, non nisi in illo requieturos nos esse speremus, idque desyderemus post bona opera nostra, quæ in nobis agnoscimus, illius potius esse quàm nostra, vt etiam sic post bona opera sua ipse requiescat in nobis, cùm post bona opera nostra, quę ab illo iustificati fecerimus, in se nobis requiē præstet.

In nullis operibus nostris requiescendum.

Libro II. de moribus Manichæorum, Cap. XIII.

Finis enim quò referuntur ea quæ facimus, id est, propter quem facimus quidquid facimus, si non solùm inculpabilis, sed etiam laudabilis fuerit, tunc demum etiam facta nostra laude aliqua digna sunt. Sin ille iure meritóque culpatur, quē spectamus & intuemur, cùm in aliquo versamur officio, id quoque officiū nemo improbandum vituperandúmque dubitauerit. De Catilina memoriæ proditū est, quòd frigus, sitim, famem ferre poterat. Hæc erant illi spurco sacrilegóque cum Apostolis nostris cōmunia. Vnde ergo discernitur parricida iste ab Apostolis nostris, nisi fine illo quē diuersissimum sequebatur? Nanque ille ista tolerabat, vt immoderatissimas ac immanissimas expleret cupiditates, illi econtra vt eas premerent, & dominanti rationi seruire cogerent, &c.

Finis declarat opera sint in pretio.

Libro III. de libero arbitrio, Cap. XX.

Dedit enim ille & facultatem bene operandi in laboriosis officiis, & viam fidei in obliuionis cæcitate. Indicium illud vel maximè, quòd anima omnis & quærendum esse concedit

dit quod inutiliter neſcit, & perſeueranter in officioſis laboribus enitẽdũ, ad euincẽdam re ctè faciendi difficultatem, & opem à Creatore implorãdam, vt conantem adiuuet, qui vel extrinſecus Lege, vel in intimis cordis allocutione conandum eſſe præcepit, & præparat beatiſſimæ ciuitatis gloriam, triumphantibus de illo qui primum hominem ad iſtam miſeriam perduxit victum peſsima ſuaſione, quã miſeriam iſti ſuſcipiunt ad eum vincendum optima fide. Non enim paruæ gloriæ militia eſt, diabolum vincere eodem ſuſcepto ſupplicio, quo ſe ille hominem victum perduxiſſe gloriatur, &c.

Opem à creatore implorandam eſſe.

De vera religione, Cap. XXV.

Cùm enim Eccleſia catholica per totum orbem diffuſa atque fundata ſit: nec miracula illa in noſtra tempora durare permiſſa ſunt, ne animus ſemper viſibilia quæreret, & eorũ conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit. Nec iam nobis dubiũ eſſe debet iis eſſe credendum, qui cùm ea prædicent quæ pauci aſſequũtur, ſe tamen ſequendos populis perſuadere potuerunt, &c.

Miracula quæ nè ceſſarint.

De ſermone Domini in monte, D.

Vbi autem ſana fides non eſt, non poteſt eſſe iuſtitia: quia iuſtus ex fide viuit.

In expoſitione Epiſtolæ ad Galatas, C.

Opera verò ad bonos mores pertinentia non impleri niſi dilectione, per quam fides operatur. Vnde ſi opera Legis quædã poſt fidẽ ſuperflua, quædã ante fidem nulla ſunt, viuat iuſtus ex fide: & vt onus graue ſeruitutis abiiciat, leui ſarcina Chriſti vegetatus, & iuſtitiæ metas non tranſgrediatur, leui iugo charitatis obtemperans.

Galat. 5. Habac. 2. Matth. 11.

Octoginta trium Queſtionum, Quæſt. LXXVI.

Quoniam Paulus Apoſtolus prædicans iuſtificari hominem per fidem ſine operibus, non bene intellectus eſt ab eis qui ſic acceperunt dictum, vt putarent quũ ſemel in Chriſtũ credidiſſent, etiamſi malè operarentur & facinoroſè flagitioſeq; viuerent, ſaluos ſe eſſe poſſe per fidem: locus iſte huius Epiſtolæ eundem ſenſum Pauli Apoſtoli quomodo ſit intelligẽdus exponit. Ideóq; magis Abrahæ vtitur exemplo, vacuam eſſe fidem ſi non bene operetur: quoniam Abrahæ exemplo etiam Paulus Apoſtolus vſus eſt, vt probaret iuſtificari hominem ſine operibus Legis. Cùm enim bona opera commemorat Abrahæ, quæ eius fidem comitata ſunt, ſatis oſtendit Paulum Apoſtolum non ita per Abraham docere iuſtificari hominem per fidem ſine operibus, vt ſiquis crediderit, non ad eum pertineat bene operari: ſed ad hoc potius, vt nemo meritis priorum operum bonorũ arbitretur ſe peruenire ad donum iuſtificationis, quæ eſt in fide. In hoc enim ſe Gentibus in Chriſtum credentibus Iudæi præferre cupiebãt, quòd dicebant ſe meritis bonorum operum, quæ in Lege ſunt, ad Euangelicam gratiam perueniſſe: ideóque ſcandalizabãtur multi qui ex eis crediderãt, quòd incircunciſis Gentibus Chriſti gratia traderetur. Vnde Apoſtolus Paulus dicit poſſe hominem ſine operibus Legis ſe præcedentibus iuſtificari per fidẽ. Nam iuſtificatus per fidem, quomodo poteſt niſi iuſtè operari: quãuis antea nihil operatus iuſtè ad fidei iuſtificationẽ peruenerit, non merito bonorum operum, ſed gratia Dei, quæ in illo iam vacua eſſe non poteſt, cùm iam per dilectionem bene operatur? Quòd ſi quum crediderit, mox de hac vita deceſſerit, iuſtificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, ſed gratia peruenit: nec conſequentibus, quia in hac vita eſſe non finitur. Vnde manifeſtum eſt quod Paulus Apoſtolus dicit, Arbitramur enim hominem iuſtificari per fidem ſine operibus. non tamen ita intelligendum eſt, vt accepta fide ſi vixerit, dicamus eum iuſtum, etiamſi malè vixerit. Ideo & exemplo Abrahæ & Apoſtolus Paulus vtitur: quia ſine operibus Legis, quam non acceperat, per fidẽ iuſtificatus eſt. Et Iacobus, quia fidẽ ipſius Abrahæ opera bona conſecuta eſſe demonſtrat, oſtendit quemadmodum intelligendum ſit quod Paulus Apoſtolus prædicauit. Nam qui putãt iſtam Iacobi Apoſtoli ſententiam, contrariã eſſe illi Pauli Apoſtoli ſententiæ, poſſunt arbitrari etiam ipſum Paulum ſibi eſſe contrarium, quia dicit alio loco, Non enim auditores Legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores Legis iuſtificabuntur. Et alio loco, Sed fides quæ per dilectionem operatur. Et iterum, Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quæ ſint autem facta carnis, quæ operibus ſpiritalibus mortificanda ſunt, alio loco manifeſtat, dicens, Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicationes, immunditiæ, impudicitia, ſimulachrorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contẽtiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, hæreſes, inuidiæ, ebrietates, cõmeſſationes, & iis ſimilia quę prædico vobis ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſsidebunt. Et ad Corinthios ait, Nolite errare. neque fornicatores, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neq; ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. Et hæc quidem fuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. Quibus ſententiis manifeſtiſſimè docet, non eos prẽterito bono opere ad fidei iuſtificationem perueniſſe, nec meritis eorum iſtam gratiam datam, quãdo dicit, Et hæc quidem fuiſtis. Sed cùm dicit, Qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt, ſatis oſtendit iam ex quo crediderunt, bene operari debere.

Iacobus cum Paulo conciliatur.

Rom. 2. Galat. 5. Rom. 8. 1. Corinth. 6.

Quod & Iacobus dicit, & multis omnino locis idē Apostolus Paulus satis aperteque prædicat, rectè viuendum omnibus qui in Christo crediderūt, ne ad pœnas perueniāt. Quod & ipse Dominus commemorat dicens, Nō omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnū cælorum. Et alibi, Vt quid dicitis mihi, Domine Domine, & non facitis quæ dico vobis? Et omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro prudenti, qui ędificauit domum suam supra petram, &c. Et qui audit verba mea hæc & nō facit ea, similabo eum viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, &c. Quapropter non sunt sibi cōtrariæ duorum Apostolorum sententiæ, Pauli & Iacobi, cùm dicit vnus Iustificari hominē per fidem sine operibus, & alius dicit Inanem esse fidem sine operibus: quia ille dicit de operib⁹ quæ fidem præcedunt, iste de iis quæ fidem sequuntur, sicut etiam ipse Paulus multis locis ostendit.

Matth.7 Luc.6

Sententiarum XXI, Sententia. VIII.

Quæ sit fides sine spe & charitate.

Fides sine spe & charitate est, si dicas, Credo vera esse ad quæ me vocas, sed ego ea capere nō possū, nec volo. Fides sine spe cū charitate est, si dicas, Credo vera esse ad quæ me vocas & volo ea cōsequi, sed nō possū. Fides cum spe sine charitate est, si dicas, Credo vera esse ad quę me vocas, & ea possū asse qui si velim, sed nolo. Charitas sine spe & fide est, si quis dicat, vehementer se velle sine illecebris corporis sui viuere inæternum: sed neque credere esse vitam æternam, nec si sit, eam se posse assequi. Cum fide sine spe charitas est, si & desyderare se vitam æternam, & credere esse quis dicat: sed se posse assequi neget. Spes autem sine fide quomodo esse possit non inuenio. Nemo enim sperat posse assequi, quod esse nō credit. Oportet ergo inesse animo omnia tria, fidem, spem, & charitatem, vt & credat vera esse ad quæ vocatur, & speret se posse assequi, & omnino ea diligat.

De vera & falsa pœnitentia,

Cap. II.

Fides fundamentum pœnitentiæ.

Si fides fundamentum est pœnitentiæ, præter quam nihil est quod bonum sit, appetenda est pœnitentia, quam constat in fide esse fundatam. Non enim potest arbor bona fructus malos facere. Pœnitētia itaque quę ex fide nō procedit, vtilis non est. Oportet autem credi remedium pœnitentiæ à Saluatore concedi.

Matth.7

De cognitione veræ vitæ,

Cap. XXXVII.

Differentia inter credere Deum & credere in Deum.

FRAT. Differt aliquid credere Deum & credere in Deum? MAG. Multum. dæmones Deum & pagani credunt, sed non credunt in Deum. Credunt nāque quòd Deus sit, qui omnia creauit, ac super omnia potēs sit. In Deū autē tantū credunt, qui eum diligēdo in eū tēdunt. Vera autem fides est credere quòd Deus in essentia est vnitas, & in personis Trinitas, & hic cūcta ex nihilo Verbo suo creauit, ac collapsa eodem Verbo incarnato restaurauit, & in vltimo die vniuersa per Spiritum innouabit. Et hoc credentibus, summum bonū, sed seipsum in primo dabit. Hæc fides vera animæ existit, & per hanc iustus viuit. Hæc fides spe nutritur, vt corp⁹ cibo reficitur. Dilectione animatur, vt corpus anima viuificatur. Dilectio autē operatione cōprobatur. Vnde fides sine operibus mortua esse affirmatur. Ergo fide anima declinat à malo & facit bonum, cuncta transitoria respuit, inuisibilia sicut visibilia appetit, dilectione quæquę dura tolerat, carnis impetus refrænat, necessaria proximis erogat, summo bono semper anhelat. Igitur anima quæ sic credendo & sperando in Deum tendit, ipsum summum bonum sine fine habebit.

Abacuc 2.

Iacob. 2.

In Prologo libri de fide ad Petrum.

Gaudeo quidem quòd pro fide vera sine vllo perfidiæ vitio custodienda solicitudinem geris, sine qua nulla potest prodesse, imò nec esse conuersio. Apostolica quippe dicit auctoritas, Quia sine fide impossibile est placere Deo. Fides nanque est bonorum omnium fundamentum, fides est humanæ salutis initium, sine hac fide nemo ad filiorum Dei numerū potest peruenire: quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquam iustificationis gratiam consequitur, nec in futuro vitam possidebit æternam. Et si quis hic non ambulauerit per fidem, non perueniet ad speciem. Sine fide omnis labor hominis vacuus est. Tale quippe est, vt sine vera fide quisquam velit Deo per contemptum seculi placere, quale si quisquam tendens ad patriā, in qua se scit beatè esse victurum, relinquat itineris rectitudinem, & improuidus sectetur errorem, quò non ad beatam ciuitatem perueniat, sed in præcipitium cadat, vbi non gaudium perue nienti datur, sed cadenti interitus inferatur.

Fides bonorū omnium fundamentum.

Libro I. de prædestinatione Sanctorum, Cap. XI.

Omnia autem hæc operatur vnus atque idem Spiritus, diuidēs propria vnicuique prout vult. Inter quæ omnia sicut scitis, nominauit & fidem. Sicut ergo quanuis Dei donum sit, facta carnis mortificare, exigitur tamen à nobis, proposito præmio vitæ: ita donum Dei est & fides, quanuis & ipsa cùm dicitur, Si credideris saluus eris, proposito præmio salutis exigatur à nobis. Ideo enim & hæc nobis præcipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, vt intelligatur, quòd & nos ea faciamus & Deus facit vt illa faciamus: sicut per Prophetam Ezechielem apertissimè dicit. Quid enim apertius quàm vbi dicit, Ego faciam vt faciatis?

Fides etiam donum Dei est.

De continentia, Cap. XIII.

Opera quippe hominis sunt, quæ non dicuntur Dei: quoniam homo qui hoc agit, secundum

cundum seipsum viuit non secundum Deum, inquantum hoc agit. Sunt autem alia opera hominis, quæ magis dicenda sunt opera Dei. Deus est enim, inquit Apostolus, qui operatur in vobis & velle & operari pro bona volũtate. Inde est & illud, Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, ii filii sunt Dei, &c.

Bona opera hominis, Dei esse dicuntur. *Philip.2* *Roma.8*

Cap.XIIII. ibidem.

Cùm autem mala illa commemorasset, adiunxit, atque ait, Propter quæ venit ira Dei in filios infidelitatis. Vtique salubriter terruit, ne putarent fideles propter solam fidem, etiamsi in his malis viuerent, se posse saluari, A postolo Iacobo contra istum sensum voce manifestissima reclamante ac dicente, Si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat, nũquid poterit fides saluare eum? Vnde & hìc doctor gentium, propter illa mala venire iram Dei dixit in filios infidelitatis.

Ephes.5 *Ira Dei in filios infidelitatis.* *Iaco.2*

De patientia, Cap.XXI.

Vnde & antiqui iusti ante incarnationem verbi, in hac fide Christi, & in hac vera iustitia, quod est nobis Christus, iustificati sunt: hoc credentes futurum, quod nos credimus factum. Gratia salui facti per fidem, nõ ex seipsis sed Dei dono, non ex operibus, ne fortè extollerentur. Bona quippe opera eorum non præuenerunt misericordiam Dei, sed secuta sunt. Ipsi quippe audierũt, ipsi scripserunt longè antequam Christus veniisset in carne.

Patres per Christum iustificati sunt. *Ephes.2*

De salutaribus documentis.

Multorum autem temporum labores & orationes & eleemosynæ & ieiunia & vigiliæ, si cum superbia finem habuerint, pro nihilo apud Deum computantur. Acceptus est Deo vir humilis, & in se Deum gestat, &c.

Ibidem, Cap.XIV.

In omnibus actibus & cogitationibus placeas Deo, nec studeas placere alteri, nisi ad ædificationem animæ. Et in omni opere quod cogitas facere, primò cogita Deum, & si secundum Deum est quod cogitas, diligenter examina, & si est rectum coram Deo, perfice illud: si verò aduersum fuerit repertum, amputa illud ab anima tua, & omnia per cõsilium sapiẽtum facito, vt opera tua & gressus tui, secũdum Domini voluntatẽ dirigãtur. In omni oratione & obsecratione, Domini voluntatẽ in te, nõ tuã deprecare fieri, & secundum Apostoli præceptum, orare sine intermissione oportet, & sanctas manus sine ira & disceptatione ad Deũ leuare.

Orandum vt Domini voluntas in nobis fiat. *1.Tessa.5*

Quæstionum veteris & noui Testamenti, Quæst.CXV.

Si autem potestatis nostræ nõ essemus, quomodo diceret Dominus, Petite & dabitur vobis? Omnis enim qui petit, accipiet. Si ergo quæ vult petere accipiet, iam non est illud quod solet dici, Nõ quæ volumus, sed quæ data sunt habemus, quia volũtas à Saluatore incitatur vt petat & accipiat quod petierit. Fati autem hoc esse dicunt, vt siue petat siue non petat: fato tamen, quod aut malum aut bonum est, consequatur. Dominus autem hoc excludens ait, Filia, fides tua te saluã fecit. Non iam fati fit, quando fides percipit beneficium. Et iterum, Si credis, ait, omnia possibilia sunt credenti. In voluntate vtique posuit meritũ: quia fidei bonum est non naturæ. Fides autem res accedens est, quæ excitat ad exercitium voluntatem, vt quia in natura non est voluntas, quæ in natura est suscepta fide, meritum ei collocet apud Deum.

Matth.7

Fidẽ percipere Dei beneficium, non esse fati. *Matth 9.* *Marci 9.*

Ibidem, Quæst.CXXVI.

Credentes ergo accipiunt remissionem peccatorum: non tamen glorioſi erũt, nisi post acceptam fidem vixerint sub Dei nominis timore, vt colluctati cõtra hostes Christiani nominis, victoriam faciant, vt possint præmium mereri, dũ plus vincunt quàm vincũtur. Nam qui intelligit Deum, & non accedit ad fidem eius ne viuat Christianus: sed in fine vult fidem accipere, vt moriatur Christianus, aut erubescit Christianus viuere, aut peccatis operam dat, quæ arbitratur posse sibi remitti quum crediderit: istum puto nõ bonam causam habere: quia vt quandiu in seculo est, peccet, non vult fieri nec viuere Christianus, aut confunditur fieri Christianus. Qualem sperat Deum, cui cum militare erubescit, vult ab eo stipendium accipere? *Post pauca ibidem.*

Christianos accepta fide bene viuere oportet.

Sed fides sic accipi debet, vt sciatur quid accipitur. Tũc enim beneficiũ eius habebit, si cognoscat & si profiteatur eã. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Ac per hoc, quia iam nescit vbi sit, quomodo potest dici accipere? Ille enim accipit qui profitetur se accepisse, sciens quia accepit. Si enim credunt quia datur credentibus remissio peccatorum, scire debent, quia hìc credit, qui corde suo teste credit. Quia Deus qui promisit, cordis inspector est. Ipsum enim suscipit, quem corde videt credere. Itaque cuius cor verba fidei non aduertit, quomodo beneficium eius habebit?

Rom.10.

Deus cordis inspector.

De vera innocentia, Cap.CCXXIIII.

Non sunt bona opera, nisi quæ per fidem & dilectionem fiunt: quia alterum sine altero, nullius virtutis fructum parit.

Opera bona quæ sint.

Ibidem, Cap.CCLXI.

Laus fidei est non visa credere, præmium erit creditorum adeptione gaudere, &c.

Laus fidei.

Ibidem, Cap.CCCLII.

Fides Christi est credere in eum qui iustificat impium, credere in Mediatorem, sine quo nullus reconciliatur Deo: credere in Saluatorem qui venit quærere & saluare quod perierat: credere in eum qui dixit, Sine me nihil potestis facere. Sed hanc fidẽ non apprehẽdit, qui ignorãs Dei iustitiam, qua iustificatur impius, suã vult cõstituere, qua cõuincitur superbus.

Fides Christi quid sit. *Ioan.15.*

De agone Christiano, Cap.XIII.

Fides est prima quæ subiugat animam Deo: deinde præcepta viuendi, quibus custoditis spes nostra firmatur,& nutritur charitas,& lucere incipit quod antea tantummodo credebatur. Quum enim cognitio & actio dona sint Dei,& beatum hominem faciant, sicuti in cognitione cauēdus est error,sic in actione cauenda est nequitia. Errat autem quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cùm adhuc nequiter viuat. Nequitia est autem mundum istum diligere, & ea quæ nascuntur & transeunt pro magno habere,& ea concupiscere, & pro iis laborare vt acquirantur, & lætari quum abundauerint, & timere ne pereant, & contristari quum pereunt. Talis vita non potest puram illam & synceram & incōmutabilem videre veritatem,& inhærere illi,& in æternum non mouerī. Itaque priusquam mens nostra purgetur, debemus credere quod intelligere nondum valemus,quoniam verisimè dictum est per Prophetam,Nisi credideritis,non intelligetis. Fides in Ecclesia breuissimè traditur,in qua cōmendantur æterna, quæ intelligi à carnalibus nondum possunt,& temporalia præterita & futura,quæ pro salute hominum gesit, & gestura est æternitas diuinæ prouidentiæ. Credamus ergo in Patrem & Filium & Spiritum sanctum,&c.

Nequitiæ definitio.

Esa.7. Fides in Ecclesia breuissimè traditur.

Eodem libro,Cap.XXXIII.

Ista fidei simplicitate & synceritate lactati nutriamur in Christo, & cùm paruuli sumus, maiorum cibum nō appetamus:sed nutrimentis saluberrimis crescamus in Christo,acceden tibus bonis moribus & Christiana iustitia, in qua est charitas Dei & proximi perfecta & firmata:vt vnusquisque nostrūm de diabolo inimico & angelis eius triumphet in semetipso, in Christo quem induit: quia perfecta charitas nec cupiditatem habet seculi, nec timorem seculi,id est, nec cupiditatē vt acquirat res temporales,nec timorem vt amittat res tēporales.

1.Corinth.3. Quæ fides synceritate ambuelandum.

Collo.2.

Lib.I.de Doctr.Christ.Cap.XXXVII.

Porrò fide titubante,charitas etiā ipsa langueſcit. Nam si à fide quisque ecciderit,à charitate etiā necesse est cadat. Nō enim potest diligere quod esse non credit. Porrò si & credit & diligit,bene agendo & præceptis bonorum operum obtemperando, efficit vt etiam speret se ad id quod diligit se esse venturum. Itaque tria hæc sunt quibus & scientia omnis, & prophetia militat,fides,spes,& charitas.

Casus fidei secum trahit charitatem.

1.Corinth. 13.

Eodem libro,Cap.XL.

Quapropter cùm quisque cognouerit finem præcepti esse charitatem, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta, omnē intellectum diuinarum Scripturarum ad ista tria relaturus, ad tractationē illorum librorum securus accedat. Cùm enim diceret, Charitas,addidit, De corde puro, vt nihil aliud quàm id quod diligendum est diligatur. Conscientia verò bona,subiunxit propter spem. Ille enim se ad id quod credit & diligit peruenturum esse desperat, cui malæ cōscientiæ scrupulus inest. Tertiò inquit,Et fide non ficta. Si enim fides nostra mendacio caruerit, tunc & non diligimus quod non est diligēdum,& rectè viuendo id speramus, vt nullo modo spes nostra fallatur. Propterea & de rebus continentibus fidem, quantum pro tempore satis esse arbitratus sum,dicere volui: quia in aliis voluminib⁹ siue per alios siue per nos multa iam dicta sunt.

1.Timoth.1

Fides sine bypocrisi esse debet.

De gratia noui Testamenti, ad Honoratum,Cap.XXX.

Homines & iumēta saluabis Domine, sicut multiplicata est misericordia tua,De⁹. Vt hīc intelligamus etiam illam salutem æternā & immortalē,de qua dicit Apostolus,Spe enim salui facti sumus: similiter vt istam quæ hominibus iumentisque communis est, gratis nos accipere,non ex operibus, ne forte quis extollatur: quia opera bona ex ipsius iustificatione operamur. Ipsius enim sumus figmentum,creati in Christo Iesu,in operibus bonis,quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus. Et illa ergo salus gratuita est, de qua in alio Psalmo dicitur,Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.

Psalm.35.

Rom.8.

Opera bona ex iustificatione.

Ephes.2.

Psalm.3.

Ibidem,Cap.XXXI.

Ipsæ autem sunt lampades accensæ, opera scilicet bona,de quibus Dominus dicit, Luceant bona opera vestra coram hominibus, vt videant bona facta vestra,& glorificēt Patrem vestrum qui in cælis est. Hucusque pertendit intentio virginum sapientium, vt ideo velint videri ab hominibus opera sua bona: non quò ab eis laudētur ipsæ, sed vt glorificetur Deus, à quo illis est quod bene operantur: ac per hoc interiore bono gaudēt,quod est corā Deo, vt eleemosyna in occulto: vt Pater qui videt in occulto,reddat. Et ideo nō deficiēt lampades, quia interiore oleo vegetantur,id est, intētione bonæ conscientiæ, qua coram Deo fit in eius laudem,quidquid coram hominibus bonis operibus lucet.

Matt.25. Matth.5.

Matth.6.

In lib.de fide & operib.Cap.IX.

Hoc est enim euangelizare Christum, non tantùm dicere quæ sint credenda de Christo, sed etiam quæ obseruanda ei qui accedit ad compagem corporis Christi: imò verò cuncta dicere quæ sunt credenda de Christo, non solùm cui⁹ sit Filius, vnde secundū diuinitatem, vnde secundum carnem genitus, quæ perpessus,& quare,quæ sit virtus resurrectionis eius, quod donum Spiritus promiserit dederitque fidelibus: sed etiam qualia membra quibus sit caput quærat,instituat, diligat, liberet, atque ad æternam vitam honorémque perducat. Hæc quum dicuntur, aliquando breuius atq; constrictius,aliquando latius & vberius, Christus euāgelizatur. & tamē non solùm quod ad fidem, verumetiam quod ad mores fidelium pertinet non prætermittitur.

Quid euangelizandum.

Eodem

Eodem lib.Cap.XIIII.

Quare iã illud videamus quod excutiẽdum est à cordib⁹ religiosis,ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam sufficere solam fidem putauerint:bene autem viuere & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint. Nam etiam tẽporibus Apostolorum non intellectis quibusdam subobscuris sententiis Apostoli Pauli, hoc eum quidã arbitrati sunt dicere, Faciamus mala vt veniant bona: quia dixerat, Lex subintrauit vt abundaret delictũ: vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia. Quod ideo verum est,quia Legẽ accipientes homines,qui de suis viribus superbissimè præsumebant,nec diuinũ adiutorium vincẽdarum malarum concupiscentiarum recta fide impetrantes, pluribus grauioribúsque delictis,etiam Lege præuaricata onerati sunt. Ac sic magno reatu compellente,confugerunt ad fidem, qua misericordiam indulgentiæ mererentur, & auxilium à Domino, qui fecit cælum & terram, vt diffusa per Spiritum sãctum charitate in cordibus suis cum dilectione ageret,quæ contra seculi huius concupiscentias iuberentur,secundum id quod prædictum fuerat in Psalmo, Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. Cùm ergo dicit Apostolus, Arbitrari se iustificari hominem per fidem sine operibus Legis,non hoc agit, vt percepta ac professa fide, opera iustitiæ contemnãtur:sed vt sciat se quisque per fidem posse iustificari,etiamsi Legis opera non præcesserint. Sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum.

Temporibus Apostolorum Scripturæ per eam intellectæ.

Roman.5.

Psalm.120

Roma.5

Psalm.15

Opera sequuntur iustificatum non iustificandum.

Eodem lib.Cap.XIII.

Quid ipse Dominus, vt alia omittã, cùm ab eo diues ille quæreret, quid boni faceret vt vitam æternam consequeretur, recolant quid responderit, Si vis venire, inquit,ad vitam,serua mandata. At ille, Quæ? Tunc Dominus cõmemorauit præcepta Legis, Nõ occides, Non mœchaberis,& cætera. Vbi cùm ille respõdisset,hæc se feciſſe à iuuẽtute sua: addidit etiam perfectionis præceptum,vt venditis suis omnibus, & in pauperum eleemosynis erogans,haberet thesaurum in cælo, & eũdem Dominum sequeretur. Videant igitur non ei dictum esse vt crederet & baptizaretur, quo solo adiutorio putant isti venire hominem ad vitam, sed morum præcepta homini data, quæ vtique sine fide custodiri obseruarique nõ possũt. Nec tamen quia hìc de insinuãda fide Dominus videtur tacuisse,præscribimus nos atque cõtenti sumus,morum tantũmodo præcepta discenda esse hominibus, ad vitã peruenire cupientibus. Vtraque enim mutuò connexa sunt sicut antè dixi: quia neque dilectio Dei potest esse in homine qui non diligit proximum,nec dilectio proximi in eo qui nõ diligit Deũ. Et ideo q̃ creditDeo,debet facere quod præcepitDe⁹. & qui propterea facit quia præcepit Deus,necesse est vt credat Deo.

Matth.19

Credentes, quæ præcepit Deus facere debent.

Cap.XIIII.

Quoniam ergo hæc opinio tunc fuerat exorta,aliæ Apostolicæ Epistolæ,Petri,Ioannis, Iacobi,Iudæ,contra eam maximè dirigunt intentionem, vt vehementer astruant fidem sine operibus nihil prodesse. Sicut etiam ipse Paulus non quanlibet fidem, qua in Deum creditur,sed & eam salubrem planè, quam Euangelicam definiuit,cuius opera ex dilectione procedunt. Et fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. Vnde illam fidem que sufficere ad salutem quibusdam videtur, ita nihil prodesse asseuerat,vt dicat,Si habeam omnem fidem,ita vt montes transferam,charitatem autem nõ habeam,nihil sum.

Fides sine operibus nihil prodest.

Galat.5.

1.Corinth.13.

Cap.XV.eodem libro.

Illud deinde quomodo verum erit, quod eis quos ad sinistram posituros est,dicet, Ite in ignem æternum,qui paratus est diabolo & angelis eius:nec increpat quia in eum non crediderunt,sed quia bona opera non fecerunt? Nã profectò ne sibi quisquam de fide, quæ sine operibus mortua est, promittat æternã vitam, propterea omnes gẽtes segregaturum se dixit, quæ permixtæ eisdem pascuis vtebantur,vt appareat eos illi dicturos, Domine,quando te vidimus illa & illa patientem, & non ministrauimus tibi? qui in eum crediderant, sed bona operari non curauerant: tanquam de ipsa fide mortua ad vitam perueniretur æternam.

Matth.25.

Nemo sine fide seruabitur.

Eodem libro,Cap.XVI.

Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Si autem Christus, proculdubio fides Christi. Per fidem quippe habitat Christus in cordibus nostris, sicut idem Apostolus dicit. Porrò fides Christi,illa vtique quam definiuit Apostolus,quæ per dilectionem operatur. Non enim fides illa dæmonum,quum & ipsi credant & contremiscãt,& Filium Dei confiteantur Iesum,potest accipi in fundamẽtum. Quare, nisi quia non est fides quæ operatur per dilectionem,sed quæ exprimitur per timorem? Fides itaque Christi,fides gratiæ Christianæ,id est,ea fides quæ per dilectionem operatur,posita in fundamento, neminem perire permittit.

1.Corinth.3.

Ephes.3. Per fidem habitat Christus in credentibus.

Cap.XXII.

Inseparabilis est quippe bona vita à fide quæ per dilectionem operatur, imò verò ea ipsa est bona vita.

Cap.XXIIII.

Nos ad nouum Testamentum pertinentes, non ancillæ filios esse,sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit. Et putauerant hoc esse liberè viuere, vt tanquam de tãta redemptione securi,quidquid liberet,licere sibi arbitrarentur,non intuentes quod dictum est, Vos in libertatem vocati estis,fratres: tãtùm ne libertatem in occasionem carnis detis. Vnde & ipse Petrus dicit, Liberi, non sicut velamẽtum malitiæ habentes libertatem.

Galat.5. Christianis nõ omnia licent.

Galat.5.

1.Petri 2.

Libro eodem, Cap. XXVI.

Ioan. 3. Qui enim dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum cælorum, ipse etiam dixit, Nisi abūdauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. De illis quippe ait, Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. quæ dicūt facite, quę autem faciunt, facere nolite: dicunt enim & non faciunt.

Matth. 5. Iustitia Christianorum fides debet esse confessa.

Matth. 23.

Libro III. contra duas epistolas Pelagianorum ad Bonifacium, Cap. V.

Nostra fides, hoc est catholica fides, iustos ab iniustis, non operum, sed ipsa fidei lege discernit: quia iustus ex fide viuit. Per quam discretionem fit vt homo ducēs vitam sine homicidio, sine furto, sine falso testimonio, sine appetitu rei vllius alienæ, parentibus honorē debitum reddens, castus vsque ad continentiam ab omni omnino concubitu etiam coniugali, eleemosynarū largissimus, iniuriarum patientissimus, qui non solùm nō auferat aliena, sed nec sua reposcat ablata, vel etiā vēditis omnibus suis erogatisque in pauperes, nihil suum proprium possideat: cum suis istis tamen velut laudabilibus moribus, si non in Deum fidem rectam & catholicam teneat, de hac vita damnandus abscedat. Alius autem habens quidem opera bona ex fide recta, quæ per dilectionem operatur, non tamen ita vt ille bene moratus, incontinentiam suam sustentat honestate nuptiarum, coniugii carnalis debitum & reddit & repetit, nec sola propagationis causa, verūetiam voluptatis: quanuis cum sola vxore concumbit, quod coniugatis secūdum veniam concedit Apostolus: iniurias tamen non patienter accipit, sed vleiscendi cupiditate fertur iratus: quanuis vt possit dicere, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, rogat⁹ ignoscat. Possidet rem familiarem, faciēs inde quidem eleemosynas, non tam largas, quàm ille non aufert aliena, sed quanuis Ecclesiastico iudicio non forensi, tamē repetit sua. Nempe iste qui moribus illo videtur inferior, propter rectā fidem, quæ illi est in Deum, ex qua viuit, & secūdum quam in omnibus delictis suis se accusat, in omnibus bonis operibus Deum laudat, sibi tribuens ignominiam, illi gloriam, atque ab ipso sumens & indulgentiam peccatorū & dilectionem rectè factorum, de hac vita liberandus, & in consortium cum Christo regnaturorum recipiendus emigrat. Quare, nisi propter fidem? Quæ licet sine operibus neminem saluat (ipsa enim est non reproba fides, quæ per dilectionē operatur) tamen per ipsam etiam peccata solūtur: quia iustus ex fide viuit. Sine ipsa verò etiam quæ vidētur bona opera, in peccata vertuntur, Omne enim quod non est ex fide, peccatum est.

Catholica fides iustos ab iniustis, non operibus, sed fide discernit.

Abacuc 2.

Galat. 5.

1. Corinth. 7.

Abacuc. 2.

Rom. 14.

Libro primo retractationum, Cap. XXII.

Sicut in iis quos elegit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum, vt per munus Dei bene operentur: sic in iis quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, vt per ipsam pœnam etiam malè operentur: verissimè dixi: sed fidei meritum etiā ipsum esse donum Dei, nec putaui quærēdum esse, nec dixi.

In expositione Epistolæ ad Romanos.

In Euangelium Ioan. Tract. XXV.

Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille. Discernitur quidem ab operibus fides, sicut Apostolus dicit, Iustificari hominem per fidem sine operibus Legis. Et sunt opera quæ vidētur bona sine fide Christi, & nō sunt bona: quia non referuntur ad eum finem ex quo sunt bona. Finis enim Legis Christus ad iustitiam omni credenti. Ideo noluit discernere ab opere fidem, sed ipsam fidem dixit esse opus Dei: ipsa est enim quæ per dilectionem operatur. Nec dixit, Hoc est opus vestrum, sed hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille: vt qui gloriatur, in Domino glorietur.

Ioan. 6.

Roman. 3.

Roman. 10.

Fides est opus 1. Corinth. 1.

Tractatu XLIX.

Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit viuet, & qui viuit & credit in me, non morietur inæternum. Quid est hoc, Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit viuet? Sicut Lazarus mortuus est, viuet: quia non est Deus mortuorum, sed viuorum. De olim mortuis Patribus, hoc est, de Abraham, Isaac, Iacob, tale respōsū Iudæis dedit, Ego sum Deus Abraham, Isaac & Iacob. non est Deus mortuorum, sed viuorum: omnes enim illi viuunt. Crede ergo, & si mortuus fueris, viues. Si autem non credis, & cū viuis mortuus es. Probemus & hoc, quia si non credis & viuis, mortuus es. Cuidā Dominus differenti sequi eum, & dicēti, Eam prius sepelire patrē meū, Sine (inquit) sepelire mortuos mortuos suos: tu veni, sequere me. Erat ibi mortu⁹ sepeliēdus, erant ibi & mortui mortuum sepulturi. Ille mortuus in carne, illi in anima. Vnde mors in anima? Quia nō est fides. Vnde mors in corpore? quia nō est ibi anima. Ergo animæ tuæ anima, fides est.

Matth. 22.

Matth. 8.

Vbi fides non est, ibi anima mortua est.

Tractatu LXVIII.

Qui enim à Domino peregrinantur, opus habent ex fide viuere: quia per hāc ad speciem contemplandam parantur. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et fide mundat corda eorum. Illud in Euangelio, hoc in Apostolorū Actibus legitur. Fides autem, qua eorum qui Deum visuri sunt, quandiu peregrinantur, corda mundantur, quod non videt credit. Nam si vides, non est fides. Credēti colligitur meritū, videnti redditur præmium.

2. Corinth. 5.

Matth. 5.

Act. 15.

Qui videt non credat.

Tractatu LXXIX.

Et nunc dixi vobis priusquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis. Quid est hoc, cùm magis homo credere debeat antequam fiat, id quod credendum est? Hæc est enim laus fidei, si quod creditur non videtur. Nam quid magnū est, si id creditur quod videtur, secundū illam

Ioannis 13.

lam eiusdem Domini sententiam, quando discipulum arguit dicens, Quia vidisti me credidisti: beati qui non vident & credunt? Et nescio vtrùm credere dicēdus est quisque quod videt. Nam ipsa fides in Epistola, quæ scribitur ad Hebræos, ita est definita, Est autem fides sperantium substantia, conuictio eorum quæ non videntur.

Ioan.20

Hebræ.11 Fides à Paulo definitur.

al. cognitio.

De ciuitate Dei, Cap. XX.

Libro IIII.

Quandoquidem virtutē in quatuor species Romanorum philosophi distribuendam esse viderunt, Prudentiam, Iustitiam, Fortitudinem, Temperantiam. Et quoniam istæ singulæ, species suas habēt: in partibus Iustitiæ fides est, maximúmque locū apud nos habet, quicū que scimus quid sit quòd iustus ex fide viuit.

Fides Christianis virtutibus prima.

Cap. III. libro. XI.

Deus prius per Prophetas, deinde per seipsum, postea per Apostolos quantum satis esse iudicauit locutus, etiam Scripturam condidit, quæ Canonica nominatur eminentissimæ auctoritatis, cui fidem habemus de iis rebus, quas ignorare non expedit, nec per nosipsos nosse idonei sumus, &c.

Cap. IIII. libro XIII.

Quoniam si regenerationis sacramētum, continuò sequeretur immortalitas corporis, ipsa fides eneruaretur: quæ tunc est fides, quando expectatur in spe, quod in re nondum videtur. Fidei autē robore atque certamine, in maioribus duntaxat ætatibus, etiam mortis fuerat superandus timor: quod in sanctis Martyribus maximè eminuit. Cuius profectò certaminis esset nulla victoria, nulla gloria (quia nec ipsum omnino posset esse certamen) si post lauacrum regenerationis, iam Sancti non possent mortem perpeti corporalem.

Quando dicitur fides.

Cap. XX. libro XV.

Indorum Gymnosophistæ, qui nudi perhibentur philosophari in solitudinibus Indiæ, ciues terrenæ ciuitatis sunt, & à generando se cohibent. Non enim est hoc bonum, nisi cùm fit secundum fidem summi boni, qui est Deus. Hoc tamē nemo fecisse ante diluuiū reperitur

Indorum Gymnosophistæ.

Cap. IIII. libro XIX.

Si ergo quæratur à nobis, quid ciuitas Dei de iis singulis interrogata respondeat, ac primùm de finibus bonorum malorúmque quid sentiat: respondebit æternam vitam esse summum bonum, æternam verò mortem summum malum. Propter illam proinde adipiscendam, istámque vitandam, rectè nobis esse viuēdum, Propter quod scriptum est, Iustus ex fide viuit. Quoniā neque bonum nostrum iam videmus, vnde oportet vt credēdo quæramus: neque ipsum rectè viuere nobis ex nobis est, nisi credentes adiuuet & orantes, qui & ipsam fidem dedit, qua nos ab illo adiuuandos esse credamus.

Vita æterna summum bonum est, Mors æterna summum malum.

Libro XXI. Cap. XXV.

In Christo perseuerare, est in eius fide perseuerare. Quæ fides, vt eam definit idem Apostolus, per dilectionē operatur. Dilectio autē, sicut idem alibi dicit, malum non operatur. Nec isti duo ergo dicendi sunt māducare corpus Christi: quoniam nec in membris computandi sunt Christi.

Fides est in Christo manere.

Rom.13.

Libro XXII. Cap. XXX.

Nam & ipsa opera bona nostra, quando ipsius potius intelliguntur esse quàm nostra, tunc nobis ad hoc sabbatum adipiscendum imputantur: quia si nobis ea tribuerimus, seruilia erunt: cùm de sabbato dicatur, Omne opus seruile in eo non faciatis. Propter quod, & per Prophetam Ezechielem dicitur, Et sabbata mea dedi eis in signum inter me & inter eos, vt scirent quia ego Dominus, qui sanctifico eos. Hoc perfectè tūc sciemus, quādo perfectè vacabim⁹, & perfectè videbim⁹ quia ipse est Deus.

De sabbato.

Leuitic.23.

Ezech.20.

Psalm.45.

De verbis Domini, secundum Matthæum, Serm. II.

Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificēt Patrem vestrum, qui in cælis est. Postea dixit, Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Turbatur enim mens parum intelligētis, & præcepto vtique obaudire cupientis, per diuersa & aduersa distenditur. Tam nemo enim potest, quāuis vni, domino obtemperare repugnantia iubenti, quàm nemo potest etiam duobus dominis seruire: quod eodem sermone Saluator ipse testatus est. Quid ergo faciet animus nutans, cùm se obtemperare non posse existimat, & nō obtemperare formidat? Si enim opera sua in luce posuerit hominibus intuenda, vt faciat quod præceptum est, Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est: reum se teneri arbitrabitur: quia contra præceptum facit, vbi dicitur, Attēdite ne iustitiam vestrā faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Rursúmque si hoc timēs & cauens, ea quæ bene facit abscōderit, non se putabit seruire imperāti & dicenti, Luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant bona opera vestra. Qui autem rectè intelligit, vtrúque implet, & seruiet vniuersissimo Domino, qui seruum pigrum non damnaret, si ea quæ fieri nullo modo poterant, imperaret. Audi enim Paulum seruum Christi Iesu, vocatū Apostolum, segregatum in Euangelium Dei, vtrunque & facientem & dicentem. Videte quemadmodum luceat lumen eius coram hominibus, vt videant bona opera eius. Commēdamus (inquit) nosmetipsos ad omnē cōscientiam hominum, in conspectu Dei. Et iterum, Prouidemus enim bona, nō solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus. Et iterū, Placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per

Matth.5.

Matth.6.

Bona opera quomodo facienda.

Rom.4.

2.Corinth.14.

2.Corinth.8.

1.Corinth.10

omnia placeo. Videte rursus quàm attendat ne faciat iustitiam suam coram hominibus, vt videatur ab eis. Opus autem suum probet vnusquisque (inquit) & tunc in semetipso habebit gloriam, & non in altero. Et iterum, Nam gloria nostra hæc est, testimonium cõscientiæ nostræ. Et illud quo nihil manifestius, Si adhuc (inquit) hominibus placerem, Christi seruus non essem. *Post pauca ibidem.*

Galat. 6. 2. Corinth. 1. Galat. 1.

Intentio cordis quo dirigatur intuendum est.

Intentio quippe cordis humani quò dirigatur, & quò spectet intuendum est. Quisquis ergo ita vult videri ab hominibus opera sua, vt ille glorificetur, à quo ea quæ in illo videntur, accepit: & sic ad imitãdum bonum, iidemipsi qui vident, pietate fidei prouocentur, verè lumen eius lucet coram hominibus: quia lux charitatis radiatur, non superbiæ fumus euomitur, & in eoipso cauet ne iustitiam suam faciat coram hominibus, vt videatur ab eis: quia nec suam deputat illam iustitiam, nec ideo facit, vt ipse videatur: sed vt ille intelligatur, qui laudatur in homine iustificato, vt faciat & in laudante quod laudatur in altero, id est, vt laudantem faciat esse laudabilem.

De verbis Domini secundum Lucam, Serm. XXXVI.

Veruntamen cùm venerit Filius hominis, putas inueniet fidem in terris? Si fides deficit, oratio perit. Quis enim orat, qui non credit? Vnde & beatus Apostolus cùm ad orandum exhortaretur, ait, Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Et vt ostenderet fidem esse fontem orationis, nec posse ire riuum, vbi caput aquæ siccaretur, adiunxit atque ait, Quomodo autem inuocabunt in quem non crediderunt? Ergo vt oremus credamus: vt & ipsa non deficiat fides qua oramus, oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem. Et enim ne in tentationibus deficeret fides, propterea Dominus ait, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Quid est in tentationem intrare, nisi à fide exire? Intantum enim tentatio proficit, inquantum fides deficit: & intantum tẽtatio deficit, inquantum fides proficit. Nam vt aptius nouerit charitas vestra, de fide ne deficeret & periret dixisse Dominum, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem: eo loco Euangeliũ ait, Hac nocte postulauit satanas vexare vos sicut triticum, & ego rogaui Patrem pro vobis ne deficiat fides vestra. Rogat qui tuetur, & non rogat qui periclitatur? Quòd autem ait Dominus, Cùm venerit Filius hominis, putas inueniet fidem in terra? de fide dixit, quæ perfecta est. Ipsa enim vix inuenitur in terra. Ecce plena est Dei Ecclesia. Quis huc accederet si nulla esset fides? Quis non montes transferret, si plena esset fides? Attendite ipsos Apostolos. Dimissis omnibus suis, calcata spe seculi, Dominum non sequerentur, nisi magnã haberent fidem. Et tamen si plenam haberent fidem, non dicerent Domino, Auge nobis fidem. Vide etiam vtrunque illum de se confitentem. Vide fidem, & non plenam fidem: qui cùm obtulisset Domino filium, à malo dæmonio sanandũ, & esset interrogatus vtrùm crederet, respondit & ait, Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam. Credo, inquit, credo Domine: ergo est fides. Sed adiuua incredulitatem meam: ergo non plena est fides.

Rom. 10. Oratio fidei impetrat firmitatem. Luc. 22. Luc. 17. Marci 9.

De verbis Domini secundum Ioannem, Sermone I.

Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, & cymbalum tinniẽs. Si sciero omnia sacramenta, & habuero omnẽ prophetiam & omnem fidẽ, ita vt mõtes transferam, charitatem autem non habeã nihil sum. Magna ergo res est, postremò fides mõtes trãsferens. Illa quidem magna sunt: sed si ego hæc sine charitate habeo, inquit, non illa, sed ego nihil sum.

1. Corinth. 13. Nihil est qui charitatem nõ habet.

In eodem, Sermo. LX

De peccato quidem arguet Spiritus sanctus mundum, quia in me nõ credunt. De hoc ergo vno peccato voluit mũdum argui, quòd non credunt in eum, videlicet quia in eum credendo cuncta peccata soluuntur. Hoc vnum imputari voluit, quo cætera colliguntur. Et quia credendo nascuntur ex Deo, & filii Dei fiunt. Dedit enim (inquit) illis potestatem filios Dei fieri, credentibus in eum. Qui ergo credit in Filium Dei, inquantum adhæret illi, & fit etiam ipse per adoptionem filius & hæres Dei, cohæres autem Christi, intantum nõ peccat. Vnde dicit Ioannes, Qui natus est ex Deo non peccat. Et ideo peccatum vnde mundus arguitur hoc est, quòd non credunt in eum.

Ioan. 16. Spiritus sanctus mundum arguit infidelitatis. Ioan. 6. Roman. 8. 1. Ioan. 3.

In eodem, Serm. LXI.

Sed multum interest, vtrùm quisque credat ipsum esse Christum, & vtrùm credat in Christum. Nam ipsum esse Christum & dæmones crediderunt, nec tamẽ in Christum dæmones crediderunt. Ille enim credit in Christum, qui & sperat in Christum, & diligit Christum. Nam si fidem habet sine spe & dilectione, Christum esse credit, non in Christum credit. Qui ergo in Christum credit, credendo in Christũ veniet in eum Christus, & quoquo modo vnitur in eum, & membrum in corpore eius efficitur. Quod fieri non potest, nisi spes accedat & charitas, &c.

Differunt credere Christum & in Christũ.

Ad Consensum, LXXXV. Epistola.

Pia fides, sine spe & sine charitate esse non vult. Sic igitur homo fidelis debet credere quod nondum videt, vt visione & speret & amet. Et visibilium quidem rerum præteritarũ, quæ temporaliter transierunt, sola fides est: quoniam non ad hoc videnda sperantur, sed facta & transacta creduntur: sicut est illud, quòd Christus semel pro peccatis nostris mortuus est & resurrexit, nec iam moritur, & mors ei vltrà non dominabitur. Ea verò quæ nondum

Vera fides sine spe & sine charitate esse non vult. Philip. 2.

dum sunt, sed futura sunt (sicut nostrorum spiritalium corporum resurrectio) ita creduntur, vt etiam videda sperentur: sed ostendi modo nullo possint. Quæ verò ita sunt, vt neque prætereant, neque futura sint, sed æterna permaneant, partim sunt inuisibilia, sicut iustitia, sicut sapientia: partim visibilia, sicut Christi immortale iam corpus. Sed inuisibilia intellecta conspiciũtur, ac per hoc, & ipsa modo quodam sibi congruo videntur & quum videntur multò certiora sunt, quàm ea quæ corporis sensus attingit. Sed ideo dicuntur inuisibilia, quia oculis istis mortalibus videri omnino nõ possunt. At illa quæ visibilia sunt, permanentia, possunt si ostendantur, etiam his mortalibus oculis conspici: sicut de discipulis post Re-
Ioã. 20. & 21. surrectionem Dominus ostendit: sicut etiam
Actor. 7. & 9. post Ascensionem Apostolo Paulo, & Stephano diacono. Proinde ista visibilia permanentia credimus, vt etiam si non demonstrentur, speremus ea nos quandoque visuros. Nec ea tenemur ratione intellectúque comprehendere, nisi vt ea quia visibilia sunt, ab inuisibilibus distinctius cogitemus, & cum cogitatione qualia sint imaginamur, satis vtique nouimus ea nobis nota non esse, &c.

Ad Casulanum, Epistola LXXXVI.

Vna fides in diuersis ceremonijs.

Sit vna fides vniuersæ, quæ vbique dilatatur, Ecclesiæ, tanquam intus in membris. Etiam si ipsa fidei vnitas quibusdã diuersis obseruationibus celebratur, quibus nullo modo quod in fide verũ est impeditur. Omnis enim pulchritudo filiæ regis intrinsecus. Illæ autem obseruationes, quæ variè celebrantur, in eius veste intelligũtur: vnde illi dicitur, In fimbriis aureis, circumamicta varietate. Sed ea quoque vestis ita diuersis celebrationibus varietur, vt nõ aduersis cõtentionibus dissipetur. Sicut e-
Roman. 14. nim quod ait Apostolus verum est, Malum esse homini, qui per offensionem manducat: ita malum est homini, qui per offensionẽ ieiunat. Nõ itaque simus eis similes, qui videntes Ioannem non manducantem neque bibentem, dixerunt,
Matth. 11. Dæmonium habet. sed nec rursus eis, qui vidẽtes Christum manducantem & bibẽtem, dixerunt, Ecce homo vorax & vinosus, amicus publicanorum & peccatorum. Rem quippe valde necessariã his dictis Dominus ipse subiecit atque ait, Et iustificata est sapientia in filiis suis. Qui sint autem isti si requiris, lege quod scriptum est. Filii sapiẽtiæ etiam iustorum ii sunt, qui quando manducant, nõ manducantes non spernunt, quãdo non manducant, manducantes non iudicant: sed eos planè, qui per offensionem non manducant siue manducant, vel spernunt vel iudicant.

Ad Sixtum, Epistola CV.

Restat igitur, vt ipsam fidem, vnde omnis iustitia sumit initium, propter quod dicitur ad Ecclesiam in Cantico canticorum, Venies & pertrãsies ab initio fidei: non humano quo isti extollũtur tribuamus arbitrio, nec vllis præcedentibus meritis: quoniam inde incipiunt bona quæcunque sunt merita. sed gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam verã, id est, sine meritis cogitamus.

Fides erga tuitum Dei donum est.

Ad Vitalem, Epistola CVII.

Quoniam sicut verissima dicit Scriptura, *Roman. 14. Hebræ. 11.* Omne quod nõ est ex fide, peccatum est: & Sine fide impossibile est vtique placere Deo nõ hominibus: nihil sic agit hic princeps, quàm *Diabolus præcipuè impugnat fidem* vt non credatur in Deum, nec ad Mediatorẽ, à quo soluũtur opera eius, credendo veniatur.

Ad Optatum, Epistola CLVII.

Illud enim vbi vel maximè fides Christiana consistit, quòd per hominem mors, & per
1. Cor. 15 hominem resurrectio mortuorum, Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabũtur: &, Quòd per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, *Roman. 5. Summa fidei Christianæ.* & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit: in quo omnes peccauerunt: &, Quòd iudicium ex vno in condemnationem, &, Quòd per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem, & per vnius iustificationem in omnes homines in iustificationem vitæ: & si qua alia testimonia, declarant neminem nasci ex Adam, nisi vinculo delicti & damnationis obstrictum, neminémque inde liberari, nisi renascendo per Christum: tam inconcusse tenere debemus, vt sciamus eum qui hoc negauerit, nullo modo ad Christi fidem, & ad eam, quę per Christum datur pusillis & magnis, Dei gratiam pertinere, &c.

In Psalmum XLIIII.

Eructauit cor meum verbum bonum, & illud quod adiunctum est, Dico ego opera mea *Summum hominis opus.* regi: significari voluit summum hominis opus non esse nisi Deũ laudare. Illius est specie sua placere tibi: ad te pertinet eum in gratiarum actione laudare. Opera tua si non fuerint laus Dei, incipis teipsum amare, & pertinebis ad illos, de quibus dicit Apostolus, Erũt enim homines seipsos amantes. Displice tibi, placeat 2. Timot 3. tibi qui te fecit: quia in eo tibi displices quod in te ipse fecisti. Opus ergo tuum sit laus Dei, eructet cor tuum verbum bonum.

In Psalmum XLIX.

Congregate illi iustos eius. Quos iustos nisi viuentes ex fide, facientes opera misericordiæ? Etenim opera illa, opera iustitiæ sunt. Habes Euangelium, Cauete iustitiam vestram facere coram hominibus, vt videamini ab eis. *Matthæi 5. Eleemosyna opus iustitiæ est* Et quasi quæreretur, Quam iustitiam? Cùm ergo facis eleemosynam, inquit. Ergo eleemosynas, opera iustitiæ esse significauit, &c.

Post pauca ibidem.

Venite benedicti Patris mei: percipite. Quid percipite? Regnum. Pro qua re? Esurui, & dedistis mihi manducare. Quid tam vile, quid tam terrenum, quàm frangere panem esurienti? Tanti valet regnum cælorum. Fran-

Esaiæ 58. ge esurienti panem tuum,& egenum sine tecto introduc in domum tuam: si videris nudum, vesti. Si non habes facultatem frangendi panem,non habes domum, quò inducas, non habes quo cooperias: da calicẽ aquæ frigidæ,mitte duo minuta in gazophylacium. Tantũ emit vidua duobus minutis, quantum emit Petrus relinquẽs retia: quantum emit Zacchæus dando dimidium patrimonium. Regnum Dei tanti valet,quantum habueris.

Matth.10. Marci 12. Matth.4. Lucæ 19.

In Psalmum LXV.

Si ideo facis opera bona vt tu glorificeris, hoc prohibuit: si autem ideo vt Deus glorificetur,hoc iussit Christus.

In Psalmum LXVII.

Per fidem iustificatur impius. Roman.4. Sine bonorum operum meritis,per fidem iustificatur impius,sicut dicit Apostolus, Credenti in eum qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam: vt deinde ipsa fides,per dilectionem incipiat operari. Ea quippe sola bona opera dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei. Hoc autem necesse est vt antecedat fides, vt inde ista, non ab istis incipiat illa, quoniam nullus operatur per dilectionẽ Dei, nisi prius credat in Deũ. Hæc est fides, de qua dicitur,In Christo enim Iesu,neque Circuncisio aliquid valet,neque præputiũ,sed fides quæ per dilectionem operatur. Hæc est fides,de qua ipsi Ecclesiæ dicitur in Canticis canticorum, Venies & pertransies ab initio fidei. Venit enim tanquam currus Dei in milibus lætãtium, prosperum iter habens, & pertransiit de hoc mundo ad Patrem. Volo vt vbi ego sum,& isti sint mecum ab initio fidei. Quia ergo vt bona opera sequantur, præcedit fides, nec vlla sunt bona opera, nisi quæ sequuntur præcedente fide,&c.

Galat.5. Canti.2. Ioannis 13. Ioannis 17.

In Psalmum LXXXVII.

Nimis occulta Dei gratia est,qua hominũ mentes quodammodo reuiuiscunt, vt possint à quibuslibet eius ministris,præcepta sanitatis audire. Quam gratiam Dominus in Euãgelio commẽdat,dicens,Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me,traxerit eum. Et paulò pòst apertius hocipsum repetens, ait, Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus & vita sunt: sed sunt quidam ex vobis qui nõ credũt. Deinde interponit Euangelista, Sciebat enim ab initio Iesus,qui essent crediturí,& quis traditurus esset eum. Et secutus,atque ipsius verba Domini cõiungẽs,dicebat,Propterea dixi vobis,quia nemo potest venire ad me,nisi fuerit ei datum à Patre meo. Suprà dixerat, Sed sunt quidam ex vobis,qui non credunt:& tanquam huius rei causam exponens, Propterea (inquit)dixi vobis,quia nemo potest venire ad me,nisi fuerit ei datum à Patre meo, vt ostenderet eamipsam fidem,qua credit, & ex morte sui cordis anima reuiuiscit, dari nobis à Deo. Quantumlibet ergo existant excellentes verbi prædicatores & veritatis, etiam per miracula sua fortes, tanquam magni medici agant cum hominibus:si mortui sunt,& tua gratia non reuiuixerint,nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici exuscitabunt, & ii quos exuscitabunt confitebuntur tibi? Hæc enim confessio indicat viuos: nam sicut alibi scriptum est, A mortuo veluti qui non sit,perit confessio.

Ioannis 6. Vera fides à Deo datur. Eccles.17.

In Psalmum LXXXIX.

Tunc enim recta sunt opera nostra,cùm ad hunc finem diriguntur. Finis enim præcepti charitas est, de corde puro, & conscientia bona,& fide nõ ficta. Opus ergo vnum est,in quo sunt omnia, fides quæ per dilectionem operatur. Vnde etiam Dominus in Euangelio dicit, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem ille misit.

Fides vera. Ioannis 6.

In Psalmum CIIII.

Abraham concupiuit videre diem meum, & vidit,& gauisus est. Non enim quisquã præter istam fidem quæ est in Christo Iesu,siue ante eius incarnationem, siue postea, reconciliatus sit Deo: cùm sit ab Apostolo veracissimè diffinitum, Vnus enim Deus, & vnus Mediator Dei & hominum,homo Christus Iesus.

Ioannis 8. Præter fidem Christi,nemo saluatur. 1.Timoth.2.

In Psalmum CXX.

Per passionem enim transiit Dominus à morte ad vitam, & fecit nobis viam credentibus in resurrectionem eius, vt transeamus & nos de morte ad vitam. Non magnum est credere,quia mortuus est Christus. Hoc & Pagani & Iudæi, & omnes iniqui credunt. Hoc omnes credũt,quia mortuus est. Fides Christianorum resurrectio Christi est. Hoc pro magno habemus, quia credimus eum resurrexisse. Ergo tunc se voluit videri cùm transiret, hoc est, cùm resurrexisset. Tunc in se voluit credi cùm transiret: quia traditus est propter delicta nostra,& resurrexit propter iustificationem nostram. Et ipsam in resurrectionem Christi fidem,maximè commendauit Apostolus. Ait enim, Si credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Non dixit, Si credideris quia mortuus est Christus: quod & Pagani & Iudæi & omnes inimici eius crediderunt: sed ait,Si credideris in corde tuo, quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris,&c.

Roman.4. Roman.10

In Psalmum CXXXVII.

Non commendo opera manuum mearum. Timeo enim ne cùm inspexeris, inuenias plura peccata quàm merita. Hoc solùm rogo,hoc dico, hoc impetrare desydero, Opera manuum tuarum ne despicias. Opus tuum in me vide,nõ meum. Nam meum si videris damnas: tuum si videris coronas: quia & quæcunque sunt opera mea bona, abs te mihi sunt, & ideo tua magis quàm mea sunt. Audio quippe ab Apostolo tuo, Gratia salui facti estis per fidẽ, & hoc non ex vobis,sed Dei donum est,non ex operibus,ne fortè quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Iesu in operibus

Opera nostra à Deo habemus. Ephes 2.

peribus bonis. Ergo siue in eo quòd homines sumus, siue in eo quòd ex nostra impietate mutati & iustificati sumus, Domine opera manuum tuarum ne despicias.

In Psalmum CXVIII, Concione XII.

Bona opera nostra pensanda sunt fine.

Proinde magni interest, quum aliquid boni facimus, cuius rei contemplatione faciamus. Officium quippe nostrum, non initio sed fine pensandum est, vt scilicet non tantùm si bonum est quod facimus, sed præcipuè si bonum est propter quod facimus, cogitemus. Hos oculos quibus contemplemur, quare faciamus quod facimus, auerti poscit Dauid, ne videant vanitatem, id est, ne hanc attendat, propter quam faciat quum boni aliquid facit. In qua vanitate præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ, propter quam magna fecerunt, qui magni in hoc seculo nominati sunt, multúmque laudati in ciuitatibus gentium, quærentes non apud Deum, sed apud homines gloriam, & propter hanc velut prudentes, fortiter, temperanter, iustéque viuentes: ad quam peruenientes perceperũt mercedem suam, vani vanam. Ab hac vanitate volens Dominus auertere oculos suorum, Attendite (inquit) ne iustitiam vestram faciatis corã hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cælis est. Deinde cùm ipsius iustitiæ quasdam partes exequeretur, præcipiens de eleemosynis, de orationibus, de ieiuniis, vbique id admonuit ne aliquid eorum propter gloriam hominum fiat, & vbique dicit eos qui propterea faciunt, percepisse mercedem suam, id est, non æternam, quæ Sanctis reposita est apud Patrem, sed temporalem, quam quærunt, qui cõtemplantur in suis operibus vanitatem. Non quia ipsa laus humana culpanda sit (nam quid tam optandum est hominibus, quàm vt eis placeãt, qui debeant imitari?) sed propter ipsam laudem bene operari, hoc est vanitatem in suis operibus intueri: quãdoquidem & ipsa ab hominibus laus homini iusto quãtacunque prouenerit, non ibi esse debet eius finis boni: sed etiam ipsa referẽda est ad laudem Dei, propter quem bona faciunt verè boni: quoniã nec à seipsis, sed ab illo fiunt boni. Denique in eodem sermone Dominus iam dixerat eis, Luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant vestra opera bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. vbi finem posuit, hoc est, in gloriam Dei. Hoc debemus quando aliquid boni facimus intueri, si auertuntur à vanitate oculi nostri, &c.

Ioannis 5.

Marci 6.

De Verbis Apostoli Petri, Serm. XXVII.

Initium bonæ vitæ fides est.

Initium bonæ vitæ, cui vita etiam æterna debetur, recta fides est. Est autem fides, credere quod nondum vides, cuius fidei merces est videre quod credis. Tempore igitur fidei, tanquam tempore sementis non deficiamus, & vsque in finem nõ deficiamus: sed perseueremus, donec quod seminauimus metamus.

Post pauca ibidem.

Non omnium est fides.

Omnis homo vult intelligere, nemo est qui nolit. Credere non omnes volunt. Dicit mihi homo, Intelligam vt credam: respondeo, Crede vt intelligas.

Serm. XXXVIII. de tempore.

Ad beatitudinem necessaria est, Hebræ. 11

Denique ad veram beatitudinem peruenire volentibus, primò omnium fides necessaria est, sicut Apostolica docet auctoritas dicens, Sine fide impossibile est placere Deo, Constat ergo neminem ad veram peruenire posse beatitudinem, nisi Deo placeat, & Deo neminem posse placere, nisi per fidem. Fides nanque est bonorum omnium fundamẽtum, fides est humane salutis initium. Sine hac nemo ad filiorum Dei consortium potest peruenire: quia sine ipsa nec in hoc seculo quisquã iustificationis assequitur gratiam, nec in futuro vitam possidebit æternam. Et si quis hic nõ ambulauerit per fidem, non perueniet ad speciẽ beatę visionis Domini nostri Iesu Christi. *2. Corin. 5*

Serm. IIII. de tempore.

Fides distinguuntur filii Dei, à filiis Diaboli.

Primùm ergo fides catholica Christiano necessaria est, quia in ipsa distingũtur filii Dei à filiis diaboli, filii lucis, à filiis tenebrarum: per ipsam renascimur in Baptismate, & salutẽ æternam impetramus: sicut scriptum est, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluꝰ erit. Hæc porta est vitæ, hæc ianua regni. Per ipsam discitur veritatis scientia, & percepitur cognitio diuinitatis, per ipsam, gratiã Dei inuenimus. aliter autem Deo placere non possumus: quia sine fide impossibile est placere Deo. Verè enim beatus est, qui & rectè credendo bene viuit, & bene viuendo fidem rectam custodit. Igitur sicut otiosa est fides sine operibus, ita nihil proficiunt opera bona sine fide recta, &c. *Marci 5*

Serm. CLXXXI. de tempore.

Apostolos symbolum composuisse.

Symbolum ergo fidei nostræ tali ratione institutum maiores nostri dixerunt. Tradunt enim, quòd post ascensionem Domini & Saluatoris nostri ad Patrem, cùm per aduentum Spiritus sancti, discipuli eius inflammati linguis omnium loquerentur, ad singulas quasque nationes vt Dei verbum prędicarent ituri, ac discessuri ab inuicem, normam prius sibi futurę prædicationis in commune statuerunt, ne localiter ab inuicem discedentes, diuersum vel dissonum prædicarent iis qui ad fidem Christi inuitabantur. Omnes igitur in vnum positi, & Spiritu sancto repleti, breue suæ prædicationis inditium conferendo in vnum, quod sentiebat vnusquisque computabat: atque hanc ita credentibus dandam esse regulam instituerũt. Symbolum breue est verbis, sed magnum est sacramentis. Quidquid enim præfiguratum est in Patriarchis, quidquid denũtiatum in Scripturis, quidquid prædictum est in Prophetis, vel de Deo ingenito, vel ex Deo in Deum nato, vel de Spiritu sãcto,

vel de suscipiẽdo omni Sacramẽto, vel de morte Domini resurrectioníque eius mysterio. totum breuiter hoc Symbolum continet, & continendo habet & confitendo.

Post pauca ibidem.

Credo in Deum Patrem omnipotentem. In primis dilectissimi, qualis sermo sit in Symboli capite, diligenter attẽdite. Ergo in primo habet Credo. Vide quòd Dominus noster nõ nos iubet discutere diuina iudicia, sed credere, nec rationem requirere, sed fidem simpliciter, & immobiliter exhibere. Non dicit Credo Deum, vel credo Deo, quãuis & hæc saluti necessaria sint. Aliud enim est credere illi, aliud credere illum, aliud credere in illum. Credere illi, est credere vera esse quæ loquitur. Credere illum, credere quia ipse est Deus. Credere in illum, diligere illum. Credere vera esse quæ loquitur, multi & mali possunt. Credũt enim esse vera, & nolunt ea facere, quia ad hoc pigri sunt. Credere ipsum esse Deum, hoc & dæmones possunt. Credere verò in Deum, soli nouerunt, qui diligunt illum, qui non solùm nomine Christiani sunt, sed & factis & vita, quia sine dilectione fides inanis est.

Differentia inter credere illi, illũ, in illum.

De verbis Apostoli, Serm. XXVII.

Nec de ipsa fide tamen ita gloriandum est, quasi aliquid nos possimus. Non enim fides nihil est, sed magnum aliquid, quã si habes profectò accepisti. Quid enim habes, quod nõ accepisti? Videte charissimi, vnde Domino Deo gratias agatis, ne aliquo dono eius ingrati maneatis.

Fides etiam à Deo datur.

1. Corinth. 14.

Libro I. Homiliarum, Homilia XVII.

Pax fratribus & charitas cum fide, à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Quid ergo habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Num sic gloriatus est Abrahã? Ex fide gloriatus est. Quæ est plena & perfecta fides? Quæ credit ex Deo esse omnia bona nostra, & ipsam fidem. Iterum dicit Apostolus, Misericordiam consequutus sum. O confessio! Non ait, Misericordiam consequutus sum quia fidelis eram: sed vt fidelis essem misericordiam cõsequutus sum. Veniamus ad eius primordia. Videamus Saulem sæuientem, spectemus furentem, spectemus odia anhelãtem, sanguinémque sitientem. Hæc Pauli via erat, cuius via nõdum erat Christus. Quid habebat in corde? Quid nisi malũm? Date mihi merita eius. Si merita quæris, damnationis sunt, non liberationis.

Ephes. 6.

Perfecta fides.

1. Timoth. 1.

Ad Sixtum Romanum presbyterum, Epistola CV.

Deus vnicuique partitur mensuram fidei. Opera quippe bona fiunt ab homine, fides autem sit in homine, sine qua illa à nullo fiunt homine. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est. Quapropter ne se vel orationis meritum extollat, etiam ad vincendas temporalium rerũ cupiditates, & diligenda bona æterna, atque ipsum fontem omnium bonorũ, Domini adiutorium datur oranti. Fides erat quæ data est non oranti, quæ vtique nisi data esset, orare non posset. Quomodo enim inuocabũt in quem non crediderunt? Quomodo credẽt, quem non audierunt? Quomodo audient sine prædicante? Igitur fides ex auditu, auditus autem per verbũ Christi. Proinde minister Christi, huius fidei prædicator, secundum gratiam quæ data est illi, plãtator est & rigator. Nec tamen qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incremẽtum dat Deus, qui vnicuique partitur mẽsuram fidei. Vnde & alibi dicitur, Pax fratribus, & charitas cum fide. Quam ne sibi tribuerẽt, continuò subiunxit, A Deo Patre, & Domino Iesu Christo: quia nec omniũ est fides, qui audiũt verbum, sed quibus Deus partitur mensuram fidei: sicut nec omnia germinant quæ plantantur & rigantur, sed quibus Deus dat incremẽtum. Cur autem ille credat, ille non credat, cùm ambo idem audiunt, & si miraculum in cõspectu eorum fiat, ambo idem vidẽt, altitudo est diuitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia, & apud quem nõ est iniquitas, dum cuius vult miseretur, & quẽ vult obdurat. Neque enim propterea sũt ista iniusta, quia occulta. Vt autem habitet Spiritus sanctus, nonne vbi vult spirat & charitas Dei, sine qua nemo bene viuit, diffunditur in cordibus nostris, non à nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis? Hãc enim fidem definiuit Apostolus, dicẽs, Neque Circuncisio est aliquid, neque præputiũ, sed fides quæ per dilectionem operatur. Ista quippe fides est Christianorum, nõ dæmoniorum. Nã & dæmones credunt & contremiscũt: sed nunquid & diligunt? Nam si non crederent, nõ dicerẽt, Tu es sanctus Dei, vel Tu es Filius. Si autem diligerent, non dicerent, Quid nobis & tibi? Fides igitur ad Christũ nos trahit, quæ nisi desuper gratuito munere nobis daretur, non ipse diceret, Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, attraxerit eum. Vnde & paulò pòst ait, Verba quæ ego loquutus sum vobis, Spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Deinde Euangelista subiungit, Sciebat enim ab initio Iesus qui essent credentes, & quis esset traditurus eum. Et ne quisquam existimaret credẽtes sic ad eius præscięntiam pertinere, quomodo non credẽtes, id est, vt non eis fides ipsa desuper daretur, sed tantummodo voluntas eorũ prænosceretur, mox adiecit, atque ait, Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.

Roman. 12.

Roman. 8.

Fides dæmoniũ quæ sit.

Luc. 4.

Ioannis 6.

Libro IIII. contra Iulianum, Cap. III.

Noueris itaque non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem, quod faciendum est: finis verò, propter quod faciendum est. Cùm itaque facit homo aliquid, vbi peccare non videtur, si nõ propter hoc

Quomodo à vitiis discernenda sint virtutes.

Roman. 10. *Fides est ex auditu*

hoc facit ꝓpter quod facere debet, peccare cõuincitur. Quidquid autẽ boni fit ab homine, & nõ propter hoc fit, propter quod fieri debere ſapientia præcipit, & ſi officio videatur bonum, ipſo non rẽcto fine peccatum eſt.

In prima quinquagena, ex prologo Pſalmi XXXI.

Iacobus enim in Epiſtola ſua contra eos qui nolebant bene operari, de ſola fide præſumentes, ipſius Abrahæ opera commendauit, cuius Paulus fidem: & non ſunt ſibi aduerſi Apoſtoli. Dicit autem opus omnibus notum, Abrahã filium ſuum immolandum obtulit Deo. Magnum opus, ſed ex fide. Laudo ſuperædificationem operis, ſed video fidei fundamentũ. Laudo fructum boni operis, ſed in fide agnoſco radicem. Si enim hoc præter fidẽ rectam faceret Abraham, nihil illi prodeſſet qualecunq; opus eſſet illud. Rurſum ſi ſic teneret fidẽ Abrahã, vt cùm ei Deus imperaret offerre ſibi immolandum filium, diceret apud ſemetipſum, Non facio, & tamen credo quia me etiã contemnentem iuſſa ſua liberat Deus: fides ſine operibus mortua eſſet, & tãquam radix, ſine fructu ſterilis atque arida remaneret. Quid ergo? Debemus nulla opera præponere fidei, id eſt, vt ante fidem quiſque dicatur bene operatus? Ea enim ipſa opera, quæ dicuntur ante fidem, quãuis videantur hominibus laudabilia, inania ſunt. Ita mihi vidẽtur eſſe, vt magnæ vires, & curſus celerrimus prẽter viam. Nemo ergo cõputet bona opera ſua ante fidem. Vbi fides non erat, bonum opus non erat. Bonum opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non enim valde attendas quid homo faciat, ſed quid cùm facit aſpiciat, quo lacertos optimẽ gubernationis dirigat. Ergo fratres, ex fide iuſtificatus eſt Abraham: ſed ſi fidẽ opera non præceſſerunt, tamen ſecuta ſunt. Nũquid enim fides tua ſterilis erit? Si ſterilis non es, ſterilis nõ eſt ipſa. Itaque ſi fides ſine dilectione ſit, ſine opere erit: ipſa dilectio vacare nõ poteſt. Non ergo Iacobũ Apoſtolũ Paulo, ſed ipſum Paulũ ipſi Paulo opponamus, & dicamus ei, At nos quodãmodo permittis impunè peccare, cùm dicis, Arbitramur iuſtificari hominẽ per fidem ſine operibus Legis. Sed ad hæc dicis, Fides quæ per dilectionẽ operatur. Quomodo hac quaſi ſecur⁹ fio, ſi operatus nõ fuero, hac autẽ nec ſpem, nec ipſam fidem videor habere bonam, niſi operatus fuero per dilectionem? Teipſum audi, ô Apoſtole. Certè fidem mihi hîc ſine operibus vis commendare: opus autem fidei dilectio eſt, quia dilectio vacare nõ poteſt, niſi & mali nihil operetur, & quidquid poteſt boni. Quid enim facit dilectio? Declina à malo, & fac bonũ. Hãc ergo fidem ſine operibus commendans, & alio loco dicis, Et ſi fidem habeam, ita vt montes transferam, charitatem autẽ non habeam, nihil mihi prodeſt. Ergo ſi nihil mihi prodeſt fides ſine charitate, charitas autẽ vbi fuerit neceſſe eſt vt operetur, fides ipſa per dilectionem operatur. Quomodo ergo iuſtificabitur homo per fidẽ ſine operibus? Reſponderet ipſe Apoſtolus, Propterea hoc tibi dixi, ô homo, ne quaſi de operibus tuis præſumere videreris, & merito operum tuorũ accepiſſe fidei gratiam. Noli ergo præſumere de operibus ante fidem. noueris quia te peccatorem fides inuenit: & ſi te fides data fecit iuſtum, impium inuenit quem faceret iuſtum. Credenti, inquit, in eum qui iuſtificat impium, deputatur fides eius ad iuſtitiam. Si iuſtificatur impius, ex impio fit iuſtus: ſi ex impio iuſtus fit, quæ ſunt opera impiorum? Iactet iam impius opera ſua, & dicat, Do pauperibus, nihil alicui aufero, non vxorem alienam concupiſco, non quenquam occido, nulli fraudem facio, depoſitum apud me nullo teſte repræſento. hæc omnia dicat. Quæro vtrũ pius ſit an impius. Et quomodo ſum impius iſta faciens? Quomodo illi, de quibus dictum eſt, Et ſeruierũt creaturæ potius quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Quomodo non es impius? Quid ſi de iis omnibus bonis operibus aut illud ſperas, quod ſperandum eſt, ſed non ab illo, à quo ſperandum eſt: aut hoc ſperas, quod ſperandum non eſt, etiam ab illo, à quo æterna vita ſperanda eſt. Pro bonis operibus ſperaſti terrenam quãdam felicitatem: impius es, non eſt iſta merces fidei. Cara res eſt fides, vili illã addixiſti. Impius ergo es, & nulla ſunt iſta opera tua. Moueas licet in bonis operibus lacertos, & videaris nauem optimè gubernare, in ſaxa feſtinas. Quòd ſi quod ſperandum eſt ſperas, id eſt, vitam æternam, ſed non à Domino Deo per Ieſum Chriſtum, per quem ſolùm datur vita æterna: ſed putas te ad vitam æternam poſſe peruenire per militiam cæli, per ſolem & lunã, per poteſtates aeris, & maris, & terræ, & ſyderum: impius es. Sed crede in eum qui iuſtificat impium, vt poſſint & bona opera tua eſſe opera bona. Nã nec bona illa appellauerim, quandiu nõ radice bona procedunt.

Opera quæ fiũt ante fidem, inania ſunt.

Galat. 5.

Opus Dei eſt dilectio.

Pſal. 36.

Secunda quinquagena Pſalmi LXX. in prologo.

Teſtimonium perhibeo illis, quia zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Et tanquam ei diceretur, Quid eſt enim habere zelum nõ ſecũdum ſcientiã? Subiecit cõtinuò, Ignorantes enim Dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Gloriantes (inquit) tanquam de operibus, excludunt à ſe gratiam, & tanquam de ſanitate ſua falſa præſumẽtes, reſpuunt medicinã. Contra tales & Dominus dixerat, Nõ veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Hæc ergo tota ſcientia hominis magna eſt, ſcire quia ipſe per ſe nihil eſt, & quoniam quidquid eſt, à Deo eſt, & propter Deum eſt. Hanc gratiam ergo commendat Apoſtolus. hinc habere meruit inimicos Iudæos, de litera Legis & de ſua iuſtitia gloriantes.

Quorum zelus eſt non ſecundum ſcientiam.

Matth. 9

Ibidem.

Dei iustitia qua iustificat.

Ergo in tua iustitia, non in mea. Quia mea quid? Præcesit iniquitas. Et quum ero iustus, tua iustitia erit, quia iustitia mihi abs te data iustus ero: & sic erit mea, vt tua sit, id est, abs te mihi data. In eum enim credo, qui iustificat impium, vt deputetur fides mea ad iustitiam. Erit ergo & sic iustitia mea, non tamen tanquã propria mea, non tanquam à meipso mihi data, sicut putabant illi qui super literam gloriabantur, & gratiam respuebant.

De Spiritu & litera, Cap. XI.

Hæc est iustitia Dei, quæ in Testamento veteri velata, in nouo reuelatur. Quæ ideo iustitia Dei dicitur, quòd impertiendo eam iustos facit: sicut Domini est salus, qua saluos facit. & hæc est fides, ex qua & in qua reuelatur, ex fide scilicet annuntiantium, in fidem obedientium. Qua fide Iesu Christi, id est, quam nobis contulit Christus, credimus ex Deo nobis esse, plenúsque futurum esse, quod iustè viuimus. Vnde & illi ea pietate, qua solus colendus est, gratias agimus.

Eodem libro.

Quisquis autem crediderit ei qui se à peccatis omnibus absoluendum, & ab omnibus vitiis sanãdum, & calore ac lumine eius accendendum illuminandúmque non cõtempserit,

Ex gratia Dei habemus bona opera.

habebit ex eius gratia bona opera, ex quibus etiam secundum corpus, à mortis corruptione redimatur, coronetur, bonísque satietur, non temporalibus, sed æternis, suprà quàm petimus aut intelligimus.

De spiritu & litera, Cap. XXXI.

Vtrùm fides in hominis sit potestate.

Quæret aliquis, vtrùm fides ipsa, in qua salutis vel ad salutem connexionis huius quam commemoraui, esse videtur exordium, in nostra constituta sit potestate. Quod facilius videbimus, si prius quid sit potestas aliquãdo diligentius perspexerimus. Quum enim sint duo quædam velle & posse: vnde nec qui vult continuò potest, nec qui potest cõtinuò vult, quia sicut volumus aliquando quod non possumus, sic etiam possumus aliquando quod nolumus: satis euolutis etiam ipsis vocabulis resonat, quòd ab eo quod est velle, voluntas: ab eo autem quod posse, potestas nomẽ accepit. Quapropter sicut qui vult habet voluntatem, ita potestatem qui potest: sed vt potestate aliquid fiat, voluntas aderit.

Ibidem post pauca.

Responsio.

Quid igitur vltrà quærimus? Quandoquidem hanc dicimus potestatem, vbi voluntati adiacet facultas faciendi. Vnde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit: si non vult, non facit. Attende iam illud, quod excutiendum posuimus, vtrùm fides in potestate sit. De hac enim fide nunc loquitur, quam adhibemus quum aliquid credimus, nõ quam damus quum aliquid pollicemur: nam & ipsa dicitur fides. Sed aliter dicimus, Non mihi habuit fidem: aliter autem, Non mihi seruauit fidem. Nam illud est, Non credidit quod dixit: illud, non fecit quod dixit. Secundum hanc fidem qua credimus, fideles sumus Deo: secundum illam verò, qua fit quod promittitur, etiam Deus ipse fidelis est nobis. Hoc enim dicit Apostolus, Fidelis Deus, qui nõ vos permittit tentari super id quod potestis. De illa itaque fide quærimus, vtrùm in potestate sit qua credimus Deo, vel credimus in Deum. Hinc enim scriptum est, Credidit Abraham Deo, & deputatum est illi ad iustitiam: &, Credenti in eum qui iustificat impium, deputatur fides ad iustitiam. Vide nunc vtrùm quisque credat si noluerit, aut non credat si voluerit. Quod si absurdum est (quid est enim credere, nisi consentire verum esse quod dicitur? consensio autem vtique volentis est) profectò fides in potestate est: sed sicut Apostolus dicit, Non est potestas, nisi à Deo.

Differunt habere fidem, & seruare fidem.

1. Corinth. 10.

Genes. 15.

Roman. 4.

Roman. 13.

DE PERFECTIONE IVSTITIÆ.

Cap. XIII. in enchiridio ad Laurentium.

Vita iustorum sine remissione peccatorum nõ agitur.

Ipsa etiam vita cætera iam ratione vtentis ætatis, quantalibet præpolleat fœcunditate iustitiæ, sine remissione peccatorum non agitur. Quoniam filii Dei quãdiu mortaliter viuunt, cum morte confligunt. Et quanuis de illis sit veraciter dictum, Quotquot Spiritu Dei aguntur, ii filii sunt Dei: sic tamen Spiritu Dei excitantur, & tanquam filii Dei proficiunt ad Deum, vt etiam Spiritu suo, maximè aggrauante corruptibili corpore, tanquam filii hominum, in quibusdam motibus humanis deficiant ad seipsos, & ideo peccent. Interest quidem quantum satis dicitur. Neque quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam, quandiu in hac morte viuitur, inueniri posse dicimus sine crimine. Peccatum autem si dixerimus quòd non habemus, vt ait sanctus Apostolus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.

Roman. 8.

1. Ioannis 1.

De definitionibus orthodoxæ fidei, Cap. XIIX.

Sanctitas Dei gratia acquiritur.

Nullus sãctus & iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus vel sanctus, cùm affectu teneat sanctitatẽ. Non enim naturę humanæ viribus, sed propositi adiumẽto per Dei gratiã acquirimus sanctitatẽ. Et ideo veraciter se omnes Sãcti pronũtiant peccatores, quia in veritate habent quod plangant, & si non reprehensione conscientiæ, certè mobilitate & mutabilitate præuaricatricis naturæ.

Ad Bonifacium, Epistola I.

Iustus enim & iustificans non est nisi Deus. Absit autem, vt quisquam nostrùm ita se iustũ dicat, vt aut suam velit cõstituere iustitiam, id est, quasi à seipso sibi datam, quum dicatur ei, Quid enim habes quod non accepisti? Aut sine peccato se esse iactare audeat in hac vita, sicut ipsi in nostra collatione dixerũt in ea se esse

1. Corinth. 4.

Eccleſia,

Ecclesia sine macula & ruga hic esse non potest.

Ecclesia, quæ iam non habet maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: nescientes hoc modo in eis compleri, qui vel post Baptismũ continuò, vel dimissis debitis quæ dimittẽda in oratione poscũtur, de hoc exeunt corpore: in ta verò Ecclesia tunc futurũ, vt sit omnino nõ habẽs maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, quando dicendũ erit, Vbi est inferne victoria tua? Vbi est mors aculeus tuus? Aculeus enim mortis est peccatum. In hac vita vbi corpus quod corrumpitur aggrauat animã, si Ecclesia eorum iam talis est: non ergo dicãt Deo quod Dominus nos orare docuit, Dimitte nobis debita nostra. Cùm enim in Baptismo cuncta dimissa sint, vt quid hoc poscit Ecclesia, si iã etiam in hac vita nõ habet maculam aut rugã, aut aliquid huiusmodi? Contemnant & Apostolum Ioannem clamantem in Epistola sua, Si dixerimus quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis nõ est. Si cõfessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & iustus, qui dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Propter hãc spem dicit vniuersa Ecclesia, Dimitte nobis debita nostra: vt non superbientes, sed confitentes, mundet nos ab iniquitate, atq; ita sibi Dominus Christus exhibeat in illa die gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam.

Matth.6.

1.Corinth.13.

1.Ioannis 1.

Ad Innocentium Papam, Epistola XCV.

Vbi inferne victoria tua, vbi est mors aculeus tuus? aculeus autem mortis est peccatum. Diligentius pertractãdum propter alios quosdam, qui senserunt, atq; in literis suis mãdauerunt memoriæ, etiã in hac vita esse posse homines sine peccato: non ab initio natiuitatis suæ, sed conuersione à peccatis ad iustitiam, & à vita reproba ad bonam vitam. Sic enim intellexerũt quod de Zacharia & Elizabeth scriptũ est, Ambulasse eos in omnibus iustificationibus Domini sine querela. Hoc quod dictum est sine querela, sine peccato dictum acceperunt: non quidem negãtes, imò etiam quod aliis locis in literis eorum inuenitur piè cõfitentes adiutorium gratię Domini nostri, non per naturalem spiritum hominis, sed per principalem Spiritum Dei. Qui parum videntur consyderasse ipsum Zachariam fuisse vtique sacerdotem. Omnes autem tunc sacerdotes necesse habebãt ex Lege Dei, primitus pro peccatis suis offerre sacrificium, deinde pro populo: sicut nunc per orationis sacrificium, conuincimur nõ esse sine peccato, quoniam iussi sumus dicere, Dimitte nobis debita nostra. Ita & tunc per sacrificia victimarum animalium, conuincebantur sacerdotes sine peccato non esse, qui pro suis peccatis iubebantur offerre. Quòd si res ita se habet, vt per gratiam Saluatoris proficiamus quidem in hac vita, deficiente cupiditate, crescẽte charitate: perficiamur autẽ in illa vita cupiditate extincta, charitate completa: profectò illud quod scriptũ est, Qui natus est ex Deo, non peccat, secundum ipsam charitatem dictũ est, quæ sola non peccat. Ad natiui tatem quippe, quæ ex Deo est, augẽda & perficienda pertinet charitas, nõ ea quæ minuẽda est & cõsumenda cupiditas, quę tamen quãdiu est in mẽbris nostris, lege quadã sua repugnat legi mentis. Sed natus ex Deo, nec obediẽs desyderiis eius, nec exhibens mẽbra sua arma iniquitatis peccato, potest dicere, Iam non ego operor illud, sed illud quod inhabitat in me peccatum. Sed quoquo modo se habeat ista quæstio, quia etsi non inuenitur homo in hac vita sine peccato, id tamẽ dicitur posse fieri per adiutoriũ gratiæ & Spiritus Dei: quod vt fiat conandum atque poscendum est. Id enim credit fieri posse, quod certè laudabile est velle. Nobis autem sufficit, quòd nullus in Ecclesia Dei reperitur in quolibet prouectu, excellentia atque iustitia, qui sibi audeat dicere, nõ necessariã precationẽ orationis Dominicæ, Dimitte nobis debita nostra: & dicat se nõ habere peccatum, ne seipsum decipiat, & veritas in eo nõ sit, quanuis sine querela viuat. Non enim qualecunque etiam tentationis humanę, sed graue peccatum est, quod in querela venit.

Lucæ 1. Zacharias licet iustꝰ, tamẽ per hoc quia sacerdos fuit, probatur fuisse peccator.

Matth.6.

1.Ioannis 3.

Rullus tã iustꝰ reperitur, qui orationem Dominicam sibi non necessariã audeat dicere.

Matth.6.

De sermone Domini in monte, BB.

Si quis scit peccare fratrem suum peccatum non ad mortem, postulabit, & dabit illi Dominus vitam, qui peccat non ad mortem. Est autem peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget. Apertè enim ostendit esse quosdã fratres, pro quibus orare non nobis prȩcipitur, cùm Deꝰ etiã pro psecutoribꝰ nostris orare nos iubeat. Nec ista quæstio solui potest, nisi fateamur esse aliqua peccata in fratribus, quæ inimicorũ persequutione grauiora sint.

1.Ioannis 2. Pro peccatis ad mortem non rogandum.

Matth.5.

Post pauca ibidem.

Et Apostolus Paulus propterea credo nõ orat pro Alexandro, quia iam frater erat, & ad mortem, id est, inuidiæ facibus fraternitatem oppugnando peccauerat. Pro iis autem qui non abruperant amorem ad mortem, sed timori succubuerunt, orat vt eis ignoscatur. Sic enim dicit, Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, reddet illi Dominus secundum opera eius. quem & tu deuita: valde enim restitit nostris sermonibus. Deinde subiungit, pro quibus orat, ita dicens, In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.

Pro Alexãdro ærario quare nõ rogasse Paul. iꝰ existimatur.

2.Timoth.4.

Ad Simplicianum libro I. Quæst. II.

Quomodo enim potest iustè viuere, qui nõ fuerit iustificatus? Quomodo sanctè viuere, qui non fuerit sanctificatus? Vel omnino viuere, qui non fuerit viuificatus? Iustificat autem gratia, vt iustificatus possit viuere iustè. Prima est igitur gratia, secunda opera bona, sicut alio loco dicit, Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: sicut illa immortalitas post opera bona, si tamen vel ipsa ex debito poscitur, sicut idem ait, Bonum certamen certaui, cursum

Roman.7.

Roman.4.

2.Timoth.4

consũmaui,fidẽ seruaui,de cætero supereſt mihi corona iuſtitiæ, quã reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Fortè enim quia dixit, Ephes. 4 Reddet,iam ſit ex debito.cùm verò aſcendit in altum, captiuauit captiuitatem, non reddidit, ſed dedit dona hominibus. Vnde enim ſibi Apoſtolus tanquam debitum reddi præſumeret, niſi prius indebitã gratiam percepiſſet,qua iuſtificatus bonum agonem certaret?

Lib.III.de doctrina Chriſtiana,Cap.XXIII.

Si qua verò peccata magnorum virorum legerit, tametſi aliquam in eis figuram rerũ futurarum animaduertere atque indagare potuerit, rei tamen geſtæ proprietatẽ ad hunc vſum aſſumat, vt ſe nequaquam rectè ſuis factis iactare audeat, & præ ſua iuſtitia cæteros tanquam peccatores contemnat:cùm videat tantorum virorũ & cauendas tempeſtates & flendas naufragia. Ad hoc enim etiam peccata illorum hominum ſcripta ſunt, vt Apoſtolica illa ſententia vbique tremenda ſit, qua ait, Quapropter qui videtur ſtare,videat ne cadat. Nulla enim ferè pagina eſt ſanctorum librorum,in qua non ſonet,quòd Deus ſuperbis reſiſtit,humilibus autem dat gratiam.

Ad noſtrã cautelam patrum peccata ſcribũtur.
1. Corinth. 10
Iacobi 4
1. Petri 5.

Lib.IX.de Trinitate Dei,Cap.I.

Quotquot ergo perfecti, hoc ſapiamus. Perfectionem in hac vita dicit nõ aliud, quàm retrò ea quæ ſunt obliuiſci, & in ea quæ antè ſunt extendi ſecundum intentionem. Tutiſſima eſt enim quærentis intentio, donec apprehendatur illud,quò tendimus,& quò extendimur. Sed ea recta intentio eſt, quæ proficiſcitur à fide. Certa enim fides vtcunque inchoat cognitionem. Cognitio verò certa non perficietur,niſi poſt hanc vitam,quum videbimus facie ad faciem. Hoc ergo ſapiamus,vt noueri-mus tutiorem eſſe affectũ vera quærẽdi, quàm incognita pro cognitis præſumendi. Sic ergo quæramus tanquam inuenturi, & ſic inueniamus tanquã quæſituri. Cùm enim conſummauerit homo,tunc incipit.

Philip.3 *Perfectio in hac vita quæ ſit.*
1. Corinth.13
Eccleſ. 12

De ſancta virginitate,Cap.XXVIII.

Quid iam dicam de ipſa cautela & vigilantia non peccandi? Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? Aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccato? Integra quidem eſt ab vtero matris ſancta virginitas. Sed nemo,inquit, mundus in conſpectu tuo, nec infans cuius vnius diei vita ſuper terram. Seruatur & in fide inuiolata quædam caſtitas virginalis, qua 2. Corinth. 11 Eccleſia vni viro virgo caſta adoptatur.ſed ille vnus vir,non tãtùm fideles mente & corpore virgines,ſed omnes omnino Chriſtianos ab ſpiritalibus vſque ad carnales,ab Apoſtolis vſque ad vltimos pœnitẽtes, tanquã à ſũmis cælorum, vſq; ad terminos eorum, docuit orare, & in ipſa oratione dicere admonuit, Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitorib⁹ noſtris. Vbi per hoc quod petim⁹, quid etiã nos eſſe meminerimus oſtẽdit. Neq; enim pro eis debitis, quæ totius præteritæ vitæ in Baptiſmo per eius pacem nobis dimiſſa eſſe confidimus, nos præcepit orare, dicentes, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Alioquin hanc orationem catechumeni potius vſque ad Baptiſmum orare deberẽt. Cùm verò eam baptizati orant,præpoſiti,& plebes, paſtores,& greges,ſatis oſtenditur in hac vita, quæ tota tentatio eſt, neminem ſe tanquam ab omnibus peccatis immunem debere gloriari.

In hac vita neminẽ ſe immunẽ eſſe à peccato dicat.
Matth.6

Eodem lib.Cap.L.

Sed quoniam etiam ſatagentibus vigilantibúſque ne peccẽt, ſubrepunt quodammodo ex humana fragilitate peccata, quanuis parua, quanuis pauca,non tamen nulla:& eadem ipſa fiunt magna & grauia,ſi eis ſuperbia incremẽtum & pondus adiecerit. A Sacerdote autem, quem habemus in cælis, ſi pia humilitate perimantur,tota felicitate purgantur. Sed nõ contendo cum eis, qui aſſerunt hominem poſſe in hac vita ſine vllo peccato viuere, non contendo,non contradico. Fortaſſe enim ex noſtra miſeria magnos metimur, & comparantes noſmetipſos nobiſmetipſis, non intelligimus. Vnum ſcio, quod iſti magni, quales non ſumus, quales experti ſumus,quantò magni ſunt,tantò humiliant ſe in omnibus, vt coram Deo inueniant gratiam. Quanlibet enim magniſunt, non maior eſt ſeruus Domino ſuo, vel diſcipulus magiſtro ſuo. Et vtique ille eſt Dominus qui dicit, Omnia mihi tradita ſũt à Patre meo. & ille eſt Magiſter qui dicit, Venite ad me omnes qui laboratis, & diſcite à me. Et tamen quid diſcimus? Quoniam mitis ſum(inquit) & humilis corde.

Poſſe ſine peccato aliquem viuere Auguſt. non contendit.
2. Corin. 10
Eccleſiaſt. 3
Eccleſiaſt. 3
Ioan. 13 Matth. 11

Quæſtionum Veteris & noui Teſtamenti,Quæſtio.XX.

Nimia iuſtitia incurrit peccatum, temperata verò iuſtitia facit perfectos. Non enim ſine malitia eſt,qui multũ eſt iuſtus: quia ſi peccantibus ad ſingula reſpondeas, non deerit vbi pecces. denique temperata Dei iuſtitia eſt. Peccantibus enim aliquando ignoſcit, aliquãdo iraſcitur, aliquando reddit non quantum digni ſũt. Suffert enim eos vt ſint qui proficiant. Lex enim, quia ſeipſam mollire nõ poteſt, mitiganda eſt vt poſsit prodeſſe ſub ſe agentibus. Hic ergo iuſtus non eſt multum, qui Dei imitator eſt,

Eccle. 7 *Nimia iuſtitia incurrit peccatum.*

Libro ſecundo de peccatorum meritis & remiſsione,Cap.IIII.

Manet enim malum in carne noſtra, non natura, in qua diuinitus creatus eſt homo, ſed vitio quo voluntate prolapſus eſt,vbi amiſsis viribus, non ea qua vulneratus eſt, voluntatis facilitate ſanatur. De hoc malo dicit Apoſtol⁹, Scio quoniã nõ habitat in carne mea bonum. Cui malo nos nõ obedire præcipit cùm dicit, Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediẽdum deſyderiis eius. Si ergo his

Malum quod in carne noſtra manet,non natura ſed vitio voluntatis fit.
Rom.7
Rom.6

his desyderiis cõcupiscentię carnis, illicita voluntatis inclinatione consenserimus, ad hoc sanãdum dicimus, Dimitte nobis debita nostra, adhibentes remedium ex opere misericordiæ, in eo quod addimus, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vt autem non ei consentiamus, deprecamur adiutorium dicentes, Et ne nos inferas in tentationem. *Matt.6.*

Eodem libro, Cap. VI.

Nam qui dicunt esse posse in hac vita hominem sine peccato, nõ est eis continuò incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negauerimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel misericordiæ, qui hoc adiuuãdo efficit, derogabimꝰ. Sed alia quæstio est, vtrùm esse possit, alia vtrũ sit: alia si nõ est cùm possit esse, cur non sit: alia vtrùm qui omnino nunquam vllum peccatum habuerit, nõ solùm quisquam sit, verumetiam poterit aliquãdo esse vel possit. In hac quadripartita propositione quæstionum, si à me quęratur, vtrùm homo sine peccato possit esse in hac vita, cõfitebor posse per Dei gratiam, & liberum eius arbitrium, ipsum quoque & liberum arbitrium ad Dei gratiam, hoc est, ad Dei dona pertinere nõ ambigens, nec tãtùm vt sit, verumetiam vt bonum sit, id est, ad facienda Domini mandata conuertatur: atque ita Dei gratia non solùm ostendat quid faciendum sit, sed adiuuet etiam vt possit fieri quod ostenderit. Quid enim habemus quod nõ accepimus? Vnde & Hieremias dicit, Scio Domine, quia non est in homine via eius, nec viri est vt ambulet & dirigat gressus suos. His atque huiusmodi aliis innumerabilibus testimoniis dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum & adiuuandum quo fiat quod iubet, impossibile aliquid esse: ac per hoc potest homo, si velit esse sine peccato, adiutus à Deo. *Vtrùm sit homo sine peccato, vel vtrùm esse possit.* *1.Corinth.4.* *Hierem.10.*

Cap. VII. eodem libro.

Si autem quod secũdo loco posueram, quæratur vtrùm sit, esse nõ credo. Magis enim credo Scripturæ dicẽti, Ne intres in iudiciũ cum seruo tuo, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Et ideo misericordia Dei opus est, quæ superexaltat iudicio, quæ illi non erit, qui nõ facit misericordiam. Et quod Propheta cùm diceret, Dixi, pronuntiabo aduersum me delictum meum Domino, & tu dimisisti impietatem cordis mei: continuò subiunxit, Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tẽpore opportuno. Non ergo omnis peccator, sed omnis Sanctus. Vox enim Sanctorum est, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. *Hominem sine peccato esse non posse.* *Psalm.142.* *Iacobi 2.* *Psalm.31.* *1.Ioannis 1.*

Post pauca ibidem.

Ac per hoc in eo quod scriptũ est, Qui natꝰ est ex Deo nõ peccat, & nõ potest peccare, quia semẽ eius in ipso manet, & si quid aliud eodem modo dictũ est, multum falluntur, minus cõsyderando Scripturas. Non enim aduertunt eo quosq; fieri filios Dei, quo esse incipiũt in nouitate Spiritꝰ, & renouari in interiorẽ hominẽ secundum imaginem eius qui creauit eos. Nõ enim ex qua hora quisq; baptizatur, omnis vetus infirmitas eius absumitur: sed renouatio incipit à remissione omnium peccatorum. Et in quãtum quisque spiritalia sapit, qui iam sapit, intantum renouatur. Cætera verò in spe facta sunt, donec etiã in re fiant, vsque ad ipsius corporis renouationẽ in melioręm statũ immortalitatis & incorruptionis, qua induamur in resurrectione mortuorũ. Nã & ipsam Dominus regenerationem vocat, nõ vtique talem qualis fit per Baptismũ, sed in qua etiã in corpore perficietur quod nunc Spiritu inchoatur. In regeneratione, inquit, cùm sederit Filius hominis. *Regenerationẽ quid Dominus vocet.* *Matth.19.*

Post pauca eodem Capite.

Nam in Baptismo quanuis tota & plena fiat remissio peccatorum, tamen si cõtinuò tota & plena etiam hominis in æternam nouitatẽ mutatio fieret, non dico & in corpore, quod certè manifestum est adhuc in veterẽ corruptionem atque in mortem tendere: in fine verò postea renouãdum, quando tota nouitas erit: sed excepto corpore, si in ipso animo, qui est homo interior, perfecta in Baptismo nouitas fieret, nõ diceret Apostolus, Et si exterior homo noster corrũpitur, sed interior renouatur de die in diem. Profectò enim q de die in diem adhuc renouatur, nondum totus est renouatus, & in quãtum nondũ est renouatꝰ, intãtum adhuc in vetustate est. Proĩde ex hoc quòd in vetustate sunt adhuc, quãuis iam baptizati, ex hoc etiam adhuc sunt filii seculi. Ex hoc autẽ quòd in nouitate sũt, hoc est, ex plena & perfecta remissione peccatorũ: & quãtuncunque illud est quod spiritaliter sapiunt: eiq; cõgruos mores agunt, filii Dei sunt. Intrinsecus enim exuimus veterẽ hominem, & induimus nouum: quoniã ibi deponimus mẽdacium, & loquimur veritatem, & cętera quibus Apostolus explicat quid sit exui veterem hominem, & indui nouo, qui secundũ Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Et hoc vt faciant, iam baptizatos fideleśque adhortatur: quod adhuc monendi non essent, si hoc in Baptismo iam perfectè factum esset, & tamen factum est, sicut & salui facti sumus. Saluos enim nos fecit per lauacrum regenerationis. Sed alio loco dicit quemadmodum hoc sit factum. Non solùm (inquit) sed etiam nos ipsi primitias habentes Spiritus, & ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionẽ expectantes, redẽptionem corporis nostri. Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ videtur non est spes. quod enim videt quis quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. *Quid de die in die renouatur, nondum totus est renouatus.* *Ephes.4.* *Roman.8.*

Ibidem, Cap. VIII.

Adoptio ergo plena filiorum, in redẽptione fiet etiã corporis nostri. Primitias itaque Spiritus nunc habemus, vnde iam filii Dei reipsa facti sumus. In cæteris verò spe sicut salui, sicut *Quomodo peccare & nõ peccare dicantur fideles.*

innouati,ita & filii Dei,re autẽ ipsa quia nondum salui, ideo nondum plenè innouati, nondum etiam filii Dei,sed filii seculi. Profecimus ergo in renouationem iustámque vitam, per quæ filii Dei sumus. Et per hoc peccare omnino non possumus, donec totum in hoc transmutetur, etiam illud per quod adhuc filii seculi sumus. Per hoc enim & peccare adhuc possumus. Ita fit,vt &qui natus est ex Deo,nõ pec
1.Ioan.1,& 3. cet. Et si dixerimus quia peccatum non habemus,nosipsos seducim⁹,& veritas in nobis nõ est. Consumetur ergo quod filii carnis & seculi sumus,& perficietur quod filii Dei & Spiritu renouati sumus. Vnde idem Ioannes, Dilectissimi, inquit, filii Dei sumus, & nondum apparuit quod erimus. Quid est hoc sumus & erimus:nisi quia sumus in spe,erimus in re?

Eodem libro,Cap.X.

Non igitur contrarium est testimonium illud quod dictũ est, Qui natus est ex Deo non peccat,ei testimonio quo iam natis ex Deo di-
1.Ioan.1,& 3. citur, Si dixerimus quia peccatum non habemus,nosipsos decipimus,& veritas in nobis nõ est. Quãdiu enim homo,quãuis totus spe iam & iam in re ex parte, in regeneratione spiritali innouatus, adhuc tamen portat corpus quod
Sapient.6. corrumpitur & aggrauat animam, quid quô pertineat,& quid vnde dicatur,etiã in vno ho-
Ezech 14. mine distinguendum est. Nam vt ego arbitror, non facilè cuiquam Scriptura Dei,tam magnũ iustitiæ perhibet testimonium,quàm tribus fa-
In Noe,Daniele,& Iob tres status intelliguntur. mulis eius, Noe, Daniel,& Iob, quos in Ezechiele Propheta dicit ab imminẽte quadam iracundia Dei, solos posse liberari: in tribus vtique illis viris, tria quædam hominum liberanda genera prefigurans. In Noe,quãtum arbitror,iustos plebium prepositos,propter arcę tanquam Ecclesiæ gubernationem. In Daniele iustos cõtinentes. In Iob iustos coniugatos. Et si quis est fortè alius intellectus, de quo nunc
Genes.9. non est necesse disquirere. Veruntamen quãta isti iustitia præminuerunt,& hoc prophetico & aliis diuinis testimoniis satis apparet. Nec ideo quisquam sobrius dixerit ebrietatem non esse peccatum,quę tamen subrepsit tanto viro. Nam Noe,sicut legimus,fuit aliquãdo ebrius,
Daniel.9. quanuis absit vt fuerit ebriosus. Daniel verò post orationem quam fudit Deo,de seipso dicit,Cùm orarẽ & cõfiterer peccata mea,& peccata populi mei,Domino Deo meo, &c. Iob autem post tam magnum de illo iustitiæ testi-
Iob 9. moniũ Dei,quid dicat ipse videamus. In veritate(inquit) scio,quia ita est,quemadmodũ iustus erit homo ante Deum: si autem velit contendere cum eo,non poterit obedire ei.

Cap.XIII.eodem libro.

Sunt ergo in terra iusti,sunt magni, fortes, prudentes, continentes, patientes,pii, misericordes,temporalia mala omnia propter iustitiam æquo animo tolerantes. Sed si verũ est,
1.Ioannis 1. imò quia & verum est, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus: &, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens:non sunt sine peccato,nec quisquam eo- *Psalm.142 Non iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens.*
rum tam arrogãter insanit,vt non sibi pro suis qualibuscunque peccatis Dominica oratione opus esse arbitretur.

In fine,eodem Cap.

Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus,& si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus vobis reuelabit. Veruntamen in quod peruenimus in eo ambulemus. Ambulatio ista,non corporis pedibus,sed mentis affectibus,& vitæ moribus geritur,vt possint esse perfecti iustitiæ possessores, qui recto itinere fidei de die in diem sua renouatione proficientes, iam perfecti facti sunt eiusdem iustitiæ viatores. *Philip.3*

Cap.XIIII.

Sic itaque omnes quicunque in hac vita diuinarum Scripturarum testimoniis,in bona volũtate atque actibus iustitiæ prædicati sunt, & quicunque tales vel post eos fuerunt, quanuis non eisdem testimoniis prædicati, atque laudati, vel nunevsque etiam sunt, vel postea quoque futuri sunt: omnes magni, omnes iusti, omnes veraciter laudabiles sunt. Sed sine peccato aliquo non sunt, quoniam Scripturarum testimoniis, quibus de illorum laudibus credimus, hoc etiam credimus non iustificari in conspectu Dei omnem viuentem. Et ideo rogari ne intret in iudicium cum seruis suis. & non tantum vniuersaliter fidelibus omnibus, verumetiam singulis esse orationem Dominicam necessariam, quam tradidit discipulis suis. Attamen Dominus ait,Estote perfe *Marc.9*
cti, sicut Pater vester cælestis perfectus est. Quod non præciperet, inquiunt, si sciret fieri non posse quod præcipit. Non nunc quæritur vtrùm fieri possit, si istam perfectionem ad hoc suscipiunt,vt sine vllo sit quisque peccato, cùm hãc agit vitã. Iam enim suprà respõdimus posse fieri. Sed vtrùm aliquis faciat hoc nunc quærimus. Neminem autem esse qui tantum velit quãtum res exigit, antè prænotum est, sicut Scripturarum,quæ suprà commemoraui testimonia tanta declarant.

Cap.XV.

Et tamen cùm dicitur cuiusque perfectio, qua in re dicatur videndum est. Nam ex Apo- *Qua in re dicatur cuiusque perfectio.*
stolo testimonium paulò antè posui, vbi se fatetur in acceptione iustitiæ quam desyderat, nondum esse perfectum. Et tamen continuò dicitur, Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus. *Philip.3.*
Quod vtrunque non diceret,nisi in alia re perfectus esset, in alia non esset. Velut si iam sit quisquam sapientiæ perfectus auditor, quod nondũ erant illi quibus dicebat, Lac vobis po- *1.Corint.3.*
tũ dedi nõ escã,nondũ enim poteratis, sed nec adhuc quidẽ potestis. Eis quippe & illud ait, Sapientiã loquimur inter perfectos,vtiq; perfectiores auditores volẽs intelligi. Potest ergo fieri,sicut dixi, vt iam sit aliquis sapientiæ perfectus auditor, cuius nondum sit perfectus & doctor. Potest perfectus esse iustitiæ cognitor, nõdum

nondũ perfectus effector. Potest perfectus esse vt diligat inimicos, qui nõdum est perfectus vt sufferat. Et qui perfectus est in eo quod omnes homines diligit (quippe qui etiã ad inimicorũ dilectionẽ peruenerit) quæritur vtrùm iam sit in ipsa quoq; dilectione perfectus, id est, vtrùm quos diligat, tantum diligat, quantum illa incommutabilis regula veritatis diligendos esse prescripsit. Cùm ergo legitur in Scripturis cuiusque perfectio, qua in re dicatur, non negligenter intuẽdum est: quoniam non ideo quisque prorsus sine peccato esse intelligitur, quia in aliqua re dicitur esse perfectus. quãquam & in hoc posset ita dici, vt non quia iam non est quo proficiat, sed quia ex maxima parte proficit, hoc nomine dignus habeatur. Sicut in doctrina Legis potest dici quisquam perfectus, etiamsi eum adhuc aliquid latet. Sicut perfectos dicebat Apostolus, quibus tamen ait, Et si quid aliter sapitis, id quoque vobis Deus reuelabit. Veruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus.

In aliqua re perfectus, non tamen est sine peccato.

Cap. XVI.

Neque negandum est hoc Deum iubere, ita nos in faciẽda iustitia esse debere perfectos, vt nullum habeamus omnino peccatũ. Nam neque peccatum erit, si quid erit, si non diuinitus iubeatur vt non sit. Cur ergo iubet, inquiunt, quod scit nullum hominem esse facturũ? Hoc modo etiam dici potest, cur primis illis hominibus iusserit, qui duo soli erant, quod sciebat eos non esse facturos. Neque enim dicendum est, ideo iussisse, vt nostrùm aliquis id faceret, si illi nõ facerent. Hoc enim, ne de illa scilicet arbore cibũ sumerẽt, non nisi illis solis Deus iussit, quia sicut sciebat quid iustitiæ facturi non erãt, ita etiam sciebat, quid iustitiæ de illis ipse erat factur⁹. Eo modo ergo iubet omnibus hominibus, vt nõ faciant vllum peccatũ (quanuis sit prescius neminem hoc impleturum) vt quicunque impiè ac damnabiliter eius præcepta contempserint, ipse faciat eorum damnatione quod iustũ est. Quicũque autem in eis præceptis obedientes & piè proficientes, nec tamen omnia quæ præcepit implẽtes, sicut sibi dimitti volũt, sic aliis peccata dimiserint, ipse faciat in eorum mundatione quod bonum est.

Quæ homines non sunt simpliciter, Deus quæ se iubeat.

Philip. 3. Genes. 2.

Matth. 6.

Eodem Capite in fine.

Vnde & ipsi qui contra hæc disputant, cùm sint casta vita moribúsque laudabiles, nec dubitent facere quod illi diuiti pro consequenda vita æterna consilium requirenti, quum se respondisset iam omnia Legis impleuisse mãdata, præcepit Dominus, si vellet esse perfectus, venderet omnia quæ haberet, & daret pauperibus, thesaurúmque transferret in cælum. nemo tamen eorum audet dicere se esse sine peccato. Quod sicut credimus non fallaci animo dicunt. Si autem mẽtiuntur, eo ipso incipiunt vel augere, vel habere peccatum.

Cap. XVII.

Iam ergo quod tertio loco posui videamus. Quum voluntate humana, gratia adiuuante diuina, sine peccato in hac vita possit homo esse, cur nõ sit. Possem facillimè ac veracissimè respondere, quia homines nolunt. Sed si ex me quæritur quare nolint, imus in longum. Veruntamen etiam hoc sine præiudicio diligentioris inquisitionis breuiter dicam, Nolũt homines facere quod iustum est, siue quia latet an iustum sit, siue quia non delectat. Tantò enim quidque vehementius volumus, quantò certius quàm bonum sit nouimus, eóque delectamur ardentius. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moueatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Vt autem innotescat quod latebat, & suaue fiat quod non delectabat, gratię Dei est, quæ hominum adiuuat voluntates, qua vt non adiuuentur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, siue damnandi prædestinati sunt propter iniquitatem superbiæ, siue contra ipsam suam superbiam iudicandi & erudiendi, si filii sint misericordiæ.

Quare dicãtur homines posse esse sine peccato cùm non sint.

Cap. XX.

Quartum iam illud restat, quo explicato, quantum adiuuat Dominus, sermo quoque iste tam prolixus tandem terminum sumat, Vtrùm qui omnino nunquam vllum peccatum habuerit habiturúsve sit, non solùm quisquam natorum sit hominum, verumetiam potuerit esse aliquando vel possit. Hunc prorsus præter vnum Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, nullum vel esse vel fuisse, vel futurum esse, certissimum est. Vnde iam multa diximus de Baptismo paruulorum, qui si nullum peccatum habent, non solùm sunt homines innumerabiles sine peccato, verũetiã fuerunt & erunt. Porrò si veraciter illud constitit, vnde secundo loco egimus, neminem esse sine peccato: profectò nec paruuli sine peccato sunt. ex quo conficitur, & si quisquam in hac vita esse potuisset, qui virtute ita perficeretur, vt ad tantam plenitudinem iustitiæ perueniret, qua nullum omnino haberet peccatum, fuisse tamen eum antea peccatorem, vnde in istam nouitatem vitæ conuerteretur.

1. Timoth. 2.

Præter Christum nullum fuisse, esse, vel futurum esse sine peccato.

Cap. XXVIII.

Hæc autem lex peccati, quod etiam peccatum appellat Apostolus, cùm dicit, Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desyderiis eius: non sic manet in membris eorum, qui ex aqua & Spiritu renati sunt, tanquam non sit eius facta remissio, vbi omnino plena & perfecta fit remissio peccatorum, omnibus inimicitiis interfectis, quib⁹ separabamur à Deo: sed manet in vetustate carnis tanquam separatum & peremptũ, si non illicitis consensionibus quodãmodo reuiuiscat, & in regnũ proprium dominationém que reuocetur. Ab hac autem vetustate carnis, in qua est lex ista peccati, vel peccatum iam

Roman. 6.

remissum, vsqueadeò Spiritu vita discernitur, in cuius nouitate baptizati per Dei gratiam renascuntur, vt parum fuerit Apostolo dicere, tales non esse in peccato, nisi etiam diceret in ipsa carne non esse, antequam ex hac mortali vita migrarent. Qui enim in carne (inquit) sunt, Deo placere non possunt: vos autem non estis in carne, sed in Spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.

Roman. 8. *In quibus Spiritus Dei habitat, in carne nō sunt.*

De Spiritu & litera, Cap. XXXVI.

Proinde hoc erit primum præceptum iustitiæ, quo iubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, cui est de proximo diligendo alterum consequens, quod in illa vita complebimus, quum videbimus facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est, vt admoneremur quid fide exposcere, quò spem præmittere, & obliuiscendo quæ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc, quantum mihi videtur, in ea quæ perficienda est iustitia, multum in hac vita ille profecit, qui quàm longè sit à perfectione iustitiæ proficiēdo cognouit. Sed dici potest quædam iustitia minor huic vitæ competens, qua iustus ex fide, quanuis peregrinus à Domino, & ideo per fidem ambulans, nōdum per speciem, non absurdè dicitur, etiam ad istam pertinere ne peccet.

Præceptum dilectionis in altera vita complebitur.

1. Corinth. 13.

Abacuc 2. Roman 1. 2. Corinth. 2.

De natura & gratia contra Pelagianos, Cap. I.

Omnes peccauerunt & egent gloria Dei, iustificati gratis per sanguinē ipsius. Quicunque autem non putantur pertinere ad hos omnes qui peccauerunt & egēt gloria Dei: profectò nullam necessitatem habent vt Christiani fiant: quia non est opus sanis medicus, sed ægrotantibus. Vnde non venit ille vocare iustos, sed peccatores.

Roman. 5. *Qui nō peccasse se æstimat, non necesse est vt Christianus fiat.*

Matth. 9.

Cap. XIIII.

Non sine causa, cùm aliquoties in Scripturis inueniatur homines dictos esse sine querela, non inuenitur qui sit dictus sine peccato, nisi vnus solus, de quo apertè dictū est, Eum qui non nouerat peccatum. Et eo loco vbi de sacerdotibus agebatur, Etenim expertus est omnia, secundum similitudinem absque peccato, in illa scilicet carne, quæ habebat similitudinem carnis peccati, quanuis non esset caro peccati. Quam tamen similitudinem nō haberet, nisi cætera omnis esset caro peccati.

Sapient. 8. *Non legitur homo dictus sine peccato.* 2. Corinth. 5.

Hebr. 4.

Roman. 8.

Cap. XVI. in fine.

Sanat ergo Deus, nō solùm vt deleat quod peccauimus, sed vt præstet etiam ne peccemus.

Deus præstat ne peccemus.

Cap. XXXIIII.

Absit autem vt ei dicamus, quod à quibusdā contra se dici ait, Comparari hominem Deo, si absque peccato esse asseratur: quasi verò Angelus quia absque peccato est, cōparetur Deo. Ego quidē hoc sentio, quia etiā cùm fuerit in nobis tanta iustitia, vt ei addi omnino nihil possit, non æquabitur creatura Creatori. Si autē aliqui putant tantum nostrum futurum esse proiectum, vt in Dei substantiam cō uertamur, & hoc efficiamur prorsus quod ille est, viderint quemadmodum adstruant sententiā suam: mihi hoc fateor non esse persuasum.

Ibidem in fine.

Non ergo debemus sic laudare Creatorem, vt cogamur dicere, imò verò conuincamur dicere superfluum Saluatorem. Naturam itaque hominis dignis laudibus honoremus, eāsque laudes ad Creatoris gloriā referamus. Sed quia nos creauit, ita simus grati, vt non simus quia sanat ingrati. Vitia sanè nostra quæ sanat, non diuino operi, sed humanæ voluntati, iustęque illius vindictæ tribuamus.

Saluat nos Deus.

Cap. XXXV.

Quorundam sanè exempla quos peccasse legimus, non ideo scripta dicit, qui sanum sapit, vt ad desperationem non peccandi valeāt, & securitatem peccandi nobis quodammodo præbere videātur: sed vt disceremus, vel pœnitendi humilitatem, vel etiam in talibus lapsib⁹ non desperandam salutem.

Exempla patrum peccatū ad quid proposita.

Ibidem in fine.

Sed acutè videtur interrogare, quomodo istos Sāctos de hac vita abiisse credendum sit, cum peccato, an sine peccato. Vt si responsum fuerit, Cū peccato, putetur eos secuta damnatio: quod nephas est credere. Si autem sine peccato dictum fuerit eos exisse de hac vita, probet hominem saltem appropinquante morte, fuisse sine peccato in hac vita. Vbi parum attendit, cùm sit acutissimus, non frustra etiam iustos in oratione dicere, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: Dominúmque Christum cùm eādem orationem docendo explicuisset, veracissimè subdidisse, Si enim dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis Pater vester peccata vestra. Per hoc enim quotidianum spiritale quo dammodo incensum, quod ante Deum in altari cordis, quod sursum habere admonemur, infertur, etiam si non hīc viuatur sine peccato, licet mori sine peccato, dum subinde venia delet tur, quod subinde ignorantia vel infirmitate committitur.

Matth. 6.

Cap. XXXVI.

Deinde commemorat eos, qui non modò non peccasse, verumetiam iustè vixisse referūtur, Abel, Enoch, Melchisedech, Abrahā, Isaac, Iacob, Ioseph, Ies⁹ Naue, Phinees, Samuel, Nathā, Helias, Heliseⁿ, Micheas, Daniel, Ananias, Azarias, Misael, Ezechiel, Mardochæus, Simeon, Ioseph, cui desponsata erat virgo Maria, Ioannes. Adiungit etiam fœminas, Delboram, Annam Samuelis matrem, Iudith, Hester, alterā Annam filiam Phanuel, Elisabeth, ipsam etiam Domini & Saluatoris nostri matrem, quam dicit sine peccato confiteri necesse esse pietati. Excepta itaque sancta virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam

nullam prorsus cùm de peccatis agitur habere volo quæstionem. Vnde enim scimus, quòd plus ei gratiæ collatum fuerit ad vincẽdum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum? Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos & Sanctas, quum hìc viuerent congregare possemus, & interrogare vtrùm essent sine peccato, quid fuisse respõsuros putamus? Vtrùm hoc quod iste dicit, an quod Ioannes Apostolus? Rogo vos quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, vna voce clamassent, Si dixerimus quia peccatũ nõ habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis nõ est. An illud humilius fortasse respondissent, quàm verius? Sed huic iã placet, & rectè placet, laudem humilitatis in partem non ponere falsitatis. Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum: quod humiliter quia faterentur, veritas in eis esset. Si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum: quia veritas in eis non esset.

Sancti omnes si interrogarentur, faterentur se sine peccato non esse.

1. Ioan. 1.

Cap. XLII.

Nam neque illud nimis curo, vtrùm fuerint hìc aliqui, vel sint, vel esse possint qui perfectam, cui nihil addendum esset, habuerint, vel habeant, vel habituri sint charitatem Dei. Ipsa est enim verissima, plenissima, perfectissimáque iustitia: quoniam id quod volũtate hominis adiuta per Dei gratiam fieri posse confiteor & defendo, quãdo, vel vbi, vel in quo fiat, nimium certare non debeo.

Voluntas hominis adiuta per Dei gratiam, omnia potest.

Cap. LXII.

Et ipse Hilarius, quum locum Psalmi exponeret, vbi scriptum est, Spreuisti omnes discedentes à iudiciis tuis, ait, Si enim Deus peccatores sperneret, omnes vtique sperneret: quia sine peccato nemo est. Sed spernit discedentes à se, quos apostatas vocat. Videtis quemadmodum non dixerit, quia sine peccato nemo fuerit, tanquam de præteritis loquens: sed quòd sine peccato nemo sit. Vnde quidẽ (vt dixi) nõ contendo. Quisquis enim non cedit Ioanni Apostolo, qui nec ipse ait, Si dixerimus quia peccatum non habuimus, sed nõ habemus: Episcopo Hilario quomodo cessurus est?

Hilarij verba. Psalm. 118.

Sine peccato nemo est.

1. Ioan. 1.

De Spiritu & litera, ad Marcellinum, Cap. I.

Lectis opusculis quæ ad te nuper elaborauì, fili charissime Marcelline, de Baptismo paruulorum, & de perfectione iustitiæ hominis, quòd eã nemo in hac vita, vel assecutus vel assecuturus videatur, excepto vno Mediatore, qui humana perpessus est in similitudine carnis peccati, sine vllo omnino peccato: rescripsisti te moueri, eò quòd in posteriore duorũ libro, fieri posse dixi, vt sit homo sine peccato, si voluntas eius non desit, ope diuina adiuuante: sed tamen præter vnum, in quo omnes viuificabũtur, neminem fuisse vel fore, in quo hìc viuente esset ista perfectio. Absurdum enim tibi videtur dici aliquid fieri posse, cuius desit exemplum: quum, sicut credo, nõ dubites nunquam esse factum, vt per foramen acus camelus transiret: & tamen ille hoc quoque dixit, Deo esse posse. Legas etiam duodecim milia legiones Angelorum pro Christo, ne pateretur, pugnare potuisse, nec tamen factum. Legas fieri potuisse, vt semel gẽtes exterminarentur à terra quæ dabatur filiis Israel, Deum tamen id paulatim fieri voluisse. Et alia sexcenta possunt occurrere, quæ fieri vel potuisse vel posse fateamur: & eorum tamẽ exempla, quòd facta sint, proferre nequeamus. Vnde nõ ideo negare debemus fieri posse vt homo sine peccato sit, quia nullus est hominum præter illum, qui non tantùm homo, sed etiam Deus est, in quo id perfectum esse demonstrare possimus.

Fieri aliquid posse, etiamsi desit exẽplum, probatur.

Matth. 19.

Matth. 26.

Lib. I. contra Pelag. & Cæles. de gratia Christi, Cap. XLVIII.

Illud autem propter quod sic laudauit sanctum Ambrosiũ Pelagius, quia scilicet in scriptis eius inuenit ex laudibus Zachariæ & Elizabet posse hominem in hac vita esse sine peccato (quanquam negandum non sit, si hoc velit Deus, apud quem sunt omnia possibilia) consyderet tamen diligentius quemadmodum dictum sit. Dictum enim est, quãtum mihi videtur, secundum quandam inter homines cõuersationem probabilem atque laudabilẽ, quam nullus hominum iustè posset in accusationis & criminationis querelam vocare: quam propter ea in Dei conspectu Zacharias & eius vxor habuisse referuntur, quia in ea homines nulla dissimulatione fallebant, sed vt apparebant hominibus, ita noti erãt oculis Dei. Non autem dictum est hoc secundum illam perfectionem iustitiæ, in qua verè atque omnino immaculati perfectíque viuemus. Nã & Apostolus Paulus dixit, Secundum iustitiam quæ ex Lege est, se fuisse sine querela: in qua Lege etiam Zacharias sine querela conuersabatur. Sed hanc Apostolus iustitiam in stercoribus & detrimentis deputauit, in comparatione iustitiæ quam speramus, & quam nunc esurire & sitire debemus, vt ea quãdoque saturemur in specie, quæ nunc est in fide, quandiu iustus ex fide viuit.

Luc. 1.

Zacharias & Elizabeth sine querela fuerunt.

Cap. XLIX.

Conuersatio nostra in cælis est. Hunc ergo sensum beatus Ambrosius explicãs, Perfectos, inquit, secum multos ait Apostolus, in hoc adhuc mundo sitos, qui si ad perfectionem veram respicias, perfecti esse non poterant, quia ipse dixit, Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.

Philip. 3.

Hìc nemo absolutè perfectus.

1. Corinth. 13.

Ad Hieronymum, Epist. XXIX.

Non iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens, & tamen iustus ex fide viuit. Et induti sunt Sancti iustitia, alius maius, alius minus. Et nemo hìc viuit sine peccato. Et hoc alius maius, alius minus. Optimus autem est, qui

Psalm. 142.

minimum. Et vt generaliter breuitérque complectar quam de virtute habeam notionem, quod ad rectè viuendum attinet: virtus est charitas, qua id quod diligendum est, diligitur. Hæc in aliis maior, in aliis minor, in aliis nulla est. Plenissima verò quæ iam non possit augeri, quàdiu hic homo viuit est in nemine: quandiu autem augeri potest, profectò illud quod minus est quàm debet, ex vitio est. Ex quo vitio nō iustus in terra, qui faciat bonum & non peccet. Ex quo vitio non iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens. Propter quod vitiū si dixerimus quia peccatum nō habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Propter quod etiam quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere, Dimitte nobis debita nostra: quum iam omnia in Baptismo dicta, facta, cogitata dimissa sint. Quis itaq; nō rectè videt, vnde & quādo, & vbi spērāda sit illa perfectio, cui non sit quod adiici possit?

Plenissima charitas in nemine in hac mūdo est.

3. Regum 8.

Psalm. 142.

1. Ioan. 1.

Matth. 6.

In eadem Epistola, sub fine.

Tunc perfecti sumus in charitate, quando nihil restat de infirmitate.

Ad Macedonium, Epist. IIII.

Cùm igitur super peccatores tanta sit patientia, tanta misericordia Dei, vt in hac temporali vita, moribus emendatis, non damnentur in æternū (qui nullius quæ sibi præbeatur expectat misericordiam: quoniam nemo est illo beatior, nemo potētior, nemo iustior) quales nos esse oportet homines erga homines, qui hanc vitam nostram quantacunque laude commēdemus, eam sine peccato esse non dicimus? Quod si dixerimus, nosipsos (sicut scriptum est) decipimus, & veritas in nobis nō est.

Sine peccato non sumus. 1. Ioan. 1.

Post pauca idem.

Dimitte nobis debita nostra. Hanc orationem baptizati orāt, nec est prorsus præteritorum aliquid peccatorum, quod non baptizatis in sancta Ecclesia dimittatur. Sed postea viuēdo in hac fragilitate mortali, nisi contraherent quod dimittendū esset, non veraciter dicerent, Dimitte nobis debita nostra. Boni ergo inquātum non peccant, filii Dei sunt: inquantum autem peccant (quod sua non mēdaci confessione testantur) vtique mali sunt. Nisi fortè quis dicat, alia bonorum, alia malorum esse peccata. quod non vsquequaque improbabiliter dicitur. Veruntamen Dominus Iesus sine vlla ambiguitate malos appellauit eosdēipsos, quorum Patrem dicebat Deum. Nam in eodē sermone, vbi illam docet orationem, alio loco exhortans ad precādum Deum, ait, Petite, & accipietis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.

Baptizatorum oratio.

Matth. 7.

Et paulò pòst.

Si ergo vos, cùm sitis mali, inquit, nostis bona dare filiis vestris, quātò magis Pater vester qui in cælis est, dabit bona petētibus se? Num igitur Deus pater malorū est? Absit. Quomodo ergo dicitur Pater vester cælestis, quibus dicitur, Cùm sitis mali, nisi quia vtrunque veritas monstrat, quid simus Dei dono, quid humano vitio, hoc commendans, illud emendās? Meritò ait Seneca (qui temporibus Apostolorum fuit, cuius etiam quædam ad Paulum Apostolum leguntur epistolæ) Omnes odit, qui malos odit: & tamen ideo diligendi sunt mali, vt non sint mali: quemadmodum vt nō permaneant, sed vt sanētur, diliguntur ægroti. Quidquid autē post eam quæ fit in Baptismo ablutionem peccatorum in hac vita manendo peccamus, etiam si non tale sit, quod à diuinis remouere compellat altaribus, non dolore sterili, sed misericordiæ sacrificiis expiatur.

Seneca ad Paulum dicitur scripsisse epistolas.

Ad Innocentium Papam, Epistola XCII.

Noua hæresis & nimium pernicioſa tempestas surgere inimicorum gratiæ Christi cœpit, qui nobis etiam Dominicā orationem in piis disputationibus conantur auferre. Cùm enim Dominus docuerit vt dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: isti dicunt posse hominē in hac vita præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem iustitiæ, sine adiutorio gratiæ Saluatoris per solum liberum voluntatis arbitrium peruenire, vt ei non sit iam necessarium dicere, Dimitte nobis debita nostra. Illud verò quod sequitur, Ne nos inferas in tentationem: non ita intelligendū tanquam diuinum adiutoriū poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus: sed hoc in nostra positum esse potestate, & ad hoc implendum solam sufficere voluntatem hominis: tanquam frustra Apostolus dixerit, Non volentis, neque currētis, sed miserātis est Dei: &, Fidelis Deus, qui non permittet vos tentari super id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam exitum, vt possitis sustinere: frustra etiam Dominus dixerit Apostolo Petro, Rogaui pro te, ne deficiat fides tua: & omnibus suis, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem: si hoc totum est potestatis humanæ.

Pelagiana hæresis oritur.

Luca 22

In Psalmum VII. versu subsequenti.

Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis: si reddidi retribuentibus mihi mala: quod non potest verè dicere nisi perfectus. Ait quippe Dominus, Estote perfecti, sicut Pater vester qui in cælis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Qui ergo non reddit retribuentibus mala, perfectus est, &c.

Perfectus est qui non reddit retribuentibus mala.

Matth. 5

In Psalmum XXXVIII.

Apostolus Paulus de sua imperfectione confitebatur, aliud in se intuēs, aliud alibi quęrens. Ait enim, Non quia iam acceperim, aut iam perfectus sim, fratres: ego meipsum arbitror non apprehendisse. Et ne diceres, Si non apprehēdit Apostolus, ego apprehendi: si perfectus

Philip. 3

fectus non est Apostolus,ego perfectus sum: vi
Quomodo intelligendum, Apostolum nõdum apprehendisse. de quid agas, attende quid dicas. Quid ergo
ais Apostole? nondum apprehendisti? nondum
perfectus es? Quid ais? Ad quam actionem me
hortaris? quid mihi imitandum loquendúmque proponis? Vnum autem, inquit, quæ retro
sunt oblitus, in ea quæ antè sunt extentus, secundum intẽtionem sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Secundum
intentionem, non secũdum peruentionẽ, nondum secundum apprehensionem. Non relabamur vnde iam transiuimus, nec remaneamus
in illis, in quæ iam venimus. Curramus, intendamus, in via sumus, nec tam sis securus ex eis
quæ transisti, quàm solicitus pro eis ad quæ
nondum peruenisti.

In Psalmum XCIII.

Toleret ergo iustus iniustũ, toleret temporalem impunitatem iniusti, temporalis labor
iusti. Sed iustus ex fide viuit. Non enim est alia
Iustitia hominis in hac vita iustitia hominis in hac vita, nisi ex fide viuere,
quæ per dilectionem operatur.

In Psalm. CXXII.

Quandiu enim corpus hoc esurit & sitit,
quandiu corpus hoc vigilando fatigatur, stando fatigatur, quocunque se verterit ad subsidium fatigationis, ibi inuenies aliã fatigationem. Non est ergo perfecta sanitas, nec in ipso
1. Corinth. 15. corpore. Quæ autem vera sanitas? Cùm absorpta fuerit mors in victoria, & cùm hoc corruptibile induerit incorruptionem, & mortale
hoc induerit immortalitatem: tunc erit vera sa
Post hanc vitã erit vera & perfecta iustitia. nitas, tunc erit perfecta & vera iustitia, vt nihil mali non solùm facere, sed nec cogitare possimus. Modò autem inopes, pauperes, egentes,
dolentes, suspiramus, gemimus, oramus, leuamus oculos ad Deum: quoniam & illi qui felices sunt in hoc mundo, despiciunt nos. Et iustitia est in corde ipsorum, sed falsa: ideo non
perueniunt ad veram, quia repleti sunt falsa.
Tu autem vt peruenias ad veram, esto egens &
mendicus ipsius iustitiæ. Et audi Euangelium,
Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiã: quoniam
Matth. 5. ipsi saturabuntur.

In Psalmum XXXVIII.

Nemo perfectus in hac vita. Nemo se dicat perfectum hîc. Decipit se,
fallit se, seducit se. non potest hìc habere perfectionem. Multa quidem transiliui: sed si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos se-
1. Ioan. 1. ducimus, & veritas in nobis nõ est. Multa tran
Matth. 6. siliui: sed adhuc tundo pectus, & dico, Dimitte
nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus
debitoribus nostris. Tu ergo expectatio mea,
Rom. 10. finis meus. Finis enim Legis Christus, ad iustitiam omni credenti. Ab omnibus, non solùm
ab eis, ne reuoluar in ea quæ transiliui: sed ab
omnibus omnino propter quæ mihi modò pectus tundens dico, Dimitte nobis debita nostra: ab omnibus iniquitatibus meis erue me, ita sapientem & tenentem quod ait Apostolus,
Philip. 3. Quotquot ergo perfecti sum°, hoc sapiamus.
Cùm se diceret nondum esse perfectũ, ibi continuò secutus, ait, Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus. Quid est Quotquot perfecti? Iamdudum tu dixeras, Non quia iam acceperim, aut iã perfectus sim. Sequere ordinẽ dictorum, Vnum autem, quæ retro oblitus, in
ea quæ antè sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis
Dei in Christo Iesu. Ideo nondum perfectus,
quia sequitur ad palmam supernæ vocationis
Dei, quam nondum inuenit, ad quam nondum
peruenit. Si autem non est perfectus qui non
illuc peruenit, quis nostrùm perfectus est? Tamen sequitur, & ait, Quotquot ergo perfecti,
hoc sapiamus. Tu non es perfectus Apostole,
& nos perfecti? Sed excidit vobis quia se modò perfectum dixit. Non enim ait, Quotquot
estis perfecti, hoc sapiatis: sed, Quotquot, inquit, perfecti, hoc sapiamus: cùm paulò antè di
Hic perfectus est, qui imperfectus se agnouit. xisset, Non quia iam acceperim, aut iam perfectus sim. Aliter ergo hic non potes esse perfectus, nisi scias hìc te non esse posse perfectum.
Hæc ergo erit perfectio tua, sic te quædã transiliisse, vt restet aliud ad quod omnibus transactis transiliendum est. Hæc tota fides est. Nam
quisquis se peruenisse putat, in alto se ponit vt
cadat. Quia ergo ita sapio, quia me & imperfectum dico & perfectum: imperfectum quidem,
quia nondum aliquid accepi quod volo, perfectum autẽ, quia scio hoc ipsum quod mihi desit: quia ergo sic sapio, quia humana contemno, quia lætari in rebus pereũtibus nolo, quia
irrideor ab auaro iactante se quòd prudens sit,
& me irridente quòd desipiam, quia sic ago,
quia hanc viam carpo, &c. Opprobrium, inquit, insipienti dedisti me.

Lib. I. contra duas epist. Pelagia. ad Bonifacium, Cap. XIIII.

Neque enim quisquam sic desipit, vt dicat ad baptizatos Dominicum illud non per-
Luc. 6. Mittes sit sine crimine, nã sine peccato esse nequit. tinere præceptum, Dimittite, & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis. Nullus autem in Ecclesia rectè posset ordinari minister, si dixisset
Apostolus, Si quis sine peccato, vbi ait, Si quis
sine crimine est. Aut si dixisset, Nullum peccatum habentes, vbi ait, Nullum crimen habentes. Multi quippe baptizati fideles sunt sine
crimine, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim, quantalibet Pelagiani, quia hæc
dicimus, aduersum nos inflentur & dirumpantur insania. Non quia peccati aliquid remaneat, quod in Baptismate non remittatur:
sed quia in nobis in huius vitæ infirmitate manentibus, quotidie fieri non quiescunt, quæ fideliter orantibus, & misericorditer operantibus quotidie remittantur. Hæc est fidei catholicæ sanitas, quam sanctus vbique seminat Spiritus, non prauitatis hæreticæ vanitas, & præsumptio spiritus.

Libro II. contra easdem, Cap. V.

Non quia acceperim, ait Apostolus, aut *Philip. 3.*

iam perfectus sim. Fratres, ego meipsum arbitror non apprehendisse. Et paulò pòst tamen, qui se negauerat esse perfectum, Quotquot ergo perfecti, inquit, hoc sapiamus: vt ostenderet secundum istius vitæ modum esse quandam perfectionem, eíque perfectioni hoc quoque deputari, si se quisque nouerit nondum esse perfectum. Quid enim excellentius in veteri populo sacerdotibus sanctis? Et tamen eis præcepit Deus sacrificium primitus pro suis offerre peccatis. Et quid sanctius in nouo populo Apostolis? Et tamen præcepit eis Dominus in oratione dicere, Dimitte nobis debita nostra. Omnium igitur piorum sub hoc onere corruptibilis carnis, & in istius vitæ infirmitate gementium, spes vna est, quòd Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est exoratio peccatorum nostrorum.

In hoc seculo quædam perfectio est.

1 Ioan. 2.

Eodem lib. Cap. VII. in fine.

Quocirca post resurrectionẽ hominis, futuram negare iustitiæ plenitudinẽ, & putare tantam futuram esse iustitiam in corpore vitæ illius, quanta esse potest in corpore mortis huius, demẽtiæ singularis est. Non autem illic incipere homines, quæ hîc noluerint Dei mandata complere, verissimum est. Erit enim perfectissimæ plenitudo iustitiæ, non tamen hominum mandata sectantium, & ad eam plenitudinem proficiendo nitentium: sed in ictu oculi, sicut ipsa futura est resurrectio mortuorum: quoniam illa perfectæ magnitudo iustitiæ, eis qui hîc mandata fecerunt, præmium dabitur, non & ipsa facienda mandabitur. Sed ita dixerim, mandata fecerunt, vt ipsa mandata meminerimus pertinere ad orationẽ, in qua quotidie veraciter dicũt fãcti filii promissionis, Fiat voluntas tua: &, Dimitte nobis debita nostra.

Dementia est dicere homines in vita esse perfectos.

Lib. IIII. contra easdem, Cap. X.

Itaque fratres, inquit, dilectissimi, diuinæ indulgentiæ salubre munus, vt emũdandis purgandísque peccatis nostris, qui sine aliquo conscientiæ vulnere esse nõ possumus, medelis spiritalibus vulnera nostra curemus. Ne quisquã sic sibi de puro atque immaculato pectore blandiatur, vt innocẽtia sua fretus medicinam non putet adhibendã esse vulneribus, cùm scriptũ sit, Quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccatis? Et iterum in Epistola Ioannes ponat, & dicat, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Si autem nemo sine peccato esse potest, & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus aut stultus est, quum sciat non deesse sanatis quædam postmodum vulnera, dedit curandis denuo sanandísque vulneribus remedia salutaria. Rursus in eadem, Et quoniã quotidie, inquit, deesse non potest quod peccetur in conspectu Dei, sacrificia quotidiana non deerunt, quibus possent peccata tergi.

Verba Cypriani in Serm. de eleemosyna.

1. Ioan. 1.

Post pauca ibidem.

Quàm necessariè autẽ, inquit Cyprianus, quàm prouidẽter & salubriter admonemur, quòd peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur, vt dum indulgẽtia de Deo petitur, conscientiæ suæ animus recordetur. Et ne quis sibi quasi innocens placeat, & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis iubetur orare.

Lib. 2. de bona perseuerantia, Cap. 5.

Cap. LXXI. in Enchirid. ad Laurentium.

De quotidianis autem breuibus leuibúsque peccatis, sine quibus hæc vita nõ ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum est enim dicere, Pater noster qui es in cælis, qui iam Patri tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu sancto. Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata, delet & illa, à quibus vita fidelium, sceleratè etiam gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit: si quemadmodum veraciter dicitur, Dimitte nobis debita nostra, quoniam non desunt quæ dimittantur: ita veraciter dicitur, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris: id est, fiat quod dicitur, quòd & ipsa eleemosyna est, veniam petenti homini ignoscere.

De correptione & gratia, Cap. XII.

Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. De quo peccato quoniam nõ expressum est, possunt multa & diuersa sentiri. Ego autẽ dico id esse peccatum, fidẽ quæ per dilectionẽ operatur deserere vsq; ad mortem.

1. Ioan. 5. *Eidem desertor peccatum ad mortem est.* Galat. 5.

Lib. I. Retractation. Cap. XVI.

Itémque dixi, vt postea eadem ipsa caro, quæ nos in pœnis torsit in peccatis manentes, subiiciatur nobis in resurrectione, & nos nulla aduersitate quatiat, quò minus Legem & præcepta diuina seruemus. Quod non ita est accipiendum, tanquam & in illo Dei regno, vbi & incorruptibile & immortale corpus habebimus, de Scripturis diuinis Lex & præcepta sumenda sint. Sed quia perfectissima ibi Lex æterna seruabitur, & illa duo præcepta, de diligendo Deo & proximo, non in lectione, sed in ipsa perfecta & sẽpiterna dilectione tenebim°.

Post hanc vitam perfectè implenda præcepta duo charitatis

In Euangelium Ioannis, Cap. VIII. Tractat. XII.

Quenlibet valde iustum discutias in hac vita, quanuis iã sit dignus iusti vocabulo, non est tamen sine peccato. Audi ipsum sanctum Ioannem, cuius & hoc Euangelium est, in Epistola sua dicentem, Si dixerimus, inquit, quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis nõ est. Solus hoc dicere potuit in mortuis liber, de solo dici potuit, qui nõ nouerat peccatum, de solo dici potuit, Etenim expertus est omnia, secundum similitudinem sine peccato. Solus dicere potuit, Ecce venit princeps huius mundi, & in me nihil inueniet. Quẽcunque alium, licet iustũ discusseris, non omnino est sine peccato. Nec qualis erat

Etiam iusti sine peccato non sunt.

1. Ioan. 1

Ioan. 14.

Iob

Iob, cui Dominus tale testimonium perhibebat, vt diabolus inuideret, & postularet tentandum, tentans superaretur, vt ille probaretur. Ideo autem ille probatus est, non quia latebat Deum coronandus: sed vt innotesceret hominibus imitãdus. Etiam ipse Iob quid
Iob.25. dicit? Quis enim mundus? Nec infans cuius est vnius diei vita super terram. Sed planè multi iusti dicti sunt sine querela, quod intelligitur sine crimine. Nulla enim querela iusta est de iis in rebus humanis, qui non habent crimen. Crimen autem, est peccatum graue, accusatione & dãnatione dignissimũ. Nõ ergo Deus quędam peccata dãnat, quædã iustificat & laudat: nulla laudat, sed odit omnia. Quomodo odit medicus ægritudinem ægroti, & id agit curando, vt ægritudo pellatur, æger leuetur: sic Deus gratia sua hoc in nobis agit, vt peccatum consumatur, homo liberetur. Sed quando consumitur, inquies? Si minuitur, quare non consumitur? Minuitur autem in vita proficientium, quod in vita consumitur perfectorum. Prima est ergo libertas, carere criminibus. Ideo & Apostolus Paulus quando elegit ordinãdos vel Presbyteros vel Diaconos, & quicunque ordinandus est ad præpositurã Ecclesiæ, non ait, Si quis sine peccato est (hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur)
2.Timot.3 Titum 1 sed ait, Si quis sine crimine est, sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia, fornicationes, furtum, fraus, sacrilegium, & cætera huiusmodi. Cùm cœperit ea non habere homo (debet autem non habere omnis Christianus) homo incipit caput erigere ad libertatem. Sed ista inchoata est non perfecta libertas. Quare, inquit aliquis, non est perfecta libertas? Quia
Rom.7. video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mẽtis meæ. Non enim quod volo, hoc ago: sed quod odi, illud facio. Caro, inquit,
Galat.5. concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non ea quæ vultis illa faciatis. Ex parte libertas, ex parte seruitus. Nondum tota, nondum pura, nondum plena libertas: quia nondum plena æternitas. Habemus enim ex parte infirmitatẽ, ex parte accepimus libertatem. Quidquid peccatũ est à nobis, antea deletum est in Baptismo. Nunquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato hîc viueremus. Quis autem audeat hoc dicere, nisi superbus, nisi misericordia Liberatoris indignus, nisi qui seipsum vult decipere, & in quo veritas non est? Ergo ex eo quod remansit aliquid infirmitatis, audeo dicere ex qua parte seruimus Deo, liberi sumus: ex qua parte seruimus legi peccati, adhuc serui sumus. Vnde dicit Apostolus quod dicere cœperam?, Con-
Rom.7. delector Legi Dei secundũ interiorẽ hominẽ.

Post pauca ibidem.

Rom.6. Non regnet peccatũ in vestro mortali corpore ad obediẽdum desyderiis eius, neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Non ait, Non sit: sed Non regnet. Quan diu viuis, peccatum necesse est esse in membris tuis. Saltem illi regnum auferatur, non fiat quod iubet. Surgit ira, noli dare linguam iræ ad maledicendum, noli dare iræ manum aut pedem ad feriendum. Non surgeret ista ira irrationabilis, nisi peccatum esset in membris: sed tolle illi regnum, non habeat arma vnde contra te pugnet. Discet etiam non surgere, cùm arma non cœperit inuenire, &c.

Quandiu vivit homo tãdiu peccatum inest.

In eundem, Tractatu LXXXIX, Cap. XV.

Quid est ergo, Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum nõ haberent? Nunquid sine peccato erant Iudæi, antequam Christus ad eos in carne veniret? Quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed magnũ quoddam peccatum, non omne peccatum, quasi sub generali nomine vult intelligi. Hoc est enim peccatum quo tenentur cuncta peccata, quod vnusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata.

Ioan.15.

Peccato infidelitatis cuncta tenentur peccata.

Tractatu XCV.

Nam & si aliquando iustus arguitur, ideo rectè arguitur: quia scriptum est, Nõ est iustus in terra, qui faciat bonum & nõ peccet. Quocirca etiam cùm iustus arguitur, de peccato arguitur nõ de iustitia: quoniam & in illo quod legimus diuinitus dictũ, Noli effici iustus multùm, non est notata iustitia sapiẽtis: sed superbia præsumentis. Qui ergo fit multum iustus, ipso nimio fit iniustus. Multum enim se facit iustum, qui dicit se non habere peccatum, aut qui se putat non gratia Dei, sed sua voluntate sufficiente effici iustum. nec rectè viuendo iustus est: sed potius inflatus, putãdo se esse quod non est.

Eccleſiaſt.7.

Ibidem.

Qui dicit se nõ habere peccatum, arrogans iustus est.

In Epistolam Ioannis, Tracta. I.

Quòd si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Ergo si te confessus fueris peccatorem, est in te veritas. Nam ipsa veritas lux est. Nondum perfectè spenduit vita tua, quia insunt peccata tua: sed tamen iam illuminari cœpisti, quia inest confessio peccatorum.

1.Ioan.1.

In quo est veritas.

In eandem, Tractatu V.

Omnis qui natus est ex Deo non facit peccatum: quia semen eius in ipso manet. Et non potest peccare, quia ex Deo natus est. Fortiter instrinxit. Fortasis secundum quoddam peccatum dixit, Non peccat, non secundum omne peccatum. Vt quid ait, Qui natus est ex Deo non peccat? Certum quoddam peccatum intelligas, quod non potest admittere homo qui ex Deo natus est. Et tale peccatum est illud, vt si quisquam illud admiserit, confirmet cætera. Si quis autem hoc non admiserit, soluat cætera. Quod est hoc peccatum? Facere contra mandatum. Quod est mandatum? Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis. Intendite. hoc mandatum Christi, dilectio vocatur. Per hanc dilectionem peccata soluũtur.

Natus ex Deo quomodo non peccet.

Ioan.13.

Hæc si non teneatur, & graue peccatum est & radix omnium peccatorum.

Ibidem.

Baptizatis remissio peccatorum non deneganda. Matth.16

Qui Petrum lachrymantem suscepit, remissionem non negauit baptizatis. Iam enim audierat, Tibi dabo claues regni cælorum. qui licet postea Dominum negauerit, & à se amicos Christi excommunicauerit, per pœnitentiam & amaros fletus veniam recuperauit.

Eodem lib. Cap. V.

Nouatianorum error.

Scimus autẽ & primos patres, & in omni tempore Ecclesiam Dei semper vsque in septuagiessepties, quod est semper, peccata dimittere. Quam potestatem isti ab Ecclesia Dei conantur auferre. Oportet enim sic Ecclesiã credere, quæ confitetur se sæpe peccare. Negat enim veritatem in se esse, qui se absque peccato audet iactare. In multis enim offẽdimus omnes: nec infans vnius diei, absque peccato super terrã esse potest. Quapropter eliminãdus est iste error ab Ecclesia, qui vnquam negat pœnitentibus indulgentiã. Non enim inquirit quid Apostolus senserit, qui dixit, Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Scimus enim & iustis peccata solere contingere. Non se confirmabat absque peccato, qui se nouit indissolubili vinculo charitatis Christo coniunctum. Nisi enim sciret sæpe iustos ad veniam venire, quomodo dubitaret se peccare, qui se sciebat Spiritum Dei habere, & intentione mundissima ei seruire? Cur enim Dominus Petri pedes lauisset, & Ecclesiã hoc idẽ docuisset, nisi quia quotidiana est offensio, oportet vt sit quotidiana etiam remissio? Cur docuisset ipse Dominus orantes dicere, Dimitte nobis debita nostra, nisi ipse misericors perseueraret, qui nos ab hac petitione non vult deficere? Nullus itaque tantum vnquam posset peccare, quòd pœnitens velit desperare.

Iacob.3
Iob 25
1.Corin.4

De fide ad Petrum, Cap. XII.

Exceptis infantibus nemi nem hic sine peccato viuere.

Firmissimè tene & nullatenus dubites, etiam iustos atque sãctos homines, exceptis iis qui baptizati paruuli sunt, sine peccato hic neminem viuere posse, sempérque omni homini esse necessarium, & peccata sua vsque in finem vitæ præsentis eleemosynis diluere, & remissionem à Deo humiliter ac veraciter postulare.

Lib. I. de symbolo ad Catechumenos, Cap. VI.

Cùm baptizati fueritis, tenete vitam bonam in præceptis Dei, vt Baptismum custodiatis vsque in finem. Non vobis dico quia sine peccato hic viuetis, sed sunt venialia, sine quibus vita ista nõ est. Propter omnia peccata Baptismus inuẽtus est, propter leuia sine quibus esse non possumus, oratio inuẽta. Quid habet oratio? Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Semel abluimur Baptismate, quotidie abluemur oratione. Sed nolite illa cõmittere, pro quibus necesse est, vt à Christi corpore separemur: quod absit à vobis. Illi enim quos videtis agere pœnitentiam, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania. inde agunt pœnitentiam. Nam si leuia peccata ipsorum essent, hoc quotidiana oratio delendo sufficeret. Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia, in Baptismate, in oratione, in humilitate maioris pœnitentiæ: tamen Deus non dimittit peccata, nisi baptizatis, &c.

Pœnitentes in primitiua Ecclesia.

De salutaribus documentis, Cap VIII.

Et si præmia ęternæ vitæ volumus promereri, illius præcepta totis viribus satagamus custodire. Præcepta nanque eius nolentibus grauia sunt, volentibus leuia: sicut ipse ait, Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.

Præcepta vitæ volentibus leuia Matth.11.

De ciuitate Dei, lib. XIIII. Cap. IX.

Sanctorũ vox.

Non enim qualiuncunque hominum vox est: sed maximè piorum multúmque iustorum atque sanctorum, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Tunc itaque apathia ista erit, quando peccatum in homine nullum erit. Nũc verò satis bene viuitur sine crimine: sine peccato autẽ qui se viuere existimat, nõ id agit, vt peccatũ non habeat: sed vt veniã nõ accipiat.

1. Ioannis 1.

Libro XV. Cap. V.

Illud igitur quod inter Remum & Romulum exortum est, quemadmodum aduersus seipsam terrena ciuitas diuidatur ostẽdit. Quod autem inter Cain & Abel, inter duas ciuitates ipsas Dei & hominum inimicitias demonstrauit. Pugnãt ergo inter se mali & mali: item pugnant inter se boni & mali. Boni verò & boni si perfecti sunt, inter se pugnare non possunt. Proficiẽtes autem nõdúmque perfecti, ita possunt, vt bonus quisque ex ea parte pugnet cõtra alterum, qua etiã enotra semetipsum, Et in vno quippe homine, caro cõcupiscit aduersus spiritũ & spiritꝰ aduersus carnem. Cõcupiscentia ergo spiritalis contra alterius potest pugnare carnalem, vel cõcupiscentia carnalis contra alterius spiritalem, sicut inter se pugnant boni & mali: vel certè ipsæ concupiscentiæ carnales inter se duorum bonorum, nondũ vtique perfectorum, sicut inter se pugnant mali & mali, donec eorum qui curantur ad vltimam victoriam sanitas perducatur.

Boni inter se pugnare non possunt, si perfecti sunt.

Galat.5.

Eodem libro, Cap. VI.

Peccatum habitãs in membris, est vna peccati pœna.

Deo quippe adiuuante mirabilibus & latẽtibus modis, quum peccatum quod habitat in membris nostris (quod sic peccatum est, vt sit etiam pœna peccati, sicut Apostolus præcipit, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediẽdum desyderiis eius, nec ei mẽbra nostra veluti iniquitatis arma exhibeamus) conuertitur ad mẽtem, non sibi ad mala Deo regente consentientem, & eam regẽs tranquillius nunc, habebit postea sanitatem perfectam, atque immortalitate percepta, homo sine vllo peccato in æterna pace regnabit.

Roman.6.

Libro XIX. Cap. XXVI.

Pax

Perfectio in hac vita, consistit remissione peccatorum. Matth 6

Pax autem nostra propria, & hîc est cum Deo per fidem, & inæternum erit cum illo per speciem. Sed hîc siue illa communis, siue nostra propria talix est pax, vt solatium miseriæ potius sit quàm beatitudinis. Ipsa quoque nostra iustitia, quanuis vera sit propter veri boni finem ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, vt potius peccatorum remissione constet, quàm perfectione virtutum. Testis est oratio totius ciuitatis Dei, quæ peregrinatur in terris. Omnia quippe mẽbra sua clamant ad Deũ, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, &c.

Ibidem.

Oratio domini ea quibus prodest. Sapientiæ 9

Nec pro eis est efficax hæc oratio, quorũ fides sine operibus mortua est, sed pro eis quorum fides per dilectionẽ operatur. Quia enim Deo quidem subdita, in hac tamen cõditione mortali, & corpore corruptibili quod aggranat animam, non perfectè vitiis ratio imperat: ideo necessaria est iustis talis oratio. Nam profectò quanquam impetretur, nequaquam sine conflictu vitiis imperatur. Et vtique aliquid subrepit in hoc loco infirmitatis etiã bene cõfligenti, siue hostibus talibus victis subditísq; dominanti.

In fine ibidem.

Iacobi 4. 2. Pet. 5 Quæ sit iustitia fidelium.

Deus superbis resistit, humilib⁹ autem dat gratiã. Hîc itaque invnoquoque fideli iustitia est, vt obedienti Deus homini, animus corpori, ratio autem vitiis etiam repugnantibus imperet, vel subigendo vel resistẽdo, atque vt ab ipso Deo petatur & meritorum gratia, & venia delictorum, ac de acceptis bonis gratiarũ actio persoluatur. In illa verò pace finali, quò referenda, & cuius adipiscendæ causa habenda est ista iustitia, quoniam sanata immortalitate atque incorruptione, natura vitia non habebit, nec vnicuique nostrũm vel ab alio, vel à se ipso quidquam repugnabit, non opus erit vt ratio vitiis, quæ nulla erunt, imperet: sed imperabit Deus homini, animus corpori, tantáque obediendi ibi erit suauitas & facilitas, quanta viuendi regnandíque felicitas. Et hoc illic in omnibus hominibus atque in singulis æternũ erit, æternúmque esse certum erit: & ideo pax beatitudinis huius, vel beatitudo pacis huius summum bonum erit.

Lib. XXII. Cap. XXIII.

Galat. 5 Militia est vita hominis.

Præter hæc autem mala huius vitæ bonis malísque communia, habent in ea iusti etiam proprios quosdam labores suos, quibus aduersus vitia militant, & in talium præliorum tentationibus periculísque versãtur. Aliquando enim concitatius, aliquãdo remissius, non tamẽ desinit caro concupiscere aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non ea quæ volumus faciamus, omnem malam concupiscentiam consumendo, sed eam nobis, quantũ diuinitus adiuti possumus, nõ ei cõsentiendo subdamus, vigiliis cõtinuis excubãtes, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicuius erroris offundant, ne quod bonum est, malum, aut quod malum est, bonũ esse credatur: ne ab iis quæ agenda sunt, metus reuocet: ne in ea quæ agenda non sunt, cupido præcipitet: ne super iracundiam sol óc Ephes 4. cidat: ne inimicitiæ prouocent ad retributionẽ mali pro malo: ne absorbeat inhonesta vel immoderata tristitia: ne impertiendorum beneficiorum ingerat mens ingrata torporem: ne maledicis rumoribus bona cõscientia fatigetur: ne temeraria de alio suspicio nostra decipiat, ne aliena de nobis falsa nos frangat, ne regnet peccatum in nostro mortali corpore ad Rom. 6. obediẽdum desyderiis eius, ne membra nostra exhibeantur iniquitatis arma peccato, ne oculus sequatur concupiscentiam, ne vindicandi cupiditas vincat, ne in eo quod malè delectat vel visio vel cogitatio demoretur, ne improbum aut indecens verbum libenter audiatur, ne fiat quod non licet, etiamsi libet, ne in hoc bello laborũ periculorúmque plenissimo, vel de viribus nostris speretur facienda victoria, vel viribus nostris facta tribuatur: sed eius gratiæ de qua ait Apostolus, Gratias autem Deo, 1. Corinth. 15. qui dat nobis victoriam, per Dominum nostrum Iesum Christum. Qui & alio loco, In iis (inquit) omnibus superuincimus per eum qui dilexit nos. Sciamus tamen quantalibet virtute præliandi vitiis repugnemus, vel etiam vitia superemus vel subiugemus, quandiu sumus in hoc corpore, nobis deesse non posse vnde dicamus Deo, Dimitte nobis debita nostra. In illo autem regno vbi semper cum corporibus immortalibus erimus, nec prælia nobis erunt vlla, nec debita, quæ nusquam & nunquam essent, si natura nostra, sicut recta creata est, permaneret. Ac per hoc etiã noster iste conflictus, in quo periclitamur, & de quo nos victoria nouissima cupimus liberari, ad vitæ huius mala pertinet, quam tot tantorúmque testimonio malorum probauimus esse damnatam. Matth. 6.

De verbis secundum Ioannem, Serm. XLIII.

Quomodo sanctum quæ non sumus.

Non quod volum⁹ faciamus. Quare? Quia volumus vt nullæ sint concupiscentiæ: sed non possumus. Velimus, nolimus, habemus illas: velimus, nolimus, titillant, blãdiuntur, stimulãt, infestant, surgere volunt. Premuntur, nõdum extinguntur, quandiu caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.

De verbis Apostoli, Serm. XVI.

1. Ioan. 1. Et erit quisquam nostrũm qui audeat dicere, Iustus sum? Puto enim hoc esse, Iustus sum, quod est, Peccator nõ sum. Si audes hoc dicere, occurrit tibi Ioannes, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis nõ est. Quid ergo? Nihil habemus de iustitia, an habemus? Sed nõ totũ habem⁹. Hoc ergo quæram⁹. Si enĩ aliquid habe-

mus,& aliquid non habemus: crescat quod habemus,& implebitur quod nõ habem⁹. Ecce enim baptizati sũt homines,omnia illis peccata dimissa sunt, iustificati sunt à peccatis,negare non possumus: restat tamen lucta cũ carne,restat lucta cum mũdo, restat lucta cum diabolo. Qui autem luctatur,aliquando ferit, aliquando percutitur:aliquando vincit, aliquando perimitur.quomodo de stadio exeat attendatur.

Homo peccator & iustus est.

Nam si dixerimus quia peccatum non habemus,nosmetipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Item si dixerimus quia iustitiæ nihil habemus, aduersum Dei dona mentimur. Si enim iustitiæ nihil habemus, nec fidem habemus. Si fidem non habemus, Christiani non sumus. Si autem fidem habemus, iam aliquid habemus iustitiæ. Ipsũ aliquid vis nosse quantum sit? Iustus ex fide viuit. Iustus(inquam)ex fide viuit:quia credit quod non videt,&c.

Habacuc 2. Rom. 1.

Serm. LVI. de tempore.

Sed ita debet vnusquisque pro suis criminibus suspirare,lachrymas fundere,eleemosynas dare,vt Deo auxiliãte, quandiu viuit,semper crimina ipsa conetur effugere. Sicut enim sine minutis peccatis nullus vnquam aut fuit aut esse poterit, ita sine capitalib⁹ criminibus, donante & auxiliante Deo, omnimodis esse possumus & debemus.

Serm. LIX. de tempore.

Christum non impossibilia præcepisse.

Multi præcepta Dei sua imbecillitate æstimantes,putant esse impossibilia quæ præcepta sunt, & dicunt sufficere virtutibus non odisse inimicos:cæterùm diligere plus præcipi,quàm humana natura patiatur. Sciendum est ergo Christum nõ impossibilia præcipere, sed perfecta,quæ Dauid fecit in Saul & Absalom. Stephanus quoque martyr pro inimicis se lapidantibus deprecatus est: & Paulus anathema esse cupit pro persecutoribus suis. Hæc autem Iesus & docuit & fecit,dicens,Pater ignosce illis. In reliquis operibus bonis interdum potest aliquis qualencunque excusationem prætendere, ab habenda vera dilectione,nullus se poterit excusare,&c.

1. Regum 24. 2. Reg. 18. Act. 7. Rom. 9. Luc. 23.

Serm. LXIII. de tempore.

An fortè quisquam tam insolenter superbit,& ita se illæsum,ita immaculatum esse præsumit, vt nullius iam renouationis indigeat? Fallitur prorsus ista persuasione & nimia vanitate veterascit, qui inter tentationes huius vitæ ab omni se vulnere credit immunem. Plena sunt omnia periculis,plena laqueis,incitant cupiditates,insidiantur illecebræ,blandiuntur lucra,damna deterrent: amaræ sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium. Inde sæuit odium,hinc decipit mendax officium, vt facilius sit vitare discordem, quàm declinare fallacem. In ipsis autem virtutibus obtinẽdis tam dubius modus est, & tam incerta discretio est, vt si quisquam inter bonorum malorúmque confinia subtilissimi discriminis poterit seruare mensuras,difficile sit vt bene sibi conscium probitatem obtrectantium lingua non mordeat, & iniquorum euadat opprobria,cui amica est iustitia. Iam cùm ad ipsas rerum temporalium varietates cogitatio humana conuertitur, quantæ se opponunt caligines, quanti prauarum opinionum oboriuntur errores,vt de obiectu contrariarũ sumatur materia querelarum!

In mundo plena omnia periculis.

De Verbis beati Ioannis,Serm. XXIX.

Beatissimus Ioannes Apostolus salubriter & veraciter scribens,inter cætera ait,Si dixerimus quia peccatum nõ habemus, nosipsos seducimus,& veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & iustus qui dimittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. His verbis docuit beatus Ioannes,imò ipse Dominus Iesus, non se tacens per Ioannem, neminem in ista carne, in isto corruptibili corpore,in ista terra,in isto maligno seculo, in ista vita tentationibus plena neminẽ hîc viuere sine peccato. Absoluta sententia est,nec expositore indiget,Si dixerimus quia peccatum non habemus. Quis enim qui non habet peccatum? Sicut Scriptura dicit, Nec infans,cuius est vita diei vnius super terram. Talis paruulus peccatum non fecit: sed de parentibus traxit. Ergo nullo modo quisquam potest dicere non se habuisse peccatum:sed accessit per fidem ad lauacrum regenerationis homo fidelis,& omnia dimissa sunt ei. Iam sub gratia viuit, in fide viuit, membrum Christi factus est,templum Dei factus est:& tamen sic quomodo membrum Christi & templum Dei factus est,si dixerit se nõ habere peccatum,seipsum seducit, & veritas in eo nõ est: prorsus mentitur si dicat,Iustus sum. Sunt autem quidam inflati vtres,spiritu elationis pleni, non magnitudine ingentes, sed superbiæ morbo tumentes, vt dicere audeant inueniri homines absque peccato. Dicunt ergo iustos prorsus in hac vita nullum habere peccatum. Hæretici autem sunt Pelagiani, iidemque Cælestiani.

1. Ioan. 4.

Iob 16.

Pelagiani & Cælestiani.

Ibidem circa finem.

Non autem quia dico quòd nõ possumus hîc esse sine peccato, homicidia facere debem⁹ aut adulteria, vel cætera mortifera peccata, quæ vno ictu perimunt. Talia non facit bonæ fidei & bonæ spei Christianus:sed illa sola quę quotidiano orationis periculo tergantur. Humiles & deuoti dicamus quotidie,Dimitte nobis debita nostra: sed si faciamus quod sequitur,Sicut & nos dimittim⁹ debitorib⁹ nostris.

Matth. 6.

Post pauca in fine.

Nemo ergo dicat se esse sine peccato: sed non tamẽ ideo debemus amare peccatum. Oderimus ea fratres, etsi non sumus sine peccatis, oderimus tamen ea, & maximè à criminibus nos abstineamus: abstineamus quantum possumus & à leuibus peccatis. Ergo ait quis,

Non

Non habeo peccata. seipsum decipit, & veritas in eo non est. Prorsus oremus vt Deus dimittat, sed faciamus quod dicitur, Dimittam⁹ & nos debitoribus nostris, cùm dicitur. Et dimittetur vobis. Quotidie dicimus hoc, & quotidie facimus, & quotidie fit in nobis. Non hîc sumus sine peccato: sed exibimus hinc sine peccato.

In lib. de perfect. iustitiæ in fine libri.

Nullus fuit sine peccato præter Christum.

Quisquis ergo fuisse vel esse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, excepto vno Mediatore Dei & hominum, quibus necessaria nō fuerit remissio peccatorum, contrarius est diuinæ Scripturæ, vbi Apostolus ait, Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit: in quo omnes peccauerunt. Et necesse est vt impia contentione asserat esse posse homines, qui sine Mediatore Christo liberante atque saluante sint liberi saluísque à peccato, cùm ille dixit, Non est opus sanis medicus, sed malè habētibus, Non veni vocare iustos, sed peccatores. Quisquis autem dicit, post acceptam remissionem peccatorum, ita quēquam hominem iustè vixisse in hac carne vel viuere, vt nullum habeat omnino peccatum, cōtradicit Apostolo Ioanni qui ait, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Non enim ait habuimus, sed habemus. Postremo si excepto illo capite nostro, sui corporis Saluatore, asseruntur vel fuisse vel esse in hac vita aliqui homines iusti sine aliquo peccato, siue nunquam consentiendo desyderiis eius, siue quia pro nullo peccato habēdum est, quod tantum est, vt hoc pietati non imputet Deus, quanuis aliter sit beatus sine peccato, aliter autem beatus cui non imputat Dominus peccatum: non nimis existimo reluctādū. Scio enim quibusdam esse visum, quorum de hac re sēten tiam non audeo reprehendere, quāquam nec defendere valeam.

Matth. 9.

1. Ioan. 1

DE LEGE ET EVANGELIO, Homine interiori & exteriori, Spiritu & litera, Veteri Testamēto & nouo.

In quinquagena II. Psalm. LVII, Versu I.

Matth. 19

Lex naturæ.

Quandoquidem manu Formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: hoc & antequam Lex daretur nemo ignorare permissus est, vt esset vnde iudicarentur & quibus Lex nō esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est in tabulis, quod in cordibus non legebāt. Non enim scriptum non habebant, sed legere nolebant. Oppositum est oculis eorum, quod in conscientia

Sapien. 1

videre cogerentur, & quasi forinsecus admota voce Dei, ad interiora sua homo cōpulsus est, dicēte Scriptura, In cogitationib⁹ enim impii interrogatio erit. Vbi interrogatio, ibi Lex. Sed quia homines appetētes ea quę foris sunt, etiam à seipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta Lex. Non quia in cordibus scripta non erat: sed quia tu fugitiuus eras cordis tui, ab illo qui vbique est comprehenderis, & ad teipsum intrò reuocaris. Propterea scripta Lex quid clamat eis qui deseruerunt Legem scriptā in cordibus suis? Redite præuaricatores ad cor. Quis enim te docuit nolle accedi ab altero ad vxorem tuam? Quis te docuit nolle tibi furtum fieri? Quis te docuit nolle iniuriam pati, & quidquid aliud vel vniuersaliter vel particulariter dici potest? Multa enim sūt, de quibus singulis interrogati homines, clara voce respondēāt, nolle se pati. Age, si non vis pati ista, nunquid solus es homo? Nonne in societate viuis generis humani? Qui tecum factus est, socius tuus est, & omnes facti ad imaginem Dei, nisi terrenis cupiditatibus conterant quod ille formauit. Quod tibi ergo non vis fieri, noli alteri facere. Indicas enim malum esse in eo quod pati nō vis, & hoc te cogit nosse Lex intima, in ipso tuo corde conscripta. Faciebas & clamabatur inter manus tuas. quomodo cogeris redire ad cor tuum, cùm hoc pateris inter manus alienas? Furtum bonum est? Non. Interrogo, Adulterium bonum est? Et omnes clamāt, Non. Homicidium bonum est? Omnes clamāt detestari se. Concupiscere rem proximi bonum est? Non, vox omniū est. Aut si adhuc non confiteris, accedit qui concupiscit rem tuam. placeat tibi, & respondē quod vis. Omnes ergo de iis rebus interrogati, clamant hæc bona non esse. Rursus de beneficiis non solùm de non nocendo, verūetiam de non præstando atque tribuendo, interrogatur omnis anima esuriens, famem patiens. Alius habet panem & redundat ei vltra sufficientiam: nouit te egere, non dat. Displicet tibi esurienti, displiceat & satiato, cùm alterum esurire cognoueris. Peregrinus tecto indigens, venit in patriam tuam: non suscipitur ille. Tūc clamat ille inhumanam esse ciuitatem, facilè apud Barbaros sibi esse potuisse refugium. Sētit iniquitatem quia patitur, tu fortè non sentis. Sed oportet vt te cogites peregrinum, & videas quo modo tibi possit displicere, qui tibi non præstiterit, quod tu in patria tua non vis peregrino præstare. Eia tu redi, redi præuaricator ad cor. ibi scripta est Lex, Quod tibi fieri non vis, alii ne feceris, &c.

Lex scripta.

Esa. 46.

Ad Hilarium, Epist. LXXXIX.

Legis naturæ omnes sunt rei

Proinde quoniam Lex est etiam in ratione hominis, qui iam vtitur arbitrio libertatis naturaliter in corde conscripta, qua suggeritur ne mali aliquid faciat quisque alteri, quod pati ipse non vult: secūdum hanc Legem præuaricati sunt omnes, etiam qui Legem per Mosem datam non acceperunt. de quibus in Psalmo legitur, Prævaricatores æstimaui omnes

Psalm. 118.

peccatores terræ. Nō enim omnes peccato-

terræ Legem per Mosem datam præuaricauerũt: sed tamen nisi aliquã præuaricassent, non appellarẽtur præuaricatores. Vbi enim nõ est Lex, nec præuaricatio. Præuaricata ergo Lege, quæ in Paradiso data est, nascitur homo ex Adam cum lege peccati & mortis, de qua dicitur, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati, quæ est in membris meis. Quæ tamen nisi mala consuetudine postea roboretur, facilius vincitur: non tamẽ nisi gratia Dei. Lege autem alia præuaricata quę est in vsu rationis animæ rationalis, in ætate hominis iam ratione vtentis, præuaricatores fiunt omnes peccatores terræ. Præuaricata verò etiam Lege illa, quæ data est per Mosem, multò amplius abundat delictum. Si enim data esset Lex, quæ posset viuificare, omnino ex Lege esset iustitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Hec verba, si agnoscis, Apostolica sunt. de qua Lege iterum dicit, Lex præuaricationis gratia posita est, donec veniret semen, cui promissum est, dispositum per Angelos in manu Mediatoris, Christum commendans, cuius gratia salui facti sunt omnes, siue paruuli à lege peccati & mortis, cum qua nati sumus: siue maiores, qui malè vtentes arbitrio voluntatis, præuaricarunt legem naturalem ipsius rationis: siue qui Legem acceperunt, quæ data est per Mosem, eámque præuaricantes, litera occisi sunt. Cùm verò etiam Euangelica præcepta homo præuaricat, velut quatriduanus mortuus putet: nec de illo tamen desperandum est propter eius gratiam, qui non lentè dixit, sed magna voce clamauit, Lazare, veni foras.

Rom.7. *Galat.3.* *Ibidem.* *Gratia Dei omnes saluãtur* *Ioan.11.*

In eadem Epistola.

Nam & Lex ipsa in hoc adiutorium data est illis, qui ea legitimè vtuntur, vt per illam sciant, vel quid iustitiæ iam acceperint, vnde gratias agãt, vel quid adhuc eis desit, quod instanter petant. Qui autem sic audiunt quod Lex ait, Non concupisces, vt hoc quia didicerint, sufficere sibi arbitrentur: nec adiutorio gratiæ Dei ad faciendum quod iustum est dari sibi virtutem credant & petant: ad hoc eis Lex subintrauit, vt abundaret delictum. Nam interim vt omittamus Legis multa præcepta, & hoc inde commemoremus quod ad commemorandum elegit Apostolus, quum dicit Lex, Non concupisces, quid videtur aliud imperare, nisi ab illicitis cupiditatibus continentiam? Animus quippe velut pondere, amore fertur quocunque fertur. Iubemur itaque detrahere de pondere cupiditatis, quod accedit ad pondus charitatis, donec illud cõsumatur, hoc perficiatur. Plenitudo enim Legis, charitas. Et tamen de ipsa continentia vide quid scriptum sit, Et cùm scirem (inquit) quia nemo potest esse continens, nisi Deus det (& hocipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum) adii Dominum, & deprecatus sum illum. Nunquid dixit, Et cùm scirem quia nemo potest esse continens, nisi per proprium liberum arbitrium: & hocipsum erat sapientiæ, scire à meipso esse hoc donum? Non planè hoc dixit, quod quidam in sua vanitate hoc dicunt: sed quod fuit in sanctæ Scripturæ veritate dicendum. Cùm scirem (inquit) quia nemo esse potest continens, nisi Deus det. Iubet ergo Deus continentiam, & dat continentiam: iubet per Legem, & dat per gratiam: iubet per literam, dat per Spiritum. Lex enim sine gratia facit abundare delictum, & litera sine Spiritu occidit. Iubet ideo vt facere iussa conati, & in nostra infirmitate sub Lege fatigati, adiutorium gratiæ poscere nouerimus, & si quid facere poterimus operis boni, ei qui adiuuat non simus ingrati. Neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia iuuatur: sed ideo iuuatur, quia non tollitur. Qui igitur ideo dicit, Adiutor meus esto, confitetur se velle implere quod iusserit: sed ab eo qui iusserit, adiutorium poscere vt possit. Ad abundantiam igitur delictorum, Lex nos docet quid velle debeamus, nisi adiuuet gratia, vt quod volumus valeamus, & quod voluerimus impleamus.

Per Legem fit homo quãtum iustitiæ acceperit. *Sapient.8*

De assumptione Mariæ virginis, Cap. I.

Sed quia quædam Scriptura sancta veris indagationum studiis reliquit, quæ non sunt superflua æstimanda, dum vera indagatione fuerint patefacta. Fœcunda est enim veritatis auctoritas, & dum diligenter discutitur, de se gignere quod ipsa est cognoscitur. Sæpe enim discussa, veram conuenientiam parit, quam manifestis sermonibus abscondit. Et sæpe apertis sermonibus insinuat, in quibus nihil præter id quod sonat quærendum inuitat. Vt est illud, quòd Abraham genuit Isaac, Isaac autem Iacob, Iacob genuit Iudam & fratres eius, & cætera talia, in quibus sola tenenda est litera. Quædam autem sic commendat vt pariter literam & mysticum intellectum insinuet, vt in transitu maris rubri, manna cælesti, & tabernaculo Dei, atque arca Testamenti, vbi futurorũ figura, Baptismi scilicet, Christi & Ecclesiæ ostensa est prærogatiua. Quædam tantùm mysticè, vt quum Deum dicit insufflasse in faciem Adæ spiraculum vitæ: qui tamen os ad spirãdum non habet, nec manus ad operandum, licet dicat Propheta, Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me.

Matth.1. *In sacra Scriptura quædam sola ad literam intelliguntur.* *Quædam ad literam & mystice simul.* *Iob 10. Psalm.118.*

Libro IIII. de Symbolo ad Catechumenos, Cap. III.

Mysticis enim figuris loquitur Scriptura diuina, seruans rebus tempora, quibus recognitis manifesta exerceat veritate. Quoniam nec hoc vacat à mysterio, quòd in monte Oreb super petram iussus est ascendere Moses & stare. Ipsa est illa petra, quæ percussa produxit aquas populo sitienti, de qua dicit sanctus Da-

Exod.17. *Psalm.77.*

Psal.77. 1.Cor.10. Dauid, Dirupit petram, & fluxerũt aquæ. Apostolus autem exponens hoc, ait, Patres nostri eandem escam spiritalẽ mãducauerũt, & eundem potum spiritalem biberunt: bibebant autem de spiritali consequente eos Petra: Petra autem erat Christus. Ipsa sunt illa posteriora Dei. Hoc videt Moses prophetando, quod Paulus exponit dicendo, Cùm venit (inquit) plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere. Mulierem hîc ponit, cõsuetudinem seruans locutionis Hebraicæ, quæ omnes fœminas mulieres appellat. Nã scriptũ est, Seruate mulieres, quæ nondum cognouerunt virum. Et de ipsa Eua dictum est, Formauit eam in mulierem. Antequam illam viro coniungeret, eam mulierem appellauit.

Posteriora Dei Christus.

Galat.4.

Num.31

De singularitate Clericorum, Cap. IX.

Lex virtus est peccati. Quantum enim Lex obedientibus suggerit adiutorium, tantum inobedientibus incitat peccatum, dicẽte Apostolo, Virtus (inquit) peccati Lex.

De contemptu mundi, Cap. VIII.

Lex aduersarius hominis est. Dum igitur vacat, dum sumus in via, nostro aduersario Legi Dei consentiamus. Lex quippe diuina, noster ideo dicitur aduersarius, quia nostris carnalibus omnino contradicit voluptatibus, &c.

De pœnitentiæ medicina, Cap. I.

Legi vsus. Ad hoc enim Lex data est, vt superbo infirmitatem suam notam faceret, infirmo pœnitentiam suaderet. Ad hoc etiam Lex data est, vt vulnera ostenderet peccatorum, quæ gratię benedictione sanaret. Ad hoc etiam Lex data est, vt diceremus etiam in cõualle ploration is, Video aliam legem in membris meis, repugnãtem legi menti meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis: & cum ipso ploratu clamaremus, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Et succurret nobis exaudiente Deo, qui erigit elisos & soluit compeditos, illuminat cæcos, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.

Rom.7

Psalm.144

Quæstionum veteris & noui Testamenti, Quæst. IIII.

Primum Lex formata in literis dari non debuit, quia in natura ipsa, quodammodo inserta est, & Creatoris notitia ex traduce nõ latebat. Nam quis nesciat, quid bonæ vitæ conueniat, aut ignoret, quia quod sibi fieri non vult, alii minimè debeat facere? At vbi naturalis Lex euanuit, impressa consuetudine delinquendi, tunc oportuit Legem manifestari, vt in Iudæis omnes audirent. Non quòd penitus obliterata esset, sed quia maxima eius auctoritate carebant. Idololatriæ studebatur. Timor Dei in terris non erat, sed fornicatio operabatur. Circa rẽ proximi auida erat concupiscẽtia. Danda ergo Lex erat, vt & quæ sciebantur, auctoritatem haberent, & quæ latere cœperant manifestarentur. Nam inuenimus ante Mosem, non solùm nõ latuisse: sed etiam vindicata esse peccata. Quamobrem & iusti fuisse reperiuntur multi, qui sciẽtes Deum vindicem, timebant peccare. Quod quum cœpisset iam negligi, Legem naturalẽ reuelari oportuit, vt scirent cuncti aperta ratione Dominum requisiturũ actus humanos, quãuis per diluuiũ vindicatũ legatur, & in Sodomã & Gomorrham: sed hæc vetustatis obliuio texerat. Vnde per Mosem terroris causa ad disciplinã corrigendam & fidem in Deum reformãdam, cõmemorata sunt. Quare & Apostolus, Iustis (ait) non est Lex posita: sed iniustis, idola colẽtibus, fornicatoribus, & talia. Nunc videamus an conueniat iis qui Dei iudicium audientes rident futurum: si proderit an oberit, si veritate muniatur, an careat ratione. Lex quidẽ data est mundo: sed videmus eam circa multos cessare. Non ergo iustum videtur, vt qui hîc pecẽt, per potentiam securi sint. Alii legibus illudunt, pauperes deprimuntur, iustis accusatio componitur, bene agentes opprobrio sunt, pii indigent, mali florent, iniqui & corruptores in honore sunt, auari & raptores locupletantur, iudex venalis est. Nõne iniquum videtur, si Conditor rerũ non hæc requirat, vt qui hîc iniustè oppressi sunt, releuentur, & qui bene viuendo indiguerũt, remunerẽtur, & qui propter iustitiam opprobrio erant, honorentur: illi autem qui per potentiam leges contempserũt aut tergiuersatione illuserunt, iniquitatem sectantes: sic glorioſi in iis, vt ipſi iustitiæ insultare videãtur, vt humiliati & confusi tormẽtis subiiciantur in cõspectu eorum, in quorum malis & despectione gaudebant, vt & ipsi de pœna illorũ lęti, Deo gratias referant, apud quem solum personarum acceptio cessat?

Ante Mosem vindicabantur peccata.

Genes.7. Genes.19.

1.Timoth.1.

Eodem libro, Quæstione XLIIII.

Ezech.20. Quare Deus dederit Iudæis tã asperа præcepta. Ego dedi illis præcepta non bona, & iustificationes in quibus non viuent in eis. Ostendit qua causa data sint illis præcepta, tanta & tam aspera, vt quia ingrati tantis bonis extiterunt, dictante iustitia præceptis seuerioribus premerentur. Idcirco non bona ea dixit, quum iusta sint: quia nõ illis ad iustificationem proficiebant: sed ad exitium. & pœna licet dignè illata patienti: tamen bona non est. Post hæc tamen quia pius est Deus, nouum Testamẽtum se daturum promisit, in quo abbreuiatio facta Legis iustificaret credentes: sicut iustificatus est Abraham, vt cessantibus neomeniis & sabbato & Circũcisione & cæteris præceptis, non quæ naturalis legis sunt, id est, homicidium, adulterium, & talia, ita iustificarentur, vt Abraham. Renouata enim fide Abrahæ, omnia voluit cessare, vt tale tempus esset, quale fuerat, quãdo credidit Abraham. Sed fortè dicãt Iudæi, Si ea quæ à Mose data sunt, cessare dicta

sunt, per abbreuiationē Legis, nūquid Circuncisio à Moyse data est, vt cesset? Ac per hoc signum patris nostri habemus, quia sumus filii Abrahæ, quod propter testimonium generis cessare non debet. Tempore quidē suo seruāda fuit Circuncisio, id est, antequam nouū Testamentum daretur, quod promissum erat. At vbi Dei gratia præstante, onera Legis cessare iussa sunt, quid opus est circuncidi? Idcirco autem noua Lex data est, id est, spiritalis, vt cessarent carnalia, & suscipientes eam signum eius acciperent: vt sicut in veteri Testamento Abrahæ signum habuerūt, ex quo cœpit Testamentum vetus, ita & in nouo signum habeant Saluatoris, qui noui Testamenti constitutor est. Quemadmodū enim ex Abraham Hebræi dicti sunt, sic & ex Christo Christiani dicuntur. Quicunque ergo adhuc Hebræi dicūtur, nouum Testamentum, quod promisit Deus, non receperunt, beneficium & misericordiam Dei in irritum deducētes, qui populum suum, iam non hominis nomine volens censeri, sub Filii sui nomine constituere illos dignatus est. Qua igitur audacia dicunt Iudæi non nostra nos lege vti, sed sua? cùm dicat Dauid, Confitebor tibi in Gētibus: & iterū, Epulamini Gētes cum populo eius: & ad Hieremiā Prophetam dicit Dominus, Priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te. & Prophetam in Gētibus dedi te? Iudaismus certè proprias habet significationes. Aut enim populus iste in Iacob significatur, aut in Samaria, aut in Hierusalem, aut in Iudæa, aut in Israel. De Gētibus autem apertū est, quia aliter illos significat, quàm sūt Iudæi. noster autem Propheta est Hieremias. Quanuis enim in omnibus Prophetis, Gentes participes doni sui ostenderit Deus: ad Hieremiam tamen specialiter dicit, quia nobis illum dedit Prophetam. Hic enim nouum Testamentum futurum significauit, quod plus Gētibus proficeret, quàm Iudæis, quod nunc declaratum videtur. Cùm enim in vniuersa terra noui Testamēti sit prædicatio: Iudaismus tam rarò est, vt difficilè Iudæus fidelis inueniatur, & omnes Ecclesiæ noui Testamenti. Gentium nominentur: sicut dictum erat in Osee Propheta, Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam. Repulsis ergo Iudæis conuocat Gentes, ea misericordia & gratia, qua vocare dignatus est & Abraham. Nec enim Abraham vocatus non cognouit Dominum. Itaque qui dignatus est Abraham, ita & ipse dignatus est Gentes. Cur ergo dicunt, Nostra est Lex, cùm manifestū sit donū Dei esse omnium volentium? Cesset itaque ista vsurpationis temeritas: quia gratia Dei communis est omnibus, &c. *Eodem lib. Quæst. LXIX.*

Hebræi ab Abraham, Christiani à Christo.

Hierem. 1.

Prædicatio noui Testamenti in vniuersa terra est.

Osee 2.

Omnia etenim Prophetæ suis voluminibus complexi sunt, & incarnationem, & conuersationē, passionem & resurrectionem, & diuinitatis manifestationem, & futurum eius iudicium reuelauerunt: ac per hoc cessauerunt Prophetæ, impleto opere dispensationis. Lex autem duplici modo cessauit, nec quidem tota. Nam & id quod cessauit poterit permanere, si seruetur conditio: aliud enim cessauit in sententia, aliud in ipsa Lege. Prædicante Ioanne Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, cessauit sententia Legis, quæ reos tenebat peccatores: cessauerūt etiam onera Legis, quæ ad duritiam cordis Iudaici fuerant data, in escis, neomeniis, sabbatis & cæteris. Misericordia enim aduenientē cessauit vindicta. Sed onera Legis in perpetuum cessauerunt. Sentētia verò iis cessat & aboletur, qui permanēt in beneficio consecuto: iis autem qui redeunt ad hominem veterem, refricatur Legis auctoritas: quia immemores beneficiorū redeūt sub sentētia Legis. Circuncisio verò & sabbatum, vsque ad illud tempus valuit, quo nouæ Legis prædicaretur mandatum. sic enim data sunt, vt adueniente Lege fidei cessarent. Vnde dicit Apostolus, Finis Legis Christus. Nā & Daniel hoc significat, cùm & de aduētu Domini, & tēporibus Hebdomadū prophetat: quia & chrisma & iudicium & sacrificium & ipsa ciuitas cessatura erant. Spiritali enim adueniente Lege, necesse erat cessare carnalia. Tunc enim ex parte corporis seruiebatur Deo, nunc ex parte animæ. Pridem visibiliter, scilicet tunc, modò inuisibiliter. Tunc in carne, nunc in animo: quia Deo vtique, qui spiritus est, in spiritu seruiendum est. Non ergo soluta Lex est, quia cessauit: sed successum illi est impleto tempore. Nec enim administratio eius accusatur aut iudicium, si peccatoribus indulgentia datur, cū hinc magis rectè data & iustè probetur, quia quibus dominabatur, peccatores fuisse nō negantur. Quia iustis (inquit) lex non est posita. Non ergo quia misericordia præferēda est, cō temnenda putetur iustitia, cuius reuerentia si non esset, ipsa misericordia fructum non haberet. Nisi autem hanc seruauerint, post acceptam misericordiam, nihil illis proderit indulgentia. Nam dixit Lex, Nō facies tibi idolum, neque adoraueris quæ in cælo sursum sunt, & quæ in terra deorsum: &, Nō peierabis: &, Honora patrem & matrem: &, Non occides, neq; fornicaberis, neque furtum facies, Non dices falsum testimonium, neque concupisces quicquā proximi tui. Nunquid hæc cessasse dicenda sunt? Absit. Sine his enim quispoterit vel in hac vita idoneus iudicari? Ac per hoc cætera cessauerūt, quæ suprà diximus, neomeniæ, sabbata, lex escarum, sacrificia, Circuncisio.

Omnia Christi Sacramenta Prophetæ complexi sunt.

Circuncisio & sabbatum vsque ad Christum valuere.

Matth. 3.

Rom. 10.

Daniel. 9.

Isaiæ. 4.

1. Timoth. 1.

Exod. 20.

Quæstione CII.

Nam per Moysem data est Lex, quia iustum fuit vindictā in primordiis suis cum seueritate exerceri: quia & in illum qui sabbatis exiit ligna colligere, funebriter vīdicauit, & in filium AEgyptię, qui blasphemauerat in Deū, similiter vltionem dedit, & in causa fusilis vituli percussit filios Israel. Vnaquæque ergo lex

Num. 15. Leuitic. 24.

inter

inter ipsa primordia sensum suum plenum o-
Lex aspera. stẽdit, vt vetus Lex, quia ad vindicandũ promptior erat, inter initia sua asperior videretur, vt metu incusso diligentes & solicitos faceret auditores suos. Noua ergo, propterea quòd pia & ad misericordiam facilis est, primordia sua mitissima & clementissima demostrauit, vt ipsa oblectatione ac delectatione omnes ad indulgentiam prouocaret. Postea autem & illa quæ asperior visa est, propter fragilitatem humani generis, non solùm rigorem suum molliuit, sed & humanam & piam se præstitit, & hæc quæ clemẽs visa est propter fragilitatem humani generis aliquando vindicauit.
Euangeliũ clemens.
Actorũ 4 & 13. Ananias enim cum Sapphira vxore sua diuinitus cæsi sunt. Et Elymas magus, incredulus & Dei Legi repugnans, Domini iudicio & virtute cęcatus est. Et Herodes rex, propterea quòd honorem non dedit Deo cæli, ab Angelo Dei percussus, scatẽs vermibus expirauit. Ne quia misericordia prædicatur, inultum omnino putarent homines, & impunè peccarent, timorem posuit, ostendens ad hoc dari veniam delictorum, vt quasi ex mortuis viuificati, postea abstinerent se à contrariis, vt id elaboretur, ne quis hinc cum crimine exeat, quia ad iudicium venietur. Hæc enim vnicuique sententia imputatur, in qua definitur. Quoniam igitur noua Lex plenitudinẽ habet misericordiæ, ne cõtemptui duceretur ab amatoribus peccatorũ, in supradictos vindicauit. Vetus verò Lex, quanquam ad vindictam data sit, quibusdam tamen ignouit, ne omnino crudelis diceretur. Sed in plures vindicauit, quia sensus eius ad vlciscendũ prõptus est. Sine dubio ergo maior gratia nouæ Legis est, quàm fuit veteris.

In libro altercationis Ecclesiæ & Synagogæ, Dial.

SYNA. Nolo te in tanto plausu efferant lectiones: sed ad illud conuertere, quod mihi arbitror profuturum. Respice te nec Legem accepisse, nec Circũcisionem meruisse, in quo signo gentilitas segregatur. Inde est, quòd & signum meum habeõ, & Legem quam Moyses protulit nõ amitto. ECCLE. Legẽ te accepisse testaris, sed Legem veteris Testamẽti. Ego autem Euangeliorum nouam legem accepi. Et vt scias veterem nouitate compressam, lege E-
Esaiæ 42. saiam, qui tibi ait, Illa vetera transierunt: ecce facta sunt noua: nunc orientur. Nam quod dicis te in salutem populi Circumcisionis signaculum accepisse, hodie probo stultiam tuam fuisse deceptã. Si ergo per Circumcisionem æternitas donabatur, vides te caput accepisse nõ pedes, & vno oculo, vel vna manu fuisse truncatam, mediam vixisse, & mediam fuisse emortuam. Nam si dicis populum tuum in signo tuæ passionis esse saluandum, quid facient virgines tuæ, quid faciẽt viduæ, quid matres etiam synagogæ, si Circumcisionis signum populo ad æternam vitam processisse testaris? Ergo Iudæas fœminas habere non decẽt: viri enim circunciduntur, mulieres autem præputium non admittunt. ergo saluæ esse non possũt, si Circũcisione saluamini. Vides ergo te viros, hoc est, circuncisos habere posse Iudæos: mulieres autem quæ circuncidi non possunt, nec Iudæas nec Christianas, sed paganas esse profiteor. Audi doceo te clarissima Circumcisionis insignia: quam Circumcisionem si accipere potuisses, nunquam prodigium de regno perpessa cecidisses. Respice quod Hieremias ait, *Hiere. 4.* Hæc dicit Dominus viris Iudæis, qui habitatis in Hierusalem, Renouamini inter vos nouitate, & ne seminaueritis in spinis. circuncidite vos Deo vestro, & circuncidite præputium cordis vestri. Quod & & ipse Moses ait, quem tu similiter sequebaris, licet mihi mandata portaret. Erit (inquit) in nouissimis diebus, circuncidet Deus cor tuum, & cor seminis tui, ad Dominum Deum tuum amandum. *Deutero. 30*
Et Apostolus Paulus ait, Circuncisi estis Cir- *Colo. 2.*
cuncisione non manu facta, non in expoliatione carnis, sed in Circuncisione Christi. Quid *Circumcisio spiritualis & vera.*
ad hæc dicimus Synagoga? Ecce nõ carnis, sed cordis Circuncisio mandabatur, scilicet vt vitia cordis incideres, vt libidinem desecares, vt idololatriæ caput auferres, vt tunicã fornicationis scinderes. Quia ait Propheta, In lapide *Hieremi. 3*
mœchata es & in ligno. Vides ergo te non accepisse in signum salutis Circuncisionem, sed in signum potius pudoris & turpitudinis.

De vera innocentia, Cap. XIIII.

Legis litera quæ docet non esse peccandũ, *Lex peccatum ferre facit non cauere.*
si Spiritus viuificans desit, occidit. Scire enim peccatum potius facit quàm cauere, & ideo magis augeri quàm minui: quia malæ concupiscentiæ etiam præuaricatio Legis accedit.

Eodem libro, Cap. XIIII.

Lex data est vt gratia quæreretur, gratia *Lex vitiũ non sinat, gratia sanat.*
data est vt Lex impleretur. Neque enim suo vitio non implebatur, sed vitio prudentiæ carnis, quod vitium per Legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit.

Item, CCIVIII.

Lex Dei secundum naturam est. Et cùm homines quæ Legis sunt faciunt, naturaliter *Roman. 2*
faciũt superato vitio, quod nec præsidium Le- *Lex Dei naturaliter quæ sit.*
gis abstulerat. Cùm itaque per gratiam Lex Dei in cordibus scribitur, quæ Legis sunt naturaliter fiunt: non quia per naturam præuenta sit gratia, sed quia per gratiam reparata est natura.

De consensu Euangelistarum, Libro I. Cap. I.

Inter omnes diuinas auctoritates, quæ sanctis literis continentur, Euangelium meritò excellit. Quod enim Lex & Prophetæ futu- *Euangelii excellentia.*
rum prænũtiauerunt, hoc redditum atque cõpletum in Euangelio demonstratur.

Libro III. contra Epistolam Parmeniani, Cap. II.

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis Legem Christi. Quid est Lex Christi, nisi Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem? Quid est Lex Christi, nisi, Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis? Quod ergo hic dixit, Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis Legem Christi: hoc alio loco ait, Sufferentes inuicem in dilectione, studētes seruare vnitatē Spiritus in vinculo pacis. Nā & in illo Pharisæo modicū fermentū esse videbatur, quia super peccatore nō solùm non dolebat, sed super eius peccato de suis se meritis extollebat. Sed descendit ille confitens peccata sua, iustificatus magis quàm ille Pharisæus iactans merita sua, quoniam qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Sequitur ergo Apostolus & dicit, Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi, &c.

Ioannis 13.
Ioannis 14.
Galat. 6.
Ephes. 4.
Lucæ 18.
1. Corinth. 5.

Libro I. de Baptismo contra Donatistas, Cap. XV.

Ex ipso autem animali sensu, quia homo animalis non percipit quæ sunt Spiritus Dei, omnes dissentiones & schismata generantur. In quo sensu perseuerātes, Apostolus dicit ad vetus Testamētum pertinere, id est, ad terrenorū promissorū cupiditatem, in quibus quidem spiritalia figurantur. sed animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei. Quocúque ergo tempore tales homines esse cœperint in hac vita, iam diuinis pro seculorum distributione Sacramentis imbuti, si adhuc tamen carnaliter sapiant, & carnalia de Deo, siue in hac vita, siue post hanc vitam sperent atque desyderent, animales sūt. Ecclesia verò, quod est populus Dei, etiam in istius vitę peregrinatione antiqua res est, in aliis hominibus habēs animalem portionem, in aliis autem spiritalē. Ad animales pertinet vetus Testamentū: ad spiritales nouum. Sed primis temporibus vtrunque occultum fuit ab Adā vsque ad Mosem. A Mose autem manifestum est vetus, & in eo ipso occultabatur nouum, quia occultè significabatur. Postea verò quàm in carne Dominus venit, reuelatū est nouum, veteris autem Sacramenta cessarūt, sed concupiscētiæ tales non cessauerūt. In illis enim sunt, quos Apostolus iam per Sacramentum noui Testaméti natos, adhuc tamen dicit animales non posse percipere quæ sunt Spiritus Dei. Sicut enim in Sacramētis veteris Testaméti viuebant quidam spiritales, ad nouum scilicet testamētum, quod tunc occultabatur, occultè pertinentes: sic & nunc in Sacramento noui Testamenti, quod iam reuelatum est, plerique viuunt animales. Qui proficere si nolūt ad percipiēda quæ sunt Spiritus Dei, quò eos hortatur sermo Apostolicus, ad vetus Testamentum pertinebunt. Si autem proficiunt, & antequam capiant ipso profectu & accessu ad nouum pertinent. Et si priusquā spiritales fiāt ex hac vita rapiuntur, custoditi per Sacramenti sanctitatem, in terra viuentium cōputantur, vbi est spes nostra & portio Dominus. Nec inuenio quid verius intelligatur in eo, quod scriptum est, Imperfectum meum viderunt oculi tui, quandoquidem sequitur, Et in libro tuo omnes scribentur.

1. Corinth. 2. *Qui sunt animales.*
Psalm. 138.

Ad inquisitiones Ianuarii, libro II. Cap. XII.

Obseruare diem sabbati, non ad literam iubemur secundum otium ab opere corporali, sicut obseruant Iudæi. Et ipsa eorum obseruatio, quia ita præcepta est, nisi aliam quandā spiritalem requiem significet, ridenda iudicatur. Vnde non inconuenienter intelligimus, ad amorem excitādum, quo ad requiem tēdimus, valere omnia quæ figuratè in Scripturis dicuntur: quandoquidem non solum in Decalogo figuratè præcipitur, vbi requies commēdatur, quæ vbique amatur, sed in solo Deo certa & sancta inuenitur.

Observatio sabbati.

De opere Monachorum, Cap. XI.

Aliud est esse sub Lege, aliud in Lege, aliud sine Lege. Sub Lege carnales Iudæi, in Lege spiritales & Iudæi & Christiani. Vnde Apostoli seruauerunt morē illum patrium: sed onera insolita credentibus gētibus non imposuerunt: & ideo nec illi circuncisi sunt. Sine Lege autem gentes quæ nōdum crediderunt, quibus tamen se Apostolus cōgruisse testatur per misericordem compassionem, non per versipellem simulationem, id est, vt eo modo subueniret carnali Iudæo, vel pagano, quomodo sibi ipse si hoc esset, subueniri voluisset, portās vtique eorum infirmitatem in compassionis similitudine, non fallens in mendacii fictione, sicut continuò sequitur & dicit, Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Hinc enim loquebatur, vt etiam omnia illa diceret, &c.

1. Corinth. 9

Libro XII. de Genesi ad literam, Cap. VII.

Spiritus dicitur aer iste, vel flatus eius, id est, motus eius, sicut dictum est, Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis. Dicitur etiam spiritus anima siue pecoris, siue hominis, sicut scriptum est, Et quis scit, spiritus filiorum hominis si ascendat ipse sursum, & spiritus pecoris, si descendat ipse deorsum in terra? Dicitur spiritus, & ipsa mens rationalis, vbi est quidam tāquam oculus animæ, ad quem pertinet imago & agnitio Dei. Vnde dicit Apostolus, Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est. Quum & alibi dicat de interiore homine, Qui renouatur in agnitione Dei, secundum imaginem eius qui creauit eum. Item cùm dixisset, Igitur ipse ego mente seruio Legi Dei, carne autem legi peccati: alio loco sententiam cōmemorās, Caro (inquit) concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non ea quæ vultis faciatis. Quam dixit mentem, hanc etiam

Psalm. 148.
Eccles. 10. *Multiplicitur dicitur Spiritus.*
Ephes. 4
Coloss. 3
Roman. 7
Galat. 5

etiam ſpiritum appellauit. Dicitur Spiritus etiam Deus, ſicut ait Dominus in Euangelio,
Ioannis 4 Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.

Eodem libro, Cap. XI.

Quum enim legitur, Diliges proximum tuum tanquam teipſum, corporaliter literæ videntur, ſpiritaliter proximus cogitatur, intellectualiter dilectio conſpicitur.

In Euangelium Ioannis, Tractatu III.

Pertinemus ergo ad Euangelium, pertine-
Ioannis 1. mus ad nouum Teſtamentum. Lex per Moſem data eſt, gratia autẽ & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Interrogamus Apoſtolum, & dicit nobis, quoniã non ſumus ſub Lege ſed ſub gratia. Miſit ergo Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub Lege, vt eos qui ſub Lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Ecce ad hoc venit Chriſtꝰ, vt eos qui ſub Lege erãt redimeret, vt iam non ſimus ſub Lege, ſed ſub gratia. Quis ergo dedit Legem?
Lex per Moſen, per Chriſtum gratia. Ille dedit Legem qui dedit & gratiam: ſed Legem per ſeruum miſit, cũ gratia ipſe deſcendit. Et vnde facti erãt homines ſub Lege? Non implẽdo Legem. Qui enim Legem implet, nõ eſt ſub Lege, ſed cum Lege. Qui autem ſub Lege eſt, non ſubleuatur, ſed premitur Lege. Omnes itaque homines ſub Lege cõſtitutos reos facit Lex, & ad hoc illis ſuper caput eſt, vt oſtendat quòd peccata non tollat. Lex ergo iubet, dator Legis miſeretur. In eo quòd Lex iubet, conãtes homines implere viribus ſuis quod à Lege præceptum eſt, ipſa ſua temeritate & præcipiti præſumptione ceciderunt, & non ſunt cum Lege, ſed ſub Lege facti ſunt rei. Et quoniam ſuis viribus implere non poterant Legem, facti rei ſub Lege, implorauerũt liberatoris auxilium, & reatus Legis fecit ęgritudinẽ ſuperbis. A Egritudo ſuperborum, facta eſt confeſſio humilium. Iam confitentur ægroti qui ægrotant: veniat medicus, & ſanet ægrotos. Medicus quis eſt? Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Tractatu XVII.

Lex peccatores conuincit. Lex enim peccatores conuincebat, non ſoluebat. Ideo litera ſine gratia reos faciebat, quos confitentes gratia liberabat. Nam hoc dicit Apoſtolus, Si enim data eſſet Lex quæ poſſet viuificare, omnino ex Lege eſſet iuſtitia.
Galat. 5. Quare ergo data eſt Lex? Sequitur & dicit, Sed cõcluſit Scriptura omnia ſub peccato, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credẽtibus.

Tractatu XXV.

Exod. 3. Per Moſem terrena, per Chriſtum æterna promiſſa ſunt. Per Moſem quippe promittebatur regnum & terra fluens lac & mel, temporalis pax abundantia filiorum, ſalus corporis, & cætera omnia, temporalia quidem, in figura tamen ſpiritalia, quia veteri homini, in veteri Teſtamento promittebãtur. Attendebant ergo promiſſa per Moſem, attendebant promiſſa per Chriſtum. Ille plenum ventrem promittebat in terra, ſed cibo qui periit: iſte promittebat cibum, non qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.

Tractatu XXX.

Terra enim promiſſionis, victoria ab inimicis, fœcunditas pariendi, multiplicatio filiorum, abundantia fructuum, quæ illis omnia à *Quid ſit vetus Teſtamentum.* Deo quidem vero & bono, tamen vt carnalibus promiſſa ſunt: omnia hæc fecerat illis vetus Teſtamentum. Quid eſt vetus Teſtamentum? Quaſi hæreditas pertinens ad hominem veterem. Nos innouati ſumus, homo nouus facti ſumꝰ, quia & ille nouus homo venit. Quid tam nouum quàm naſci de virgine? Quia ergo nõ erat, quod in illo innouaret præceptum, quia nullum habebat peccatum, nouus partus eſt datus. In illo partus nouus, in nobis homo nouus. Quid eſt homo nouus? A vetuſtate innouatus. Ad quam rem innouatus? Ad deſyderanda cæleſtia, ad concupiſcenda ſempiterna, ad patriam quæ ſurſum eſt, quæ hoſtem non timet, deſyderandam. Vbi non perdimus amicũ *Nouum Teſtamentum vnde dicatur.* non timemus inimicum, vbi viuemus cum bono affectu, ſine defectu, vbi nemo naſcitur, quia nemo moritur, vbi nemo iam proficit, & nemo deficit, vbi non eſuritur, & non ſititur, ſed ſatietas eſt immortalitas, & cibus veritas. Hæc habentes promiſſa, & ad nouum Teſtamentum pertinentes, & nouæ hæreditatis facti hæredes, & ipſius Domini cohæredes, aliam ſpem valde habemus.

Tractatu XXXII.

Nam vnuſquiſque homo habet in ſe proprium ſpiritum, de quo loquebar, cùm animũ commendarem. Animus enim cuiuſque, proprius eſt ſpiritus eius. De quo dicit Paulus Apoſtolus. Quis enim ſcit hominum, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus qui in ipſo eſt? Deinde adiunxit, Sic & quæ Dei ſunt nemo ſcit, niſi Spiritus Dei, qui in ipſo eſt. Deinde noſtra nemo ſcit niſi ſpiritus noſter. Non enim noui quid cogitas, aut tu quid cogito. Ipſa enim ſũt propria noſtra, quæ interius cogitamus, & cogitationum vniuſcuiuſque hominis, ipſius ſpiritus teſtis eſt. Sic & quæ Dei ſũt, nemo ſcit niſi Spiritus Dei, nos cum ſpiritu noſtro, Deus cum ſuo: ita tamen vt Deus cum ſuo Spiritu ſciat etiam quid agatur in nobis. Nos autẽ ſine eius Spiritu ſcire non poſſumus quid agatur in Deo, Deus autem ſcit in nobis quod ipſi neſcimus in nobis. Nã infirmitatem ſuam *Matth. 26* Petrus neſciebat, quãdo à Domino, quòd ter eſſet negaturus audiebat, & æger ſe neſciebat, medicus ægrum ſciebat, &c.

Tractatu XLVIII.

Nõne ſcriptum eſt in Lege veſtra, hoc eſt *Pſalm. 81* vobis data, quia ego dixi dii eſtis? Deus dicit per Prophetam in Pſalmo hominibus, Ego dixi dii eſtis. Et Legem appellauit Dominus generaliter omnes illas Scripturas, quanuis alibi *Multis modis dicitur Lex.* ſpecialiter dicat Legem, à Prophetis eam diſtinguens, ſicuti eſt Lex & Prophetæ vſque ad

Matt.22,& Luca 24. Ioannem. Et in his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ. Aliquando autem in tria distribuit easdem Scripturas, vbi ait, Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege & Prophetis & Psalmis de me.

Tractatu XIIX.

Roman.5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, per peccatum mors: & ita in omnes homines pertrãsiit, in quo omnes peccauerũt. Ecce habes vnum diem mortis, quẽ homo trahit de mortis propagine. Deinde crescit, incipit accedere ad rationales annos, vt legẽ sapiat naturalem, quam omnes habẽt in corde fixam, Tobiæ 4. Quod tibi nõ vis, alii ne feceris. Nunquid hoc de paganis dicitur, & nõ in natura quodammodo legitur? Furtum vis pati? Vtique non vis. Ecce lex in corde tuo, Quod non vis pati, facere noli. Et hanc legem transgrediuntur homines. Ecce alter dies mortis. Data est Lex etiam diuinitus per famulum Dei Mosem. Dictum est illic, Non occides, Non mœchaberis, Non Exod.20. falsum testimonium dices, Honora patrem & matrem, Non cõcupisces rem proximi tui. Ecce Lex scripta. Lex scripta est, & ipsa contemnitur. Ecce tertius dies mortis. Quid restat? Venit & Euangelium, prædicatur regnum cælorum, diffamatur vbiq; Christus, minatur gehenna, vita promittitur æterna: & ipsa contemnitur. Trãsgrediuntur homines Euangelium. Ecce quartus dies mortis. Meritò iam fœtet. Nunquid & talibus est neganda misericordia? Absit. Etiam ad tales Dominus excitandos non dedignatur accedere.

Tractatu eodem.

Exod.31. Iusti sub Lege non sunt. Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Mortuus sub lapide, reus sub Lege. Scitis enim quia Lex quæ data est Iudęis, in lapide scripta est. Omnes rei autẽ sub Lege sũt, bene 1.Timoth.1. viuentes in Lege sunt. Iusto lex posita non est. Quid est ergo lapidem remouere? Gratiã prędicare. 2.Corinth.3. Apostolus enim Paulus ministrum se dicit noui Testamenti, non litera, sed spiritu. Nam litera (inquit) occidit, Spiritus autẽ viuificat. Litera (inquit) occidens, quasi lapis est Ioannis 11. premens. Remouete (inquit) lapidem. Remouete Legis pondus, gratiam prædicate. Si enim data esset Lex quæ posset viuificare, omnino ex Lege esset iustitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Galat.3. Iesu Christi daretur credentibus. Ergo remouete lapidem.

Cap.IX.Libro V.de ciuitate Dei.

Quid sit Spiritus vitæ. Nam & aer iste siue ventus, dicitur spiritus. Sed quoniã corpus est, non est Spiritus vitæ. Spiritus ergo vitæ qui viuificat omnia, creatórque est omnis corporis, & omnis creati spiritus, ipse est Deus, vtique Spiritus non creatus. In eius voluntate summa potestas est, quæ creatorum spirituum voluntates bonas adiuuat, malas iudicat, omnes ordinat, & quibusdã tribuit potestatem, quibusdam nõ tribuit. Sicut enim omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator non voluntatum. Malæ quippe volũtates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.

Cap.XV.Lib.X.

Legem pauci intell. sunt. Hæc autẽ Lex distributione temporum data est, quę prius haberet, vt dictum est, promissa terrena, quibus tamen significarentur æterna: quę visibilibus sacramentis celebrarent multi, intelligerent pauci. Vnius tamen Dei cultus apertissimè illic, & vocum & rerum omnium contestatione præcipitur, non vnius de turba, sed eius qui fecit cælum & terram, & omnem animam, & omnem spiritum, qui non est quod ipse. Ille enim fecit, hæc facta sunt, atque vt sint, & bene se habeant, eius indigent à quo facta sunt.

Cap.V.Lib.XIII.

Lex virtus peccati. Apostolus enim quum vellet ostendere quãtum peccatum, gratia non subueniente ad nocendum valeret, etiam ipsam Legem, qua prohibetur peccatum, non dubitauit dicere virtutem esse peccati. Aculeus (inquit) mor- 1.Corinth.15. tis est peccatum: virtus autem peccati Lex. Verissimè omnino. Auget enim prohibitio desyderium operis illicitti, quando iustitia non sic diligitur, vt peccati cupiditas eius dilectione vincatur. Vt autem diligatur, & delectet vera iustitia, nonnisi diuina subuenit gratia. Sed ne propterea Lex putaretur malum, quoniam virtus est dicta peccati, ideo ipse alio loco versans huiusmodi quæstionẽ, ita inquit, Lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum. Quod ergo bonum est (inquit) mihi fa- Roman.7. ctum est mors? Absit. Sed peccatũ vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, vt fiat supramodum peccãs peccatum per mandatum. Supramodum dixit, quia etiam præuaricatio additur, cùm peccandi aucta libidine etiam Lex ipsa contemnitur. Cur hoc cõmemorandum putauerimus? Quia scilicet sicut Lex non est malum, quando auget peccantium concupiscentiam, ita nec mors bonum est quando auget patientium gloriam. Cùm vel illa pro iniquitate deseritur, & efficit præuaricatores, vel ista pro veritate susçipitur, & efficit martyres. Ac per hoc Lex quidem bona est, quia prohibitio est peccati. Mors autẽ mala, quia stipendium est peccati. Sed quemadmo- Roman.6. dum iniusti malè vtuntur, non tantùm malis, verumetiam bonis, ita iusti bene, non tantùm bonis, sed etiam malis. Hinc fit vt & mali malè Lege vtantur, quanuis sit Lex bonum, & boni bene moriantur, quanuis sit mors malum.

Cap.VII.Libro XVII.

Vetus Testamẽtum de monte Sina testimonium perhibet nouo. Non enim prodest Testamentum vetus de monte Sina in seruitutem generans, nisi quia testimonium perhibet Testamento nouo. Alioqui quandiu legitur Moses, velamen super corda eorum positum est. Quum autem inde quisque transierit ad Christum, auferetur velamen.

lamen. Transeuntium quippe intentio ipsa mutatur de vetere ad nouum, vt non iam quisque intendat accipere carnalem sed spiritalem felicitatem, &c.

Cap. XI. Lib. XVIII.

Exod. 13. *Quibus temporibus eduxerit Moses populũ de AEgypto.*

Eduxit ergo Moses ex AEgypto populum Dei, nouissimo tempore Cecropis Athenien-sium regis, cùm apud Assyrios regnaret Ascades, apud Sicyonios Marathus, apud Argiuos, Triopas. Educto autem populo in mõte Sina, diuinitus acceptam tradidit Legẽ, quod vetus dicitur Testamentum, quia promissiones terrenas habet, & per Iesum Christum futurum fuerat Testamentum nouum, quo regnum cælorum promitteretur. Hunc enim ordinem seruari oportebat, sicut in vnoquoque homine, qui in Deum proficit, id agitur quod ait Apostolus, Vt non sit prius quod spiritale est, sed quod animale, postea spiritale: quoniam sicut dicit & verum est, Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cælo cælestis.

1. Corint. 15

Eodem libro, Cap. LIIII.

Exod. 19

Prima enim data fuit Lex in mõte Sina per Mosen, quod Testamentum vocatur vetus. De hac autem, quę per Christum danda erat, prædictum est, Ex Sion Lex prodiet, & verbũ Domini ex Hierusalem. Vnde & ipse per omnes gentes dixit prædicari oportere in nomine suo pœnitentiam, sed tamen incipientibus ab Hierusalem. Ibi ergo exorsus est huius nominis cultus, vt in Christũ Iesum, qui crucifixus fuerat & resurrexerat, crederetur. Ibi hæc fides tam insignibus nũtiis incanduit, vt aliquot hominum milia, in Christi nomine mirabili alacritate conuersa, venditis suis rebus, vt egenis distribuerentur, proposito sancto, & ardentissima charitate ad paupertatem voluntariã peruenerint, atque inter frementes & sanguinem sitientes Iudæos, se vsque ad mortem pro veritate certare, non armata potentia, sed potenti ore præpararent.

Esaiæ 2
Lucæ 24

Contra illos qui nullũ Ecclesiæ Christi vestigiũ posse inueniri opinantur in terra.

Libro XX. Cap. IIII.

Huius itaque vltimi iudicii Dei testimonia de Scripturis sãctis, quæ ponere instituimus, prius eligenda sunt de libris instrumenti noui, postea de veteris. Quanuis enim vetera priora sint tempore, noua tamen anteponenda sunt dignitate: quoniam illa vetera, præconia sunt nouorum. Noua igitur ponẽda sunt prius, quę vt firmius probemus, assumuntur & vetera. In veteribus habentur Lex & Prophetæ, in nouis Euangelium & Apostolicæ literæ. Ait autem Apostolus, Per Legem enim cognitio peccati. Nunc autem sine Lege Dei iustitia manifestata est, testificata per Legem & Prophetas. iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes qui credunt in eum. Hæc autem iustitia Dei ad nouum pertinet Testamentũ, & testimonium habet à veteribus libris, hoc est, à Lege & Prophetis. Prius igitur ipsa causa ponenda est, & postea testes introducendi. Hunc & ipse Iesus Christus ordinem seruandum esse demõstrãs, Scriba, inquit, eruditus in regno Dei, similis est viro patrifamilias proferenti de thesauro suo noua & vetera. Non dixit vetera & noua, quod vtique dixisset, nisi maluisset meritorũ ordinem seruare, quàm temporum, &c.

Roma. 3

Matth. 13

Eodem libro, Cap. XXI.

Locutiones enim tropicæ propriis prophetico more miscentur, vt ad intellectum spiritalem intentio sobria, cum quodam vtili & salubri labore perueniat. Pigritia verò carnalis, vel ineruditæ vel inexercitatæ tarditas mẽtis, contenta literæ superficie, nihil putat interius requirendum, &c.

Eodem Lib. Cap. XXVIII.

Quòd verò subiũgit idẽ Propheta, Memẽtote Legis Mosis serui mei, quam mandaui ei in Oreb ad omnem Israel præcepta & iudicia: opportunè cõmemorat, post hoc declaratum, tam magnum futurum inter obseruatores Legis, contemptoresque discrimen, simul etiam vt discant Legem spiritaliter intelligere, & inueniant in ea Christum, per quem iudicem facienda est inter bonos & malos ipsa discretio. Non enim frustra idẽ Dominus ait Iudæis, Si crederetis Mosi, crederetis & mihi: de me enĩ ille scripsit. Carnaliter quippe accipiendo Legem, & eius promissa terrena rerũ cælestium figuras esse nescientes, in illa murmura corruerunt, vt dicere auderent, Vanus est, qui seruit Deo, &c.

Malac. 4

Ioan. 5

Malac. 3

Lib. XXI. Cap. XV.

Veruntamen in graui iugo, quod positum est super filios Adam, à die exitus de vẽtre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrẽ omnium, etiam hoc medium miserabile repetitur, vt sobrii simus atque intelligamus hanc vitã de peccato illo nimis nefario, quod in paradiso perpetratum est, factam nobis esse pœnalem, totúmque quod nobiscum agitur per Testamentum nouum, nõ pertinere, nisi ad noui seculi hæreditatem nouam, vt hic pignore accepto, illud cuius hoc est pignus suo tempore consequamur. Nunc autem ambulemus in spe, & proficiẽtes de die in diem, Spiritu facta carnis mortificemus.

Eccles. 40

Gene. 3

Roman. 8

De vera Religione, Cap. XXVI. & XXVII.

Vt enim finis veteris hominis mors est, sic finis noui hominis vita æterna. Ille nanque homo peccati est, iste iustitiæ. Sicut autẽ isti ambo nullo dubitãte ita sunt, vt vnum eorum, id est, veterem atque terrenum possit in hac tota vita vnus homo agere, nouum verò & cælestẽ nemo in hac vita possit, nisi cum vetere (nam & ab ipso incipiat necesse est, & vsque ad visibilem mortem, cum illo, quãuis eo deficiente, se perficiente perduret:) sic proportione vniuersum genus humanum, cuius tãquam vnius hominis vita est ab Adam vsque ad finem huius seculi, ita sub diuinæ prouidentiæ legibus

administratur, vt in duo genera distributum appareat. Quorum in vno est turba impiorũ, terreni hominis imaginem ab initio seculi vsque ad finem gerentium, in altero series populi vni Deo dediti. Sed ab Adam vsque ad Ioãnem Baptistam, terreni hominis vitam gerẽtis seruili quadam iustitia, cuius historia vetus Testamentum vocatur, quasi terrenum pollicens regnum, quæ tota nihil est aliud, quàm imago noui populi, & noui Testamenti pollicentis regnum cælorum. Cuius populi vita interim temporalis incipit à Domini aduentu in humilitate, vsq; ad diem iudicii, quando in claritate venturus est. Post quod iudicium vetere homine extincto, erit illa mutatio quæ Angelicã
1. Corinth. 15 pollicetur vitam. Omnes enim resurgemus, sed non omnes immutabimur. Resurget ergo pius populus, vt veteris hominis sui reliquias trãsformet in nouum. Resurget autem impius populus, qui ab initio vsque ad finem veterẽ hominem gesserit, vt in secundam mortem præcipitetur. AEtatum autem articulos, qui diligenter legunt, inueniunt, nec zizania, nec paleas perhorrescũt. Impius nanque pio viuit, & peccator iusto, vt eorum comparatione alacrius, donec perficiatur, assurgat.

Contra Adimantum Manichæi discipulum, Cap. II.

Sabbati autem obseruationes non intelligebant Iudæi, qui putabant ab iis etiam operibus, quæ ad salutem hominum valent, oportere cessare. Vnde illos Dominus etiam aliis locis de boue, qui in puteum ceciderit, & iumento quod soluendum est vt ad aquam ducatur, mirifica comparatione redarguit. Sabbatum autem non repudiatum, sed intellectum à Christianis destitit quidẽ carnaliter obseruari, sed spiritaliter tenetur à Sanctis, qui intelligũt vocem Domini vocantis ad requiem, & dicentis,
Matth. 11. Venite ad me qui laboratis, & ego vos reficiã. Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & sarcina mea leuis. Hoc sabbatum, id est, hãc requiem Scriptura illa significat, quã Iudæi non intelligebant, & pro temporum dispensatione carnaliter sequebantur vmbram, cuius vmbræ quasi corpus, id est, veritas nobis danda erat, &c.

Luc. 13. Luc. 14.

Contra eundem, Cap. III.

Retract. l. 1. Cap. 22. Certis enim quibusdam vmbris & figuris rerum ante Domini aduentum, secundum mirabilem atque ordinatissimam distributionẽ temporum, Apostolus ille tenebatur, qui Testamentũ vetus accepit. tamen in eo tanta prædicatio noui Testamenti est, vt nulla in Euangelica atque Apostolica disciplina reperiãtur quanuis ardua & diuina præcepta & promissa, quæ illis etiam libris veteribus desint: sed sanctæ Scripturæ non temerarios & superbos accusatores, sed & pios & diligentes lectores desyderant.

Eodem libro, Cap. XVI.

Aduenientibus enim rebus, quarum erant vmbræ illæ obseruationes, id actũ est, vt ostenderetur, in ipsis vmbris non esse spem ponendam, sed in ipsis rebus quas illæ vmbræ significabant esse venturas, id est, Christum & Ecclesiam. Et propterea illa iam omnia inania erant: nec tamen ea tanquam noxia remouenda, sed tanquam superflua contemnenda Apostolus præcipit, vt si quis Iudæus Christo credidisset, propter offensionem suorum nõ prohiberetur in ipsis superfluis remanere: nec tamen in eis salutem suam constitutam seruaret. non enim signa illa, sed ea quæ iis significantur, in salutem introducunt. Ideóque præputium nihil est, & Galat. 5.
Circumcisio nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei, &c.

Cap. XXII.

De homine quem lapidare Deus iussit, qui Num. 15.
sabbato inuentus est ligna colligere. Dominus in Euangelio vbi hominis manum aridam sanauit die sabbati, diuinum opus fecit non humanum, nec ab otio recessit, qui iussit & factũ est. Et ideo non est simile hoc factum ligna colligẽti, quod facere quum inuentus esset homo die sabbati, iussu Dei lapidatus est. De seruili autẽ obseruatione sabbati, & de vindicta temporalis mortis, iam multa dicta sũt. Sicut enim tempore charitatis bonitas, sic tempore timoris seueritas Dei maximè cõmendatur. Et cùm adhuc non oporteret ante aduentum Domini nudare populo legitimarum sacramenta figurarum, non inuitabantur significata intelligere, sed iussa cogebantur implere. Nõdum enim Deo inhærebant per Spiritum, sed per carnem Legi seruiebãt. Miror autem quòd Manichæi plangunt lapidatum hominem Dei præcepto, quia contra iussa Legis ligna collegit, & non plangunt ficulneam arefactam verbo Christi, Matth. 21.
quæ contra nullum præceptum fecerat, quum talem animam arboris esse credant, qualem hominis.

Matth. 12.

Libro expositionis quarundam propositionum, ex Epistola ad Romanos.

Quod Apostolus dicit, Quia non iustificabitur in Lege omnis caro coram illo. per Legem enim cognitio peccati, & cętera simul, quę quidã putant in contumeliam Legis obiicienda: solicitè satis legenda sunt, vt neque Lex ab Apostolo improbata videatur, neque homini liberum arbitrium sit ablatũ. Itaque quatuor istos gradus hominis distinguamus, ante Legem, sub Lege, sub gratia, in pace. Ante Legem sequimur concupiscentiam carnis, sub Lege trahimur ab ea, sub gratia nec sequimur eam, nec trahimur ab ea, in pace nulla est concupiscentia carnis. Ante Legem ergo non pugnamus, quia non solùm concupiscimus & peccamus, sed etiam approbamus peccata. Sub Lege pugnamus, sed vincimur: fatemur enim malè esse, cùm vtique nolumus facere: sed quia nondum

Rom. 3.

dum est gratia, superamur. In isto gradu ostenditur nobis quomodo iacemus, & dum surgere nolumus & cadimus, grauius affligimur, &c.

Ibidem.

Scimus quia Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, satis ostendit Apostolus, non posse impleri Legē nisi ab spiritalibus, quales facit gratia. Dei enim similis quisque factus, ipse Legē facilè implet quod præcepit, nec erit sub illa sed cū illa. Is est autē, qui nec capitur tēporalibus bonis, nec terretur tēporalibus malis, &c.

Ibidem.

Roman. 8 Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Euidentissimè duorum Testamentorum distincta sunt tempora: illud enim ad timorem pertinet, nouum autē ad charitatem. Sed quæritur quid sit spiritus seruitutis. Nam Spiritus adoptionis filiorū, vtique Spiritus sanctus est. Spiritus ergo in timore ille est, qui potestatem habet mortis, quia in ipso timore per totam vitam rei erant seruitutis, qui sub Lege agebant, non sub gratia.

Super tertium cap. Epist. ad Galatas.

Opera Legis sunt bipartita. Scire prius debet homo opera Legis bipartita esse. Nam partim in sacramētis, partim verò in moribus accipiuntur. Ad sacramēta pertinent Circuncisio carnis, sabbatum temporale, neomeniæ, sacrificia, atque omnes huiusmodi innumerabiles obseruationes. ad mores autem, Non occides, Non mœchaberis, Non falsum testimonium dices, & talia cætera. Nunquidnam ergo Apostolus ita potest non curare vtrùm Christianus homicida, aut mœchus sit ac castus atque innocens, quemadmodum non curat vtrùm circuncisus carne an præputiatus sit? Nunc ergo de iis operibus maximè tractat, quæ sunt in sacramentis, quanquam & illa interdum se admiscere significet. Prope finem autem Epistolæ, de iis separatim tractauit quæ sunt in moribus, & illud breuiter, hoc autem diutius. Hæc enim onera potius imponi gentibus, quorū vtilitas in intellectu est. Nā hæc omnia exponuntur Christianis, vt quid valeant tantùm intelligant, etiam facere non cogantur. in obseruationibus autem si non intelligantur, seruitus sola est, qualis erat in populo Iudæorum, & est vsque adhuc.

Exod. 20.

Eodem Cap.

Roman. 8. Nam nunc quanuis primitias habentes Spiritus, qui vita est, propter iustitiā fidei: tamen quia adhuc mortuum est corpus propter peccatum, differentia ista, vel gentium, vel conditionis, vel sexus, iam quidem ablata est ab vnitate fidei, sed manet in conuersatione mortali, eiúsque ordinem in huius vitæ itinere seruandum esse & Apostoli præcipiunt, qui etiam regulas saluberrimas tradūt, quemadmodum secum viuāt, pro differētia gentis, Iudæi & Græci, & pro differentia cōditionis, domini & serui, & differentia sexus, viri & vxoris, vel si qua talia cætera occurrunt: & ipse prior Dominus qui ait, Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei. Matth. 22.

Ordinē in hac vita obseruandum.

LXXXIII. Quæstionum, Quæst. LXVI.

Apostolus tandiu dicit sub Lege esse hominē quādiu viuit peccato, quemadmodū tādiu mulier sub lege viri est, quandiu viuit vir. Rom. 7. Hoc autem peccatum hic intelligendum est, quod accessit per Legem. Quod peccatum dicit supra modum esse, quoniam quum iam appareat esse peccatū, fit tamen & adiuncta præuaricatione cumulatius. Vbi enim nō est Lex, nec præuaricatio. Et hoc est quod dicit, Vt fiat supra modum peccator, aut peccans peccatum per mandatum. Quapropter Legem, quanuis à peccando prohibeat, non tamen sic dicit datam vt liberaret à peccato, sed vt demonstraret peccatum: cui seruiens anima debet se ad gratiam Liberatoris conuertere, vt à peccato liberetur. Per Legē enim cognitio peccati. Et alio loco dicit, Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortē. Vbi ergo non est gratia Liberatoris, auget peccādi desyderium prohibitio peccatorū. Quod quidem ad hoc vtile est, vt sentiat anima seipsam non sibi sufficere ad extrahendum se à seruitute peccati, atque hoc modo detumescente atque extincta omni superbia, subdatur Liberatori suo, synceritérque homo dicat, Adhæsit anima mea post te. quod est iam non esse sub Lege peccati, sed in Lege iustitiæ. Lex autem peccati dicitur, non quia Lex ipsa peccatum est, sed quia peccatoribus imponitur. Ideo etiam Lex mortis, quia stipēdium peccati mors, aculeus mortis peccatum, virtus autē peccati Lex. Peccādo enim ad mortē labimur, vehemētius enim peccamus Lege prohibente, quàm si nulla Lege prohiberemur. Accedēte autē gratia, idipsum quod Lex onerosè iusserat, iā sine onere ac libentissimè implemus. Lex ergo peccati & mortis, id est, quæ posita est peccantibus atque morientibus, iubet tantùm ne concupiscamus, & tamen concupiscimus. Lex autē Spiritus vitæ, quæ pertinet ad gratiam, & liberat à lege peccati & mortis, facit vt non concupiscamus & impleamus iussa Legis: nō iam serui Legis per timorē, sed amici per charitatē, & serui iustitiæ, vnde illa Lex promulgata est. Iustitiæ autē non seruiliter, sed liberaliter seruiendum est, id est, charitate potius quàm timore. Ideóque verissimè dictum est, Legem ergo euacuamus per fidem? Absit. sed Legē statuimus. Hoc enim efficit fides quod Lex iubet. Statuitur ergo Lex per fidē. Quæ fides si nō sit, iubet tamē Lex, & non implētes iussa reos tenet, vt eos gementes & non valētes implere quæ iussa sunt, ad gratiam Liberatoris aliquando conuertat. *Lex peccatum demonstrat.* Roman. 3. Roman. 7. Psalm. 62. Roman. 6 1. Corinth 15. Roman. 3.

Post pauca ibidem.

Ex quo comprehendimus quatuor esse differentias etiā in nouo homine, quib° gradatim

peractis in vita æterna manebitur. Etenim quia oportebat, atque id iustũ erat, vt posteaquam natura nostra peccauit amissa beatitudine spiritali, quæ Paradisi nomine significatur, animales carnalésque nasceremur: prima est actio ante Legem, secunda sub Lege, tertia sub gratia, quarta in pace. Ante Legem actio est, cùm peccatum nõ ignoramus, & sequimur carnales concupiscentias. Sub Lege est, cùm iam prohibemur à peccato, & tamen cõsuetudine eius victi peccamus, quoniam nos nondũ adiuuat fides. Tertia actio est quando iam plenissimè credimus Liberatori nostro, nec meritis nostris aliquid tribuim⁹, sed eius misericordiam diligẽdo, iam non vincimur delectatione consuetudinis malæ, cùm ad peccatum nos ducere nititur. sed tamen adhuc eam interpellantem patimur, quanuis ei non tradamus. Quarta est, cùm omnino nihil est in homine quod resistat spiritui, sed omnia sibimet concorditer coniuncta & connexa vnum aliquid firma pace custodiunt. Quod fiet mortali corpore viuificato, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Ad primam actionem demonstrandam, ista testimonia interim occurunt, Per vnum hominem peccatum in hũc mundum intrauit, & per peccatum mors: & sic per omnes homines pertransiit, in quo omnes homines peccauerunt. Vsque ad Legem enim peccatum in mundo fuit, peccatum autem non deputabatur cùm Lex non esset. Et iterum, Sine Lege enim peccatum mortuum est, ego autem viuebam aliquando sine Lege. Quod autem hic dicit mortuũ est, hoc est, quod superius dicit, nõ deputabatur, id est, latebat. Quod manifestat in cõsequentibus, dicens, Sed peccatũ vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, id est, per Legem: quia bona est Lex, si quis ea legitimè vtatur. Si ergo hic ait, Vt appareat peccatum, manifestũ est quòd superius ideo dicebat mortuum & non deputari, quia nõ apparebat antequam Lege prohibẽte ostenderetur. Ad secundam actionem ista testimonia cõueniunt, Lex autem subintrauit vt abundaret delictum. Accessit enim & præuaricatio quę nõ erat. Et illud quod iam cõmemoratum est, Cùm essemus enim in carne, passiones peccatorũ, quæ per Legem sũt, operabãtur in membris nostris, vt fructum ferrent morti. Et illud, Quid ergo dicimus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui nisi per Legem. Nam concupiscentiam nesciebam nisi Lex diceret, Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscẽtiam. Et paulò pòst, Aduenięnte (inquit) mandato peccatum reuixit: ego autem mortuus sum. & inuentum esse mihi mãdatum quod erat ad vitã, hoc esse ad mortem. Peccatũ enim occasione accepta per mandatũ, fefellit me, & per illud occidit. Quod ergo ait, Mortuus sũ, vult intelligi mortuum me esse cognoui: quia iam etiã præuaricatione peccat, qui videt per Legem quid facere non debeat, & tamen facit. Quòd autẽ ait, Fefellit me peccatũ occasione accepta per mandatum, siue quia suasio ad peccandum delectationis vehementior est, cùm adest prohibitio, siue quia etiam si quid homo fecerit secundum iussa Legis, si adhuc non sit fides, quæ in gratia est, & vult sibi hoc tribuere non Deo: sub perbiẽdo plus peccat. Sequitur ergo & dicit, Itaque Lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonũ operatum est mihi mortem, vt fiat supra modum peccator, aut peccatum delinquens per mandatum. Scimus autẽ quia Lex spiritalis est, ego autẽ carnalis sum, id est, carni consentio, nondum spiritali gratia liberatus, venundatus sub peccato, id est peccans præuaricatione temporalium voluptatum. Quod enim operor ignoro, id est, non agnosco esse in præceptis veritatis, vbi est vera scientia. Secundum hanc locutionem dicit Dominus peccatoribus, Non noui vos. Nõ enim eum aliquid latet: sed quia peccata non inueniuntur in regulis præceptorum quas habet veritas, ideo ipsa veritas peccatoribus dicit, Non noui vos. *Ibidem in fine.*

Propter peccata Adæ carnales nascimur.

Meritis nostris nil tribuendum.

Rom. 5.

Rom. 7.

1. Timoth. 1.

Rom. 5.

Rom. 7.

Exod. 20.

Retract. 1. Cap. 26

Matth. 7

Quanuis enim non cedat, qui sub gratia constitutus mente seruit Legi Dei, tamen carne seruit Legi peccati. His gradibus homine perfecto, nulla subsũtia inuenitur malum. Neque Lex mala est, quæ ostendit homini in quibus peccatorum vinculis iaceat, vt per fidem implorato Liberatoris auxilio, & solui & erigi & firmissimè cõstitui mereatur. In prima ergo actione, quæ est ante Legẽ, nulla pugna est cum voluptatibus huius seculi. In secũda quæ sub Lege est, pugnamus, sed vincimur. In tertia pugnamus, sed vincimus. In quarta non pugnamus, sed perfecta & æterna pace requiescimus. Subiugatur enim nobis quod inferius nostrum est, quod propterea non subiugabatur, quia superiorẽ nobis deserueramus Deũ.

Militia humanis Christiani.

De Spiritu & litera ad Marcellinum, Cap. IIII.

Doctrina quippe illa qua mandatum accipimus continenter rectéque viuendi, litera est occidens, nisi adsit viuificans Spiritus. Neque enim solo illo modo intelligendum est quod legimus, Litera occidit, Spiritus autẽ viuificat, vt aliquid figuratè scriptum, cuius est absurda proprietas, non accipiamus sicut litera sonat, sed aliud quod significat intuẽtes, interiorem hominem spirituali intelligentia nutriamus. Quoniam sapere secundum carnem mors est, sapere autem secundum Spiritum pax & vita: velut si quisquam multa quæ scripta sunt in Cantico canticorum carnaliter accipiat, non ad luminosæ charitatis fructum, sed ad libidinosæ cupiditatis affectum. Non ergo

2. Corin. 3

Roman. 8

isto

2. Corinth. 3. Roman. 7.

isto solo modo intelligendum est, quod ait Apostolus, Litera occidit, Spiritus autem viuificat: sed etiã illo, eóque vel maximè quod apertissimè alio loco dicit, Concupiscentiã nesciebam nisi Lex diceret, Non cõcupisces. Et paulò pòst ait, Occasione accepta peccatum per mandatum fefellit me, & per illud occidit. Ecce quid est, Litera occidit. Et vtique non figuratè aliquid dicitur, quod accipiendum non sit secundum literæ sonum, quum dicitur, Non cõcupisces: sed perfectissimum saluberrimúmque præceptũ est, quod si quis impleuerit, nullum habebit omnino peccatũ. Nam hoc ideo elegit Apostolus generale quoddam, quo cuncta complexus est, tanquam hęc esset vox Legis ab omni peccato prohibentis, quod ait, Non cõcupisces. Neque enim vllum peccatũ nisi cõcupiscendo cõmittitur. Proinde quæ hoc præcipit bona & laudabilis Lex est. Sed vbi fãctus non adiuuat Spiritus, inspirans pro concupiscentia mala concupiscentiam bonam, hoc est, charitatem diffundẽs in cordibus nostris, profectò illa Lex, quanuis bona, auget prohibẽdo desyderium malum, sicut aquæ impetus si in eam partem non esset influere, vehementior fit obice opposito: cuius molem cùm euicerit, maiore cumulo præcipitatus, violentius per prona prouoluitur. Nescio quo enim modo, hoc ipsum quod concupiscitur, fit iucundius dum vetatur. Et hoc est quod fallit peccatum per mandatum, & per illud occidit, cùm accedit etiam præuaricatio, quæ nulla est vbi Lex non est. Sed totum ipsum Apostolicæ Epistolæ locum si placet consyderemus, & sicut Dominus adiuuerit pertractemus.

Roman. 5.

Similc.

Eodem libro, Cap. V.

Volo enim si potuero demonstrare illud quod ait Apostol°, Litera occidit, Spiritus autem viuificat, non de figuratis locutionibus dictũ, quãuis & illud congruenter accipiatur, sed potius de Lege apertè quod malum est prohibente. Quod cùm ostendere, profectò manifestius apparebit, bene viuere donum esse diuinum: nõ tantùm quia homini Deus dedit libe-

Sine libero arbitrio nec bene, nec male viuitur.

rum arbitrium, sine quo nec malè nec bene viuitur, nec tantùm quia præceptum dedit, quo doceat quemadmodum sit viuendum, sed quia per Spiritum sanctum diffundit charitatem in cordibus eorum, quos præsciuit vt prædestinaret, prædestinauit vt vocaret, vocauit vt iustificaret, iustificauit vt glorificaret.

Eodem Cap. in fine.

Roman. 5

Attende igitur Apostolum ad Romanos explicantem, satísque monstrantem quod scripsit ad Corinthios, Litera occidit, Spiritus autem viuificat, sic magis accipiendum quemadmodum suprà diximus, quoniam Legis litera

Litera Legis peccatum facit, nõ cauere

quæ docet non esse peccandum, si Spiritus viuificãs desit, occidit. Facit enim peccatum poti° quàm cauere, & ideo magis augeri quàm minui: quia malæ cõcupiscentiæ etiam præuaricatio Legis accedit.

Cap. VIII.

Non enim qui in manifesto Iudęus est, neq; quæ in manifesto in carne est Circuncisio, sed qui in abscondito Iudæus est, & Circuncisio cordis spiritu non litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo. Hic Circũcisionem cordis dicit, puram scilicet ab omni illicita concupiscentia voluntatem, quod non fit litera docente & minãte, sed Spiritu adiuuãte atque sanante. Ideo laus talium non ex hominibus, sed ex Deo est, qui per suam gratiam præstat vnde laudentur: de quo dicitur, In Domino laudabitur anima mea: & cui dicitur, Apud te laus mea. Non quales illi sunt, qui Deum laudare volũt quòd homines sunt, se autem quòd iusti sunt. Sed laudamus (inquiunt) & Deum nostrę iustificationis auctorem, in eo quòd Legem dedit, cuius intuitu nouerimus, quemadmodum viuere debeam°: nec audiũt quod legũt, Quia non iustificabitur ex Lege omnis caro coram Deo. Potest enim fieri corã hominibus, nõ autem corã illo, qui cordis ipsius & intimę voluntatis inspector est. Vbi vide etiã si aliud faciat qui Legem timet, quid tamen malet facere si liceret. Ac ne quisquam putaret hic Apostolũ ea Lege dixisse neminem iustificari, quæ in sacramẽtis veteribus multa cõtinet figurata præcepta, vnde etiam ipsa est Circuncisio carnis, quã die octauo accipere paruuli iussi sunt, continuò subiunxit quã Legem dixerit, & ait, Per Legẽ enim cognitio peccati. Illa igitur Lex est de qua postea dicit, Peccatum nõ cognoui nisi per Legem. Nam concupiscẽtiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces. Nam quid est aliud, Per Legem enim cognitio peccati?

Vera Circuncisio.

Psal. 21, & 33

Roman. 3.

Rom. 3. & 7

Cap. IX.

Lex quidem hoc ipso quòd iubendo & minando & neminẽ iustificando, satis indicat dono Dei iustificari hominẽ per adiutorium Spiritus: Prophetæ autem quia id quod prædixerunt, Christi adimpleuit aduentus, &c.

Iustificandi hominis ratio.

Cap. X.

Iusto enim Lex nõ est posita, quæ tamen bona est si quis ea legitimè vtatur. Hæc duo Apostolus velut inter se contraria connectens, monet mouẽtque lectorem, ad perserutandã quæstionem atque soluẽdam. Quomodo enim bona esset lex, si quis ea legitimè vtatur, si etiam quod sequitur verum est, Sciens hoc, quia iusto Lex non est posita? Nam quis legitimè vtitur Lege, nisi iustus? At ei non est posita, sed iniusto. An & iniustus vt iustificetur, id est, vt iustus fiat, legitimè Lege vti debet, qua tanquã pædagogo perducatur ad gratiã, per quam solam quod Lex iubet possit implere? Per ipsam quippe iustificatur gratis, id est, nullis suorum operum præcedentibus meritis, alioquin gratia iam non est gratia: quandoquidem ideo datur, non quia bona opera fecimus, sed vt ea facere valeamus, id est, non quia Legem impleuimus, sed vt Legem implere possimus. Ille

1. Timoth. 1

Galat. 3. Iustificamur gratis.

Matth.5 Ioannis 1 enim dixit, Non veni soluere Legem, sed adimplere. De quo dictum est, Vidimus gloriã eius, gloriam tanquam vnigeniti à Patre, plenũ gratia & veritate. Hæc est gloria, de qua dictũ est, Roman.3 Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Et hæc est gratia, de qua continuò dicit, Iustificati gratis per gratiã ipsius. Iniustus ergo legitimè Lege vtitur vt iustus fiat. Quod quum factus fuerit, ea iam non vtatur tanquam vehiculo cùm peruenerit, vel potius (vt suprà dicta similitudine Apostoli vtar) tanquam pędagogo cùm eruditus fuerit. Quomodo enim iusto Lex non est posita, si & iusto est necessaria, non qua iniustus ad iustificãtem gratiam perducatur, sed qua legitimè iam iust⁹ vtatur? An fortè, imò verò non fortè, sed certè sic legitimè vtatur Lege iam iustus, cùm eam terrendis imponit iniustis, vt cùm & in ipsis cœperit inolitæ concupiscentiæ morbus, incẽtiuo prohibitionis & cumulo præuaricationis augeri, confugiant per fidem ad iustificantem gratiam, & per donũ Spiritus suauitate iustitiæ delectati, pœnam literæ minantis euadãt. Ita non erunt contraria, neque inter se duo ista pugnabunt, vt etiam iustus bona Lege legitimè vtatur, & Fide iustificamur. tamen iusto Lex posita non sit. Non enim ex ea iustificatus est, sed ex Lege fidei, qua credidit nullo modo posse suæ infirmitati ad implenda ea quæ lex factorum iuberet, nisi diuina gratia Roman.3. subueniri. Ideo dicit, Vbi est ergo gloriatio? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non, sed per legem fidei.

Cap. XIIII.

Exod.20,&31 Certè enim Legem Moses ministrandam populo accepit in monte, scriptam in lapideis tabulis digito Dei. Hæc decem præceptis constringitur, vbi nihil de Circuncisione mandatum est, nihil de victimis pecorum, quæ nunc à Christianis non immolantur. In illis igitur decem præceptis, excepta sabbati obseruatione, dicatur mihi quid non sit obseruãdum à Chri- Idola non facienda neque colenda. stiano, siue de non faciendis colendísque idolis alísque vllis diis, præter vnum verũ Deum, siue de non accipiendo nomine Domini in vanum, siue de honore parẽtibus deferendo, siue de cauendis fornicationibus, homicidiis, furtis, falsis testimoniis, adulteriis, re aliena cõcupiscẽda. Quid horum quisquam dixerit Christianum non debere seruare? An fortè non istã Legem, quæ in illis duabus tabulis scripta est, literam occidentem appellat Apostolus, sed illam Circuncisionis aliorúmque veterum iámque abolitorum sacramentorũ? Sed quomodo putabimus, cùm in ea sit, Non concupisces: per quod mandatum, quãuis sanctum & iustum & bonũ, fefellit me (inquit) peccatum, & per illud occidit? Quid enim aliud est, Litera occidit, Spiritus autẽ viuificat, quantis euidẽtius eo ipso loco ad Corinthios vbi ait, Litera occidit, Spiritus autẽ viuificat, nõ aliam velit intelligi literam, quàm ipsum Decalogũ, in illis duabus 2.Corinth.3. tabulis scriptum? Sic enim dicit, Quoniam estis epistola Christi, ministrata per nos, scripta non atramẽto, sed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Confidentiam autem talem habemus, per Iesum Christum ad Deum, non quia idonei simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est: qui idoneos nos fecit ministros noui Testamenti, non literæ sed Spiritu. Litera enim occidit, Spiritus autẽ viuificat. Si autem ministratio mortis, in literis figurãta in lapidibus, fuit in gloria, ita vt nõ possent intendere filii Israel in faciẽ Mosi, propter gloriam vultus eius quæ euacuatur, quare non magis ministratio Spiritus erit in gloria? Si enim ministratio damnationis in gloria est, multò magis abũdat ministerium iustitiæ in gloria.

In fine capitis.

Porrò autem si adsit fides quæ per dilectionem operatur, incipit condelectari Legi Dei secundum interiorem hominem, quæ delectatio non literæ sed spiritus donum est, etiamsi alia lex in membris adhuc repugnat legi mentis, donec in nouitate, quæ de die in diẽ in interiore homine augetur, tota vetustas mutata pertranseat, liberante nos de corpore mortis huius, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, &c. *Per Spiritum adiuuatur lex.* Galat.5

Cap. XV.

Hæc gratia in Testamento veteri velata latitabat, quæ in Christi Euangelio reuelata est dispensatione temporum ordinatissima, sicut Deus nouit cuncta disponere. Et fortasse ad illudipsum eius latibulum pertinet, quod in eo Decalogo, qui datus est in monte Sina, hoc solum præcepto figurato occultatum est, quod ad sabbatum pertinet. Sabbatum autem dies sanctificationis est. *Gratia Christi velata.* Exod.20

Cap. XVI.

Deus autem Spiritus est. Vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Hic autem Spiritus Domini, cuius dono iustificamur, quo fit in nobis vt non peccare delectet, vbi libertas est, sicut prẽter hunc Spiritum peccare delectat, vbi seruitus, à cuius operibus abstinendum, id est, spiritaliter sabbatizãdum est. Hic Spiritus sanctus, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, quæ plenitudo Legis est, etiam digitus Dei in Euangelio dicitur. Vnde & quia illæ tabulæ digito Dei conscriptæ sunt, & digitus Dei est Spiritus Dei, per quem sanctificamur, vt ex fide viuentes per dilectionem bene operemur: quem non moueat ista congruẽtia ibidémque eadem subsistentia? 2.Corinth.3 *Vbi non est Spiritus Domini, ibi seruitur.* Roman.9 Roman.13 Lucæ.11

Cap. XVII.

Et quòd paulò pòst dicit, quòd non poterant intendere filii Israel, vsque in finem vult⁹ Mosi, & ideo eis per velum loquebatur hoc significat quia litera Legis neminem iustificat, sed velamen positum est in lectione veteris Testamenti, donec ad Christum transeatur, &

& auferatur velamen, id est, transeatur ad gratiam, & intelligatur ab ipso nobis esse iustificationem, qua faciamus quod iubet. Qui propterea iubet, vt nos deficientes ad illum cõfugiamus. Ideo vigilantissimè cùm dixisset, Confidentiam talem habemus per Christũ ad Deũ: ne nostris hoc viribus tribueretur, continuò commendauit vnde agitur, dicens, Non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui Testamenti, non literæ sed Spiritus. Litera enim occidit, Spiritus autem viuificat.

Quare Deus iubet impossibilia. *2. Corinth. 3*

Cap. XVIII.

Proinde quia Lex, sicut alibi dicit, pręuaricationis gratia posita est, id est, litera ista extra hominem scripta: propterea eam & ministrationem mortis & ministrationem damnationis appellat. Hanc autem, id est, noui Testamẽti, ministrationem Spiritus & ministrationem iustitiæ dicit, quia per donum Spiritus operamur iustitiam, & à prævaricationis damnatione liberamur. Ideo illud euacuatur, hoc manet: quoniam terrens pædagogus auferetur, cùm timori successerit charitas. Vbi enim Spiritus Domini, ibi libertas. Hanc autem ministrationem, non ex meritis nostris, sed ex misericordia esse sic dicit, Propter quod habentes ministrationem hanc, sicut misericordiam cõsecuti, non infirmemur, sed abiiciamus occulta confusionis, non ambulantes in astutia, neque dolo adulterãtes verbum Dei. Hanc astutiam & dolum vult hypocrisim intelligi, qua volunt iusti videri superbi.

Lex, mortis, Euangelium, ministratio. *Roman. 4.* *2. Corinth. 3.* *2. Corinth. 4.*

Cap. XIX, & XX.

Consummabo (inquit) super domum Israel & super domum Iuda Testamentum nouum. Quid est consummabo, nisi implebo? Non secundum Testamentum quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti. Ergo illud vetus erat, quia hoc nouũ est. Vnde igitur illud vetus, hoc nouum, cùm Lex eadem impleatur per Testamentum nouum, quæ dixit in veteri, Nõ concupisces? Quia ipsi (inquit) non perseuerauerunt in Testamento nouo, & ego neglexi eos dicit Dominus. Ergo propter veteris hominis noxam, quæ per literam iubentem & minantem minimè sanabatur, dicitur illud Testamẽtum vetus: hoc autem nouum, propter nouitatem Spiritus, quæ hominem nouum sanat à vitio vetustatis.

Hieremi. 31. *Exod. 20.* *Differentia veteris & noui Testamenti.*

Cap. XXI.

Quid sunt ergo leges Dei ab ipso Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus sancti, qui est digitus Dei, quo præsente diffunditur charitas cordibus nostris, quæ plenitudo Legis est, & præcepti finis? Nam quia veteris Testamenti promissa terrena sunt, licet exceptis sacramentis, quæ vmbra erant futurorum, sicut Circuncisio & sabbatum, & aliæ dierum obseruationes, & quarundam escarum ceremoniæ, & multiplex sacrificiorum sacrorúmque ritus, quæ vetustati carnali legi iugóque seruili congruebant, talia contineant præcepta iustitiæ, qualia nunc quoque obseruare præcipimur, quæ maximè duabus illis tabulis, sine figura adumbratæ significationis expressa sunt, sicut est, Non adulterabis, Non homicidium facies, Non cõcupisces, & si quod aliud mandatum, quod in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum sicut teipsum: tamen quia in eo, sicut dixi, promissa terrena & tẽporalia recitantur, quæ bona sunt huius corruptibilis carnis, quanuis eis sempiterna atque cælestia, ad nouum scilicet Testamentum pertinentia figurarentur, nunc ipsius cordis bonum promittitur, mentis bonum, spiritus bonum, hoc est, intelligibile bonum, cùm dicitur, Dabo leges meas in mente eorum, & in cordibus eorum scribam eas. Vnde significauit eos non forinsecus terrẽtem Legem formidaturos, sed intrinsecus habitantem ipsam Legis iustitiam dilecturos.

2. Retract. 37. *Exod. 20.* *Roman. 13.*

Cap. XXV.

Per Legem enim factorum dicit Dominus, Non concupisces: per Legem fidei dicit Dominus, Sine me nihil potestis facere. Aiebat enim de bonis operibus, hoc est, de palmitum fructibus. Cùm igitur hæc appareat distantia veteris & noui Testamenti, quòd Lex ibi in tabulis, hic in cordibus scribitur, vt quod ibi forinsecus terret, hîc delectet intrinsecus, ibíque fiat prævaricator per occidentem literam, hîc dilector per viuificãtem Spiritum: nõ ideo dicendum est, quòd Deus adiuuet nos ad operandam iustitiam, atque operetur in nobis & velle & operari pro bona voluntate: quia præceptis iustitiæ forinsecus insonat sensibus nostris, sed quia intrinsecus incremẽtum dat, diffundendo charitatem in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Exod. 20. *Ioannis 15.*

Libro de fide & operibus, Cap. XXI.

Regnum cælorum intra vos est. Hoc enim diripiunt, qui vim faciunt credendo, impetrantes Spiritum charitatis, vbi est plenitudo Legis, sine qua Lex in litera reos faciebat etiam prævaricationis. Non itaque putandũ est ideo dictum, Regnum cælorum vim patitur, & qui vim faciunt diripiunt illud, quia etiam mali tantummodo credendo & pessimè viuendo perueniunt in regnum cælorum: sed quia reatus ille prævaricationis, quem sola Lex, id est, litera sine Spiritu iubendo faciebat, credendo soluitur, & violentia fidei Spiritus sanctus impetratur, per quem diffusa charitate in cordibus nostris, Lex non timore pœnę, sed iustitiæ amore completur.

Luce 17. *Matth. 11.* *Regnum cælorum vim patitur.* *Roman. 5.*

Lib. II. Quæst. super Exodũ, Quæst. CXIIII.

Iratus quidẽ Moses videtur tabulas testimonii, digito Dei scriptas collisisse atque fregisse: magno tamẽ mysterio figurata est iteratio Te-

Fractura tabularum per Moysen.

ſtamenti noui, quoniam vetus fuerat abolendum & conſtituendum nouum.

Eodem libro, Quæſt. CIXVI.

Lex enim poſita eſt in veteri Teſtamento, quæ conuinceret trāſgreſſores, quæ ſubintrauit vt abundaret delictum. non enim implebatur timore, quæ non impletur niſi charitate. Et ideo dicitur opus Dei, quia Deus Legem conſtituit, Deus conſcripſit. nullum opus hominis, quia homo Deo non obtemperauit, & eum potius reum Lex fecit. In ſecundis autem tabulis, homo per adiutorium Dei tabulas fecit atque conſcripſit: quia noui Teſtamenti charitas Legem fecit. Vnde dicit Dominus, Nō veni Legem ſoluere, ſed adimplere. Dicit autem Apoſtolus, Plenitudo Legis charitas, & fides quæ per dilectionem operatur. Factū eſt itaq; homini facile in nouo Teſtamento, quod in veteri difficile fuit, habenti fidem quæ per dilectionem operatur, atq; illo digito Dei, hoc eſt, Spiritu Dei, intus eam in corde ſcribente, non foris in lapide. Vnde dicit Apoſtolus, Nō in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus: quoniam charitas Dei, qua veraciter impletur præceptum, diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Hoc eſt ergo. prima data eſt Lex, vbi ſignificatur vetus Teſtamentum, quod eſt opus tantūmodo Dei, & conſcriptio digito Dei. Quod Apoſtolus dicit, Itaque Lex quidem ſancta & bona, Dei opus eſt, vbi homo nihil agit, quia non obtemperat, ſed reatu potius premitur Lege minante atque damnante. Peccatum enim vt appareat peccatum (inquit) per bonum operatum eſt mihi mortem. Beatus autem homo eſt, quum hoc mandatum ſanctum, & iuſtum & bonum facit. hoc etiam opus eius, ſed per gratiam Dei.

Roman. 5

Lex dicitur opus Dei.

Matth. 5
Roman. 13

2. Corinth. 5

Roman. 7

Contra aduerſarium Legis & Prophetarum, Libro I. Cap. XVII.

Quanuis enim in veteri Teſtamento, propter tēporalium bonorum promiſsionem, malorúmque comminationem, ſeruos pariat temporalis Hieruſalem: in nouo autem vbi fides impetrat charitatem, qua Lex poſsit impleri, non magis timore pœnæ, quàm dilectione iuſtitiæ, liberos pariat æterna Hieruſalem: tamen & illis temporibus fuerunt iuſti ſpiritales, quos non occidebat litera iubens, ſed viuificabat Spiritus iuuans. Vnde & fides venturi Chriſti, habitabat vtique in Prophetis, venturum prænuntiantibus Chriſtum. Et nunc ſunt plurimi carnales, qui vel hæreſes faciunt nō intelligēdo Scripturas, vel in ipſa Catholica, aut adhuc paruuli lacte nutriuntur, aut tanquam palea perſeuerās, futuris ignibus præparātur. Sicut autem Deus vnus & verus creator bonorum eſt, & temporalium & æternorum, ita idem ipſe auctor eſt amborum Teſtamētorum. Quia & nouum in veteri eſt figuratum, & vetus in nouo eſt reuelatum.

Duorum Teſtamentorum differentia.

Lib. II. contra eundem, Cap. VII.

Lex enim, quanuis iuſta & ſancta & bona, præuaricatoribus intulit mortem, quos Dei gratia non adiuuit ad iuſtitiam legis implendam. Oportebat enim vt Teſtamento veteri Lex imponeretur ſuperbis, & de ſuæ voluntatis virtute fidētibus, quæ non daret iuſtitiam, ſed iuberet. Ac ſic morte præuaricationis impliciti, ad gratiam confugerent, non iubentem tantummodo, ſed iuuantem, quæ nouo Teſtamento eſt reuelata. Hinc putant iſti diuinorū eloquiorum blaſphematores, malam fuiſſe Legem, quæ data eſt per Moſen, quia dicta eſt miniſtratio mortis in literis figurata lapideis, nō intuentes propter eos eſſe dictum, qui ſuo libero arbitrio Legem ſufficere arbitrabantur, & Spiritu gratiæ non adiuti, rei præuaricationis ſub eiuſdem Legis litera tenebantur. Vnde alibi dicit, Lex iram operatur. vbi enim Lex non eſt, nec præuaricatio: hinc oſtendens vnde dixerit, Lex iram operatur. Neque enim eis præuaricatio mala eſſet, niſi Lex ipſa bona eſſet.

Roman. 4

Poſt pauca ibidem.

Prohibitio enim peccati, quod eſt Lex, auget profectò deſyderium peccandi. Quod nō extinguitur, niſi contrario deſyderio rectè faciendi, vbi fides per dilectionē operatur. Hoc autem non præſtat litera iubens, ſed Spiritus iuuans. Non Lex ergo, ſed gratia, nō vetus Teſtamentum in ſeruitutem generās, quod eſt Agar, ſed nouum, in quo nō ſunt ancillæ filii, ſed liberæ, qua libertate Chriſtus nos liberauit. Et tamen Lex ſancta eſt, & mādatum ſanctum & iuſtum & bonum. Et per hoc ergo mandatum ſanctum & iuſtum & bonum, in iis qui nō habent Spiritum Chriſti, operatur peccatum omnem concupiſcentiam. Qualem ſe fuiſſe in veteri Teſtamento, etiam ipſe Apoſtolus oſtendēs, Occaſione, inquit, accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnē concupiſcentiam. Per quod mandatum, niſi quod ait, Concupiſcentiam neſciebam, niſi Lex diceret, Non concupiſces? Nunquid malum eſt nō concupiſcere? Imò maximè bonum. Bona eſt ergo Lex quæ hoc dicit: ſed vbi non eſt præſtò viuificans Spiritus, hæc ipſa Lex quæ bonum dicit, occidit: quia peccati virtus eſt, cùm per illam operatur omnem cōcupiſcentiam, inflammando prohibitionem, quod non extinguitur per iubentem literam timore pœnæ, ſed per iuuantem Spiritum dilectione iuſtitiæ. Ideo ait, Peccatum vt appareat peccatum, per bonū mihi operatum eſt mortem. Non enim ait Per malum, ſed per bonum. Hìc euigilent ſi poſſunt, qui Legem Dei atque eius miniſtrum Moſen, cæco & furioſo corde reprehendunt.

Nitimur in vetitum.

Galat. 4

Roman. 7

Libro III. contra duas Epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium, Cap. II.

Impoſ-

Impossibile est enim Legem impleri per carnem, hoc est, per carnalem præsumptionẽ, qua superbi ignorantes Dei iustitiam, id est, quæ ex Deo est homini, vt sit iustus, & suam volentes constituere, tanquam per eorum non adiutum diuinitus arbitrium Lex posset impleri, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Ideo iustitia Legis in eis impletur, qui non secundum carnem ambulant, id est, secundum hominem ignorantem Dei iustitiam, & suam volentem constituere: sed ambulant secũdum Spiritum. Quis autem ambulat secundum Spiritum, nisi quisquis agitur Dei Spiritu? Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, ii filii sunt Dei. Ergo littera occidit, Spiritus autẽ viuificat. Nec litera malum est, quia occidit: sed malos præuaricatione cõuincit. Lex enim sancta, & mandatũ sanctũ & iustum & bonũ. Quod ergo bonũ est (inquit) mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonũ mihi operatum est mortem, vt fiat supramodum peccans peccatum per mãdatum. Ecce quid est, Litera occidit. Aculeus enim mortis est peccatum: virtus autem peccati, Lex. Auget quippe prohibendo peccati desyderia, & inde occidit, nisi subueniendo viuificet gratia.

Rom.8. 2.Corinth.3 Rom.7. 1.Corinth.15.

Eodem libro, Cap.IIII.

Exceptis quippe librorum veterum sacramentis, quæ sola significandi ratione præcepta sunt (quãquam & in eis spiritaliter intelligenda sunt) rectè Lex dicitur spiritalis. Cætera certè quæ ad pietatem bonósque mores pertinentia, non ad aliquam significationem vlla interpretatione referẽda, sed prorsus, vt sunt dicta, facienda sunt. Profectò illam Dei Legem, non solùm illi tunc populo: verumetiam nunc nobis ad institutẽdam rectè vitam necessariam nemo dubitauerit. Si enim Christus nobis abstulit illud grauissimum multarũ obseruationum iugum, ne carnaliter circuncidamur, ne pecorum victimas immolemus, ne sabbato, septenodierum volumine redeũte, ab operibus etiam necessariis quiescamus, & cætera huiusmodi: sed ea spiritaliter intellecta teneamus, remotísque vmbris significantibus, in rerum ipsarum, quæ significãtur, luce vigilemus: nunquid propterea dicturi sumus, non ad nos pertinere quod scriptum est, vt alienũ quodcunque perditum quisquis inuenerit, reddat ei qui perdidit, & alia multa similia, quibus piè rectéq; viuere discitur, maximéque ipsum Decalogum, qui duabus illis lapideis tabulis continetur, excepta sabbati obseruatione carnali, quæ spiritalem sanctificationem quietémque significat? Quis enim dicat non debere obseruare Christianos, vt vni Deo religionis obsequio seruiatur, vt idolũ non colatur, vt nomen Domini non accipiatur in vanum, vt parentes honorẽtur, ne adulteria, homicidia, furta, falsa testimonia perpetrentur, ne vxor, ne omnino res vlla concupiscatur aliena? Quis est tã impius, qui dicat ideo se ista Legis non custodire præcepta, quia est ipse Christianus, nec sub Lege, sed sub gratia constitutus? Verùm hæc planè magna distantia est, quòd faciunt ista sub Lege positi, quos litera occidit, terrenam felicitatem vel cupiditate adipiscendi, vel timore amittendi: & ideo non verè faciunt, quoniam carnalis cupiditas, qua peccatum augetur, cupiditate alia non sanatur. Hi ad vetus pertinẽt Testamentum, quod in seruitutem generat: quia facit eos carnalis timor & cupiditas seruos, non Euangelica fides, spes & charitas liberos. Sub gratia verò positi quos viuificat Spiritus, & fide ista faciunt, quæ per dilectionem operatur in spe bonorum non carnalium sed spiritalium, non terrenorum sed cælestium, non temporalium sed æternorum, præcipuè credentes in Mediatorem, per quem sibi non dubitant, & Spiritum gratiæ subministrari vt bene ista faciant, & ignosci posse quum peccant. Hi pertinent ad Testamentum nouum, filii promissionis, & regenerati à Deo Patre, & libera matre. Huius generis fuerunt antiqui omnes iusti, & ipse Moses Testamenti minister veteris, hęres noui: quia ex fide, qua nos viuimus, vna eadémque vixerunt, incarnationem, passionem, resurrectionémque Christi credentes futuram, quam nos credimus factam, vsque ad ipsum Ioannem Baptistam, tanquam præteritæ dispensationis limitem quẽdam. Qui Mediatorem ipsum non aliqua vmbra futuri, vel allegorica significatione, vel vlla prophetica prænuntiatione venturum esse significans: sed digito demonstrans, ait, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Tanquam dicens, Quẽ multi iusti videre concupierunt, in quem venturum ab ipsius humani generis initio crediderũt, de quo Abrahæ dictæ sunt promissiones, de quo scripsit Moses, de quo Lex & Prophetæ sunt testes, Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Ab hoc Ioanne & deinceps cœperunt de Christo fieri præterita velut præsentia, quæ ab illis omnibus anterioris tẽporis iustis credebantur, sperabantur, desyderabantur futura. Eadẽ igitur fides, & in illis qui nondum nomine, sed reipsa fuerunt antea Christiani, & in istis, qui non solùm sunt, verumetiam vocantur, & in vtrisque eadem gratia per Spiritum sanctum. Vnde dicit Apostolus, Habentes autem eundem Spiritum fidei, secundum quod scriptum est, Credidi, propter quod locutus sum. & nos credidimus, propter quod & loquimur, &c.

Lex spiritalis dicitur.

A ceremoniis libris Christus nos liberos reddidit.

Vna fides Patrũ & nostra

Ioan.1. Galat.3. Genes.22. 2.Corinth.4. Psalm.115.

Ibidem.

Si ergo cùm Lex non iustificat impium, de præuaricatione conuictum, mittit ad iustificantem Deum, atque ita iustitiæ Dei perhibet testimonium, &c.

Libro IIII. contra easdem,

Cap.V.

Neque enim Lex illa, quãuis & iusta & sancta & bona, omnibus illis hominibus Dei, sed

fides quæ in Christo est, vitam potuit cõferre perpetuã. Hæc enim fides per dilectionẽ operatur, non secundum literam, quæ occidit, sed secundum Spiritum qui viuificat, ad quã Dei gratiam, Lex de præuaricatione terrendo, tanquam pędagogus perducit, vt sic cõferatur homini, quod conferre ipsa non potuit. Istis nanque verbis hæreticorum, quibus dicunt Legẽ Prophetis & Patriarchis, omnibúsque Sãctis mandata eius seruantibus, vitam potuisse con
Galat.2 ferre perpetuam, respondet Apostolus, Si per Legem iustitia, Christus gratis mortuus est. Si ex Lege hæreditas, iam non ex promissione. Si ii qui per Legem hæredes sunt, exinanita est fides, euacuata est promissio. Quia autẽ in Lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum
Galat.3 est, quia iustus ex fide viuit, Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea, viuet in eis. Quod ex Lege testimonium commemoratum ab Apostolo, propter vitam temporalem intelligitur, propter cuius amittendæ timorem, faciebant homines Legis opera nõ ex fide, quę trãsgressores Legis eadẽ Lege à populo iubebat occidi.

Eodem Cap. in fine.

Quomodo scientia inflat. 1.Corint.8 Nam scientia Legis inflat sine charitate non ædificat, secundũ Apostolum apertissimè dicentẽ, Scientia inflat, charitas verò ædificat. Quæ sententia similis est ei, qua dictum est, Li
2.Corin.3 tera occidit, Spiritus autem viuificat. Quale est enim scientia inflat, tale est litera occidit: & quale est Charitas ædificat, tale est Spiritus viuificat. quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sãctum, qui datus est nobis. Cognitio itaque Legis facit superbum prævaricatorem, per donum autem charitatis delectat Legis esse factorem. Non ergo Legem euacuamus per fidẽ, sed Legem statuimus, quæ terrẽdo ducit ad fidem. Ideo quippe Lex iram operatur, vt territo atque conuerso, ad iustitiam Legis implendam Dei misericordiam gratia largiatur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est Dei sapiẽtia, de qua scriptum est, Legem & misericordiam in lingua portat. Legem qua terreat, misericordiam qua subueniat. Legem per seruum, misericordiam per seipsum. Legem tanquam in baculo, quem mi-
4.Reg.4 sit Helisæus ad viduæ filium suscitãdum, & nõ
Galat.3 resurrexit. Si enim data esset Lex quæ posset viuificare, omnino ex Lege esset iustitia. Misericordiã verò tanquam in ipso Helisæo, qui figuram Christi gerens, mortuo viuificando, magni sacramenti, velut noui Testamenti significatione coniunctus est.

In Enchirid. ad Laurent. Cap. CXVIII.

Sed cùm in altissimis ignorantiæ tenebris
Roman.3 nulla resistente ratione viuitur secundum carnem: hæc sunt prima hominis. Deinde cùm per Legem cognitio fuerit facta peccati, si nõdum diuinus adiuuat Spiritus, secundum Legem volens viuere vincitur, & sciẽs peccat, pec
2.Petr.2 catóq; subditus seruit. A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est, id agente scientia mandati, vt peccatum operetur in homine omnem concupiscentiam, cumulo prævaricationis adiecto: atque ita quod scriptum est impleatur, Lex subintrauit vt abundaret Rom.5. delictum. Hæc sunt secunda hominis. Si autem respexerit Deus, vt ad implenda quæ mandat ipse adiuuare credatur, vt agi homo cœperit Dei Spiritu, concupiscitur aduersus car Galat.5. nem fortiore robore charitatis: vt quanuis sit adhuc quod homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate sanata: ex fide tamen Abacuc 2. iustus viuat, iustéque viuat, inquantum non cedit malæ concupiscentiæ, vincente delectatione iustitiæ. Hæc sunt tertia bona spei hominis. In quibus si pia perseuerantia quisque proficiat, postrema pars restat, quæ post hanc vitam in requie spiritus, deinde in resurrectione carnis etiam implebitur. Harũ quatuor differentiarum, prima est ante Legem, secunda sub Lege, tertia sub gratia, quarta in pace plena atq; perfecta. Sic est & Dei populus ordinatus per temporum interualla, sicut Deo placuit, qui in mensura & numero & pondere cuncta disponit. Nam fuit primitus ante Legem, secundò sub Lege quæ per Mosen data est: deinde sub gratia, quæ reuelata est per per primũ Mediatoris aduentum. Quæ quidem gratia nec antea defuit quibus imperiri eã oportuit: quanuis pro temporis dispẽsatione velata & occulta. Neque enim antiquorum quicũque iustorum, præter Christi fidem salutem potuit inuenire. At verò nisi & illis cognitus fuisset, non potuissent nobis per eorum ministerium, aliis apertius, aliis occultius prophetari, &c.

De gratia & libero arbitrio, ad Valentinum, Cap. X.

Vbi enim Lex non est, nec præuaricatio est. Rom.4. Propter hoc & alibi ait, Vt seruiamus in nouitate Spiritus, & non in vetustate literæ: Legem volens intelligi, literæ vetustatem: nouitatem verò Spiritus, quid nisi gratiã? Et ne putaretur *Nouitas Spiritus gratia est.* accusasse Legem vel reprehendisse, continuò sibi opposuit quæstionem, & ait, Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Deinde subiunxit, Sed peccatum non cognoui, nisi per Legem. hoc est quod dixerat, Per Legem cognitio peccati.

Ad Simplicianum, lib. I. Quæst. I.

Bona est Lex, si quis ea legitimè vtatur: ma- 1.Timoth.1. lè autem vtitur Lege, qui non se subdit Deo pia humilitate, vt per gratiam Lex possit impleri. Itaque ad nihil aliud accipit Legem, qui non ea legitimè vtitur, nisi vt peccatum eius, quod latebat ante prohibitionẽ, apparere incipiat per prævaricationem. Et hoc supramodum: quia iam non solùm peccatum sit, sed etiam contra mandatum.

Post pauca ibidem.

Scimus enim (inquit Apostolus) quia Lex *Lex à spiritalibus impleri potest.* spiritalis est, ego autem carnalis sum. In quo sa

tis ostendit non posse impleri Legem, nisi à spiritalibus, qui non fiunt nisi per gratiam: spiritali enim Legi quantò sit quisque similior, id est, quantò magis & ipse in spiritalem surgit affectum, tantò eam magis implet. Quantò ea magis delectatur, iam nõ sub eius onere afflictus, sed eius lumine vegetatus: quia præceptũ Domini lucidum est, illuminãs oculos. & Lex Domini immaculata conuertens animas, gratia donante peccata, & infundente Spiritum charitatis, quo & nõ sit molesta, & sit etiam iucunda iustitia.

Psalm.18.

Ibidem.

Video autem (inquit Apostolus) aliam legem in membris meis, repugnantem Legi mentis meæ, & captiuantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis. Legem appellat in mẽbris suis, onus ipsũ mortalitatis, in quo ingemiscimus grauati. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam. Per quod fit etiam sæpe, vt in vita delectet, quod nõ licet. Quam sarcinam prementem & vrgentem, ideo legem appellat, quia iure supplicii diuino iudicio tributa & imposita est, ab eo qui præmonuit hominem, dicens, Qua die manducaueritis, morte moriemini. Nec Lex repugnat Legi mẽtis dicenti, Non concupisces: cui condelectatur homo secundum interiorem hominem, & antequam sit quisque sub gratia, ita repugnat, vt & captiuet eũ sub lege peccati, id est, sub semetipsa. Cùm enim dicit, Quæ est in mẽbris meis, hanc ostendit eãdem esse, de qua superius ait, Video aliam legem in membris meis. Hoc autem ideo dicitur, vt demonstretur, homini captiuo non esse præsumendum de viribus suis.

Roma.7.

2.Corinth.5. Sapient.9.

Genes.2.&3.

Eadem quæstione in fine.

Cur liberati sumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate Spiritus, & nõ in vetustate literæ, si Lex bona est? Quoniam Lex litera est eis qui non eam implent per Spiritũ charitatis, quò pertinet Testamentum nouum. Itaque mortui peccato liberantur à litera, qua detinentur rei, qui non implẽt quod scriptum est. Lex enim quid aliud quàm sola litera est eis, qui eam legere nouerunt, & implere non possunt? Non enim ignoratur ab eis quibus cõscripta est: sed quoniam intantum nota est, inquantum scripta legitur, non inquantum delectata perficitur: nihil est aliud talibus, nisi litera, quæ litera non est adiutrix legentium, sed testis peccantium. Ab eius ergo dominatione liberantur, qui per Spiritum innouantur, vt iam non sint obligati literæ ad pœnam: sed intellectu per iustitiam copulati. Inde est illud, Litera occidit, Spiritus autem viuificat. Lex enim tantummodo lecta & non intellecta vel non impleta, vtique occidit: tũc enim appellatur litera. Spiritus autem viuificat: quia plenitudo Legis est charitas, quæ fusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Lex est litera charitate vacua.

2.Corinth.3.

Roma.13. Roma.5.

Lib.III.de doctrina Christ.Cap.V.

Sed verborum translatorum ambiguitates, de quibus deinceps loquẽdum est, non mediocrem curam industriámque desyderant. Nam in principio cauendum est, ne figuratam locutionem ad literã accipias. Et ad hoc enim pertinet quod ait Apostolus, Litera occidit, Spiritus autem viuificat. Cùm enim figuratè dictum accipitur tanquã propriè dictum sit, carnaliter sapitur. Neque vlla mors animæ congruẽtius appellatur, quàm cùm id etiam quod in ea bestias antecellit, hoc est intelligentia, carni subiicitur sequendo literam. Qui enim sequitur literam, translata verba sicut propria tenet, neque illud quod proprio verbo significatur, refert ad aliam significationẽ: sed si sabbatum audierit, verbi gratia, nõ intelligit nisi vnum diem de septem, qui continuo volumine repetuntur. Et quum audierit sacrificium, non excedit cogitatione illud quod fieri de victimis pecorum terreníque fructibus solet. Ea demum est miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturã corpoream, oculum mentis ad hauriendum æternum lumen leuare non posse, &c.

Figurata locutio ad literam non est intelligenda.

Eodem libro, Cap.VI.

Quæ tamen seruitus in Iudæo populo longè à cæterarum gentium more distabat. quandoquidem rebus temporalibus ita subiugati erant, vt vnus in eis omnibus commendaretur Deus. Et quãquam signa rerum spiritualium, pro ipsis rebus obseruarẽt, nescientes quò referrentur, id tamen insitum habebant, quòd tali seruitute vni omnium quem non videbant, placerent Deo. Quam custodiam, tanquam sub pædagogo paruulorum fuisse scribit Apostolus. Et ideo qui talibus signis pertinaciter inhæserunt, contemnentem ista Dominũ, cùm iam tempus reuelationis eorum venisset, ferre non potuerunt: atque inde calumnias, quòd sabbato curaret, moliti sunt principes eorum, populúsque signis illis tanquã rebus astrictus, non credebat Deum esse, vel à Deo venisse, qui ea, sicut à Iudæis obseruabantur, nollet attendere, &c.

Galat.3.

Matth.12.

Libro XII.Confessionum, Cap.XVIII.

Ad ædificationem autem bona est Lex, si quis ea legitimè vtatur: quia finis eius est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Et nouit Magister noster in quibus duobus præceptis, totam Legem Prophetásque suspenderit, &c.

2.Timoth.2.

Matth.22.

Libro IIII.contra Faustum, Cap.II.

Temporalium quidem rerum promissiones Testamento veteri cõtineri, & ideo vetus Testamentum appellari, nemo nostrũm ambigit, quòd æternæ vitæ promissio, regnúmque cælorum ad nouum pertinet Testamentum: sed in illis temporalibus figuras fuisse futurorum, quæ implerentur in nobis, in quos finis seculorum obuenit, non suspicio mea, sed

Apostolicus intellectus est, dicēte Paulo cùm de talibus loqueretur, Hæc omnia figuræ nostræ fuerunt. Et iterum, Hæc omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem propter nos, in quos finis seculorum obuenit. Non ergo vetus Testamentum ad consequendas illas promissiones, sed ad intelligendas in eis noui Testamenti prænūtiationes accepimus: veteris quippe testificatio, fidē nouo cōciliat. 2. Corinth. 10.

Post pauca ibidem.

Non itaque spes nostra in temporalium rerum promissione defixa est: quandoquidem nec ipsos illius temporis sanctos & spiritales viros, Patriarchas & Prophetas, his terrenis rebus fuisse deditos credimus. Intelligebant enim reuelante sibi Spiritu Dei, quid tempori illi congrueret, & quibus modis Deus per illas omnes res gestas & dictas futura figuranda & prænuntianda decerneret, magísque desyderium eorum de nouo Testamento erat: sed præsens functio corporalis, ad significanda noua ventura pollicitationibus veteribus præbebatur. Ita illorum hominū non tantùm lingua, sed & vita prophetica fuit. Carnalis autem populus, promissis vitæ præsentis inhærebat: de quo tamen etiam populo nihilominus significabantur futura.

Patrum non tātum lingua, sed & vita prophetica fuit.

Lib. X. contra eundem, Cap. II.

Iudæo autem dicenti mihi, Cur tenes vetus Testamentum, cuius præcepta non seruas? respondeo, Seruari à Christianis etiam ex ipsis libris præcepta vitæ agendæ: præcepta verò vitæ significādæ, tunc rectè obseruata, cùm prænuntiabantur ista, quæ nunc reuelata sunt. Quapropter etiam ipsa sic nō obseruo ad religionem, vt teneam tamē ad testificationem, sicut & promissa carnalia, quæ ibi cōtinentur, vnde propriè vetus Testamentum, quanuis mihi æterna speranda reuelata sint. & illa tamen attestantia lego, quæ in figura contingebant illis: scripta sunt autem propter nos, in quos finis seculorum obuenit. 1. Corinth. 10.

Serm. VII. de tempore.

Frequenter admonui charitatem vestram, fratres dilectissimi, vt his lectionibus, quę diebus istis in Ecclesia recitantur, nō hoc tantùm attendere debeamus quod ex litera sonare cognoscimus: sed remoto velamine literæ, viuificantem Spiritum fideliter requiramus. Sic enim dicit Apostolus, Litera occidit, Spiritus autem viuificat. Denique infelices Iudæi, & plus infelices hæretici, dum solùm literæ aspiciunt sonum, quasi corpus sine anima, ita sine viuificante Spiritu mortui remanserunt: cùm dicat Apostolus, Omnia hæc contigerunt illis in figuram: scripta sunt autem propter nos. 1. Corinth. 5.

In Psalm. I. Versu I.

Sed in Lege Domini fuit voluntas eius, & in Lege ei⁹ meditabitur die ac nocte. Iusto nō est Lex posita, vt dicit Apostolus: sed aliud est esse in Lege, aliud sub Lege. Qui est in Lege, Rom. 2. secundum Legem agit, qui est sub Lege, secundum Legem agitur. Ille ergo liber, iste seruus. deinde aliud est Lex, quæ scribitur & imponitur seruienti, aliud Lex quæ mente conspicitur ab eo, qui non indiget literis, &c.

In Psalmum CXVIII. Concione X. Versu I.

Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper. Apostolus dicit, Iusto nō est Lex posita, iniustis autem & non subditis, & cætera, quæ ibi concludens ait, Et si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundum Euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi. Nunquid ergo talis erat qui dicit, Legem pone mihi Domine, qualibus beatus Paulus dicit positam Legem? absit. Si enim talis esset, non superius dixisset, Viam mādatorum tuorum cucurri, cùm dilatares cor meū. Quid est ergo quod orat, vt sibi Lex à Domino ponatur, si non ponitur iusto? An eo modo non ponitur iusto, quomodo posita est populo contumaci, in tabulis lapideis, nō in tabulis cordis carnalibus, secundum Testamētum vetus ex monte Sina, quod in seruitutem generat, sed secundum Testamētum nouum? de quo scriptū est per Prophetam Hieremiam, Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & cōsummabo domui Israel, & domui Iuda Testamentum nouum, non secundū Testamentum quod disposui patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, cùm educerē eos de terra Aegypti: quoniam ipsi nō permanserunt in Testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quoniam hoc est Testamentum quod constituā domui Israel. Post dies illos, dicit Dominus, dabo Leges meas in mentibus eorum, & in cordibus eorū scribam eas. Ecce quomodo voluit istā Legem sibi poni à Domino, non sicut iniustis, & non subditis ad vetus Testamentum pertinentibus posita est in tabulis lapideis: sed sicut sanctis filiis liberæ, hoc est, supernæ Hierusalem, filiis promissionis, filiis hæreditatis æternæ, sancto Spiritu tanquam digito Dei in mente datur, & in cordibus scribitur, non quam memoria teneant & vita negligant, sed quam sciant intelligēdo, faciant diligēdo, in latitudine amoris, non in timoris angustiis. Nam qui timore pœnæ, nō amore iustitiæ opus legis facit, profectò inuitus facit. Quod autem inuitus facit, si possit fieri, malet vtique non iuberi. Ac per hoc, Legis quam vellet non esse, non est amicus, sed potius inimicus: nec mundatur opere, qui immundus est cogitatione & voluntate. Gratia itaque Dei nobis præcipuè commendatur, quando sibi Dauid Legem poni poscit à Domino, qui vtique iam Legem secundum literam nouerat. Sed quia litera occidit, Spiritus autem viuificat, orat vt per Spiritum sanctum faciat quæ per literam sciebat, ne per scientiam mandati non obseruati, etiam præuaricationis 1. Tim. 1. Exod. 21 2. Corint. 3 Galat. 4 Hierem. 31 Hebr. 8 1. Timoth. 1

tionis ei crimen accedat. Quanquam etiam vt sciatur Lex, quomodo scienda est, id est, vt intelligatur quid sibi velit, quare sit eis posita, qui eam non erant seruaturi, quidque habeat vtilitatis etiam hocipsum quòd Lex subintrauit, vt abūdaret delictum: nemo comprehendit, nisi à Domino acceperit intellectum.

Rom. 5.

Ad Hieronymum, Epistola XIX.

Cur autem non dicam præcepta illa veterum sacramentorum, nec bona esse, quia non eis homines iustificantur (vmbræ enim sunt prænuntiantes gratiam qua iustificamur) nec tamen mala, quia diuinitus præcepta sunt, temporibus personisque congruētia: cùm me adiuuet etiam prophetica sententia, qua dicit Deus, se illi populo dedisse præcepta non bona? Fortè enim propterea non dixit mala, sed tamen non bonā, id est, non talia, vt illis homines boni fiant, aut sine illis boni non fiant.

Ad Innocentium, Epist. XCV.

Distinguenda est Lex & gratia. Lex iubere nouit, gratia iuuare. Nec Lex iuberet, nisi esset voluntas, nec gratia iuuaret, si sat esset voluntas.

Ad Paulinum, Epistola CVI.

Quia Lex per literam iubet, non per Spiritum iuuat, quicunque sit, audit literam Legis, vt ei sufficere videatur cognouisse quod iubeat, aut prohibeat, quò id se arbitrii sui virtute impleturum esse confidat, nec fide confugiat adiuuandus ad Spiritum viuificantem, ne reum factum litera occidat: is profectò zelum Dei habet, sed non secundum scientiam. Ignorans enim Dei iustitiam, id est, eam quæ datur ex Deo, & suam volens cōstituere, vt tantummodo ex Lege sit, iustitiæ Dei non est subiectus. Finis enim Legis Christus, ad iustitiam omni credenti, sicut idem Apostolus dicit, Vt nos simus iustitia Dei in ipso. Iustificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. Iustificati autem gratis per gratiam ipsius, ne fides ipsa superba sit.

Rom. 10.

Rom 3.

Ad Optatum, Epistola CLVII.

Illa fides salua sit, qua credimus nullum, siue maioris siue paruulæ quālibet & recētis ætatis liberari à contagione mortis antiquæ, & obligatione peccati, quod prima natiuitate contraxit, nisi per vnum Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum. Cuius hominis eiusdémque Dei saluberrima fide, etiam illi iusti, salui facti sunt, qui priusquā veniret in carnem, crediderunt in carnem venturum. Eadem nanque fides est & nostra & illorum: quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum. Vnde dicit Apostolus Paulus, Habentes autem eundem Spiritum fidei, secundum quod scriptum est, Credidi, propter quod locut⁹ sum, & nos credimus, propter quod & loquimur. Si ergo eūdem Spiritum Dei & illi habebant, qui venturum in carnem Christum prænuntiarūt, quem etiam illi qui eum venisse nuntiauerunt: sacramenta esse potuerunt pro tēporum diuersitate diuersa, ad vnitatē tamen eiusdem fidei concordissimè recurrentia. Scriptū est in Act. Apostolorum, loquente Apostolo Petro, Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugū super collum discipulorū, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Iesu credimus nos saluos fieri, quemadmodum & illi. Si ergo & illi, id est, Patres portare iugum Legis veteris non valentes, per gratiam Domini Iesu saluos se fieri crediderunt, manifestum est, quòd hæc gratia etiam antiquos iustos viuere fecit ex fide. Iustus enim ex fide viuit. Lex autem subintrauit vt abundaret delictum, vt superabundaret & gratia, per quam sanaretur delicti abundantia. Si enim data esset Lex quæ viuificare posset, omnino ex Lege esset iustitia. Cui tamen bono Lex data sit, consequenter adiunxit, dicens, Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Danda itaque fuerat Lex, quæ manifestius sibi ipsum ostenderet hominem: ne superbus animus humanus à seipso se posse esse iustum putaret: & ignorās Dei iustitiam, id est, quæ homini ex Deo est, & suam volens constituere, id est, quasi suis viribus partam, iustitiæ Dei subiectus non fieret. Oportebat itaque vt addito mandato, cuius vox est, Non concupisces, superbo peccatori, etiam præuaricationis crimen accederet: atque ita gratiæ medicinam non sanata per Legem, sed conuicta infirmitas quæreret, &c.

Actor. 15.

Abacuc 2. Roma. 5.

Galat. 3.

Romã. 10. Roman. 7.

Ad Asellicum, Epistola CC.

Hæc est igitur vtilitas Legis, quia ostendit hominem sibi ipsi, vt sciat infirmitatē suam, & videat quemadmodum per prohibitionem augeatur potius carnalis concupiscētia, quàm sanetur. Appetuntur enim ardentius quæ vetantur, dum id quod spiritaliter iubetur, carnalis obseruare compellitur. Vt autem sit spiritalis, qui Legem impleat spiritalem, non fit ipsa Lege, sed gratia, hoc est, non imperio, sed beneficio, non iubente litera, sed adiuuante Spiritu. Incipit autem homo secundum gratiam in interiori homine renouari: vt mente agat quod amat, nec carni consentiat agenti quod odit, id est, non vt omnino non concupiscat, sed vt post cōcupiscentias suas non eat. quod quidem tam magnum est, vt si omnimodo fieret: & quanuis insint dum sumus in corpore mortis huius desyderia peccati, nulli eorum tamen adhiberemus assensum. Nō esset vnde diceremus Patri nostro qui est in cælis, Pater noster, qui es in cælis, &c. Dimitte nobis debita nostra.

Vtilitas Legis.

Matth. 6.

DE OFFICIO MAGISTRATVS.

Contra literas Petil. Lib. II. Cap. XXIII.

AVGVST. Ad fidem quidem nullus est co-

gẽdus inuitus, ſed per ſeueritatem, imò & per miſericordiam Dei tribulationum flagellis ſolet perfidia caſtigari. Nunquid quia mores optimi libertate volũtatis eligũtur, ideo mores peſsimi non Legis integritate puniuntur? Sed tamen malè viuendi vltrix diſciplina præpoſtera eſt, niſi cùm præcedens bene viuendi doctrina cõtemnitur. Si quæ igitur aduerſus vos Leges cõſtitutæ ſunt, non eis benefacere cogimini, ſed malefacere prohibemini: nam benefacere nemo poteſt, niſi elegerit, niſi amauerit, qui eſt in libera voluntate. Timor autẽ pœnarum, etſi nondum habet delectationem bonæ cõſcientiæ: ſaltem intra clauſtra cogitationis coerceat malam cupiditatem. Qui tamen aduerſas Leges conſtituerunt, quibus veſtra comprimatur audacia? Nonne ii de quibus dicit Apoſtolus, Quia non ſine cauſa gladium portant: miniſtri enim Dei ſunt, vindices in iram ei qui malè agit?

Ad fidem nemo cogendus

Roman 13

Cap. LXXXVI. Eodem libro contra eaſdem Petiliani literas.

PETILIAN. Neq; enim Dominus Deus humano ſãguine aliquãdo lætatus eſt, cùm occiſorem fratris Cain, in vita carnificẽ voluerit permanere. AVGVST. reſpondit, Si occiſori fratris Deus noluit inferri mortem, ſed relinqui carnifici vitam, vide ne fortè hoc ſit, quòd cùm regis cor in manu Dei ſit, vnde multas ad vos commonendos & corripiẽdos leges ipſe conſtituit: nulla tamen lex regia vos iuſsit occidi: fortaſſe ꝓpterea, vt quicũq; veſtrũm impertinaci ſacrilegi furoris aura perſiſtũt, Cain parricidę ſupplicio & vita carnifice cruciẽtur. Legimus enim multos à famulo Dei Moſe miſericorditer interfectos. Nã in eo quòd ꝓ eorũ nefario ſacrilegio ſic eſt Dominum deprecatus vt diceret, Domine, ſi dimittis illis peccatũ dimitte: ſin autẽ dele me de libro tuo: ineffabilis eius charitas & miſericordia ſatis apparet. Nunquid ergo ſubitò crudelis effectꝰ eſt, cùm de monte deſcẽdens tot milia iuberet occidi?

Geneſ. 4
Proverb. 21
Cor Regis in manu Dei.

Exod. 32

Caput XCII. eodem libro.

PETILIAN. Quid autem vobis eſt cum regibus ſeculi, quos nunquã Chriſtianitas niſi inuidos ſenſit? Quod vt breuiter doceam, Machabęos fratres rex perſecutus eſt. Rex quoque tres pueros, cùm ipſe ſacrilegus eſſet, flammis neſcius religioſis addidit. Rex quęſiuit animam pueri Saluatoris. Rex iuſtiſsmum Danielem ferinis morſibus, vt putabat, obiecit: ipſúmque Dominum Chriſtum iudex nequiſſimus regis occidit. Inde eſt quod Apoſtolus clamat, Sapientiam loquimur inter perfectos &c. quam nemo principum huius mũdi cognouit. AVGVST. reſpondit, Quid (inquies) vobis eſt cum regibus ſeculi, quos nunquã Chriſtianitas niſi inuidos ſenſit? Hoc cùm dixiſſes, enumerare conatus es quos reges iuſti ſẽſerint inimicos, nec cõſyderaſti ꝙ plures enumerari poſsint quos habuerĩt amicos. Pater Abrahã à rege diuinitus admonito, ne attaminaret eius vxorẽ, & amiciſsimè habitꝰ eſt & munus accepit. Iſaac filius eius, regem ſimiliter amiciſsimum expertus eſt. Iacob in AEgyptum à rege honorabiliter exceptus, eum etiam benedicit. Quid loquar de filio eius Ioſeph, qui poſt carceris tribulationem, quo velut igne aurum, ſic caſtitas eius probata eſt, magnis ab eo ſublimatus honoribus, iurabat etiam per Pharaonis ſalutem, nõ tanquam typho elatus, ſed beneuolentiæ non ingratus? Regis filia Moſen adoptauit. Dauid ad alienigenam, regis Iſrael cõpulſus iniquitate confugit. Helias ante curum peſsimi regis, non illius imperio, ſed ſuo cucurrit obſequio. Heliſæus hoſpitæ mulieri ſi quid ſibi fortè à rege per eius interceſsionẽ præſtari vellet, etiam vltrò offerendũ putauit,

Obiectum.

2. Mac. 7
Daniel. 3

Math. 2
Daniel. 6

Mat. 27
1. Cor. 2

Reſponſio.

Gen. 20.

Geneſ. 26.
Gene. 47.

Gene. 41.

Exod. 2.
1. Reg. 27.
3. Reg. 18.
4. Reg. 4.

Eodem cap.

Omnes enim homines ſeruire Deo debent, aliter communi cõditione qua homines ſunt, aliter diuerſis donis, quòd ille aliud agit in rebus humanis, ille aliud. Non enim auferenda idola de terra, quod tantò antè futurum prædictum eſt, poſſet quiſquam iubere priuatus. Habent ergo reges, excepta generis humani ſocietate, eoipſo quo reges ſunt, vnde ſic Domino ſeruiant, quomodo non poſſunt qui reges non ſunt. Iſta ergo quum cogitant, audiunt & illud quod de tribus pueris ipſe commemoraſti, & audiunt ſolennitate mirabili. Tunc enim eadem Scriptura maximè in Eccleſia cantatur, quando ipſa feſtiuitas feruẽtiores facit, etiam eos qui cætero anno pigriores ſũt. Quid ergo putatis animi habere Chriſtianos Imperatores, quum audiunt tres pueros miſſos in caminum ignis ardentis: quia regi ad iniquitatem adorandi ſimulachra cõſentire noluerunt, niſi vt cogitent piam libertatem Sanctorum, nec regia poteſtate, nec pœnæ immanitate poſſe ſuperari, gaudeántq; ſe non eſſe ex numero talium regum, qui contemptores idolorum quaſi ſacrilegos puniebant? Porrò autem quum in ſequentibus audiunt eundem Regem, non ſolùm puerorum, ſed & flammarum Deo ſeruientium tãto miraculo territum, etiam ipſum cœpiſſe Deo ſeruire in timore, & exultare cum tremore, & apprehendiſſe diſciplinam: nonne ideo intelligũt iſta eſſe conſcripta, & tanta celebritate recitari, vt & ſeruis Dei ne ad ſacrilegium regibus cedant, & ipſis regibus vt ad religionem Deo credant proponantur exempla?

Non eſt principi idola tollere.

Exempla nouem.

Cap. XCVII. eodem Libro.

PETIL. Poſtremò, vt ſæpe iam diximus, qualis eſt veſtra præſumptio, vt de regibꝰ præſumatis, dicente Dauid, Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in homine, Bonum eſt ſperare in Domino, quàm ſperare in principibus? AGVST. reſpondit, Nos non ſperamus in homine: ſed quantum poſſumus homines admonemus, vt in Domino ſperent. Nec ſperamus in prĩcipibus: ſed quantũ poſſumus prin-

Pſalm. 117.

cipes

cipes admonemus vt in Domino sperent, etsi aliquid à principibus pro vtilitate Ecclesiæ petimus, nō in eos tamē sperāmus. Neq; enim & Apostolus in illo Tribuno sperauit tanquā in principe, à quo sibi egit, vt deductores darentur armati: aut in ipsis armatis tanquam in hominibus, quorum multitudine septus, euasit insidias perditorum.

Actor 23

Libro III. contra Cresconiū Grāmaticum, Caput LI.

Reges cùm in errore sunt, pro ipso leges contra veritatem ferunt, cùm in veritate sunt, similiter contra errorem pro ipsa veritate decernunt. ita & legibus malis probantur boni, & legibus bonis emendantur mali. Rex Nabuchodonosor peruersus legem sæuam dedit vt simulachrum adoraretur: idem correctus veram, ne Deus verus blasphemaretur. In hoc enim reges, sicut eis diuinitus præcipitur, Deo seruiunt, inquātum reges sunt, si in suo regno bona iubeant, mala prohibeant, nō solùm quę pertinent ad humanam societatem, verumetiā quæ ad diuinam religionem.

Legum vtilitas.

Regum maximè interest pietatem.

Libro IIII. De Trinitate, Capite XII.

Supplicium iudex irrogat reo, causa tamen supplicii non est iustitia iudicis, sed meritum criminis.

Libro I. contra epistolam Parmeniani. Cap. VII.

An iustior est priuata violentia, quàm regia diligentia? Sed hoc omitto, illud quæro quod manifestè enumerat Apostolus, dicens, Opera carnis, quæ sunt, inquit, fornicationes, immunditiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissentiones, hæreses, inuidiæ, ebrietates, commessationes, & his similia. Quid istis videtur vt crimen idololatriæ putent iustè ab Imperatoribus vindicari? Aut si nec hoc volūt Donatistæ, cur in venefícos vigorē legum exerceri iustè fateantur, in hæreticos autem atq; schismaticos impias dissensiones nolunt fateri, cùm in iisdem iniquitatis fructibus auctoritate Apostolica numerentur? An fortè nec talia potestates istæ humanæ constitutionis permittuntur curare? Propter quid ergo gladium portat qui dictus est minister Dei, vindex in irā eis qui malè agunt? Nisi fortè quemadmodum nonnulli eorum sanè imperitissimi hoc intelligere solent de honoribus Ecclesiasticis dictū esse, vt gladi⁹ intelligatur vindicta spiritualis, qui excommunicatione operatur: quum prouidentissimus Apostolus consequenti contextione lectionis satis aperiat quid loquatur. Illic quippe addidit, Propter hoc enim tributa præstatis. Ac deinde subiunxit, Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem, cui timorem timorē. Hoc ergo iam restat, vt istis disputationibus suis prohibeāt Christianos tributa persoluere, cū & Dominus talia sentiētib⁹ Pharisæis, quos imitātur isti, nūmo inspecto respōderit, Reddite, inquit, Cęsari quod Cęsaris est & Deo quod Dei est. Hi verò in vtroq; inobedientes atque impij, nec Deo reddūt Christianum amorem, neque regibus humanum timorē: ita cæci & insani, vt cùm schismaticos suos Maximianistas per potestates à catholicis Imperatoribus missas de basilicis excluserint, & vi magna iussionum & auxiliorum cedere sibi compulerint, arguant Catholicam, si pro ea catholici principes tale aliquid fieri præceperint.

Gal. 5

Rom. 13

Post pauca ibidem.

Vna generalis Imperatorū lex, aduersus omnes qui Christianos se dici volunt, & Ecclesiæ catholicæ non communicant, sed in suis separatim conuenticulis congregantūr, id continet, vt vel ordinator clerici, vel ipse ordinatus, denis libris auri mulctentur. Locus verò ipse, quo impia separatio congregatur, redigatur in fiscum. Sunt & aliæ iussiones generales, quibus eis vel faciendi testamenta, vel per donationes alicui conferendi facultas adimitur, vel ex donationibus aut testamētis aliquid capiēdi. Nam in quadā causa cùm homo nobilis Imperatoribus supplicasset, quòd soror eius, quæ de parte Donati fuerat, cùm defūgeretur, nescio in quos cōmunionis suæ, & maximè in quendam Augustinum Episcopum eorum plurima contulisset: ex illa generali lege præceptū est, vt omnia fratri restituerentur, vbi etiam Circuncellionū mētio facta est, si more suo violēter obsisterēt, quo genere auxiliorū & adminiculis repellerētur. Sic enī noti, sic multis prēliis probati sunt, vt de his & supplicatio Imperatori fieret, & Imperator tacere non posset.

Lex imperialis contra sectatores.

Eadē ratione possent mortes eorum collata, hæreses repetere.

Lib. II. de Genesi ad literam, Cap. II.

Cùm venitur ad disputationem inquisitionémque veritatis, nolūt aduertere sensus suos homines, ex quo opere diuinæ prouidentiæ, in eos veniat imponendæ commotio disciplinæ. Vt si non corrigūtur qui puniuntur, eorum tamen exemplo cæteri metuant, valeātq; ad eorum salutē iusta pernicies aliorum. Nunquid enim malitiæ eorū vel nequitiæ Deus auctor est, de quorum iusta cōsulit pœna, quibus hoc modo consulendum esse constituit?

In exemplū aliorum puniuntur mali.

In Euangelium Ioannis, Tractatu VI.

Quo iure defendis villas? Diuino an humano? Respondeant. Diuinum ius in Scripturis habemus, humanum ius in legibus regum. Vnde quisq; possidet quod possidet? Nonne iure humano? Nā iure diuino, Domini est terra & plenitudo eius. Pauperes & diuites Deus de vno limo fecit, & pauperes & diuites vna terra supportat. Iure tamen humano dicit, Hæc villa mea est, hæc domus mea, hic seruus meus est. Iure ergo humano, iure Imperatorum. Quare? Quia ipsa iura humana per Imperatores & reges seculi Deus distribuit generi humano. Vultis legamus leges Imperatorum, & secundum ipsas agamus de villis? Si iure humano vultis possidere, recitemus leges Imperatorum, videamus si aliquid voluerunt ab hære-

Iure diuino omnia communia, humano suum quisque possidet. Psalm. 23.

t.

ticis posideri. Sed quid mihi est Imperator? Secundum ius ipsius posides terram. Aut tolle iura Imperatorum: & quis audet dicere, Mea est illa villa, aut meus est ille seruus, aut domus hæc mea est? Si autem vt teneantur ista ab hominibus, iura acceperunt regum, vultis recitemus leges, vt gaudeatis, quia vel vnum horum habeatis, & non imputetis nisi mansuetudini columbæ, quia vel ibi vobis permittitur permanere? Leguntur enim leges manifestę, vbi præceperunt Imperatores, eos qui præter Ecclesiæ catholicæ cõmunionem vsurpant sibi nomen Christianum, nec volũt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Ecclesiæ audeãt possidere. Sed quid nobis & Imperatori? Sed, vt iã dixi, de iure humano agitur. Et tamẽ Apostolus voluit seruiri regibꝰ, voluit honorari reges, & dixit, Reges reueremini. Noli dicere, Quid mihi & regi? Quid tibi ergo & possessioni? Per iura regum possidẽtur possessiones. Dixisti, Quid mihi & regi? Noli dicere possessiones tuas: quia ad ipsa iura humana renuntiasti, quibus possidentur possessiones.

1. Petr. 2.

Tractatu II.

Deus pro arbitrio vitiis magistratus.

Quando vult Deus concitare potestates aduersus hæreticos, aduersus schismaticos, aduersus dissipatores Ecclesiæ, aduersus exufflatores Christi, aduersꝰ blasphematores Baptismi, non mirentur quia Deus concitat, vt à Sara verberetur Agar. Cognoscat se Agar, supponat ceruicem: quia cùm humiliata discederet à domina sua, occurrit ei Angelus & dixit, Quid est Agar ancilla Saræ? Cùm conquesta esset de domina, quid audiuit de Angelo? Reuertere ad dominam tuam. Ad hoc ergo affligitur, vt reuertatur. atque vtinam reuertatur: quia proles eius sicut filii Iacob, cum fratribus hæreditatem tenebit. Mirantur autẽ quia commouentur potestates Christianæ aduersus detestandos dissipatores Ecclesiæ. Si non ergo mouerentur, & quomodo redderent rationem de imperio suo, Deo? Intendat charitas vestra quid dicam: quia pertinet hoc ad reges seculi Christianos, vt temporibus suis pacatã velint matrem suam Ecclesiam habere, vnde spiritaliter nati sunt. Legimus Danielis visiones & gesta prophetica. Tres pueri in igne laudauerũt Dominum: miratus est Nabuchodonosor rex laudantes Deum pueros, & circa eos ignẽ non nocentem. Et quum admiratus esset, quid ait Nabuchodonosor rex? Non vel Iudæus vel circunciſus, ille qui statuam suam erexerat, & ad eam adorandam omnes coegerat: tamen laudibus trium puerorum commotus, vbi vidit maiestatem Dei præsentis in igne, quid ait? Et ego proponam decretum omnibus tribubus & linguis in omni terra. Quale decretum? Quicũque dixerit blasphemiam in Deum Sidrac, Misac & Abdenago, in interitu erunt, & domus eorum in perditionẽ. Ecce quomodo sæuit rex alienigena, ne blasphemetur Deꝰ Israel, qui potuit tres pueros de igne liberare: & nolũt vt sæuiant reges Christiani, quia Christus exufflatur, à quo non tres pueri, sed orbis terrarum cum ipsis regibus à gehennarum igne liberatur. Nam tres illi pueri, fratres mei, liberati sunt ab igne temporali. Nunquid non ipse Dominus Machabeorum, qui & trium puerorum? Illos ab igne liberauit: illi in tormentis igneis corpore defecerunt: sed in legitimis mandatis animo permanserunt. Illi apertè liberati sunt, illi occultè coronati sunt. Plus est liberari de flamma gehẽnarum, quàm de fornace potestatis humanæ. Si ergo Nabuchodonosor rex laudauit & prædicauit, & gloriam dedit Deo: quia liberauit de igne tres pueros, & tantam gloriam dedit, vt decretũ mitteret per regnum suũ, Quicũque dixerint blasphemiam in Deum Sidrac, Misac & Abdenago, in interitu erunt, & domus eorum in perditionem: quomodo isti reges non moueantur, qui non tres pueros attendunt liberatos de flamma, sed seipsos liberatos de gehenna, quando vident Christũ, à quo liberati sunt, exufflari in Christianis, quando audiunt dici Christiano, Dic te non esse Christianum? Talia facere volunt, & saltem talia pati nolunt. Nam videte qualia faciũt Donatistæ & hæretici, & qualia patiuntur. Occidunt animas, affliguntur in corpore. Sempiternas mortes faciunt, & temporales se perpeti conqueruntur. Et tamen quæ patiuntur? Proferunt nobis nescio quos in persecutione suos martyres.

Genes. 16.

Daniel. 3.

2. Mach. 7.

Tractatu XII.

Deũ quasi Ecclesiam fugunt.

Aliquando fugiunt homines ad Ecclesiam, & plerunque eos patimur tanquam indisciplinatos, volentes carere diuinis, qui nolunt carere peccatis. Aliquando etiam illicito iugo & improbo subiecti fugiũt ad Ecclesiam: quia retinentur ingenui ad seruitutem, & interpellatur Episcopus. Et nisi curet operã impẽdere, ne ingenuitas opprimatur, immisericors deputatur. Ad Christum omnes fugiamus, contra peccata Deum liberatorem interpellemus. Venales nos putemus, vt eius sanguine redimamur. Dicit enim Dominus, Gratis venundati estis, & sine argento redimemini.

Esa. 52.

In Apocalypsim, Homilia VII.

Et ex ore eorum exiit ignis, fumus & sulphur, id est, blasphemię de eorum ore egrediũtur. In caudis quæ erant similes serpentibus, sicut iam suprà dictũ est, principes sunt aut prępositi hæreticorum, per quos lędere consueuit diabolus. Aut enĩ sacrilegi reges malè iubẽdo, aut sacrilegi sacerdotes malè docẽdo nocent.

De XII. abusionum gradibus, Gradu VI.

Sextus abusionis gradus est, Dominus sine virtute. Quia nihil proficit dominandi habere potestatem, si dominus ipse non habeat virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor, non tam exteriori fortitudine, quæ & ipsis secularibus dominis necessaria est, indiget, quã animi

mi interiori fortitudine bonis moribus exerceri debet. Sæpe enim dominādi fortitudo per animi negligentiam perditur. Sicut de Heli sacerdote factum fuisse comprobatur. Qui cùm per seueritatem iudicii, peccantes filios nō coercuit, in eorum vindictam Dominus velut cō sentienti ferociter non pepercit. Tria ergo ne cessaria hos qui dominantur habere oportet: terrorem scilicet, ordinationem & amorē. Nisi enim ametur dominus & metuatur, ordinatio illius minimè stare poterit. Per beneficia ergo & affabilitatē procuret vt diligatur, & per iustas vindictas, nō propriæ iniuriæ, sed Legis Dei, studeat vt metuatur. Propterea quoque dum multi pendent ab eo, ipse Deo adhærere debet, qui illum in ducatum constituit, qui ad portandum multorum onera ipsum veluti fortiorem solidauit. Paxillus enim nisi bene fixus firmiter alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet citò dilabitur, & ipse solutus à rigore suæ firmitatis, cum oneribus ad terram dilabitur. Sic & princeps, nisi suo Conditori pertinaciter adhæserit, & ipse, & omnis qui ei consentit citò deperit. Quidam nanque per dominandi officium plus Deo appropinquant, quidam imposito sibi dignitatis honore deteriores fiunt. Moses enim accepto populi ducatu, familiarius Dei locutionib⁹ vtebatur. Saul verò filius Cis, postquam sceptrum regni suscepit, per inobedientiæ superbiam Deum offendit. Rex Salomon postquam patris domini sui Dauid sedem obtinuit, Deus illum vltra omnes mortales velut ad innumerosi populi gubernationem sapientiæ munere ditauit. Ecōtrario verò Hieroboam seruus Salomonis, postquam regni domus Dauid partem occupauit, ad idolorum culturā decem tribus Israel, quæ erant in parte Samariæ, diuertit. Per quæ exempla euidenter ostenditur quosdam in sublimiori statu ad maiorem perfectionem crescere, quosdam verò per supercilium dominationis ad deteriora defluere. per quod vtrunque intelligitur, eos qui ad meliora cōscēdunt, per virtutem animi & Dei auxilium posse id facere, & eos qui ad deteriora diuertuntur, per mentis imbecillitatem pariter & negligētiam errare. Vnde dominum absque virtute fieri non decet: quam virtutem sine Dei auxilio nemo habet. Qui enim multa tuetur, si non habet fortitudinem animi, nō valet id agere, quoniam magna magnis infestationibus vel aduersitatibus solent laborare. Omnis igitur qui præest, hoc primitus tota animi intētione procuret, vt per omnia de Dei adiutorio omnino non dubitet. Si nanque cœperit in actibus suis auxiliatorem habere Dominum Dominorum, nullus hominum contemptum potest habere eius dominatum. Non enim est potestas nisi à Deo. Ipse enim eleuat de stercore egenū, & sedere facit cum principibus populi sui, & deponit potentes de sede, & exaltat humiles vt subditus fiat omnis mundus Deo, & erigatur gloria Dei.

1. Reg. 2 — Tria necessaria dominantibus.

1. Regum 15 Exod. 33 — 3. Reg. 12 — Rom. 13 Psalm. 112 Luc 1

Eodem libro, gradu IX.

Nonus abusionis gradus est, rex iniquus. Etenim regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet. Inde in semetipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, vt subiectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, qui proprios mores, si iniqui sint, nō corrigit? Quoniam in iustitia regis exaltatur solium, & in veritate regis solidantur gubernacula populorum. Iustitia verò regis est neminem iniustè per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter virum & proximum suum iudicare, aduenis & pupillis & viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones nō nutrire, impios de terra perdere, parricidas & peierantes viuere non sinere, Ecclesias defendere, pauperes eleemosynis alere, iustos super regni negotia constituere, senes & sapientes & sobrios consiliarios habere, Magorum & hariolorum, pythonissarúmque superstitionibus non intendere, iracundiam suam differre, patriam fortiter & iustè contra aduersarios defendere, per omnia in Deo confidere, prosperitatibus non eleuare animum, cuncta aduersa patiēter tolerare, fidem catholicam in Deum habere, filios suos nō sinere impiè agere, certis horis orationibus insistere, ante horas cōgruas non gustare cibum. Væ enim terræ cuius rex puer est, & cuius principes mane comedūt. Hæc regni prosperitatem in præsenti faciunt, & regem ad cælestia regna meliora perducunt. Qui verò regnum secundū hanc legem non dispensat, multas nimirum aduersitates imperii tolerat. Idcirco enim pax populorum sæpe rumpitur, & offendicula de regno suscitantur, terrarū quoque fructus diminuuntur, & seruitia populorū impediuntur, multi & varii dolores prosperitatem regni inficiunt, charorum & liberorum mortes tristitiam conferunt, hostium incursus prouincias vndique vastant, bestiæ armentorum & pecorum greges dilacerant, tempestates aeris & hemispheria turbata terrarum fœcunditatem & maris ministeria prohibent, & aliquando fulminum ictus segetes & arborum flores & pampinos quosque exurit. Super omnia verò regis iniustitia, non solùm præsentis imperii faciem offuscat, sed etiā filios suos & nepotes, ne post se regni hæreditatē teneant, obscurat. Propter piaculum enim Salomonis, regnum domus Israel Dominus de manibus filiorum suorum diuersit. Et propter iustitiam Dauid regis, lucernam de semine eius semper in Hierusalem reliquit. Ecce quantum iustitia regis seculo valet, intuentibus perspicuè patet. Est enim pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, monimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræq; fœcunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, &

Officium & iustitia regis.

Quales debeāt esse à consiliis regis.

Eccles. 3.

3. Reg. 12.

sibimetipsi spes futuræ beatitudinis. Attamen sciat rex, quòd sicut in throno hominum primus constitutus est, sic & in pœnis, si iustitiam non fecerit, primatum habiturus est. Omnes nanque quoscunque peccatores sub se in præsenti habuit, supra se modo implacabili in illa futura pœna habebit.

De continentia, Cap. V.

Humanus iudex falli potest. Deus autē nō. Apud homines enim iudices, quoniam falli possunt, quacunque velut purgare fallacia, quod perperam factum est, prodesse aliquid videtur ad tempus: apud Deum autem qui falli non potest, non est adhibenda fallax defensio, sed verax confessio peccatorum.

In libro de pœnitentiæ medicina, Cap. III.

Formulæ iudiciales. Plerique autem boni Christiani, propterea tacent & sufferunt aliorum peccata quæ nouerunt, quia documentis sæpe deseruntur, & ea quæ ipsi sciunt, iudicibus Ecclesiasticis probare non possunt. Quanuis enim vera sint quædam, non tamen iudici facilè credenda sunt, nisi certis iudiciis demonstrentur. Nos verò à communione prohibere quenquam non possumus, quanuis hæc prohibitio nondū sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut spōte confessum, aut in aliquo, siue seculari, siue Ecclesiastico iudicio nominatum atque conuictum. Quis enim sibi vtrunque audeat assumere, vt cuiquā sit ipse accusator & iudex?

Libro de rectitudine catholicæ conuersationis.

De iudicibus. Iudices etiam qui præestis, iustissimè iudicate: nihil in iudicio iniustè agatis, nec munera super innocētes accipiatis, non ad personam attendatis, nec res alienas rapaci fronte accipiatis & diripiatis: quia de vestris quid vel super noctem agatur, nescitis. Pauperes vel aduenam nullatenus in iudicio opprimatis, timentes illud quod veritas dicit, Quia in quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & qua mensura mēsi fueritis, remetietur vobis. Cauete semper ne de vobis Propheta dicat, Væ qui potentes estis in hoc mundo, qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiā iusti auferris ab eo. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum: labia vestra loquuntur mendacia, manus vestræ plenæ sunt iniquitate, facta est vobis veritas in obliuionem, & iustitia fugit à vobis.

Matth. 7.

Esa. 5.

In libro quæstionum veteris & noui Testamenti, Cap. XV.

Eccle. 7. Summum ius, summa malitia. Nimia iustitia incurrit peccatum: temperata verò iustitia facit perfectos. Non enim sine malitia est, qui multum est iustus: quia peccantibus ad singula si respōdeas, non deerit vbi pecces. deniq; Dei tēperata iustitia est. Peccantibus enim aliquando ignoscit, aliquando irascitur, aliquando reddit, non quātum digni sunt: suffert enim eos, vt sint qui proficiāt. Lex enim quia seipsam mollire nō potest, mitigan-

da est, vt possit prodesse sub se agentibus. Hic ergo iustus nō est nimiū, qui Dei imitator est.

Eodem libro, Cap XVI.

Conditio hominis aggrauat peccatum. Viri sublimis culpa graue peccatum est. Quantò enim persona eius supplicior est, tantò magis leue delictum est eius. Quod ergo à summo viro, vtpote à ductore populi fit, acerbissimum est peccatum.

Eodem libro, Quæst. XXXIIII.

Omnia à Deo bona, etiā malum pœna. Nulli dubium est bona omnia à Deo esse. Mala autem quæ dixi, nobis mala sunt, dum vindicatur de nobis. Pœna enim, quanuis iustè inferatur, patienti tamen mala videtur. Nā & per Prophetā ad peccatores loquitur Deus, dicēs, Faciā vobis mala, id est, pœnis vos agam. 2. Reg. 26.

Ibidem, quæst. XXXV.

Dei imago est rex, Episcopus Christi. Non nescius Dauid diuinam esse traditionem in officio ordinis regalis: idcirco Saul in eadem adhuc traditione positum honorificat, ne Deo iniuriam facere videretur, qui his ordinibus honorē decreuit. Dei enim imaginem habet rex, sicut & Episcopus Christi. Quandiu ergo in ea traditione est, honorandus est, si non propter se, vel propter ordinem. Vnde Rom. 3. Apostolus, Omnibus (inquit) potestatibus sublimioribus subditi estote. Non est potestas nisi à Deo. Quæ enī sunt, à Deo ordinata sunt. Hinc est vt gentilem, in potestate tamen positum honorificamus, licet ipse indignus sit, qui Dei ordinem tenens gratias agit diabolo. Potestas enim exigit, qua meretur honorē. Nam ideo Pharaoni futuræ famis somnium reuelatum est, & Nabuchodonosor aliis secum assistentibus solus Filium Dei vidit in camino ignis, non vtique merito suo, qui in idolo se adorari voluit, sed merito ordinis regalis.

Gen. 41. Daniel. 3.

Quæstionum CXIIII.

Regum vnctio. Apud maiores enim nostros, qui in reges vngebantur, Christi vocabantur, habentes imaginem Christi venturi, qui natus de Deo Patre in regem non immeritò Christus appellatur: quia quod istis Chrisma, illi dedit natiuitas, quem quandiu ignorant Pagani, reprobāt: cùm autem cognouerint, diligentius excolunt gaudentes, quia de malo trāsierunt ad bonum.

De vera innocentia, Cap. XXXIIII.

Quomodo ferenda grauiora. Ita à plebibus principes, & à seruis domini sunt ferendi, vt sub exercitatione tolerantię sustineantur temporalia, & sperentur æterna. Auget enim merita virtutis, qui propositū non violat religionis.

Ibidem Cap. CXXIIII.

Vera libertas. Libera semper est seruitus apud Deum, cui non necessitas seruit, sed charitas.

Eodem lib. Cap. CIXIII.

Pax domestica est ordinata cohabitantium imperandi obediendíque concordia. Imperāt enim qui consulunt, sicut vir vxori, parentes filiis, domini seruis. Obediunt autem quibus consulitur, sicut mulieres maritis, filii parentibus

bus, serui Dominis. Sed in Domino iusti viuẽtes ex fide, & ab illa ciuitate peregrinãtes, etiã qui imperant, seruiunt eis quibus videntur imperare: quia non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principãdi superbia, sed prouidendi beneficio.

Principes subditis seruiunt.

Cap. CLXIIII.

Nomen & conditionem seruitutis culpa genuit, non natura, & prima huius subiectionis causa est peccatum, quia sicut scriptum est, Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Vnde melior est eius status qui famulatur homini, quàm qui seruit suæ cupiditati.

Seruitus vnde.

Caput CLXXIII.

Sicut in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.

Cap. CCXLII.

Non caret regia potestate, qui corpori suo nouerit rationabiliter imperare. Verè enim dominator est terræ, qui carnem suam regit legibus disciplinæ.

Quis vere rex.

Contra epistolam Manichæi,

Caput I.

Quidquid diuinitus ante vltimum illud iudicium vindicatur, siue per improbos, siue per iustos, siue per nescientes, siue per scientes, siue occultè siue palam, non ad interitum hominum, sed ad medicinã valere credẽdum est: quam qui respuerint, extremo supplicio præparãtur. Quapropter cùm in hac vniuersitate rerum, alia sunt quæ valent ad corporalem vindictam, sicut ignis & venenum & morbus, & cætera huiusmodi, alia quibus apud semetipsum non molestiis corporis sui, sed cupiditatum suarum laqueis animus puniatur: sicut est damnum, exilium, orbitas, contumelia, & iis similia. Quædam verò non sunt cruciamẽta, sed quasi fomenta lãguentium, vt sunt consolationes, cohortationes, disputationes, & quæcunque sunt talia. Horum omnium quædam etiã per malos nescientes operatur summa Dei iustitia, quædam per scientes bonos.

Vindicta medetur.

Lib. I. de doctrina Christiana,

Caput. XXIII.

Cùm verò etiam eis qui sibi naturaliter pares sunt, hoc est, hominibus dominari affectat, intolerabilis omnino superbia est.

Lib. III. Confessionum,

Capit. VIII.

Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diuersitate vitanda sunt, vt pactum inter se ciuitatis, aut gẽtis consuetudine vel lege firmatum, nulla ciuis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo vniuerso non congruens. Cùm autem Deus aliquid cõtra morem aut pactum quorumlibet iubet, & si nunquam ibi factum est, faciendum est, & si omissum, instaurandum, & si institutum non erat, instituendum est. Si enim regi licet in ciuitate, cui regnat, iubere aliquid, quod neque ante illum quisquam, nec ipse vnquam iusserat, & non contra societatem ciuitatis eius obtemperatur, imò contra societatem non obtemperatur (generale quippe pactum est societatis humanæ, obedire regibus suis) quantò magis Deo regnatori vniuersæ creaturæ suæ, ad ea quæ iusserit sine dubitatione seruiendum est? Sicut enim in potestatibus societatis humanæ, maior potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.

Dei præceptum sine cunctatione implendum.

De natura boni aduersus Manichæos,

Cap. XXXII.

Item quia etiam potestas nõ est, nisi à Deo, sicut scriptum est loquente Sapientia, Per me reges regnant, & tyranni per me tenẽt terram. Dicit & Apostolus, Nõ est potestas nisi à Deo. Dignè autem fieri in libro Iob scriptum est, Qui regnare facit, inquit, hypocritam hominem, propter peruersitatem populi. Et de polo Israel dicit Deus, Dedi eis regẽ in ira mea. Iniustum enim non est, vt improbis accipiẽtibus nocendi potestatem, & bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur. Nam per potestatem diabolo datã, & Iob probatus est, vt iustus appareret: & Petrus tentatus est, vt non de se præsumeret: & Paulus colaphizatus, ne se extolleret: & Iudas damnatus, vt se suspenderet. Cùm ergo per potestatem quam diabolo dedit, omnia iustè ipse Deus fecerit: non tamẽ pro his iustè factis, sed pro iniqua nocendi facultate & voluntate, quæ ipsius diaboli fuit, ei reddetur in fine suppliciũ, cùm dicetur impiis, qui eius nequitiæ consentire perseuerarint, Ite in ignem æternum, quem parauit Pater meus diabolo & angelis eius.

Quare mali principes detur. *Prouerb. 8.* *Rom. 13.* *Iob. 34.* *Osee 13.* *Iob. 1.* *Matth. 26.* *2. Corinth. 12.* *Matth. 27.* *Matth. 25.*

Lib. III. de libero arbitrio, Cap. XVIII.

Omnis pœna si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur. Si autem iniusta est pœna, quam pœnam esse nemo ambigit iniusto aliquo dominante, homini imposita est. Porrò quia de omnipotẽtia Dei & iustitia dubitare dementis est, iusta hæc pœna est, & pro peccato aliquo penditur. Non enim quisquam iniustus dominator, aut surripere hominem potuit velut ignorãte Deo, aut extorquere inuito, tanquam inualidiori, vel terrẽdo vel confligendo, vt hominem iniusta pœna cruciaret. Relinquitur ergo, vt hæc pœna iusta de damnatione hominis veniat.

Nemini à Deo iniuste pœna infligitur.

De vera religione, Cap. XXXI.

Sicut in istis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent, cùm eas instituunt: tamen quum fuerint institutæ atque firmatæ, nõ licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas: Conditor tamen legum tẽporalium, si vir bonus est & sapiens, illã ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ iudicare datum est, vt secundum eius incommutabiles regulas, quid sit pro tẽpore iubẽdum, vetandúmque discernat. A Eternã igitur Legẽ fas est mũdis animis cognoscere: iudicare autem non fas

Iudici non licet iudicare leges, sed secundum eas ipsas.

est. Hoc autē interest, quòd ad cognoscendum satis est, vt videamus ita esse aliquid vel non ita. Ad iudicandum verò addimus aliquid, quo significamus posse esse & aliter, velut quum dicimus, Ita esse debet, aut ita esse debuit, aut ita esse debebit, vt in suis operib⁹ artifices faciūt.

Lib. I. de sermone Domini in monte, Q.

Historia misceranda. Acindius Antiochiæ temporibus Constantii Præfectus, qui etiam cōsul fuit, cùm quendam libræ auri debitorem fisci exigeret, nescio vnde commotus (quod plerūque in istis potestatibus periculosum est, quibus quod libet licet, aut potius putatur licere) comminatus est iurans & vehementer affirmans, quòd si certo die quem cōstituerat, memoratum aurum non exolueret, occideretur. Itaque cùm ille teneretur immani custodia, nec se posset debito illo expedire, dies metuendus imminere & propinquare cœpit. Et fortè habebat vxorē pulcherrimam: sed nullius pecuniæ qua subuenire posset viro. Cuius mulieris pulchritudine quum quidam diues esset accēsus, & cognouisset maritum eius in illo discrimine constitutum, misit ad eam, pollicens pro vna nocte, si ei misceri vellet, se auri libram daturum. Tum illa quæ se sciret non se habere sui corporis potestatem, sed virum suum, pertulit ad eū, dicens paratam se esse pro marito id facere, si tamen ipse coniugalis corporis dominus, cui tota illa castitas deberetur, tanquam de re sua, pro vita sua vellet id fieri. Egit ille gratias, & vt id fieret imperauit, nullo modo iudicās adulterinū esse concubitum, quòd & libido nulla, & magna mariti charitas se iubente & volente flagitaret. Venit mulier ad villam illius diuitis: fecit quod voluit impudicus. Sed illa corpus non nisi marito dedit, non concumbere, vt solet, sed viuere cupienti. Accepit aurū. Sed ille qui dedit, fraude subtraxit quod dederat, & supposuit simile ligamētum cum terra. Quod vbi mulier iam domui suæ posita inuenit, prosiluit in publicum, eadem mariti charitate clamatura quod fecerat, qua facere coacta est. Interpellat Præfectū, fatetur omnia, quam fraudem passa esset ostendit. Tūc verò Præfectus primò se reum quòd suis minis ad id ventum esset pronuntiat, tanquam in alium sententiam diceret, de Acindini bonis, auri libram fisco inferendam: illam verò mulierem, dominam in eam terrā, vnde pro auro terrā accepisset, induci. Nihil hīc in aliquā partem disputo. liceat cuiq; æstimare quod velit. Non enim de diuinis auctoritatibus deprōpta historia est: sed tamē narrato hoc facto, nō ita respuit hoc sēsus humanus quod in illa muliere viro iubente commissum est, quemadmodum antea, quum sine vllo exemplo res ipsa poneretur, horruimus.

Contra Adimantum Manichæi discipulum, Cap. VIII.

Vindictæ publicæ modus. Audistis quia dictum est antiquis, Oculum pro oculo, & dentē pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo. Sed si quis te percusserit in maxillam, præbe illi & alteram. Et quicunque voluerit tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam auferre, dimitte illi & pallium. In quibus duabus sententiis, reuera duorum Testamentorum differentia demonstratur: sed amborum tamen ab vno Deo constitutorum. Nam quoniam primò carnales homines ardebant multò amplius se vindicare, quàm erat illa iniuria, de qua quereban tur: constitutus est eis primus lenitatis gradus, vt iniuriæ acceptæ mensuram, nullo modo dolor vindicantis excederet. Sic enim & donare aliquādo posset iniuriam, qui eam primò non superare didicisset. Vnde Dominus iam per Euangelii gratiam ad summam pacē populum deducēs, huic gradui superædificauit alterum, vt qui iam audierat non ampliorem vindictam quàm quisque læsus esset redddere, placata mente totum se donare gauderet.

In expositione quarundam propositionū ex Epist. ad Rom. Propos. LXXII.

Quod autem ait Apostolus, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo, rectissimè admonet, ne quis ex Deo quod à domino suo in libertatem vocatus est, factus Christianus, extollatur in superbia, & non arbitretur in huius vitæ itinere seruādum esse ordinem suum, vt potestatibus sublimiorib⁹, quibus pro tēpore rerum temporalium gubernatio tradita est, existimet non se esse subdendum. Cùm enim constemus ex anima & corpore, quandiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium huius vitæ degēdæ vtamur: oportet nos ex ea parte, quæ ad hāc vitam pertinet, subditos esse potestatibus, id est, hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus. Ex illa verò parte qua credimus Deo, & in regnum eius vocamur, non nos oportet esse subditos cuiquam homini, idipsum in nobis euertere cupienti, quod Deus ad vitā æternam donare dignatus est. Si quis ergo putat quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum eis qui hæc curant potestatibus, in magno errore labitur. Sed modus iste seruādus est, quē Deus ipse præscribit, vt reddamus Cæsari, quæ Cæsaris sunt: & Deo, quæ Dei sunt. Quāquam enim ad illud regnū vocemur, vbi nulla erit potestas huiusmodi: in hoc tamē itinere dum agimus, donec perueniamus ad illud seculum, vbi fit euacuatio omnis principatus & potestatis, conditionē nostram pro ipso rerum humanarū ordine toleremus, nihil simulatè facientes, & in eoipso non tam hominibus quàm Deo, qui hæc iubet obtemperantes. Roman. 13. *Potestatibus non subditos ipse se oportet.*

Propositione LXXIII. ibidem.

Quòd autem ait, Vis non timere potestatē? bonum fac, & habebis laudē ex ea· potest mo- Roma. 13.

uere

uere aliquos, cùm cogitauerint ab istis potestatibus persequutionē se passos fuisse. Christiani ergo non faciebant bonum, qui non solùm non sunt laudati ab istis potestatibus, sed & pœnis affecti & necati sunt? Consyderanda ergo sunt verba Apostoli. non enim ait, Bonū fac, & laudabit te potestas: sed ait, Bonum fac, & habebis laudem ex illa, vel cùm eam in obsequium Dei lucratus fueris, vel cùm eius persequutione coronam merueris. Hoc etiam in cō sequentibus intelligitur, cùm dicit, Dei enim minister est, tibi in bonū, etiāsi sibi in malum.

Etiam tyrannus in bonum fideli minister est.

Propositio. LXXIIII. eodem libro.

Quòd autem ait, Ideóque necessitate subditi estote: ad hoc valet, vt intelligamus quia necesse est propter hanc vitam subditos nos esse oportere, non resistentes si quid illi auferre voluerint, in quo sibi potestas data est de temporalibus rebus: quæ quoniam trāseunt, ideo & ista subiectio non in bonis quasi permansuris, sed in necessariis huic tempori constituēda est. Tamē quoniam dixit, Necesitate subditi estote: ne quis non integro animo & pura dilectione subditus fieret huiusmodi potestatibus, addidit dicens, Non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, id est, nō solùm ad iram euadendam, quod potest etiam simulatè fieri: sed vt in tua conscientia certus sis illius dilectione te facere, cui subditus fueris, iussu Domini tui, qui omnes vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Et hoc enim cùm diceret Apostolus, de ipsis potestatib⁹ aiebat. Hoc est quod seruis alio loco suadet, Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placētes, vt id ipsum quod subduntur dominis suis, non eos oderint, aut fallaciis promereri desyderent.

Non resistendum potestati.

1. Timot. 2

Ephes. 6

Super III. caput epistolæ ad Galat.

Nam nunc quanuis primitias habentes Spiritus, qui vita est propter iustitiam fidei, tamen quia adhuc mortuum est corpus propter peccatum: differentia ista vel gentium, vel conditionis, vel sexus, iam quidem ablata est ab vnitate fidei, sed manet in conuersatione mortali, eiúsque ordinem in huius vitæ itinere seruandum esse & Apostoli præcipiunt, qui etiam regulas saluberrimas tradunt, quemadmodum secum viuant pro differētia gentis, Iudæi & Græci, & pro differentia conditionis, domini & serui, & differentia sexus, viri & vxores, vel si quę talia occurrunt. Et ipse prior Dominus, qui ait, Reddite Cæsari quę Cęsaris sūt, & Deo quæ Dei sunt. Alia sunt enim quæ seruamus in vnitate fidei sine vlla distātia, & alia in ordine vitæ huius tanquam in via, ne nomē Dei & doctrina blasphemetur. Et hoc non solùm propter iram, vt effugiamus offensionem hominum, sed etiam propter conscientiam, vt non simulatè quasi ad oculos hominum faciamus, sed pura dilectionis conscientia propter Deum, qui omnes homines vult saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire.

Roman. 8

Matth. 22

Libro LXXXIII. quæstion.

Quæstion. XXXI.

Iustitia est habitus animi, communi vtilitati conseruata, suam cuique tribuens dignitatē. Eius initiū est à natura profectum: deinde quædam in consuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt. Postea res ex natura profectas, & cōsuetudine probatas, legū met⁹ & religio sanxerūt.

Iustitia quid sit.

Eodem lib. Quæst. LIII.

Deus enim noster hic ad salutem animarum diuinos libros Spiritu sancto moderatus est, vt non solùm manifestis pascere, sed etiam obscuris exercere nos vellet. Ex hac igitur ineffabili atque sublimi rerum administratione, quæ fit per diuinā prudētiam, quasi trāscripta est naturalis Lex in animam rationalem, vt in ipsa vitæ huius conuersatione, moribúsque terrenis homines talium distributionum imagines seruent. Hinc est quòd iudex damnatū percutere indignum sua persona & nefarium iudicat: eius tamen iussu hoc facit carnifex, qui pro sua cupiditate sic ordinat⁹ est in officio, vt percutiat legum moderatione damnatum, qui posset etiam innocentem sua crudelitate percutere. Nam neque per seipsum hoc iudex facit, neque per principem vel aduocatum, aut aliquem in officio suo, cui tale ministerium non conuenienter imponitur. Hinc est etiam quòd irrationabilib⁹ animantibus vtimur ad eas res, quas per homines agi nefarium est. Nam vtiq; dignus est fur morsu lacerari: id tamen homo nō per seipsum agit, aut per filium, aut per domesticum, aut etiam per famulum suū, sed per carnificem bestiam, quam bestiam talia pro naturæ suæ gradibus decet facere. Quum igitur quosdam pati aliquid deceat, quod alios facere non deceat, ministeria quædam sunt mediaquibus digna iniunguntur officia, vt eis vtens ipsa iustitia, non solùm talia pati quēquem imperet, qualia pati eum decet: sed etiam iis facientibus, quos talia facere non minus decet.

De lictoribus & carnificibus

De correctione Donatistarum, ad Bonifacium, Cap. VI.

Sicut ergo dicit Apostolus, Infatigabiles cùm tēpus habemus, operemur bonum: omnes qui possunt catholicorum prædicatorum sermonibus, qui possunt catholicorum principum legibus, partim per eos qui diuinis admonitionibus, partim per eos qui iussis imperialibus parent, omnes ad salutem vocentur, omnes à pernicie reuocentur. Quia & imperatores quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credētes, & coronantur perseuerātes. Quando autem pro veritate contra falsitatem, constituunt bonas leges, terrētur sæuientes, & corriguntur intelligentes. Quicunque ergo legibus imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grāde prēmium. Quicunque autem legibus imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grāde suppliciū. Nam & temporibus Prophetarum omnes reges, qui in po-

Galat. 6.

Vsus malarū & bonarum legum.

pulo Dei non prohibuerũt nec euerterũt quæ contra Dei præcepta fuerãt instituta, culpantur: & qui prohibuerunt & euerterunt, super
Daniel.3. aliorum merita laudantur. Et rex Nabuchodonosor, cùm seruus esset idolorum, cõstituit legem sacrilegam, vt simulachrum adoraretur: sed eius impiæ constitutioni qui obedire noluerũt, piè fidelitérque fecerũt. Idẽ tamen rex, diuino correctus miraculo, piam & laudabilẽ legem pro veritate constituit, vt quicunque diceret blasphemiam in Deum verum Sidrac, Misac & Abdenago, cum domo sua penitus interiret. Hanc legem si qui cõtempserunt, & id quod fuerat cõstitutũ meritò perpessi sunt, debuerunt dicere quod Donatistæ & hæretici dicunt, se iustos esse, quia ex lege regis persecutionem patiebantur. quod vtique dicerent, si ita insanirent sicut isti insaniunt, qui diuidunt membra Christi, exufflant Sacramẽta Christi, & de persecutione gloriantur, quia prohibentur ista facere legibus imperatorum, quas constituerunt pro vnitate Christi: & iactant fallaciter innocentiam suam, & quam non possunt à Domino accipere, ab hominibus quærunt Martyrum gloriam.

Eodem lib. Cap. VII.

Qui sunt veri Martyres. Matth.5. Veri autem Martyres illi sunt, de quibus Dominus ait, Beati qui persecutionẽ patiuntur propter iustitiam. Non ergo qui propter iniquitatem, & propter Christianæ vnitatis impiam diuisionẽ, sed qui propter iustitiam persecutionem patiuntur, ii Martyres veri sunt.
Genes.16. Nam & Agar passa est persecutionem à Sara, & illa erat sancta quæ faciebat, illa iniqua quæ patiebatur. Nunquid & huic persecutioni quã
1.Reg.18. passa est Agar, comparãdus est sanctus Dauid, quem persecutus est iniquus Saul? Valde vtique distat, non quia patiebatur, sed quia propter iustitiam patiebatur. Et ipse Dominus cũ
Matth.27. latronibus crucifixus est: sed quos passio iungebat, causa separabat. Ideo in Psalmo vox illa intelligenda est verorum Martyrum, volen-
Psalm.42. tium se discerni à martyribus falsis, Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta. Non dixit, Discerne pœnam meam, sed Discerne causam meam. Potest enim esse impiorum similis pœna, sed dissimilis est Marty-
Psalm.118. rum causa, quorum & illa vox est, Iniustè persecuti sunt me, adiuua me. Ideo se dignum existimauit, qui adiuuaretur iustè, quia illi persequebantur iniustè. Nam si iustè illi persequerentur, non fuerat adiuuandus, sed corrigẽdus.

Cap. VIII.

Si autem putãt hæretici, quòd nemo possit iustè aliquem persequi, sicut in collatione dixerunt Donatistæ, illam esse veram Ecclesiam, quæ persecutionẽ patitur, nõ quæ facit: quæro, Si boni & sancti nemini faciunt persecutionem, sed tantummodo patiuntur, cuius putant
Psalm.17. esse in Psalmo vocem, vbi legitur, Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant? Si ergo verum dicere vel agnoscere volumus, est persecutio in- Duplex persecutio.
iusta, quam faciunt impii Ecclesiæ Christi, & est iusta persecutio, quam facit impiis Ecclesia Christi. Ista itaque beata est, quę persecutionẽ patitur propter iustitiam: illi verò miseri, qui persecutionem patiuntur propter iniustitiam. Proinde ista persequitur diligendo, illi sęuiendo. Ista vt corrigat, illi vt euertãt. Ista vt reuocet ab errore, illi vt præcipitent in errorem.

Eodem lib. Cap. XIII.

Quòd enim dicunt, qui contra suas impietates leges iustas institui nolunt, non petiisse à regibus terræ Apostolos talia: non consyderãt aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferẽdo seruiret, quando adhuc illud propheticum complebatur, Quare fre- Psalm.2.
muerunt gẽtes, & populi meditati sunt inania, Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius? Nõdum autem agebatur quod paulò pòst in eodem Psalmo dicitur. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo reges Domino seruiunt in timore, nisi ea quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim seruit quia homo est, aliter quia etiam & rex est. Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter, quia verò etiam rex est, seruit leges iusta præcipientes & contraria prohibentes, conuenienti vigore sanciendo.
Sicut seruiuit Ezechias, lucos & templa idolo- 4.Reg.18.
rum, & illa excelsa quæ cõtra prȩcepta Dei fuerant constructa destruẽdo: sicut seruiuit Iosias 4.Reg.22.
talia & ipse faciendo: sicut seruiuit rex Niniui Ionæ 3.
tarum, vniuersam ciuitatem ad placãdum Dominum compellendo: sicut seruiuit Darius, idolum frangendũ in potestatem Danieli dãdo Daniel.14.
& inimicos eius leonibus ingerendo: sicut seruiuit Nabuchodonosor, de quo iam diximus, omnes in regno suo positos à blasphemando Deo, lege terribili prohibẽdo. In hoc ergo seruiũt Domino reges, inquãtum sunt reges, cùm ea faciunt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi reges. Cùm itaque nondũ reges Domino seruirent temporibus Apostolorum, sed adhuc meditarentur inania aduersus eum & aduersus Christum eius, vt Prophetarum prædicta omnia complerentur, non vtique tunc possent impietates legibus prohiberi, sed potius exerceri. Sic enim ordo temporum voluebatur, vt & Iudæi occiderent prædicatores Christi, putantes se officium Deo facere, sicut Ioannis 16.
prædixerat Christus, & gentes fremerunt ad- Psalm.2.
uersus Christianos, vt omnis patientia Martyrum vinceret. Postea verò quàm cœpit impleri quod scriptum est, Et adorabunt eum om- Psalm.71.
nes reges terræ, omnes gentes seruiẽt illi: quis

mente

mente sobrius regibus dicat, Nolite curare in regno vestro, à quo tueatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri, non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse religiosus, siue sacrilegus: quibus dici non potest, Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, quis impudicus?

Cap. XIIII. eodem libro.

Non minus sacrilegia quàm adulteria punienda.

Cur enim cùm datum sit diuinitus homini liberum arbitrium adulteria legibus puniatur, & sacrilegia permittantur? An fidem nō seruare leuius est animam Deo, quàm fœminam viro? Aut si ea quæ non cōtemptu, sed ignorantia religionis committuntur, mitius vindicanda, nunquid ideo negligenda sunt? Melius est quidem (quis dubitauerit?) ad Deum colēdum doctrina homines duci, quàm pœnæ timore, vel dolore compelli. Sed non quia isti meliores sunt, ideo illi qui tales nō sunt, negligēdi sunt. Multis enim profuit (quod experimentis probauimus & probamus) prius timore vel dolore cogi, vt postea possint doceri, aut quod iam verbis didicerāt opere sectari. Proponunt nobis quidam sententiam cuiusdam secularis auctoris, qui dixit, Pudore & liberalitate liberos retinere, satius esse credo quàm metu. Hoc quidem verū est. Sed sicut meliores sunt quos dirigit amor, ita plures sunt quos corrigit timor. Nam vt de ipso auctore istis respondeatur, apud illum etiam legunt, Tu nisi malo coactus, rectè facere nescis.

Libro II. Quæstionum in Exodum, Quæst. LXXVII.

Exod. 21. Quæ de seruo Hebræo præcipiuntur, vt sex annos seruiat, & dimittatur liber gratis, ne serui Christiani hoc flagitarēt à dominis suis, Apostolica auctoritas iubet seruos dominis *Ephes. 6.* suis esse subiectos, ne doctrina & nomen Dei blasphemetur. Illud enim ex hoc satis constat in mysterio præceptum, quia pertundi subula eius aurem ad postem præcepit Deus, qui libertatem illam recusaret.

Lib. III. super Leuiticum, Quæst. LVI.

Quum enim iubet ille qui Legem constituit, aliquid fieri quod in Lege ꝓhibuit, iussio illa ꝓ Lege habeatur, quoniā auctor est Legis.

Libro X. Quæstionum super Deuteronomium, quæst. XXVI.

Deut. 17. Si autem intraueris in terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi in sorte, & hæreditaueris eam, & habitaueris in ea, & dices, Cōstituam super me principes, sicut & cæteræ gentes, quæ circa me sunt. Constituendo cōstitues super te principē, quem elegerit Dominus Deus tuus ipsum. Ex fratribus tuis cōstitues super te principem. non poteris cōstituere super te hominem alienum, qui non est frater tuus. Quæ- *1. Reg. 8.* ri potest cur displicuerit populus Deo, quādo regem desyderauerit, cùm hīc inueniatur esse permissus. Sed magis hīc intelligēdum est meritò non fuisse secundum voluntatē Dei, quia hoc fieri non præcepit, sed desyderantibus permisit. Veruntamen præcepit ne fieret alienus, sed frater, id est, ex eodē populo indigena, non alienigena. Quod autem ait, Non poteris, intelligendum est, non debebis.

Eodem lib. Quæst. XIV.

Est itaque leuis impietas, quæ verbere digna est, & est grauior quæ morte digna est, ita etiam illa peccata, quæ nō in Deum, sed in hominē videntur admitti, sunt morte digna: quædam alia correptione, seu verbere, seu pœna faciliore, &c. *Grauiora quæ grauiores vindictæ.*

Contra secundam Gaudentii epistolam, Lib. II. Cap. XI.

DONATISTAE dicunt, Quid de Deo æstimat, qui eum violentia vult defendere, nisi quia non valet suas ipse iniurias vindicare? RESPONSIO, Secundum istas vestra fallacissimas vanissimásque rationes, habenis laxatis atque dimissis humanæ licentiæ impunita pec- *Omnes licentia deteriores fiunt.* cata omnia relinquentur, vt nullis oppositis re pagulis legū, nocendi audacia & lasciuiendi libido bacchetur. Non rex suum regnum, non dux militem, non prouincialem iudex, non dominus seruum, non maritus vxorem, nec pater filium à libertate & suauitate peccandi minis vllis pœnísque compescat. Auferte quod sana doctrina pro sanitate orbis terrarum sapiēter per Apostolum dicit, & vt confirmetis in arbitrio tantò peiore, quantò liberiore filios perditionis, delete quod ait vas electionis, Omnis *Roman. 13.* anima potestatibus sublimioribus subdita sit.

Eodem libro contra eandem, Cap. XXVI.

GAVDENTIVS, Ad docendū, inquit, populū Israel omnipotēs Deus Prophetis prēconium dedit, non regibus imperauit. Saluator animarum Dominus Christus ad insinuandam fidem, piscatores nō milites misit. AVGVSTINI RESPONSIO, Audite ergo Prophetas sanctos, & sanctos piscatores, & molestos non patiemini religiosissimos reges. Iam enim & superius ostēdi ad curam pertinuisse regis, vt Niniuitæ Deum placarent, cuius iram Propheta annuntiauerat. Quandiu ergo vos non tenetis Ecclesiam, quam prænūtiauerunt piscatores, Apostoli plantauerunt, tandiu reges qui eam tenēt, rectissimè ad suam curam iudicant pertinere, ne vos aduersus eam rebelletis impunè: nam Deus & reges habuit inter Prophetas. Dauid quippe sanctus, quod non potestis signorare, rex fuit. Audite itaque prophetantem regem, & nullum religiosum regem formidabitis irascentem. Audite itaque (inquam) Pro- *Psalm. 71.* phetam regem dicentem de Christo, Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum: & non timebitis Christianum regem, succensentem vobis hanc Ecclesiam blasphemantibus, quæ sicut à rege prophetata est, exhibetur vsque ad terminos *Daniel 2.* orbis terræ. Quia & rex Nabuchodonosor

quanuis Propheta non fuerit, eos tamen qui blasphemarent Deum Sidrac, Misac & Abdenago, religiosa seueritate coercuit.

Eodem libro, Cap. XVII.

Ad veritatem quidam cogendi.

Quòd vobis hæreticis videtur, inuitos ad veritatem non esse cogẽdos, erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei, quæ eos volẽtes facit, dum coguntur inuiti. Nunquid enim pœnitẽtiam Niniuitæ inuiti egerunt, quia hoc rege suo compellente fecerunt? Iam enim Propheta iram Dei vniuersæ ciuitati, eam triduo perambulans, prænuntiauerat. Quid igitur opus erat regis imperio, vt humiliter supplicaretur Deo, qui non intuetur ora, sed corda: nisi quia erant in eis quidam, qui nec curarent, nec crederent prædicta diuina, nisi territi potestate terrena? Ista igitur iussione regiæ potestatis, contra quã voluntarius sit vester occasus, multis ad salutem quæ in Christo præstatur occasio: qui etsi violenter adducuntur ad cœnam tãti Patrisfamilias, sed compelluntur intrare: intus tamen inueniunt vnde se lætẽtur intrasse. Vtrunque enim futurũ Dominus ipse prædixit, & vtrunque complenit. Nam reprobatis quibusdã, qui vtique intelligũtur Iudæi, quia ipsi per Prophetas antea fuerant inuitati, & ad horam excusare maluerunt, ait dominus seruo *Luce 14.* suo, Exi in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes & debiles, & cæcos & claudos introduc huc. Et ait seruus domino, Factum est vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait dominus seruo, Exi in vias & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Intelligimus vias, hæreses, schismata, sepes. Viæ quippe hoc loco significãt diuersas opiniones. Quid ergo miramini, si non corporalis cibi, sed spiritalis fame moritur, quisquis ad istam cœnam nec libenter introductus, nec violenter impulsus ingredi curat?

In Enchiridio ad Laurentium, Cap. LXXVIII.

1. Corinth 6.

Audet quisquam vestrũ aduersus alterum negotium habens iudicari apud iniquos,

Iudicio pii & fideles no contendunt.

& non apud sanctos? Et paulò pòst, Secularia iudicia si habueritis, inquit, eos qui cõtemptibiles sunt in Ecclesia, hos collocate ad iudicãdum. Ad reuerentiam vobis dico. Sic nõ est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum iudicare? Sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles. Nam & hîc posset putari, iudicium habere aduersus alterum, non esse peccatum, sed tantummodo id extra Ecclesiam velle iudicari, nisi secutus adiungeret, Iam quidem omnino delictum est inter vos, quia iudicia habetis vobiscum. Et ne quisquam hoc ita excusaret, vt diceret iustum se habere negotiũ, sed iniquitatem se pati, quã vellet à se iudicum sententia remoueri, continuò talibus cogitationibus vel excusationibus occurrit, atque ait, Quare non magis iniquitatem patimini? Quare non potius fraudamini? vt ad illud redeatur, quod Dominus ait, Si quis voluerit tunicam tuam tollere, & iudicio tecum contendere, dimitte illi & pallium. *Matth. 5.* Et alio loco, Qui abstulerit, inquit, tua, noli repetere. *Luce 6.* Prohibuit itaque suos de secularibus rebus cum aliis hominibus habere iudicium. Ex qua doctrina dicit Apostolus esse delictum. tamen cùm finit in Ecclesia talia iudicia finiri inter fratres, fratribus iudicantibus, extra Ecclesiam verò terribiliter vetat: manifestum est etiam hîc quid secundum veniam concedatur infirmis.

De verbis Domini secundum Matthæum, Sermon. VI.

Omnis anima potestatibus sublimioribus *Roman. 13* subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Qui e- *Contra precepta Dei imperãtes, contemnendi.* nim resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Sed quid si illud iubeat, quod non debeas facere? Hîc sanè contemne potestatem. Timẽdo potestatem, ipsos humanarũ rerum gradus aduertite. Si aliquid iusserit curator, nonne faciendũ est? Tamen si contrà Proconsul iubeat, non vtique contemnis potestatẽ, sed eligis maiori seruire. Nec huic debet minor irasci, si maior prælata est. Rursum si aliquid ipse Proconsul iubeat, & aliud iubeat Imperator, nunquid dubitatur in illo contemptu illi esse seruiendum? Ergo si aliud Imperator, & aliud Deus, quid iudicatis? Solue tributũ, esto mihi in obsequium. Rectè quidem, sed non in idolio: in idolio prohibet. Quis prohibet? Maior potestas. Da veniam: tu carcerem, ille gehennam minatur. Hinc iam tibi assumenda est fides tua *Ephes. 6.* tanquam scutum, in quo possis omnia ignita iacula inimici extinguere. Sed insidiatur contra te potens, acuit nouaculam vnde capillos radat, non vnde caput incidat. *Deo magis obediendum quam hominibus.*

De verbis Domini secundum Lucam, Sermon. XXXI.

Villam emi, &c. In villa empta dominatio *Luce 14. Dominandi libido vitium primum.* notatur: ergo superbia castigatur. Habere enim villam, tenere, possidere, homines sibi in illa subdere & dominari delectat. Vitiũ malũ, vitium primum. Primus enim homo dominari voluit, qui dominum habere noluit. Quid est dominari, nisi propria potestate gaudere? Est maior potestas, illi subdamur vt tuti esse valeamus. Villam emi, habe me excusatum. Inuenta superbia venire noluit.

De verbis Apost. Serm. IIII.

Laudatur enim peccator, ait Lex, in desy- *Psalm. 9.* deriis animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur. Inuenis hominem concupiscentias suas carnales sectantem, totúmque se illis seruum donantem, occupari vndique voluptate, fornicari, inebriari. Nõ dico amplius. fornicari (inquam) inebriari. Hæc dixi, quæ licitè committuntur, sed nõ Dei legibus. Quis enim aliquãdo ad iudicem ductus est, quia meretricis lupanar intrauit? Quis enim aliquando in publicis tribunalib⁹ accusatus est, quia per suas listrias

lasciuus

lasciuus immundúsque defluxit? Quis aliquãdo habens vxorem, quia ancillam suam vitiauit, crimen inuenit? Sed in foro, non cælo: in lege mundi, non in Lege Creatoris mũdi. Luxuriosus autem, immundus atque lasciuus, felix dicitur, abundare voluptatibus, frui delitiis. Iã verò si se etiam vino ingurgitet, si bibat mensuras sine mensura, parum est, quia non inuenit crimen: etiam viri fortis accipit nomen, tantò nequior, quantò sub poculo inuictior.

In potentes bibulos.

Ser. CCXXXVIII. de tempore.

Multi sunt qui sanæ doctrinæ aduersantur, iustitiam culpãt, & disciplinam imperium esse iudicãt, ac rationabilem castigationem superbię assignant: cùm non sit imperiũ, nisi vbi aliquid iubetur iniustũ, nec sit superbia, nisi vbi negligitur disciplina. Disciplina igitur magistra est religionis, magistra veræ pietatis, quæ nec ideo increpat vt lædat: nec ideo castigat vt noceat. Denique mores hominum irata corrigit, inflammata custodit: ita Solomone dicẽte, Fili ne deficias à disciplina Domini, neque fatigeris cùm ab eo increparis.

De bono disciplinæ.

Proverb. 3.

Post pauca ibidem.

Bene in omnibus causis timor obtemperat disciplinæ, qui pro hocipso, quòd imminentes causas periculorum, aut iras iudicum cauere nouit, potestatem conseruandæ salutis obtinuit. Quid igitur adultero castum, quid furi esset tutum, quid latroni non peruium? Quis non expaueſceret concaua littorum, secreta syluarum? Quid non præsumptio possideret, nisi furorem animorum sub metu pœnæ disciplina compesceret? Ac nisi constitutus esset ordo viuendi, nunquam profectò finem poneret natura peccandi.

Post pauca ibidem.

Multi ibi nomen credulitatis imponunt, vbi pro amore disciplinæ, crimen admissi sceleris, supplicio vindicatur latronis: cùm sententia vindicantis iustis legibus seruiat, & non solùm præsentib⁹, sed etiã futuris manũ porrigat. Quis igitur nõ licitè crederet debere peccare, si impudicis & impiis actibus iudex non præscriberet disciplinam? Videamus quid Lex loquatur, Non occides, Nõ adulterabis, Non falsum testimoniũ dices. Hæ sũt disciplinæ Legis, quibus etiã districtio sententiæ secularis obsequitur, impugnãdo turpia, resecãdo criminosa. Nã adiicit Scriptura, Iudex non est vindex positus boni operis, sed mali. ita vt etiam vicarium pœnæ genus exigat, cùm dicat, Oculum pro oculo, dentem pro dẽte. Sed istam antiquã sententiæ seueritatem facilè vitare possumus, si flammas futuri iudicii cogitemus. Absolutè autem docet Apostolus posse contemni secularis arma iudicii, qui dicit, Si vis potestatem non timere, quod bonum est fac. Sed hæc non otiosè tractanda sunt. Nam quum de his terrenis potestatibus Apostoli doctrina cõmemorat, sensibus nostris cælestis iudicii partes insinuat. Nam cùm docet seculi seruiendum legibus, admonet necessariò hominem futuris cauere temporibus. Si vis, inquit, non timere potestatem, quod bonum est fac: hoc est dicere, Si vis futurum non timere iudicium, declina à malo, & fac bonum. Ergo hanc primã constitutionis formam, quæ seculi legibus caret, cauere debemus & vincere, vt possimus à nobis illud præiudicium perpetuæ mortis excludere, quia quos ista temporalis nõ affligit pœna, hoc illa inæternum insatiabili tormentorum persequitur dolore.

Exod. 20.

Iudex in vindictam malorũ ordinatus est.

Roman. 13.

Psalm. 38

Sermon. CCXLVII. de tempore.

Iudicio enim legum, iure ab obtenta dignitate deiicitur, qui priuilegio sibi concesso abutitur.

Ad Valentinum, Epist. XLVIII.

Terror temporalium potestatum, quando veritatem oppugnat, iustis fortibus gloriosa probatio est, infirmis periculosa tentatio. quando autem veritatem prædicat errantibus & discordãtib⁹, cordatis vtilis admonitio est, & insensatis inutilis afflictio. Non est tamen potestas nisi à Deo. &c. Siue enim potestas veritati fauens aliquem corrigat, laudem habet ex illa qui fuerit emendatus, siue inimica in aliquem sæuiat, laudem habet ex illa, qui victor fuerit coronatus.

Non est potestas nisi à Deo.

Ad Macedonium, Epist. LIIII.

Qui vestrûm est sine peccato, prior in illã lapidem iaciat. ipsius qui hoc dixit sectaremur exemplum, qui cùm esset vtique sine peccato, ait mulieri quã perterriti illi reliquerant, Nec ego te condemnabo: vade iam deinceps noli peccare. Si malitia tibi parcere potuit, quid metuis innocentiam? Et ne delictorum non doctor, sed approbator videretur, Vade, ait, iam deinceps noli peccare, vt se homini pepercisse, non hominis culpam sibi placuisse monstraret. Iam vides igitur de religione descendere, nec nos de societate criminum obstringi, quòd intercedimus plerunque pro sceleratis, etsi non scelerati, tamen pro peccatoribus peccatores. Nec ideo sanè frustra instituta sunt, potestates regis, vis gladii cognitoris, vngulæ carnificis, arma militis, disciplina dominationis, seueritas etiam boni patris. Habent ista omnia modos suos, causas, rationes, vtilitates. Hæc cùm timentur & coercentur mali & quietius inter malos viuunt boni: non quia boni pronuntiandi sunt, qui talia metuẽdo non peccant. Non enim bonus est quispiã timore pœnæ, sed amore iustitiæ. Veruntamen non inutiliter etiam metu legum humana coercetur audacia, & vt tuta sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbãdis dum formidato supplicio frenatur facultas, inuocato Deo sanetur voluntas. Sed huic ordinationi rerum humanarum contrariæ non sunt intercessiones Episcoporum: imò verò nec causa nec locus intercedendi vllus esset, si ista non essent. Tanto

Lex iudicialis coercet in malitiam.

enim sunt intercedentiũ & parcentium beneficia gratiora, quantò peccantium iustiora supplicia. Nec ob aliud, quantum sapio, in veteri Testamẽto antiquorum temporibus Prophetarum, seuerior Legis vindicta feruebat: nisi vt ostenderetur rectè iniquis pœnas constitutas, vt quod eis parcere noui Testamẽti indulgentia cõmonemur, aut remedium sit salutis, quò peccatis parcatur & nostris, aut commendatio mansuetudinis, vt per eos qui parcunt veritas prædicata, non tantùm timeatur, verumetiam diligatur. Plurimum autem interest quo animo quisq; parcat. Sicut enim est aliquãdo misericordia puniens, ita & crudelitas parcens. Nam vt exempli gratia manifestum aliquid ponam, quis non crudelem verius dixerit eum, qui puero pepercerit volenti obstinatissimè de serpentibus ludere? Quis autem non misericordem, qui talia prohibens, contemptorem verborum, etiam verberibus emendauerit? Et ideo non vsque ad mortem protẽdenda est disciplina, vt sit cui prodesse possit. Quanquam etiam quum homo ab homine occiditur, multum distet, vtrùm fiat nocendi cupiditate, vel iniustè aliquid auferendi, sicut fit ab inimico, sicut à latrone: an vlciscendi vel obediendi ordine, sicut à iudice, sicut à carnifice, an euadendi vel subueniendi necessitate, sicut interimitur latro à viatore, hostis à milite, &c. Prodest ergo & seueritas vestra, cuius ministerio quies adiuuatur & nostra. Prodest & intercessio nostra, cuius ministerio seueritas temperatur & vestra. Omnis, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit, &c. Hæc Apostoli verba vtilitatem seueritatis ostendunt. Proinde sicut dilectionem iussi sunt terrentibus debere qui timent, ita dilectionem iussi sunt timentibus debere qui terrent. Nihil nocendi cupiditate fiat, sed omnia cõsulendi charitate, & nihil fiat immaniter, nihil inhumaniter. Ita formidetur vltio cognitoris, vt nec intercessoris religio contemnatur: quia & plectendo & ignoscendo hoc solùm bene agitur, vt vita hominum corrigatur. Quòd si tãta est peruersitas & impietas, vt ei corrigendæ nec disciplina possit prodesse nec venia, à bonis tamen intentione atque cõscientia, quam Deus cernit, siue seueritate, siue lenitate, nonnisi officio dilectionis impletur.

Seueritas iudicis bonis prodest.

Rom. 13.

Libro I. de ciuitate Dei, Cap. XXX. & XXXI.

Deleta quippe Carthagine, magno scilicet terrore Romanæ reipublicæ depulso & extincto, tanta de rebus prosperis orta mala continuò subsecuta sunt, vt corrupta diruptáque cõcordia, prius sæuis cruentisq; seditionibus, deinde mox malarum connexione causarum, bellis etiam ciuilibus tantæ strages ederentur, tantus sanguis effunderetur, tanta cupiditate proscriptionum ac rapinarum ferueret immanitas, vt Romani illi, qui vita integriore mala metuebant ab hostibus, perdita integritate vitæ, crudeliora paterentur à ciuibus, eáque ipsa libido dominandi, quæ inter alia vitia generis humani, immoderatior inerat vniuerso populo Romano, posteaquam in paucis potentioribus vicit, obtritos fatigatósque cæteros, etiã iugo seruitutis oppressit. Nã quando illa quiesceret in superbissimis mentibus, donec continuatis honoribus, ad potestatẽ regiã peruenirent? Honorum porrò cõtinuandorum facultas nõ esset, nisi ambitio prævaleret. Minimè autẽ prævaleret ambitio, nisi in populo auaritia luxuriáque corrupto. Auarus verò luxuriosúsq; populus, secundis rebus euectus est, quas Nasica ille prouidentissimè cauendas esse censebat, quando ciuitatem hostium maximam, fortissimam, opulentisimámque nolebat auferri, vt timore libido premeretur, libido pressa, non luxuriaretur, luxuriáque cohibita, nec auaritia grassaretur. Quibus vitiis obseratis, ciuitati vtilis virtus floreret & cresceret, cíque virtuti libertas congrua permaneret.

Romanorũ dominãdi libido.

Libro II, Cap. XVI.

Si autem à diis suis Romani viuendi leges accipere potuissent, nõ aliquot annos post Romam conditam, ab Athenienſibus mutuarentur leges Solonis: quas tamen non vt acceperũt tenuerunt, sed meliores & emendatiores facere conati sunt: quanuis Lycurgus Lacedæmoniis leges ex Apollinis auctoritate se cõstituisse cõfinxerit. Quod prudenter Romani credere noluerunt: propterea non inde acceperunt.

Romanorũ leges ab Atheniensibus.

Eodem libro, Cap. XIX.

Legant nostra & per Prophetas & per sanctum Euangelium, & per Apostolicos actus & Epistolas. Tam multa contra auaritiam atque luxuriam vbique populis ad hoc congregatis, quàm excellenter, quàm diuinè, non tanquam ex Philosophorũ cõcertationibus strepere, sed tanquã ex oraculis & de nubibus intonare: & tamẽ luxu atq; auaritia, obscœnísq; ac turpib⁹ moribus ante aduẽtum Christi rempublicam pessimam ac flagitiosissimam factam, non imputant diis suis: afflictionem eius verò quancunque isto tempore superbia delitiæque eorum perpessę fuerit, religioni increpitãt Christianę. Cuius præcepta de iustis probísque moribus si simul audirent atque curarẽt reges terræ & omnes populi, principes & omnes iudices terræ, iuuenes & virgines, seniores cum iunioribus, ætas omnis capax & vterque sexus, & quos Baptista Ioannes alloquitur exactores ipsi atque milites, & terras vitæ præsentis ornaret sua felicitate respublica, & vitæ æternæ culmen beatissimè regnatura conscenderet. Sed quia iste audit, ille contemnit, pluréque vitiis malè blandientibus, quàm vtili virtutum asperitati sunt amiciores, tolerare Christi famuli iubẽtur, siue sint reges, siue sint principes, siue iudices, siue milites, siue prouinciales, siue diuites, siue pauperes, siue liberi, siue serui, vtriuslibet sexus, pessimam etiam si ita necesse est, flagitiosissi-

Psalm. 148.

Luc. 3.

flagitiosissimámque rempublicam, & in illa Angelorum quadam sanctissima atque augustissima curia, cælestíque republica, vbi Dei voluntas lex est, clarissimum locum sibi etiam ista tolerantia comparare.

Cap. XXI. eodem Libro.

Cùm autem Scipio in secundi libri fine dixisset, vt in fidibus ac tibiis atque cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quē immutatū aut discrepātem, aures eruditæ ferre non possunt, ísque cōcentus ex dissimillimarum vocum moderatione cōcors tamen efficitur & cōgruens, sic ex summis & mediis & infimis interiectis ordinibus vt sonis, moderatam ratione ciuitatem cōsensu dissimillimorū concinere, & quæ harmonia à musicis dicitur in cantu, eam esse in ciuitate concordiam, arctissimum atque optimum omnium in republica vinculum incolumitatis, eámque sine iustitia nullo pacto esse posse.

Concordia vinculum incolumitatis reipublicæ.

Post pauca ibidem.

Scipio ad intermissa reuertitur, recolítque sua atque commendat breuem reipublicæ definitionē, qua dixerat eam esse rem populi. Populum autem non omnem cœtū multitudinis, sed cœtum iuris consensu & vtilitatis communione sociatum esse determinat. Docet deinde quanta sit in disputando definitionis vtilitas, atque ex illis suis definitionibus colligit, tūc esse rempublicā, id est, rem populi, cùm bene ac iustè geritur, siue ab vno rege, siue à paucis optimatibus, siue ab vniuerso populo. Cùm verò iniustus rex, quem Tyrānum more Græco appellauit, aut iniusti optimates, quorum consensum dixit esse factionem, aut iniustus ipse populus, cui nomen vsitatum non reperit, nisi vt etiam ipsum tyrannum vocaret, non iam vitiosam, sicut pridie fuit disputatum, sed sicut ratio ex illis definitionibus connexa docuisset, omnino nullam esse rempublicā, quoniam nō esset res populi, cùm tyrannus eam factionem capesseret, nec ipse populus iam populus esset, si esset iniustus, quoniā non esset multitudo, & iuris consensu & vtilitatis cōmunione sociata, sicut populus fuerat definit⁹. Quādo ergo respublica Romana talis erat, qualem illam describit Salustius, non iam pessima ac flagitiosissima, sicut ipse ait, sed omnino nulla erat, secundum istam rationem, quam disputatio de republica, inter magnos eius principes tunc habita patefecit.

Populus.

Respublica. Monarchia. Aristocratia. Democratia.

Eodem Cap. in fine.

Vera autem iustitia non est, nisi in ea republica, cuius conditor rectórque Christus est, & si etiam ipsam rēpublicam placet dicere, quoniam eam rem populi esse negare nō possumus. Si autem hoc nomen, quod alibi alitérque vulgatum est, ab vsu nostrę locutionis est fortè remotius, in ea certè ciuitate est vera iustitia, de qua Scriptura sancta dicit, Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. *Lib. III. Cap. XV.*

Vbi sit vera iustitia.

Psalm. 66.

Ipsorum autem regum qui exitus fuere, de Romulo viderit adulatio fabulosa, qua perhibetur receptus in cælum. Viderint quidā scriptores eorum, qui eum propter ferocitatem à senatu discerptum esse dixerunt. Cæteri autem reges populi Romani excepto Numa Pōpilio, & Anco Martio, qui morbo interierunt, quàm horrēdos exitus habuerūt? Tullus, vt dixi, Hostilius, victor & euersor Albę, cū tota domo sua fulmine cōcrematus est. Prisc⁹ Tarquinius per sui prędecessoris filios interemptus est. Seruius Tullus generi sui Tarquinii superbi, qui ei successit in regnum, nefario scelere occisus est.

Horrendi exitus regum Romanorum.

Cap. XVI.

Iam expulso vtique Tarquinio tyrāno, cōsul cū Bruto creatus est maritus Lucretiæ, Lucius Tarquinius Collatinus. Quàm iustè populus mores in ciue, non nomen attendit, tam iniustè Brutus collegam primæ ac nouæ illius potestatis, quem posset (si hoc offendebatur) nomine tantùm priuare, & patria priuauit & honore. Hæc mala facta sunt, hęc aduersa accidere, quando in illa republica æquo & modesto iure agitatum est. Finito scilicet tempore, quo æquo & modesto iure agitatum est, secuta sunt quæ idem Salustius breuiter sic explicat, Deinde seruili imperio Patres plebem exercere, de vita atque tergo, regio more consulere, agro pellere, & cæteris expertibus, soli in imperio agere. Quibus agitata sæuitiis & maximè fœnore oppressa plebs, quū assiduis bellis tributum & militiam simul toleraret, armata mōtem sacrum atque Auentinum insedit. Túmque tribunos plebis & alia sibi iura parauit. Discordiarum & certaminis vtriusque finis fuit secundum bellum Punicum.

Eodem libro, Cap. XXI.

Porrò inter secundum & postremum bellum Carthaginense, quando Salustius optimis moribus & maxima concordia egisse dixit Romanos (multa enim prætereo, suscepti operis modum cogitās) eodem ergo ipso tēpore morum optimorū maximæque concordiæ, Scipio ille Romæ Italięque liberator, eiusdémq; belli Punici secundi, tam horrēdi, tam exitiosi, tam periculosi præclarus mirabilísque confector, victor Hannibalis, domitórque Carthaginis, cuius ab adolescentia vita describitur diis dedita, templísque nutrita, inimicorū accusationibus cesit, carénsque patria, quam sua virtute saluam & liberā reddidit, in oppido Linternensi egit reliquam compleuítque vitam, post insignem suum triumphum, nullo illius vtbis captus desyderio, ita vt iussisse perhibeatur, ne saltem mortuo in ingrata patria funus fieret.

Ingratitudo Romanorū in Scipionem.

Eodem Cap.

Nam tunc, id est, inter secundum & postremum bellum Carthaginense, lata est etiam illa lex Voconia, ne quis hæredem fœminam faceret, nec vnicam filiam. Qua lege quid iniquius dici aut cogitari possit, ignoro.

Lex Voconia.

Cap.XXII.eodem libro.

Mithridatis crudelitas.

Quanuis illud nequaquam tacuerim, quod Mithridates rex Asiæ, vbique in Asia peregrinantes ciues Romanos atque innumerabili copia suis negotiis intentos, vno die occidi iussit. & factum est. Quàm illa miserabilis rerum facies erat, subitò quenque, vbicunque fuisset inuentus, in agro, in via, in oppido, in domo, in vico, in foro, in templo, in lecto, in conuiuio, inopinatè atque impiè fuisse trucidatum? Quis gemitus morientium? Quæ lachrymæ fortasse spectantiũ, etiam furientiũ fuerunt? Quàm dura necessitas hospitum, non solùm videndi nefarias illas cædes domi suæ, verumetiam perpetrandi, ab illa blanda comitate humanitatis repentè mutatis vultibus ad hostile negotium in pace peragendum, mutuis (vt ita dicam) omnino vulneribus, quum percussus in corpore, & percussor in animo ferretur?

Lib.III.de ciuitate Dei, Cap.III.

Bonorum principatus subditis vtilis est.

Vtile est vt boni longè latéque diu regnent, neque hoc tam ipsis, quàm illis vtile est quibus regnant. Nam quantum ad ipsos pertinet, pietas & probitas eorum, quæ magna dona Dei sunt, sufficit eis ad veram felicitatẽ, qua & ista vita bene agatur, & post ea percipiatur æterna. In hac ergo terra, regnum bonorum non tam illis præstatur quàm rebus humanis. Malorum verò regnum magis regnantibus nocet, qui suos animos vastant scelerum maiori licentia, iis autem qui eis seruiendo subduntur, non nocet nisi iniquitas propria. Nam iustis quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, nõ est pœna criminis, sed virtutis examen. Proinde bonus si seruiat, liber est, malus autem si regnet, seruus est: nec vnius hominis, sed quod est grauius, tot dominorum quot vitiorum. De quibus vitiis cùm ageret Scriptura diuina, A quo enim quis (inquit) deuictus est, huic & seruus addictus est. 1.Petri 2

Caput IIII.

Regna absque iustitia, sunt similia latrociniis.

Remota itaque iustitia, quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia & ipsa latrocinia quid sunt nisi parua regna? Manus etenim ipsa hominum ex imperio principis regitur, pacto societatis astringitur, placiti lege præda diuiditur. Hoc malum si in tantum perditorum hominum accessibus creuit, vt & loca teneat, sedes constituat, ciuitates occupet, populos subiugẽt, euidentius regni nomen assumit, quod ei iam in manifesto cõfert non adepta cupiditas, sed addita impunitas. Eleganter enim & veraciter Alexãdro illi Magno, quidam comprehensus pirata respondit. Nam quum idem rex hominem interrogasset, quid ei videretur vt mare haberet infestum: ille libera contumacia, Quid tibi (inquit) vt orbem terrarũ? Sed quia ego id exiguo nauigio facio, latro vocor: quia tu magna classe, imperator.

Caput VI.

Iustinus qui Græcã vel potius peregrinam, Trogum Pompeium secutus, non Latinè tantum sicut ille, verumetiam breuiter scripsit historiam, opus librorum suorũ sic incipit, Principio rerum, gentium, nationúmque imperiũ penes reges erat, quos ad fastigium huius maiestatis, nõ ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. Populus nullis legibus tenebatur: arbitria principum pro legibus erant. Fines imperii tueri magis quàm proferre mos erat. Intra suam cuique patriam regna finiebãtur. Primus omnium Ninus rex Assyriorum, veterem & quasi auitum gẽtibus morem, noua imperii cupiditate mutauit, Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos, ad terminos vsque Libyæ perdomuit. Reges fuerunt iam inde ab initio.

In fine ibidem.

Inferre bella finitimis, & inde in cętera procedere, ac populos sibi nõ molestos, sola regni cupiditate conterere & subdere, quid aliud quàm grande latrocinium nominandum est?

Eodem libro Cap.XXXIII.

Regna dantur Dei prouidentia.

Deus igitur ille felicitatis auctor & dator, quia solus est verus Deus, ipse dat regna terrena & bonis & malis. Neque hoc temerè & quasi fortuitu, quia Deus est, non fortuna: sed pro rerum ordine ac tempore occulto nobis, notissimo sibi, cui tamen ordini temporum non subditus seruit, sed eum ipse tanquam Dominus regit, moderatórque disponit: felicitatẽ verò non dat nisi bonis. Hanc enim possunt habere & non habere seruientes, possunt & non habere & habere regnantes. Quæ tamen plena in ea vita erit, vbi iam nemo seruiet vlli. Et ideo regna mundi huius Deus bonis & malis communiter præstat, ne boni ea tanquam Dei magna munera concupiscant. Et ideo regna terrena & bonis ab illo dantur & malis, ne eius cultores adhuc in profectu animi paruuli, hæc ab eo munera quasi magnum aliquid concupiscant. Et hoc est sacramentum veteris Testamẽti, vbi occultum erat nouum, quod illic promissa & dona terrena sunt, intelligentibus & tunc spiritalibus, quanuis nondum in manifestatione prædicantibus, & quæ illis rebus temporalibus significaretur æternitas, & in quibus Dei donis esset vera felicitas.

Lib.V.Cap.I.

Causa ergo magnitudinis imperii Romani nec fortuita est nec fatalis, secũdum eorum sententiam siue opinionem, qui ea dicunt esse fortuita, quæ vel nullas causas habent, vel non ex aliquo rationabili ordine veniẽtes, & ea fatalia quæ præter Dei & hominum voluntatem cuiusdam ordinis necessitate cõtingunt. Prorsus diuina prouidentia regna constituuntur humana.

Cap.XI.in fine.

Nullo modo credendum est regna hominum corúmque dominationes & seruitutes, à Dei prouidentiæ legibus alienas esse voluisse.

Cap.

Cap. XII.

In poteſtate Dei ſunt regna

Proinde videamus quos Romanorum mores, & quam ob cauſam Deus verus ad augendum imperium adiuuare dignatus eſt, in cuius poteſtate ſunt etiam regna terrena.

Ibidem poſt pauca.

Virtutes Romanorum.

Nolite, inquit Cato, æſtimare maiores noſtros armis rempublicam ex parua magnam feciſſe. Si ita eſſet, multò pulcherrimam eam haberemus: quippe ſociorum atque ciuium, præterea armorum & equorum maior copia nobis quàm illis eſt. Sed alia fuere quę illos viros magnos fecerunt, quæ nobis nulla ſunt, domi induſtria, foris iuſtum imperium, animus in conſulẽdo liber, neq; libidini, neq; delicto obnoxius. Pro his nos habemus luxuriã atque auariam, publicè egeſtatem, priuatim opulentiam, laudamus diuitias, ſequimur inertiã, inter bonos & malos diſcrimen nullum, omnia virtutis præmia ambitio poſſidet. Neque mirũ, vbi vos ſeparatim ſibi quiſq; conſilia capitis, vbi domi voluptatibus, hìc pecuniæ aut gratiæ ſeruitis: eò fit vt impetus fiat in vacuam rempublicam.

In fine Capitis.

Romanorũ monarchia illuſtrior cæteris.

Quamobrem cùm diu fuiſſent regna Orientis illuſtria, voluit Deus & Occidẽtale fieri, quod tempore eſſet poſterius, ſed imperii latitudine & magnitudine illuſtrius. Idq; talibus potiſsimùm conceſsit hominibus ad domanda grauia mala multarum gentium, qui cauſa honoris, laudis & gloriæ cõſulerent patriæ, in qua ipſam gloriam requirebãt, ſalutémque eius ſaluti ſuæ præponere non dubitarent, pro iſto vno vitio, id eſt, amore laudis, pecuniæ cupiditatem, & multa alia vitia comprimentes.

Cap. XVIII.

Brutus & Torquatus filiorũ occiſores.

Quid ergo magnum eſt, pro illa æterna cæleſtíque patria cuncta ſeculi huius quãlibet iucunda blandimenta cõtemnere, ſi pro hac temporali atque terrena, filios Brutus potuit & occidere, quod illa facere neminem cogit? Si alius etiã Romanus princeps, cognomine Torquatus, filium, non quia contra ipſam patriam, ſed etiam pro patria, tamen quia contra imperium ſuum, id eſt, contra quòd imperauerat Imperator pater, ab hoſte prouocatus, iuuenili ardore pugnauerat, licet viciſſet, occidit: ne plus mali eſſet in exemplo imperii contempti, quàm boni in gloria hoſtis occiſi? Si Furius Camillus, etiam ingratam patriam, à cuius ceruicibus acerrimorum hoſtium Veientium iugum depũlerat, damnatúſque ab æmulis fuerat, à Gallis iterum liberauit, quia non habebat potiorem vbi poſſet viuere glorioſus? Si Mutius vt cum Porſena rege pax fieret, qui grauiſſimo bello Romanos premebat, quia Porſenam ipſum occidere non potuit, & pro eo alterum deceptus occidit, in ardentem aram ante eius oculos dexteram extendit, dicens, multos tales qualem illum videret, in eius exitium coniuraſſe: cuius ille fortitudinem & coniurationem talium perhorreſcẽs, ſine vlla dilatione ſe ab illo facta pace cõpeſcuit? Si Curtius armatus, equo cõcito in abruptum hiatum terræ ſe præcipitem dedit, deorũ ſuorum oraculis ſeruiens, qui iuſſerãt, vt illuc id quod Romani haberent optimum mitterẽt, nec aliud intelligere potuerũt, quàm viris armíſque ſe excellere: vnde videlicet oportebat vt deorum iuſſis in illum interitum vir præcipitaretur armatus? Si Marcus Puluillus dedicans ædem Iouis, Iunonis, Mineruæ, falſò ſibi ab inuidis morte filii nuntiata, vt illo nũtio perturbatus abſcederet, atque ita dedicationis gloriã collega eius conſequeretur, ita cõtempſit vt eum etiam proiici inſepultum iuberet: & ſic in eius corde orbitatis dolorem gloriæ cupiditas vicerat? Si Marcus Regulus ne crudeliſſimos hoſtes iurando falleret, ad eos ab ipſa Roma reuerſus eſt: quoniam ſicut Romanis eum tenere volẽtibus reſpondiſſe fertur, poſteaquam Afris ſeruierat, dignitatem illic honeſti ciuis habere non poſſet, eúmque Carthaginenſes, quoniam contra eos in Romano ſenatu egerat, grauiſsimis ſuppliciis necauerunt: qui cruciatus non ſunt pro patriæ illius fide contemnendi, ad cuius beatitudinem fides ipſa perducit? Aut quid retribuetur Domino pro omnibus quæ retribuit, ſi pro fide quę illi debetur, talia fuerit homo paſſus, qualia pro fide, quam perniciosiſsimis inimicis debebat paſſus eſt Regulus? Quomodo autem ſe audebit extollere de voluntaria paupertate Chriſtianus, vt in huius vitæ peregrinatione expeditior ambulet viam quæ perducit ad patriam, vbi veræ diuitiæ ipſe Deus eſt, cùm audiat vel legat Lucium Valerium, qui in ſuo defunctus eſt conſulatu, vſqueadeò fuiſſe pauperem, vt nummis à populo collatis, eius ſepultura curaretur? Audiat vel legat Quĩtium Cincĩnatum, cùm quatuor iugera poſsideret, & ea ſuis manibus coleret, ab aratro eſſe abductũ vt Dictator fieret, maior vtique honore quam conſul, victíſque hoſtibus ingentem gloriam cõſecutum, in eadem paupertate mãſiſſe. Aut quid ſe magnum feciſſe prædicabit, qui nullo præmio mundi huius fuerit ab æternæ illius patriæ ſocietate ſeductus, cùm Fabritium didicerit, tantis muneribus Pyrrhi regis Epirotarũ, promiſſa etiã quarta parte regni à Romana ciuitate nõ potuiſſe diuelli, ibíque in ſua paupertate priuatum manere voluiſſe?

Furius Camillus.

Mutius.

Marcus Puluillus.

Marcus Regulus.

Lucius Valerius.

Quintius Cincinnatus.

Fabritius.

Cap. XIX. eodem libro.

Qui autem contemptor glorię, dominationis eſt auidus, beſtias ſuperat, ſiue crudelitate vitæ, ſiue fluxu luxuriæ. Tales quidam Romani fuerũt, nõ enim cura exiſtimationis amiſſa, dominationis cupiditate caruerũt. Multos tales fuiſſe prodit hiſtoria. Sed huius vitii ſũmitatem, & quaſi arcem quandã Nero Cæſar primus obtinuit. Cuius fuit tanta luxuries, vt nihil ab eo putaretur virile metuẽdũ: tãta crudelitas, vt nihil molle habere crederetur ſi neſciretur. Etiam talibus malis dominandi poteſtas

Nero arx omnium.

non datur nisi summi Dei prouidentia, quando res humanas iudicat talib⁹ dominis dignas. Aperta de hac re vox diuina est, loquente Dei sapientia, Per me reges regnant, & tyranni per me tenent terrã. Sed ne tyranni nõ pessimi atque improbi reges, sed veteri nomine fortes dicti existimentur, vnde ait Virgilius, Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni: apertissimè alio loco de Deo dictum est, Qui regnare facit hominem hypocritam propter peruersitatem populi.

Aeneid. 7.

Iob 34.

Cap. XXI.

Quæ cùm ita sint, non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cælorum nonnisi solis piis. Regnum verò terrenum & piis & impiis sicut ei placet, cui nihil iniustè placet. Qui Mario, ipse Caio Cæsari, qui Augusto, ipse & Neroni, qui Vespasianis vel patri vel filio suauissimis Imperatorib⁹, ipse & Domitiano crudelissimo. Et ne per singulos ire necesse sit, qui Constãtino Christiano, ipse apostatæ Iuliano. Hęc vnus Deus, vnus & ver⁹ regit & gubernat vt placet: etsi occultis causis, nunquid iniustis?

Cap. XXIIII.

Neque enim nos Christianos quosdam Imperatores ideo felices dicimus, quia vel diutius imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes reipublicæ domuerunt, vel inimicos ciues aduersus se insurgentes & cauere & opprimere potuerunt. Hæc & alia vitæ huius ærumnosæ vel munera vel solatia, quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt, qui non pertinẽt ad regnum Dei, quò pertinent isti. Et hoc ipsius misericordia factum est, ne ab illo ista qui in eum crederent, velut summa bona desyderarẽt. Sed felices eos dicimus si iustè imperant, si inter linguas sublimiter honorantium & obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, sed se homines esse meminerũt, si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, maiestati eius famulam faciunt, si Deum timent, diligunt & colunt, si plus amant illud regnum vbi non timẽt habere consortes, si tardius vindicant, facilè ignoscunt, si eandem vindictam pro necessitate regendæ tuendæque reipublicæ, non pro saturandis inimicitiarum odiis exerunt, si eandem veniam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent, si quod asperè coguntur plerunque decernere, misericordiæ lenitate & beneficiorũ largitate compẽsant, si luxuria tãtò eis est castigatior, quãtò possit esse liberior, si malunt cupiditatibus prauis quàm quibuslibet gentibus imperare. Et si hæc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ, si pro suis peccatis humilitatis & miserationis & orationis sacrificium Deo suo vero immolare non negligunt: tales Christianos Imperatores dicimus esse felices, interim spe, postea reipsa futuros, cũ id quod exposcimus aduenerit.

Insignia Christiani imperatoris.

Cap. XXV.

Nam bonus Deus, ne homines qui eũ crederent propter æternam vitam colendum, has sublimitates & regna terrena existimarent posse neminem consequi, nisi dæmonibus supplicaret, quòd hi spiritus in talibus multum valerent, Constantinum Imperatorem nõ supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet. Cui etiam condere ciuitatem Romano imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam, sed sine aliquo dæmonũ templo simulachróque concesit. Diu imperauit, vniuersum orbem Romanum vnus Augustus tenuit & defẽdit, in administrandis & gerendis bellis victoriosissimus fuit, in tyrannis opprimẽdis per omnia prosperatus est, grãdæuus ægritudine & senectute defunctus est, filios imperantes reliquit. Sed rursus ne Imperator quisquam ideo Christianus esset, vt felicitatem Constantini mereretur, cùm propter vitam æternã quisquam debeat esse Christianus, Iouinianum multò citius quàm Iulianum abstulit, Gratianũ ferro tyrrannico permisit interimi, longè quidem mitius quam Magnũ Pompeiũ, colentẽ videlicet Romanos deos. Nã ille vindicari à Catone non potuit, quẽ ciuilis belli quod ãmodo hæredem reliquerat. Iste autẽ, quãuis piæ animæ solatia talia non requirãt, à Theodosio vindicatus est, quem regni participẽ fecerat, cùm paruulũ haberet & fratrem, auidior fidæ societatis, quàm nimiæ potestatis.

Quæ Deus Constantino imperatori contulit.

Cap. XXVI.

Quid autem fuit eius religiosa humilitate mirabilius, quando in Thessalonicensiũ grauissimum scelus, cui iam Episcopis intercedẽtibus promiserat indulgentiam, tumultu quorundam, qui ei cohærebant, vindicare compulsus est, & Ecclesiastica coercitus disciplina, sic egit pœnitentiam, vt imperatoriã celsitudinẽ pro illo populus orans, magis fleret videndo prostratam, quàm peccando timeret iratam? Vnde & poeta Claudianus, quanuis à Christi nomine alienus, in eius tamen laudibus dixit,

De Theodosii humilitate.

Claudianus poeta.

O nimium dilecte Deo, cui fudit ab astris
Se Iouis armat⁹, vehemẽs tibi militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Lib. XVII. de ciuitate Dei,

Cap. XX.

Regnauit autem Dauid in terrena Hierusalem, filius cælestis Hierusalem, diuino multum testimonio prædicatus, quia & delicta eius tanta pietate superata sunt per saluberrimam pœnitendi humilitatem, vt prorsus inter eos sit, de quibus ipse ait, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Post hunc regnauit eidẽ populo vniuerso Solomõ eius filius, qui vt suprà dictum est, patre suo viuẽte cœpit regnare. Hic bonis initiis malos exitus habuit. Quippe secundæ res, quæ

Regis Dauid pietas.

Psalm. 33

3. Reg. 1

quæ sapientium animos fatigant, magis huic obfuerunt, quàm profuit ipsa sapientia, etiam nunc & deinceps memorabilis, & tunc longè latéque laudata.

Cap. XXI.

3. Reg. 12. Diuiso igitur populo, primus regnauit in Hierusalē Roboam rex Iuda, filius Salomonis, & in Samaria Hieroboam rex Israel, seruus Salomonis. Et cùm voluisset Roboam tanquam tyrannidem diuisæ illius partis bello persequi, prohibitus est populus pugnare cum fratribus suis, dicente Deo per Prophetam, se hoc fecisse. Vnde apparuit nullum in ea re, vel regis Israel, vel populi fuisse peccatum, sed volūtatem Dei vindicantis impletam fuisse. Qua cognita, pars vtraque inter se conquieuit: non enim religionis, sed regni fuerat facta diuisio.

Cap. XXIII.

Piorū sanè regū merita in libris Regum nō parua laudātur. In Israel autē reges alios magis, alios minus, omnes tamen reprobos legimus.

Libro XIX. Cap. VI.

Quid ipsa iudicia hominū de hominibus, quæ ciuitatibus etiam quantalibet pace manētibus deesse non possunt, qualia putamus esse, quàm misera quàm dolēda? Quandoquidem ibi iudicāt, qui conscientias eorum, de quibus iudicāt, cernere nequeunt. Vnde sæpe cogūtur tormētis innocētium testium, ad alienam causam pertinentē quærere veritatē. Quid cùm in sua causa quisque torquetur, & cùm quæritur vtrùm sit nocens, cruciatur, & innocēs luit pro incerto scelere certissimas pœnas: non quia illud cōmisisse detegitur, sed quia non cōmisisse nescitur. Ac per hoc ignorātia iudicis plerunque est calamitas innocētis. Et quod est intolerabilius, magísque plangendū, rigādúmque, si fieri posset, fontibus lachrymarū, cùm propterea iudex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentē, fit per ignorantiæ miseriam, vt & tortum & innocētem occidat, quē ne innocentem occideret torserat. Si enim secūdum istorum sapientiā, delegerit ex hac vita fugere, quàm diu illa sustinere tormenta, quod non commisit commisisse se dicit. Quo damnato & occiso vtrùm nocentem an innocentem iudex occiderit, adhuc nescit: quem ne innocentem nesciēs occideret, torsit: ac per hoc innocētem & vt sciret torsit, & dum nesciret occidit. In his tenebris vitæ socialis, sedebit iudex ille sapiēs, an non audebit? Sedebit ille planè: constringit enim eum, & ad hoc officium pertrahit humana societas, quam deserere nefas ducit. Hoc enim nefas esse non ducit, quòd testes innocentes in causis torquentur alienis, quòd ii qui arguuntur, vi doloris plerunque superati & de se falsa confessi, etiam puniuntur innocētes, cùm iam torti fuerint innocentes. Quòd etsi non morte puniantur, in ipsis vel ex ipsis tormentis plerunque moriuntur. Quod aliquando ipsi qui arguunt, humanæ societati, fortasse ne crimina impunita sint, prodesse cupiētes, & mentientibus testibus, reóque ipso cōtra tormenta durante immaniter nec fatente, probare quod obiciunt non valentes, quanuis vera obiecerint, à iudice nesciente damnantur. Hæc tot & tāta mala non deputat esse peccata. Non enim hæc facit sapiens iudex nocendi voluntate, sed necessitate nesciendi: & tamen quia cogit humana societas, necessitate etiam iudicandi. Hæc est ergo quam dicimus miseria certè hominis, etsi non malitia sapientis. An verò necessitate nesciendi atque iudicandi, torqueat insontes, punit insontes, & parum est illi quòd non est reus, si non sit insuper & beatus? Quantò consyderatius & homine dignius, & hominem agnoscit in ista necessitate, eámque miseriam in se odit, & si piè sapit, clamat ad Deum, De necessitatibus meis erue me Domine?

De quæstionibus & tormentis.

Cap. XIIII. eodem libro.

Imperant enim qui consulunt, sicut vir vxori, parentes filiis, & domini seruis. Obediunt autem quibus consulitur, sicut mulieres maritis, filii parentibus, serui dominis. Sed in domo iusti viuentis ex fide, & adhuc ab illa cælesti ciuitate peregrinantis, etiam qui imperant, seruiunt eis quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed prouidendi misericordia.

Consulentes imperant.

Cap. XVI.

Sicut enim non est beneficentiæ adiuuando efficere, vt bonum quod maius est amittatur, ita non est innocentiæ parcendo finere, vt in malum grauius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium, non solùm nemini malum inferre, verumetiam cohibere à peccato, vel punire peccatum, vt aut ipse qui plectitur corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo. Quia igitur omnis domus, initium siue particula debet esse ciuitatis: omne autem initium ad aliquem sui generis finem, & omnis pars ad vniuersū, cuius pars est, integritatem refertur: satis apparet esse consequens, vt ad pacem ciuicam pax domestica referatur, id est, vt ordinata imperandi obediendíque concordia cohabitantium, referatur ad ordinatam imperandi obediendíque concordiam ciuium. Ita fit vt ex lege ciuitatis præcepta sumere patremfamilias oporteat, quibus domum suam sic regat, vt sit paci accommodata ciuitas.

Cohibere quēpiam à peccato innocentis est officium.

Cap. XVII.

Rerum vitæ huic mortali necessariarum, vtrísque hominibus fidelibus & infidelibus, & vtrique domui communis est vsus, sed finis vtendi euiq; suus proprius multúmq; diuersus. Ita etiam terrena ciuitas, quæ non viuit ex fide, terrenā pacem appetit, in eáque defigit imperandi obediendíque concordiam ciuium, vt sit eis de rebus ad mortalem vitam pertinentibus humanarum quædam compositio volun-

tatum. Ciuitas autem cælestis vel potius pars eius, quæ in hac mortalitate peregrinatur, & viuit ex fide, etiam ista pace necesse est vtatur, donec ipsa cui talis pax necessaria est, mortalitas transeat. Ac per hoc dum apud terrenam ciuitatem, velut captiuam vitam suæ peregrinationis agit, iam promissione redemptionis & dono spiritali, tanquam pignore accepto, legibus terrenæ ciuitatis, quibus hæc administrãtur, quæ sustẽtandæ mortali vitæ accõmodata sunt, obtemperare non dubitat. Vt quoniam communis est ipsa mortalitas, seruetur in rebus ad eam pertinentibus inter ciuitatem vtranque concordia.

Christianus legibus terrenis obtemperare non dubitat.

Post pauca ibidem.

Hæc ergo cęlestis ciuitas dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus ciues euocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatẽ, non curans quidquid in moribus, legibus, institutísq; diuersũ est, quibus pax terrena vel cõquiritur, vel tenetur, nihil eorum rescindens vel destruens, imò etiam seruãs ac sequẽs, quod licet diuersum sit in diuersis nationibus, ad vnum tamen eundémque finem terrenæ pacis intenditur, si religionem qua vnus summus & verus Deus colendus docetur, non impedit.

Cap. XIX.

Nihil sanè ad istam pertinet ciuitatem, quo habitu vel more viuendi, si non est contra diuina præcepta, istam fidem, qua peruenitur ad Deũ, quisque sectetur. vnde ipsos quoque Philosophos quando Christiani fiunt, non habitum vel cõsuetudinem victus, quæ nihil impedit religionem, sed falsa dogmata permutare compellit. Vnde illam quam Varro adhibuit ex Cynicis differentiam, si mihil turpiter atque intemperanter agat, omnino non curat.

Externa sunt adiaphora.

Cap. XXVI.

Quocirca vt vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est. De quo dicunt sacræ literæ Hebræorũ, Beatus populus cuius est Dominus Deus ipsius. Miser igitur popul⁹ ab isto alienatus Deo. Diligit tamẽ ipse etiam quandã pacem suam non improbãdam, quam quidem non habebit in fine, quia non ea bene vtitur ante finem. Hanc autẽ vt interim habeat in hac vita, nostra etiam interest, quoniã quãdiu permixtæ sunt ambæ ciuitates, vtimur & nos pace Babylonis: ex qua ita per fidem Dei populus liberatur, vt apud hanc interim peregrinetur. Propter quod & Apostolus admonuit Ecclesiam, vt oraret pro regibus eius atque sublimibus, addens & dicens, Vt quietam & tranquillam vitam agamus, cum omni pietate & charitate. Et Propheta Hieremias cùm populo veteri, Dei venturam prænũtiaret captiuitatem, & diuinitus imperaret, vt obedienter in Babyloniam irent, Deo suo etiam ista patientia seruientes: monuit & ipse vt oraretur pro illa, dicens, Quia in pace eius est pax nostra: vtique interim temporalis pax, quæ bonis malisque communis est.

Psalm. 143.

1. Timoth. 2.

Hierem. 29. Pro regibus orandũ, etsi sint tyranni.

Lib. XXI. de ciuitate Dei, Cap. XI.

Hic autem quidam eorum, contra quos defendimus ciuitatem Dei, iniustum putant, vt pro peccatis quanlibet magnis, paruo licet tempore perpetratis, pœna quisque damnetur æterna: quasi vllius id vnquã iustitia legis attẽdat, vt tanta mora temporis quisque puniatur, quãta mora temporis vnde puniretur admisit. Octo genera pœnarũ in legibus esse scribit Tullius, damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiã, exilium, mortem, seruitutem. Quid horum est quod in breue tempus pro cuiusque peccati celeritate coarctetur, vt tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratũ, nisi fortè talio? Id enim agit vt hoc patiatur quisque quod fecit. Vnde illud est legis, Oculum pro oculo, dentem pro dente. Fieri enim potest, vt tam breui tempore quisque amittat oculum pro seueritate vindictæ, quem tulit ipse alteri improbitate peccati. Porrò autem si alienæ fœminæ osculum infixum, rationis sit verbere vindicare: nonne qui illud puncto temporis fecerit, incomparabili horarum spatio verberatur, & suauitas voluptatis exiguæ, diuturno dolore punitur? Quid in vinculis? Nunquid ibi tandiu quisq; iudicandus est esse debere, quãdiu fecit vnde meruit alligari: cùm iustissimè annosas pœnas seruus in cõpedibus pendat, qui verbere aut ictu celerrimè trãseunte vel lacessiuit dominum vel plagauit? Iam verò damnum, ignominia, exilium & seruitus, cùm plerunque sic infliguntur, vt nulla venia relaxentur, nonne pro huius vitæ modo similia pœnis videntur æternis? Ideo quippe æterna esse nõ possunt, quia nec ipsa vita, quæ iis plectitur, porrigitur in æternum. & tamen peccata, quæ vindicantur longissimi temporis pœnis, breuissimo tempore perpetrantur: nec quisquam existit, qui censuerit tam citò nocentium finienda esse tormẽta, quàm citò factum est vel homicidium, vel adulterium, vel sacrilegium, vel quodlibet aliud scelus, non temporis longitudine, sed impietatis & iniquitatis magnitudine metiendum. Qui verò pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, nunquid mora qua occiditur, quæ per breuis est, eius supplicium leges breue existimant, & non quod eum in sempiternum auferunt de societate viuentium? Quod est autẽ de ista ciuitate mortali homines supplicio primæ mortis, hoc est de illa ciuitate immortali homines supplicio secundæ mortis auferre.

Cicero octo genera pœnarum.

Exodi 21.

DE IVRE BELLI, & Stipendiariis Militibus.

Lib. V. de Baptismo contra Donatistas, Cap XVII.

Bonus quippe habere erga malos pacem potest, tenere autem cum eis pacem nõ potest, quam ipsi non tenent.

De

De opere monachorum, Cap. XXVII.

Psalm. 49. Neque enim quia dixit Deus, Inuoca me in die tribulationis, & eximam te, & glorificabis me: propterea non debuit fugere Apostolus, & per murũ in sporta submitti, vt manus persequentium euaderet: sed expectare potius vt comprehẽderetur, & eum sicut tres pueros de mediis ignibus liberaret. Aut propter hoc nec Dominus dicere debuit, Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliã: quia ipse dixit, Si quid petieritis in nomine meo, dabitur vobis. Sicut ergo quisquis persecutionem fugientibus discipulis Christi obiiceret huiuscemodi quæstionem, Cur non stetissent potius, & inuocato Deo per eius mirabilia sic eruerentur, vt Daniel à leonibus, & Petrus à vinculis: responderent non se oportuisse tentare Deum: sed tunc eum talia si vellet esse facturum, cùm ipsi quid facerent non haberent. Cùm verò eis fugam in potestatem dedisset, etiamsi per illam liberantur, non nisi ab ipso liberari.

Matth. 10. *Ioan. 14.* *Dan. 9, & 14.* *Actor. 12.*

In Euangelium Ioannis, Tract. LXXIX.

Cap. 13. Pacem meam do vobis. non quomodo mundus dat ego do vobis. Quid est aliud, nisi non quomodo homines dant, qui diligunt mũdum, ita do vobis? Qui propterea dant sibi pacem, vt sine molestia litium atque bellorum, non Deo, sed amico suo mundo perfruantur: & quando iustis dant pacem, vt non eos persequantur, pax non potest esse vera, vbi non est vera cõcordia: quia disiũcta sunt corda. Quomodo enim consors dicitur, qui sortem iungit: ita ille concors dicendus est, qui corda iungit. Nos ergo charissimi, quibus Christus pacẽ relinquit, & pacem suam nobis dat, non sicut mundus, sed sicut ille per quem factus est mũdus, vt concordes simus, iungamus inuicem corda, & cor vnum sursum habeamus, ne corrumpatur in terra.

Pax mundi.

De Verbis Domini secundum Matth. Serm. XIX.

De militibus stipendiarijs. Nonnulli fratres, qui aut militiæ cingulo detinentur, aut in actu sunt publico cõstituti, cùm peccant grauiter, hac solent à peccatis suis prima se voce excusare, quòd militant, & ne bene aliquando faciant occupatos se malis actibus conquerũtur: perinde quasi militia hominum, non voluntas in culpa sit, ita quod ipsi gerunt officiis suis ascribunt. Non enim militare delictum est, sed propter prædam militare, peccatum est. Nec rempublicam gerere criminosum est: sed ideo agere rẽpublicam, vt rem familiarem potius augeas, videtur esse dãnabile. Propterea enim prouidentia quadam militantibus sunt stipẽdia constituta, ne dum sumptus quæritur, præda grassetur. Illud autẽ quale est, cùm ob errorem aliquem à senioribus arguuntur, & imputatur alicui de illis cur ebrius fuit, cur res alienas peruaserit, cædem cur turbulentus admiserit, statim respondeat, Quid habebam facere, homo secularis aut miles? Nũquid monachum sum professus, aut clericum? Quasi omnis qui clericus non est aut monachus, possit ei licere quod non licet. Cunctis igitur officiis, sacris literis præscribitur norma viuendi: omnis ad bene viuẽdum prouocatur sexus, ætas & dignitas. Igitur nemo se excusẽt publicis actibus, nemo de occupatione militiæ conqueratur. Apud omnem Christianum prima honestatis debet esse militia. Nam vt id quod dicimus auctoritate Euangelica cõprobemus, videamus lectionem, quæ paulò antè decursa est. Ait enim Euangelium, Venerũt autem & publicani ad Ioannem, vt baptizarentur ab eo, & dixerunt ad eum, Magister, quid faciem⁹? At ille dixit, Nihil amplius exigatis, quàm constitutum est vobis. Honesta plane publicanorũ interrogatio, ac sancti Prophetæ iusta responsio. Illi enim solicitè interrogant, ne aut ignorantes plus exigendo peccatum incidant, aut cessantes publicam decipiant functionem. Hic autem moderatè præcipit, vt & iniquitas locum non habeat, & constitutum habeat vectigal effectum. Non enim dixit, Nihil exigatis, sed nihil amplꝰ exigatis. Vnde intelligimus, quòd apud Deũ non tã exactio, quàm exactio iniqua dãmnetur. Dicit enim ipse Dominus, Reddite quæ Dei sunt, Deo, & quæ Cæsaris sunt, Cæsari. Igitur quod Cæsar præcipit ferendum est, quod Imperator indicit tolerandum est. Sed fit intolerabile, dum illud præda exactionis accumulat. Hoc autem quale est, quod idemipsi qui huiusmodi necessitates procurant, peccatis suis peccata congeminant, hoc est, quòd fraudes suas ac rapinas cõmodum vocant, cùm ipsa prꝑda inferatur in cõmodum? Illud autem addunt sceleribus suis, vt quos indefensos viderint, ipsos potius persequantur: & putant se necessitates decepisse publicas, nisi domos deceperint orphanorum: ita quorum pater biduum forsitan fuerit amicus, collega vel frater, interueniente morte eiusdem, liberi habeantur tanquam ignoti, viles & miseri. Vidua autem si qua fuerit, aut sic iniuriis exagitatur, vt nubat: aut si voluerit in castitatis permanere proposito, dando munera in facultate vix permanet. Cùm ergo his fraudibus repleuerint sacculos suos, videas illos lætos & accuratos ad Ecclesiam properare, & Deo gratias agere, quasi ab ipso illis hæc pecunia conferatur: illud quoque peccantes, quòd rapinarum suarum Deum volũt esse participẽ. Dicit enim sanctum Euangelium, Interrogauerũt & illum milites, Quid faciemus & nos? Ait illis Ioannes, Neminẽ concutiatis, neque calumniam faciatis: sed contenti estote stipendiis vestris. Hic iam cognoscere se debet omnis homo qui militat. Non enim tantùm de iis militantibus Scriptura loquitur, qui armata militia detinẽtur: sed quisquis militiæ suæ cingulo vtitur, dignitatis suæ miles ascribitur. Atque ideo hæc sentẽtia potest dici, verbi gratia, militibus, protectoribus, cunctisq; rectoribus, Quicũque stipẽdia sibi publicè decreta consequitur, si amplius quærit, tanquam calumniator & cõcussor, Ioannis sentẽtia con-

Sacræ literæ omnibus vtriusque normam viuẽdi præscribunt.

Luc. 3.

Matth. 22.

De publicanis

Luc. 3.

demnatur. Vsqueadeo autem hoc inoleuit malum, vt iam quasi ex consuetudine vendãtur leges, corrumpantur iura, sententia ipsa venalis sit, & nulla iã causa possit esse sine causa. Hæc autem diuina sententia, quæ ad milites loquitur, potest etiam ad clericos retorqueri: quia & si non videamur militare seculo, tamen Deo & Domino militamus, sicut ait Apostolus, Nemo militans Deo, obligat se negotiis secularibus. Si enim non contentus stipendiis fuerit, quæ de altario Domino iubente consequitur: sed exercet mercimonia, intercessiones vendit, viduarum munera libẽter amplectitur: hîc negotiator magis potest videri quàm clericus. Nec dicere possumus, nemo nos inuasores arguit, violentiæ nullus accusat, quasi non interdum maiorem prædam à viduabus blandimenta eliciant quàm tormenta. Nec interest apud Deum, vtrùm vi an circunuentione quis res alienas occupet, dummodo quoquo pactó teneat alienum.

Lib. I. Quæstionum super Genesim, Quæst. CLIII.

Commendatur in Patriarchis, quòd pecorum nutritores erant à pueritia sua, & à parentibus: & meritó. Nam hæc est sine vlla dubitatione iusta seruitus, & iusta dominatio, cùm pecora homini seruiunt, & homo pecoribus dominatur. Sic enim dictum est cũ crearetur, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & habeat potestatem piscium maris, & volatilium cæli, & omnium pecorum quæ sunt super terram. vbi insinuatur rationem debere dominari irrationabili vitæ. Seruum autem hominem homini vel iniquitas vel aduersitas dominari fecit. Iniquitas quidem, sicut dictum est, Maledictus Chanaam, erit seruus fratribus suis. Aduersitas verò, sicut accidit ipsi Ioseph, vt venditus à fratribus, seruus alienigenæ fieret. Itaque primos seruos, quibus hoc nomen in Latina lingua inditum est, bella fecerunt. Cùm enim homo ab homine superatus, iure belli posset occidi, quia seruatus est seruus appellatus: inde & mancipia, quia manu capta sunt. Est enim ordo naturalis in hominibus, vt seruiant fœminæ viris, filii parẽtibus: quia illic & iustitia hæc est, vt infirmior ratio seruiat fortiori. Hæc igitur in dominationibus & seruitutibus clara iustitia est, vt qui excellunt ratione, excellãt dominatione: quod cùm in hoc seculo per iniquitatẽ hominum perturbatur, vel per naturarum carnalium diuersitatẽ, ferunt iusti temporalem peruersitatem, in finem habituri ordinatissimam & sempiternam felicitatem.

Gene. 46

Gene. 1

Gene. 9 5 *Vnde seruitus corporalis.*

Libro VI. Quæstion. super Iosue, Quæstion. X.

Quod Deus iubet loquens ad Iesum Naue, vt constituat sibi retrorsus insidias, id est, insidiantes bellatores, ad insidiandũ hostibus: hinc admonemur non iniustè fieri ab iis qui iustum bellum gerunt, vt nihil homo iussus præcipuè cogitare debeat in his rebus, nisi vt iustum bellum suscipiat, cui bellare fas est. non enim omnibus fas est. Cùm autem iustum bellum susceperit, vtrùm aperta pugna, vtrùm insidiis vincat, nihil ad iustitiam interest. Iusta autem bella definiri solẽt, quæ vleiscuntur iniurias, si qua gens vel ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per iniurias ablatum est. Sed etiam hoc genus belli sine dubitatione iustum est, quod Deus imperat, apud quem nõ est iniquitas, & nouit quid cuique fieri debeat. In quo bello ductor exercitus vel ipse populus, non ipse tam auctor belli, quàm minister iudicandus est.

Iosue 8

In insidiis in iusto bello licitis.

Eodem libro, Quæst. XVI.

Non dimisit in ea Iesus quidquid spirans, sicut præcepit Dominus Mosi puero suo, & Moses similiter præcepit Iesu, & sic fecit Iesus. Non est transgressus quidquam ab omnibus, quæ constituit Dominus Mosi. Propter hoc nullo modo putãda est ista crudelitas, quo nullum viuum in ciuitatibus sibi traditis dimittebat Iesus, quia Deus hoc iusserat. Qui autem existimant hic Deum ipsum fuisse crudelem, & propter hoc veteris Testamẽti verũ Deum fuisse auctorem nolunt credere, tam peruersa de operibus Dei, quàm de peccatis hominum iudicant, nescientes quid quisque dignus sit, & magnum putãtes malum, cùm casura deiiciuntur, mortalesque moriuntur.

Iosue 10.

Quæst. XXVI. eodem libro.

Non enim bellum cõtinuas habet pugnas, sed aliquando crebras, aliquãdo raras, aliquando nullas. Bellũ est tamen, quãdo portæ hostibus clauduntur, quod ãmodo armata defensio.

Belli materia varia.

Lib. XXII. contra Faust. Cap. LXXIIII.

Nec bella per Mosen gesta miretur aut horreat: quia & in illis diuina secutus imperia, nõ sæuiens, sed obediens fuit. Nec Deus quum iubebat ista, sæuiebat: sed digna dignis retribuebat, dignósque terrebat. Quid enim culpatur in bello? An quia moriuntur quandoque morituri, vt dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum: nocendi cupiditas, vleiscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur, quæ plerunque ita culpantur, vt etiam iure puniãtur. Aduersus violentiam resistentium, siue Deo, siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, quum in eo rerum humanarum ordine inueniuntur, vbi eos vel iubere tale aliquid, vel in talibus obedire iustè ordo ipse cõstringit. Alioquin Ioannes quum ad eum baptizandi milites venirent, dicentes, Et nos quid faciemus? responderet eis, Arma abiicite, militiam istã deserite, neminem percutite

De bello per Mosen gesto.

Quando bella licita.

cutite,vulnerate,prosternite. Sed quia sciebat eos quum hoc militando facerent,non esse homicidas, sed ministros legis, & non vltores iniuriarum suarum,sed salutis publicæ defensores: respondit eis, Neminem concusseritis,nulli calumniã feceritis,sufficiat vobis stipẽdium vestrũ. Sed quia Manichæi Ioannẽ apertè blasphemare consueuerunt,ipsum Dominum Iesum Christum audiant, hoc stipendium reddi iubentẽ Cæsari, quod Ioãnes dicit debere sufficere militi. Reddite,inquit, Cæsari quæ Cæsaris sunt,& Deo quæ Dei sunt. Ad hoc enim tributa præstantur,vt propter bella necessario militi stipendium præbeatur. Meritò & illius Centurionis dicentis, Et ego homo sum, sub potestate cõstitutus,habens sub me milites, & dico huic vade,& vadit,& alii veni,& venit,& seruo meo fac hoc,& facit: fidem laudauit, nõ illius militiæ desertionem imperauit. Sed de iustis iniustísque bellis,nũc disputare longum est,& non necessarium.

Luc. 3.

Matth. 22.

Quare tributa dentur.

Matth. 8.

Cap. LXXV.

Consilium belladi penes principes esse debeet.

Interest enim quibus causis, quibúsque auctoribus homines gerẽda bella suscipiant. Ordo tamen ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principes sit: exequendi autem iussa bellica ministerium, milites debeant paci salutíque communi. Bellum autem quod gerendum Deo auctore suscipitur,rectè suscipi dubitare fas non est,vel ad terrendam,vel ad obterendã,vel ad subiugandam mortalium superbiam: quãdo ne illud quidem quod humana cupiditate geritur, non solùm incorruptibili Deo, sed nec Sanctis eius obesse aliquid potest, quibus potius ad exercẽdam patientiam,& ad humiliandam animam, ferendámque paternam disciplinam, etiã prodesse inuenitur. Neque enim habet in eos quisquã vllam potestatem, nisi cui data fuerit desuper. Non est enim potestas nisi à Deo,siue iubente siue sinente. Cùm ergo vir iustus, si fortè sub rege homine etiam sacrilego militet,rectè possit illo iubẽte bellare, ciuicæ pacis ordinem seruans,cui quod debetur,vel non esse cõtra Dei præceptum certũ est, vel vtrùm sit certum non est: ita vt fortasse reum regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi: quantò magis in administratione bellorum innocẽtissimè diuersatur, qui Deo iubẽte belligerat, quem malè aliquid iubere non posse,nemo qui ei seruit ignorat?

Ioan. 19.

Rom. 13.

Cap. LXXVIII.

Quæ autem sit distributio iudicantis & miserantis Dei,cur alius sic,alius autem sic: occultis fit causis,iustis tamen. Non tamen ideo nescimus, omnia ista iudicio aut misericordia Dei fieri, licet in abdito positis mensuris & numeris & ponderibus, quibus omnia disponuntur à creatore Deo omnium, quæ naturaliter sunt: nec auctore,sed tamen etiam ordinatore peccatorum,vt ea quæ peccata non essent, nisi contra naturam essent, sic iudicentur & ordinentur, ne vniuersitatis naturam turbare, vel turpare permittantur, meritorum suorum locis & conditionibus deputata. Quæ cùm ita sint,& cùm per hoc secretum iudiciorum Dei, motúsque humanarum voluntatum,eisdémq; prosperitatibus alii corrumpantur,alii temperãter vtantur, & eisdem aduersitatibus alii deficiant,alii proficiãt: cúmq; ipsa humana mortalísque vita tentatio sit super terram, quis hominum nouit, cui prosit aut obsit in pace regnare,vel seruire,vel viuere,vel mori, in bello autem imperare, vel pugnare, vel vincere, vel occidi? Cùm hoc tamen cõstet,& cui prodest, non nisi per diuinum prodesse beneficium: & cui obest,non nisi per diuinũ obesse iudicium.

Sapient. 11.

Iob 7.

Cui prosit vel obsit seruire, regnare, pugnare, vincere, occidi, nemo nouit nisi Deus.

Lib. II. de mirabilibus sacræ Scripturæ, Cap. XXXIII.

De bellis quæ Domini auxilio peracta sũt in Israel.

Præcipua verò bella quę tãtùm auxilio Domini peracta sũt in his,idcirco omisimus: quoniã etsi propter de cælo auxilium admiratione digna sunt,& figurali ratione continent multa mysteria: tamen in rerum gestarum intellectibus nihil relinquunt incerti. Scimus quòd Amalech orante Mose, Iesus filius Nun superabat, & Seon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan,proceræ altitudinis viros,populus Israel interficiebat. Balach filium Sephor, regem Madian,cum Balaam illo præcipuo astrologo,Phinees filius Eleazar cum exercitu occidit. Et Iesus Ben-nun vnum & triginta reges Chananitides, multis conflictibus prostrauit. Gedeon filius Ioas in trecentis viris innumera Madianitarum milia, per tubas & lucernas occidit. Iepte Galaadites populum Gentium potestate, belli iure superauit. Samson ille fortissimus Hebræorum, leonẽ sibi occurrentem nihil habenti in manibus, confregit, de cuius postmodum ore & capite fauum mellis accepit & comedit,trecentásque vulpes capiens, ignéque succẽsas in Philisthinorum segetes dimisit: de quibus ille mille viros in specu vno,asini mãdibula solus interfecit & mortificauit. Vndique sedentibus circa ciuitatẽ,in qua dormitauerat,Philisthęis,ambas portæ fores cum hostiis & superliminaribus & ferreis vectibus comprehendens, in vertice montis qui respicit Bersabee, dereliquit. Tribũ quoque Beniamin propter commissum piaculum totã, exceptis viris sexcẽtis, omnis filiorum Israel populus, post tria bella deleuit. Ionathas filius Saul,& armiger suus,stationẽ Philisthinorum percussit. Dauid filius Iesse, adhuc puer & pastor ouium,vrsi & leonis interfecti prædam de ore eripuit. Goliad Philisthæum de fundibula prostrauit: qui postea patientiæ virtute Saul bis deprehenso inimico suo pepercit. Et rex postmodum factus, tribus grauissimis præliis prostrata Philisthinorum agmina tributaria fecit. Dauid solus octingentos interfecit impe

Exod 17.

Num. 21.

Iosue 12.

Iudicum 7.

Iudicum 11.

Iudicum 14.

Iudicum 15.

Iudicum 16.

Iudicũ 19. & 20.

1. Reg 14.

1. Reg. 17.

1. Reg. 24 & 26.

2. Reg. 8.

2. Reg 28.

tu vno. Abisai filius Saruiæ leuauit hastam cõtra trecentos, & interfecit eos. Tres robustissimi ruperunt agmina Philisthinorũ, vt potum darent regi Dauid de cisterna Bethleem, quæ in medio hostium erat. Banaias filius Ioiadæ, interfecit duos leones in Moab, & leonem in cisterna in diebus niuis. Ipse quoque virgam tenens manu, AEgyptium spectaculo dignum, hastam habentem occidit. Bellum quoque robustorum in Gabaon, exercitui Dauid cessit in prosperum. Post hæc maxima regis Dauid aduersus in circuitu regiones bella, Dei auxilio fauente, seu per semetipsum, seu per exercitum sæpe peracta sunt. Bellum vero ciuile in saltu Ephraim in ipso Israel, in testimonium Dauid restituit in regnum. Samariæ regum contra Syros & reges Damasci nunc huc nũc illuc altero prouentu vergẽtia certamina multa fuerunt. Hæc omnia propterea de cælo auxilia mirabiliter gesta prouenerunt.

2. Regum 23

2. Regum 18

De ciuitate Dei, Libro I.

Cap. I.

An non etiam illi Romani, Christi nomini infesti sunt, quibus propter Christum Barbari pepercerunt? Testãtur hoc Martyrum loca, & basilicæ Apostolorum, quæ in illa vastatione vrbis, ad se confugiẽtes suos alienósque receperunt. Huc vsque cruentus sæuiebat inimicus, ibi accipiebat limitem trucidatoris furor, illô ducebantur à miserantibus hostibus, quibus etiam extra ipsa loca pepercerãt, ne in eos incurrerẽt, qui similem misericordiã non habebant. Qui tamen etiam ipsi alibi truces atque hostili more sæuientes, posteaquam ad loca illa ventebant, vbi fuerat interdictũ quod alibi iure belli licuisset, tota feriendi refrenabatur immanitas, & captiuandi cupiditas frangebatur. Sic euaserũt multi, qui nunc Christianis temporibus detrahunt, & mala quæ illa ciuitas pertulit, Christo imputant. Bona verò quæ in eos, vt viuerent propter Christi honorem facta sunt, non imputant Christo nostro, sed fato suo: cùm potius deberẽt, si quid rectè saperẽt, illa quæ ab hostib⁹ aspera & dura perpessi sunt, illi diuinæ prouidentiæ tribuere, quæ solet corruptos hominum mores bellis emendare atque cõterere: itémque vitam mortalium iustam atque laudabilẽ, talibus afflictionibus exercere, probatámque vel in meliora transferre, vel in his adhuc terris propter vsus alios detinere. *Cap. II.*

Deus mores hominum bellis emendat.

Tot bella gesta conscripta sunt, vel ante conditam Romam, vel ab eius exortu & imperio. Legãt & proferãt sic ab alienigenis aliquã captam esse ciuitatem, vt hostes qui ceperant, parcerent eis, quos ad deorum suorum templa confugisse compererant: aut aliquem ducem Barbarum præcepisse, vt irrupto oppido nullus feriretur, qui in illo vel illo templo fuisset inuentus. Nonne vidit AEneas

Templa Deorum suos non texerunt.

AEneid. 2

-Priamúmque per aras
Sanguine fœdantem, quos ipse sacrauerat
Nonne Diomedes & Vlyxes (ignes? Eneid. 2.
-cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacrã effigiẽ, manibúsque cruẽ
Virgineas ausi diuæ contingere vittas? (tis
Nec tamen quod sequitur verum est,
Ex illo fluere, ac retrò sublapsa referri
Spes Danaum.

Postea quippe vicerunt, postea Troiam ferro, ignibúsque delerunt, postea confugientem ad aras Priamum obtrũcauerũt. Nec ideo Troia periit, quia Mineruam perdidit. Quid enim prius ipsa Minerua perdiderat vt periret? An fortè custodes suos? Hoc sanè verum est. illis quippe interemptis potuit auferri. Neque enim homines à simulachro, sed simulachrũ ab hominibus seruabatur. Quomodo ergo colebatur, vt patriam custodiret & ciues, quæ suos non valuit custodire custodes?

Cap. IIII.

Compara nunc asylum illud non cuiuslibet dei gregalis, vel de turba plebis, sed Iouis ipsi⁹ sororis & coniugis, & reginæ omnium deorũ, cum memoriis nostrorum Apostolorum. Illic incensis templis & diis, erepta spolia portabantur, non reddenda victis, sed diuidenda victoribus. Huc autem & quod alibi ad ea loca compertum est pertinere, cum honore & obsequio religiosissimo reportatum est. Ibi amissa, hic seruata libertas: ibi clausa, hic interdicta captiuitas: ibi possidendi à dominantibus hostibus premebantur, huc liberandi à miserantibus hostibus ducebantur. Postremò illud Iunonis templum sibi elegerat auaritia, & superbia leuium Græcorum: istas Christi basilicas misericordia & humilitas etiam immanium Barbarorum. Nisi fortè Græci quidam in illa sua victoria, templis deorum communium pepercerunt, atque illô confugientes miseros, victósque Troianos ferire vel captiuare non ausi sunt. Sed Virgilius poetarum more mentitus est, imò verò morẽ hostium ciuitates euertentium ille descripsit.

Cap. V.

Quem morem etiam Cæsar, sicut scribit Salustius nobilitatæ veritatis historicus, sentẽtia sua, quam de coniuratis in senatu habuit, cõmemorare non prætermittit, Rapi virgines, pueros, diuelli liberos à parentum complexu, matresfamiliarum pati quæ victoribus collibuisset, phana atque domos spoliari, cædem & incendia fieri. Postremò armis, cadaueribus, cruore atque luctu omnia repleri. Hic si phana tacuisset, deorum sedibus solere hostes parcere putaremus. Et hæc non ab alienigenis hostibus, sed à Catilina & sociis eius nobilissimis senatoribus & Romanis ciuibus Romana tẽpla metuebant. Sed hi videlicet perditi & patriæ parricidæ.

Incommoda belli.

Cap. VI.

Egregius Romani nominis Marcus Marcellus

Marcelli virtus humanitas.

cellus, qui Syracusam vrbem ornatissimam ce pit, refertur eam prius fleuisse ruiturã, & ante eius sanguinem, suas illi lachrymas effudisse. Gessit & curam pudicitiæ, etiam in hoste seruãdæ. Nam priusquam oppidũ victor iussisset inuadi, constituit edicto, ne quis corpus liberũ violaret. Euersa est tamen ciuitas more bellorum nec vspiam legitur ab Imperatore tam ca sto atque clementi fuisse præceptũ, vt quisquis ad illud vel illud templum confugisset, abiret illæsus.

Ibidem.

Ironia Fabii in idola.

Fabius Tarentinæ euersor vrbis, à simulachrorum deprædatione abstinuisse laudatur. Nam quũ ei scriba suggessisset, quid de signis deorum, quæ multa capta fuerãt fieri iuberet, continentiam suam etiam iocando condiuit. Quæsiuit enim cuiusmodi essent: & quũ ei nõ solùm multa grandia, verumetiam renuntiarẽtur armata, Relinquamus, inquit, Tarentinis deos iratos. Quum igitur nec illius fletum, nec huius risum, nec illius castam misericordiam, nec huius facetam continẽtiam, Romanorum rerum gestarum scriptores tacere potuerunt, quãdo prætermitteretur si aliquibus hominibusin honorem cuiuspiam deorum suorum sic pepercissent, vt in quocunque templo cædem vel captiuitatem fieri prohiberent?

Cap. XXI.

Multi occidũt nec Dei præceptum violant.

Quasdam verò exceptiones eadem ipsa diuina fecit auctoritas, vt non liceat hominẽ occidi: sed iis exceptis quos Deus occidi iubet, siue data Lege, siue ad personam pro tẽpore expressa iussione. Non autem ipse occidit, qui ministerium debet iubenti, sicut adminiculũ gladius est vtenti. & ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est, Non occides, qui Deo auctore bella gesserũt, aut personam gerentes publicæ potestatis, secundum eius leges, hoc est, iustissimæ rationis imperiũ, sceleratos morte punierunt.

Libro II. Cap. XXV.

Bella ciuilia dæmonis instinctu perpetrãtur

Illinc verò quis non intelligat, quis non videat, nisi qui tales deos imitari magis eligit, quàm diuina gratia ab eorũ societate separari, quantum moliantur maligni isti spiritus exemplo suo, velut diuinam auctoritatem præbere sceleribus? Quinetiam in quadam Campaniæ lata planicie, vbi non multò pòst ciuiles acies nefario prælio conflixerunt, ipsi inter se prius pugnare visi sunt. Nanque ibi auditi sunt primùm ingẽtes fragores, móxque multi se vidisse nuntiarunt, per aliquot dies duas acies præliari. Quæ pugna vbi destitit, vestigia quoque velut hominum & equorum, quãta de tali conflictione exprimi poterãt, inuenerunt. Si ergo veraciter inter se numina pugnarunt, iam bella ciuilia excusantur humana: consyderentur tamen, quæ sit talium deorum vel malitia vel miseria. Si autẽ se pugnasse finxerunt, quid aliud egerunt, nisi vt sibi Romani bellando ciuiliter tãquam deorum exẽplo, nullum nefas admittere viderentur? Iam enim cœperant bella ciuilia, & aliqua nefandorum præliorum strages execranda præcesserat. Iam multos mouerat, quòd miles quidam dum occiso spolia detraheret, fratrem nudato cadauere agnouit: ac detestatus bella ciuilia, & seipsum ibi perimens fraterno corpori adiũxit. Vt ergo huius tanti mali minimè tæderet, sed armorum scelestorum, magis magísque ardor increscceret, mox hi dæmones, quos illi deos putant, & colẽdos ac venerandos arbitrantur, inter se pugnãtes hominibus apparere voluerunt, ne imitari tales pugnas ciuica trepidaret affectio, sed potius humanum scelus diuino excusaretur exemplo.

Libro III. Cap. X.

Nam postquam res Romanorum, sicut ipse Sallustius scribit, legibus, moribus, agris auẽta, satis prospera, satísque pollẽs videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, inuidia ex opulentia orta est. Igitur reges populíque finitimi bello eos tentare, pauci ex amicis auxilio esse. Nam cæteri metu perculsi lõgè à periculis aberant. At Romani domi militiæque intẽti, festinare, parare, alius aliũ hortari, hostibus obuiam ire, libertatem, patriam, parentésque armis tegere. Post vbi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant, magísque dãdis quàm accipiẽdis beneficiis amicitias parabãt. Decẽter his artib⁹ Roma creuit.

Quibus artibus creuerit Roma.

Cap. XIII.

Rapto Romani primæ obtinuerũt coniugia

Quomodo nec Iuno, quę cum Ioue suo iam fouebat Romanos rerum dominos, gentemque togatam, nec Venus ipsa Æneadas suos potuit adiuuare, vt bono & æquo more coniugia mererentur: cladésque tãta irruit huius inopiæ, vt ea dolo raperẽt, móxque compellerentur pugnare cũ soceris: & miseræ fœminæ nõdum ex iniuria maritis conciliatæ, iam parentum sanguine dotarentur? At enim vicerunt in hac cõflictatione Romani vicinos suos. Quãtis & quàm multis vtrinque vulneribus ac funeribus, tam propinquorũ quàm & confinium istæ victoriæ constiterunt? Propter vnum Cæsarem socerum, & vnũ generũ eius Pompeium, iam mortua Cæsaris filia, vxore Pompeii, quãto & quàm iusto doloris instinctu, Lucanus exclamat,

Bella per Emathios plusquam ciuilia cãpos, *Lucanus.*
Iúsque datum sceleri canimus.

Vicerunt ergo Romani, vt strage socerorum, manibus cruentis ab eorum filiabus amplexus miserabiles extorquerent: nec illæ auderẽt flere patres occisos, ne offenderent victores maritos, quæ adhuc illis pugnantibus, pro quibus facerent vota nesciebant. Talibus nuptiis populum Romanum non Venus, sed Bellona dotauit: aut fortassis Alecto illa infernа furia, iã eis fauente Iunone plus in illos habuit licẽtiæ, quàm cum eius precibus contra Æneam fuerat excitata.

Eodem libro, Cap. XVIII.

Iam verò Punicis bellis cùm inter vtrunque imperium, victoria diu anceps atque incerta penderet, populíque duo prævalidi impetus in alterutrum fortissimos & opulentissimos agerent, quot minutiora regna contrita sunt? quæ vrbes amplæ nobilésque deletæ? quot afflictæ? quot perditæ ciuitates? quàm lõgè latéque tot regiones terræque vastatæ sũt? quoties victi hinc, atque inde victores? quid hominum consumptum est, vel pugnãtium militum, vel ab armis vacantium populorũ? quãta vis nauium marinis etiam prælijs oppressa, & diuersarum tempestatum varietate submersa est? Si enarrare vel cõmemorare conemur, nihil aliud quàm scriptores etiã nos erimus historiæ. Tũc magno metu perturbata Romana ciuitas, ad remedia vana & ridẽda currebat.

Vbi bella, ibi terna malorũ.

Post pauca ibidem.

Nihil sanè miserabilius primo bello Punico accidit, quàm quòd Romani ita victi sunt, vt etiam Regulus ille caperetur, cuius in primo & altero libro mẽtionem fecimus, vir planè magnus, & victor antea domitórque Pœnorum. Qui etiam primum bellum Punicum cõfecisset, nisi auiditate nimia laudis & gloriæ, duriores conditiones quàm ferre possent, fessis Carthaginensibus imperasset. Illius viri & captiuitas inopinatissima, & seruitus indignissima, & iuratio fidelissima, & mors crudelissima, si deos illos nõ cogit erubescere, verum est quòd aerei sunt, & non habent sanguinem.

Regulus capitur à Carthaginensibus.

Eodem lib. Cap. XIX.

Secundo autem bello Punico, nimis longum est commemorare clades duorum populorum, tam longè secum latéque pugnantium, ita vt iis quoque fatẽtibus qui non tã narrare bella Romana, quàm Romanũ imperium laudare instituerunt, similior victo fuerit ille qui vicit. Hãnibale quippe ab Hispania surgente, & Pyreneis montibus superatis, Gallia transcursa, alpibúsque diruptis, tam longo circuitu auctis viribus cuncta vastando aut subigendo torrentis modo, Italiæ faucibus irruente, quã cruenta bella gesta sunt, quàm multa prælia, quoties Romani superati, quàm multa ad hostem oppida defecerunt, quàm multa capta & oppressa, quàm diræ pugnæ, & toties Hannibali Romana clade gloriosæ? Sed hæc hactenus. De Cannensi autem mirabiliter horrendo malo quid dicam? Vbi Hannibal cùm esset crudelissimus, tamen tanta inimicorum atrocissimorum cæde satiatus, parci iussisse perhibetur. Vnde tres modios annulorum aureorũ Carthaginem misit, quò intelligerent tantam in illo prælio dignitatem cecidisse Romanam, vt facilius eam caperet mensura quàm numerus: atque hinc strages turbæ cæteræ, tantò vtique numerosioris, quantò infirmioris, quæ sine annulis iacebat, coniicienda potius quàm nuntianda putaretur. Denique tanta militum inopia secuta est, vt Romani reos facinorum proposita impunitate colligerent, seruitia libertate donarent, atque ex illis pudendis, non tam suppleretur quàm institueretur exercitus. Seruis itaque (imò ne faciamus iniuriam iam libertis) pro Romana republica pugnaturis arma defuerũt. Detracta sunt templis, tanquam Romani diis suis dicerẽt, Ponite quæ tandiu inutiliter habuistis, si fortè aliquid vtile inde facere possint nostra mãcipia, vnde vos nostra numina nihil facere potuistis. Tunc etiam stipendiis sufficiendis cùm defecisset ærarium, in vsus publicos opes venere priuatæ: adeò vnoquoque id quod habuit cõferente, vt præter singulos annulos aureos, singuláſq; bullas, miserabilia dignitatis insignia, nihil sibi auri senatus ipse, quantò magis cæteri ordines tribúsque relinquerent? Quis ferret istos si nostris temporibus ad hãc inopiam cogerentur, cùm eos modò vix feramus, quando pro superflua voluptate plura donantur histrionibus, quàm tunc legionibus pro extrema salute collata sunt?

De Cannensi clade.

In histrionum donatiues.

Cap. XXIII.

Sed iam illa mala breuiter quantum possumus cõmemoremus, quæ quãtò interiora, tantò miseriora extiterunt: discordiæ ciuiles vel potius inciuiles, nec iam seditiones, sed etiam ipsa bella vrbana, vbi tantus sanguis effusus est, vbi partium studia non contentionum dissentionibus variisque vocibus in alterutrum, sed planè iam ferro armísque sæuiebant, bella socialia, bella seruilia, bella ciuilia, quantum Romanum cruorem fuderunt, quãtam Italiæ vastationem desertionémque fecerunt? Nam antea quàm se aduersus Romã sociale Latium bellum commoueret, cũcta animalia humanis vsibus subdita, canes, equi, asini, boues, & quęque alia pecõra sub hominum dominio fuerunt, subitò efferata & domesticæ lenitatis oblita, relictis tectis libera vagabãtur, & omnẽ, non solùm aliorum, verumetiam dominorum auersabantur accessum, non sine exitio vel periculo audentis, si quis de proximo vrgeret. Quod quanti mali signum fuit? Quòd si hoc signum fuit, quod tantum malum fuit, quãtum malum fuit illud, cuius hoc signũ fuit? Hoc si nostris temporibus accidisset, rabidiores istos quàm illi sua animalia pateremur.

Orosius libro 5. de ista materia bella.

Cap. XXIIII.

Initium autem ciuiliũ bellorum fuit seditiones Gracchorũ, agrariis legibus excitatæ. Volebant enim agros populo diuidere, quos nobilitas perperam possidebat. Sed tam vetustam iniquitatem audere conuellere periculosissimũ, imò verò, vt ipsa res docuit, pernicio sissimum fuit. Quæ funera facta sunt cùm prior Gracchus occisus est? quæ etiã cùm alius frater eius non longo interposito tempore? Neque enim legibus & ordine potestatum, sed turbis armorúmque conflictibus nobiles igno biles-

Discordiæ ciuiles exitiosæ.

bilésque necabantur. Post Gracchi alterius interfectionẽ, Lucius Opimius cõsul, qui aduersus eum intra vrbem arma cõmouerat, cóque cum sociis oppresso & extincto ingentem ciuium stragem fecerat, cùm quæstionem haberet, iam iudiciaria inquisitione cæteros persequẽs, tria milia hominum occidisse perhibetur. Ex quo intelligi potest quantam multitudinem mortium habere potuerit turbidus conflictus armorum, quando tantam habuit iudiciorum velut examinata cognitio. Percussor Gracchi ipsius, caput quãtum graue erat, tanto auri põdere consuli vendidit: hæc enim pactio cædem præcesserat. In qua etiam occisus est cum liberis Marcus Fuluius consularis.

Eodem lib. Cap. XXVII.

Quum verò Marius ciuili sanguine iam cruentus, multis aduersarum sibi partium peremptis victus vrbe profugisset, vix paululùm respirante ciuitate (vt verbis Tullianis vtar) superauit postea Cinna cum Mario. Tum verò clarissimis viris interfectis, lumina ciuitatis extincta sunt. Vltus est huius victoriæ crudelitatem postea Sylla, nec dici quidem opus est quanta diminutione ciuium. & quãta calamitate reipublicæ. De hac enim vindicta, quę pernicioſior fuit, quàm si scelera quæ puniebãtur impunita relinquerentur, ait & Lucanus,

Vindicta pernicioſior scelere punito. Lucanus.

Excesit medicina modũ, nimiúmq; secuta est
Quà morbi duxere manus: periere nocentes.
Sed cùm iam soli possent superesse nocentes,
Tunc data libertas odiis, resolutáque legum
Frenis ira ruit. Illo bello Mariano atque Syllano, exceptis iis qui foris in acie ceciderunt, in ipsa quoque vrbe, cadauerib⁹ vici, plateæ, fora, theatra, templa completa sunt: vt difficile iudicaretur quando victores plus funerum ediderint, vtrùm prius vt vincerẽt, an postea quia vicissent. Cùm primùm victoria Mariana, quãdo de exilio se ipse restituit, exceptis passim quaquauersum cædibus factis, caput Octauii consulis poneretur in rostris. Cæsar & Fimbria in domib⁹ trucidarẽtur suis. Duo Crassi, pater & filius, in conspectu mutuo necarentur. Bebius & Numitorius vnco tracti sparsis visceribus interirent. Catulus hausto veneno se manibus inimicorum subtraheret. Merula flamen Dialis, præcisis venis Ioui etiã suo sanguine litaret. In ipsius autem Marii oculis continuò feriebantur, quibus salutantibus dexteram porrigere noluisset.

Tyrannicum factũ Marii.

Eodem lib. Cap. XXVIII.

Syllana verò victoria secuta, huius videlicet vindex crudelitatis, post tantum sanguinẽ ciuium, quo fuso comparata fuerat, finito iam bello inimicitiis viuentibus, crudelius in pace grassata est. Iam etiam post Marii maioris pristinas ac recentissimas cædes, additę fuerãt alię grauiores à Mario iuuene atque Carbone earundem partium Marianarũ. Qui Sylla imminẽte non solũ victoriã, verũetiam ipsam desperãtes salutẽ, cũcta suis aliisque cædibus impleuerũt. Nã præter stragẽ latè per diuersa diffusã, obsesso etiã senatu, de ipsa curia tãquam de carcere producebantur ad gladium. Mutius Scæuola põtifex, quoniã nihil apud Romanos tẽplo Vestæ sãctius habebatur, arã ipsã amplexus occisus est, ignémque illũ qui perpetua cura virginũ sẽper ardebat, suo penè sãguine extinxit. Vrbẽ deinde Sylla victor intrauit, qui in villa publica, nõ iam bello, sed ipsa pace sæuiẽte, septẽ milia peditũ vndecunque inermia, nõ pugnãdo, sed iubẽdo prostrauerat. In vrbe autẽ tota, quẽ vellet Syllanus quisque feriebat. Vnde tot funera numerari omnino non poterãt, donec Syllæ suggereretur finendos esse aliquos viuere, vt essẽt quibus possent imperare qui vicerãt. Tunc iã cohibita quæ hâc atq; hâc passim furibunda ferebatur licẽtia iugulandi, tabula illa cum magna gratulatione proposita est, quæ hominũ ex vtroque ordine splendido, equestri scilicet atque senatorio, occidendorũ atque proscribendorum duo milia cõtinebat. Cõtristabat numerus, sed cõsolabatur modus. Nec quia tot cadebãt tãtũ erat mœroris, quãtum lætitiæ, quia cæteri nõ timebãt. Sed in quibusdã eorum qui mori iussi erãt, etiãlicet ipsa crudelis cæterorum securitas, genera mortium exquisita cõgemuit. Quendam enim sine ferro laniãtium manus diripuerũt. Immanius hominẽ hominẽ viuum, quã bestiæ solẽt discerpere cadauer abiectũ. Alius oculis effossis, & particulatim membris amputatis, in tãtis cruciatibus diu viuere vel potius diu mori coactus est. Subuastatæ sunt etiam tanquã villæ, quædam nobiles ciuitates. Vna verò, velut vnus reus occidi iuberetur, sic tota iussa est ciuitas trucidari. Hæc facta sunt in pace post bellum, non vt acceleraretur obtinẽda victoria, sed ne contemneretur obtenta. Pax cum bello de crudelitate certauit & vicit. Illud enim prostrauit armatos, ista nudatos. Bellum erat vt qui feriebatur si posset feriret: pax autem non vt qui euaserat viueret, sed vt moriens non repugnaret.

De Syllana crudelitate.

Eodem lib. Cap. XXIX.

Quæ rabies exterarum gentium, quæ sæuitia Barbarorum, huic de ciuibus victoriæ ciuium comparari potest? Quid Roma funestius, tetrius, amariúsque vidit? Vtrùm olim Gallorum & paulò ante Gotthorum irruptionem, an Marii & Syllæ, aliorúmque in eorum partibus virorum clarissimorum, tanquã suorum luminum, in sua membra ferocitatẽ? Galli quidem trucidauerunt senatum, quidquid eius in vrbe tota, præter arcem Capitolinam, quæ sola vtcunque defensa est, reperire potuerunt. Sed in illo colle constitutis, auro vitam saltem vendiderunt, quam etsi ipsi ferro rapere non possent, possent tamen obsidione consumere. Gotthi verò tam multis senatoribus pepercerunt, vt magis mirum sit, quòd

aliquos peremerũt. At verò Sylla viuo adhuc Mario ipsum Capitoliũ, quod à Gallis tutum fuit, ad decernendas cædes victor insedit. Et quum fuga Marius esset lapsus, ferocior cruentiórque rediturus, iste in Capitolio per senatus etiam cõsultum, tam multos vita rebúsque priuauit. Marianis autem partibus Sylla absente, quid sanctum cui parcerent fuit, quando Mutio ciui, senatori, etiam pontifici, aram ipsam vbi erant, vt aiunt, fata Romana, miseris ambienti amplexibus non pepercerunt? Sylla na porrò tabula illa postrema, vt omittamus alias innumerabiles mortes, plures iugulauit senatores, quàm Gotthi vel expoliare potuerũt.

Cap. XXX.

Bella grauissima Christi aduentum præcedentia.

Qua igitur fronte, quo corde, qua impudentia, qua insipientia vel potius amentia, illa vel diis suis non imputãt, & hoc nostro imputant Christo? Crudelia bella ciuilia omnibus bellis hostilibus, auctoribus etiã eorum fatentibus, amariora, quibus illa respublica nec afflicta, sed perdita omnino iudicata est, longè ante aduentum Christi exorta sunt, & sceleratarum concathenatione causarum, à bello Mariano atque Syllano ad bella Sertorii & Catilinæ, quorum à Sylla fuerat ille proscriptus, ille nutritus. Inde ad Lepidi & Catuli bellum, quorũ alter gesta Syllana rescindere, alter defendere cupiebat. Inde ad Pompeii & Cæsaris, quorum Pompeius sectator Syllæ fuerat, eiúsque potentiam vel æquauerat, vel iam etiam superauerat. Cęsar autem Pompeii potentiam non ferebat, sed quia non habebat: quam tamen illo victo interfectóque transcendit. Hinc ad alium Cæsarem, qui post Augustus appellatus est, peruenerunt, quo imperante natus est Christus. Nam & ipse Augustus cum multis gesit bella ciuilia, & in eis etiam multi clarissimi viri perierunt: inter quos & Cicero disertus ille artifex regẽdæ reipublicæ. Pompeii quippe victorem Caium Cæsarem, qui victoriam ciuilem clementer exercuit, suíque aduersariis vitam dignitatémque donauit, tanquam regni appetitorem, quorundam nobilium coniuratio senatorum, veluti pro reipublicæ libertate, in ipsa curia trucidauit. Huius deinde potentiam, multum moribus dispar, vitiísque omnibus inquinatus atque corruptus, affectare videbatur Antonius, cui vehementer pro eadem illa velut patriæ libertate Cicero resistebat. Tunc emerserat mirabilis in dolis adolescens ille alius Cæsar, illius Caii Cæsaris filius adoptiuus, qui, vt dixi, postea appellatus est Augustus. Huic adolescenti Cæsari, vt eius potentia cõtra Antonium nutriretur, Cicero fauebat, sperans eum depulsa & oppressa Antonii dominatione, instauraturum reipublicæ libertatem: vsqueadeò cæcus atque improuidus futurorum, vt ille ipse iuuenis, cuius dignitatem ac potestatem fouebat, & eũdem Ciceronem occidendum Antonio, quadam quasi concordiæ pactione permitteret, & ipsam libertatem reipublicæ, pro qua multum ille clamauerat, ditioni propriæ subiugaret.

Cæsar in nec.

Ciceronis cædes.

Cap. XXXI. Eodem lib.

Bella in Christum Romani referunt.

Deos suos accusent de tantis malis, qui nostro Christo ingrati sunt de tãtis bonis. Certè quando illa mala fiebant, calebant aræ numinum Sabæo thure, sertísque recentibus halabant, clarebant sacerdotia, fana renitebant, sacrificabatur, ludebatur, furebatur in templis, quando passim tantus ciuium sanguis à ciuibus, non modò in cæteris locis, verùm inter ipsa quoque deorum altaria fundebatur. Non elegit templum quo confugeret Tullius, quia frustra elegerat Mutius. Hiverò qui multò indignius insultant Christianis temporibus, aut ad loca Christo dicatissima confugerunt, aut illuc eos, vt viuerent, etiam ipsi Barbari deduxerunt. Illud scio & hoc mecum quisquis sine studio partium iudicat, facillimè agnoscit, vt omittam cætera quæ multa commemoraui, & alia multò plura quæ commemorare longum putaui, si humanum genus ante bella Punica reciperet Christianam disciplinam, & conqueretur rerum tanta vastatio, quanta illis bellis Europam Africámque contriuit, nullus talium, quales nunc patimur, nisi Christianæ religioni illa mala tribueret. Multò autem minus eorum voces tolerarentur, quantum attinet ad Romanos, si Christianæ religionis receptionem & diffamationem, vel irruptio illa Gallorum, vel Tyberini fluminis igniúmque illa depopulatio, vel quod cuncta mala præcedit, bella illa ciuilia sequerentur. Mala etiam alia, quæ vsque adeò incredibiliter acciderunt, vt inter prodigia numerarentur, si Christianis tẽporibus accidissent, quibus ea nisi Christianis hominibus tanquam crimina obiicerent? Omitto quippe illa, quæ magis fuerunt mira quàm noxia, boues locutos, infantes nõdum natos de vteris matrum, quædam verba clamasse, volasse serpentes, fœminas & gallinas & homines in masculinum sexum fuisse conuersas, & cætera huiusmodi, quæ in eorum libris, non fabulosis, sed historicis, seu vera siue falsa sint, non inferunt hominibus perniciem, sed stuporem. Sed & quum pluit terra, cùm pluit creta, cùm pluunt lapides, (non vt grãdo appellari solet hoc nomine, sed omnino vel terræ vel cretæ vel lapidũ pluuia) hæc profectò etiã grauiter lædere potuerũt. Legimus apud eos Aethnęis ignib⁹ ab ipso mõtis vertice vsq; ad litt⁹ proximũ decurrẽtib⁹, ita ferbuisse mare, vt rupes exurerẽtur, picésq; nauiũ soluerẽtur. Hoc vtiq; non leuiter noxiũ fuit, quãuis incredibiliter mirũ. Eodẽ rursus æstu igniũ, tãta vi fauillæ scripserunt oppletã esse Siciliã, vt Catinẽsis vrbis tecta obruta & oppressa dirue rent. Qua calamitate permoti, misericorditer eiusdẽ anni tributũ ei relaxauere Romani. Locustarum etiã in Africa multitudinẽ prodigii similẽ fuisse, cùm iã esset populi Romani puincia, literis mandauerũt. Consumptis enim fru-

Prodigia.

De Aetnæis ignibus.

Locustarum in Africa multitudo.

ctibus

ctibus foliisque lignorum, ingenti atque inæstimabili nube in mare dicunt esse deiectam. Qua mortua redditáque littoribus, atq; hinc aere corrupto, tantam ortam pestilentiam dicunt, vt in solo regno Masiniſſæ, octingenta hominum milia periisse referantur, & multò amplius in terris littoribúsq; proximis. Tunc Vticæ ex triginta milibus virorum, qui ibi erant, decem remansisse confirmant. Talis itaque vanitas, qualem patimur, eique respondere compellimur, quid horum non Christianæ religioni tribueret, si temporibus Christianis viueret? Et tamen diis suis ista non tribuunt, quorum ideo cultum reliquerunt ne ista vel maiora patiantur, cùm ea maiora pertulerint, à quibus antea colebantur.

Lib.III I.Cap.XV.

Proinde belligerare, & perdomitis gentibus dilatare regnum, malis videtur felicitas, bonis necessitas. Sed quia peius esset, vt iniurioſi iustioribus dominarentur: ideo non incongruè dicitur etiam ista felicitas. Sed proculdubiò felicitas maior est vicinum bonum habere cõcordem, quàm vicinum malum subiugare bellantem. Mala vota sunt optare habere quem oderis, vel quem timeas, vt possit esse quem vincas.

Lib.V.Cap.XII.

Virgilius in laudem Romanorum.

Hinc est illud Virgilii, quod cùm aliarum gentium artibus, eas ipsas proprias Romanorum artes regnandi atque imperandi & subigendi ac debellandi populos anteponeret, ait,

AEneid.6.

Excudent alii spirantia mollius æra,
Credo equidẽ viuos ducẽt de marmore vultus
Orabunt causas melius, cælíq; meatus
Describent radio, & surgẽtia sydera dicent.
Tu regere imperio populos Romane memen-
Hę tibi erũt artes, paciq; imponere morem (to
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Cap.XVII.eodem lib.

Quid prosit illis victoribus victoria.

Nam quid interſit ad incolumitatem bonósque mores, & ipsas certè hominum dignitates, quòd alii vicerunt, alii victi sunt, omnino non video, præter illum glorię humanæ inanissimum fastum, in quo perceperunt mercedem suam, qui eius ingẽti cupiditate arserunt, & ingentia bella gesserunt. Nunquid enim illorum agri tributa non soluunt? Nunquid eis licet dicere quod aliis nõ licet? Nunquid non multi senatores sunt in aliis terris, qui Romã nec facie quidem norunt? Tolle iactantiam, & omnes homines quid sunt, nisi homines?

Cap.XXII.

Exitus bellorũ ex Dei pendet iudicio.

Sic etiam tempora ipsa bellorum, sicut in Dei arbitrio est, iustóque iudicio & misericordia, vel atterere vel cõsolari genus humanum, vt alia citius, alia tardius finiantur. Bellum Piratarum à Pompeio, bellum Punicum tertiũ à Scipione incredibili celeritate, & temporis breuitate cõfecta sunt. Bellũ quoq; fugitiuorũ gladiatorũ, quanuis multis Romanis ducibus & duobus cõsulibus victis, Italiáque horribiliter contrita atque vastata, tertio tamen anno post multa cõsumpta, consummatũ est. Picentes, Marsi, & Peligni, gentes non exteræ, sed Italicæ, post diuturnam & deuotissimã sub Romano iugo seruitutem, in libertatem caput erigere tentauerunt, iam multis nationibus Romano imperio subiugatis, deletáque Carthagine. In quo bello Italico Romanis sæpissime victis, vbi & duo Consules perierunt, & alii nobilissimi senatores, non diuturno tamen tẽpore tractum est hoc malum. Nam quintus ei annus finem dedit. Sed bellum Punicũ secũdum, quum maximis detrimentis & calamitate reipublicæ per annos decem & octo Romanas vires extenuauit & penè consumpsit, in duobus prælijs fermè septuaginta Romanorum milia ceciderũt. Bellũ Punicum primũ per vigĩti & tres annos peractũ est. Bellũ Mithridaticũ quadraginta annis. Ac ne quisquam arbitretur rudimenta Romanorum fuisse fortiora ad bella citius peragenda, superioribus temporibus, multum in omni virtute laudatis, bellum Samniticum annis tractum est fermè quinquaginta. In quo bello ita Romani victi sunt, vt sub iugum etiam mitterentur. Sed quia non diligebãt gloriam propter iustitiam, sed iustitiam propter gloriam diligere videbantur, pacem factam fœdúsque ruperunt. Hæc ideo commemoro, quoniam multi præteritarum rerum ignari, quidam etiam dissimulatores suæ scientiæ, si temporibus Christianis aliquod bellum paulò diutius trahi vident, illicò in nostram religionem proteruissimè insiliunt, exclamantes, quòd si illa non essent, & vetere ritu colerentur numina, iam Romana illa virtute, quæ adiuuante Marte & Bellona tãta celeriter bella confecit, id quoque celerrimè finiretur. Recolant igitur qui legerunt, quàm diuturna bella, quàm variis euentibus, quàm luctuosis cladibus à veteribus sint gesta Romanis, sicut solet orbis terrarum velut procellosissimum pelagus varia talium malorum tempestate iactari: & quod nolunt aliquando fateantur, nec insanis aduersus Deum linguis se interimant, & decipiant imperitos.

Cap.XXIII.

Quum Rhadagaisus rex Gotthorum, agmine etiam immani iam in vrbis vicinia constitutus, Romanis ceruicibus immineret, vno die tanta celeritate sic victus est, vt ne vno quidem non dicam extincto, sed nec vulnerato Romanorum, multò amplius quàm centum milium prosterneretur eius exercitus: atque ipse cum filiis mox captus, pœna debita necaretur.

Lib.XII.Cap.XXII.

Ferocior bestiis homo.

Neque enim vnquam inter se leones aut inter se dracones, qualia homines bella inter se gesserunt.

Lib.XIIII.Cap.XV.

Est igitur libido vlciscendi, quæ ira dicitur, est libido habẽdi pecuniam, quæ auaritia, est libido quomodocunque vincendi, quæ peruicacia, est libido gloriandi, quæ iactantia nuncupatur. Sunt multæ variæque libidines, quarũ nõnullæ habẽt etiam vocabula propria, quædam verò nõ habẽt. Quis enim facilè dixerit, quid vocetur libido dominandi? Quam tamen plurimum valere in tyrannorum animis, etiam ciuilia bella testantur.

Lib. XV. Cap. IIII.

De terrenæ ciuitatis concertatione vel pace.

Terrena porrò ciuitas quæ sempiterna non erit (neque enim quum in extremo supplicio damnata fuerit, iam ciuitas erit) hîc habet bonum suum, cuius societate lætatur, qualis esse de talibus rebus lætitia potest. Et quoniam nõ est tale bonum, vt nullas angustias faciat amatoribus suis, ideo ciuitas ista aduersus seipsam plerunque diuiditur, litigando, bellãdo, atque pugnando, & aut mortiferas, aut certè mortales victorias requirendo. Nam ex quacunque sui parte aduersus alteram sui partem bellando surrexerit, quærit esse victrix gẽtium, quum sit captiua vitiorum. Et siquidem quum vicerit superbius extollitur, etiam sic mortifera. Si verò conditionem cogitãs casúsque communes, magis quæ accidere possunt aduersis angitur, quàm eis quæ prouenerunt secundis rebus inflatur, tantummodo moralis est ista victoria. Neque enim semper dominari poterit permanendo eis, quos potuerit subiugare vincendo. Non autẽ rectè dicũtur ea bona non esse quæ concupiscit hæc ciuitas, quando est & ipsa in suo genere humano melior. Concupiscit enim terrenam quandã pro rebus infimis pacem: ad eam nãque desyderat peruenire bellãdo. Quoniam si vicerit & qui resistat non fuerit, pax erit, quam non habebant partes inuicem aduersantes, & pro iis rebus quas simul habere non poterant, infelici egestate certantes. Hanc pacem requirũt laboriosa bella, hanc adipiscitur, quæ putatur glorioſa victoria. Quãdo autem vincunt qui causa iustiore pugnabant, quis dubitat gratulandam esse victoriam, & prouenisse optabilem pacem? Hæc bona sunt, & sine dubio dona Dei sunt. Sed si neglectis melioribus, quæ ad supernam pertinent ciuitatem, vbi erit victoria in æterna & summa pace secura, bona ista sic concupiscuntur, vt vel sola esse credantur, vel iis quæ meliora creduntur, amplius diligantur, necesse est miseria cõsequatur, & quæ inerat augeatur.

Bona & Dei dona sunt, pax & victoria.

Eodem lib. Cap. V.

Genes. 4.

Primus itaque fuit terrenæ ciuitatis conditor fratricida. Nam suum fratrem ciuem ciuitatis æternæ, in hac terra peregrinantem, inuidentia victus occidit. Vnde mirandum nõ est, quòd tantò pòst in ea ciuitate condenda, quæ fuerat huius terrenæ ciuitatis de qua loquimur, caput futura, & tã multis gentibus regnatura, huic primo exemplo, & vt Græci appellãt archetypo, quædam sui generis imago respondit. Nam & illic, sicut ipsum facinus quidã Poeta commemorauit illorum,

Lucanus lib. 1.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Remus occisus à Romulo.

Sic enim condita est Roma, quando occisum Remum à fratre Romulo Romana testatur historia: nisi quòd isti terrenæ ciuitatis ambo ciues erant, & ambo gloriam de Romanæ reipublicæ institutione quærebãt: sed ambo eã tantam quantã si vnus esset, habere non poterant. Qui enim volebat dominando gloriari, minus vtique dominaretur si eius potestas viuo consorte minueretur. Vt ergo totam dominationem haberet vnus, ablatus est socius, & scelere creuit in peius, quod innocentia minus esset in melius.

Lib. XVI. Cap. XLIII.

Iesus. De bellis Iesu Naue.

Defuncto Mose, populum rexit Iesus Naue, & in terrã repromissionis introduxit, cámque populo diuisit. Ab his duobus mirabilibus ducibus bella etiam prosperrimè ac mirabiliter gesta sunt, Deo contestante non tam propter merita Hebræi populi, quàm propter peccata earum quæ debellabantur gentiũ, illas eis prouenisse victorias, &c.

Lib. XVII. Cap. XXIII.

Reges Israel omnes reprobi.

In Israel autem reges, alios magis, alios minus, ómnes tamen reprobos legimus. Vtraque igitur pars sicut iubebat diuina prouidẽtia vel sinebat; variis & erigebatur prosperitatibus, & aduersitatibus premebatur, & sic affligebatur, non solùm externis, verumetiam inter se ciuilibus bellis, vt certis exist ẽtibus causis, misericordia vel ira patesceret Dei, donec eius indignatione crescente, vniuersa gens illa à Chaldæis debellantibus, non solùm subuerteretur in sedibus suis, sed etiam ex maxima sui parte trãsferretur in terras Assyriorũ: prius illa pars quæ vocabatur Israel in tribubus decẽ: postea verò etiam Iudas, euersa Ierusalem & templo illo nobilissimo: in quib⁹ terris per annos. 70. captiuum egit otium. Post quos inde dimissa, templum quod euersum fuerat instaurauit, & quanuis plurimi eius in alienigenarũ degerent terris, non habuit tamen deinceps duas regni partes, & duos diuersos in singulis partibus reges: sed in Hierusalem princeps eorum vnus erat, atque ad Dei templum, quod ibi erat, omnes vndique vbicunque essent & vndecunque possent, per certa tempora veniebant. Sed nec tunc eis hostes ex aliis gentibus expugnatores defuerũt. Nam etiam Romanorum iam tributarios eos Christus inuenit.

4. Reg. 17.

4. Reg. 25.

Iudæi tributarii Romanorũ facti.

Lib. XVIII. Cap. II.

Societas igitur vsquequaque mortalium diffusa per terras, & in locorum quantislibet diuersitatibus vnius tamen eiusdémque naturæ, quadam communione distinctas vtilitates & cupidi-

cupiditates suas, quibus sectantibus dum id quod appetitur, aut nemini, aut non omnibus sufficit, quia non est idipsum, aduersum seipsa plerunque diuiditur, & pars partem quæ præualet opprimit. Victrici enim victa succumbit, dominationi scilicet, vel etiam libertati qualecunque pacem præferens ac salutem: ita vt magnæ fuerint admirationi qui perire quàm seruire maluerunt. Nã in omnibus ferè gentibus quodãmodo vox naturæ ista personuit, vt subiugari victoribus mallent, quibus cõtigit vinci, quàm bellica omnifaria vastatione deleri. Hinc factum est, vt non sine Dei prouidentia, in cuius potestate est vt quisque bello aut subiugetur aut subiuget, quidã essent regnis præditi, quidam regnãtibus subditi: sed inter plurima regna terrarum, in quæ terrenæ vtilitatis vel cupiditatis est diuisa societas, quam ciuitatem mundi huius vniuersali vocabulo nuncupamus, duo regna cernimus longè cæteris prouenisse clariora, Assyriorum primum, deinde Romanorum, vt temporibus ita locis inter se ordinata atque distincta. Nam quomodo illud prius, hoc posterius, eo modo illud in Oriente, hoc in Occidente surrexit. Denique in illius fine huius initium confestim fuit. Regna cætera cæteróque reges, velut appendices istorum dixerim.

Lib. XIX. Cap. XIII.

Definitio multiplicis pacis. Pax itaque corporis, est ordinata partium temperatura. Pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actionisque cõsensio. Pax corporis & animæ, ordinata vita & salus animantis. Pax hominis mortalis, est Dei immortalis ordinata in fide, sub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax ciuitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia ciuium. *Ordo quid.* Pax cælestis ciuitatis, ordinatissima atque concordissima societas fruẽdi Deo, & inuicem in Deo. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. Ordo est parium dispariúmque rerum, sua cuique loca tribuens dispositio, &c.

Eodem lib. Cap. XV.

Gene. 1 Hoc naturalis ordo præscribit, ita Deus hominem cõdidit. Nam, Dominetur (inquit) piscium maris & volatilium cæli, & omnium repentium quæ repunt super terram. Rationalem factum ad imaginem suam, noluit nisi irrationalibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori. Inde primi iusti, pastores pecorum magis quàm reges hominum constituti sunt, vt etiam sic insinuaret Deus, quid postulet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum. Conditio quippe seruitutis, iure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo Noe iustus peccatũ fi lii vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit non natura. Origo autem vocabuli seruorũ in Latina lingua inde creditur ducta, quòd ii qui iure belli possẽt occidi à victoribus, cùm seruabantur, serui fiebant, à seruando appellati: quod etiam ipsum sine peccati merito non est. Nam & cùm iustum geritur bellũ, pro peccato contrario dimicatur, & omnis victoria cùm etiam malis prouenit, diuino iudicio victos humiliat, vel emendans peccata vel puniẽs. Testis est homo Dei Daniel, quùm in captiuitate positus, peccata sua & peccata populi sui confitetur Deo, & hanc esse causam illius captiuitatis pio dolore testatur. Prima ergo seruitutis causa peccatum est, vt homo homini conditionis vinculo subderetur: quod non fit nisi Deo iudicante, apud quem non est iniquitas, & nouit diuersas pœnas meritis distribuere delinquentium. Sicut autem supernus Dominus dicit; Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati: ac per hoc multi quidem religiosi, dominis iniquis non tamen liberis seruiunt: à quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est. Et vtique felicius seruitur homini, quàm libidini: cùm sæuissimo dominatu vastet corda mortalium (vt alias omittam) libido ipsa dominandi. Hominibus autem illo pacis ordine, quo alius alii subiecti sint, sicut prodest humilitas seruientibus, ita nocet superbia dominantibus. Nullus autem natura, in qua prius Deus hominem condidit, seruus est hominis aut peccati. Verùm & pœnalis seruitus ea lege ordinatur, qua naturalem ordinem conseruari iubet, perturbari vetat: quia si contra eam legem non esset factum, nihil esset pœnali seruitute coercendum. Ideóque etiam Apostolus seruos monet subditos esse dominis suis, & ex ánimo eis cum bona voluntate seruire, vt scilicet si non possunt à dominis liberi fieri, suam seruitutem ipsi quodammodo liberam faciant, non timore subdolo, sed fideli dilectione seruiendo, donec transeat iniquitas, & euacuetur omnis principatus & potestas humana, & sit Deus omnia in omnibus.

Seruus vnde dictus. *Ioan. 8.* *2. Petr. 2.* *Ephes. 6.* *Psalm. 56.* *1. Cornith. 15.*

Libro XXII. Cap. VI.

Proinde metus quantilibet leuis indignationis, quæ ab animis Romanorũ sinũ fieret posse putabatur existere, compellebat aliquas ciuitates positas sub iure Romano, tanquam deum colere Romulum: à Christo autem Deo, non solùm colendo, verumetiam confitendo, tantam per orbem terræ Martyrum multitudinem, metus vllus aut error reuocare non potuit, blanditiæ nullæ, promissio nulla dimouit, sed nec facultatum violenta subtractio, nec acerbitas vniuersarum variarúmque pœnarum, & ipsius mortis, quæ plus cæteris formidatur. Neque tunc ciuitas Christi, quamuis adhuc peregrinaretur in terris, & haberet tam magnorum agmina populorum, aduersus impios persecutores suos pro temporali salute pugnauit: sed potius vt obtine-

Principio omnes homines æquales Deus condidit. Gene. 46

non repugnauit. Ligabantur, includebantur, cædebantur, torquebantur, vrebantur, laniabantur, trucidabantur, & multiplicabantur. Non erat eis pro salute pugnare, nisi salutem pro Saluatore contemnere. Scio in libro Ciceronis tertio, nisi fallor, de Republica, disputari nullũ bellum suscipi à ciuitate optima, nisi aut pro fide, aut pro salute. Quid autem dicat pro salute, vel intelligi quam salutem velit, alio loco demonstrans, Sed his pœnis (inquit) quas etiam stultissimi sentiunt, egestate, exilio, vinculis, verberibus, elabuntur sæpe priuati, oblata mortis celeritate. Ciuitatibus autem mors ipsa pœna est, quæ videtur à pœna singulos vindicare. Debet enim constituta sic esse ciuitas, vt æterna sit. Itaque nullus interitus est reipublicæ naturalis, vt hominis, in quo mors non modò necessaria est, verumetiam optanda persæpe. Ciuitas autem quum tollitur, deletur, extinguitur, simile est quodammodo, vt magnis parua conferamus, acsi omnis hic mundus intereat & concidat. Hoc ideo dixit Cicero, quia mundum non interiturum cum Platonicis sentit. Constat ergo eum pro ea salute bellum voluisse suscipi à ciuitate, qua fit vt maneat hic ciuitas, sicut dicit, æterna, quanuis morientibus & nascentibus singulis, sicut perennis est opacitas oleæ, vel lauri, atque huiusmodi cæterarum arborum, singulorum lapsu ortúque foliorum. Mors quippe, vt dicit, nõ hominum singulorum, sed vniuersæ est pœna ciuitatis, quæ à pœna plerunq; singulos vindicat.

Cicero mundum cum Platonicis perpetuum asserit.

Libro XIX. Cap. XI.

De bono pacis. Tantum est enim pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desyderabilius concupisci, nihil postremò possit melius inueniri.

Eodem libro, Cap. XII.

Quod enim quisquis mecum res humanas naturámque communem vtcunque intuetur, agnoscit. Sicut enim nemo est qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacẽ habere nolit. Quãdoquidẽ & ipsi qui bella volũt, nihil aliud quàm vincere volunt. Ad glorioſam ergo pacem bel lando cupiunt peruenire. Nam quid est aliud victoria, nisi subiectio repugnantium? Quod cùm factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur & bella, ab iis etiam qui virtutem bellicam student exercere imperando & pugnando. Vnde pacem constat belli esse optabilem finem. Omnis enim homo etiam bellige rando pacem requirit, nemo autem bellum pacificando. Nam & illi qui pacem, in qua sunt, perturbare volunt, non pacẽ oderunt, sed eam pro arbitrio suo cupiunt commutari. Non ergo vt sit pax nolunt, sed vt ea sit, quam volunt. Denique etsi per seditionem se ab aliis separauerunt, cum eisipsis vel cõspiratis, vel coniuratis suis nisi qualencunque pacis speciem teneant, non efficiunt quod intendunt. Proin de latrones ipsi, vt vehementius & tutius infesti sint paci cæterorum, pacẽ volunt habere sociorum. Sed et si vnus sit tã præpollens viribus & conscius, ita cauẽs, vt nulli socio se committat, solúsque insidians, & prævalens quibus potuerit oppressis & extinctis prædas agat, cum eis certè quos occidere nõ potest, & quos vult latere quod facit, qualencunque vmbram pacis tenet.

Ad Marcellinum Epistola V.

Nam si Christiana disciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus consilium salutis petentibus in Euangelio diceretur, vt abiicerent arma, séque militiæ omnino subtraherent. Dictum est autem eis, Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. Quibus proprium stipendium sufficere debere præcepit, militare vtique non prohibuit. Proinde qui doctrinam Christi aduersam dicunt esse reipublicæ, dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites iusit, dent tales prouinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales seruos, tales reges, tales iudices, tales denique debitorum redditores & exactores ipsius fisci, quales esse præcepit doctrina Christiana: & audeant eam dicere aduersam esse reipublicæ. Imò verò dubitent eam confiteri magnam, si ei obtemperetur, salutem esse reipublicæ.

Luc. 3.

Doctrina Christianon est reipublicæ aduersa.

Ad Bonifacium, Epistola CLXXXII.

Habeat, quęso, miles sub comite positus disciplinam. Graue est enim vt quem non vincit homo, vincat libido, aut volutetur vino, qui non vincitur ferro.

Miles qualis debet esse.

Ad eundem, Epistola CXCIIII.

Quando pugnatur, Deus apertis oculis spectat, & partem quam inspicit iustam, sibi dat palmam.

DE IVRAMENTO ET FIDE publica seruanda.

De rectitudine catholicæ conuersationis, N.

Iurandi consuetudinem funditus euitate, quia valde præceptis in hac parte contraitis, Domino in Euangelio prohibente, Dico, inquit, vobis, nolite omnino iurare, neq; per terram, neque per caput, neque per aliud quodcunq;. Sit autẽ sermo vester, est est, non non.

Consuetudinem iurandi vitanda

Libro VI. Quæstionum super Iosue, Quæstione XIII.

Quæri potest quomodo iurationem seruandam crediderint esse Hebræi Gabaonitis, quibus ita iurauerant tanquam de longinqua terra venientibus, sicut illi mentiti fuerant. Sciebant enim se debellandos si cognitum esset Hebræis in ea terra eos habitare, quã promissam fuerãt ab habitãtibus recepturi. Mentiẽtibus ergo quòd de longinqua terra ad eos veniſſent

Iosue 9. Filij Israel Gabaonitis iuramentum seruauerunt.

veniſſent, iurauerunt eis Iſraelitæ. Poſtea verò quàm cognouerũt ibi eos habitare, vbi omnes quos inuenerant, ſecundum Dei præceptum debellare oportebat, nolebant tamen frangere iurationem. Et licet eos mentitos eſſe didiciſſent, parcere maluerunt iurationis cauſa, cùm poſſent vtique dicere ſe tantùm illis iuraſſe, quos eos eſſe crediderant, id eſt, de longinquo venientes. Cùm verò aliud cognouerunt, præceptum circa eos Domini implendum erat, vt ſicuti cæteri expugnarentur. Deus autem hoc approbauit, nec parcentibus ſuccenſuit, quanuis eum non interrogaſſent, quinam illi eſſent: & ideo eos illi fallere valuiſſent. vnde non importunè vtique credendi ſunt, etſi fallere homines pro ſua ſalute voluerunt: non tamen fallaciter Deum timuiſſe in populo eius. propterea nec ſuccenſuit Dominus iurantibus, aut parcentibus, vt poſtea Gabaonitas ipſos tanq̃ populi ſui homines de domo Saul vindicaueri, ſicut Regnorum oſtendit hiſtoria. Et quoniam iuratio ſic ſeruata eſt, quanuis in hominibus qui mentiti ſunt, vt ad clemẽtiam ſententia flecteretur: non diſplicuit Deo. Nam ſi econtrario iuraſſent aliquos ſe interfecturos, quos Gabaonitas in terra promiſſionis eſſe putauiſſent, & poſtea didiciſſent eos eſſe ab illa terra extraneos, & de longinquo ad ſe veniſſe, nullo modo arbitrandum eſt, quòd eos eſſent debellaturi cauſa iurationis implendæ: quum propter ipſam parcendi clementiam ſanctus Dauid, etiam poſt verba, quibus ſe Nabal interfecturum eſſe iurauerat, vtique ſciens quem fuerat interfecturus, parcere maluit, nec in re duriore implere iuramentum: magis Deo placere exiſtimans, ſi quod ira perturbatus, ad nocẽdũ iurauerat, nõ feciſſet, quàm ſi perfeciſſet.

Libro XIX. contra Fauſtum, Cap. XXIII.

Peierare graue peccatum eſt: non iurare autem, ſicut verum iurare, nullũ peccatum eſt. Sed quia lõgius remotus eſt à falſum iurando, qui nec iurare conſueuit, quàm qui verum iurare procliuis eſt: maluit nos Dominus, & non iurantes non recedere à vero, quàm verum iurantes propinquare periurio. Itaque & Apoſtolus in ſermonibus, quos habuiſſe narratur, nunquam iurauit, ne iurandi conſuetudine aliquãdo, vel neſcius in periurium laberetur. In Scripturis autem vbi eſt conſyderatio maior atque perpenſior, pluribus locis iuraſſe reperitur, ne quiſquam putaret etiam verum iurando peccari, ſed potius intelligeret humanæ fragilitatis corda, non iurando tutius à periurio conſeruari.

Verum iurare non eſt peccatũ

Cap. XXV.

Sicut in iurando, etiam qui verum iurat propinquat periurio, vnde longè abeſt qui omnino non iurat: & quanuis nõ peccet qui verum iurat, remotior tamen à peccato eſt, qui non iurat. Vnde admonitio non iurandi, conſeruatio eſt à peccato periurii.

Poſſidonius in vita Auguſtini, Cap. XXV.

Cum Auguſtino ſemper clerici, vna etiam domo ac menſa, ſumptibũ que communibus alebantur & veſcebantur. Et ne quiſquã facili iuratione etiam ad periurium decidiſſet, & in Eccleſia populo prædicabat, & ſuos inſtituerat, ne quis iuraret, ne ad modicum quidem. Quòd ſi prolapſus fuiſſet, vnã de ſtatutis perdebat portionem. Numerus enim erat, ſuis ſecum commorantibus & conuiuantibus poculorum præfixus. *In Pſalmum CIX.*

Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinẽ Melchizedech. Iurauit ergo Dominus. Quid eſt iurauit Dominus? Ergo Dominus iurat, qui prohibet homines à iurãdo? An fortè ideo magis hominem prohibet à iurando, ne in periuriũ prolabatur: & ideo Deus magis iurat, quia non poteſt eſſe periurus? Homo enim qui per conſuetudinem iurandi poteſt lingua in periurium prolabi, bene prohibetur iurare. Tantò enim longius erit à periurio, quantò erit lõgè à iurando. Qui enim iurat homo, falſum & verum iurare poteſt. Qui autem non iurat, falſum iurare non poteſt, quia omnino non iurat. Cur ergo non iurat Dominus, quando Domini iuramentum promiſsionis eſt firmamẽtum? Iurat omnino. Quid ergo tu facis cùm iuras? Teſtaris Deũ. Hoc eſt iurare, Deum teſtari: & ideo moleſtum ne ad aliquam falſitatẽ teſtem adhibeas Deum. Si ergo tu iurando teſtaris Deum: cur ergo non & Deus, iurando teſtetur ſeipſum? Viuo ego dicit Domin?: iuratio Dei eſt. Sic iurauit de ſemine Abrahæ: Viuo ego dicit Dominus, quoniam audiſti vocem meam, & non pepercisti filio tuo vnico propter me, niſi benedicens benedicã te, & implẽdo, implebo ſemẽ tuum, ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam quæ eſt ad labium maris, & benedicẽtur in ſemine tuo omnes gẽtes. Et ſemen Abrahæ quid eſt? Chriſtus. Ille ſemen Abrahæ, erit Sacerdos in æternum ſecũdum ordinem Melchizedech. De ſacerdotio ſecũdũ ordinẽ Melchizedech, iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.

Pſalm. 109.

Dei iuramentum promiſsionis eſt firmamentum.

Gene. 22

Galat. 3

Ad Hilarium, Epiſtola LXXXIX.

Iurationem caue quantum potes. Melius quippe nec verum iuratur, quàm iurandi conſuetudine, & in periurium ſæpe caditur, & ſemper periurio propinquatur, Sed illi, quantum aliquos audiui eorum, quid ſit iurare prorſus ignorant. Putant enim ſe non iurare, quando in ore habent, Scit Deus, & Teſtis eſt Deus, & Teſtem Deum inuoco ſuper animam meam: quia non dicitur Per Deum, & quia talia reperiuntur in Apoſtolo Paulo. Sed etiam illa ibi contra eos inuenta eſt, quam confitentur eſſe iurationem, vbi ait Apoſtolus, Quotidie morior, per veſtram gloriam fratres, quam habeo in Chriſto Ieſu Domino noſtro. In Græcis enim codicibus reperitur eſſe omnino hanc iu-

1. Cor. 15

rationem, ne quis in Latina lingua hoc sic intelligat dictum. Per vestram gloriam, quomodo dictum est, Per meum aduentum iterum ad vos, & multa similia, vbi dicitur per aliquid, & non est iuratio. Sed non ideo quia in suis literis iurauit Apostolus, vir in firmitate firmissimus, ludus nobis debet esse iuratio. Multò enim tutius (vt dixi) quātum ad nos attinet, nūquam iuramus, vt sit in ore nostro est est, non non, sicut Dominus monet. Non quia peccatum est verum iurare, sed quia grauissimum est peccatū falsum iurare, quò citius cadit qui cōsuecuit iurare.

Libro I. De ciuitate Dei, Cap. XV.

De fide seruāda. Habēt Romani de captiuitate, religionis causa, etiam sponte toleranda, & in suis præclaris viris nobilissimum exemplum. Marcus *Regulus exemplum.* Attilius Regulus, imperator populi Romani, captiuus apud Carthaginenses fuit. Qui cùm mallēt à Romanis suos reddi, quàm eorum tenere captiuos, ad hoc impetrādum etiam istum præcipuè Regulum cum legatis suis Romam miserunt, prius iuratione constrictum, si quod volebant minimè peregissent, rediturum esse Carthaginem. Perrexit ille, atque in senatu cōtraria persuasit: quoniam nō arbitrabatur vtile esse Romanæ reipublicæ mutare captiuos. Nec post hanc persuasionem, à suis ad hostes redire compulsus est. Sed quia iurauerat, id sponte impleuit. At illi cum excogitatis atque horrendis cruciatibus necauerūt. Inclusum quippe angusto ligno, vbi stare cogeretur, clausisq; vndique acutissimis confixo, vt se in nullam eius partem inclinaret, sine pœnis atrocissimis etiam vigilando peremerunt. Meritò certè laudant virtutem, tam magna infelicitate maiorem. Et per deos ille iurauerat, quorum pro cultu prohibito has generi humano clades isti opinantur infligi. Qui ergo propterea colebātur, vt istam vitam prosperam redderent, si verum iurāti has irrogari pœnas seu voluere seu permisere, quid periuro grauius irati facere potuerunt? Sed cur ratiocinationem meam non potius ad vtrūque concludam? Deos certè sic ille coluit, vt propter iurisiurādi fidem, nec remaneret in patria, nec inde quolibet ire, sed ad suos acerrimos inimicos redire minimè dubitaret. Hoc si huic vitæ vtile existimabat, cuius tam horrendum exitum meruit, proculdubio fallebatur. Suo quippe docuit exemplo, nihil deos ad istam tēporalem felicitatem suis prodesse cultoribus: quādoquidem ille eorum deditus cultui, & victus & captiuus abductus est. Et quia noluit aliter quàm per eos iurauerat facere, nouo ac prius inaudito, nimiúmq; horribili supplicii genere cruciatus, extinctus est. Si autem cultus deorum, post hāc vitam velut mercedem reddit felicitatem, cur calumniantur temporibus Christianis, ideo dicentes vrbi accidisse illam calamitatem, quia deos suos colere destitit, cùm potuerit etiam illos diligētissimè colēs, tam infelix fieri quàm ille Regulus fuit? Nisi fortè contra clarissimam veritatem, tanta quisquam dementia mirę cæcitatis obnititur, vt contendere audeat vniuersam ciuitatem deos colentem infelicē esse non posse, vnum verò hominem posse, quòd videlicet potentia deorum suorum, multos potius sit idonea cōseruare, quàm singulos, cùm multitudo constet ex singulis. Si autem dicunt Marcum Regulum etiam in illa captiuitate, illisque cruciatibus corporis, animi virtute beatum esse potuisse, virtus potius vera quæratur, qua beata possit esse ciuitas. Neque enim aliunde beata ciuitas, aliunde homo, cùm aliud ciuitas nō sit, quàm concors hominum multitudo. Quāobrem nondum interim disputo, qualis in illo Regulo virtus fuerit. Sufficit nunc quòd isto nobilissimo exemplo cogūtur fateri, non propter corporis bona, vel earum rerum, quæ extrinsecus homini accidūt, colēdos deos: quandoquidē ille carere his omnibus maluit, quàm deos, per quos iurauit, offendere. Sed quid faciemus hominibus, qui gloriantur talem se habuisse ciuem, qualem timēt habere ciuitatem? Quòd si non timēt, tale ergo aliquid quale accidit Regulo, etiā ciuitati tam diligēter quàm ille deos colenti, accidere potuisse fateantur, & Christianis temporibus non calumnientur. Verùm quia de illis Christianis orta quæstio est, qui etiam captiui ducti sunt, hoc intueantur & taceāt, qui saluberrimæ religioni, exhinc impudenter atque imprudenter illudunt, quia si diis eorum probro non fuit, quòd attentissimus cultor illorum, dum eis iurisiurandi fidem seruaret, patria caruit, dum aliam nō haberet, captiuúsque apud hostes, per longam mortem, supplicio nouæ crudelitatis occisus est: multò minus nomen criminādum est Christianum in captiuitate sacratorum suorum, qui supernam patriam veraci fide expectantes, etiam in suis sedibus peregrinos esse nouerunt.

Atrocissimum genus mortis.

Cap. XXIIII. eodem Libro.

Proinde Regulus seruauit & sub Carthaginensium dominatione patientiam, & in Romanorum dilectione constantiam, nec victum auferēs corpus ab hostibus, nec inuictū animū à ciuibus. Nec quòd se occidere noluit, vitæ huius amore fecit. Hoc probauit, quum causa promissi iurisque iurādi ad eosdē hostes, quos grauius in senatu verbis, quàm in bello armis offenderat, sine vlla dubitatione remeauit, &c.

Eodem Capite in fine.

Porrò si fortissimi & præclarissimi viri terrenæ patrię defensores, deorúmque licet falsorum, non tamen fallaces cultores, sed veracissimi etiam iuratores, qui hostes victos more ac iure belli ferire potuerunt, ii ab hostibus victi seipsos ferire noluerunt, & cùm mortem minimè formidarēt, victores tamen dominos ferre, quàm eam sibi inferre maluerunt: quantò magis Christiani verum Deum colentes, & supernæ patriæ suspirantes, ab hoc facinore temperabunt,

Nemo sibi mortem debet consciscere.

rabunt,si eos diuina dispositio,vel probandos, vel emendandos ad tempus hostibus subiugauerit, quos in illa humilitate non deserit, qui proter eos tã humiliter venit Altissimus,præsertim quos nulli° militaris potestatis,vel talis militiæ iura constringunt, ipsum hostem ferre superatum.

Libro III.Cap.II.

Romanorum periuria.

Vnde enim coniuratio Catilinæ in tanta támque corrupta ciuitate habuit etiam eorum grãdem copiam,quos manus atque lingua periurio aut sanguine ciuili alebat? Quid enim aliud toties Senatores corrupti in iudiciis, toties populus in suffragiis,vel in quibusque causis,quæ apud eum concionibus agebantur,nisi etiam peierando peccabant? Nam corruptissimis moribus ad hoc mos iurãdi seruabatur antiquitus, non vt à sceleribus metu religionis prohiberentur,sed vt periuria quoque sceleribus cæteris adderentur.

Eodem libro,Cap.XX.

Seruatæ fidei exemplum.

Sed in his omnibus belli Punici secundi malis, nihil miserabilius ac miserabili querela dignius,quàm exitium Saguntinorũ fuit. Hæc quippe Hispaniæ ciuitas amicissima populi Romani,dum eidem populo fidẽ seruat, euersa est. Hinc enim Hannibal fracto fœdere Romanorum,causas quęsiuit,quibus eos irritaret ad bellum. Saguntum ergo ferociter obsidebat. Quod vbi Romæ auditum est, missi sunt legati ad Hannibalem, vt ab eius obsidione discederet. Contẽpti Carthaginem pergunt,querimoniámque deponunt fœderis rupti, infectóque negotio Romã redeunt. Dum hæ moræ aguntur, misera illa ciuitas opulentissima, suæ reipublicæ Romanæque charissima, octauo vel nono mense à Pœnis deleta est. Cuius interitum legere, quantò magis scribere horroris est? Breuiter tamen eum commemorabo: ad rem quippe quæ agitur, multum pertinet. Primò fame cõtabuit. Nam etiam suorum cadaueribus à nõnullis pasta perhibetur. Deinde fessa omnium rerum,ne saltẽ captiua in manus Hannibalis perueniret, ingentem rogum publicè struxit,in quem ardentem, ferro etiam trucidatos omnes se suósque miserunt. Hîc aliquid agerent helluones atque nebulones, sacrificiorum adipibus inhiãtes,& fallacium diuinationum caligine decipientes: hîc aliquid agerent,si ciuitati populi Romani amicissimæ subuenirent,& fidei conseruatione pereuntem perire non sinerent. Ipsi vtique medii præfuerunt, cùm Romanæ reipublicæ interiecto fœdere copulata est. Custodiens itaque fideliter quod ipsis præsidibus placito iũxerat, fide vinxerat,iuratione cõstrinxerat,à perfido obsessa, oppressa, consumpta est. Si ipsi dii tempestate atque fulminibus Hannibalem postea Romanis proximum mœnibus terruerunt,longéque miserunt, tunc primùm tale aliquid facerent. Audeo quippe dicere,honestius illos pro amicis Romanorum, ideo periclitantibus,ne Romanis frangerent fidem, & nullam opem tunc habentibus, quàm pro ipsis Romanis,qui pro se pugnabant, atque aduersus Hannibalem opulenti erant, potuisse tempestate sæuire. Si ergo tutores essent Romanæ felicitatis & gloriæ,tam grauem ab ea crimen Saguntinæ calamitatis auerterẽt. Nunc verò quàm stulte creditur, diis illis defensoribus Romam victore Hannibale non periisse, qui Saguntinæ vrbi non potuerũt,ne pro eius perire amicitia,subuenire? Si Sagũtinorum Christianus populus esset, & huiusmodi aliquid pro fide Euãgelica pateretur,quãquã se ipse nec ferro nec ignib° corrupisset,sed tamẽ si pro fide Euãgelica excidiũ pateretur, ea spe pateretur qua in Christũ crediderat, nõ mercede breuissimi temporis, sed æternitatis interminatæ potiretur. Pro istis autẽ diis,qui ,pptercа coli perhibẽtur,pro pterea colendi requiruntur, vt harum labentium atque transeuntium rerum felicitas tuta sit, quid nobis defensores & excusatores eorũ de Saguntinis pereuntibus respondebunt, nisi quod de illo Regulo extincto? Hoc quippe interest,quòd illevnus homo,hæc tota ciuitas: vtriusque tamen interitus causa, conseruatio fidei fuit. Propter hanc enim ad hostes & redire ille voluit,& noluit ista transire. Conseruata ergo prouocat deorum iram fides? An possunt & diis propitiis perire, nõ solùm quique homines, verumetiam integræ ciuitates? Vtrũ volunt eligant. Si enim fidei seruatæ irascuntur illi dii,quærant perfidos à quibus colãtur. Si autem etiã illis propitiis multis grauibúsque cruciatibus afflicti,interire homines ciuitatésque possunt,nullo fructu felicitatis huius colũtur. Desinãt igitur succẽsere,qui sacris deorũ suorũ perditis, se infelices esseputãt. Possẽt enim illis non solùm manẽtibus,verũetiam fauẽtib°, nõ sicut modò de miseria murmurare: sed sicut tũc Regulus & Sagũtini excruciati, horribiliter etiam penitus interire.

Libro XVI.Cap.XXXII.

Dei iuratio est infidelium increpatio.

Quid autem est Dei veri veracísque iuratio,nisi promissi cõfirmatio,& infidelium quędam increpatio?

Lib.XXII.Cap.VI.

Vnde meritò quæritur, vtrum rectè fecerint Saguntini, quando vniuersam suam ciuitatem interire maluerunt,quàm fidem frangere,qua cum ipsa Romana republica tenebantur. In quo suo facto laudantur ab omnibus terrenæ reipublicæ ciuibus. Sed hi quomodo huic disputationi possent obedire non video, vbi dicitur nullum suscipiendum esse bellum, nisi aut pro fide aut pro salute. Nec dicitur,si in vnum simul periculum, ita duo ista concurrerint, vt teneri alterum sine alterius amissione non possit,quid sit potius eligendum. Profectò enim Saguntini, si salutem eligerent, fides eis fuerat deserẽda, si fides tenenda, amit-

tenda vtique salus: sicut & factum est. Salus autem ciuitatis Dei talis est, vt cum fide ac per fidem teneri, vel potius acquiri possit, fide autē perdita ad eam quisq; venire non possit. Quæ cogitatio firmissimi ac patientissimi cordis, tot ac tantos Martyres fecit, qualem nec vnum quidem habuit, vel habere potuit, quando est deus creditus Romulus.

Perdita fide, sa lus nulla super esse potest.

Libro I. de sermone Domini in monte R.

Matth. 5. Leuitic. 19.

Audistis quia dictū est antiquis, Non periurabis, reddes autem Domino iuramentum tuum. Ego autem dico vobis nō iurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terrā, quia scabellum est pedum eius, neque per Hierosolymam, quia ciuitas est magni regis, neque per caput tuum iuraueris, quia non potes facere capillum vnum album aut nigrum. Sit autem sermo vester, Est est, Non nō. quod autē amplius est, à malo est. Iustitia Pharisæorum, est non periurare. Hanc confirmat qui vetat iurare, quod pertinet ad iustitiam regni cælorum. Sicut enim falsum loqui non potest, qui non loquitur, sic periurare non potest, qui non iurat. Sed tamen quoniam iurat, qui adhibet testem Deum, diligenter consyderandum est hoc capitulum, ne contra præceptum Domini Apostolus fecisse videatur, qui sæpe hoc modo iurauit cùm dicit, Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. Et iterum, Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui est benedictus in secula, scit quia non mentior. Tale est etiam illud, Testis enim mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo, in Euangelio Filii eius, quomodo sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis. Nisi fortè quis dicat tunc cauendam esse iurationem, cùm per aliquid dicitur quod iuratur, vt non iurauerit, quia non dixit Per Deum, sed dixit, Testis est mihi Deus. Ridiculum est hoc putare. Tamē propter contentiosos, aut multum tardiores, ne aliquid interesse quis putet, sciat etiam hoc modo iurasse Apostolum dicentem, Quotidie morior per vestrā gloriam. Quod ne quis existimet ita dictū tanquam si diceretur, Vestra gloria me fecit quotidie mori, sicut dicitur, Per illius magisterium doctus factus est, id est, illius magisterio factum est vt perfectè doceretur: Græca exemplaria diiudicant, in quibus scriptum est, quod nonnisi à iurante dicitur. Ita ergo intelligitur præcepisse ne iuretur, ne quisquam sicut bonū appetat iusiurandum, & assiduitate iurandi, ad periurium per cōsuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit non in bonis sed in necessariis iurationem habendam, refrænat se quantum potest, vt non ea vtatur, nisi necessitate: cùm vides pigros esse homines ad credendum, quod eis vtile est credere, nisi iuratione firmentur. Ad hoc itaque pertinet, quod sic dicitur, Sit autem sermo vester, Est est, Non non. Hoc bonum est & appetendum: quod autem amplius est, à malo est, id est, si iurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades. Quæ infirmitas vtique malum est: vnde nos quotidie liberari deprecamur cùm dicimus, Libera nos à malo. Itaque nō dixit, Quod autem amplius est, malum est. Tu autem nō malum facis, qui bene vteris iuratione, quæ etsi nō bona, tamen necessaria est, vt alteri persuadeas, quod vtiliter persuadeas: sed à malo est illius, cuius infirmitate iurare cogeris. Sed nemo nouit, nisi qui expertus est, quàm sit difficile & consuetudinem iurādi extinguere, & nunquam temerè facere, quod nōnunquam facere necessitas cogit. Quæri autē potest cùm diceretur, Ego autem dico vobis, nō iurare omnino, cur additum sit, Neque per cælum, quia thronus Dei est, & cætera, vsque ad id quod dictū, Neque per caput tuum. Credo propterea, quia non putabant Iudæi se teneri iureiurando si per ista iurassent, & quoniā audierant, Reddes autem Domino iusiurandum tuum, non se putabant Domino debere iusiurandum, si per cælum aut terram, aut per Hierosolymam, aut per caput suum iurarent, quod non vitio præcipientis, sed illis malè intelligentibus factum est. Itaque Dominus docet nihil esse tam vile in creaturis Dei, vt per hoc quisque periurandum arbitretur, quando à summis vsque ad infima, diuina prouidentia creata regerentur, incipiens à throno Dei, vsque ad capillum album aut nigrum. Neque per cælum, inquit, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum pedum eius est, id est, cùm iuras per cælum aut terram, non te arbitreris non debere Domino iusiurādum tuum, quia per eum iurare conuinceris, cuius cælum thronus est, & cuius scabellum terra est, neque per Hierosolymam, quia ciuitas magni regis, melius quàm si diceret mea, cùm tamen hoc dixisse intelligatur. Et quia ipse vtique Dominus est, Domino iusiurandum debet, qui per Hierosolymam iurat. Neque per caput tuum iuraueris. Quod enim poterat quisque magis ad se pertinere arbitrari, quàm caput suū? Sed quomodo nostrum est, vbi potestatem faciendi vnius capilli albi aut nigri nō habemus? Ergo debet Deo iusiurādum ineffabiliter tenenti omnia & vbique præsenti. Quisquis etiam per caput suum iurare voluerit, & hinc etiam cætera intelliguntur, quæ omnia vtique dici non poterant, sicut illud quod commemorauimus dictum ab Apostolo, Quotidie per vestrā gloriam morior. Quam iurationem vt Domino se debere ostenderet, addidit, Quam habeo in Christo Iesu. Veruntamen propter carnales dico, Non oportet opinari, quod dictum est cælum thronus Dei, & terra scabellum pedum eius, quòd sic habeat Deus collocata mēbra in cælo & in terra, vt nos cùm sedemus: sed illa sedes Dei iudicium significat. Et quoniā in hoc vniuerso mundi corpore maximā speciem cælum habeat & terra minimam, tanquam præsentior sit excellenti pulchritudini vis Diuina,

Periurare non potest, qui non iurat.

Galat. 1.

2. Corinth 11.

Rom. 1.

1. Corinth. 15.

Matth. 6.

1. Corinth. 15.

minimam

minimam verò ordinet in extremis atque infimis, sedere in cælo dicitur terrámq; calcare.

De verbis beati Iacobi Apostoli, Ante omnia nolite iurare, &c. Serm. XXX.

Iacobi 5. Prima lectio, quæ nobis hodie recitata est, Apostoli Iacobi, oblata nobis est ad differendum, & quodammodo indicta. Intentos enim nos fecit, admonẽs ante omnia ne iuretis. Difficilis quæstio est. Hoc peccatum quem non reum teneat, si iurare peccatum est? Nam periurium peccatum esse, & grande peccatum nemo dubitat. sed non ait Apostolus, de cuius lectione tractamus, Ante omnia fratres mei nolite periurare, sed nolite iurare. Præcesit etiam ipsius Domini Iesu Christi in Euangelio similis admonitio. Audistis (inquit) quia dictũ est Matth. 5. antiquis, Non periurabis. Ego autem dico vobis, Nolite iurare, neque per cælum, quia sedes Dei est, neque per terram, quia scabellum pedum eius est: neque per caput tuum iurabis, quia nõ tibi est potestas facere vnum capillum album aut nigrum. Sit autem sermo vester, Est, est, non, non. Si quid amplius, à malo est. Huic Dominicæ admonitioni memorata Apostoli lectio omnino sic cõgruit, vt nihil aliud iussisse videatur: quia nullus alius hoc dicit, quàm ille Iacobi 5. qui per Apostolum dicit, Ante omnia, inquit, fratres mei, nolite iurare neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcũque iuramentum. Sit autem sermo vester, Est, est, non, non, nõ. nisi quòd iste addidit, Ante omnia, ex quo multum fecit intentos, auxítque difficultatem quæstionis. Inuenimus enim iurasse Sanctos, *Sanctos & Deum ipsum iurasse legimus. & psalm. 109.* iurasse primitus ipsum Dominum, in quo non est omnino peccatum, Iurauit Dominus, & nõ pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchizedech. A Eternitatem sacerdotii Filii cũ iuratione promisit. Habes etiam, Per meipsum iuro, Dominus dicit. *Genes. 22.* Et illud iuratio est, Viuo ego, dicit Dominus. Quomodo homo per Deum, sic Deus per semetipsum. Non est ergo peccatum iurare, sed durum malum est hoc dicere. Et quoniã diximus Deum iurasse, quàm blasphemum est hoc dicere? Iurat Deus qui peccatum non habet. *Non ergo peccatum iurare, sed peierare.* Non est ergo peccatum iurare, sed magis peccatum est peierare. Fortasse quis dicat non esse proponendum de Domino Deo iurationis exemplum. Deus enim est, & fortè illi soli competit iurare, qui non potest peierare. Homines enim falsum iurãt, vel cùm fallunt, vel cùm falluntur. Aut putat homo verum esse quod falsum est, & temerè iurat, aut scit vel putat falsum esse, & tamen pro vero iurat, & nihilominus tamen cum scelere iurat. Distãt autem ista periuria, quæ duo commemoraui. Fac illum iurare, qui verũ putat esse pro quo iurat, verum putat esse, & tamen falsum est. Non ex animo ista periurat: fallitur, hoc pro vero habet quod falsum est, non pro re falsa sciens iurationem interponit. Da alium, quod scit falsum esse, & dicit verum esse, & iurat tanquam verum sit, quod scit falsũ esse. Videtis quàm ista detestãda sit belua, & de rebus humanis exterminanda. Quis enim hoc fieri velit? Omnes homines talia detestantur. Fac alium, putat falsum esse, & iurat tanquam verum sit, & fortè verũ est, verbi gratia vt intelligatis, Pluit in illo loco. Interrogas hominem, & putat non pluisse, & ad negotium ipsius competit, vt dicat pluit, *Ream linguã facit mens rea.* sed putat nõ pluisse. dicitur ei, Verè pluit? Verè, & iurat: & tamen pluit ibi, sed ille nescit, & putat non pluisse. periurus est. Interest quemadmodum verbum procedat ex animo. Ream linguam non facit nisi mens rea. Quis est autẽ qui non fallitur, etsi noluit fallere? Quis homo cui non surrepat fallacia? Et tamen iuratio ab ore non discedit, frequentatur, plura sunt plerunque iuramẽta quàm verba. Si discutiat homo quoties iuret per totum diem, quoties se vulneret, quoties gladio linguæ feriat & trãfigat, quis in illo locus inuenitur sanus? Quia ergo graue peccatum est peierare, compendium tibi dedit Scriptura, Noli iurare. Quid tibi dicturus sum homo? Verum iura? Ecce verũ iura, non peccas: si verum iuras, nõ peccas. Sed homo inter tentationes positus, carne inuolutus, calcãs terram sub terra, dum corpus quod *Sapien. 9.* corrumpitur aggrauat animã, & deprimit terrena inhabitatio, sensum multa cogitãtem, inter ista multa tua incerta cogitata, volatica, cõiecturas humanas, fallacias humanas, quando non subrepit tibi quod falsum est, posito in regione falsitatis? Vis ergo longè esse à periurio? Iurare noli. Qui enim iurat, aliquando verum iurare potest: qui autem non iurat, mẽdacium iurare nunquam potest. Iuret ergo Deus, qui iurat securus, quem nihil fallit, quem nihil latet, qui omnino fallere ignorat, quia nec falli potest. Cùm enim iurat, se adhibet testẽ. Quomodo tu cùm iuras, Deum adhibes testem: sic ipse cùm iurat se adhibet testem. Tu quando illum adhibes testem, fortè supra mendacium tuum accipis in vanum nomen Domini Dei tui. Ne mẽdacium iures ergo, noli iurare. Ipsa est angustia. Periurium præcipitium est. Qui iurat, iuxtà est, qui non iurat, longè est. Peccat & grauiter, qui falsum iurat, non peccat qui verum iurat, Sed nec ille peccat, q̃ omnino nõ iurat. Sed qui non iurat, & non peccat, longè est à peccato: qui autem verum iurat, non peccat, sed propè est ad peccatum. Fac te ambulare in alio loco, vbi à parte dextera spatiosa sit terra, nec vsquam angustias patiaris: à sinistris præceps locus est. Vbi eligis ambulare? Super finem terræ in labio præcipitii, an inde longé? Sic qui iurat in fine ambulat, & ambulat pedibus infirmis, quia humanis. Si offenderis, deorsum is, si lapsus fueris, deorsum is. Et quid te excipit? Periurii pœna. Ergo volebas verum iurare: audi consilium Dei, Noli iurare. Si peccatum esset iuratio, nec in veteri Lege diceretur, Non periurabis, reddes autem Domino *Leuitici. 19*

iusiurandum tuum. Non enim peccatum præciperetur nobis. Sed ait tibi Deꝰ tuus, Si iuraueris nō damnabo, si verum iuraueris nō damnabo: sed nunquid si non iuraueris damnabo? Duo sunt, inquit, quæ non damnabo vnquam, verā iurationem, & nullam iurationem: damno autem falsam iurationem. Falsa iuratio exitiosa est, vera iuratio periculosa est, nulla iuratio secura est. Scio esse difficilem quæstionem, & charitati vestræ fateor semper illam vitaui. Nunc autem cùm die Dominico, debito reddendi sermonis recitaretur eadem lectio, diuinitus mihi inspiratum esse credidi, vt inde tractarem. Hìc me Deus dicere voluit, hinc vos audire. Obsecro ne contemnatis, obsecro vt cor stabiliatis, linguæ mobilitates mutetis. Nō frustra est omnino, non vacat quòd cùm eam, vt dixi, quęstionem semper deuitare voluerim, imposita est necessitati meæ, vt imponatur charitati vestræ. Vt noueritis veram iurationem non esse peccatum, inuenimus & Apostolum Paulum iurasse, Quotidie morior, per vestrā gloriam fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Per vestram gloriam iuratio est. Non enim sic ait, Per vestram gloriam morior, quasi vestra gloria me fecit mori, quomodo si diceret, per venenum mortuus est, vel per gladiū mortuus est, per bestias mortuus est, per inimicū mortuus est, id faciente inimico, faciēte gladio, faciēte veneno, & similia: nō sic dixit Per vestram gloriam. Ambiguitatem Græcus sermo dissoluit. Et ne putemus eum per humanam gloriam iurasse, Quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. Et alio loco iuratio prorsus certa & expressa, Testem Deum inuoco super animam meam, quia parcens vobis nōdum veni Corinthū. Et alio loco ad Galatas, Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. Intendite quæso, & aduertite, & si nō tam plausibilis sermo vobis sit propter angustias quæstionis, vtilis tamen est si ad viscera vestra perueniat. Ecce iurauit Apostolus. Nō vos fallant qui nescio quomodo volentes ipsas iurationes discernere, vel potius non intelligere, dicunt non esse iurationem, quando dicit homo, Scit Deus, Testis est Deus, Inuoco Deum super animam meam, verum me dicere. Inuocauit (inquit) Deum, testem fecit Deū: nunquid iurauit? Qui hæc dicunt, nihil aliud volunt, nisi inuocato Deo teste mentiri. Ita ne verò quisquis es praui cordis & peruersi, si dicas Per Deum, iuras, si dicas Testis est Deus, non iuras? Quid est enim Per Deum, nisi testis est Deus? Aut quid est, Testis est Deus, nisi per Deum? Quid est autem iurare, nisi ius reddere Deo, quando per Deū iuras: ius saluti tuę reddere, quādo per salutem tuam iuras: ius filiis tuis reddere, quando per filios tuos iuras? Quod autem ius debemus saluti nostræ, filiis nostris, Deo nostro, nisi charitatis, veritatis, & non falsitatis? Maximè autem per Deum quum sit, ipsa est vera iuratio: quia & quum dicit quisque, Per meā salutem, salutem suam Deo obligat: quando dicit, Per filios meos, oppignorat Deo filios suos, vt hoc veniat in caput eorum, quod exit de ore ipsius, si verum, verum, si falsum, falsum. Quum ergo filios suos, vel caput suum, vel salutem suam, quisque in iuratione nominans, quidquid nominat obligat Deo, quantò magis quando peierat per ipsum Deum? Timet enim falsum iurare per filium suum, & non timet falsum iurare per Deum suum: fortasis hoc dicens in animo suo, Timeo per filium meum falsum iurare, ne moriatur: Deus autem qui non moritur, etsi falsum per eum iuretur, quid mali contingit? Bene quidem dicit. Nihil mali contingit Deo, quando falsum iuras per Deum. Sed contingit mali multum tibi, qui fallis proximum, cui testem adhibes Deum. Si aliquid teste filio tuo faceres, & amico vel proximo tuo vel cuilibet homini diceres, Non feci, & tangeres filio tuo caput, quo teste fecisti, & diceres, Per huius salutem, quia non feci: exclamaret fortè filius tuus, sub paterna manu tremens, nec tamen paternam manum, sed diuinam tremens. Noli pater, non tibi vilis sit salus mea: Deum super me inuocasti. Ego te vidi: fecisti. noli peierare. Te quidem habeo genitorem, sed plus & tuum & meum timeo Creatorem. Sed quia Deus, quando per eum iuras, non tibi dicit, Ego te vidi: noli iurare: fecisti. sed times ne te iste occidat, tu te antè occidis. Quia ergo non dicit, Ego te vidi, putas quia non vidit? Et vbi est quod dicit, Tacui, tacui: nūquid semper tacebo? Et tamen plerunque dicit, Ego te vidi. Sed aliter quādo vindicat in periurum. sed non in omnes vindicat, ideo homines educātur ad exemplū. Ego scio, ille mihi falsum iurauit & viuit, ille tibi falsum iurauit & viuit, falsum iurauit & viuit. Ille falsum iurauit? tu falleris. Si & tu oculos haberes, vnde mortem huius videres, si & tu in eo quod est mori & non mori, non fallereris, videres huius mortem. Et modò intende Scripturam, & ibi inuenies iacentem quem putas viuētem. Quia pedibus ambulat, quia manibus contrectat, quia oculis videt, & audit auribus, officiis cæteris membrorum satis vtitur, viuentem putas. Viuit, sed corpus eius: mortua est autem anima eius, mortuum est quod melius est. Viuit habitaculum, mortuus est habitator. Quomodo, inquies, cùm viuebat corpꝰ, mortua est anima, cùm corpus nō viueret, nisi viuificatum ab anima? Quomodo ergo mortua est anima, de qua viuit corpus? Audi ergo & discе. Corpus hominis creatura Dei est, & anima hominis creatura Dei est. De anima Deus viuificat carnē, ipsam item animam viuificat de seipso, non de seipsa. Vita ergo corporis anima est, vita animæ Deus est. Moritur corpus cùm recedit anima, moritur ergo anima quum recedit Deus. Recedit anima, cùm corpus percutitur gladio, & putas quia nō recedit Deus, cùm ipsa anima

1. Corinth. 15. Apostolus sæpe iurauit.

2. Corinth. 1.

Galat. 1.

Qui per salutē suam iurat, salutem suā obligat Deo.

Vita animæ Deus, vita corporis anima.

anima feritur periurio? Videre vis quia mortuus est de quo loqueris? Lege Scripturam, Os quod mẽtitur occidit animam. Sed tu præsentem Deum vltorẽ putas. Si ille qui te iuratione falsa deceperit, continuò expiret, si expiret ante oculos tuos, expirauit caro ipsius. Quid est expirauit? Caro ipsius spiritũ quo viuificabatur eiecit, hoc est, expirauit exclusoſpiritu, quo viuebat caro. Peierauit, exclusit Spiritum, quo viuebat anima. Expirauit, sed nescis, expirauit, sed non vides. Carnem enim iacentem sine anima vides, animam miseram sine Deo videre nõ potes. Crede ergo, adhibe oculos fidei. Nemo periurus impunitus, prorsus nemo: cum illo est pœna sua. Si haberet in cubiculo suo tortorẽ carnis, punitus esset: habet in secreto cordis sui tortorem conscientiæ suæ, & impunitus vocatur? Et tamen quid dicis? Viuit, gaudet, luxuriatur, qui mihi mentiendo iurauit. Quid est quòd me mittis ad inuisibilia? Quia & ipse Deus per quem iurauit, inuisibilis est. Iurauit per inuisibilem, feritur pœna inuisibili. Sed viuit (inquit) & quodãmodo scatet & bullit luxuriis. Si hoc ita est, quòd scatet luxuriis, quòd bullit luxuriis, vermes sunt animę mortuę. Denique omnis homo prudẽs, qui tales luxuriantes periuros attendit, sano cordis olfactu auertit se, non vult intueri, non vult videre, nõ vult audire. Vnde scis ista sanitas auertit, nisi quia putet anima mortua? Breuiter ergo audite, fratres mei, cõcludam sermonem, figens in cordibus vestris curam salubrem. Ante omnia nolite iurare. Quare ante omnia? Si magnum est facinus peierare, nulla autem culpa est verum iurare, quare ante omnia nolite iurare? Debuit enim dicere, Ante omnia nolite peierare. Ante omnia, inquit, nolite iurare. Iurare enim peius est quàm furari? Iurare peius est quàm adulterari? Non dico falsum iurare, iurare dico iurare peius est quàm hominẽ occidere? Absit. Hominem occidere, furari, adulterari, peccatũ est. Iurare non est peccatum, sed falsum iurare peccatum est. Quare ergo ante omnia? Isto verbo quod ait Ante omnia, cautos nos fecit aduersus linguam nostram. Ante omnia ait, vt attendatis præ cæteris, vt vigiletis ne surrepat vobis consuetudo iurandi. Tãquam in specula, ita te posuit cõtra te, ante omnia leuauit te super cętera, vnde te attendas. Consydera enim te iurare, Per Deum, per Christum occido illum: & hæc quoties per diem, quoties per horam? Nõ aperis os, nisi à tali iuratione. Nolles vt diceret tibi Ante omnia, vt te aduersus consuetudinẽ intentissimum redderet, vt omnia tua inspiceres, omnes motus linguæ tuæ diligẽtissimè custodires, esses custos malæ consuetudinis tuæ. Ad eam cõstringendã audi, Ante omnia. Dormiebas, pungo, ante omnia spinas admoueo. Quid est ante omnia? Ante omnia vigila, ante omnia intentus esto. Iurauimus & nos, passim habuimus istam teterrimam cõsuetudinem & mortiferam. Dico charitati vestrę, ex quo Deo seruire cœpimus, & quantũ malum sit in periurio vidimus, timuimus vehemẽter, & veternosissimam consuetudinem timore frænauimus. Frẽnatur, restringitur, restricta languescit, languescens emoritur, & malæ consuetudini bona succedit. Denique nõ vobis dicimus nos non iurare. Si enim hoc dicimus, mẽtimur. Quantùm ad me pertinet, iuro: sed quantùm mihi videtur, magna necessitate cõpulsus. Cùm videro non mihi credi nisi faciam, & ei qui mihi non credit, non expedire quòd non credit, hac perpensa ratione & consyderatione librata, cum magno timore dico, Coram Deo, aut testis est Deus, aut scit Christus sic esse in animo meo: & video quia plus est, id est, quia amplius est quàm est, est, non, non. Sed hoc quod amplius à malo est, etsi non à malo iurantis, à malo est nõ credentis. Denique non ait, Si amplius facit, malus est: &, Sit in ore vestro est est, nõ non: si quis amplius facit, malus est: sed, Sit in ore vestro est est, non non: quod autem amplius est, à malo est. Sed quære cuius. Sed tamen aliud habet humana pessima consuetudo. Et cùm tibi creditur, iuras, & cùm nemo exigit, iuras, & horrentibus hominibus iuras, nõ taces iurãdo, vix es sanus non peierando. Nisi fortè putatis fratres, quia si sciret Apostolus Paulus credere sibi Galatas, adderet iurationẽ, & diceret, Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior. Videbat ibi eos qui credebant, videbat & alios qui non credebant. Ergo noli dicere, Non iuro, si fortè exigitur: à malo est enim quod facis, sed illius qui exigit. Nam tu quo modo te purges, non habes, quomodo satisfacias negotio quod instat, non inuenis. Sed aliud est cùm exigitur iuratio, aliud cùm offertur: & hoc ipsũ quod offertur, aliud cùm offertur nõ credenti, aliud cùm vẽtilatur & credẽti. Tene ergo linguam & cõsuetudinem quantùm potes, non quomodo quidam quando illis dicitur, Verum dicis, non credo non feci̇sti, non credo: Deus iudicet, iura mihi. Et ipse qui exigit iurationem, multum interest, si nescit illum falsum iuratũ, an scit. Si enim nescit, & ideo dicit, Iura mihi vt fides ei fiat, non audeo dicere non esse peccatum, tamen humana tẽtatio est. Si autem scit eum fecisse, & nouit fecisse, vidit fecisse, & cogit iurare: homicida est. Ille enim suo periurio se perimit, sed iste manum interficientis & expresit & presit. Quum verò aliquis sceleratus fur audit, Iura si non tulisti, iura si non feci̇sti, ab eo qui nescit an fecit: ille tunc, Christiano non licet iurare: quando ab illo exigitur iusiurandũ, non licet iurare, Christianus sum, nõ mihi licet. Capta talem, auerte te ab illo, dissimula à negotio de quo loqueberis, misce alias fabulas, & inuenies eum millies iurantẽ, q semel iurare noluit. Istã ergo cõsuetudinẽ quotidianã, crebrã, sine causa, nullo extorquẽte, nullo de tuis verbis dubitãte, iurãdi, auertite à vobis, amputate à linguis vestris, circuncidite ab ore vestro. Sed consuetudo est,

Sapient. 1.

Iacob. 5.

De exigentibus iusiurandum.

solet dici. Solet dici quando nō dico? Hoc est, ante omnia. Quid est ante omnia? Præcæteris cautus esto, plus ad hoc intentus esto quàm ad alia. Maior consuetudo maiorem intentionem flagitat, non rei leuis cōsuetudo. Si de manu aliquid faceres, facilius manui tuę imperares ne faceret. Si pedibus aliquò eundum esset, pigritia retardante, excitares te vt surgeres & ires. Lingua facilitatem habet motus, in vdo posita est, facilè in lubrico labitur. Quātò illa citius & facilius mouetur, tātò tu aduersus illā fixus esto. Domabis si vigilabis, vigilabis si timebis, timebis si Christianum te esse cogitaueris. Nā tantum mali habet iuratio, vt qui lapides colunt, timeāt falsum iurare per lapides. Tu non times Deum prę sentem, Deum viuentē, Deum scientem, Deum manētem, Deum in contemptorem vindicantem? Claudit ille templum super lapidem, & it ad domum suam, ipse super Deum suum clausit, & tamen quando illi dicitur, Iura per Iouem, præsentis oculos timet. Et ecce dico charitati vestræ, & qui per lapidē falsum iurat, periurus est. Vnde hoc dico? Quia multi & in hoc falluntur, & putant quia nihil est per quod iurant, non se crimine teneri periurii. Prorsus periurus es, quia per idem quod sanctum putas, falsum iuras. Sed ego illum sanctum non puto. Sanctum putat cui iuras. Non enim quando iuras, tibi iuras, aut lapidi iuras, sed proximo iuras. Homini iuras ante lapidē, sed nunquid ante Deum? Nō te audit lapis loquentem, sed punit te Deus fallentem. Ante omnia ergo, fratres mei, obsecro vos, ne sine causa me Deus hæc loqui compulerit. Dico enim ante ipsum quod dixi, me sæpe quæstionem istam deuitasse. Timui ne monendo & præcipiendo plus reos facerē non audituros. Hodie autem plus timui ne loqui recusarem quod loqui iuberer. Quasi verò paruus sit fructus sudoris huius mei, si omnes qui mihi acclamauerunt, clament & contra se, ne falsum iurent aduersum se. Si tot homines qui me attentissimè audierunt, attenti sint aduersus consuetudinē suam, & admoneant se hodie quum ad domos suas venerint, cùm cōsuetudinem suam, id est, lapsum linguæ repetiuerint, admoneat proximus proximum, Hoc est, quod hodie audiuimus, hoc est quo obstricti sumus.

Qui per lapidē falsum iurat, periurus est.

DE DAEMONIBVS ET MIRACVLIS, MAGIA & VARIIS SUPERSTITIONIBVS.

In Euangelium Ioannis, Tractatu VII.

Immundi spiritus nouerant venturum Iesum Christum: audierant ab Angelis, audierant ex Prophetis, & sperabāt eum venturum. Nam si nō sperabant, vnde clamauerunt, Quid nobis & tibi est? Venisti ante tempus perdere nos? scimus quia sis Sanctus Dei. Venturum sciebant, sed tempus ignorabant.

Marci 1.

Ibidem post pauca.

Fingunt enim spiritus mali vmbras quasdam honoris sibimetipsis, vt sic decipiant eos qui sequuntur Christum. Vsqueadeò fratres mei, vt illi ipsi qui seducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamēta inimici, misceant præcantationibus suis nomen Christi: quia iam nō possunt seducere Christianos, vt dent venenum, addunt mellis aliquantum, vt per id quod dulce est, lateat quod amarum est, & bibatur ad pernitiem, vsqueadeò vt ego nouerim aliquo tempore illius Palleati sacerdotem solere dicere, Et ipse Palleatus Christianus est. Vt quid hoc, fratres, nisi quia aliter nō possunt seduci Christiani? Ne quæratis ergo alibi Christum, quàm vbi se voluit prædicari Christ⁹. Et quomodo vobis voluit prædicari, sic illum tenete, sic in cordibus vestris scribite. Murus est aduersus omnes impetus, & aduersus omnes insidias inimici. Nolite timere, nec tētat ille, nisi permissus fuerit. Cōstat illum nihil facere, nisi permissus fuerit aut missus. Mittitur tanquam angelus malus à potestate dominante. Permittitur quando aliquid petit. Et hoc, fratres, nō fit, nisi vt probētur iusti, puniātur iniusti. Quid ergo times? Ambula in Domino Deo tuo. Certus esto, quod te non vult pati, non pateris: quod te permiserit pati, flagellum corrigētis est, non pœna dānantis. Ad hæreditatem supernam erudimur, & flagellari dedignamur? *Tractatu XIII.*

Incantatores suis carminibus nomen imponent Christi.

Dæmones nihil possunt nisi permittantur.

Nam contra mirabiliarios, vt ita dicam, istos, cautum me fecit Deus meus, dicens, In nouissimis temporibus exurgent pseudoprophetæ, faciētes signa & portenta, vt in errorem inducant (si fieri potest) etiam electos. Ecce prędixi vobis. Ergo cautos nos fecit sponsus, qui & miraculis decipi nō debemus. Aliquādo enim & desertor terret prouintialem, sed vtrùm in castris sit, & aliquid illi profit character ille in quo signatus est, hoc attendit qui terreri & seduci non vult. Teneamus ergo vnitatem fratres mei: præter vnitatem & qui facit miracula nihil est. In vnitate enim erat populus Israel, & non faciebat miracula, præter vnitatem erant Magi Pharaonis, & faciebant similia Moſi. Populus Israel, vt dixi, non faciebat miracula. Qui erant salui apud Deum, qui faciebant, an qui non faciebant? Petrus Apostolus resuscitauit mortuum, Simon Magus fecit multa. Erant ibi multi Christiani, qui non poterant facere, nec quod faciebat Petrus, nec quod faciebat Simon. Sed vnde gaudebant? Quia nomina eorum erant scripta in cælo. Nam & redeuntibus discipulis, Dominus noster Iesus Christus propter fidem Gentium, hoc ait. Dixerunt enim gloriantes ipsi discipuli, Ecce Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis subiecta sunt. Bene quidem confessi sunt, detulerunt honorem nomini Christi. Et tamen quid ait eis? Nolite in hoc gloriari, quia dæmonia vobis subiecta sunt: sed gaudete

Mirabilium qui sunt, Marci 3.

Exod. 7.

dete quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Petrus dæmonia exclusit. Nescio quæ anicula vidua, nescio quis homo qualiscũque laic⁹ habens charitatem, tenens integritatem fidei, non facit hoc. Petrus in corpore oculus est, ille in corpore digitus: in eo tamen corpore est, in quo & Petrus.

Tractatu XVII.

Mirum non esse debet, à Deo factum miraculum. Mirum enim esset si homo fecisset. Magis gaudere quàm mirari debemus, quia Dominus noster & Saluator Iesus Christus homo factus est, quã quòd diuina inter homines De⁹ fecit. Plus est enim ad salutẽ nostrã, quòd factus est propter homines, quàm quod fecit inter homines, & plus est quòd vitia sanauit animarum nostrarum, quàm quòd sanauit languores corporum morituorum.

Maximum miraculorum est Deum hominem factum.

Tractatu XLII.

Hæresis cauenda est Manichęorũ, quæ dicit esse quandam naturam mali, & quandam gentem tenebrarũ cum principibus suis, quæ ausa est pugnare cõtra Deum. Illum verò Deum ne debellaret gens aduersa, regnum eius misisse contra eam, tanquam viscera sua, principes de luce sua, eámque gẽtem fuisse debellatam: vnde diabolus originem ducit. Hinc dicunt ducere originem carnem nostrã, & secundum hoc putant dictum à Domino, Vos ex patre diabolo estis, quòd essent illi vel natura mali, ducentes originem de gente contraria tenebrarum. Sic errant, sic excæcantur, sic seipsos faciunt gẽtem tenebrarum, credendo quod falsum est, contra eum à quo creati sunt.

Tractatu CX.

Christus natura qua Deus est, non Angelis, sed Patri potius ęqualis: gratia verò, qua homo est, quomodo non excedit excellentiam cuiuslibet Angeli, cùm sit vna persona carnis & Verbi? Quanquam non desint qui etiam nos Angelis præferant, quia pro nobis, inquiunt, non pro Angelis mortuus est Christus. Id quid est aliud quàm de impietate velle gloriari? Etenim Christus, sicut ait Apostolus, pro impiis mortuus est. An ideo nos præferimus Angelis, quia cùm & Angeli peccauerint, nihil eis tale vt sanarentur impensum est, quasi aliquid eis vel paruum fuerit impensum, & nobis amplius? Quod etsi factum esset, adhuc quæri posset, vtrùm ideo fuisset factũ quòd steteramus excellentius, an quod desperatius iacebamus. Cùm verò nouerimus bonorum omniũ Creatorem reparandis Angelis malis nihil gratiæ contulisse, cur non potius intelligimus quòd tantò damnabilior eorum sit iudicata culpa, quantò erat natura sublimior? Tãtò enim minus quàm nos peccare debuerunt, quantò meliores nobis fuerũt. Nunc autem in offendendo Creatorem, tantò execrabilius beneficio eius ingrati extiterunt, quantò beneficentius sunt creati. Nec eis satis fuit desertores esse illius, nisi & nostri fierent deceptores.

In Epistolam Ioannis, Tractatu II.

Omne quod est in mundo, desyderium est carnis, & desyderium oculorum, & ambitio seculi. Desyderiũ carnis est, id est, desyderiũ earum rerum quæ pertinẽt ad carnem, sicut cibus & concubitus, & cętera huiusmodi. Et desyderium oculorum. Desyderium oculorum dicit omnem curiositatem. Iam quàm latè patet curiositas ipsa in spectaculis, in theatris, in sacramẽtis diaboli, in magicis artibus, in maleficiis, ipsa est curiositas. Aliquando tentat etiam seruos Dei, vt velint quasi miraculũ facere, tentare vtrùm exaudiat illos Deus. In miraculis curiositas est, hoc est, desyderium oculorum, non est à Patre. Si dedit Deus, fac. Obtulit enim vt facias. Non enim qui non fecerunt, ad regnum Dei non pertinebunt. Cùm gauderent Apostoli quia dæmonia eius subiecta erant, quid eis dixit Dominus? Nolite in hoc gaudere, sed gaudete quoniam nomina vestra scripta sunt in cælo. Inde voluit gaudere Apostolos, vnde gaudes & tu. Væ tibi enim si nomẽ tuum nõ est scriptum in cælo. Nunquid væ tibi si nõ ambulaueris in mari? Nunquid væ tibi si non excluseris dæmonia? Si accepisti hæc vnde facias, vtere humiliter non superbè. Nam & de quibusdam pseudoprophetis dicit Dominus, Quia facturi sunt signa & prodigia.

1. Ioannis 2.

Luc. 10.

Matth. 24. Pseudoprophetæ faciunt signa.

Post pauca ibidem.

Quando tibi suggerit inimicus, Qualis homo, qualis Christianus? Modò vel vnum miraculum fecisti, aut orationibus tuis mortui surrexerunt, aut febricitantes sanasti? Si verè esses alicuius momẽti, faceres aliquod miraculũ: respõde & dic, Scriptũ est, Non tẽtabis Dominũ Deũ tuũ. Non ergo tẽtabo Dominũ, quasi tũc pertineã ad Deũ, si fecero miraculũ, & nõ pertineã si nõ fecero. Et vbi sunt verba eius, Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælo?

Deus non tentandus.

Luc. 10.

In Apocalypsim, Homilia IX.

Absit vt credamus diabolum & angelos eius in cælo ausos esse pugnare, qui in terra vnum Iob ausus non est tentare, nisi cùm à Domino postularet vt læderet.

Homilia X.

Quantò enim diabolus de Sanctis eiicitur, tantò magis eos persequitur.

De verbis Domini secundum Matthæum, Sermon. XVIII.

Post paruum enim tẽpus, posteaquã ab oculis mortalibus recessit Christus, vt firmaretur fides in cordibus, quicũque crediderunt, nõ videntes crediderunt, & magnum meritũ habuit fides eorum, cui fidei comparandæ, cor tantum admouerunt pium, non & palpantem manum. Hæc ergo fecit Dominus vt inuitaret ad fidẽ. Hæc fides nunc feruet in Ecclesia toto orbe diffusa. Et nunc maiores sanitates operatur, propter quas non est dedignatus nunc exhibe-

Quare nũc nõ fiant corporalia miracula.

re illas minores. Sicut enim animus melior est corpore, sic & melior salus animi quàm salus corporis. Modò caro cæca non aperit oculos miraculo Domini, & cor cæcum aperit oculos sermone Domini. Modò non resurgit mortale cadauer, resurgit anima quæ mortua iacebat viuo non cadauere. Modò aures corporis surdæ non aperiuntur, sed quàm multi habent aures clausas cordis, quæ tamen verbo Dei penetrante patescunt, vt credant qui non credebãt, & bene viuant qui malè viuebant, & obediant qui non obediebãt, & dicimus, Ille credidit: ac miramur cùm audim⁹ de iis quos aliquãdo duros noueramus? Cur ergo nunc miraris credẽtem, innocentẽ, Deoseruientem, nisi quia conspicis videntem quem noueras cæcum, conspicis viuentem quem noueras mortuum, conspicis audientem quem noueras surdum? Nam videte aliter mortuos, de quibus mortuis dicebat Dominus cuidam ideo tardanti ne Dominum sequeretur, quia sepelire patrem volebat, Sine (inquit) mortuos sepelire mortuos suos.

Miracula in spiritu.

Matth. 8.

Serm. VII. de tempore.

Qualescũque potest diabolus ad malum inuitare, non potest trahere: delectationem infert non potestatẽ, consilium ingerit non conflictũ.

Serm. XCVI. de tempore.

Sermo Dei aduersarius tuus est. Quare aduersarius tuus est? Quia contraria iubet quæ tu facis. Dicit tibi, Vnus est Deus tuus, vnum Deũ cole. Tu vis dimisso vno Deo tuo, tãquã legitimo viro animæ, fornicari per multa dæmonia. Et quod est grauius, nõ quasi apertè deserens & repudians, sicut apostatæ faciunt, sed tanquam manens in domo viri tui, admittis adulteros, id est, tanquam Christianus non dimittis Ecclesiam, consulis Mathematicos, aut haruspices, aut augures, aut maleficos, quasi de viri domo non recedens adultera anima, & manens in eius coniugio fornicaris.

Sermo Dei aduersarius noster.

Serm. CCXV. de tempore.

Quum ergo duplicia bona possint in Ecclesia inueniri, quare per præcantatores, per fontes & arbores & diabolica filateria, per characteres & haruspices, & diuinos vel sortilegos, multiplicia sibi mala miseri homines conantur inferre? Sicut iam suprà diximus, filios & omnes filias vestras admonete, fratres, semper, vt castè & iustè & salubriter viuant. Nec solùm eos verbis, sed etiam exemplis ad bona opera prouocate.

Post pauca ibidem.

Et si qui quando luna obscuratur, adhuc aliquos clamare cognoscitis, & ipsos admonete, denuntiantes eis quòd graue sibi peccatum faciunt, quando luna Deo iubente certis temporibus obscuratur, clamorib⁹ suis à maleficiis sacrilego ausu se defensare posse cõfidunt. Et si adhuc videtis aliquos, aut ad fontes, aut ad arbores vota reddere, & sicut iam dictum est, sortilegos etiã & diuinos vel præcãtatores inquirere, filateria etiã diabolica & characteres, aut herbas vel succos sibi aut suis appẽdere, durissimè tanta eorũ peccata increpãtes dicite, quia quicũque fecerit hoc malum, perdit Baptismi sacramẽtum. Et quia audiuimus quòd aliquos viros aut mulieres ita diabolus circũueniat, vt quinta feria nec viri opera faciãt, nec mulieres lanificium: coram Deo & sanctis Angelis eius cõtestamur, quia quicũque hoc obseruare voluerint, nisi per prolixam & duram pœnitentiam, tale sacrilegium emẽdauerint, vbi arsurus est diabolus, ibi & ipsi damnãdi sunt. Isti enim infelices & miseri, qui in honore Iouis quinta feria opera non faciunt, non dubito quòd ipsa opera die Dominica facere nec erubescũt nec metuunt. Et ideo quoscunque tales inueneritis esse, durissimè castigate. Et si se emẽdare noluerint, nec ad colloquium nec ad conuiuium vestrum eos venire permittite.

Notæ manifestæ superstitiones.

Serm. CCXLI. de tempore.

Bene nostis, fratres charissimi, me vobis frequentius supplicasse, & paterna solicitudine cõmonuisse pariter & contestatos esse, vt illas sacrilegas Paganorum cõsuetudines obseruare minimè deberetis. Sed quantũ ad me multorum relatione peruenit, apud aliquos parum proficit admonitio mea, quia si vobis ego non dixero & pro me & pro vobis malam sum redditurus rationẽ in die iudicii, & vobiscũ mihi erit necesse ęterna supplicia sustinere. Ego me apud Deum absoluo, dum iterũ atque iterum admoneo pariter & cõtestor, vt null⁹ ex vobis carragos vel diuinos sortilegos requirat, nec de qualibet eos aut causa aut infirmitate interroget. Nullus sibi præcãtatores adhibeat: quia quicunque fecerit hoc malum, statim peribit Baptismi sacramentum, & continuò Paganus & sacrilegus efficitur, & nisi grandi eleemosyna, & dura & prolixa pœnitẽtia subuenerit, statim in æternum peribit. Similiter & auguria obseruare nolite, nec in itinere positi, aliquas auiculas cantãtes attendite, nec ex illarum cantu diabolicas diuinationes annuntiare præsumite. Nullus ex vobis obseruet qua die de domo exeat, qua die iterum reuertatur: quia omnes dies Deus fecit, sicut Scriptura dicit, Et factus est primus dies & secundus dies & tertius, similiter & quartus & quintus & sextus & sabbathum. Et illud, Fecit Deus omnia bona valde. Illas verò non solùm sacrilegas, sed etiam ridiculosas sternutationes consyderare & obseruare nolite: sed quoties vobis in quacunque parte fuerit necessitas properandi, signate vos in nomine Iesu Christi, & symbolum vel orationem Dominicam fideliter dicentes, securi de Dei adiutorio iter agite.

Incantatores & diuinum consulendi.

Auguria non attendenda.

Gen. 1.

Ibidem post pauca.

Sed fortè dicet aliquis, Quid faciemus eò quòd auguria ipsa, & carragi vel diuini frequẽter nobis vera annuntiant? De hac re contestatur nos Scriptura, & monet dicens, Etiam si qua

Etsi diuini vera prædixerit, non est ea credendum.

qua vobis vera dixerint, nolite credere illis. Tentat enim vos Dominus Deus vester, vtrùm timeatis eum, an non. Sed iterum dicis, Aliquoties si præcãtatores non fuerint, aut de morsu serpẽtis, aut de alia qualibet infirmitate propè vsque ad mortem multi periclitantur. Verũ est fratres charissimi, quia permittit hoc Deus diabolo, sicut iam suprà dixi, ad probandum Christianum, vt quum interdum per illa sacrilegia, aliqua remedia in illa infirmitate percipere, & aliquid verum potuerint agnoscere, facilius propterea diabolo credant. Sed qui totam religionem Christianam desyderat custodire, oportet vt hęc omnia tota animi virtute contemnat, timens illud quod ait Apostolus increpans, Dies & menses & tempora obseruatis: timeo ne sine causa laborauerim in vobis. Ecce Apostolus dicit, quòd qui auguria obseruauerit, sine causa doctrinam eius suscipiet. Et ideo quantũ potestis circunuentiones diaboli fugite. Et illud ante omnia scitote fratres, quòd nec vosipsos, nec eos qui ad vos pertinent, nec animalia vestra, nec reliquam substantiam vel in paruis rebus diabolus potest lædere, nisi quãtum à Deo potestatem acceperit, quomodo nec sancti Iob facultatem ausus fuit subuertere, nisi Domino permittente. Et sicut in Euangelio legimus, quando ab hominibus expulsi sunt dæmones, rogauerũt vt vel in porcos ire permitterentur. Si in porcos nõ sunt ausi intrare dæmones, nisi à Deo permissionem acciperent, quis ita erit infidelis, vt eos bonos Christianos credat posse lædere, nisi Deus propria dispensatione permitteret? Permittit autem hoc Deus ex duabus causis, vt aut nos probet, si boni simus, aut corrigat, si peccatores. Sed qui patienter dispẽsationem Domini tolerauerit, sicut iam dixi, quando aliquid perdiderit, dicit, Domin⁹ dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.

Galat. 4.

Iob 1.

Matth. 8.

Deus aliquã do dæmonem permittat lædere nostra.

Iob 1.

Lib. II. de ciuitate Dei, Cap. X.

Maligni spiritus, quos isti deos putant, etiam flagitia quæ non admiserint de se dici volunt, dum tamen humanas mentes his opinionibus velut retibus inducãt, & ad prædestinatum supplicium secum trahãt, siue homines ista commiserint, quos deos haberi volunt, qui humanis erroribus gaudent, pro quibus etiam se colendos mille nocendi fallendíque artibus interponunt, siue etiam nonnullorũ hominum crimina illa vera sint, quę tamen de numinibus fingi libenter accipiunt fallacissimi spiritus, vt ad scelesta ac turpia perpetranda, velut ab ipso cælo traduci in terras satis idonea videatur auctoritas.

Eodem libro, Cap. XXIII.

Dæmones hic nihil possunt sine Deo.

Dæmones etsi aliquid in iis rebus inferioribus possunt, tantum possunt, quantum secreto Omnipotentis arbitrio permittũtur, ne magnipendamus terrenam felicitatem, quæ sicut Mario, malis etiam plerunque conceditur: nec eam rursus quasi malã arbitremur, cùm etiam in ea multos pios ac bonos vnius Dei veri cultores, inuitis dæmonibus præpolluisse videamus, nec eosdem immundissimos spiritus, vel propter hæc ipsa bona maláve terrena propitiandos aut timendos existimemus: quia sicut ipsi mali homines in terra, sic etiam illi non omnia quæ volunt facere possunt, nisi quantum illius ordinatione sinuntur, cuius plenè iudicia nemo comprehendit, nemo reprehendit iustè.

Cap. XXIIII.

Dæmonũ præsligiæ in bello ciuili.

Sylla cùm venisset Tarentum, atque ibi sacrificasset, vidit in capite vitulini iecoris similitudinẽ coronæ aureæ. Tum Posthumius haruspex ille respõdit, præclaram ei victoriam significari, iussítque vt extis illis solus vesceretur. Postea paruo facto interuallo, seruus cuiusdam Lucii Pontii, vaticinando clamauit, A Bellona nuntius venio: victoria tua est, Sylla. Deinde adiecit, arsurum esse Capitoliũ. Hoc cùm dixisset, continuò egressus è castris, postera die concitatior regressus est, & Capitolium arsisse clamauit. arserat autem reuera Capitolium. Quod quidem dæmoni & prouidere facile fuit, & celerrimè nuntiare. Illud sanè attẽde, quod ad causam maximè pertinet, sub qualibus diis cupiant esse, qui blasphemant Saluatorem, voluntates fidelium à dominatu dæmonum liberantem.

Cap. XXVI.

Versutiæ dæmonum.

Tãta vis est ꝓbitatis ac castitatis, vt omnis vel penè omnis eius laude moueatur humana natura, nec vsqueadeò sit turpitudine vitiosa, vt totum amittat sensum honestatis. Proinde malignitas dæmonum, nisi alicubi se, quemadmodum scriptum in nostris literis nouimus, trãsfiguret in Angelos lucis, non implet negotium deceptionis. Foris itaque populis celeberrimo strepitu impietas impura circunsonat, & intus paucis castitas simulata vix sonat. Præbentur propatula pudendis & secreta laudandis. Decus latet, & dedecus patet. Quod malum geritur, omnes conuocat spectatores, quod bonum dicitur, vix aliquos inuenit auditores. Tanquam honesta erubescenda sunt, & inhonesta glorianda. Sed vbi hoc, nisi in dęmonum templis? Vbi nisi in fallaciæ diuersoriis? Illud enim fit vt honestiores, qui pauci sũt, capiantur, hoc autem, ne plures, qui sunt turpissimi, corrigantur.

2. Corinth. 11.

Libro IIII. Cap. XXVI.

Furiæ Romanorum in suis sacris.

Quis non videat qui sanum sapit, subditos homines malignis dæmonibus, à quorum dominatione non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, vi cõpulsos esse exhibere talibus diis, quæ recto consilio poterant turpia iudicari? In illis certè ludis scenicis poetica numinum crimina frequentantur, qui ludi cogentibus numinibus, iussu Senatus Romani instaurabantur.

Lib.V.Cap.I.

Contra Astrologiæ impietas

Illi verò qui positionem stellarum quodã modo decernẽtium qualis quisque sit, & quid ei ,pueniat boni, quidve mali accidat, ex Dei voluntate suspẽdunt: si easdem stellas putant habere hãc potestatem traditam sibi à summa illius potestate, vt volentes ista decernant,magnam cælo faciunt iniuriam, in cuius velut clarissimo senatu,ac splendidissima curia,opinantur scelera facienda decerni, qualia si aliqua terrena ciuitas decreuisset,genere humano decernente fuerat euertenda. Quale deinde iudicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus cælestis necessitas adhibetur, cùm Dominus ille sit & syderum & hominum? Aut si non dicunt stellas, accepta quidem potestate à summo Deo,arbitrio suo ista decernere, sed in talibus necessitatibus ingerendis, illius omnino iussa complere, itáne de ipso Deo sentiendum est, quod indignissimum visum est de stellarum voluntate sentire? Quòd si dicuntur stellæ significare potius ista quàm facere, vt quasi locutio quędã sit illa positio, prædicẽs futura nõ agens(non enim mediocriter docto rum hominum fuit ista sententia)non quidem ita solent loqui Mathematici,vt,verbi gratia, dicant,Mars ita positus homicidam significat, sed homicidam non facit.

Eodem lib.Cap.VII.

Iam illud quis ferat, quòd in eligendis diebus, noua quædam suis actibus fata moliuntur? Non erat videlicet ille ita natus, vt haberet admirabilem filium,sed ita potius vt cõtemptibilem gigneret,& ideo vir doctus elegit horã qua misceretur vxori. Fecit ergo fatũ quod non habebat,sed ex ipsius fato cœpit esse fatale, quod in eius natiuitate non fuerat. O stultitiam singularem! Eligitur dies vt ducatur vxor, credo propterea, quia potest in diem non bonum, nisi eligatur incurri, & infeliciter duci. Vbi est ergo quòd nascenti iam sydera decreuerunt? An potest homo quod ei iam constitutũ est diei electione mutare, & quod ipse in eligendo die constituerit, non poterit ab alia potestate mutari? Deinde si soli homines. non autem omnia quæ sub cælo sunt, cõstellationibus subiacent,cur alios eligunt dies accõmodatos ponẽdis vitibus vel arboribus vel segetibus, alios dies pecoribus vel domãdis vel admittẽdis maribus, quibus equarum vel boũ fœtentur arméta,& cætera huiusmodi? Si autem propterea valẽt ad has res dies electi, quia terrenis omnibus corporibus, siue animantibus siue non animantibus,secundum diuersitates temporalium momentorum & syderum positio dominatur,consyderẽt quàm innumerabilia sub vno temporis puncto vel nascãtur vel oriantur, vel inchoentur, & tam diuersos exitus habeãt, vt istas obseruationes cuiuis puero ridendas esse persuadeant. Quis est enim tam excors, vt audeat dicere omnes arbores, omnes herbas, omnes bestias, serpentes, aues, pisces, vermiculos,momenta nascendi singillatim habere diuersa? Solent tamen homines ad tentandam peritiam Mathematicorum,afferre ad eos cõstellationes mutorum animaliũ,quorum ortus propter hanc explorationem domi suæ diligenter obseruant, eósque Mathematicos præferunt cæteris,qui cõstellationibus his inspectis dicunt non esse hominem natum, sed pecus. Audẽt etiam dicere quale pecus, vtrùm aptum lanificio,an vectationi,an aratro,an custodiæ domus. Nã & ad canina fata tentantur, & cùm magnis admirantiũ clamoribus ista respondent. Sic desipiunt homines,vt existimẽt cùm homo nascitur,& cæteros rerum ortus ita inhiberi, vt cum illo sub eadem cæli plaga nec musca nascatur. Nam si hanc admiserint,procedit ratiocinatio, quæ gradatim accessibus modicis eos à muscis ad camelos elephantósque perducat. Nec illud volũt aduertere,quòd electo ad seminandum agrum die, tam multa grana in terra simul veniunt, simul germinant, & exorta segete simul herbescunt, pubescunt, flauescũt: & tamen inde spicas cæteris coæuas, atque, vt ita dixerim, congerminales, alias rubigo interimit, alias aues depopulantur, alias homines auellunt. Quomodo istis alias constellationes fuisse dicturi sunt,quas tam diuersos exitus habere conspiciunt? An eos pœnitebit his rebus dies eligere, eásque ad cælestem negabunt pertinere decretum, & solos syderibus subdent homines, quibus solis in terra Deus dedit liberas voluntates? His omnibus consyderatis,non immeritò creditur,cùm Astrologi mirabiliter multa vera respondeant, & occulto instinctu fieri spirituum nõ bonorum,quorum cura est has falsas & noxias opiniones de astralibus fatis inserere humanis mentibus atque firmare, non Horoscopi notati & inspecti aliqua arte,quæ nulla est,&c.

Contra Mathematicos.

Libro Septimo,Cap.XXXV.

Nam & ipse Numa Pompilius, ad quem nullus Dei Propheta, nullus sanctus Angelus mittebatur, Hydromantiam facere compulsus est, vt in aqua videret imagines deorum, vel potius ludificationes dæmonum, à quibus audiret quid in sacris constitueret atque obseruare deberet. Quod genus diuinationis idem Varro à Persis dicit allatum,quo & ipsum Numam,& postea Pythagoram philosophum vsum fuisse commemorat,vbi adhibito sanguine etiam inferos perhibet suscitari, & Necromãtiam Græcè dicit vocari. Quæ siue Hydromantia siue Necromantia dicatur,idipsum est, vbi videntur mortui diuinare. Quibus hæc artibus fiant,ipsi viderint. Nolo enim dicere has artes etiam ante nostri Saluatoris aduentum,in ipsis ciuitatibus,gentium legibus solere prohiberi, & pœna seueriſsima vindicari. Nolo,inquam,hoc dicere: fortasis enim tunc talia licebãt. His tamẽ artibus didicit sacra illa Pompi-

De Hydromantia.

De Necromantia.

Pompilius, quorum sacrorum facta prodidit, causas obruit: ita timuit & ipse quod didicit. quarum causarum proditos libros Senatus incendit. Quid mihi ergo Varro illorum sacrorum alias nescio quas causas velut physicas interpretatur, quales si libri illi habuissent, non vtique arsissent, aut & istos Varronis ad Cæsarem Pontificem scriptos atque editos, Patres Conscripti similiter incendissent? Quòd ergo aquâ egesserit, id est, exportauerit Numa Pompilius, vnde Hydromantiâ faceret: ideo Nympham Egeriam coniugẽ dicitur habuisse, quẽadmodum in supradicto libro Varronis exponitur. Ita enim solẽt res gestæ aspersione mendaciorũ in fabulas verti. In illa igitur Hydromãtia curiosissimus ille rex Romanus, & sacra didicit, quæ in libris suis Pontifices haberent, & eorum causas, quas præter se neminem scire voluit. Itaque eas seorsum scriptas secum quodammodo mori fecit, quando ita subtrahẽdas hominum notitiæ sepeliẽdásque curauit. Aut ergo dæmonum illic tam sordidæ & noxiæ cupiditates erant conscriptæ, vt ex his tota illa Theologia ciuilis, etiã apud tales homines execrabilis appareret, qui tã multa in ipsis sacris erubescenda susceperant, aut illi omnes nihil aliud quã homines mortui prodebantur, quos tam prolixa vetustate temporis ferè omnes populi gentium deos immortales esse crediderãt: quum & talibus sacris iidem illi dæmones oblectarentur, qui se colendos pro ipsis mortuis, quos deos putari fecerant, quibusdã fallacium miraculorum attestationibus supponebãt. Sed occulta veri Dei prouidentia factum est, vt & Pompilio amico suo illis conglutinati artibus, quibus Hydromantia fieri potuit, cuncta illa confiteri permitterentur, & tamen vt moriturus incenderat ea potius quàm obruerat, admonere non permitterentur: qui ne innotescerent, nec aratro quo sunt eruta obsistere potuerunt, nec stylo Varronis, quo ea quæ de hac re gesta sunt, in nostram memoriã peruenerunt. Non enim possunt quod non sinũtur efficere. Sinuntur autem alto Dei summi iustóque iudicio, pro meritis eorum, quos ab eis vel affligi tãtùm, vel etiam subiici ac decipi iustum est. Quàm verò pernicioſæ vel à cultu veræ diuinitatis alienæ illæ literæ iudicatæ sunt, hinc intelligi potest, quòd eas maluit senatus incẽdere, quas Pompilius occultauit, quàm timere quod timuit, qui hoc audere non potuit. Qui ergo nec felicem in futuro vitam, nec modò habere vult piam, talibus sacris mortẽ quærat æternam. Qui autem cum malignis dæmonibus non vult habere societatem, non superstitionem, qua colũtur, noxiam pertimescat: sed veram religionem, qua produntur & vincũtur agnoscat.

Libros Pompilij aratro eruti senatus incendit.

Libro VIII. Cap. XIIII.

Apulcius Platonicus Madaurensis librum scripsit, cuius titulum esse voluit De deo Socratis, vbi disserit & exponit, ex quo genere numinum, numen sibi Socrates habebat adiunctum, & amicitia quadam conciliatum, à quo perhibetur solitus admoneri, vt desisteret ab agendo, quãdo id quod agere volebat, prosperè non fuerat euenturum.

Dæmonis Socratis.

Ibidem.

Omnium, inquiunt, animalium, Platonici, in quibus est anima rationalis, tripartita diuisio est, in deos, homines, & dæmones. Dii excellentissimum locum tenent, homines infimum, dæmones medium. Nam deorum sedes in cælo est, hominum in terra, in aere dæmonum. Sicut eis diuersa dignitas est locorum, ita etiam naturarum. Proinde dii sunt hominibus, dæmonibúsque potiores: homines verò infra deos & dæmones constituti sunt, vt elementorum ordine, sic differentia meritorum. Dæmones igitur medii, quẽadmodum diis quibus inferius habitant postponẽdi, ita hominibus superius, quibus præferendi sunt. Habẽt enim cum diis communem immortalitatem corporum, animorum autẽ cum hominibus passiones. Quapropter non est mirum (inquiunt) si etiam ludorum obscœnitatibus & poetarum figmentis delectantur: quandoquidẽ & humanis capiuntur affectibus: à quibus dii lõgè absunt, & modis omnibus alieni sunt. Ex quo colligitur, Platonem poetica detestando & prohibendo figmenta, nõ deos, qui omnes boni & excelsi sunt, priuasse ludorũ scenicorum voluptate, sed dæmones.

Platonicorum animalium rationabilium diuisio.

Cap. XV.

Quamobrem absit vt ista consyderans animus veraciter religiosus, & vero Deo subditus, ideo arbitretur dæmones seipso esse melio res, quòd habeant corpora meliora: alioquin multas sibi & bestias prælaturus est, quæ nos & acrimonia sensuũ, & motu facillimo atque celerrimo, & valentia virium, & annosissima firmitate corporum vincunt. Quis hominum videndo æquabitur aquilis & vulturibus? Quis odorãdo canibus? Quis velocitate leporibus, ceruis, auibus omnibus? Quis multum valendo leonibus & elephantibus? Quis diu viuendo serpentibus, qui etiam depositâ tunica senectutem deponere, atque in iuuentutem redire perhibentur? Sed sicut his omnibus ratiocinãdo & intelligendo meliores sumus, ita etiã dæmonibus bene atque honestè viuendo meliores esse debemus. Ob hoc enim & prouidentia diuina eis, quibus nos constat esse potiores, data sunt quædam potiora corporum munera, vt illud quo eis præeminemus, etiam isto modo nobis commendaretur multò maiore cura excolendum esse, quàm corpus, ipsamque excellentiam corporalẽ, quam dæmones habere nosscemus, præ bonitate vitæ, qua illis anteponimur, contemnere disceremus, habituri & nos immortalitatem corporum, non quam supplicium æternitas torqueat, sed quam puritas præcedat animorum. Iam verò de loci altitu-

Animalia sensuum acrimonia, tum viribus hominis præeunt.

dine, quē dæmones in aere, nos autem habitamus in terra, ita permoueri, vt hinc eos nobis esse præponendos existimemus, omnino ridiculum est. Hoc enim pacto nobis & omnia volatilia præponimus.

Eodem Lib. Cap. XVI.

Apuleii sententia de Dæmonibus.

De moribus ergo dæmonum cùm idem Platonicus loqueretur, dixit eos eisdē quibus homines animi perturbationib⁹ agitari, irritari iniuriis, obsequiis donisque placari, gaudere honoribus, diuersis sacrorum ritibus oblectari, & in eis si quid neglectum fuerit cōmoueri. Inter cætera etiam dicit ad eos pertinere diuinationes augurum, haruspicum, vatum atque somniorum, ab iis quoque esse miracula magorum. Breuiter autē eos definiens ait, Dæmones esse genere animalia, animo passiua, mēte rationalia, corpore aerea, tempore æterna. Horum verò quinque, tria priora illis esse quę nobis, quartum ppriū, quintū eos cum diis habere cōmune. *Cap. XIX.*

De impietate artis magicæ

Porrò aduersus magicas artes, de quibus quosdam nimis infelices & nimis impios etiā gloriari libet in nomine dæmonum, ipsam publicam lucē testem citabo. Cur enim tam grauiter ista plectuntur seueritate legum, si opera sunt numinum colendorum? An fortè istas leges Christiani instituerunt, quibus artes magicæ puniuntur, secundum quem alium sensum, nisi quod hæc maleficia generi humano pernitiosa esse nō dubiū est? Ait Poeta clarissimus,

Virgil. in AEneid. 4

Testor chara deos, & te germana, tuúmque
Dulce caput, magicas inuitam accingier artes.

Illud etiam quod alio loco de iis artibus dicit idem Poeta,

Bucol. AEglog. 8

Atque satas, alió vidi traducere messes.

Eò quòd hac pestifera sceleratáque doctrina, fructus alieni in alias terras transferri perhibē tur, nonne in duodecim tabulis, id est, Romanorum antiquissimis legibus Cicero cōmemorat esse cōscriptum, & ei qui hoc fecerit supplicium constitutum? Postremò ipse Apuleius nunquid apud iudices Christianos de magicis artibus accusatus est? Quas vtiq; sibi obiectas, si diuinas & pias esse nouerat, & diuinarum potestatum operibus cōgruas, nō solùm eas confiteri debuit, sed etiā profiteri, leges culpans potius, quibus hæc prohiberētur, & damnada putarentur, quæ haberi miranda & veneranda oporteret. Ita enim vel sentētiam suam persuaderet iudicib⁹, vel si illi secundū iniquas leges saperent, eúmque talia prædicantem atque laudantem morte mulctarēt, digna animę illius dæmones dona rependerent, pro quorum diuinis operibus prædicandis, humanam vitam sibi adimi non timeret. Sicut Martyres nostri, cùm eis pro crimine obiiceretur Christiana religio, qua nouerant se fieri saluos & glorioſissimos inæternum, non eam negando temporales pœnas euadere delegerunt, sed potius confitendo, profitendo, prædicando, & pro hac omnia fideliter fortitérq; tolerando, & cū pia securitate moriendo, leges quibus prohibebātur erubescere compulerunt, mutarique fecerūt. Huius autem philosophi Platonici copiosissima & disertissima extat oratio, qua crimen artium magicarum à se alienum esse defendit, neque aliter non vult innocentem videri, nisi ea negando, quæ non possunt ab innocēte committi. At omnia miracula magorum, quos rectè sentit esse damnādos, doctrinis fiunt & operibus dæmonum, quos viderit cur censeat honorādos esse, necessarios eos asserens perferēdis ad deos nostris precibus, quorum debemus opera deuitare, si ad Deum verum preces nostras volumus peruenire. Deinde quæro quales preces hominum diis bonis per dæmones allegari putent, magicas, an licitas? Si magicas, nolunt tales: si licitas, nolunt per tales. Si autem peccator pœnitens preces fundit, maximè si aliquid magicum admisit, itáne tandem illis intercedentibus accipit veniam, quibus impellentibus aut fauentibus se cecidisse plangit in culpam? An & ipsi dæmones, vt possint pœnitentibus mereri indulgentiam, priores agunt, quòd eos deceperint, pœnitentiam? Hæc nemo vnquam de dæmonibus dixit, quia si ita esset, nequaquam sibi auderēt diuinos honores expetere, qui pœnitendo desyderarent ad gratiam veniæ peruenire. Ibi enim est detestanda superbia, hic humilitas miseranda.

Magorum miracula.

Eodem libro, Cap. XXII.

Natura dæmonum.

Dæmones esse credendum est spiritus nocendi cupidissimos, à iustitia penitus alienos, superbia tumidos, inuidentia liuidos, fallacia callidos, qui in hoc quidem aere habitāt, quia de cæli superioris sublimitate deiecti, merito ir regressibilis trāsgressionis, in hoc sibi cōgruo velut carcere prædamnati sunt. Nec tamē quia supra terram & aquas aeri locus est, ideo & ipsi sunt meritis superiores hominibus, qui eos non terreno corpore, sed electo in auxilū Deo vero, pia mente facillimè superant. Sed multis planè participatione veræ religionis indignis, tanquam captis subditisque dominātur, quorum maximæ parti mirabilibus & fallacibus signis, siue factorum, siue prædictorū deos se esse persuaserunt. Quibusdā verò vitia eorum attentius & diligentius intuentibus, non potuerunt persuadere quòd dii sint: atque ideo inter deos & homines, inter nūtios ac beneficiorum interpretatores se esse finxerunt. Si tamen nō istum saltem honorem homines eis deferēdum putarunt, qui illos nec deos esse credebāt, quia malos videbant: deos autem omnes bonos volebant, nec audebant tamen omnino indignos dicere honore diuino, maximè ne offenderent populos, à quibus eis cernebant inueterata superstitione per tot sacra & templa seruiri.

Dæmones in aere habitant.

Libro IX. Cap. II.

Quidam boni & mali sint dæmones & de eorum meritis.

Apud plerosque enim vsitatum est dici alios bonos, alios malos dæmones, quæ siue sit etiam Platonicorum philosophorum, siue quorunlibet

runlibet ſententia nequaquam negligenda eſt eius diſcuſsio,ne quiſquam velut dæmones bonos ſequẽdos ſibi eſſe arbitretur, per quos tãquam medios, diis, quos omnes bonos credit, dum conciliari affectat & ſtudet, vt quaſi cum eis poſsit eſſe poſt mortem, irretitus malignorum ſpirituum,deceptúſque fallacia,longè aberret à vero Deo,cum quo ſolo,& in quo ſolo, & de quo ſolo anima humana,id eſt, rationalis & intellectualis beata eſt.

Cap.III.

Quæ igitur eſt differentia dæmonum bonorum & malorum? quandoquidẽ Platonicus Apuleius de his vniuerſaliter diſſerens, & tam multa loquens de aereis eorum corporibus, de virtutibus tacuit animorũ, quibus eſſent præditi,ſi boni eſſẽt. Tacuit ergo beatitudinis causam,iudicium verò miſeriæ tacere non potuit, confitens eorum mentem, qua rationales eſſe perhibuit, non ſaltem imbutam munitámque virtute,paſsionibus animi irrationabilibus ne quaquam cedere, ſed ipſam quoque ſicut ſtultarum mentium mos eſt, procelloſis quodammodo perturbationibus agitari.

Cap.VI.

Subiecta eſt ergo mens dæmonum paſsionibus libidinum, formidinum, irarum, atque huiuſcemodi cæteris.

Eodem libro,Cap.XVIII.

Dæmonum fallacia.

Falſi illi fallacéſque mediatores dæmones, qui quum per ſpiritus immunditiam miſeri ac maligni multis affectibus clareant, per corporalium tamẽ locorum interualla, & per aereorum corporum leuitatẽ,à proiectu animorum nos auocare atque auertere moliũtur, non viã præbent ad Deum, ſed ne via teneatur impediũt: quãdoquidẽ & in ipſa via corporali,quæ falſiſsima eſt& pleniſsima erroris,qua non iter agit iuſtitia, quoniam non per corporalem altitudinem,ſed per ſpiritalem,hoc eſt,incorporalem ſimilitudinem ad Deum debemus aſcendere,in ipſa tamen corporali via, quam dæmonum amici per elementorum gradus ordinant, inter æthereos deos& terrenos homines,aereis dæmonibus mediis conſtitutis, hoc deos opinantur habere præcipuum, vt propter hoc interuallum locorum, contrectatione non contaminentur humana. Ita dæmones contaminari potius ab hominibus,quàm homines mundari à dæmonibus credunt, & deos ipſos contaminari potuiſſe, niſi loci altitudine munirentur. Quis tam infelix eſt, vt iſta via mundari ſe exiſtimet, vbi contaminantes homines, dæmones contaminati,dii contaminabiles prædicantur: & non potius eligat viam, vbi contaminantes magis dæmones euitentur,& ab incontaminabili Deo ad ineũdam ſocietatem incontaminatorum Angelorũ, homines à contaminatione mundentur?

Cap.XIX.

Sed ne de verbis etiam nos certare videamur, quoniam nõnulli iſtorum, vt ita dixerim, dæmonicolarum, in quibus & Labeo eſt, eoſdem perhibent ab aliis angelos dici, quos ipſi dæmones nuncupant: iam mihi de bonis Angelis aliquid video aſſerendum,quos iſti eſſe non negant, ſed eos bonos dæmones vocare, quàm angelos malunt. Nos autem ſicut Scriptura loquitur, ſecũdum quam Chriſtiani ſumus, Angelos quidem partim bonos,partim malos,nũquam verò bonos dæmones legimus. Sed vbicunque illarum literarum hoc nomen poſitum reperitur, ſiue dæmones ſiue dæmonia dicantur, non niſi maligni ſignificantur ſpiritus. Et hanc loquendi conſuetudinem in tantum populi vſquequaque ſecuti ſunt, vt eorum etiam qui Pagani appellantur,& deos multos ac dæmones colendos eſſe contẽdunt, nullus ferè ſit tam literatus ac doctus, qui audeat in laude vel ſeruo ſuo dicere, Dæmonẽ habes: ſed quilibet hoc dicere voluerit, non ſe aliter accipi quàm maledicere voluiſſe,dubitare non poſsit. Quæ igitur nos cauſa compellit,vt poſt offenſionem aurium tam multarum,vt iam penè ſint omniũ qui hoc verbum non niſi in malam partem audire conſueuerunt,quod diximus cogamur exponere, quum poſsimus Angelorum nomine adhibito,eandem offenſionẽ, quæ nomine dæmonum fieri poterat,euitare?

Dæmonibus nõ niſi maligni ſpiritus ſignificatur.

Cap.XX.eodem libro.

Quanquam etiam ipſa origo huius nominis, ſi diuinos intueamur libros, aliquid affert cognitionis digniſsimum.Dæmones enim dicuntur(quoniam vocabulũ Græcum eſt)ob ſcientiam nominati. Apoſtolus autem Spiritu ſancto loquutus ait, Scientia inflat,charitas verò ædificat. Quod rectè aliter non intelligitur, niſi ſciẽtiam tunc prodeſſe cùm charitas ineſt: ſine hac autem inflare, id eſt, in ſuperbiam inaniſsimæ quaſi ventoſitatis extollere. Eſt ergo in dæmonibus ſcientia ſine charitate, & ideo tam inflati,id eſt, tam ſuperbi ſunt, vt honores diuinos & religionis ſeruitutẽ, quã vero Deo deberi ſciunt,ſibi fatẽ gerint exhiberi,& quantum poſſunt, & apud quos poſſũt, adhuc agũt. Contra ſuperbiam porrò dæmonum, qua promeritis poſsidebatur genus humanũ, Dei humilitas,quæ in Chriſto apparuit,quantam virtutem habeat, animæ hominum neſciunt, immunditia elationis inflatæ,dæmonibus ſimiles ſuperbia non ſcientia.

Dæmon græcũ eſt vocabulum. 1.Cor.8.

Cap.XXI.

Ipſi autem dæmones etiam hoc ita ſciunt, vt eidem Domino infirmitate carnis induto,dixerint, Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? Veniſti ante tẽpus perdere nos? Clarum eſt in his verbis,quòd in eis & tanta ſcientia erat, & charitas non erat. Pœnam quippe ſuam formidabant ab illo,non in illo iuſtitiã diligebãt. Tantum verò eis innotuit,quantum voluit,tantum autem voluit,quantum oportuit.Sed ſic innotuit,non ſicut Angelis ſanctis, qui eius, ſecundum id quod Dei verbum eſt, participata æternitate perfruuntur: ſed ſicut eis terrendis inno

Ad quẽ modũ Chriſtus dæmonibus manifeſtauit. Marc.1. Luc. 4.

teſcendum fuit, ex quorum tyrannica quodam modo poteſtate fuerat liberaturus prædeſtinatos in ſuum regnum, & gloriam ſemper veracem & veraciter ſempiternam. Innotuit ergo dæmonibus, nõ per id quod eſt vita æterna, & lumen incommutabile, quod illuminat pios, cui viuẽdo per fidem, quæ in illo eſt, corda mũdantur, ſed per quædam temporalia ſuæ virtutis effecta, & occultiſsimæ ſigna præſentiæ, quę Angelicis ſenſibus etiam malignorum ſpirituum potius quàm infirmitati hominum poſſent eſſe perſpicua. Denique quando ea paululum ſupprimenda iudicauit, & aliquantò altius latuit, dubitauit de illo dæmonum prĩceps, cũm que tentauit, an Chriſtus eſſet explorans, quantum ſe tẽtari ipſe permiſit, vt hominem quem gerebat, ad noſtræ imitationis tentaret exemplum. Poſt illam verò tentationem, cùm Angeli, ſicut ſcriptum eſt, miniſtrabant ei, boni vtíque & ſancti, ac per hoc his ſpiritib⁹ immũdis metuendi & tremendi, magis magíſque innoteſcebat dæmonibus quantus eſſet, vt ei iuben ti, quãuis in illo contemptibilis vide retur carnis infirmitas, reſiſtere nullus auderet.

Act. 15.

Matth. 5.

Dæmon Chriſtum tentauit, quantũ illi permittebatur.

Cap. XXII. eodem libro.

Quid interſit inter ſcientiam ſanctorum Angelorũ & ſcientiam dæmoniũ.

His igitur Angelis bonis omnis corporalium temporaliúmque rerum ſcientia, qua inflantur dæmones, vilis eſt: non quòd earũ igna ri ſint, ſed quòd illis Dei, qua ſanctificãtur, charitas chara eſt, præ cuius non tantùm incorporali, verumetiam incommutabili & ineffabili pulchritudine, cuius ſancto amore inardeſcũt omnia quæ infrà ſunt, & quod illud eſt non ſunt, ſéque ipſos inter illa cõtemnunt, vt ex toto quòd boni ſunt, eo bono ex quo boni ſunt, perfruantur. Et ideo certius etiam temporalia & mutabilia iſta nouerunt, quia eorum principales cauſas in Verbo Dei conſpiciunt, per quod factus eſt mundus, quibus cauſis quædã probantur, quædam reprobantur, cuncta ordinantur. Dæmones autem non æternas temporum cauſas & quodãmodo cardinales, in Dei ſapientia contemplantur, ſed quorundam ſignorum nobis occultorum maiore experientia, multò plura quàm homines futura proſpiciunt, diſpoſitiones quoque ſuas aliquando prænuntiant. Denique ſæpe iſti, nunquam omnino illi falluntur. Aliud eſt enim temporalibus temporalia & mutabilibus mutabilia cõiectare, eſſque temporalem & mutabilem modum ſuę volũtatis & facultatis inſerere, quod dæmonibus certa ratione permiſſum eſt. Aliud eſt autem in æternis & incommutabilibus Dei legibus, quæ in eius ſapientia viuunt, mutationes temporum præuidere, Deíque voluntatem, quæ tam certiſsima quàm potentiſsima eſt omnium, Spiritus eius participatione cognoſcere, quod ſanctis Angelis recta diſcretione donatũ eſt. Itaq; nõ ſolũ ęterni, verũetiã beati ſunt. Bonũ autẽ quo beati ſunt, Deus illis eſt, à quo creati ſũt. Illi⁹ quippe indeclinabiliter participatione & contẽplatione pfruũtur

Libro X. Cap. XXI.

De modo poteſtatis dæmonibus data in ſanctos.

Moderatis autem præfinitiſque temporibus etiam poteſtas permiſſa dæmonibus, vt hominibus quos poſsident excitatis, inimicitias aduerſus Dei ciuitatem tyrannicè exerceant, ſibíque ſacrificia non ſolùm ab offerẽtibus ſumant, & à volentibus expetant, verumetiam ab inuitis perſequẽdo violenter extorqueãt: non ſolùm pernitioſa non eſt, ſed etiam vtilis inuenitur Eccleſiæ, vt Martyrum numerus impleatur, quos ciuitas Dei tantò clariores & honoratiores ciues habet, quantò fortius aduerſus impietatem poteſtatum etiam vſque ad ſanguinem certãt. Hos multò elegantius, ſi Eccleſiaſtica loquendi conſuetudo pateretur, noſtros Heroas vocaremus.

Libro XVIII. Cap. XVI.

De Diomedis facto.

Diomedem Græci fecerunt Deum, quem pœna diuinitus irrogata perhibent ad ſuos nõ reuertiſſe, eiúſque ſocios in volucres fuiſſe cõuerſos, non fabuloſo poeticóque mẽdacio, ſed hiſtorica atteſtatione confirmant, quibus nec Deus, vt putant, factus, humanam reuocare naturam vel ipſe potuit, vel certè à Ioue ſuo rege, tanquam cælicola nouitius impetrauit. Quinetiam templum eius eſſe aiunt in inſula Diomedea, non longè à monte Gargano, qui eſt in Apulia, & hoc templum circũuolare atque incolere has alites tam mirabili obſequio, vt roſtrum aqua impleant & aſpergãt, & eo ſi Græci venerint, vel Græcorum ſtirpe progeniti, nõ ſolùm quietas eſſe, verũ & ſuper aduolare: ſi autem alienigenas viderint, ſubuolare, & capita eorum tanquam grauibus ictibus, vt etiam perimant, vulnerare. Nam duris & grandibus roſtris ſatis ad hæc prælia perhibentur armatæ.

Inſula Diomedea.

Cap. XVII.

Metamorphoſis ſocioꝝ Vlyſſis.

Hæc Varro vt aſtruat, commemorat alia non minus incredibilia de maga illa famoſiſſima Circe, quæ ſocios quoque Vlyſſis mutauit in beſtias, & de Arcadibus qui ſorte ducti tranſnatabant quoddã ſtagnum, atque ibi conuertebãtur in lupos, & cum ſimilibus feris per illius regionis deſerta viuebant. Si verò carne non veſcerentur humana, rurſus poſt nouẽ annos eodem renãtato ſtagno reformabantur in homines. Denique etiam nominatim expreſsit quendam Demenetum, quum guſtaſſet de ſacrificio, quod Arcades immolato puero, deo ſuo Lycæo facere ſolent, in lupum fuiſſe mutatum, & anno decimo in figuram propriam reſtitutum, & ad pugillatum ſeſe exercuiſſe, & Olympiaco certamine viciſſe.

Demenetus in lupũ mutatus.

Cap. XVIII. eodem libro.

Sed de iſta tanta ludificatione dæmonum, nos quid dicamus, qui hæc legent, fortaſsis expectant quid Chriſtiani agere debeant, quãdo inter idola gentium miracula fieri aſſeruntur. Et quid dicemus, niſi de medio Babylonis eſſe fugiendum? Quod præceptum Propheticum ita ſpiritaliter intelligitur, vt de huius ſeculi ciuitate

Hierem. 51.

Galat.5

uitate, quæ profectò & Angelorũ & hominum ſocietas impiorum eſt, fidei paſsibus, quæ per dilectionem operatur, in Deum viuum proficiendo fugiamus. Quantò quippe in hæc ima poteſtatem dæmonum maiorem videmus, tãtò tenacius Mediatori eſt inhærendum, per quem de imis ad ſummum conſcendimus. Si enim dixerimus ea non eſſe credẽda, non deſunt etiam nunc, qui eiuſmodi quædam vel certiſsima audiſſe, vel etiam expertos ſe eſſe aſſeuerẽt. Nam & nos quum eſſemus in Italia, audiebamus talia de quadam regione illarum partium, vbi ſtabularias mulieres imbutas his malis artibus, in caſeo dare ſolere dicebant, quibus vellent ſeu poſſent viatoribus, vnde in iumenta illicò verterentur, & neceſſaria quæque portarent: poſt quæ perfuncta opera iterum ad ſe redirent: nec tamen in eis mentem fieri beſtialem, ſed rationalem humanamque ſeruari, ſicut Apuleius in libris quos Aſini aurei titulo inſcripſit, ſibiipſi accidiſſe, vt accepto veneno, humano animo permanente aſinus fieret, aut indicauit aut finxit. Hæc vel falſa ſunt, vel tam inuſitata, vt meritò non credantur. Firmiſsimè tamen credendum omnipotẽtem Deum omnia poſſe facere quæ voluerit, ſiue iudicando, ſiue præſtando: nec dæmones aliquid operari ſecundum naturæ ſuæ potentiam (quia & ipſa Angelica creatura eſt, licet ſit, pprio vitio maligna) niſi quod ille permiſerit, cuius iudicia occulta ſunt multa, iniuſta nulla. Nec ſanè dæmones naturas creãt, ſi aliquid tale faciunt, de qualibus factis iſta vertitur quæſtio: ſed ſpecietenus quæ à vero Deo ſunt creata commutant, vt videantur eſſe quod nõ ſunt. Nõ itaque ſolum animum, ſed nec corpus quidẽ vlla ratione crediderim dæmonum arte vel poteſtate in membra vel lineamenta beſtialia veraciter poſſe cõuerti: ſed phantaſticum hominis, quod etiam cogitando ſiue etiam ſomniando per rerum innumerabilium genera variatur: & quum corpus non ſit, corporum tamẽ ſimiles mira celeritate formas capit, ſopitis aut oppreſsis corporeis hominis ſenſibus, ad aliorum ſenſuum neſcio quo ineffabili modo figura corporea poſſe perduci: ita vt corpora ipſa hominũ alicubi iaceant, viuentia quidem, ſed multò grauius atque vehementius quàm ſomno ſuis ſenſibus obſeratis. Phãtaſticum autẽ illud veluti corporatũ, in alicuius animalis effigie appareat ſenſibꝰ alienis, taliſq; etiã ſibi homo eſſe videatur, ſicut talis ſibi videri poſſet in ſomnis, & portare onera: quæ onera ſi vera ſunt corpora, portantur à dæmonibus, vt illudatur hominibus, partim vera onerum corpora, partim iumentorum falſa cernentibus. Nam quidam nomine Præſtantius, patri ſuo contigiſſe indicabat, vt venenum illud per caſeum in domo ſua ſumeret, & iaceret in lecto ſuo, quaſi dormiens, qui tamen nullo modo poterat excitari. Poſt aliquot autẽ dies, eum velut euigilaſſe dicebat, & quaſi ſomnia narraſſe, quæ paſſus eſt, Caballum ſe ſcilicet factum, annonam inter alia iumẽta baiulaſſe militibus, quæ dicitur retica, quoniã ad retia deportabatur: quod ita vt narrauit factum fuiſſe compertum eſt, quæ tamen ei ſomnia ſua videbantur. Indicauit & alius ſe domi ſuæ per noctem antequam requieſceret, vidiſſe veniẽtem ad ſe quendam Philoſophum ſibi notiſsimum, ſibíque expoſuiſſe nõnulla Platonica, quæ antea rogatus exponere noluiſſet. Et cùm ab eodem Philoſopho quæſitũ fuiſſet, cur in domo eius fecerit quod in domo ſua petenti negauerat, Non feci (inquit) ſed me feciſſe ſomniaui. Ac per hoc alteri per imaginem phantaſticam exhibitum eſt vigilanti, quod alter vidit in ſõnis. Hæc ad nos non quibuſcunque, qualibus credere putaremus indignum, ſed eis referentibus peruenerunt, quos nobis non exiſtimaremus fuiſſe mẽtitos. Proinde quòd homines dicuntur, mãdatúmque eſt literis, à diis vel potius à dæmonibus Arcades in lupos ſolere conuerti, & quòd carminibus Circe ſocios mutauit Vlyſſis: ſecundum iſtum modum mihi videtur fieri potuiſſe quem dixi, ſi tamẽ factum eſt. Diomedeas autem volucres, quandoquidẽ genus earum per ſucceſsionem propaginis durare perhibetur, non mutatis hominibus factas, ſed ſubtractis credo fuiſſe ſuppoſitas, ſicut cerua pro Iphigenia regis Agamẽnonis filia. Neque enim dæmonibus iudicio Dei permiſsis, huiuſmodi præſtigiæ difficiles eſſe poſſũt. Sed quia illa virgo poſtea viua reperta eſt, ſuppoſitam pro illa ceruam eſſe facilè cognitũ eſt. Socii verò Diomedis, quia nuſquam ſubitò comparuerunt, & poſtea nullo loco apparuerunt, perdentibus eos vltoribus angelis malis, & pro eis aues occultè ex aliis locis, vbi eſt hoc genus auium, ad ea loca perductæ ſunt, ac repentè ſuppoſitæ, ideo creduntur eſſe conuerſi. Quòd autem Diomedis in templum aquam roſtris afferunt & aſpergunt, & quòd blandiuntur Græcigenis, atque alienigenas perſequuntur, mirãdum non eſt fieri dæmonum inſtinctu, quorum intereſt, id eſt, ad quos perſuadere pertinet Deum factum eſſe Diomedem, ad decipiendos homines, vt falſos deos, cum veri Dei iniuria multos colant, & hominibus mortuis, qui nec quum viuerent verè vixerunt, tẽplis, altaribus, ſacrificiis, ſacerdotibus (quæ omnia quum recta ſunt, non niſi vni Deo viuo & vero debentur) inſeruiant.

Quid credendum ſit de trãſformationibus.

Apuleius.

Hiſtoria.

De Iphigenia Agamemnonis filia.

Libro XIX. Cap. IX.

Magna Dei miſericordia neceſſaria eſt, ne quiſquam quum bonos Angelos amicos ſe habere putat, habeat malos dæmones amicos fictos, cóſque tantò nocentiores, quantò aſtutiores ac fallaciores patiatur inimicos. Et cui magna iſta Dei miſericordia neceſſaria eſt, niſi magnæ humanæ miſeriæ, quæ ignorantia tãta premitur, vt facilè iſtorum ſimulatione fallatur?

Libro XXI. Cap. XIIII.

Quis autem non exhorreat, & mori eligat,

Lux iſta à ſeipſa ordinatur.

si ei proponatur aut mors perpetienda, aut rursus infantia? Quæ quidem non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quo quid malorum ingressa sit nescians, prophetat quodammodo. Solum quando natus est ferunt risisse Zoroastrem, nec ei boni aliquid monstrosus risus illi portendit. Nam magicarũ artium fuisse perhibetur inuentor: quæ quidem illi nec ad præsentis vitæ vanam felicitatem contra suos inimicos prodesse potuerunt. A Nino quippe rege Assyriorum, cùm esset ipse Bactrianorum rex, bello superatus est.

Zoroastres magicarum artiũ inuentor.

Libro II. ad Simplicianum, Quæst. I.

Malignum spiritum, à quo ipse vexabatur Saul, ideo dictum arbitror spiritum Domini, quòd occulto Domini iudicio Saulem vexabat. Vtitur enim Deus ministris etiã spiritib⁹ malis ad vindictã malorũ, vel ad bonorũ ꝓbati onẽ: alio modo ad illam rẽ, alio ad istã. Quãuis enim inde sit quisq; malignus spiritus, quia mala voluntate nocere appetit, tamen nocendi potestatem non accipit, nisi ab illo, sub quo sunt omnia certis & iustis meritorum gradibus ordinata: quia sicut nõ est mala volũtas à Deo, sic nõ est potestas nisi à Deo. Quanquã enim sit in cuiusq; potestate quid velit: non est tamẽ in cuiusque potestate quid possit, vel facere cuiquã vel à quoquã pati. Nã & ipse Filius vnicus Dei passurus ad tẽpus humiliter, homini superbè loquẽti & dicenti, Quòd potestatem haberet occidẽdi eum vel dimittendi, Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi data tibi esset desuper. Diabolus etiam volens nocere iusto viro Iob, nocendi quidem voluntate diabolus erat, sed tamen à Domino Deo potestatem petebat, dicens, Mitte manum & tange carnem eius: quanuis hoc esset si permitteretur ipse facturus. Ipsam etiam permissionem petebat hoc modo, & manum Domini appellabat permissam à Domino manum suam, id est, ipsam potestatem, quam volebat accipere. Cui congruit illud in Euangelio, quod Dominus discipulis suis ait, Hac nocte postulauit sathanas vexare vos sicut triticum. Dictus est ergo spiritus Dei malus, hoc est, minister Dei ad faciendum malum in Saul, quod eum pati iudex omnipotentissimus iudicabat: quoniam spiritus ille quia malus erat, nõ erat Dei creatura vera, qua conditus erat, & potestas quam non sua, sed Domini omnium æquitate acceperat, Dei erat. Vnde apparet bonum spiritum secundum substantiam, malum autem secundum ministerium dici spiritum Dei.

1. Regum 16. Quare malignus spiritus dicatur Domini spiritus.

Roman 13

Ioan. 19.

Iob 1.

Luc. 22.

Diabolus bonus substantia malus secundum ministerium.

Eodem libro, Quæst. III.

Item quæris vtrùm spiritus immundus, qui erat in Pytonissa, potuerit agere, vt Samuel à Saule videretur, & loqueretur cum eo. Sed multò maioris miraculi est, quod ipse sathanas, princeps omnium immundorum spirituum, potuit loqui cum Deo, & petere ad tentandum Iob iustissimum virum, qui etiam tentandos Apostolos petiit. Aut si hoc non habet difficilem quæstionem, quia per quam voluerit creaturam, cui voluerit creaturæ, vbique præsens veritas loquitur, nec propterea magni meriti est cui loquitur Deus. interest enim quid loquatur: quia & imperator cum multis innocẽtibus non loquitur, quibus prouidentissimè consulit ad salutem, & cum multis nocentibus loquitur, quos iubet interfici. Si ergo hinc propterea nulla quæstio est, nulla sit quæstio, quomodo etiam immundus spiritus cum anima sancti viri loqui potuerit. Omnibus enim sanctis, Deus creator & sanctificator longè vtique maior est. Quòd si hoc mouet quòd licuerit maligno spiritui excitare animam iusti, & tanquam de abditis mortuorum receptaculis reuocare, nonne magis mirandum, quòd sathanas ipsum Deum assumpsit & constituit supra pinnam templi? Quolibet enim modo fecerit, ille etiam modus, quo Samueli factum est vt excitaretur, similiter latet. Nisi fortè quis dixerit faciliorem diabolo fuisse licentiam ad Deum viuum vnde voluit assumendum, & vbi voluit constituendum, quàm ad Samuelis defuncti spiritum à suis sedibus excitandum. Quòd si illud in Euangelio nos ideo non perturbat, quia Dominus voluit atque permisit nulla diminutione suæ potestatis & diuinitatis id fieri, sicut ab ipsis Iudæis, quanquam peruersis atque immundis, & facta diaboli facientibus, & teneri se, & vinciri, & illudi, & crucifigi, atque interfici passus est: non est absurdum credere ex aliqua dispensatione diuinæ voluntatis permissum fuisse, vt non inuitus nec dominante aut subiugãte magica potentia, sed volens atque obtemperans occultę dispensationi Dei, quæ Pytonissam illam & Saulem latebat, cõsentiret spiritus Prophetæ sancti, se ostendi aspectibus regis, diuina eum sententia percussurus. Cur enim anima boni hominis à malis viuis euocata, si venerit, amittere videatur dignitatem suã, cùm & viui plerunque boni, vocati ad malos veniant, & agant cum eis quod officium postulat æquitatis, seruato atque inconcusso decore virtutis suæ, & illorum vitiis pro rerum præsentium vel vsu vel necessitate tractatis? Quãquam in hoc facto potest esse alius facilior intellectus, & expeditior exitus, vt non verè spiritum Samuelis excitatum à requie sua credamus, sed aliquod phantasma, & imaginariam illusionem, diaboli machinationibus factam, quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines rerum earum nominibus, quarum imagines sunt, appellari. Quis est enim qui hominem pictum dubitet vocare hominem, quandoquidem & singulorum quoruncunque picturam cùm aspicimus, propria quæque nomina incunctãter adhibemus: veluti cùm intuentes tabulam aut parietem, dicimus, Ille Cicero est, ille Salustius.

Iob 1. Luc. 22

Matth. 4

Quomodo visus sit Samuel à Saule, per Pytonissam excitari.

ille

ille Achilles, ille Hector, hoc flumen Simois, illa Roma: quum aliud nihil sint quàm pictę imagines. Vnde Cherubim quum sint cælestes potestates, facta tamen ex metallo, quod imperauit Deus, super arcam Testamenti, magnæ rei significandæ gratia: non aliud quàm Cherubim, illæ quoque effigies vocitantur. Item si quis videt somnium, non dicit, Vidi imaginem Augustini aut Simpliciani, sed vidi Augustinum aut Simplicianum, cùm eo tempore quo tale aliquid vidit, nos ignoremus. Vt queadeo manifestum est, non ipsos homines, sed imagi-
Gene. 41 nes eorum videri. Et Pharao spicas se vidisse dicit in somnis & boues, non spicarum aut boum imagines. Si verò liquidò constat nomi nibus earum rerum, quarum imagines sunt, easdem imagines appellari, non mirũ est, quòd
1. Regum. 28 Scriptura dicit Samuelem visum, etiam si fortè imago Samuelis visa apparuit, machinamen
2. Corin. 11 to eius qui trãsfigurat se velut in Angelum lucis, & ministros suos velut ministros iustitiæ. Iam verò si illud mouet, quomodo à maligno spiritu Sauli vera prædicta sunt, potest & illud
Matth. 8 mirum videri, quomodo dæmones agnouerint Christum, quem Iudæi non agnoscebant. Cùm enim vult Deus etiam per infimos & infernos spiritus aliquem vera agnoscere, temporalia duntaxat, atque ad istam mortalitatem pertinentia, facile est & non incongruum, vt omnipotens & iustus ad eorum pœnam, quibus ista prædicantur, vt malum quod eis impẽdit, antequam veniat, prænoscendo patiantur, occulto apparatu mysteriorum suorum, etiam spiritibus talibus aliquid diuinationibus impertiat, vt quod audiunt ab Angelis, prę nuntient hominibus. Tantum autem audiũt, quantum omnium Dominus atque moderator vel iubet vel sinit. Vnde etiam spiritus
Actor. 16 Pythonicus in Actibus Apostolorum attestatur Paulo Apostolo, & Euangelista esse conatur. Miscent tamen isti fallacias suas, & verum quod nosse potuerint, nõ docẽdi magis quàm decipiendi fine prænuntiant. Et fortè hoc
1. Regum 28. est, quòd cùm illa imago Samuelis Saulem præ diceret moriturum, dixit etiam secum futurum: quod vtique falsum est. Magno quippe interuallo post mortem separari bonos à malis in Euangelio legimus, cùm Dominus inter
Luce. 16 superbum illum diuitem, cùm iam apud inferos tormẽta pateretur, & illum qui ad eius ianuam vlcerosus iacebat, iam in requie constitutum, magnum chaos interiectum esse testatur. Aut si propterea Samuel Sauli dixit, Mecum eritis, non ad æqualitatem felicitatis, sed ad parem conditionẽ mortis referatur, quòd vterque homo fuerit, & vterque mori potuerit, iámque mortuus mortem viuo prænuntiabat. Perspicit, quantum opinor, prudentia tua, secũdum vtrunque intellectum habere exitum illam lectionem, quæ non sit contra fidem, nisi fortè profundiore & perplexiore inquisitione, quæ vel virium mearum, vel temporis excedit angustias, inueniatur ad liquidum, vel posse animam humanam, cùm ex hac vita migrauerit, magicis carminib⁹ euocatam, viuorum apparere conspectibus, etiã corporis lineamenta gestantem, vt non solùm videri valeat, sed & agnosci. Et si potest, vtrùm etiam iusti anima, non quidem cogatur magicis sacris, sed dignetur ostendi, occultioribus imperiis summæ Legis obtemperans, vt si fieri nõ posse claruerit, nõ vterque sensus in huius scripturæ tractatione atq; expositione admittatur: sed illo excluso imaginaria simulatio Samuelis, diabolico ritu ficta intelligatur. Sed quoniam siue illud fieri possit, siue non possit: tamen fallacia satanæ atque imaginum simulandarum callida operatio decipiendis humanis sensibus multiformis inuigilat, pedetentim quidem inquisitionibus diligentioribus præscribamus. Sed tamen potius existimemus tale aliquid factum maligno illius Pythonissæ ministerio, quandiu nobis aliquid amplius excogitare atque explicare non datur.

Lib. II. De doctrina Christiana, Cap. XVII.

Non enim audiendi sunt errores gentilium superstitionum, qui nouem Musas, Iouis & Memoriæ filias esse finxerunt. Refellit eos Varro, quo nescio vtrùm apud eos quisquam talium rerum doctior vel curiosior esse possit. *Errores de nouem Musis*

Cap. XIX. & XX. Eodem libro.

Duo sunt genera doctrinarum, quæ in gẽtilibus etiam moribus exercentur. Vnum earum rerum, quas instituerũt homines, alterum earum, quas animaduerterũt iam peractas, aut diuinitus institutas. Illud quod est secundum institutiones hominũ, partim superstitiosum est, partim superstitiosum non est. Superstitiosum est, quidquid institutum est ab hominibus ad facienda & colenda idola pertinens, vel ad colendam sicut Deum creaturam, partémve vllam creaturæ, vel ad consultationes & pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium, quæ quidem commemorare potius quàm docere assolẽt Poetę. Ex quo genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, haruspicum & augurum libri. Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, siue in præcantationibus, siue in quibusdam notis, quas characteres vocant, siue in quibusdam rebus suspendendis atque ligandis vel etiam saltandis quodammodo, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes, aut occultas, aut etiam manifestas, quæ mitiore nomine Physicam vocant, vt nõ quasi superstitiosè implicare, sed natura prodesse videantur, sicut sunt inaures in summo *Duo genera doctrinarum.* *Superstitiosum genus doctrinæ rum.*

aurium singularum,aut de struthionum ossib⁹ ansulæ in digitis, aut cùm tibi dicitur singulti enti,vt dextera manu sinistrum pollicem teneas. His adiungũtur millia inanissimarũ obseruationum,si membrum aliquod salierit, si iunctim ambulantibus amicis, lapis aut canis aut puer medius interuenerit. atque illud quod lapidem calcant,tanquam diruptorem amicitię, minus molestum est, quàm cùm innocentem puerum colapho percutiunt,si pariter ambulãtibus intercurrerit.Sed bellũ est quòd aliquando pueri vindicantur à canibus. Nam plerunque tam superstiosi sunt quidam, vt etiam canem, qui medius interuenerit, ferire audeant, non impuné. Nanque à vano remedio,citò interdum ille percussorem suum ad verum medicum mittit. Hinc sunt etiam illa, limen calcare, cùm ante domum suam transit, redire ad lectum, si quis dum se calciat sternutauerit, redire domum,si procidens offenderit, cùm vestis à soricibus roditur, plus timere suspicionem futuri mali, quàm præsens damnum dolere. Vnde illud eleganter dictum est Catonis, qui cùm esset consultus à quodam, qui sibi à soricibus erosas caligas diceret,respondit, Nõ esse illud monstrum,sed verè monstrum habendum fuisse, si sorices à caligis roderentur.

Lepidum Catonis dictũ.

Cap.XXI.

Neque illi ab hoc genere pernicioſæ superstitionis segregandi sunt, qui Genethliaci propter natalium dierum considerationes,nũc autem vulgò Mathematici vocantur. Nam & ipsi quanuis veram stellarum positionem,cùm quisque nascitur consectentur, & aliquando etiam perueſtigent: tamen quod inde conantur vel actiones nostras vel actionum euenta prædicere, nimis errant, & vendunt imperitis hominibus miserabilem seruitutem. Nam quisque liber, cùm ad huiusmodi Mathemati cum ingressus fuerit, dat pecuniam vt seruus inde exeat, aut Martis aut Veneris, vel potius omnium syderum, quibus illi qui primi errauerunt, errorémque posteris propinauerunt, vel bestiarum propter similitudinem, vel hominum,ad ipsos homines honorandos, imposuerunt vocabula. Sed quomodolibet vocentur ab hominibus Planetæ, sunt tamen sydera quæ Deus instituit & ordinauit vt voluit, & est certus motus illorum, quo tempora distinguuntur atque variantur. Quem motum notare quum quisque nascitur, quomodo se habeat, facile est per eorum inuentas cõscriptásque regulas, quod sancta Scriptura condemnat,dicens,Si enim tantum potuerunt scire,vt possent æstimare seculum, quomodo eius Dominum non facilius inuenerunt?

Genethliaci vulgò Mathematici.

Syderum certus motus Deus instituit & ordinauit.

Cap.XXII.

Sed ex ea notatione velle nascentium mores, actus, euenta prædicere, magnus error & magna demẽtia est. Et apud eos quidem qui talia dediscendo didicerunt,sine vlla dubitatione refellitur hæc superstitio. Constellationes enim, quas vocant, notatio est syderum, quo modo se habeant cùm ille nasceretur,de quo isti miseri à miserioribus consuluntur. Quare istæ quoque opiniones quibusdã rerum signis humana præsumptione institutis, ad eadem illa quasi quædã cum dæmonibus pacta & conuenta referendæ sunt.

Astrologorum dementia.

Cap.XXIII.

Hinc enim fit,vt occultò quodam iudicio diuino,cupidi malarũ rerum homines tradantur illudendi & decipiendi pro meritis voluntatum suarum, illudentibus eos atque decipientibus præuaricatoribus angelis, quibus ista pars mundi infima secundum pulcherrimum ordinem rerum, diuinæ prouidentiæ lege subiecta est. Quibus illusionibus & deceptionibus euenit, vt istis superstitiosis & pernicioſis diuinationum generibus, multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant quàm dicuntur, multáque obseruantibus, secundum obseruationes suas eueniant, quibus implicati curiosiores fiant,& sese magis magísque inserãt multiplicibus laqueis pernicioſissimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ, salubriter diuina Scriptura non tacuit, neque ab ea sic deterruit animam, vt propterea talia negaret esse sectanda, quia falsa dicuntur à professoribus eorum:sed,Etiam si dixerint vobis(inquit)& ita euenerit, ne credatis eis. Nõ enim quia imago Samuelis mortui Sauli regi vera prænuntiauit, propterea talia sacrilegia, quibus imago illa præsentata est,minus execrãda sunt: aut quia in Actibus Apostolorum, vẽ triloqua fœmina verum testimoniũm perhibuit Apostolis Domini,ideo Paulus Apostolus pepercit illi spiritui, ac non potius fœminam illius dæmonii correptione atque exclusione mundauit.Omnes igitur artes huiusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis & doloſæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda & fugienda Christiano: non quòd idolum sit aliquid,vt ait Apostolus, sed quia quæ immolant dæmoniis immolant & non Deo. nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. In omnibus ergo istis doctrinis, societas dæmonum formidãda atque euitanda est, qui nihil cum principe suo diabolo, nisi reditum nostrum claudere atque obserare conantur. Sicut autem de stellis,quas condidit & ordinauit Deus, humanæ & deceptoriæ coniecturæ ab hominibus institutæ sunt,sic etiam de quibusdam nascentibus vel quomodolibet diuinæ prouidentiæ admi nistratione existentibus rebus,multi multa humanis suspicionibus, quasi regulariter coniectata literis mandauerunt,si fortè insolitè accidẽrit,veluti si mula pariat,aut fulmine aliquid pe utiatur.

Non credendũ Mathematicis siue vera siue falsa dicant.

Deut.13

1.Regum.28

Act.16

Cap.XXIIII

Quæ omnia tantum valent, quantũ præsumpti-

Præstigiæ Mathematicorũ.

sumptione animarum quasi communi quadam lingua cum dæmonibus fœderata sunt. Quæ tamen omnia plena sunt pestiferę curiositatis, cruciantis solicitudinis, mortiferæ seruitutis. Non enim quia valebant animaduersa sunt: sed animaduertendo atque signãdo factum est vt valerent. Et ideo diuersis diuersa proueniunt, secundum cogitationes & præsumptiones suas. Illi enim spiritus qui decipere volũt, talia procurãt cuique, qualibus eum irretitum per suspiciones & consensiones eius viderint.

Post pauca ibidem.

Nisi obseruantis consensus accedat nulla sunt auium signa.

Sic illa signa quibus pernicioſa dæmonũ societas comparatur, pro cuiusque obseruationibus valent. Quod manifestissimè ostendit ritus augurum, qui & antequam obseruent, & posteaquã obseruata signa tenuerint, id agũt, ne videant volatus, aut audiant voces auium: quia nulla ista signa sunt, nisi consensus obseruantis accedat.

De natura boni aduersus Manichæos, Cap. XXXIII.

Quòd angeli non natura sed peccato mali sunt. 2. Pet. 2.

Quia verò & ipsi mali angeli, non à Deo mali sunt conditi, sed peccãdo facti sunt mali: sic Petrus in Epistola sua dicit, Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferi detrudens, tradidit in iudicio puniendos seruari. Hinc Petrus ostendit adhuc eis vltimi iudicii pœnam deberi, de qua

Matth. 25

Dominus dicit, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Quanuis iam pœnaliter hunc infernum, hoc est, inferiorem caliginosum aerem, tanquam carcerem acceperint, qui tamen aer quandoque & cælum dicitur, non illud in quo sunt sydera, sed hoc inferius, cuius caligine nubila conglobantur, & vbi aues volitant: nam & cælum nubilum dicitur, & volatilia cæli appellãtur. Secundum hoc Apostolus Paulus eosdem iniquos angelos, cõtra quos nobis inuidos, piè viuendo pugnamus, spiritalia nequitiæ in cælestib⁹ nominauit. Quod ne de illis superioribus cælis intelligatur, apertè alibi dicit, Secundum principẽ potestatis aeris huius, qui nunc operatur in filios diffidentiæ.

Eph. 6

Eph. 2

De Trinitate, lib. III. Cap. VII.

De miraculis quæ magicis artibus fiunt.

Hic video quid infirmæ cogitationi possit occurere, cur scilicet ista miracula etiã magicis artibus fiant. Nam & Magi Pharaonis similiter serpẽtes fecerunt, & alia similia. Sed illud amplius est admirãdum, quomodo Magorum illa potentia, quæ serpentes facere potuit, vbi ad muscas minutissimas ventum est, omnino defecit. Cyniphes enim musculę sunt breuissimæ: qua tertia plaga superbus popul⁹ AEgyptiorum cędebatur. Ibi certè deficientes Magi dixerunt, Digitus Dei est hic. Vnde intelligi datur, ne ipsos quidem transgressores angelos & aereas potestates, in imam istam caliginem, tanquam in sui generis carcerem, ab illius sublimis ætereæ puritatis habitatione detrusas, per quas magicæ artes possunt quidquid possunt, valere aliquid, nisi data desuper potestate. Datur autem vel ad fallendos fallaces, sicut in AEgyptios, & in ipsos etiam Magos data est, vt in eorum spirituum seductione viderẽtur admirandi, à quibus fiebãt à Dei veritate dãnandi, vel ad admonẽdos fideles, ne tale aliquid facere pro magno desyderent: propter quod etiam nobis Scripturæ auctoritate sunt prodita, vel ad exercendam, probandam, manifestandámque iustorum patientiam. Neque enim parua visibilium miraculorũ potẽtia, Iob cuncta quæ habebat amisit, & filios & ipsã corporis sanitatem.

Exo. 7

Exo. 8

Iude. 1

Iob 2

Cap. VIII.

Nec ideo putandum est istis transgressoribus angelis ad nutum seruire hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potius, à quo hæc potestas datur, quantum in sublimi & spiritali sede incommutabilis iudicat. Nam & damnatis iniquis etiam in metallo seruiunt aqua & ignis & terra, vt faciant inde quod volunt, sed quantum finitur. Nec sanè creatores illi mali angeli dicendi sunt, quia per illos Magi resistentes famulo Dei, ranas & serpentes fecerũt: nõ enim ipsi eas creauerũt. Nam iniqui spirit⁹ malitia voluntatem habẽt iniustam, potestatẽ autem nõ nisi iustè accipiunt, siue ad pœnã suam, siue ad aliorum, vel pœnam malorum, vel laudem bonorum.

Lib. IIII. Cap. X.

Inuidia diabuli mors intrauit.

Sicut enim diabolus superbus, hominem superbientem perduxit ad mortẽ, ita Christus humilis hominem obedientẽ reduxit ad vitã. Quia sicut ille elatus cecidit & deiecit cõsentientẽ, sic iste humiliatus surrexit, & erexit credentẽ. Quia enim nõ peruenerat diabolus quô ipse perduxerat (mortẽ quippe spiritus in impietate gestabat: sed mortẽ carnis nõ subierat, quia nec indumentum susceperat) magnus homini videbatur princeps in legionibus dæmonum, per quas fallaciarũ regnũ exercet: sic hominem per elationis typhum potẽtiæ quàm iustitiæ cupidiorem, aut per falsam Philosophiã magis inflans, aut per sacra sacrilega irretiens, in quibus etiã magicæ fallaciæ curiosiores superbioresque animas deceptas, illusasque præcipitat, subditũ tenens, pollicẽs etiã purgationem animæ, per eas quas teletas appellãt, transfigurãdo se in Angelum lucis per multiformẽ machinationẽ, in signis & prodigiis mendacii.

2. Corint. 2

Cap. XI.

Homines facile falluntur per illusiones immundorum spirituum

Facile est enim spiritibus nequissimis, per aerea corpora facere multa quæ mirentur animæ terrenis corporibus aggrauatæ, etiam melioris affectus. Si enim corpora ipsa terrena nonnullis artibus & exercitationibus modificata, in spectaculis theatricis tãta miracula hominibus exhibent, vt ii qui nunquam viderũt, talia narrata vix credant: quid magnum est diabolo & angelis eius de corporeis elemen-

tis per aerea corpora facere quæ caro miretur, aut etiam occultis inspirationibus, ad illudendos humanos sensus, phantasmata imaginum machinari, quibus vigilantes dormientésve decipiat, vel furentes exagitet? Sed sicut fieri potest vt homo vita ac moribus melior, spectet nequissimos homines, vel in fune ambulantes, vel multimodis motibus corporum multa incredibilia facientes, nec vllo modo facere talia concupiscat, nec eos propterea sibi præponendos existimet: sic anima fidelis & pia, non solùm si videat, verumetiam si propter fragilitatem carnis exhorreat miracula dæmonum: non ideo tamen, aut non se posse talia dolebit, aut ob hoc illos meliores esse iudicabit, cùm sint præsertim in societate Sanctorum, qui per virtutem Dei, cui cuncta subiecta sunt, & minimè fallacia, & multò maiora fecerunt, siue homines, siue Angeli boni.

Cap. XII.

De falsis & deceptoris pu rificationibus. Nequaquam igitur per sacrilegas similitudines & impias curiositates & magicas consecrationes, animæ purgantur & reconciliantur Deo: quia falsus mediator non traiicit ad superiora, sed potius obsidens intercludit viam per affectus, quos tantò maligniores, quantò superbiores suæ societatis inspirat. Qui non possunt ad euolandum pẽnas nutrire virtutũ, sed potius ad demergendum pondera exaggerare vitiorum: tantò grauius anima ruitura, quanto sibi videtur cuecta sublimius. Proinde sicut Magi fecerunt diuinitus moniti, quos ad humilitatem Domini adorandam stella perduxit: ita & nos, non quâ venimus, sed per aliam viam in patriam redire debemus, quã Rex humilis docuit, & quam rex superbus humili Regi aduersarius obsidere non possit. *Matth. 2*

Cap. XIII.

Diabolus per sua sacra suos illudit. Diabolus etiam adhuc suos illudit, quib⁹ se per sua sacra velut purgandis, & potius implicandis atque mergendis falsus mediator opponit, quòd superbis facillimè persuadet irridere atque contemnere mortem Christi, à qua ipse quantò est alienior, tantò ab eis creditur sanctior atque diuinior. Qui tamen apud eum pauciſsimi remanserunt, agnoscentibus gentibus, & pia humilitate bibentibus pretium suum, eiúsque fidutia deserentibus hostem suum & concurrentibus ad Redemptorem suum. Nescit enim diabolus quomodo illo & insidiante atque furente vtatur ad salutem fidelium suorum excellentissima sapientia Dei, à fine superiore, quod est initium spiritalis creaturæ, vsque ad finem inferiorẽ, quod est mors corporis, pertendens fortiter, & disponẽs omnia suauiter. Attingit enim vbique propter suam munditiam, & nihil inquinatum in eam incurrit. A morte autem carnis alieno diabolo, vnde nimium superbus incedit, mors alterius generis præparatur in æterno igne tartari, quo non solùm cum terrenis, sed etiam cum aereis corporibus excruciari spiritus possint.

Deus vtitur diabolo eo ignorante.

Cap. XVII.

Quæ sine diabolus quædam vera dicat. Potestates aereæ superbæ atque fallaces, etiam si quędam de societate & ciuitate Sanctorum, & de vero Mediatore à sãctis vel Prophetis vel Angelis audita per suos vates dixisse reperiuntur, id egerunt, vt per hæc aliena vera, etiam fideles Dei si possent ad sua falsa traducerent. Deus autem per nescientes id egit vt veritas vndique resonaret, fidelibus in adiutorium, impiis in testimonium, &c.

De cõsensu Euãgelist. lib. I. Cap. IX.

Contra illos. phantes quòd Christus magus sit vt sui. Ita verò quidã desipiunt, vt in libris quos Christum scripsisse existimant, dicant contineri eas artes, quibus eum putant illa fecisse miracula, quorũ fama vbique percrebruit. quod existimando seipsos produnt quid diligant & quid affectent. Quãdoquidem Christum propterea sapientissimum putant fuisse, quia nescio quæ illicita nouerat, quæ non solùm disciplina Christiana, sed etiam ipsa terrenæ reipublicę administratio iure cõdẽnat. Et certè qui tales Christi libros legisse se affirmant, cur ipsi nulla talia faciunt, qualia illũ de libris talibus fecisse mirãtur? *Cap. XI.*

Contra eundẽ errorem. Illud quoque attendant qui magicis artibus tanta potuisse, & nomen suum ad populos in se conuertẽdos arte ipsa cõsecrasse delirãt, vtrùm potuerit magicis artibus tãtos Prophetas diuino Spiritu antequam nasceretur in terra implere, qui de illo talia futura prælocuti sunt, qualia iam prẽterita in Euãgelio legim⁹, & qualia in orbe terrarum præsentia nunc videmus. Neque enim si magicis artibus fecit vt coleretur & mortuus, magus erat antequã esset natus, cui prophetando venturo gens vna deputata est, cuius reipublicæ tota administratio prophetia esset illius Regis vẽturi, & ciuitatem cælestem ex omnibus gẽtibus condituri.

Lib. III. Cap. I.

Ioan. 13. Quomodo diabolus in cor Iudæ intrasse dicatur. Et cœna facta cùm iam diabolus immisisset in cor, vt traderet eum Iudas. Quomodo enim intrat in cor nisi immittẽdo iniquas persuasiones cogitationum iniquarum? Sed nunc intelligere debemus à diabolo Iudam plenius esse possessum, sicut cõtrà in bono illi qui iam acceperant Spiritum sanctum, quando eis post Resurrectionem insufflauit, dicens, Accipite Spiritũ sanctum: postea eum cùm desuper missus esset die Pentecostes, vtique plenius acceperunt. Post buccellam ergo intrauit tunc in eum satanas. *Ioan. 20* *Actu. 2*

Lib. I. cõtra Epistolam Parmeniani, Cap. VII.

Non enim quisquis in aliqua religionis quęstione fuerit ab Imperatore punitus, Martyr efficitur. Neque enim vident qui talia sentiunt, in eum locum se progredi, vt ipsos etiam dæmones Martyrum sibi gloriam vendicare posse contendant, quia istam patiuntur persequutionem per Imperatores Christianos, vt penè toto orbe terrarum eorum templa

euertã

euertantur, idola comminuãtur, sacrificia subtrahantur, qui eos honorant, si deprehensi fuerint puniantur. Quod si dementissimum est dicere, non ergo ex passione certa est iustitia, passio gloriosa est.

Lib. II. contra eandem, Cap. IIII.

Diabolus populi mali princeps.

Est & alterius populi mali princeps diabolus, & rector eius ciuitatis, quæ mysticè Babylonia dicitur, quem principem & rectorem tenebrarum harum, id est, peccatorum, ipsum & angelos eius Apostolus appellat: & illius ministri similes ei sunt, qui transfigurant se in ministros iustitiæ, sicut ille in angelũ lucis, & inhabitantes rectori pessimo in factis similibus congruunt. Sed istorum populorum atque ciuitatum tũc erit aperta separatio, cùm ista messis fuerit ventilata: quod donec fiat, omnia tolerat dilectio frumentorum, ne dum grana paleam prępropere fugiunt, à consortibus granis impiè separentur.

Lib. II. de Genesi ad literam, Cap. XVII.

De Mathematicorum vanitate.

De fatis autem syderum qualeslibet eorum angustias, & quasi de matheſi documẽtorum experimentum, quæ illi apotelesmata vocant, omnino à nostræ fidei sanitate respuamus. Talib⁹ enim disputationib⁹ etiam orãdi causas nobis auferre conãtur, & impia peruersitate in malis factis, quæ rectissimè reprehenduntur, ingerunt ad causandum potius Deum auctorem syderum, quàm hominum scelera. Sed quod animæ nostræ non sunt natura corporibus, nec quidem cælestibus subditæ, audiãt & Philosophos suos. Quia verò terrenis corporibus illa corpora superiora, non ad ea quæ ipsi tractant potentiora sunt, vt hinc aliquãdo cognoscãt, quia cùm multa corpora diuersorum generum, vel animantium, vel herbarum & arbustorum, vno simul pũcto temporis seminẽtur, vnóq; puncto tẽporis innumerabiliter multa nascãtur: non tamen diuersis, sed etiam iisdem terrarum locis, tantæ sunt varietates in progressibus, in actibus, & passionibus eorum, vt verè isti, sicut dicitur, perdant sydera, si ista consyderent. Quid autem insultius & hebetius, quàm cùm istis rebus conuincuntur, dicere ad solos homines subiiciendos, fatalem stellarum pertinere rationem, in quibus tamẽ etiam ipsi de geminis conuincuntur, quorum diuersè viuentium, diuersè felicium, vel infelicium diuersęque morientiũ easdẽ plerunque constellationes accipiunt? Quia & si interfuit aliquid cùm de vtero funderentur, in nonnullis tamen tantum interest, quantum ab istis comprehendi computatione non posset. Manus sequentis Iacob, dum nascerentur, inuenta est pedem præcedentis fratris tenens: vt queadeò sic nati sunt, quasi vnus infans in duplum prolixior nasci videretur. Horum certè constellationes, quas appellant, nullo modo dispares esse poterunt. Quid ergo vanius, quàm vt illas constellationes intuẽs Mathematicus, ad eundẽ horoscopũ, & ad eãdem Lunã, diceret vnum eorũ à matre dilectum, alterum nõ dilectum? Si enim aliud diceret, falsũ profectò diceret: si autem hoc diceret, verum quidẽ, sed nõ secundum suorũ librorũ ineptas cantiunculas diceret. Quòd si huic historiæ, quia de nostris profertur, nolunt credere: nunquid & naturã rerum delere possunt? Cùm ergo se minimè falli dicant, si horã conceptionis inuenerint, saltem sicut homines non dedignẽtur cõceptum cõsyderare geminorũ. Ideóque fatẽdum est quando ab istis vera dicuntur, instinctu quodã occultissimo dici, quẽ nescientes humanæ mentes patiuntur. Quod cùm ad decipiẽdos homines fit, spirituum seductorum operatio est, quibus quædã vera de tẽporalibus rebus nosse permittitur, partim quia subtilioris sensus acumine, partim quia corporibus subtilioribus vigent, partim experientia callidiore propter magnitudinem vitæ lõgitudinémque, partim à sanctis Angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam iussu eius sibi reuelantibus, qui merita humana occultissimæ iustitiæ synceritate distribuit. Aliquãdo autem idem nephandi spiritus, etiã quæ ipsi facturi sunt, velut diuinãdo prædicant. Quapropter bono Christiano, siue Mathematici, siue quilibet impiè diuinantium, maximè dicentes vera, cauendi sunt, ne consortio dæmoniorum animam deceptam, pacto quodam societatis irretiant.

Quomodo dæmones futura quædam prænoscant.

Mathematici cauendi sunt

Lib. III. Cap. X.

Dæmones sunt immortales.

Dæmones & si aerea sunt animalia, quoniam corporum aereorum natura vigent, & propterea morte non dissoluuntur, quia prævalet in eis elementum, quod ad faciendum quàm ad patiendum est aptius. Superior enim pars aeris, propter puram tranquillitatem, cælo cui collimitatur, communi pace coniungitur, & eius vocabulo nuncupatur. In qua fortasis parte si fuerunt ante transgressionem suam transgressores angeli cum principe suo, nunc diabolo, tunc archangelo (nam nonnulli nostri non eos putãt cælestes vel supercęlestes Angelos fuisse) non mirum si post peccatum in hanc sunt detrusi caliginem, vbi tamen & aer sit, & humore tenui contexatur, qui commotus vẽtos, & vehementius concitatus, etiam ignes & tonitrua, & contractus nubila, & conspissatus pluuiam, & congelantibus nubilis niuem, & turbulentius congelantibus densioribus nubilis grandinẽ, & distẽtus serenum facit, occultis imperiis & opere Dei, à summis ad infima vniuersa quæ creauit administrãtis. Vnde & in illo Psalmo cùm commemorata essent Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis: ne talia sine prouidentia diuina fieri moueríque putarentur, continuò subiecit, Quæ faciunt verbum eius. Si autem transgres-

Psalm. 148

Vnde tonitrua

Genes. 25

fores illi, antequam transgrederentur, cælestia corpora gerebant, neque hoc mirum est, si conuersa sunt ex pœna in aeream qualitatem, vt iam possint ab igne, id est, ab elemento naturæ superioris aliquid pati, nec aeris saltem spatia superiora atque puriora, sed ista caliginosa tenere permissi sunt, qui eis pro suo genere quasi carcer est vsque ad tempus iudicii.

Libro XI. Cap. II

Quantunlibet enim præuaricatores angeli de supernis sedibus, suæ peruersitatis & superbiæ merito deiecti sunt, natura tamen excellentiores sunt omnibus bestiis propter rationis eminentiam. Quid ergo mirum si suo instinctu diabolus iam implens serpentem, eique spiritum suum miscens, eo more quo vates dæmoniorum implere solet, sapientissimum eum reddiderat omnium bestiarum, secundum animam viuam, irrationalémque viuentium?

Diabolus spiritum suum serpenti miscens Euam seduxit.

Cap. III

Nec sanè debemus opinari, quòd serpentem sibi per quem tentaret persuaderétque peccatum, diabolus eligeret. Sed cùm esset in illo propter peruersam & inuidam voluntatem decipiendi cupiditas, non nisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est. Nocendi enim voluntas potest esse à suo quoque animo praua, non est autẽ potestas nisi à Deo, & hoc abdita altáque iustitia, quoniam non est iniquitas apud Deum.

Cap. XII.

Quid ergo mirum si per serpentem mali quid agere permissus est diabolus, cùm dæmonia in porcos intrare Christus ipse permiserit?

Matth. 8

Cap. XVI.

Ab initio ergo homicida diabolus, quia ipse occidit hominẽ primum, ante quem nullus hominum fuit. In veritate autem non stetit, & hoc ab initio ex quo ipse creatus est, qui staret si stare voluisset.

Ioan. 8 Diabolus homicida.

Cap. XXVIII.

Non itaque serpens verborum sonos intelligebat, qui ex illo fiebant ad mulierẽ. Neq; enim conuersa credenda est anima eius in naturam rationalem: quandoquidem nec ipsi homines, quorum rationalis natura est, cùm dæmon in eis loquitur, ea passione cui Exorcista requiritur, sciunt quid loquantur. Quantò minus ille intelligeret verborum sonos, quos per eum & ex eo diabolus illo modo faciebat, qui hominem loquẽtem nõ intelligeret, si eum à diabolica passione immunis audiret? Nam & quòd putantur audire & intelligere serpentes verba Marsorum, vt eis incantantibus prosiliant plerunq; de latebris, etiam illic diabolica vis operatur ad cognoscendam vbique prouidẽtiam, quam rem cui rei naturali ordine subiiciat, vt quid etiam voluntatibus malis sapientissima potestate permittat, vt hoc magis habeat vsus serpentes moueri carminibus hominum, quàm vllũ genus aliud animantium.

Serpent verborum sonos non intelligebat.

Et iam hoc enim non parua testatio est naturam primitus humanam, serpentis seductam esse colloquio. Gaudent enim dæmones hanc sibi potestatem dari, vt ad incantationem hominum serpentes moueant, vt quolibet modo fallant quos possunt. Hoc autem permittitur ad primi facti memoriam commendandam quòd sit in eis quædam cum hoc genere familiaritas. Porrò ipsum primum factũ ad hoc permissum est, vt per naturam serpentis significaretur generi hominum, cui erudiendo hæc gesta conscribi oportebat, omnis diabolicæ tentationis similitudo, quod apparebit, cùm in serpentem proferri cœperit diuina sententia.

Cap. XXIX.

Proinde prudentissimus omnium bestiarum, hoc est astutissimus, ita dictus est serpens propter astutiam diaboli, qui in illo & de illo agebat dolum: quemadmodum dicitur prudens vel astuta lingua, quam prudens vel astutus mouet ad aliquid prudenter astutéque persuadendum. Non enim est hæc vis seu virtus membri corporalis, quod vocatur lingua, sed vtique mentis, quæ vtitur ea. Sic ergo locutus est serpens homini, sicut asina in qua sedebat Balaam locuta est homini, nisi quod illud fuit opus diabolicum, hoc Angelicum. Habent enim quædam boni & mali Angeli opera similia, sicut Moses & magi Pharaonis. Verũ in iis etiam boni Angeli potentiores sunt, nec mali angeli etiam talium operum quidquã possunt, nisi quod per bonos Angelos permiserit Deus, vt retribuatur vnicuique secundum cor eius, vel secundum gratiam Dei, vtrunque iustè ac benignè per altitudinẽ diuitiarũ sapiẽtię & scientię Dei. *Lib. XII. Cap. XIIII.*

Serpens generis humani prudentissimus bestiarũ

Num. 22 Boni & mali angeli habent quædam opera similia. Exo. 7

Cùm visis corporalibus diabolus fallit, nihil obest quòd ludificantur oculi, si non erratur in veritate fidei, & intelligentiæ sanitate, qua docet Deus subiectos sibi. Aut si ludificet animam spiritali visione, imaginibus corporũ, vt putet corpus esse quod non est, non aliquid obest animæ, si pnicioſæ suasioni nõ cõsentiat.

Eodem lib. Cap. XVII.

Quæ spiritales corporalium similitudines in animo nostro quemadmodum innotescant spiritibꝰ etiã immũdis, vel quid obstaculi patiatur anima nostra ex isto terreno corpore, vt eos inuicem nostro spiritu videre nequeamus: inuenire & explicare difficile est. Certissimis tamen indiciis apud nos constitit, enuntiatas à dæmonibus cogitationes hominum, qui tamen si virtutum internam speciem possent in hominibus cernere, non tentarent, sicut illam in Iob nobilem ac mirabilem patientiam proculdubio si posset diabolus cernere, nollet à tentato vtique superari. Cæterùm quòd alicubi longè iam facta prænuntiant quæ post aliquot dies vera esse firmentur, non est mirandum: possunt enim hoc efficere, non solùm acrimonia cernendi etiam corporalia

Dæmones per energumenos vere futura & facta denũtiant

ralia incõparabiliter præstãtiore quàm nostra est, sed etiam ipsorum corporum longè vtique subtiliorum mira velocitate. Comperimus etiam in domo constitutum patiẽtem spiritum immundum, dicere solere quãdo ad eum venire cœpisset ex duodecim milibus presbyter, & per omnia loca itineris vbi esset, & quàm propinquaret, & quando ingrederetur & fundum & domum & cubiculum, donec in conspectu eius adstaret. Quæ omnia etsi nõ oculis patiẽs ille cernebat, tamen nisi aliquo modo cerneret, non tam veraciter enuntiaret. Erat autem iste febriens, & tanquam in phreneſi ista dicebat. & fortè reuera phreneticus erat: sed propter ista dæmonium pati putabatur. Nullum refectionis cibum accipiebat à suis, sed à solo presbytero: resistebat etiã suis violenter quàm valebat, solo presbytero veniente quiescebat: illi tantùm subditus erat, & subditè respondebat. Nec tamen eidem saltem presbytero illa cessit mẽtis alienatio siue dæmonium, nisi cùm sanus esset à febribus, sicut phrenetici sanari solent: nec aliquãdo postea tale aliquid passus est. Nouimus etiam sine dubitatione phreneticum futuram mortem cuiusdam fœminæ prædixisse, non sanè specie diuinandi, sed tãquam factum ac præteritum recolens. Nam quum eius apud eum cõmemoratio fieret, Mortua est, inquit, ego eam vidi efferri, hãc cum eius corpore trãsierunt: quum illa incolumis viueret. Post paucos autem dies, repentè defuncta & per eum locum elata est, quã ille prædixerat. Fuit tunc apud nos puer, qui in exordio pubertatis dolorem acerrimum genitalium patiebatur, medicis nequaquam valentibus quid illud esset agnoscere, nisi quòd neruus ipse introrsum recõditus erat, ita vt nec præciso præputio quod immoderata longitudine protendebat apparere potuerit: sed postea vix esset inuentus. Humor autem viscosus & acer exudãs, testes & inguina vrebat. Sed acutum dolorem non continuum patiebatur. & quum patiebatur, eiulabat vehemẽter cum iactatione membrorum mente sanissima, sicut in cruciatibus corporalium dolorum fieri solet. Deinde inter voces suas abripiebatur ab omnibus sensibus, & iacebat patentibus oculis neminem circunstantium videns, ad nullam vellicationem se mouens. Post aliquantum euigilans, nec iam dolens, quæ viderat indicabat. Tum interpositis paucis diebus eadem patiebatur. In omnibus sanè vel penè omnibus visionibus suis, duos se dicebat videre, vnum perfectioris ætatis, alterum puerum, à quibus ei dicebãtur vel demonstrabantur quæ se audisse & vidisse narrabat. Vidit quodam die chorum piorum psallentium, lætantium in luce mirabili, & impiorum in tenebris diuersas & atrocissimas pœnas, illis ducẽtibus & ostendẽtibus, felicitatis aliorum, aliorúmque infelicitatis meritum insinuantibus. Hoc autem vidit die Dominico Paschæ, cùm per totam quadragesimam nihil doluisset, qui vix interuallo tridui antea patiebatur. Viderat autem in ipso ingressu quadragesimę illos promittentes sibi, quòd per quadraginta dies nullum sensurus esset dolorem. Postea ipsi ei dederunt tanquam medicinale consilium, vt ei præputii longitudo præcideretur quo facto diu nõ doluit. Quum verò iterum similiter doleret, & similia videre cœpisset, accepit ab eis rursus consiliũ, vt in mare pubetenus intraret, ac post aliquantam morã inde discederet, promittentibus sanè quod iam deinceps vehementem illum dolorem nõ esset passurus, sed solius illius viscosi humoris molestiã. atq; ita secutum est. Nec vnquã talẽ aliquã postea passus est auersionem mẽtis à sensibus, nec tale aliquid vidit quale antea, quum in mediis doloribus & horrendis vocibus, repentè obmutescens abriperetur. Postea tamen medicis cætera curantibus & sanantibus, non permansit in proposito sanctitatis.

Phrenetitus dæmonium pati putatur.

Exemplum aliud.

Ad Orosium contra Priscillianistas & Origenistas, Cap. V.

Quantum possum tamen etiam ego commoneo, vt de diaboli angelorúmque eius correctione, & in pristinum statum reparatione sapere nihil audeas. Non quia diabolo & dæmonibus inuidemus, & eo modo, quasi vicem maleuolentiæ illis rependimus, cùm illi non ob aliud nisi inuidentiæ stimulis agitati, nostra itinera, quibus in Deum tendimus, perturbare conentur: sed quia vltimæ sententiæ summi & veracissimi iudicis, ex nostra præsumptione addere nihil debemus. Ipse enim se similibus eorum dicturum esse prædixit, Ite in ignem æternum, qui parat° est diabolo & angelis eius. Nec mouere debet vt hoc loco æternum pro diuturno accipiamus, quod alibi scriptum est, In æternum, & in seculum seculi, &c.

Diabolus à me lo inconuertibilis.

Matth. 25.

Libro II. contra Pelagium & Cælestium de peccato originali, Cap. XL.

Quid mirum est vel iniquum, vt immundo spiritui subdatur homo, nõ propter naturam, sed propter immunditiam suam, quam non ex opere diuino, sed ex humana voluntate veniẽtem in originis labe contraxit: cùm & ipse spiritus immundus bonum sit, quòd spiritus, malum, quòd immundus? Illud quippe est ex Dei opere, hoc ex propria volũtate. Natura itaque fortior, id est, angelica, inferiorem naturam, id est, humanam, vitii societate tenet.

Libro I. Quæstionum super Genesim, Quæst. LXIII.

Quærendum quid differant auguriationes illicitæ ab illa petitione signi, qua petiuit seruus Abrahæ, vt ei Deus ostenderet ipsam esse futuram vxorem domini sui Isaac, à qua quum petiuisset vt biberet, diceretur illi, Bibe & tu, & adaquabo camelos tuos quoadusque bibere desinãt. Aliud est enim mirum aliquid petere, quod ipso miraculo signum sit, aliud hęc obser-

Quomodo patres signa petierint.

Gene. 24.

uare,quæ ita fiunt vt mira nõ sint, sed à coniectoribus superstitiosa vanitate interpretẽtur. Sed hocipsum etiam quod mirum aliquid postulatur, quo significetur quod quisque vult nosse,vtrùm audiẽdum sit, non parua quæstio est. Eò nãque pertinet,quòd dicuntur qui hoc non rectè faciunt,tẽtare Dominum. Nam ipse Dominus cùm à Diabolo tentaretur, testimonium de Scripturis adhibuit,Non tẽtabis Dominum Deum tuum. Suggerebatur tanquam homini, vt signo aliquo exploraret ipse quantus esset, id est, quàm multũ apud Deũ posset, quod vitiosè fit,cùm fit. Ab hoc autem discernitur, quod Gedeon fecit pugnæ imminente periculo. Consultatio quippe illa magis quàm tẽtatio Dei fuit. Vnde & Achaz, apud Esaiam timet signum petere, ne Deum tentare videatur, quum hoc eum Dominus admoneat per Prophetã: credo existimans,quòd ab ipso Propheta exploraretur vtrùm præcepti memor esset,quo tentare Deum prohibemur.

Matth 4. Deutero.6.

Iudicum 6.

Esaiæ 7.

Libro I. Quæstionum super Genesim, Quæstio. III.

Dæmones incubi.

De quibusdam dæmonibus,qui sunt improbi mulieribus, à multis tam multa dicuntur, vt non facilè sit de hac re diffinienti sententia.

Libro XV. de ciuitate Dei,Cap.XXIII.

De incubis & succubis dæmonibus.

Angelos apparuisse hominibus in talibus corporibus,quòd nõ solùm videri, verũetiam tangi possent,verissima Scriptura testatur. Et quoniam creberrima fama est, multique se expertos, vel ab eis qui experti essent, de quorum fide dubitandum non est, audisse confirmãt,Syluanos & Faunos,quos vulgò incubos vocant,improbos sæpe extitisse mulieribus,& earum appetisse ac peregisse concubitum: & quosdam dæmones,quos Dusios Galli nuncupant, hanc assiduè immunditiam & tentare & efficere, plures taléque asseuerant, vt hoc negare impudentiæ videatur: non hìc temerè aliquid audeo diffinire, vtrùm aliqui spiritus elemento aereo corporati (nam hoc elemẽtum etiam quum agitatur flabello,sensu corporis tactúque sentitur) possint etiam hanc pati libidinem, vt quomodo possunt,sentientibus fœminis misceantur.

Libro II. contra aduersarium Legis & Prophetarum,Cap.XII.

Quidã humanorum vitia corporum diabolo ascribebat.

Videte sanè vnde ꝓbare voluerit quidam, humanorum corporum vitia,nõ ad Deum auctorem,sed potius ad diabolum pertinere,quia Dominus ait in Euangelio de muliere, quam sanam fecit,quòd eam satanas alligauerat decẽ & octo annos, propter quod erat incurua,nec se erigere poterat: quasi satanas quum habeat semper cupiditatem nocendi, nocere cuiquam possit,nisi ab Omnipotente acceperit potestatem. Nam quid aliud,non solùm in libro Iob, quem profectò iste non accipit, sed etiam magis in ipso Euangelio declaratum est,vbi spiritus immundi, nec in porcos irent, nisi hoc illis benignus ipse Saluator petentibus,quos certè in abyssum posset relegare,cõcederet,rem necessariam docere nos volens, vt scilicet nouerimus multò minus eos posse sua potestate nocere hominibus, qui nec pecoribus qualibuscunque potuerunt? Hanc autem potestatem Deus bonus occulta nobis iustitia dare dæmonibus potest,iniustè non potest.

Luce 13. Matth.8.

Libro VI. contra Iulianum,Cap.IIII.

Multi deformes, multi orbi vel morbidi, multi horrendi monstruosíque nascuntur infantes, nec ideo illam tantam substantiam, omnésque partes eius,& quidquid in ea substãtialiter existit & viuit, potuit creare, nisi vnus bonus & verus Deus. Iubes vt asseram quemadmodũ in Christo,id est,in virtute eius,creatos paruulos, sibi audeat diabolus vendicare. Tu assere si potes, quomodo sibi non obscurè, sed apertè vẽdicet paruulos,quos immũdi spiritus vexant. Si ei traditos dicis, videmus ambo supplicium,tu dic meritũ. Ambo cernimus pœnã,tu qui nulla mala merita dicis ex parentibus trahi,quũ Deum iustum ambo fateamur: demonstra ista pœna dignam,si potes,in infantibus culpam. Anverò non agnoscis,etiam hoc ad illud graue iugum pertinere,quod est super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium? Sub quo iugo,diuersis cladibus ita conteritur genus humanũ, vt appareat hoc, quòd ex filiis iræ fiunt homines tãquam pignore accepto filii misericordiæ, in futurum seculum præparari, in hoc autem seculo à die ortus, vsque ad diem obitus, etiã ipsos sub eodẽ graui iugo conteri. Quandoquidem etiam baptizati paruuli inter alia mala vitæ huius, nonnunquam & istos dæmonum patiuntur incursus, quanuis eruti de potestate tenebrarum, ne ab eis trahantur in supplicium sempiternum.

Eccle.40.

Eodem libro,Cap.IX.

Diabolus bonæ naturæ, malus vitio.

Diabolus spiritus est immundus. Et vtique bonũ,quòd spiritus,malum,quòd immundus: quoniam spiritus est natura, immundus est vitio. Quorum duorum illud à Deo est,hoc ab ipso. Nõ itaq; tenet homines, siue maioris,siue infantilis ætatis, propter quod homines, sed propter quod immundi sunt.

Ad Laurentium in Enchiridio, Cap.XXVIII.

Angelis igitur aliquibus impia superbia deserentibus Deum,& in huius aeris imam caliginem, de superna cælesti habitatione deiectis, residuus numerus Angelorum in æterna cum Deo beatitudine & sanctitate permansit. Neq; enim ex vno angelo lapso atque damnato cæteri propagati sunt, vt eos sicut homines originale malum obnoxiæ successionis vinculis obligaret,atque vniuersos traheret ad debitas pœnas: sed eo qui diabolus factus est, cum

2 Petri 2. Iudæ 1.

sociis

sociis impietatis elato, & ipsa cum eis elatione prostrato, cęteri pia obediętia Domino cohęserunt, accipientes etiam quod illi non habuerũt certam scientiam, qua essent de sua sempiterna & nunquam casura stabilitate securi.

Libro II. Retractationum, Cap. XXX.

An dæmones norint cogitationes hominũ.

Per idem tempus accidit mihi ex quadam disputatione necessitas, vt de Diuinatione dæmonum libellum scriberem, cuius titulus iste ipse est. In quodam autem eius loco dixi, dęmones aliquando & hominum dispositiones, non solùm voce prolatas, verumetiam cogitatione conceptas, cùm signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscere. Rem dixi occultissimam audaciore asseueratione quàm debui. Nam peruenire ista ad notitiam dæmonũ, per nonnulla etiam experimenta compertum est. Sed vtrùm signa quædã dentur ex corpore cogitantium, illis sensibilia, nos autem latentia, an alia vi, & ea spiritali, ista cognoscãt, aut difficillimè potest ab hominibus, aut omnino non potest inueniri.

De vita beata, disputatione II. diei.

Spiritus immundus duobus modis appellari solet.

Spiritus immundus duobus modis appellari solet, vel ille qui extrinsecus animam inuadit, sensúsque conturbat, & quendam hominibus infert furorẽ, cui excludendo, qui præsunt manum imponere, vel exorcizare dicũtur, hoc est, per diuina eum adiurando expellere. Aliter autem dicitur spiritus immundus, omnis omnino anima immunda, quod nihil est aliud, quàm vitiis & erroribus inquinata, &c.

Libro III. de libero arbitrio, Cap. XX.

Diabolus quomodo vincendus.

Non enim paruæ gloriæ militia est diabolum vincere, eodem suscepto supplicio, quo se hominem victum perduxisse gloriatur.

Libro II. de Genesi contra Manichæos, Cap. XIIII.

Gene. 3. Quomodo diabolus Euæ in Paradiso colloquutus sit.

Nec mirandum est, quomodo mulieri serpens loqui potuerit, quum illa esset in Paradiso, & ille non esset. Nec enim aut illa secũdum locum erat in Paradiso, sed potius secundum beatitudinis affectum: aut etiam si locus est talis, qui Paradisus vocetur, in quo corporaliter Adam & mulier habitabant, etiam diaboli accessum corporaliter intelligere debemus? Nõ vtiq;, sed spiritaliter, sicut Apostolus dicit, Secundum principem potestatis aeris huius spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiæ. Nunquid ergo visibiliter eis apparet, aut quasi corporeis locis accedit ad eos in quibus operatur? Non vtique, sed miris modis per cogitationes suggerit quidquid potest. Quibus suggestionibus resistunt, qui verè dicunt quod itẽ dicit Apostolus, Non enim ignoramus astutias eius. Quomodo enim accessit ad Iudam, quãdo ei persuasit vt Dominum traderet? Nũquid in locis, aut per hos oculos ei visus est? Sed vtique vt dictum est, intrauit in cor eius. Repellit autem illum homo, si Paradisum custodiat.

Ephe. 2.

2 Corinth. 2.

Luce 22.

Eodem libro, Cap. XXVIII.

Omnia certè ex Deo. Quis fecit diabolum? Se ipse. non enim natura, sed peccando diabolus factus est. Vel ipsum aiũt nõ faceret Deus, si eum peccaturum esse sciebat. Imò quare non faceret, quum per suam iustitiam & prouidentiam multos de malitia diaboli corrigat? An fortè non audistis Apostolum Paulum dicentem, Quos tradidi satanæ, vt discant non blasphemare? Et de seipso dicit, Et ne magnitudo reuelationũ extollat me, datus est mihi stimulus carnis, angelus satanæ, qui me colaphizet. Ergo (inquiunt) bonus est diabolus quia vtilis est? Imò malus, inquãtum diabolus est: sed bonus & omnipotens Deus, qui etiam de malitia eius multa iusta & bona operatur. Non enim diabolo imputatur nisi volũtas sua, qua conatur facere malè, non Dei prouidentia, quæ de illo bene facit.

1. Timoth. 1. 1. Corinth. 12.

Deus per malitiam diaboli, multa iusta & bona operatur.

Libro VI. de Musica, Cap. XI.

Differunt phãtasia & phantasma.

Aliter enim cogito patrem meum, quem sæpe vidi, aliter auum, quem nunquam vidi. Horum primum phantasia est, alterum phãtasma. Illud in memoria inuenio, hoc in eo motu animi, qui ex his ortus est, quos habet memoria, &c.

Quæstionum veteris & noui Testamenti, Quæstio. II.

Et ne mysteriũ prætermisisse videamur, aut potius ignorasse cur mũdus factus est, dicimus diaboli apostasiã multos angelos, id est, spirita lespotentias, secum in pręuaricationẽ traxisse, dum voluit sibi regnum impia præsumptione defendere. Quod Propheta Esaias significat, dicens, Quomodo cecidisti de cęlo lucifer qui mane oriebaris? id est, qui cæteris lucidior apparebas? Erat enim quasi princeps multorum, inter quos clarior erat, & cum quorum societate ad impium descendit certamen. Videns enim infra se multas spiritales potentias, quippe quum in Paradiso Dei pręstantior esset cognitione mysterii cælestis, ipsa elatione inflatus, voluit dici Deus: hac scilicet ratione, qua etiam in præsenti vita exẽplum eius quosdam imitatos videmus, qui contemplatione aggregatorum circa se militum elati, satellitibus in hac re fomitem conspirationis præbentibus, imperium sibi vendicare voluerunt. Hinc est vnde Deus, vt eius præsumptionem non potestate, sed ratione destrueret, materiam condidit, quæ esset rerum confusio, ex qua faceret mundũ. Distincta enim quæ simul cõfusa erãt, hunc præstiterunt quem videmus ornatum.

Esaiæ 14. Diaboli casus.

Post pauca ibidem.

Homo ad accusationem diaboli conditus est.

Ideo enim Deus vnus vnum fecit, vt doceret ab vno omnia esse, ac per hoc vnũ esse Deũ, vt superior creatura ad confusionem suam in homine disceret, qui de terra cõditus est, veritatem, & ex eo diabolus inimicus existeret hominis. Præuidit enim quia ad accusationem eius factus est homo, vnde subtilitate sua id egit, vt in eãdem illum præuaricationem, in quã

ipse ruit, induceret, vt accusatorem suum participē suæ dominationis efficeret. Ex trāsgressione enim diuinitatem illi spopondit, ad quā ipse dum affectaret, ab ea deiectus est. Et quia omnis natura à crimine libera est, ex accidenti sūt nomina (antè enim res, postea significatio) ac per hoc satanas & diabolus ex actu eius cōposita sunt nomina, vt sit non naturæ eius, sed voluntatis eius significatio. Itaque vt propositum Dei, quod in causa creati hominis decreuit, maneret, & factum diaboli, per quod hominem circunuenit, ad cumulum eius reatus proficeret, Christus de sacris sedibus etiam ad terras venire dignatus est, vt & hominem à transgressionis sententia liberaret, & diaboli futuram perditionem, ne quis factum eius imitaretur, ostenderet. Propterea dixit Apostolus Ioannes, Ideo venit Filius Dei, vt solueret opera diaboli.

Fructus humanitatis Christi

1. Ioannis 3.

Eodem libro, Quæst. XXVII.

An pythonissa Samuelem excitauerit.

1. Reg. 18.

Indignum facinus æstimo, si secundum verba historiæ commendetur assensus. Quomodo enim fieri poterat, vt arte magica attraheretur vir, & natiuitate sanctus, & vitę operibus iustus? Aut si non attractus est, contensit: quod vtrunq; de viro iusto credere absurdum est. Si enim inuitus adductus est, nullum suffragium habet iustitia: si autem voluntarius, amisit meritum spiritale, quod positus in carne quæsiuerat. quod valde absurdum est: quia hinc qui iustus recedit, permanet iustus. Porrò autem hoc est præstigium satanæ, quo vt plurimos fallat, etiam in potestate se habere cōfingit, quod Apostolus inter cætera ait, Ipse satanas transfigurat se in Angelū lucis. Vt enim errorem faceret, in quo & ipse gloriaretur, in habitu viri iusti & nomine se subornauit, vt nihil proficere spem, quā prædicabant Dei cultoribus, mētiretur: quando hinc exeuntes iustos finxit in sua esse potestate. Sed hoc quosdā fallit, quòd de morte Saul & filiorum eius non sit mētitus, quasi magnum sit diabolo ante diem occasum corporis præuidere, quum signa soleant quædam apparere morituris. Quippe à quib⁹ Dei protectio amota videtur, quantò magis diabolus, quē angelica maiestate sublimem prophetica oracula fuisse testantur, de cuius magnitudine Apostolus ait, An ignoratis altitudinem satanæ? Quid mirum ergo si imminentem propè mortem potuit prœuidere, cùm hoc sit vnde fallit, & se in Dei potestate vult adorari? Nam tanta hebetudine demens effect⁹ est Saul, vt ad pythonissā cōfugeret. Deprauatus enim causa peccati, ad hæc se contulit quæ dānauerat. Sed si quis propter historiam, vt ea quæ verbis expressa sunt, putet non prætermittenda, ne ratio historiæ inanis sit, rectè faciet quidem, si tamen minimè istud ad veri rapiat rationem, sed ad visum & intellectum. Saul nanque reprobus factus, poterat bonum intellectū habere. Historicus enim mentem Saul & habitum Samuelis descripsit, ea quæ dicta & visa sunt exprimens,

Præstigium satanæ.

2. Corinth. 11.

1. Reg. 18.

prætermittens si vera an falsa sint. Quid enim ait? Audiens in quo habitu esset excitatus, intellexit (inquit) hunc esse Samuelem. Quid intellexerit retulit, & quia non bene intellexit, cōtra Scripturam alium adorauit quàm Deū: & putās Samuelem adorauit diabolum, vt fructum fallaciæ suæ haberet satanas. Hoc enim nititur, vt adoretur quasi Deus. Si enim verè Samuel illi apparuisset, non vtique vir iustus permisisset se adorari, qui prędicauerat Deum solum esse adorandū. Et quomodo homo Dei qui cum Abraham in refrigerio erat, dicebat ad virum pestilentiæ, dignum ardore gehennę, Cras mecum eris? His duobus titulis subtilitatem fallaciæ suæ prodidit improuidus satanas, quia & adorari se permisit sub habitu & nomine Samuelis contra Legem, & virum peccatis pressum, cùm magna distantia peccatorum & iustorum sit, cum Samuele iustissimo futurum mētitus est. Verùm potest videri, si de Samuelis nomine taceatur, quia Saul cum diabolo futurus erat. Ad eum enim transmigrauit, quem adorauit. Semper enim diabolus sub velamine latens, prodit se, dum ea confingit quæ abhorreant personis, per quas fallere nititur.

Eodem libro, Quæst. XXXI.

Qua lingua serpens loquutus sit Euæ.

Sed fortè dicatur, In qua putas lingua serpens loquutus est ad mulierem? Serpentis vtique ore. Si enim hodie non desinunt, qui latratus canum intelligant, & luporum vlulatum, & barritum elephantorum, & cantum gallorum, quare non magis rudis adhuc mulier scire potuit & intelligere sibilum serpētum, cùm multos sciamus auium voces discernere? Nam & constat diabolum eius lingua vti, cuius corpus intrauerit: nec aliter falleret mulierem. Ac per hoc serpentis ore locutus est per serpentem.

Eodem libro, Quæst. XVI.

Dæmones Christum per Legē promissum non nouerant.

Rectè ergo quæritur, Si enim principes sacerdotum non cognouerunt Iesum, quomodo poterat fieri, vt dæmonia agnoscerēt eum? Sed aliud est, quòd cognouisse in Christo dęmones dicit, & aliud quòd huius seculi principes negat cognouisse. Nam dæmonia sciebant ipsum quidem esse, qui per Legem fuerat promissus: omnia enim signa videbant in eo, quæ dixerāt futura esse Prophetæ, vt quòd ex semine Dauid de Virgine vēturus esset redemptor Israel. Mysterium autem diuinitatis eius ignorabāt, sicut & princeps eorū. Denique quærit, quāuis captiosè diabolus à Saluatore, dicens, Si tu es Filius Dei. Videns enim aliquando diuinam virtutem, aliquando hominis infirmitatē, ambigens quid verum esset, torquebatur. Concordant ergo Scripturæ, secundum ea quæ reuelata sunt. Impossibile est enim discordare vnius spiritus viros.

Eodem libro, Quæst. XC.

Diabolus nomē est commune.

Diabolus nō speciale nomen est, sed commune. In quocunque enim opera diaboli fuerint inuenta, sine dubio diabolus appellandus est.

est. Operis enim nomen est non naturæ. Itaque apud Ioānem, patrem Iudæorum diabolum significat, cuius imitatores volentes esse Iudæi, Saluatorem peremerunt.

Post pauca ibidem.

Diaboli enim filius diabolus est: sed diabolus ille, qui est satanas, patrē in malitia sua nullum habet. Ipse enim sibi in malo auctor est. Prior enim ipse peccauit, ac per hoc quicūque imitati illum fuerint, filii eius dicentur, & ille pater eorum. Etenim nos in fide Abraham patrem habemus, quia prior ipse credidit Deo, ac per hoc nomine eius censemur: fideles enim dicimur sicut & ille.

Abraham pater fidelium.

Eodem libro, Quæst. XCVIII.

Audistis quę contestetur sacrosanctum Euangelium, dicēte Domino ad Iudæos, Vos de patre diabolo nati estis, & desyderia patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia veritas non est in illo. Quum loquitur mēdacium, ex suis propriis loquitur: quia mendax est, sicut & pater eius. Nemo fidelium dubitet diabolū apostasię suæ auctorem non habere. Ipse enim totius erroris est princeps. Qui videns à Deo factum se non mediocris potentiæ, ausus est præsumere diuinitatem, vt quia cæteros vidit inferiores, seipsum præferret vt Deū. Denique nomina quibus appellatur diabolus & satanas, ab actu eius cōposita sunt, non ex natura. Omne enim malum opere probatur, vt non substantia in crimine sit, sed voluntas concepta ex causis. Dum enim se vidit potiorem cæteris, inflatus est ad exercendum dominationem. Quomodo ergo patrem habere dicitur, qui auctor sceleris eius habeatur? Aut vnde probatur ab initio homicida fuisse? Sed Scriptura illum, qui eius fuerit imitator, nomine eius appellat. Vnde quia ab opere nomen accepit, omnis qui malum opus fecerit, non immeritò diabolus nominetur.

Ioannis 8.

Diabolus suæ apostasiæ auctorem non habuit.

Libro eodem, Quæst. CXV.

Nihil tam contra Christianos, quàm si arti Matheseos adhibeant curam. hæc enim inimica dignoscitur Legi Dei. Si enim nascuntur qui mali sint, & econtra qui boni sint, frustra Lex data dicitur, & non solùm hæc, sed & iniustus habebitur legislator. Qui enim lege data cogit homines contra id quod nati sunt facere, sciens non posse mutare naturam, ad hoc vtique legem videtur dedisse, vt haberet occasionem, qua crudelitatem suam de nece hominis satiaret. Vt quid enim prohibet quod scit auerti non posse? Aut quemadmodum damnat hominem, qui non fecit quod facere non potuit? Si autem iniustum videtur, vt est (quia istud de Deo sentire nefarium est) recta & salutari ratione Legem dedit, sciens posse hominē cōtinere se ab eo quod ,phibet Lex. Ergo quia iustè Legem dedit, non est vtique iniquus cùm vindicat. Itaq; Legi Dei fides cōmodanda est, quia iustè probatur data: ars Matheseos cuitāda & fugienda est. Hanc enim astutia & subtilitas inuenit diaboli. Quia enim apertè repugnare non audet auctori, tergiuersatione id agit, vt & Deo iniuriam faciat, & hominē Legi inimicum cōstituens, morte multet secūda.

Ars Matheseos Legi Dei inimica dignoscitur.

Eadem quæstione.

Quanuis enim habeat caro proprium motum originis suæ, quia non est otiosa carnalis natiuitas: tamen in hac re accedit ad necem hominum adiutorium dæmonum. Diuersa enim sunt dæmonia, & disparem habentia voluntatem. Quædam enim sunt, quæ quum perturbant animos, elidunt corpora. Quædam verò se admiscentia sanguini, generant animis desyderia: alia autem cordi hominis se copulantia, suggerunt cum blanditiis contraria. Nonnulla autem sunt, quæ sola corpora obligant infirmitatibus, sicut & illam filiam Abrahæ quam Dominus curauit. Hæc omnia ignorantes pagani, fatum appellant, quum diuersæ sint causæ, & ista ab inimicis procurentur, vt quacunque ex causa irritetur homo & subiiciatur passionibus, &c.

Diuersorū dæmoniorum dispares voluntates.

Luc. 13.

Post pauca ibidem.

Extinguitur incendium, si desit materia per quam vrat. Illis autem eueniunt quæ à Mathematicis dicuntur, qui credunt futurum quod dicunt. Illud enim agitur subtilitate dęmoniorum, vt ea efficiāt quæ antistites illorum dixerunt futura, ne falsi detecti credātur. Circa eos verò qui responsioni illorum non commodant fidem, non prævalet effectus eorum: quia nec ipsi tantum intenti sunt, vt satisfaciant eis qui illis non credunt, neque patitur Deus facere illos, per quod seducuntur fidentes de Deo, & non credentes diabolo. Omnia enim sic Deus instituit, vt secundum vniuscuiusque fidem eueniat, vt arbitrium liberum maneat voluntatis, ac per hoc, qui Deo credit ad auxilium eius confugiens, nihil ei prævalere poterit: certus est enim in potestate eius esse quæ fecit, & non audet contra eum, quem videt Deum communem habere propitium.

Dæmoniorum subtilitate fit vt Mathematici aliquando vera dicant.

Post pauca ibidem.

Ad subruendum enim fatum pertinet, quia mortui surrexerunt, cæco nato oculi reformati sunt, ęgri & paralytici confirmati sunt, &c. & quæ facta sunt alia, vt confugientibus ad Deū, si quid fati esse potest, impedimentum auferre non possit. Dicit enim Ioānes Apostolus, Maior est, inquit, qui in nobis est, quàm qui in hoc mūdo. Rogatus enim Deus, etiam quæ statuit amouet. Nam vtique statuit in peccatores vindicandum, & tamen deprecantibus ignoscit, quia ipsi soli licet ligare & soluere. Vnde cùm Soli statio concessa non sit, sub Iesu Naue iussus est stare, & obediuit eius imperio, contra id quod sibi in ratione mundi fuerat præceptum. Sub Ezechia autem amplius factum legitur: quia vt Ezechias quod sibi promissum erat, verum esse non dubitaret, signum tale accepit,

Ioſue 10.

4. Reg. 20.

quod nouum esset & humanis auribus inauditum. Non enim sicut prius, Soli iussum est vt staret, sed vt reuerteretur retrò: quod videns Ezechias certum haberet eum posse sibi quindecim annos addere ad vitã, qui de hora nona fecerat sextam. Et quia contra Mathematicos est quod Ezechiæ concessum est (negant enim posse addi ad vitam) signum iterum in hac re, quod contra Mathematicos esset, accepit. Impossibile enim asserũt aliud astra facere, quàm habẽt constitutũ. Certè fati esse dicunt seruum habere aut non habere. Esto, ab initio mundi hæc fata vbi erãt? Vsque ad diluuium, & infrà multa serie annorum transacta, non fuit hæc conditio seruitutis. Aut nunquid ex Nini regis temporibus hæc fata cœperũt, qui primus dicitur finitimis bella inferre cœpisse, & captos facere seruituti obnoxios? Vide ergo postea hoc esse inuentũ, & non esse fati, sed actus dæmonum, quia si fati esset, ab initio mundi fuisset. Ipsa enim sunt sydera, quæ facta sunt in initio, & nunc manet cursus eorum. Et antea vita hominum agrestis erat, nec diuitiis studebatur. Quomodo nunc Astrologi per astra dicunt diuites & pauperes fieri? Nunquid mutata sunt astra? At versutia & præstigium est satanę, vt ea per stellas dicat fieri, quę angelis suis ministris operatur.

Post pauca ibidem.

Lex etiam aduersatur fatis. Lex etiam vsqueadeò aduersa est ipsis fatis, vt neget malos fati esse quòd mali sunt, sed illorum volũtatis: quamobrem illos puniẽdos ritè constituit. Nihil ergo Legi & fatis commune est, quando à Lege negatur quod à fatis asseritur. Qua autem ratione nati dicẽtur, qui *Mathematici vrbe Roma prohibiti.* Mathematicos vrbe Roma prohibuerũt, quod ius seruatũ non ignoratur? Et certè pagani fuerunt. Quomodo fato fiunt quæ contra fatum sunt? Sed si est fatum, non facit contra se.

Et post pauca.

Anaxagoræ mors. Iudic. 4. Anaxagoras in pilam coniectus iussu regis, concussus expirauit, quod non contigit vlli hominum. Et Sisari regi Allophylorum mulier palum in tempora fixit, & ita reddidit spiritum. Hoc modo nemo est mortuus. Et antea cruci homines affigebantur, quod postea edicto prohibitum manet. Si fati erat, quomodo desiit? Quando enim quod fati est prohibetur & non fit, vincitur fatum. Aut si non erat fati, non fato homines crucifigebantur, sed iudicio legis. Et ita est, vt non fato homines damnentur, sed conuicti à malis suis operibus.

Ibidem post pauca.

Et Christum quidam sub fato fuisse negantur. Quid de quibusdam Christianis dicemus, qui in Saluatore seu saluatione mutati, pristini erroris vendicant vanitatem, intãtum hebetati, vt ipsum Deum sub fato egisse contendant, dicentes, Ipse dicit, Nondum venit hora mea: vt hora hæc non voluntatis, sed fatalis conditionis fuisset necessitas, quum ille volũtatis suæ horam significauerit, qua se tradi permiserit. Denique ait, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Cessat ergo fatalis necessitas, vbi potestas est voluntatis. *Ioannis 10.*

Ibidem in fine.

Ars Mathematica fugienda. Mathematicorum enim fatis credentes, fidei semen exterminant, quod & Creatori & iustitiæ eius testimonium perhibet. Opus enim opificem cognoscit, & æquo iure amoréque & facto testatur. Fugiendum omnibus modis ab hac arte monemus. Curiosi enim eius, inimici Dei sunt, & sine solicitudine nunquam sunt. Semper enim suspensi expectant quod minimè certum sciunt. Nos autem Deum, qui de Deo omnia prospera credimus, & si qua aduersa extiterint, eius nutu comprimi supplici-ter oramus, securi de eius protectione, nec tamen nescii, quia & si quid aduersum bene nobis agentibus euenerit, toleratum proficiet ad coronam.

De hæresibus ad Quoduultdeum, Cap. XLIII.

Hæresis Origenistarum. Origeniani diabolum atque angelos eius, quanuis post longissima tempora, purgatos atque liberatos, regno Dei, lucíque restitui, & rursus post longissima tempora, omnes qui liberati sunt, ad hæc mala denuò relabi & reuerti, & has vices alternantes beatitudinum & miseriarũ rationalis creaturæ, semper fuisse, semper fore asserunt.

Libro I. Hypognosticon contra Pelagianos, in fine.

Diabolus natura est opus Dei Diabolus quæ ad mortem pertinent aut facit dum captiuat, & perimit, aut patitur, dum vincitur & damnatur. Diabolus enim natura est Angelus: sed quòd natura est, opus Dei est, quòd verò diabolus, vitio suo est, vtendo malè naturæ suæ bono: opera verò eius mala, quæ vitia dicuntur, actus sunt, nõ res, quæ tanquam per se agere dicuntur aliquid, quum ea, & per ea totum agit diabolus. vel damnatio dicũtur, quum ipse pro eis damnatur, pro quibus damnatur & homo, quum per liberum arbitrium his intellectis tradit assensum. Et ideo hæc in futuro seculo iam non erunt, quia in auctore suo diabolo damnabuntur, quum ille scilicet damnatus in gehenna, vt pecceni homines amplius, potestatem hæc agere non habebit.

Soliloquiorum animæ ad Deum, Cap. XVI.

De diabolo & tentationibus illius. Deus meus ad te clamamus, libera nos ab aduersario nostro quotidiano, qui siue dormiamus, siue vigilemus, siue comedamus, siue bibamus, siue quodcunque opus operemur, omnibus modis instat die ac nocte, fraudibus & artibus, nunc palàm, nunc occultè sagittas venenatas contra nos dirigens, vt interficiat animas nostras. Et tamen Domine, pessima insania nostra, quia quum continuè videamus cõtra nos draconem ore aperto paratum ad deuorandum, nihilominus dormimus & lasciui-

mus

mus in pigritiis noſtris,tãquã ſecuri ante eũ,q nihil aliud deſyderat,quàm vt nos perdat. Inimicus,vt occidat ſemper vigilat ſine ſomno,& nos vt cuſtodiamus , nos nolumus euigilare à ſõno. Ecce tetẽdit ante pedes noſtros laqueos infinitos , & omnes vias noſtras variis repleuit decipulis ad capiendas animas noſtras. Et quis effugiet? Laqueos poſuit in diuitiis , laqueos poſuit in paupertate , laqueos tetendit in cibo,in potu,in voluptate, in ſomno, & in vigilia, laqueos poſuit in verbo & in opere , & in omni via noſtra. Sed tu Domine libera nos de laqueo venantium , & à verbo aſpero,vt confiteamur tibi dicentes , Benedictus Dominus Deus , qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium . Laqueus contritus eſt,& nos liberati ſumus.

Pſalm.90.& 123.

De cognitione veræ vitæ,Cap.XXIIII.

Dæmones natura boni ſunt.

Dæmones nihilominus in eo quòd angelica ſunt natura,boni ſunt. Dæmones ſibi Deũ adeſſe ſentiunt , dum per eum viuunt & ſentiunt , quod iudicio Dei iuſto mala in pœnis luunt. Deus enim iuſtitia eſt,& vbicunque iuſtitia exercetur,Deus ibi eſſe creditur. Sic denique adeſt Imperator latroni,dum eum damnat,ſicut militi dum eum remunerat.

Eodem libro,Cap.XXXIII.

Anima inſatiabili cupiditate ſciendi veritatem captat,& ideo ſemper in cogitationibus vagatur , ideóque ſenſibus corporeis ſopitis, per ænigmata quædã futura Deo reuelãte prẽuidet. Interdũ circa veriſimilia diabolo fallente languet anxia . Aliquando Angelis vel animabus confabulatur: aliquando à dæmonibus ludificatur. Hęc in modum oculi,cętera omnia videt,ſeipſum anima videre non poteſt.

Libro de Spiritu & anima,Cap.XXVI.

De phantaſticis viſionibus, & illuſionibus dæmonum.

Dicit humana opinio , quòd quadam arte mulierum,& poteſtate dæmonũ homines conuerti poſſint in lupos , & iumenta , & quæque neceſſaria portare,& poſt peracta opera iterum ad ſe redire , nec fieri in eis mentem beſtialem, ſed rationalem humanámque ſeruari. Hoc ſic intelligendum eſt, quoniam dæmones naturas non creant , ſed aliquid tale facere poſſunt, vt videantur eſſe quod non ſunt. Nulla enim arte vel poteſtate animus,ſed nec corpus quidem aliqua ratione in membra vel in lineamenta beſtialia veraciter conuerti poteſt. ſed phantaſticum hominis , quod etiam cogitando ſiue ſomniando per rerum innumerabilium genera variatur,& quum corpus non ſit,corporum ſimiles formas mira celeritate capit. Sopitis autem & oppreſſis hominis ſenſibus corporeis, ad aliorum ſenſum figura corporea perduci poteſt, ita tamen, quòd corpus ipſum hominis alicubi iaceat , viuens quidem , ſed multò grauius atque expreſſius , quàm ſomno ſuis ſenſibus obſeratis : phantaſticum autem illud veluti formatum in alicuius animalis imaginem, alienis ſenſibus appareat , taliſque homo ſibi videatur,qualis ſibi videri poſſet in ſomnis, & portare onera. Quæ onera,ſi vera ſunt corpora,portantur à dæmonibus,vt illudatur hominibus,partim vera onerum corpora,partim falſa iumentorum cernentibus,&c.

Eodem libro,Cap.XXVII.

Satanas quòd modo intrare in hominem dicatur.

Implere autem dicitur ſatanas mentem alicuius , & principale cordis , non ingrediens quidem in eum , & in ſenſum eius, ſed fraude & iniquitate , atque omni malitia illum alliciens atque ſeducens , affectu malitiæ trahit per cogitationes & incentiua vitiorum , quibus ipſe plenus eſt , vtpote fallax , nequam, & fraudulentus deceptor animarum. Non enim participatione naturæ ſeu ſubſtantiæ , vt quidam putant,animam implet diabolus, aut eius habitator efficitur , ſed per fraudulentam deceptionem atque malitiam , in eo habitare dicitur quem implet. Solius enim Trinitatis eſt intrare, & implere naturam, ſiue ſubſtantiam, quam creauit,&c.

Eodem libro,Cap.XXVIII.

De mulieribus quæ dæmonum illuſionibus ſeducuntur.

Dæmones & acrimonia ſenſus, & celeritate motus aerei corporis, terrenorum corporum ſenſum facilè præcedunt, & quædam cogitata prænuntiant , quæ homines mirantur propter tarditatem terreni corporis. Acceſsit autem dæmonibus per tam longum tempus, quo eorum vitã protenditur,rerum longè maior experientia , quàm hominibus poteſt euenire propter breuitatem vitæ . Idcirco quædam futura prædicunt, & quædã mira faciunt, quibus homines alliciunt & ſeducunt. Vnde quædam mulierculæ poſt ſatanam conuerſæ, dæmonum illuſionibus & phantaſmatibus ſeductæ, credunt ſe & profitentur nocturnis horis cum Diana paganorum dea , vel cum Herodiade & Minerua , & innumera mulierum multitudine equitare , earúmque iuſsionibus obtemperare . Ipſe nanque ſatanas, qui transfigurat ſe in Angelum lucis,quum mentem cuiuſque mulierculæ ceperit , & hanc ſibi per infidelitatem ſubiugauerit, illicò tranſformat ſe in Angelum lucis, in diuerſarúmque perſonarum ſpecies & ſimilitudines, & mentem quam captiuam tenet,in ſomnis deludens, modò lætã,modò triſtia, modò cognitas, modò incognitas perſonas oſtendens, per deuia quæque deducit. Et cùm ſolus hoc patitur ſpiritus infidelis,nec in animo, ſed in corpore euenire opinatur,idcirco nimis ſtultꝰ & hebes eſt,qui hæc omnia quæ in ſpiritu fiũt, etiam in corpore accidere arbitratur,cùm Ezechiel & alii Prophetæ, Ioannes etiam Euangeliſta & Apoſtoli in ſpiritu,non in corpore viſiones viderint.

De Eccleſiaſticis dogmatibus,Cap.XXIIII.

Nemo etiam Baptiſmatis gratia renouatus idoneus eſt ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad vincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adiutorium Dei,perſeuerãtiam bonæ conuerſationis acceperit.

Eodem libro, Cap. LXXXI.

Diabolus cogitationes videre non potest.

Internas animæ cogitationes diabolum non videre certi sumus: sed motibus eas corporis ab illo & affectionum indiciis colligi experimento didicimus. Secreta autem cordis solus ille nouit, ad quem dicitur, Tu solus nosti corda filiorum hominum.

Cap. LXXXII.

Malæ cogitationes non semper à diabolo.

Non omnes malæ cogitationes nostræ semper diaboli instinctu excitantur, sed aliquoties ex arbitrii nostri motu emergunt. Bonę autem cogitationes semper à Deo sunt.

Cap. LXXXIII.

Dæmones animabus hominũ non immiscetur, sed applicatur.

Dæmones per energicam operationem non credimus substãtialiter illabi animę, sed applicatione & oppressione vniri. Illabi autẽ menti, illi soli possibile est qui creauit, qui natura subsistens incorporeus, capabilis est suæ facturæ.

Libro I. de mirabilibus sacræ Scripturæ, Cap. II.

Absit hoc vt sentiamus angelum posse homini suadere peccatum in terra, nisi prius ipse peccaret in cælo, dicente Domino, Vidi satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Non enim potuisset & ipse inuidere felicitati humanę, nisi prius amisisset beatitudinem primã. Non solùm ergo peccatum hominis præcessisse diabolica ruina credẽda est, sed etiam perfectionem creaturarum illarum, quæ in die septimo facta est. Damnãdis in nouissimo die Domino prænuntiante dicitur, Discedite à me maledicti in ignem æternum, quem præparauit Pater meus diabolo & angelis eius. Quando ergo præparatus est ille ignis in perfectione creaturarum omnium, nisi fortè dicamus post sexti diei perfectionem Deum aliquid creasse? Quod absit, ne mendacem Scripturam, imò nosmetipsos faciamus. Cui ergo carcer in illa creaturarũ conditione præparatus est, illius peccatum originaliter illas creaturas præcesit. Quoniam vt Scriptura inquit, Ipse ab initio mendax est, & in veritate non stetit.

Luc. 10.

Matth. 25.

Lib. II. de mirabilibus sacræ Scripturæ, Cap. X.

Diabolus spiritus Domini dicitur.

Vbicunque cum additamento dicitur esse spiritus Domini malus, vt in libro Samuelis, intelligitur diabol⁹ esse, q Domini ꝓpter ministerium, malus propter vitium dictus videtur.

Lib. II. de Symbolo ad Catechumenos, Cap. I.

Ex qua re nobis factus est aduersarius diabolus, nisi ex hac, quia videt liberos, quos tenebat antè captiuos, quia videt sanos, quos suis iaculis prostrauerat vulneratos, quia videt vestiri denuo immortalitate, quos nudauerat ꝓpinando iniquitatem, quia muscipula eius cõminuta est, & nos eruti sumus? Adiutorium nostrum in nomine Domini. Si adiutorium nostrum in nomine Domini eius est, renũtiemus diabolo, pompis & angelis eius. Hoc audistis, hoc & vos professi estis, renuntiare vos pompis & angelis eius. *Eodẽ Cap. sub finẽ.*

Psalm. 123.

Duo sunt genera armorũ diaboli valde fortia, contra quæ vigilanter ac fortiter stare debet omnis miles Christi, qui triumphare cupit & superare virtutem diaboli. Quæ sunt ista duo genera armorum? Voluptas & timor. Alios enim voluptate capit, alios timore frangit. Confirmetur & nostra acies, proferantur arma spiritalia, contra timorem diaboli adsit timor Domini castus permanens in seculum seculi. Contra voluptatem turpissimè delectationis, non desit fides orationis. Et quid metuit Christianus, quando admonetur sic orare, sic præsumere, sic fidere, vt dicat, Dominus mihi adiutor est, & ego despiciam inimicos meos? Plures tamen noueritis, dilectissimi, capere aduersarium per voluptatem quàm per timorem. Nam quare quotidie muscipulam spectaculorum, insaniam studiorum ac turpium voluptatum proponit, nisi vt his delectationibus capiat quos amiserat, ac lætetur denuo se inuenisse quos perdiderat?

Diaboli duo genera armorum.

Psalm. 117.

De salutaribus documentis, Cap. IX.

Diabolus caput & finis mendacij.

Diabolus enim est angelus per superbiam separatus à Deo, qui in veritate non stetit, & doctor mendacii, & pater mendacii, quia ab ipso primum inuentum est mendacium, & ipse est mendacium, sicut verissima veritas Dominus noster Iesus Christus in Euangelio Ioannis loquitur, quia ipse est caput & finis mẽdacii, & à semetipso deceptus, nos decipere festinat. Iste est aduersarius effectus generis humani, inuentor mortis, radix malitiæ, scelerum caput, princeps omnium vitiorum, persuasor etiam turpium voluptatum.

Ioannis 8.

In speculo peccatoris, Cap. VII.

Diaboli conat⁹ circa morientes.

Attende ergo in illa terribili hora mortis de qua loquimur, misera peccatoris anima, quando de mundo exitura & itura es, aderunt mox ministri maligni, illi scilicet maledicti diaboli, illa vera tartarea monstra, illi spiritus terribiles & pessimi, velut leones rugientes vt rapiant prædam, subaudi tuam peccatricem & miseram animam. Tunc horribilia patebunt loca pœnarum, chaos & caligo tenebrarum, horror miseriæ & tribulationis, tremor & timor angustiæ & confusionis, dolor horrendæ visionis, tremor tremendę mãsionis, locus flentium, vbi stridor dentiũ, vbi morsus vermium, vbi clamor dolentium, vbi luctus gementium, vbi est vox clamantium peccatorum, & dicentium, Væ, væ nobis filiis Euæ.

De rectitudine catholicæ conuersationis, C.

Ante omnia illud annuntio atque obtestor, vt nullus paganorum sacrilegas consuetudines obseruet, non carcarios, non diuinos, non sacrilegos, non præcantatores, nec pro vlla causa aut infirmitate eos consulere & interrogare præsumatis. Qui hoc malum facit, perdit Baptismi sacramentum. Similiter auguria vel sternutiones obseruare nolite, nec in itinere positi, aliquas auiculas cantantes attẽdatis: sed

sed siue iter, siue quodcunque opus arripiatis, signate vos in nomine Christi, & symbolum & orationem Dominicam cum fide & deuotione dicite: & nihil vobis poterit nocere inimicus.

Superstitiones à Christianis præcauendæ.

Nullus obseruet qua die domũ exeat, vel qua reuertatur, quia omnes creauit Dominus. Nullus ad inchoandum opus, diem vel lunam attendat. Nullus in calendis Ianuarii, nefanda & ridiculosa, vetulas aut ceruulos, aut iocticos faciat, neque mensas super noctem componat, nec syrenas aut bibitiones exerceat superfluas. Nullus in pyras credat, neque in cantum sedeat, quia opera diabolica sunt. Nullus in festiuitate beati Ioannis, aut Sanctorum solennitatibus solstitia, aut vallationes vel salutationes, aut cantica diabolica exerceat. Nullus nomina dæmonum, aut Neptunum, aut Dianam, aut Herculem, aut Mineruam, aut Genistum, aut cætera huiusmodi inepta credere aut inuocare præsumat. Nullus diem Iouis absque solennitatibus sanctis, nec in Maio, nec in vllo tempore in otio obseruet, nec turmarum vel murorum, vel aliquam diem omnino, nisi tantùm diem Dominicam. Nullus ad fana, vel ad petras, vel ad fontes, vel ad arbores, aut ad ocellos, vel per trina luminaria votum faciat, vel votum reddere præsumat. Nullus ad colla hominis vel alicuius animalis legumina dependere præsumat, & si à clericis fiat, & dicatur quòd res sancta sit, & in Diuina lectione contineatur, non esset dignus nomine clericorum, sed hæreticorum: quia non est in eis remedium Christi, sed venenum diaboli. Nullus præsumat lustrationes facere, nec herbas incantare, neque pecora per cauam arborem, vel terram transilire foratam, quia per hoc diabolo videtur consecrare. Nulla mulier præsumat succinos dependere, nec in tela siue in tinctura, siue in quolibet opere, Mineruam vel cæteras infaustas personas nominare, sed in omni tempore Christi gratiam adesse, & in virtute nominis eius toto corde confidere. Nullus quando luna obscuratur vociferare præsumat, quia certis temporibus Deo iubente obscuratur. Nec per lunam nouam timeat aliquid operis arripere, quia Deus ad hoc lunam

Gene. 1.

fecit vt tempora designet, & noctium tenebras temperet, nõ vt alicuius corpus custodiat, aut dementem hominem faciat, sicut stulti putant, qui à dæmonibus vexatos, à luna pati putant.

1. Timoth. 2.

Nullus dominos solem aut lunam vocet, neque per eos iuret, quia creatura Dei sunt, & necessitatibus hominum iussu Dei inseruiunt. Nemo sibi proponat Fortunã aut Genistum, quòd nascentia dicitur, quia Deus vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, atque in sapientia omnia dispensat, sicut disposuit ante mundi constitutionem. Propterea quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, nõ quærantur præcãtatores, non diuini, non sortilegi, non carcarii, neq; per fontes, aut arbores, aut biuia, phylacteria exercea-

tur, sed qui ægrotat in sola misericordia Dei confidat.

Post pauca ibidem.

Ideóque fratres, omnes adinuentiones inimici toto corde respuite, & suprà dicta sacrilega cum omni labore & horrore fugite. Nulli creaturæ præter Deum & Sanctos eius, venerationem exhibeatis: fontes vel arbores, quos sacrinos vocant, succidite, plantas siue vngulas pedum, quas per biuia ponunt, fieri vetate, & vbi inueneritis igni cremate. Per nullam aliam artem saluari vos credatis, nisi per inuocationem & crucem Christi, &c.

Nulla arte saluamur, nisi per inuocatione nominis Christi.

Post pauca ibidem.

Nullus, sicut dictum est, obseruet egrediẽs aut ingrediens domum quid sibi occurrat, vel sibi in aliquo vox reclamantis fiat, aut qualis auis cantus garriat, vel quid etiam portãtem videat: quia qui hæc obseruat, ex parte paganus esse dignoscitur. Qui ergo hæc contempserit, Prophetam sibi gratuletur clamare, Beatus vir cuius est Dominus spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas. Hinc & Apostolus monet, Omne, inquit, quodcunq; facitis, in nomine Iesu Christi facite. Prorsus ergo recedẽdum est à cunctis huiuscemodi obseruantibus. Mathematici spernendi, auguria horrenda, somnia contemnenda: quoniam sicut Scriptura testatur, vana sũt. Vnde per Mosen præcipitur, Non augurabimini, Non obseruabitis, inquit, somnia, nec ad Magos declinabitis. Oportet ergo vt hæc tota mẽte obseruetis, & si quos cognoscitis, vel occultè aliqua phylacteria exercere, expedit vt nec cibum cum eis sumatis, nec vllum consortium cum illis habeatis. Ista ergo omnia spernentes, ad Dei vos auxilium conferte, & de eius misericordia non desperate.

Psalm. 39.

Coloss. 3.

Auguria non obseruanda.

Leuit. 19.

De diuinatione dæmonum,

Cap. I.

Quodam die in diebus sanctis octauarum cùm mane apud me adessent multi fratres laici Christiani, & in loco solito consedissemus, ortus est sermo de religione Christana, aduersus præsumptionem, & tanquã miram & magnam sciẽtiam paganorum: quem recordatum atque completum, literis mandãdum putaui, non expressis contradicentiũ personis, quanuis Christiani essent, & magis contradicendo quærere viderentur quid paganis responderi oporteret. Cùm ergo de diuinatione dæmonum quæreretur, & affirmaretur prędixisse nescio quam euersionem templi Serapis, quæ in Alexandria facta est: respondi non esse mirandum, si istam euersionem templi simulachris suis imminere dæmones & scire & prędicare potuerunt, sicut alia multa, quantum eis nosse & prænuntiare permittitur, &c.

Templi Serapis euersio à dæmone prædicta.

Cap. III.

Dæmonum est natura, vt aerei corporis sensu, terrenorum corporum sensum facilè præcedant, celeritate etiam propter eiusdem

Dæmones multa antè cognita prænuntiant.

aerei corporis superiorem mobilitatẽ, non solùm cursus quorũlibet hominum vel ferarum, verumetiam volatus auium incomparabiliter vincãt. Quibus duabus rebus, quantùm ad aereum corpus attinet, prẽditi, hoc est, acrimonia sensus, & celeritate motus, multò antè cognita prænuntiant vel nũtiant, quæ homines præ sensus terreni tarditate mirentur. Accessit etiam dæmonibus per tam longum tempus, quo eorum vita protẽditur, rerum longè maior experiẽtia, quàm potest hominibus propter breuitatem vitæ prouenire. Per has efficacias, quas aerei corporis natura sortita est, nõ solùm multa futura prædicunt dæmones, verumetiã multa mira faciũt. Quæ quoniam homines dicere ac facere non possunt, eos dignos quidam quibus seruiant, & quibus diuinos honores deferant arbitrantur, instigante maximè vitio curiositatis propter amorem felicitatis falsæ, atque terrenæ & excellentiæ temporalis, &c.

Eodem libro, Cap. V.

Dæmones plerunque ea prænuntiant, quæ facturi sunt.

Primùm sciendum est, quoniam de diuinatione dęmonum quęstio est, illos ea plerunque prænuntiare, quæ ipsi facturi sunt. Accipiunt enim sæpe potestatem & morbos immittere, & ipsum aerem vitiãdo morbidũ reddere, & peruersis atque amatoribus terrenorum commodorum malefacta suadere, & de quorũ morib⁹ certi sunt, quòd sint eis talia suadentibus consensuri. Suadent aũtem miris & inuisibilibus modis, per illam subtilitatem suorum corporum, corpora hominum non sentiẽtium penetrando, seseq; cogitationibus eorum per quædam imaginaria visa miscendo, siue vigilãtium siue dormientium. Aliquando autem non quæ ipsi faciunt, sed quæ naturalibus signis futura prænoscunt, quæ signa in hominum sensus venire non possunt, antè prædicunt.

Post pauca.

Libr. 2 Retractationum, Cap. 30.

Dæmon in aeris affectione atque ordinatione, sibi notas, nobis ignotas, futuras præuidet tẽpestates. Aliquãdo & hominum dispositiones, nõ solùm voce prolatas, verũetiam cogitatione cõceptas, cùm signa quædã ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt, atq; hinc etiã multa futura prænuntiãt, aliis videlicet mira, qui ista disposita nõ nouerunt. Sicut enim apparet cõcitatior animi motus in vultu, vt ab hominibus quoque aliquid forinsecus agnoscatur, quod intrinsecus agitur, ita non debet esse incredibile, si etiam leniores cogitationes dant aliqua signa per corpus, quę obtuso sensu hominum cognosci non possunt, acuto autem dæmonum possunt.

De Ecclesiasticis dogmatibus, Cap. LXXXIIII.

Peccatores signa faciũt.

Signa & ꝓdigia & sanitates etiã peccatores in nomine Domini facere, ab ipso Deo didicimus, & cùm alios hac præsumptione iuuent, sibi per ambitionẽ humanæ gloriæ nocent: quia gloriantur in dato falso, non meritis debito.

Eodem libro, Cap. LXXXV.

Signa sanctum non reddunt.

Signis & prodigiis clarum posse fieri Christianum, non tamen sanctum, si intemperatis & asperis moribus agat. Temperatis autem & placidis moribus, etiam absque signorum efficacia, & sanctum & perfectum & Dei hominẽ fieri rectè credimus, &c.

De vera religione, Cap. XXV.

Quare mirac. la cessauerint.

Quum enim Ecclesia catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, & eorũ consuetudine frigesceret genus humanũ, quorum nouitate flagrauit. Nec iam nobis dubium esse debet, iis esse credendum, qui quum ea prædicent quę pauci assequũtur, se tamen sequendos populis persuadere potuerunt. Nunc enim agitur quibus credendum sit, antequam quisq; sit idoneus incundæ rationi de diuinis & de inuisibilibus rebus. Nam ipsi rationi purgatioris animę, quæ ad perspicuam veritatem peruenit, nullo modo auctoritas humana præponitur, sed ad hanc nulla superbia humana perducit. Quæ si non esset, non essent hæretici, neque schismatici, nec carne circuncisi, nec creaturarum simulachrorúmque cultores. Hi autem si non essent ante perfectionem populi, quæ promittitur, multò pigrius veritas quæreretur.

De vtilitate credendi ad Honoratum, Cap. XVI.

Homini non valenti verum intueri, vt ad id fiat idoneus, purgarique se sinat, auctoritas præstò est, quã partim miraculis, partim multitudine valere nemo ambigit. Miraculũ voco, quidquid arduũ aut insolitũ supra spem vel facultatem mirãtis apparet. In quo genere nihil est populis aptius & omnino stultis hominib⁹, quàm id q; sensib⁹ admouetur. Sed rursus hæc in duo diuidũtur. Quædã enim sunt, quæ solã faciũt admirationẽ, quædã verò magnam etiã gratiã beneuolentiámq; conciliant. Nã si quis volantẽ hominẽ cernat, cùm ea res nihil spectatori afferat cõmodi prẽter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis autem graui & desperato morbo affectus, mox vt iussum fuerit, cõualescat, admirationem sanitatis suæ, sanantis etiam charitate superabit. Talia facta sunt illo tempore, quo Deus in vero homine, quãtum sat erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mundati leprosi, incessus claudis, cæcis visus, surdis auditus est redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conuersam, saturata quinque millia quinque panibus, transita pedibus maria, mortuos resurgentes viderunt. Ita quædam corpori manifestiori beneficio, quædam verò menti occultiore signo, & omnia hominibus maiestatis testimonio consulebant: sic in se tunc animas errantes mortalium diuina commouebat auctoritas. Cur (inquis) ista modo non fiunt? Quia non moueret, nisi mira essent. At si solita essent, mira non essent.

Miraculum quid sit.

Miracula deplosa sunt.

Matth. 11. 14. Ioan. 2. Cap.

Cur nõ tanta miracula non fiant quæ Christo temporibus

essent. Nam diei & noctis vices, & constantissimum ordinem rerũ cælestium, annorum quadrifariam conuersionem, decedentes redeuntésque frondes arboribus, infinitã vim seminum, pulchritudinẽ lucis, colorum, sonorum, odorum, saporúmq; varietates, da qui primùm videat atque sentiat, cum quo tamẽ loqui possimus, hebescit, obruitúrq; miraculis. Nos verò hæc omnia, nõ cognoscendi facilitate (quid enim causis illis obscurius?) sed certè sentiẽdi assiduitate cõtemnimus. Facta sunt igitur illa opportunissimè, vt his multitudine credẽtium congregata, atque propagata, in ipsos mores vtilis conuerteretur auctoritas.

Libr. XXI. Sententiarum, Sententia quarta.

Non enim oportet moueri cùm magicis artibus miracula fiunt, plerunque similia miraculis quæ fiunt per sanctos Dei seruos, sicut scriptum est in Exodo, quòd Magi Pharaonis fecerunt nonnulla similiter sicut fecit Moses. Exod. 7. Nõ ergo oportet hæc mirari, quia omnia quæ visibiliter fiunt, etiam per inferiores potestates aeris huius non absurdè fieri posse creduntur. *Discrimẽ inter miracula quæ faciunt Sancti, & quæ fiunt à Magis.* Sed hoc interest, quòd cùm Sancti talia faciant, in nomine Domini Dei omnium rerum de sublimioribus apparatibus iubetur inferiori creaturæ: cùm autem mali homines magicis artibus operãtur similia, in manus suas dãtur cùm exaudiũtur à dæmonibus. Digni enim sunt qui tali exauditione decipiantur, vt pœna illis fiat hoc quod videntur impetrare beneficium, cùm eis exhibẽt quasi priuatim aereæ potestates quędã miracula, vt eos habeant subiugatos, permissu tamen diuinæ prouidentiæ, vt pro meritis animarum sua cuique tribuantur.

Lib. X. De ciuitate Dei, Cap. IX.

Vtile miraculorum in veteri Testamento. Multa fiebant in veteri Testamento miracula, quæ omnia commemorare nimis longum est, ad commendandum vnius Dei veri cultum & multorum falsorúmque prohibendum. Fiebãt autem simplici fide, atque fiducia pietatis, non incantationibus & carminibus nefariæ curiositatis arte compositis, quam vel Magiã, vel detestabiliore nomine Goetian, vel honorabiliore Theurgian vocant qui quasi conantur ista decernere: & illicitis artibus deditos alios damnabiles, quos & maleficos vulgus appellat (hos enim ad Goetian pertinere dicũt) alios autem laudabiles videri volunt, quibus Theurgian deputant, cùm sint vtrique ritibus fallacibus dęmonum obstricti, sub nominibus Angelorum, &c.

Eodem lib. Cap. X.

Porphyrius doctior Apuleio. Ecce nunc alius Platonicus, quem doctiorem ferunt, Porphyrius, nescio per quam theurgicam disciplinam etiam ipsos deos obstrictos passionibus & perturbationibus dicit. Quoniã sacris precibus adiurari terreríq; potuerunt, ne præstarent animæ purgationem, & ita terreri ab eo qui imperabat malum, vt ab alio qui poscebat bonum per eandem artem theurgicam solui illo timore nõ possent, & ad dãdum beneficium liberari. Quis non videat hęc omnia fallacium dæmonum esse commenta, nisi eorum miserrimus seruus, & à gratia veri Liberatoris alienus? O theurgia præclara, ô animæ prædicanda purgatio, vbi plus imperat immunda inuidentia, quàm impetrat pura beneficentia: imò verò malignorum spirituum cauenda & detestanda fallacia, & salutaris audiendi doctrina. Quid enim? Quia has sordidas purgationes sacrilegis ritibus operãtur, quasdam mirabiliter pulchras (sicut iste commemorat) vel Angelorum imagines, vel deorum tanquam purgato spiritu vident (si tamen vel tale aliquid vident) illud est quod 2. Corinth. 11. Apostolus dicit, Quoniam satanas transfigurat se velut Angelum lucis. Eius enim sunt illa phantasmata, qui miseras animas multorum falsorúmque deorum fallacibus sacris cupiẽs irretire, & à vero veri Dei cultu, quo solo mũdantur & sanantur, auertere, sicut de Protheo dictum est, formas se vertit in omnes, hostiliter insequens, fallaciter subueniens, & vtrobique nocens.

Eodem libro, Cap. XII.

De miraculis quæ per sanctorum Angelorũ ministerium Deus operatur Porrò autem quæcunque miracula, siue per Angelos, siue quocunque modo ita diuinitus fiunt, vt Dei vnius, in quo solo beata vita est [illegible]um religionémque commendent: ea verè [illegible]is, vel per eos qui nos secundum veritatem pietatémque diligunt fieri, ipso Deo in illis operante, credendum est. Neque enim audiendi sunt qui Deum inuisibilem visibilia miracula operari negant, quum ipse etiam secundum ipsos fecerit mundum, quem certè visibilem negare non possunt. Quidquid igitur mirabile fit in hoc mundo, profectò minus est quàm totus hic mundus, id est, cælum & terra, & omnia quæ in eis sunt, quæ certè Deus fecit. Sicut autem ipse qui fecit, ita modus quo fecit occultus est, & incomprehensibilis homini. Quanuis itaque miracula visibilium naturarum videndi assiduitate viluerint, tamen quum ea sapienter intuemur, inusitatissimis rarissimísque maiora sunt. Nam & omni miraculo quod fit per hominem, maius miraculum est homo. *Homo omni miraculo maius est miraculum.* Quapropter Deus qui fecit visibilia cælum & terram, non dedignatur facere visibilia miracula in cælo vel in terra, quibus ad se inuisibilem colendum excitet animam adhuc visibilibus deditam: vbi verò & quando faciat, incommutabile consilium penes ipsum est, in cuius dispositione iam tempora facta sunt, quæcunque futura sunt. Nam temporaliã mouens, temporaliter non mouetur, nec aliter nouit facienda quàm facta, nec aliter inuocantes exaudit, quàm inuocaturos videt. Nam & quum exaudiunt Angeli eius, ipse in eis exaudit, tanquam in vero nec manufacto templo suo, sicut in omnibus Sãctis suis, eius quæ temporaliter fiunt iussa, æterna eius Lege conspecta.

Eodem libro, Cap. XVI.

Quibus spiritibus credendū.

Quibus igitur Angelis de beata & sempiterna vita credendum esse censemus? Vtrùm eis qui se religionis ritibus coli volunt, sibi sacra & sacrificia flagitantes à mortalibus exhiberi, an eis qui hunc omnem cultum vni Deo creatori omnium deberi dicunt, eíque reddēdum vera pietate præcipiunt, cuius & ipsi contemplatione beati sunt, & nos futuros esse promittunt? Illa nanque visio Dei, tantæ pulchritudinis visio est, & tanto amore dignissima, vt sine hac quibuslibet aliis bonis præditum atq; abundantem non dubitet Plotinus infelicissimum dicere. Quum ergo ad hunc vnum quidam Angeli, quidam verò ad seipsos latria colendos signis mirabilibus excitent, & hoc ita vt illi istos coli prohibeant, isti autem illum prohibere non audeant, quibus potius sit credendum respondeant Platonici, respondeant quicunque Philosophi, respondeant Theurgi vel potius Periurgi, hoc enim sunt illæ omnes artes vocabulo dignæ. Post remò respōdeant homines si vllus suæ naturę sensus, quòd rationales creati sunt, ex aliqua parte viuit in eis. Respondeant (inquam) essne sacrificādum sit diis vel angelis, qui sibi sacrificari iubent, an illi vni cui iubent ii qui & sibi & istis prohibent. Si nec isti, nec illi vlla miracula facerent, sed tantùm præciperent, alii quidem vt sibi sacrificaretur, alii verò id vetarent, sed vni tantùm iuberent Deo: satis deberet pietas ipsa discernere, quid horum de fastu superbiæ, quid de vera religione descenderet. Plus etiam dicam, Si tantùm hi mirabilibus factis humanas animas permouerent, qui sibi sacrificia expetunt: illi autem qui hoc prohibent, & vni tantùm Deo sacrificari iubent, nequaquam ista visibilia miracula facere dignarentur, profectò non sensu corporis, sed ratione mentis præponenda esset eorum auctoritas. Cùm verò Deus id egerit ad commendanda eloquia veritatis suæ, vt per istos immortales nūtios, non sui fastum, sed maiestatem illius prędicantes, faceret maiora, certiora, clariora miracula, ne infirmis piis, illi qui sacrificia sibi expetunt falsam religionem facilius persuaderent, eò quòd sensibus eorum quædam stupenda monstrarent: quem tandem ita desipere libeat, vt non vera eligat quæ sectetur, vbi & ampliora inuenit quæ miretur? Illa quippe miracula deorum gentilium, quæ commendat historia, non ea dico quæ interuallis temporum occultis ipsius causis mundi, veruntamen sub diuina prouidentia constitutis & ordinatis, monstruosa contingunt, quales sunt inusitati partus animalium, & cæli terræque rerum insolita facies, siue tamen terrēs, siue etiam nocens, quæ procurari atque mitigari dæmoniacis ritibus fallacissima eorum astutia perhibentur. Sed ea dico quæ vi ac potestate eorum fieri satis euidenter apparet, vt est quòd effigies deorum penatum, quos de Troia AEneas fugiens aduexit, de loco in locum migrasse referuntur, quòd eotem Tarquinius nouacula secuit, quòd Epidaurius serpens AEsculapio nauiganti Romam comes adhæsit, quòd nauim, qua simulachrum matris Phrygiæ vehebatur, tantis hominū boúmque conatibus immobilē redditā, vna muliercula zona alligatā, ad suæ pudicitiæ testimoniū mouit & traxit, quòd virgo Vestalis, de cuius corruptione quæstio vertebatur, aqua impleto cibro de Tyberi, neque profluente, abstulit controuersiam. Hæc ergo atque alia huiuscemodi nequaquam illis quæ in populo Dei facta legimus, virtute ac magnitudine conferenda sunt, quantò minus ea quæ illorū quoq; populorū, qui tales deos coluerūt, legibus iudicata sunt, prohibenda atq; plectenda, Magica scilicet vel Theurgica? Quorū pleraq; specietenus mortaliū sensus imaginaria ludificatione decipiūt, quale est lunam deponere, Donec suppositas (vt ait Lucanus) propior despumet in herbas. Quædam verò & si nonnullis piorum factis videantur opere coæquari, finis ipse quo discernuntur incomparabiliter hæc nostra ostendit excellere. Illis enim multi tantò minus sacrificiis colendi sunt, quantò magis hæc expetunt. His verò vnus commendatur Deus, qui se nullis talibus indigere, & Scripturarum suarum testificatione & eorundem postea sacrificiorū remotione demonstrat.

Miracula gentilium historia.

Eodem lib. Cap. XXII.

Vnde potissimum Sanctos in lucrandos & mundandos de vera purgatio.

Vera pietate homines Dei, aereā potestatem inimicam cōtrariámque pietati exorcizādo eiiciunt non placando, omnes tentationes aduersitatésque eius vincunt orando nō ipsam sed suum Deum aduersus ipsam. Non enim alique vincit aut subiugat, nisi societate peccati. In eius ergo nomine vincitur qui hominem assumpsit, egítque sine peccato, vt in ipso sacerdote ac sacrificio fieret remissio peccatorū, id est, per Mediatorem Dei & hominum, hominē Christum Iesum, per quē facta peccatorū purgatione recōciliamur Deo. Non enim nisi peccatis homines separantur à Deo, quorū in hac vita non fit nostra virtute, sed diuina miseratione purgatio, per indulgentiam illius nō per nostram potentiam, quia & ipsa quantulacunque virtus, quæ dicitur nostra, illius est nobis bonitate cōcessa. Multum autem nobis in hac carne tribueremus, nisi ad eius depositionem sub venia viueremus. Propterea ergo nobis per Mediatorem præstita est gratia, vt polluti carne peccati, carnis peccati similitudine mūdaremur. Hac Dei gratia, qua in nos ostendit magnam misericordiam suā, & in hac vita per fidē regimur, & post hanc vitam per ipsam speciem incommutabilis veritatis, ad perfectionē plenissimam perducemur.

1. Tim. 2.

Lib. XVIII. De ciuitate Dei.

Cap. V.

In omnibus ferè templis vbi colebantur Isis

& Serapis, erat etiam simulachrum quod digito labiis impresso, admonere videretur vt silentium fieret. hoc Varro significare existimat, vt homines eos fuisse taceretur. Ille autem bos quem mirabili varietate decepta AEgyptus, in honorem eius delitiis affluẽtibus alebat, quoniam eum sine sarcophago viuum venerabantur, Apis non Serapis vocabatur. Quo boue mortuo, quoniam quærebatur & reperiebatur vitulus coloris eiusdem, hoc est, albis quibusdam maculis similiter insignitus, mirum & quiddam diuinit⁹ sibi procuratum esse credebant. Non enim magnum erat dæmonibus, ad eos decipiendos, phantasiam talis tauri, quem sola cerneret, ostentare vaccę concipienti atque prægnanti, vnde libido matris attraheret quod in eius fœtu iam corporaliter appareret: sicut Iacob de virgis variatis vt oues & capræ variæ nascerentur effecit. Quod enim homines coloribus & corporibus veris, hoc dæmones figuris fictis facillimè possunt animalibus concipientibus exhibere.

De boue quem AEgyptus colebat.

Gene. 30.

Lib. XXI. Cap. V.

Veruntamen homines infideles, quibus cùm diuina vel præterita vel futura miracula prædicamus, quæ illis experiẽda non valemus ostendere, rationem à nobis earum flagitant rerum: quam quoniam non possumus reddere (excedunt enim vires mentis humanæ) existimant falsa esse quæ dicimus: ipsi de tot mirabilibus rebus, quas vel videre possumus vel videmus, deberent reddere rationem. Quod si fieri ab homine non posse viderint, fatendum est eis non ideo aliquid non fuisse vel futurum non esse, quia ratio non potest reddi: quandoquidem sunt ista de quib⁹ similiter nõ potest. Non itaque pergo per plurima, quæ mandata sunt literis, non gesta atque transacta, sed in locis quibusque manentia, quò si quisquã ire voluerit & potuerit, vtrùm vera sint explorabit. Sed pauca commemoro. Agrigentinum Siciliæ salem perhibent cùm fuerit admotus igni velut in aqua fluescere: cùm verò aquæ adiungitur, velut in igne crepitare. Apud Garamantas quendam fontem fertur esse tam frigidum diebus vt non bibatur, tam feruidum noctibus vt non tangatur. In Epiro alium fõtem, in quo faces vt in cæteris extinguntur accẽsæ, sed non vt in cæteris accenduntur extinctæ. Asbeston Arcadiæ lapidem propterea sic vocari, quòd accensus semel iam non possit extingui. Lignum cuiusdam ficus AEgyptiæ, non vt ligna cætera in aquis natare, sed mergi: & quod est mirabilius, cùm in imo aliquandiu fuerit, inde ad aquæ superficiem rursus emergere, quando madefactum debuit humoris pondere prægrauari. Poma in terra Sodomorum gigni quidem, & ad maturitatis faciẽ peruenire, sed morsu pressúve tentata, in fumum ac fauillam corio fathiscente vanescere. Pyritem lapidem Persicum, tenentis manum, si vehementius prematur, adurere, propter quod ab igne nomen accepit. In eadem Perside gigni etiam lapidem Selenitem, cuius interiorem candorem cum luna crescere atque deficere. In Cappadocia etiã vento equas concipere, cosdémque fœtus non amplius triennio viuere. Tilon Indiæ insulam cô præferri cæteris terris, quòd omnis arbor quæ in ea gignitur, nunquam nudatur tegmine foliorum. De iis atque aliis innumerabilibus mirabilibúsque, historia non factorum & transactorum, sed manentium locorum tenet. Mihi autem aliud agenti ea persequi nimis lõgum est. Reddãt rationem si possunt infideles isti, qui nolunt diuinis literis credere, quid aliud quàm non putantes eas esse diuinas, cô quòd res habent incredibiles, sicuti hoc est, vnde nunc agimus?

Quanta sint quæ non rectè queant agnosci & tamen esse non sit ambiguum

Miraculorum diuersitas

Eodem lib. Cap. VI.

Hic fortè respondeant, Prorsus nec ista sunt, nec ista credimus, falsa de iis dicta, falsa conscripta sunt, & adiiciunt ratiocinantes atque dicentes, Si talia credenda sunt, credite & vos quod in eiusdem literis est relatum, fuisse vel esse quoddam Veneris fanum, atque ibi candelabrum, & in eo lucernam sub diuo sic ardentem, vt eam nulla tempestas, nullus imber extingueret. Vnde sicut ille lapis, ita ista λύχνος ἄσβεστος, id est, lucerna inextinguibilis nominata est. Quod propterea poterunt dicere, vt respondendi nobis angustias ingerant, quia si dixerimus non esse credendum, scripta illa miraculorum infirmabimus: si autem credendum esse consenserimus, confirmabimus numina paganorum. Sed nos, sicut iam in libro duodeuigesimo huius operis dixi, non habemus necesse omnia credere quæ historia continet gentium, cùm & ipsi inter se historici, sicut ait Varro, quasi data opera, & quasi ex industria per multa dissentiant: sed ea si volumus credimus quæ non aduersantur libris, quibus non dubitamus oportere nos credere. De his autem miraculorum locis, nobis ad ea quæ futura persuadere incredulis volumus, satis illa sufficiant quæ nos quoque possumus experiri, & eorum testes idoneos non difficile est inuenire. De isto autem fano Veneris & lucerna inextinguibili, non solùm in nullas coarctamur angustias, verumetiam latitudinis nobis campus aperitur. Addimus enim ad istam lucernam inextinguibilẽ & humanarum & magicarum, id est, per homines dæmonicarũ artium, & ipsorum per seipsos dæmonum multa miracula. Quæ si negare voluerimus, eidem ipsi, cui credimus, sacrarum literarum aduersabimur veritati. Aut ergo in lucerna illa mechanicum aliquid de lapide Asbesto ars humana molita est, aut arte magica factum est, quod homines illo mirarentur in templo, aut dæmon quispiam sub nomine Veneris tanta se efficacia præsentauit, vt hoc ibi prodigium & appareret hominibus & diutius remaneret. Illiciuntur autem dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, delectа-

Historici inter se dissentiunt.

bilibus pro sua diuersitate diuersis, non vt animalia cibis, sed vt spiritus signis, quæ cuiusque delectationi congruunt per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum. Vt autem illiciantur ab hominibus, prius eos ipsi astutissima calliditate seducunt, vel inspirando eorum cordibus virus occultum, vel etiam fallacibus amicitiis apparendo, eorúmque paucos discipulos suos faciunt plurimorúmque doctores. Neque enim potuit nisi primùm ipsis docentibus disci, quid quisque illorum appetat, quid exhorreat, quo inuitetur numine, vel cogatur, vnde magicæ artes earúmque artifices extiterunt. Maximè autem possident corda mortalium, qua potissimum possessione gloriantur, cùm se transfigurant in Angelos lucis. Sunt ergo facta eorum plurima, quæ quantò magis mirabilia confitemur, tantò cautius vitare debemus. Sed hæc vnde nunc agimus, nobis etiam ipsa proficiunt. Si enim hæc immundi dæmones possunt, quantò potentiores sancti Angeli, quantò potentior his omnibus Deus, qui tantorum miraculorũ effectores etiam ipsos Angelos fecit? Quamobrem si tot & tanta támque mirifica, quæ μηχανήματα appellant, Dei creatura vtentibus humanis artibus fiunt, vt ea qui nesciunt, opinentur esse diuina: vnde factum est, vt in quodam templo lapidibus magnetibus in solo & in camera proportione magnitudinis positis, simulachrum ferreum aeris illius medio inter vtrũque lapidem, ignorantibus quid sursum esset ac deorsum, quasi numinis potestate penderet: quale aliquid etiam in illa lucerna Veneris de lapide Asbesto ab artifice fieri potuisse iam diximus. si Magorum opera, quos nostra Scriptura veneficos & incantatores vocat, intantum dæmones extollere potuerunt, vt cõgruere sensibus hominum sibi nobilis Poeta videretur, de quadã fœmina, quæ tali arte polleret, dicẽs,

Dæmones potissimum gloriantur, cum possident mortalium corda.

Æneid. 4

Hæc se carminibus promittit soluere mentes
Quas velit, ast aliis duras immittere curas,
Sistere aquam fluuiis, & vertere sydera retro,
Nocturnósque ciet manes: mugire videbis
Sub pedibus terrã & descẽdere mõtib⁹ ornos

Quantò magis Deus potens est facere, quæ infidelibus sunt incredibilia, sed illius facilia potestati: quandoquidem ipse lapidum aliarumque vim rerum, & hominum ingenia, qui ea miris vtuntur modis, Angelicásque naturas omnibus terrenis potentiores animantibus cõdidit: vniuersa mirabilia, mirabili vincente virtute, & operandi, iubendi, finendíque sapiẽtia vtens omnibus tam mirabiliter quàm creauit?

Cap. VIII. Eodem libro.

Est in Marci Varronis libris, quorum inscriptio est De gẽte populi Romani, quod eisdem verbis, quibus ibi legitur, & hic ponam, In cælo (inquit) mirabile extitit portentum. Nam stella Veneris nobilissima (quã Plautus vesperuginẽ, Homerus hesperon appellat, pulcherrimam dicens) Castor scribit tantum portentum extitisse, vt mutaret colorem, magnitudinem, figuram, cursum: quod factum ita neque antea neq; postea sit. Hoc factum Ogyge rege dicebant Adrastus Cyzicenus, & Dion Neapolites, Mathematici nobiles. Hoc certè Varro tantus auctor portentum non appellaret, nisi esse contra naturam videretur. Omnia quippe portenta contra naturam dicimus esse, sed non sunt. Quomodo est enim contra naturam, quod Dei fit voluntate, cùm voluntas tanti vtique Conditoris conditæ rei cuiusque natura sit? Portentum ergo fit non contra naturam, sed contra quam est nota natura. Quis autem portentorum numerat multitudinem, quæ historia gentium continentur? Sed nunc in hoc vno attendamus quod ad rem de qua agimus pertinet. Quid ita dispositum est ab auctore naturæ cæli & terræ, quẽadmodum cursus ordinatissimus syderum? Quid tam ratis legibus fixísque firmatum? Et tamen quando ille voluit, qui summo regit imperio ac potestate quod condidit, stella præ cæteris magnitudine ac splendore notissima, colorem, magnitudinem, figuram, & quod est mirabilius, sui cursus ordinẽ legémque mutauit. Turbauit profectò tunc, si vlli iam fuerũt, qui canones Astrologorum, quos velut inerrabili computatione de præteritis ac futuris astrorum motibus conscriptos habent, quos canones sequendo, ausi sunt dicere, hoc quod de Lucifero contigit, nec antea nec postea contigisse.

Quod Dei fit voluntate, non est contra naturam.

Ibidem in fine.

Sicut ergo nõ fuit impossibile Deo quas voluit instituere, sic ei non est impossibile in quidquid voluerit, quas instituit mutare naturas. Vnde illorum quoque miraculorum multitudo sylueſcit, quæ monstra, portenta, prodigia nuncupantur. Quæ recolere ac commemorare si velim, huius operis quis erit finis? Monstra sanè dicta perhibent à monstrando, quod alrquid significãdo demõstrent, & ostẽta ab ostendẽdo, & portẽta à portẽdendo, id est, præostendẽdo, & ꝓdigia quòd porrò dicãt, id est, futura prædicant. Sed viderint eorũ conlectores, quomodo ex eis siue fallãtur, siue instinctu spirituum (quibus curę est tali pœna dignos animos hominum, noxiæ curiositatis retibus implicare) etiam vera prædicãt, siue multa dicendo, aliquando in aliquid veritatis incurrant. Nobis tamen ista, quæ velut contra naturam fiunt, & contra naturam fieri dicuntur (quo more hominum locutus est Apostolus dicendo, contra naturam in olea insitum olea strum, factum esse participem pinguedinis oleæ) & monstra, portenta, ostenta, prodigia nuncupantur, hoc mõstrare dicuntur, hoc ostendere vel præostẽdere, hoc prædicere quod facturus sit Deus, quæ de corporibus hominum se prænuntiauit esse facturum, nulla impediente difficultate, nulla præscribente Lege naturæ.

Deo impossibile, non est creatura, quam condidit mutare.

Differunt Portenta, Ostenta Monstra, Prodigia.

Roman. 11.

Libro

Libro XXII. Cap. VIII.

De miraculis quæ initio fidei facta, nunc desierunt.

Cur (inquiunt) nunc miracula quæ dicuntur facta esse, non fiunt? Possem quidem dicere necessaria fuisse, priusquam crederet mundus, ad hoc vt crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, vt credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit. Verùm hoc ideo dicunt, vt nec tunc illa miracula facta fuisse credantur. Vnde ergo tanta fide Christus vsquequaque cantatur in cælum cum carne sublatus? Vnde temporibus eruditis, & omne quod fieri non potest respuentibus, sine vllis miraculis nimium mirabiliter incredibilia credidit mundus? An fortè credibilia fuisse, & ideo credita esse dicturi sunt? Cur ergo ipsi non credunt? Breuis est igitur nostra complexio. Aut incredibili rei, quæ non videbatur, alia incredibilia quæ tamen fiebant & videbantur, fecerunt fidem, aut certè ita credibilis vt nullis quibus persuaderetur miraculis indigeret, istorum nimiam redarguit infidelitatem. Hoc ad refellendos vanissimos dixerim. Nam facta esse multa miracula, quæ attestarentur illi vni grandi salubríque miraculo, quo Christus in cælũ cum carne qua resurrexit ascendit, negare non possumus. In eisdem quippe veracissimis libris, cuncta conscripta sunt, & quæ facta sunt, & propter quod credendum facta sunt. Hæc vt fidem facerent innotuerunt, hæc per fidem quam fecerunt, multò clarius innotescunt. Leguntur quippe in populis vt credantur, nec in populis tamen nisi credita legerentur. Nam etiam nunc fiunt miracula in eius nomine, siue per sacramenta eius, siue per orationes vel memorias Sanctorum eius: sed non eadem claritate illustrantur, vt tanta quanta illa, gloria diffamentur. Canon quippe sacrarum literarum, quem diffamatum esse oportebat, illa facit vbique recitari, & memoriæ cunctorum inhærere populorum: hæc autem vbicunque fiunt, ibi sciuntur, vix à tota ipsa ciuitate vel quocunque cõmanentium loco. Nam plerunque etiam ipsi paucissimi sciunt, ignorantibus cæteris, maximè si magna sit ciuitas: & quoniam alibi aliisque narrantur, non tanta ea commendat auctoritas, vt sine difficultate vel dubitatione credantur, quanuis Christianis fidelibus, à fidelibus indicentur.

Ad Volusianum, Epistola III.

Magi à Mose superati

Exo. 7

Nam & de Magorum miraculis, vt rùm etiam mortuos suscitauerint, illi viderint, qui & Apuleium se contra magicarum artium crimina copiosissimè defendentem, conãtur non accusando, sed laudando conuincere. Nos legimus Magos Aegyptiorũ, artium istarum peritissimos, à Mose famulo Dei fuisse superatos, cùm illi quædam mira nefandis artibus agerẽt, ille Deo suppliciter inuocato, machinamẽta eorum cuncta subuerteret.

DE ANIMA ET EIVS IMmortalitate.

De Origine animæ ad Hieronymum, Cap. II. Libro I.

Anima & mortalis & immortalis creatur.

Quæstio de anima multos mouet, in quibus & me esse confiteor. Nam quid de anima firmissimè teneam non tacebo. Deinde subiungam, quid mihi adhuc experiri velim. Anima hominis immortalis est, secundum quendam modum suum. Non enim omnino sicut Deus, de quo dictum est, Quia solus habet immortalitatem. Nam de animæ mortibus sacra Scriptura multa commemorat. Vnde illud est, Sine mortuos sepelire mortuos suos. Sed quòd ita moritur alienata à vita Dei, vt tamen in natura sua viuere nõ omnino desistat, ita mortalis ex aliqua causa inuenitur, vt etiã immortalis nõ sine ratione dicatur. Non est pars Dei anima. Si enim hoc esset, omnino incommutabilis atque incorruptibilis esset. Quòd si esset, nec deficeret in deterius, nec proficeret in melius, nec aliquid in semetipsa vel inciperet habere quod non habebat, vel desineret habere quod habebat, quantùm ad eius ipsius affectiones pertinet. Quòd verò aliter se habeat, nõ opus est extrinsecus testimonio: quisquis se ipsum aduertit, agnoscit.

1. Tim. 6.

Luce. 9

Cap. III. Ibidem.

Anima incorporea est.

Incorporeã quoque esse animã, etsi difficilè tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum. Sed ne verbi cõtrouersiam, vel superfluò faciam, vel meritò patiar: quoniam cùm de re constat, non est opus certare de nomine, si corpus est omnis substãtia, vel essentia, vel si quid aptius nuncupatur, id quod aliquo modo est in seipso, corpus est anima. Item si eam solam incorpoream placet appellare naturam, quæ summè incommutabilis, & vbique tota est, corpus est anima, quo modo tale aliquid ipsa non est. Porrò si corpus non est, nisi quod per loci spatium aliqua longitudine, latitudine, altitudine ita sistitur vel mouetur, vt maiore sui parte maiorem locum occupet, & breuiore breuiorem, minúsque sit in parte, quàm in toto, non est corpus anima: per totum quippe corpus quod animat, non locali diffusione, sed quadam vitali intentione porrigitur. Nam per omnes eius particulas tota simul adest, nec minor in minoribus & in maioribus maior, sed alicubi intensius, alicubi remissius, & in omnibus tota, & in singulis tota est. Neque enim aliter quod in corpore etiam non toto sentit, tamen tota sentit.

In fine eiusdem Capitis.

Quapropter si anima corpus esse dicenda est, non est certè corpus quale terrenum est, nec quale humidum, aut aereum aut ætherum. Omnia quippe talia maiora sunt in maioribus locis, & minora in minoribus, & nihil eorum in aliqua sui parte totum adest, sed vt sunt partes locorum, ita occupantur partibus cor-

porum. Vnde intelligitur anima, siue corpus, siue incorporea dicenda sit, propriam quandã habere naturam, omnibus his mundanæ molis elementis excellentiorę substantia creatã, quæ veraciter non possit in aliqua phantasia corporalium imaginum, quas per carnis sensus percipimus, cogitari, sed mente intelligi, vitáque sentiri. *Cap.IIII.Eodem libro,*

Anima sponte sua lapsa, per Christum liberatur. Rom.7.

Certus etiam sum animam nulla Dei culpa, nulla Dei necessitate vel sua, sed propria voluntate in peccatum esse collapsam, nec liberari posse de corpore mortis huius, vel suæ voluntatis virtute, tanquam sibi ad hoc sufficiẽte, vel ipsius corporis morte, sed gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, nec omnino esse animam vllam in genere humano, cui non sit necessarius ad liberationem Mediator Dei & hominũ homo Christus Iesus, &c.

Cap.VII.

Singulæ animas singulis nascentibus etiã modò Deus facit. Gene.2. Ioan.5.

Proinde ne longum faciamus, hoc certè sentis, quod singulas animas, singulis nascentibus etiam modò Deus faciat: cui sententiæ ne obiiciatur, quòd omnes creaturas, sexto consummauerit die Deus, & septimo die requieuerit, adhibes testimoniũ ex Euangelio, Pater meus vsque nunc operatur, & ego operor. Sic enim ad Marcellinum scripsisti.

Cap.X.

Gene.1.

Iam enim sexto die fecerat hominem ad imaginem suam Deus, quod vtique secundum animam rationalem fecisse intelligitur, hoc & nunc facit, non instituendo quod non erat, sed multiplicando quod erat, &c.

Cap.XI.

Nam quòd dicitur quare facit animas eis, quos nouit citò morituros? possumus respondere, parentum hinc vel peccata conuinci vel flagellari.

Libro II.contra Iulianum,I.

Platonis de animabus opinio

Audi ergo quid dicat in libro de philosophia Ambrosius cõtra Platonẽ philosophum, qui hominum animas reuolui in bestias asseuerat, & animarum tantũmodo Deum opinatur auctorem, corpora autẽ diis minoribus facienda decernit. Ergo sanctus Ambrosius, Miror (inquit) tantum philosophum, quomodo animam, cui potestatem conferendæ mortalitatis attribuit, in noctuis includat aut ranulis, feritate quoque induat bestiarum, cùm in Timæo eam Dei opus esse memorauerit, inter immortalia à Deo facta, corpus autem nõ videri opus summi Dei asserit, quia natura carnis humanæ, nihil à natura corporis bestialis differt. Si ergo digna est, quæ Dei opus esse credatur, quomodo indigna est, quæ Dei opere vestiatur? Ecce non solùm animam, quod & illi dicũt, verumetiam corpus, quod illi negant, cõtra Platonicos Dei opus esse defendit Ambrosius.

Post pauca in eodem libro.

Anima priuicens & domina carnis.

Itémque idem ipse in libro de Sacramento regenerationis, Quis igitur est (inquit) qui carne vtitur ad operandum, nisi anima? Ergo princeps & domina carnis naturaliter anima est, quæ domare carnem debet & regere. Ideóque Spiritus sancti fulta præsidio, dicit in Psalmo, *Psal.55.* Non timebo quid faciat mihi caro. Ipsa eadem dicit in Paulo, Sed castigo corpus meum, & ser- *1.Cor 9.* uituti redigo. Castigat ergo Paulus quod ipsi⁹ est, non quod ipse est. Castigat quod ipsius est, vt morte in se lasciuiæ corporalis iustus operetur.

Quæstionum veteris & noui Testamenti, Quæst.XXII.

An ex traduce sint animæ.

Inhonestum puto si dicantur animæ cum corporibus generari, vt anima nascatur ex anima, quod nec animæ ipsi competit, aut si certè singulæ cælestes potestates factæ sũt, & ex ipsis cæteræ natæ sunt, potest ex vna Adæ anima credibile videri cæteros nasci. Sed non conuenit: quia soli Deo hoc possibile fuit, vt simplex generaret, nec cæteris concederetur.

Post pauca ibidem.

Exod.21.

Si quis percusserit mulierem in vtero habentem, & abortiuerit, si formatum fuerit, det animam pro anima, si autem informatum fuerit, multetur pecunia, vt probaret non esse animam ante formam. Itaque si iam formato corpore datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine deriuata. Nã si cũ semine & anima exiſtit ex anima, multæ animæ quotidie pereũt, cùm semẽ fluxu quodã non proficit natiuitati.

Animã formatã corpori dari.

Libro III.contra Maximinum, Cap.XII.

Immortalitatem autem Deus habere dicitur solus, quia est immutabilis solus. In omni enim mutabili natura nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid in ea non esse quod erat. Proinde & ipsa anima humana, quæ propterea dicitur immortalis, quoniam qualitercunque secundum modum suum nunquam desinit viuere, habet tamen pro ipso suo modo quãdam mortem suam: quia si iustè viuebat & peccat, moritur iustitiæ, si peccatrix erat & iustificatur, moritur peccato, vt alias eius mutationes taceam, de quibus longum est disputare.

De anima immortalitate & mortalitate.

De vera innocentia, Cap.LXXIIII.

Anima rationalis superioribus inferiora prępon ẽs, nõ potest regere quod regebat, quia regi voluit à quo regebatur.

Cap.CXCIIII.Ibidem.

Rationalis anima est domina corporis sui, quæ inferiori non bene imperabit, nisi superiori se Deo tota charitatis subiectione seruierit.

Cap.CCLXXXII.Eodem libro

Anima rationalis in ea debet regi quæ spiritalium natura maximè excellunt, & quæ sursum sunt sapiunt, non quæ super terram.

Lib.II.de Trinitate.Cap.VIII.

Animã per vtilitatem Dei factam esse. Ioan.1

Anima quippe quum sit substantia spiritalis, quúmque etiam ipsa facta sit, nec per alium potuerit fieri, nisi per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil: quanuis sit mutabilis,

bilis, non est tamen visibilis, quod illi quidem de Verbo ipso, atque ipsa sapientia Dei, per quam facta est anima, crediderunt, quum sit illa non inuisibilis tãtùm, quod & anima est, sed etiam incommutabilis, quod anima non est.

Libro VI. Cap. VI.

Creatura spiritalis sicut est anima, est quidem in corporis comparatione simplicior, sine corporis autem comparatione multiplex est, etiam ipsa non simplex. Nam ideo simplicior est corpore, quia non mole diffunditur per spatiũ loci, sed in vnoquoque corpore, & in vno toto tota est, & in qualibet parte ei⁹ tota est. Et ideo cùm sit aliquid in quauis exigua particula corporis, quod sentiat anima, quanuis non fiat in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia totam non latet. Sed tamen etiam in anima cùm aliud sit artificiosum esse, aliud inertẽ, aliud acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud timor, aliud lætitia, aliud tristitia, posséntque & alia sine aliis, & alia magis, alia minus innumerabilia & innumerabiliter in animæ natura inueniri, manifestum est, non simplicem, sed multiplicem esse naturam. Nihil enim simplex mutabile est: omnis autem creatura mutabilis.

Anima quare simplicior corpore.

Libro XIII. Cap. VIII, & IX.

Nullo modo igitur esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna. Hanc vtrùm capiat humana natura, quam tamen desyderabilem confitetur, non parua quæstio est. Sed si fides adsit, quæ inest eis quibus dedit potestatem Iesus filios Dei fieri, nulla quæstio est. Humanis quippe argumentationibus, hæc inuenire conantes, vix pauci magno prædíti ingenio, abundantes otio, doctrinísque subtilissimis eruditi, ad indagandam solius animæ immortalitatem peruenire potuerunt, cui tamen animæ beatam vitam non inuenerunt stabilem, id est, veram: ad miserias eam quippe vitæ huius, etiã post beatitudinem redire dixerunt.

Ioan. 1.

Libro XIIII. Cap. III.

Absit autem, vt quum animæ natura sit immortalis, nec ab initio quo creata est, nũquam deinceps esse desistat, id quo nihil meli⁹ habet, non cum eius immortalitate perduret. Quid verò melius in eius natura creatum est, quàm quòd ad sui Creatoris imaginem facta est? Nõ igitur in fidei retentione, contemplatione, dilectione, quæ non erit semper, sed in eo quod semper erit, inuenienda est, quam dicioporteat imaginem Dei.

In anima optimum quid ad Dei imaginem creata.

Libro VI. de Genesi ad literam.
Cap. XXIX.

Sequitur enim quæstio de anima valde difficilis, in qua multi laborauerunt, nobísque vt laboremus reliquerunt. Siue enim, quia non omniũ omnia legere potui, qui de hac re secundum Scripturarum veritatem ad aliquid liquidum miniméque dubium peruenire potuerũt, siue quia tanta quæstio est, vt etiam qui eam veraciter soluunt, non facilè intelligantur à talibus, qualis ipse sum: fateor adhuc neminẽ mihi persuasisse, quod sic habeam de anima, vt nihil amplius quærendum putem: vtrùm nunc certum aliquid inuenturus sim & definiturus, ignoro. Quod autem potuero, si conatum meum Dominus adiuuerit, sequẽti volumine explicare conabor.

Quæstio de anima difficilis.

Libro VII. de Genesi ad literam, Cap. I.

Et finxit Deus hominem puluerem de terra, & flauit in faciem eius flatum vitæ: & factus est homo in animam viuentem. Hæc verba Scripturæ, nobis & in principio superioris libri cõ syderanda proposuimus, & de ipso homine facto maximéque de eius corpore, quantum satis diximus, quod secundum Scripturas visum est, disseruimus. Sed quia de anima humana non parua quæstio est, ad hunc eam librum differẽdam putauimus, nescientes quantum nos Dominus adiuturus esset, rectè loqui cupidos, illud tamen scientes, nisi quantũ ipse adiuuaret, rectè non esse locuturos. Rectè est autem veraciter atque congruenter, nihil audacter refellendo, nihil temere affirmando, dum adhuc dubiũ est, verum falsúmve sit, siue fidei, siue scientiæ Christianæ, quod aut doceri potest, vel rerum ratione apertissima, vel Scripturarum auctoritate certissima, sine cunctatione asserendo. Ac primùm illud videamus, quod scriptum est, Flauit, vel sufflauit in faciẽ eius flatum vitæ. Nõnulli enim codices habent, Spirauit vel inspirauit in faciem eius. Sed quum Græci habeant ἐνεφύσησεν, non dubitatur flauit vel sufflauit esse dicendum. Quærebamus autem in superiori sermone de manibus Dei, quum homo de limo formatus cogitaretur. Quid ergo nũc dicendum est in eo, quod scriptum est, Sufflauit Deus, nisi quia sicut nõ manibus corporeis finxit, ita nec faucibus labiísque sufflauit? Verũtamen hoc verbo Scriptura in quęstione difficillima, plurimũ nos, quãtũ opinor, adiuuat.

De anima nemo nisi eruditus aditum rectè loquitur.

Cap. II.

Nam quum quidam ex hoc verbo crediderint aliquid esse animã de ipsa substantia Dei, id est, eiusdem naturæ, cuius ille est, hoc ideo putantes, quia quum homo sufflat, aliquid de seipso eiicit in flatu, hinc potius admonendi sumus, hanc inimicam fidei catholicæ reprobare sententiam. Nos enim credimus Dei naturam atque substantiam, quæ in Trinitate creditur à multis, intelligitur à paucis, omnino esse incommutabilem. Porrò autem animæ naturam, vel in deterius vel in melius commutari posse quis ambigit? Ac per hoc sacrilega est opinio, eã & Deũ credere vnius esse substantiæ. Quid enim hoc modo aliud, quàm & ille commutabilis creditur? Credendum itaque est atque intelligendum, neque vllo modo dubitandum, quod recta fides habet, animam sic esse à Deo, tanquam rem quam fecerit, non tãquam de natura cuius est ipse, siue genuerit, siue quoquo modo protulerit. *Cap. III.*

Anima nõ est de substantia Dei.

Deus sufflādo fecit animā in homine. Gene.2.

Possemus quidem dicere, nec ipsum Dei flatum esse animam hominis, sed Deum sufflādo fecisse animam in homine. Sed ne putētur meliora quæ fecit Verbo, quam quod fecit flatu, quia & in nobis melius est Verbum quàm flatus, nihil est interim, secundum suprà dictam rationem, cur animam ipsam Dei flatum dicere dubitemus, dū intelligatur non esse Dei natura atque substantia, sed hoc ipsum esse sufflare, quod est flatum facere, hoc est animam facere. Cui sententiæ congruit quod per Esaiam dicit Deus, Spiritus enim à me procedet, & flatum omnē ego feci. *Esaiæ 57.* Nam nō quēlibet flatū corporeum dicere sequētia docēt. Cùm enim dixisset, Omnē flatū ego feci, & propter peccatū (inquit) pusillū quid cōtristaui eum, & percussi eum: quid ergo dicit flatum nisi animā, quæ propter peccatum percussa & contristata est? Quid igitur est, Omnem flatum ego feci, nisi omnem animam ego feci?

Cap. IIII. eodem libro.

Si ergo Deum diceremus tāquam corporei huius mundi animā, cui mundus ipse esset tanquam corpus ipsius animātis: rectè nō diceremus eum sufflādo fecisse animam hominis, nisi corpoream de isto aere subiacente sibi ex corpore suo: nō tamē quod fecisset dedissētq; sufflando, de seipso dedisse putare deberemus, sed ita de sibi subiecto aere corporis sui, sicut anima de huiusmodi re sumitur adiacente, hoc est de corpore, nō de seipsa flatū facit. Nunc verò quia non tātummodo mundi corpus Deo esse subditum dicimus, sed illum esse supra omnem creaturam, siue corporalem, siue spiritualē, nec de seipso, nec de corporeis elementis, credēdus est animam fecisse sufflando.

Cap. IX.

Deinde cauendum est, ne quædam translatio animæ à pecore in hominē posse fieri creda tur, quod veritati fideique catholicæ omnino contrarium est, si concesserimus irrationalem animam, veluti materiam subiacere, vnde rationalis anima fiat. Sic enim fiet, vt si hæc in melius commutata fuerit hominis, illa quoque in deterius commutata sit pecoris. De quo ludibrio quorundam Philosophorum etiā eorum posteri erubuerunt: nec eos hoc sensisse, sed nō rectè intellectos esse dixerunt. Et credo ita esse, velut si quisquam etiam de Scripturis nostris hoc sentiat vbi dictum est, Homo in honore positus non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. *Psal 48.* Aut vbi item legitur, Ne tradideris Domine bestiis animam confitentem tibi. *Psal.73.* Neque enim non omnes hæretici Scripturas catholicas legunt, nec ob aliud sunt hæretici, nisi quòd eas non rectè intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem peruicaciter asserunt. Sed quoquo modo se habeat, vel non habeat opinio Philosophorum de reuolutionibus animarum, catholicæ tamen fidei nō conuenit credere animas pecorum in homines aut hominū in pecora transmigrare.

Cap. X.

Fieri sanè homines vitæ genere pecoribus similes, & ipsæ res humanæ clamant, & Scripturæ testantur. *Homo bestiis quādo similat.* Vnde est illud quòd commemorati, Homo in honore positus non intellexit, cō- *Psal.48.* paratus est iumentis insensatis, & similis factus est eis. Sed in hac vita vtique, nō post mortem. Proinde vel talibus bestiis nolebat in potestatem dari animam suam, qui dicebat, Ne tradideris bestiis animam confitentem tibi: quales *Psal.73.* cauendos Dominus significat, vbi dicit eos indutos vestitu ouium, intus autem esse lupos rapaces: *Mat.7 & 25* vel ipsi diabolo & angelis eius. *Psal.90.* Nam & ille dictus est leo & draco. Quid enim afferunt argumenti Philosophi, qui putant animas hominum in pecora, vel pecorū in homines, post mortem posse transferri? Hoc certè, quòd morum similitudo ad id trahat, velut auarosin formicas, rapaces in miluos, sæuos ac superbos in leones, sectatores immundæ voluptatis in sues, & siqua similia. Hoc quippe asserunt, nec attēdunt per hanc rationem nullo modo fieri posse, vt pecoris anima post mortem in hominem transferatur. Nullo modo enim pecus similior erit homini quam porco, & quum māsuescunt leones, canibus vel etiam ouibus fiunt similiores quā hominibus. Quum igitur à pecorum moribus pecora nō recedunt, & quæ aliquātulum cæteris dissimilia fiūt, similiora sunt tamē suo generi quā humano, lōgéq; plus ab hominibus, quā à pecoribus differunt, nunquā erūt hominū animæ istæ, si ea quæ similiora sint trahunt. Si autē hoc argumētum falsum est, quomodo erit illa vera opinio, quandoquidē nihil aliud afferunt, quo etiā si non vera, saltē verisimilis habeatur? Vnde procliuius, & ipse crediderim, quòd etiā eorum posteri sectatores, illos homines, qui hoc primitus in suis libris posuerunt, in hac vita potius intelligi voluisse, quadā peruersitate morum ac turpitudine homines pecorum fieri similes, ac sic quodāmodo in pecora cōmutari, vt hoc dedecore obiecto, eos à cupiditatum prauitate reuocarent.

Eodem libro, Cap. XI.

Nam illa quæ feruntur accidisse, vt quidam *Manichæi dicunt animā esse Dei substantiam.* quasi recordarētur, quòd in quorundā animaliū corporibus fuerint, aut falsa narrātur, aut ludificationibus dæmonum, hoc in eorum animis factū est. Si enim cōtingit in somniis, vt fallaci memoria, quasi recordetur se homo fuisse quod nō fuit, aut egisse quod nō egit, quid mirum si quodā Dei iusto occultóque iudicio sinuntur dæmones in cordibus etiā vigilātiū tale aliquid posse? Manichæi autē, qui se Christianos vel putāt, vel putari volunt, in hac opinione trāslationis vel reuolutionis animarum, eo sunt illis gentiū philosophis, vel si qui alii vani homines hoc putēt, deteriores ac detestabiliores, quòd illi animæ naturā à Dei natura discer

nunt: isti autem cùm aliud nihil dicant esse animam, quã ipsam Dei substãtiã, atque id omnino quod Deus est, nõ trepidãt eã tam turpiter commutabilem dicere, vt nullum sit herbæ vel vermiculi genus, vbi eam nõ esse permixtã, vel quò reuolui non posse mirabili opinentur insania.

Cap. XII.

Corpus non potest conuerti in animam.

Omne quippe corpus in omne corpus posse mutari, nõ defuerunt qui assererẽt. Corpus autem aliquod siue terrenum, siue cæleste, conuerti in animã, fierique naturã incorpoream, nec quenquam sensisse scio, nec fides habet.

Cap. XIII.

Deinde si non est contẽnendum, quòd medici non tantùm dicunt, verumetiam probare se affirmant, quanuis omnis caro terrenam soliditatem in promptu gerat: habet tamen in se & aeris aliquid, quod in pulmonibus continetur, & à corde per venas, quas arterias vocant, diffunditur. Et ignis nõ solùm feruidam qualitatem, cuius sedes in iecore, & in cerebro est, verumetiam luculentam, quam velut eliquari ac subuolare ostendunt in excelsum cerebri locum, tanquam in cælum corporis nostri: vnde & radii emicant oculorum, & de cuius medio velut centro quodam, non solùm ad oculos, sed etiam ad sensus cæteros tenues fistulæ deducũtur, ad aures scilicet, ad nares, ad palatum, propter audiendum, olfaciendũ atque gustãdum, ipsúmque tangendi sensum, qui per totum corpus est, ab eodẽ cerebro dirigi dicũt, per medullã ceruicis, & eam quæ cõtinetur ossibus, quibus dorsi spina cõscritur, vt inde se tenuissimi quidam riuuli, qui tangendo sensum faciunt, per cuncta membra diffundant.

Animam in animalibus sensibus inchoari subtilitate ignis.

Cap. XIIII.

Quum igitur his quasi nuntiis accipiat anima quicquid eam corporalium nõ latet, ipsa verò vsqueadeò aliud quiddam sit, vt cùm vult intelligere vel diuina, vel Deum, vel omnino etiam seipsam, suásque consyderare virtutes, vt aliquid veri certíque comprehendat, ab hac ipsorum quoque oculorum luce se auertat, eámque ad hoc negotium, non tantùm nullo adiumento, verumetiã nõnullo impedimento esse sentiẽs, se in obtutum mẽtis attollat, quomodo ex eo genere aliquid est, cùm eiusdẽ generis summum nõ sit nisi lumẽ, quod ex oculis emicat, quo illa nõ adiuuatur nisi ad corporeas formas coloréque sentiendos, habétque ipsa innumerabilia longè dissimilia cuncto generi corporum, quæ non nisi intellectu atque ratione cõspiciat, quo nullius carnis sensus aspirat.

Anima Deum & seipsam ratione & intellectu conspicit.

Cap. XV.

Naturã animæ nõ de elementis esse, cùm sit incorporea.

Quapropter non est quidem humanæ animæ natura, nec de terra, nec de aqua, nec de aere, nec de igne quolibet: sed tamen crassioris corporis sui materiam, hoc est, humidam quãdam terram, quæ in carnis versa est qualitatem per subtiliorẽ naturam corporis administrat, id est, per lucem & aerem. Nullus enim sine his duobus, vel sensus in corpore est, vel ab anima spõtaneus corporis motus. Sicut autem prius esse debet nosse quàm facere, ita prius est sentire quã mouere. Anima ergo, quoniã res est incorporea, corpus quod incorporeo vicinũ est, sicut est ignis, vel potius lux & aer, primit' agit, Et per hæc cætera, quæ crassiora sũt corporis, sicuti humor & terra, vnde carnis corpulentia solidatur, quæ magis sunt ad patiendum subdita, quàm prædita ad faciendum.

Cap. XVI.

Quomodo dicitur factus homo in animam viuam.

Non mihi ergo videtur dictum, Factus est homo in animam viuã, nisi quia sentire cœpit in corpore, quod est animatæ viuentísque carnis certissimum indicium. Nam mouentur & arbusta, non tamen vi extrinsecus impellente, velut quum ventis agitãtur: sed illo motu, quo intrinsecus agitur, quicquid ad incrementum speciémque arboris pertinet, quo ducitur succus in radicem, vertitúrque in ea quibus constat herbæ natura, vel ligni: nihil enim horum sine interno motu. Sed iste motus non est spontaneus, qualis ille qui sensui copulatur ad corporis administrationem, sicut in omnium animalium genere, quam vocat Scriptura animam viuam. Nam & nobis, nisi inesset etiam ille motus, nec crescerent nostra corpora, nec vngues capillósque producerẽt. Sed si hoc solùm esset in nobis, sine sensu motúque spontaneo, non diceretur homo factus in animam viuam.

Cap. XIX.

Creatura corpoream anima præcellit.

Vnde ergo sit ipsa, id est, de qua velut materie Deus hunc flatum fecerit, quæ anima dicitur, dum quæritur, nihil corporeum debet occurrere. Sicut enim Deus omnem creaturam, sic anima omnem corpoream creaturam, naturæ dignitate præcellit.

Cap. XXI.

Anima non est de natura quinta essentiæ.

Quamobrem nec illud audiendũ est, quòd quidam putauerunt, quintum quoddam esse corpus, vnde sit anima, quod nec terra, nec aqua sit, nec aer, nec ignis, siue iste turbulentior atque terrenus, siue cælestis, purus & lucidus: sed nescio quid aliud, quod careat vsitato nomine, sed tamen corpus sit. Si enim qui hoc sentiunt, hoc dicunt corpus quod & nos, id est, naturam quanlibet, longitudine, latitudine, altitudine, spatium loci occupãtem: neque hoc est anima, neq; facta inde credenda est. Quicquid enim tale est, vt multa nõ dicam, in quacunque sui parte lineis diuidi, vel circunscribi potest. Quod anima si pateretur, nullo modo nosse posset tales lineas, quæ per longum secari non queunt, quales in corpore non posse inueniri nihilominus nouit. Nec ipsa sibi tale aliquid occurrit, cùm se nescire non possit, etiam quãdo se vt agnoscat inquirit. Cùm enim se quærit, nouit quòd se quærat, quod nosse nõ posset, si se nõ nosset. Neque enim aliunde se quærit, quàm à seipsa.

Ibidem in fine.

Anima spiritus vitæ. Ioan 3.

Quid sit autem, non dicitur melius, quàm anima vel spiritus vitæ. Ideo enim additur vitæ, quia & iste aer plerunque dicitur spiritus, quanquam & animam eundem aerem appellauerunt, vt iam non possit inueniri nomen, quo propriè distinguatur ista natura, quæ nec corpus, nec Deus est, nec vita sine sensu, qualis potest credi in arboribus, nec vita sine rationali mente, qualis est in pecoribus: sed vita nunc minor quàm Angelorum, & futura quod Angelorum, si ex præcepto sui Creatoris hic vixerit. Vnde sit autem, id est, de qua velut materia facta sit, vel de qua velut perfecta beatáque natura defluxerit, vel vtrùm omnino ex nihilo facta sit, etiam dubitatur & quæritur. Illud tamẽ minimè dubitãdum est, & si aliquid antea fuit, à Deo factum esse quod fuit, & eam nunc à Deo factã, vt anima viua sit: aut enĩ nihil fuit, aut hoc quod est non fuit.

Cap. XXIII.

Anima non est Angelorũ, nec cæli filia.

Durum est hoc, Angeli aut Angelorum filiam dicere esse animam, sed multò durius cæli corporei: quantò magis ergo maris & terræ? Multò minus in aliqua corporali creatura caussalis animæ ratio præcondita est, quum faceret Deus hominem ad imaginem suam, antequam eum suo tempore de limo formatum flatu animaret, si absurdè creditur animam caussaliter in natura Angelica condisse, &c.

Cap. XXIIII.

Animã iam à Deo creatam.

Illud ergo videamus, vtrùm forsitan verum esse posset, quod certè humanæ opinioni tolerabilius mihi videtur, Deum in illis primis operibus, quæ simul omnia creauit, animam etiam humanam creasse, quam suo tempore membris ex limo formati corporis inspiraret, cuius corporis in illis simul conditis rebus rationẽ creasset caussaliter, secundum quam fieret, quum faciendum esset corpus humanum. Nam neque illud quod dictum est, Ad imaginem suam, nisi in anima, neque illud quod dictum est, Masculum & fœminam, nisi in corpore rectè intelligimus. Credatur ergo si nulla Scripturarum auctoritas seu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum sexto die, vt corporis quidem humani ratio caussalis in elementis mundi, anima verò ipsa iam crearetur, sicut primitus conditus est dies: & creata lateret in operib⁹ Dei, donec eam suo tempore sufflando, hoc est, inspirando, formato ex limo copori insereret.

Cap. XXVIII.

De anima quid sentiat Augustinus.

Nunc tamen de anima, quam Deus inspirauit homini sufflando in eius faciem, nihil cõfirmo, nisi quia ex Deo sic est, vt non sit substãtia Dei, & sic incorporea, vt non sit corpus sed spiritus, non de substantia Dei genitus, nec de substantia Dei procedens, sed factus à Deo. Nec ita factus, vt in eius naturam natura vlla corporis vel irrationalis animæ verteretur, ac per hoc de nihilo: & quòd sit immortalis, secundum quendam vitæ modum, quem nullo modo potest amittere, secundum quandam verò mutabilitatẽ, qua potest vel deterior vel melior fieri, vt non immeritò etiam possit mortalis intelligi, quoniã verã immortalitatem solus ille habet, de quo propriè dictũ est, Qui solus habet immortalitatem.

Lib. X. Capite IIII.

Quod anima non cõuertatur in aliã naturã.

Ac primùm illud firmissimè teneamus, animæ naturam, nec in naturam corporis cõuerti, vt quæ iam fuit anima, fiat corpus, nec in naturam animæ irrationalis, vt quæ fuit anima hominis, fiat pecoris, nec in naturam Dei, vt quæ fuit anima, fiat quod est Deus, atque ita vicissim nec corpus nec animã irrationalẽ nec substantiam quæ Deus est cõuerti & fieri animam humanam. Illud etiam non minus certum esse debet, animam non esse nisi creaturam Dei. Quapropter si neque de corpore neque de anima irrationali neque de seipso Deus animam hominis fecit: restat vt aut de nihilo eã faciat, aut de aliqua spiritali, tamen rationali creatura. Sed de nihilo fieri aliquid cõsummatis operibus quibus creauit omnia simul, violentũ est velle monstrare, & vtrùm perspicuis documentis obtineri possit, ignoro. Nec exigendum est à nobis quod vel cõprehendere homo non valet, vel si iam valeat, mirũ si persuadere cuiquã potest, nisi tali, qui etiam nullo homine docere conante, potest etiam ipse tale aliquid intelligere. Tutius est igitur de huiusmodi rebus, nõ humanis agere coniecturis, sed diuina testimonia perserutari.

Capite IX. eodem libro.

Spiritus ad Deũ redit, quia dedit illum.

Quemadmodum ergo caro non redit ad homines ex quibus creata est, sed ad terram vnde primo homini formata est: ita & spiritus non redit ad homines, à quibus transfusus est, sed ad Deũ, à quo primæ illi carni datus est. Quo testimonio sanè satis admonemur ex nihilo Deum fecisse animã, quam primo homini dedit, non ex aliqua iam facta creatura, sicut corpus ex terra: & ideo quum redit, nõ habet quo redeat, nisi ad auctorem qui eam dedit, non ad eã creaturã ex qua facta est, sicut corpus ad terram. Nulla est enim creatura ex qua facta est, quia ex nihilo facta est, ac per hoc ad factorem suum redit, quæ redit, à quo ex nihilo facta est. Non enim omnes redeunt, quoniã sunt de quibus dicitur, Spiritus ambulãs & nõ reuertens.

Capite XXV.

Tertullianus Deum & animã habere corpus scripsit.

Denique Tertullianus quia corpus esse animam credidit, nõ ob aliud nisi quod eam incorpoream cogitare nõ potuit, & ideo timuit ne nihil esset si corpus non esset, nec de Deo voluit aliter sapere. qui sanè quoniam acutus est, interdum contra opinionem suam visa veritate superatur. Quid enim verius dicere potuit, quàm id quod ait quodam loco, Omne corporale passibile est? Debuit ergo mutare sententiam qua paulò superius dixerat, etiam

Deum

Deum corpus esse. Neque enim eum arbitror ita desipuisse, vt etiam Dei naturã passibilem crederet, vt iam non Christus in carne tãtùm, neque in carne & anima, sed in ipso Verbo, per quod facta sunt omnia, passibilis & cõmutabilis esse credatur, quod absit à corde Christiano.

De agone Christiano, Cap. XII.

Anima Deo subiicienda.

Subiiciamus animam Deo, si volumus seruituti subiicere corpus nostrum, & de diabolo triumphare.

In Euangelium Ioannis Tractatu XIX.

Quemadmodũ vita corporis anima, sic vita animæ Deus.

Quum verò anima se erigit ad aliquid quod ipsa non est, & quod supra ipsam est, & à quo ipsa est, percipit sapientiam, iustitiã, pietatem, sine quibus quum esset, mortua erat, nec vitam habebat qua ipsa viueret, sed qua corpus viuificaret. Aliud est enim in anima vnde corpus viuificatur, aliud vnde ipsa viuificatur. Melius quippe est quàm corpus, sed melius quàm ipsa est Deus. Est ergo ipsa etiam si sit insipiens, iniusta & impia, vita corporis. Quia verò vita eius est Deus, quomodo quum ipsa est in corpore præstat illi vigorem, decorem, mobilitatem, officia mẽbrorum: sic cùm vita eius Deus in ipsa est, præstat illi sapientiam, pietatem, iustitiam, charitatem. Aliud est ergo quod præstatur corpori de anima, aliud quod præstatur animæ de Deo. Viuificat & viuificatur. Veniẽte itaque Verbo & infuso audientibus, factisque illis non solùm audientibus, sed etiam obedientibus, resurget anima à morte sua ad vitã suã, hoc est, ab iniquitate, ab insipiẽtia, ab impietate ad Deũ suũ, qui est illi sapiẽtia, iustitia & charitas, resurgat ad illũ, illuminetur ab illo.

Tractatu XXIII.

Dominus Iesus insinuauit nobis animam humanam & mentem rationalem, quæ ineſt homini, non ineſt pecori, nõ vegetari, non beatificari, nõ illuminari, nisi ab ipsa substãtia Dei, eámque animam facere aliquid per corpus & de corpore, atque habere subiectum corpus, & per corporalia mulceri posse sẽsu corporis vel offendi, & propter hoc, id est, propter consortium quoddam animæ & corporis in hac vita atque cõplexum, delectari animam lenitis, vel contristari offensis corporis sensibus: beatitudinem tamen eius, qua sit beata ipsa anima, nõ fieri nisi participatione illius vitæ semper viuæ, incommutabilis æternæque substãtiæ, quæ Deꝰ est, vt quomodo anima quæ inferior Deo est, id quod ipsa inferius est, hoc est corpus, facit viuere, sic eandem animam non facit beatè viuere, nisi quod ipsa anima est superius. Superior anima quàm corpus, & superior quàm anima Deus. Anima vt præstat aliquid inferiori, præstatur illi à superiore. Seruiat Domino suo, ne cõculcetur à seruo suo. Hæc est, fratres mei, religio Christiana, quæ prædicatur per totum mundum horrentibus inimicis, & vbi vincuntur murmurantibus, vbi prævalent sæuientibus. Hæc est religio Christiana vt colatur vnus Deus, non multi dii: quia nõ facit animam beatam nisi vnus Deus. Participatione Dei fit beata, non participatione sanctæ animæ fit beata infirma anima, nec participatione Angeli fit beata sancta anima, sed si quæritur beata esse infirma anima, quærat vnde beata sit sancta anima. Nõ enim beatus efficeris ex Angelo tu, sed vnde Angelus, inde & tu. His promissis atque firmissimè constitutis, animam rationalem nõ beatificari, nisi à Deo, corpus non vegetari nisi per animam, atque esse quandam medietatem inter Deum & corpus & animam.

Anima Dei participatione beata fit.

Post pauca ibidem.

Animam immortalis est.

Immortalis esse dicitur anima. Est quidem quia viuit semper anima, & est in illa quædam vita permanens, sed mutabilis vita. Secundum mutabilitatem vitæ huius & mortalis dici potest: quia si viuebat sapiẽter & desipit, mortua est in deterius, si viuebat insipienter & sapit, mortua est in melius. Nam esse mortem in deterius, esse mortem in melius, Scriptura nos docet. Vtique in deterius mortui erãt de quibus dicitur, Sine mortuos, sepeliant mortuos suos: &, Exurge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christꝰ. Et de hac lectione quãdo mortui audient, & qui audierint viuent, in deterius mortui erant: ideo reuiuiscunt. Reuiuiscendo moriuntur in melius, quia & reuiuiscendo non erunt qui erant. Non esse autem quod erãt, mors est. Et fortè si in melius est, nõ appellatur mors: appellauit autem illam mortem Apostolus. Si autẽ mortui estis cum Christo ab elemẽtis huius mundi, quid adhuc velut viuentes de hoc mundo decernitis? Et iterum, Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Matth. 8. Ephes. 5.

De verbis Apostoli Sermo. VII.

Animas in cælo ante corpora versatas falsũ est.

Aliqui dixerunt, quia animæ sursum in cælo peccant, & secundum sua peccata ad corpora pro meritis diriguntur, & dignis sibi quasi carceribus includuntur. Ierunt post cogitationes suas, loqui volẽtes de Dei profundo, mersi sũt in profundũ. Occurrit enim eis Apostolus, volẽs gratiam commendare, & elegit illos geminos in vtero Rebeccæ, & dicit, Nondum enim natis, nec quia aliquid egerint boni aut mali. Vide quemadmodum tulit vanis hominibus phãtasias cõuersationis animarum ante corpus in cælo. Si enim ibi iam conuersatæ sunt, iam aliquid boni egerũt vel mali, & pro meritis suis ad corpora terrena directæ sunt. Si placet contradicamus Apostolo, qui dixit, Nondum natis, nec quia aliquid egerint boni aut mali. Hoc autem quia propter Apostoli euidentem sententiam respuit catholica fides, quòd animæ in cælis prius viuant & conuersentur, & illic recipiendorum corporum merita assumant, modò isti nouelli non audent dicere.

Sermo. CXXXIX. de tempore.

Quidam Philosophi animam immortalẽ esse dixerunt.

Philosophi seculi huius, qui magni fuerũt &

docti & cæteris meliores, animã humanam immortalem esse senserunt. Nec solùm senserunt, sed quantis potuerunt argumentationibus defenderunt, & ipsas defensiones posteris cõscriptas reliquerunt. Sunt libri, legũtur. Ideo istos Philosophos dixi aliis fuisse meliores, in comparatione peiorum, quia fuerunt Philosophi, qui dicerẽt homini, quum mortuus fuerit, nullam vitam postea remanere.

Sermo.CXIIII.de tempore.

Exeunt animæ malæ (inquiunt) & quia immundæ sunt, continuò in alia corpora reuoluuntur. Exeũt animæ sapientium atque iustorum, & quia bene vixerunt, volant ad cælum. Age, bene, bene inuenisti illis locum, volantes ad cælum peruenerunt. Et quid ibi? Ibi erunt, inquiunt, & requiescent cum diis, sedes eorum erunt stellæ. Non malum habitaculum illis inueniſtis, vel ibi illas dimittite, nolite illas deiicere. Sed inquiunt, Post tẽpora longa, facta penitus obliuione veterum miseriarum, incipiũt velle reuerti ad corpora, & delectabit eas venire, & rursus veniunt ad ista patienda, ad ista toleranda, ad obliuiscendum Deum, ad blasphemandũ Deũ, ad sequẽdas corporis voluptates, ad pugnas contra libidinem. Veniunt ad istas miserias. Vnde & quô? Dic mihi quare? Quia obliuiscũtur, obliuiscuntur & delectationẽ carnis: hoc solùm mali sui meminerunt vnde ruerunt. Veniunt. Quare? Quia delectat eos rursus in corporibus habitare. Vnde delectat eos, nisi per memoriam quia ibi aliquando habitauerunt? Dele totam memoriã, & fortè residuã facies sapientiam. Nihil remaneat quod reuocet. Et horruit quidam auctor ipsorum, cui demonstrabatur, vel qui inducebat apud inferos demonstrantem patrem filio suo. Nostis enim propè omnes hæc, atque vtinam pauci noscere tis. Sed pauci nostis in libris, multi in theatris, quia AEneas descẽdit ad inferos, & ostẽdit illi pater suus animas Romanorum magnorũ venturas in corpora. Expauit ipse AEneas & ait,

Virg.6.AEne. O pater, an ne aliquas ad cælum hinc ire putandum est
Sublimes animas, iterũque ad tarda reuerti
Corpora? Sentiendum ne est (inquit) quòd eant ad cælum & iterum redeant? Quæ lucis miseris tam dira cupido? Melius filius intelligebat, quàm pater exponebat. Reprehendit cupiditatem animarum rursus redire in corpora volentium. Dixit diram cupiditatem, dixit eas miseras, nec erubuit eas. Ad hoc Philosophi perduxistis, vt purgentur animæ, perueniant ad summam munditiam, & per ipsam munditiam obliuiscantur omnia, & per obliuiones miseriarum redeant ad miserias corporum. Dicite obsecro, Nonne etiam hæc si vera essent, inquam, quæ sine dubio falsa, quia fœda sunt, nonne melius nescirentur?

Sermo.CLXXXVI.de tempore.

Anima omnis viuit homo. Spiritus noster, quo viuit omnis homo, anima vocatur: spiritus noster, quo viuit singulus quisque homo, anima vocatur: & videtis quid faciat anima in corpore. Omniã membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguã loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat, omnib⁹ simul adest membris vt viuant, vitam dat omnibus, officia singulis. Non audit oculus, nõ videt auris, non videt lingua, nec loquitur auris & oculus, sed tamen viuit, viuit auris, viuit lingua: officia diuersa sunt, vita communis.

Sermo.CXCI.de tempore.

Animas à Deo dari credimus, quas ab ipso factas dicimus, anathematizantes eos qui animam quasi partem Dei, diuinæ dicũt esse substantiæ. Eorum quoque cõdemnamus errorẽ, qui eas ante peccasse vel in cælo cõuersatas esse dicunt, quàm in corpora mitterentur.

In Psalm.LXXXVIII.

Quidam Philosophi animæ immortalitate tenuerunt. In nulla ergo re tam vehementer, tam pertinaciter tam obnixè & contentiosè contradicitur fidei Christianæ, sicut de carnis resurrectione. Nam & de animi immortalitate multi etiam Philosophi gentiũ multa disputauerũt, & immortalem esse animum humanum pluribus & multiplicibus libris cõscriptum, memoriæ reliquerunt. Quum vẽtum fuerit ad resurrectionem carnis, non titubãt, sed apertissimè contradicunt: & contradictio eorum talis est, vt dicãt fieri nõ posse, vt caro ista terrena possit in cælum ascendere.

In Psalm.CXLV.

Anima laus. Natura animæ præstantior est quàm natura corporis. Excellit multũ, res spiritualis est, res incorporea est, vicina est substãtiæ Dei, inuisibile quiddam est, regit corpus, mouet membra, dirigit sensus, præparat cogitationes, erigit actiones, capit rerum infinitarũ imagines.

In Psalm.CXLVI.

Animas nõ vt nolunt ad pœnã. Non nouit anima inuocare Deum nisi sola rationalis: nec putetis, sicut impii quidam dicunt, reuolui animas humanas ad pecora, ad canes, ad porcos, ad coruos. Hoc à cordibus vestris excludite, & à fide vestra. Anima humana facta est ad imaginem Dei, non dabit imaginẽ suam cani & porco.

Ad Volusianum Epist.III.

Primus Pherecides disputauit de anima. Quis nunc extremus idiota, vel quæ abiecta muliercula, non credit animæ immortalitatem, vitámque post mortem futuram? Quod apud Græcos olim prim⁹ Pherecides Assyrius quum disputasset, Pythagoram Samium illius disputationis nouitate permotum, ex athleta in Philosophum vertit,

Ad Euodium Epistola XCIX.

Quæcunque de anima opinio vera sit, quarum nullam temerè affirmare adhuc audeo, nisi tantùm illam repudiare, qua creduntur animæ pro meritis nescio quorum superiorum actuum suorum, singulæ in singula corpora tanquam in carceres trudi.

Ad O-

Ad Optatum Epistola CLVII.

Vtrùm animæ vt corpora propagatione nascantur, sintque ex illa vna quæ primo homini creata est, an Creator omnipotes, qui vtique vsq; nunc operatur, sine vlla propagatione nouas faciat singulas proprias. De qua re antequã aliquid admoneam synceritatem tuam, scire volo, in tam multis opusculis meis nunquam me fuisse ausum de hac quæstione definitam proferre sententiam: & impudenter referretur in literas ad alios informãdos, quod apud me nõ fuerit explicatum. Quarum autẽ rerum atque causarũ consyderatione permouear, vt in neutram assertionem meus inclinetur assensus, sed adhuc inter vtranque disceptẽ, nimis longum est hac epistola exprimere, nec tam necessariũ, vt hoc omisso nõ possit de hac quæstione quod satis est deputari, etsi non ad auferendam cunctationem, certè ad cauendã temeritatem. Vnde si origo animæ lateat, dum tamẽ redemptio clareat, periculũ non est. Neque enim in Christum credimus vt nascamur, sed vt renascamur quomodocunque nati fuerimus. Hactenus autem dicimus sine periculo latere animæ originem, vt non tamen eam partem Dei esse credamus, sed creaturam: nec de Deo natam, sed ab illo factam, atque in eius genus adoptandam mirabili dignatione gratiæ, non parili dignitate naturæ, nec eam corpus esse sed spiritum, nõ creatorem vtique sed creatũ. Nec ideo veniisse in hoc corp° corruptibile, quo grauatur, quòd illuc eã vitæ in cælestibus vel quibuslibet aliis partibus mundi antea malæ gestæ merita compulerunt. Nõdum enim natos Apostolus cùm de Rebeccæ geminis loqueretur, nihil egisse dicit boni vel mali, vt nõ ex operibus, quibus nullis alter distinguebatur ab altero, sed ex vocante diceretur minori seruiturum esse maiorem.

Periculum non esse si animæ origo nobis ignota sit.

Rom. 9.

In eadem Epistola.

Quis autem negat non vnius tantùm, sed omnis animæ creatorem Deum atque factorem, nisi qui eius eloquiis apertissimè refragatur? Sine vlla quippe ambiguitate per Prophetam dicit, Omnẽ flatum ego feci: animas videlicet intelligi volens, quod verba consequentia manifestant. Non itaque vnum, quem facto ex terra homini primo inspirauit, sed omnem flatum ipse fecit, ipse adhuc facit. Quæritur tamẽ vtrùm omnem flatum ex illo vno flatu, sicut omne corpus hominis ex vno illo corpore faciat, an verò noua quidem corpora faciat ex vno, animas autem nouas ex nihilo. Quis enim congrua suis originibus genera rerum etiam de seminibus facit, nisi qui ipsa semina sine seminibus fecit? Sed vbi res naturaliter obscura nostrum modulũ vincit, & apertè diuina Scriptura non subuenit, temerè hinc aliquid definire humana coniectura præsumit. Secundum vitas autem, quas proprias habere incipiunt, nouos homines dicimus nasci, siue anima, siue corpore. At verò secundũ originale peccatum veteres nascuntur: ideo Baptismate renouantur. Aliquid ergo certũ de animæ origine nondum in Scripturis canonicis comperi.

Animarum creator Deus.

In eadem Epistola.

Nam & illi qui animas ex vna propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profectò eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, & corpulentis seminibus exoriri. Quo peruersius quid dici potest? Neque hoc Tertullianum somniasse mirãdum est, qui etiam ipsum creatorẽ Deum non esse nisi corpus opinatur.

Tertullianus error.

Lib. I. de ciuitate Dei. Cap. XXII.

Si magno animo fieri putandum est, quum sibi homo ingerit mortem, ille potius Cleombrotus in hac animæ magnitudine reperitur, quem ferũt lecto Platonis libro, vbi de immortalitate animæ disputauit, se præcipitem dedisse de muro, atque ita ex hac vita emigrasse ad eam quam credidit esse meliorem. Nihil enim vrgebat aut calamitatis aut criminis, seu verũ seu falsum, quod non valendo ferre se auferret: sed ad capessendam mortem, atque ad huius vitæ suauia vincula rumpenda, sola affuit animi magnitudo.

Cleombrotus sibi ipsi præcipitauit.

In lib. de immortalitate animæ, Capit. I.

Nemo sine disciplina rectè ratiocinatur. Est enim recta ratiocinatio à certis ad incertorum indagationem nitens cogitatio, nihilque certum est in animo quod ignorat. Omne autem quod scit animus, in se habet. Nec vllam rem scientia cõplectitur, nisi quę ad aliquã pertineat disciplinã. Est enim disciplina quarũcũq; rerũ scientia. Semper igitur animus humanus viuit.

Animus humanus nunquam non viuit.

Eodem lib. Cap. V.

Anima si subiectum est, in quo ratio inseparabiliter ea necessitate quoq;, qua in subiecto esse monstratur, nec nisi viua anima potest esse anima, nec in ea ratio potest esse sine vita, & immortalis ratio, immortalis est anima. Prorsus enim nullo pacto non existẽte subiecto suo immutabilis ratio permaneret. Quod eueniret, si tanta accideret animæ mutatio, vt eam nõ animam faceret, id est, mori cogeret. Nulla autem illarum mutationum, quæ siue per corpus siue per ipsam animam fiunt, quãuis vtrùm aliquæ per ipsam fiant, id est, quarum ipsa sit causa, nõ parua sit quæstio, id agit vt animã non animam faciat. Iam igitur non solùm per se, verùm nec nostris rationibus formidandæ sunt.

Animam esse immortalem.

De animæ quantitate, Caput I.

Propriam quandam habitationem animæ ac patriam, Deum ipsum credo esse, à quo creata est: substantiã verò eius nominare non possum. Non enim eam puto esse ex his visitatis notisque naturis, quas istis sensibus corporis tangimus. Nam neque ex terra, neque ex aqua, neque ex aere, neque ex igni, neque ex his omnibus, neque ex aliquibus horũ cõiunctis constare animũ puto. Simplex animæ natura dici

Animæ habitatio & patria Deus.

potest,quia ex aliis naturis non est.

Capit.III.eodem libro.

De animæ quantitate. Quãta sit anima,secundum inquisitionem hanc tibi respondere non possum: sed possum affirmare,neque illam longam esse, nec latam, nec robustam, neque aliquid horum, quæ in mensuris corporum quæri solent.

Libro III.de libero arbitrio,Cap.XXI.

Harum autem quatuor de anima sententiarum,vtrùm de propagine veniant, an in singulis quibusque nascẽtibus nouæ fiant,an in corpora nascentium iam alicubi existẽtes,vel mittantur diuinitus, vel sua sponte labantur,nullam temerè affirmare oportebit. Aut enim nõdum ista quæstio à diuinorum librorum catholicis tractatoribus pro merito suæ obscuritatis & perplexitatis euoluta atque illustrata est: aut si iam factum est,nondum in manus nostras huiuscemodi literæ peruenerunt. Tantùm absit fides nihil de substãtia Creatoris falsum indignúmque sentiendi:ad illum enim tendimus itinere pietatis. Si ergo aliud de illo sẽserimus quàm est intentio nostra, nõ in beatitatem,sed in vanitatem nos ire cõpellet. De creatura verò siquid aliter quàm sese habet senserimus, dummodo non id pro cognito perceptóque teneamus, nullum periculum est. Non enim ad creaturam iubemur tẽdere vt efficiamur beati,sed ad ipsum Creatorẽ,de quo si aliud quàm oportet ac sese res habet, nobis persuadetur, pernicioſissimo errore decipimur.

Capit.XXII.

Quod naturaliter inest animæ non illi deputabitur in reatum. Non enim quod naturaliter anima nescit, & naturaliter non potest, hoc animæ deputatur in reatũ: sed quòd scire nõ studuit,& quòd dignam facilitati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit. Loqui enim non nosse atque non posse,infanti naturale est.

Lib.I.de anima & eius origine,Cap.IIII.

Anima de nihilo est. Ita quippe anima,vel Dei flatu facta,vel Dei flatus factus est ipsa, vt non de ipso sit,sed ab ipso de nihilo creata sit. Neq; enim sicut homo quando sufflat,non potest de nihilo flatum facere, sed quem de isto aere ducit, hunc reddit: ita Deo putandum est auras aliquas circunfusas iam fuisse, quarum exiguam aliquam particulam spirando traheret, & respirando refunderet,quando in hominis faciẽ sufflauit,eíque illo modo animam fecit. Quod etsi ita esset, nec sic de ipso,sed de subiacente re aliqua flabili posset esse quod flauit. Sed absit vt negemus Omnipotentẽ de nihilo flatum vitæ facere potuisse,quo fieret homo in animam viuã, atque in eas contrudamur angustias, vt vel iam fuisse aliquid,quod ipse non esset, vnde flatum faceret, opinemur,vel quod mutabile factum videmus,de seipso feciſse credamus. Quod enim de ipso est, necesse est vt eiusdem naturæ sit cuius ipse est,ac per hoc etiamimmutabile sit:anima verò,quod omnes fatentur,mutabilis est. Non ergo de ipso, quia non est immutabilis sicut ipse. Si autem de nulla re alia facta est,de nihilo facta est proculdubio,sed ab ipso.

Eodem libro,Cap.XVIII.

Anima sexu caret. Nam & si anima sexu caret,nõ tamen quando appellantur mulieres,excepta anima necesse est eas intelligi. Alioquin non ita se admonerentur ornare,non in tortis crinibus, aut auro vel margaritis,aut veste pretiosa,sed quod decet (inquit) mulieres promittentes pietatẽ per bonam conuersationem. Vtique pietas intus est in anima vel in spiritu, & tamen mulieres appellatæ sunt etiam vt se intus ornarent, vbi nullus est sexus.

Capit.XIX.

Absit ergo vt animarum propago,si falsa est,à talibus refellatur, & animarum nouarum insufflatio,si vera est,à talib⁹ defẽdatur. Quãobrem quicunque volunt defendere, quòd dicuntur animæ nouæ nascentibus insufflari, nõ de parentibus trahi, aliquid illorum quatuor quæ suprà commemoraui,caueãt omni modo. Hoc est, ne dicant à Deo fieri animas peccatrices,per alienum originale peccatum. Ne dicant paruulos,qui sine Baptismo exierint,peruenire posse ad vitã æternã, regnúmque cælorum, originali peccato per quodlibet aliud resoluto. Ne dicant animas peccasse alicubi ante carnem, & hoc merito in carnem peccatricẽ fuisse detrusas. Ne dicant peccata,quæ in eis inuenta non sunt, quia præscita sunt, meritò fuisse punita, quum ad eam vitam vbi ea committerẽt, permissæ non fuerint peruenire. Nihil ergo istorum quatuor dicentes, quoniam quodlibet eorum falsum atque impium est. *Quid circa animarũ originẽ sentiendum.*

Lib.III.de anima & eius origine,ad Vincentium Victorem,Cap.VI.

Noli dicere nec credere nec docere,per infinitum tempus, atque ita semper Deum animas dare,sicut semper est ipse qui dat,si vis esse catholicus. Erit enim tempus quando non dabit animas Deus, quum tamen esse ipse non desinat.

Libro IIII.Cap.IIII.

Nam fateor dilectioni tuæ,quantùm attinet ad animarum quæstionẽ, vnum de duobus valde cupio nosse si possim,vel de animarum origine quod ignoro, vel vtrũ pertineat ad nos hoc nosse quum hîc viuimus. Quid si enim ex illis rebus est,de quibus nobis dicitur, Altiora te ne quæsieris & fortiora te ne scrutat⁹ fueris, sed quæ præcepit tibi Domin⁹ illa cogita sẽp? *Eccles.*

Libro Solilequiorum animæ ad Deum,Cap.XXX.

Anima fidẽ factuarii Dei Anima enim quam creasti,non de te,sed per Verbum tuum, non ex qualibet elementorum materia, sed ex nihilo, quæ quidam rationalis, intellectualis,spiritalis, semper viuens, semper in motu, quam signasti lumine vultus tui, & consecrasti virtute lauacri tui, ita facta est capax maiestatis tuæ, quod à te solo, & à nullo alio possit impleri. Quando autem te habet, plenum

plenum est desyderium eius, & iam nihil aliud quod desyderetur exterius restat. Dum autem aliquid exterius desyderat, manifestum est, quod te non habet interius, quo habito nihil est quod vltrà desyderet.

De cognitione veræ vitæ, Cap. IIII.

Animæ spiritus nuncupantur, iuxta illud, *psalm. 145.* Exibit spiritus eius, & caro reuertetur in terrã.

Cap. V. eodem libro.

Animæ definitio. Anima verò spiritus est substantia incorporea, corporis sui vita, inuisibilis, sensibilis, mutabilis, illocalis, passibilis, nec quantitatum mensurç, nec qualitatum formæ vel coloris susceptibilis, memorialis, rationalis, intellectualis, immortalis. Et ne hæc vacillet definitio, ratio eam probationibus roboret. *Anima vita corporis est.* Anima est spiritalis substantia. Omne enim quod alii vitam subministrat, ipsum est necesse vt subsistat. Sed anima vitam corpori tribuit: igitur anima realiter subsistit. Hanc verò vitã esse ipsamet probat, dum præsentia sua corpus viuificat, absentia sua idem mortificat. Hæc nobis quidem est inuisibilis, sed spiritibus visibilis. Hanc etiam sensibilem esse constat, dum oculis colores, auribus sonos, naribus odores, palato sapores, manibus aspera vel lenia sentire præstat. Est quoque mutabilis. Omne enim quod melioratur & peioratur mutabile est: sed anima vitiis peioratur, virtutibus melioratur. igitur mutabilis est. Est etiam illocalis. Omne quod loco includitur, altitudine, longitudine, latitudine aeris circunscribitur, corpus est. Sed ratio docuit animam incorporeã esse, id est, nec corpus, nec aliquod membrum habere. igitur constat eam esse illocalem. Non enim spatium aeris vt corpus occupat, nec corpus vt aqua vtrem implet, sed vt color toto igni illocaliter inest, ita anima totum corpus illocaliter possidet. Ignis quidã est visibilis, sed calor inuisibilis & sensibilis, & quodammodo ignem viuificans, ita anima inuisibilis, sed sensibilis, visibile corpus quadam occulta vi sensificat & viuificat. Hæc est quoque passibilis. Omne enim quod mœrore afficitur, passibile est. Sed anima dum suæ voluntatis compos non efficitur, dolore mœstitiæ afficitur. igitur passibilis esse conuincitur. *Anima nec quantitatẽ, nec qualitatem habet.* Ab hac quantitas excluditur, dum nec altitudine aut latitudine aut longitudine metitur, nec sex circunstantias, si antè & retrò, dextrum & sinistrũ, sursum & deorsum, se includere patitur. Qualitas etiam formę vel coloris ab hac secernitur, dum nulla forma vel humani corporis, vel vllius coloratæ rei illi ascribitur. Hæc est memorialis, quia prçterita recolit. Est etiam rationalis, quia præsentia discernit. Est intellectualis, quia futura intelligit. Hanc esse immortalem hinc constat, quòd memoriam sui apud posteros perenniter durare laborat.

Eodem libro, Cap. XXXII.

Animæ sunt æternæ. Animas autem constat esse æternas. Si enim ad videndũ Deum factæ prædicantur, necessariò sequitur, vt sicut Deus finem non habere creditur, ita animæ illum visuræ, sine fine viuere non dubitentur. Sed quæritur vtrùm illæ animæ immortales sint, quæ Deum visuræ non sunt. Omnes animas vnius constat esse naturæ: & si quædam animæ immortales sunt: igitur omnes animæ Deum visuræ semper erũt beatæ, & cum non visuræ, miseræ.

Cap. XXXIII.

Anima in singulis membris tota. Anima vbique in corpore, & in singulis membris est tota. Vnde tacto vno membro dolet tota: non tamen tot tota, sicut vox in auribus omnium non particulariter, sed sonat tota, & in seipsa remanet tota.

De Ecclesiasticis dogmatibus, Cap. XIIII.

Circa animarum creationem, errores. Animas hominum non esse ab initio inter cæteras intellectuales naturas, nec simul creatas, sicut Origenes fingit: neque cum corporibus per coitum seminantur, sicut Luciferiani, Cyrillus, & aliqui Latinorum præsumptores affirmant, quasi naturæ consequentiam seruãtes. Sed dicimus creationem animæ solũ Creatorem omniũ nosse, & corpus tantùm per coniugii copulam seminari. Dei verò iudicio coagulari in vulua, & compingi atque formari: ac formato iam corpore animam creari & infundi, vt viuat in vtero homo ex anima constans & corpore, & egrediatur viuus ex vtero, plenus humana substantia.

Eodem lib. Cap. XV.

Neque duas animas esse dicimus in vno homine, sicut Iacobus & alii Syrorum scribunt: vnam animalem, qua animetur corpus & immixta sit sanguini: & alteram spiritalem, quæ rationem ministret. Sed dicimus vnã esse eandémque animam in homine, quæ & corpus sua societate viuificat, & semetipsam sua ratione disponat, habens in se libertatem arbitrii, vt in suæ substantiæ eligat cogitatione quod vult.

Cap. XVI.

Solus homo animam habet immortalem. Solum hominem credimus habere animam substantiuam, quæ exuta corpore viuit, & sensus suos atque ingenia viuaciter tenet. Non cum corpore moritur, sicut Aratus asserit, neque post modicum interuallum, sicut Zenon dicit, quia substantialiter viuit.

Cap. XVII.

Animalium animæ mortales. Animalium verò animæ non sunt substantiuæ, sed cum carne ipsa carnis viuacitate nascuntur, & cum carnis morte finiũtur & moriuntur: & ideo nec ratione regũtur, sicut Plato & Alexander putant, sed ad omnia naturæ incitamenta ducuntur.

Cap. XVIII.

Anima hominis formata corpori infertur. Anima humana non cum carne moritur, quia non cum carne, vt superius diximus, seminatur, sed formato in ventre matris corpore, Dei iudicio creari & infundi, vt viuat homo intus in vtero, & sic procedat natiuitate in mundum.

Cap. XIX.

Duabus substantiis tantùm constat homo, anima & corpore. Anima cum ratione sua, & corpore cum sensibus suis. Quos tamen sensus absque animæ societate non mouet corpus. Anima verò & sine corpore rationale suum tenet.

Cap. XX. eodem libro.

Spiritus in homine vnum est cum anima. Non est tertius in substantia hominis spiritus, sicut Dydimus contẽdit, sed spiritus ipsa est anima, pro spiritali natura, vel pro eo quòd spiret in corpore, spiritus appellatur: anima verò ex eo vocatur, quòd ad viuendum vel viuificandum animet corpus. Tertiumverò qui ab *1. Thess. 5.* Apostolo cum anima & corpore inducitur spiritum, gratiã sancti Spiritus esse intelligamus, quam orat Apostolus vt integra perseueret in nobis, ne nostro vitio aut minuatur aut fugetur à nobis: quia Spiritus sanctus effugiet fictũ. *Sapient. 1.*

De salutaribus documentis, Cap. XXIII.

Virtus animæ tuæ est Deum diligere, & odire illa quæ Deus non diligit. Virtus est animæ tuæ, patientiam sectari, & ab omni impatientia declinare. Virtus est animæ tuæ castitatem tam corporis quàm animæ custodire. Virtus est animæ tuæ vanam huius mundi gloriam contemnere, & omnia caduca calcare, & pro illius amore qui te redemit, dum viuis in corpore, laborare. Virtus est animæ tuæ humilitati studere, & superbiam abominari. Virtus est animæ tuæ, iram & furorẽ cohibere ac reprimere. Virtus est animæ tuæ, ab omni stultitia declinare, & sapiẽtiam diuinam amplecti. Virtus est animæ tuæ, omnẽ delectationem carnis subiicere, & mentem tuam ad Christum erigere.

Libro de spiritu & anima, Cap. VI.

Anima secundum Philosophum quid sit. Anima ad similitudinem totius sapientiæ facta, rerum omnium in se gerit similitudinem. Vnde à Philosopho definita est, omnium rerũ similitudo. Habet siquidẽ in se vires, quibus omnia apprehendit, siue inuestigat, & omnibus similis existit, quum sit vna.

Cap. VIII.

Anima quid sit. Anima est substãtia rationalis, intellectualis, à Deo facta, spiritalis, nõ ex Dei natura, sed potius creatura ex nihilo facta, in bonum malúmque conuertibilis. Et ideo aliquatenus est mortalis, inquãtum in deterius mutari, & à voluntate Dei, cuius participatione bona fit, alienari potest. Et aliquatenus immortalis, quoniam sensum, quo ei post hanc vitam vel bene vel malè fit, amittere nõ potest. Non quòd pro actis ante carnem gestis meruerit, vt in carne includeretur, vt quidam voluerunt: sed nec ideo potest esse in homine sine sorde peccati, nisi à Christo fuerit liberata. Dei enim nutu ad corpus anima venit, vt si secundum eius præceptum agere vellet, mercedem acciperet vitæ æternæ, atque societatem Angelorum. si autem contemneret, pœnas iustissimas & amarissimas lueret, siue doloris continui, siue ignis æterni.

Cap. XIIII.

Quibusdam affectibus & quadam amicitia anima corpori coniungitur: secundum quã amicitiam nemo carnem suam odio habet. Sociata nanque illi, licet eius societate prægrauetur, ineffabili tamen conditione diligit illud: amat carcerem suum, & ideo libera esse non potest. Doloribus eius vehemẽter afficitur. Formidat interitum, quæ mori non potest. Timet defectum, quæ per naturam non potest deficere. Oculorum pascitur speculatione, sonorum delectatur auditibus, suauissimis iocundatur odoribus, larga epulatione reficitur. Et licet his rebus nullatenus ipsa vtatur, graui tamen mœrore affligitur si subtrahantur. *De amicitia animæ.*

Cap. XXXIIII.

Anima nominatur totus homo interior, qua viuificatur, regitur & continetur lutea illa massa, humectata succis, ne arefacta dissoluatur. Dum ergo viuificat corpus, anima est, dum vult, animus est, dum scit, mens est, dum recolit, memoria est, dum iudicat, ratio est, dum spirat vel contemplatur, spiritus est, dum sentit, sensus est. Nã inde sensus anima dicitur, pro iis quæ sentit, vnde & sententia nomen accepit. *Totus homo anima nominatur.*

DE POENITENTIA.

Ad Macedonium, Epistola LIIII.

Morum porrò corrigendorum, nullus alius quàm in hac vita locus. Nam post hanc, quisq; id habebit quod in hac sibimet conquisierit. Ideo compellimur humani generis charitate, interuenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, vt ea finita non possint finire supplicium. *In hac vita locus pœnitẽtiæ.*

Post pauca ibidem.

Nam nihil aliud agit quem veraciter pœnitet, nisi vt id quod mali fecerit impunitum esse non sinat. Eo quippe modo, sibi non parcenti ille parcit, cuius altum iustúmque iudicium nullus contemptor euadit.

Ad Seleutianum Epistola CVIII.

Agunt homines ante Baptismum pœnitentiam de suis prioribus peccatis: ita tamen vt etiam baptizentur, sicut scriptum est in Actibus Apostolorum, loquẽte Petro ad Iudæos, & dicente, Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisq; vestrûm in nomine Domini Iesu Christi, & dimittentur vobis peccata vestra. Agunt etiam homines pœnitentiã, si post Baptismum ita peccauerint, vt excommunicari, & post ea recõciliari mereantur, sicut agunt in omnibus Ecclesiis illi qui propriè pœnitentes appellantur. De tali enim pœnitentia loquutus est Apostolus Paulus, vbi ait, Ne iterum quum venero humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis qui antea peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immũditia & luxu- *Actorum 2.* *Post Baptismũ per pœnitentiã etiam dimittis peccata.* *2. Corinth. 12.*

ria

ria & fornicatione, quã egerunt. Neque enim scribebat ista, nisi eis qui iam baptizati fuerãt.
Actum 8. Habemus etiam in Actibus Apostolorum Simonem iam baptizatum, quum pecunia vellet emere, vt ei per impositionem manus daretur Spiritus sanctus, admonitum à Petro vt de hoc graui peccato ageret pœnitentiam. Est enim pœnitentia bonorum & humilium fideliũ pœna quotidiana, in qua pectora tundimus, dicẽtes, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa non dubitamus in Baptismo: sed illa vtique quæ humanę fragilitati, quãuis parua, tamen crebra subrepunt. Quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & oppriment, sicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium vtrùm vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contẽpta, impleat nauem atque submergat? Propter hæc, ieiunia, & eleemosynæ, & orationes inuigilant, in quibus quum dicimus, Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus: manifestamus habere nos quod nobis dimittatur, atque in his verbis humiliãtes animas nostras, quotidianam quodammodo agere pœnitentiam non cessamus.
Matth.6.

In Psalmum CX.

Te corrigit, qui indulgentiam promittit, & dicit, Redite præuaricatores ad cor, Nolo mortem impii, sed tantùm vt reuertatur & viuat. Hoc proculdubio portu proposito, deponis vela iniquitatis, conuertis proram, velificas ad iustitiam, & speras vitam, non negligis medicinam. Nec in hoc tibi displiceat Deus, tanquam per istam indulgentię promissionem securos fecerit peccatores. Etenim ne desperatione homines peius viuerẽt, ꝓmisit indulgẽtiæ portum. Rursus ne de spe veniæ peius viuerent, fecit diem mortis incertum, prouidentissimè vtrunque constituens, & reuertentes quô reçipiantur, & differentes vnde terreantur. Indulgẽtiam tibi Deus promisit, crastinum diem tibi nemo promisit. Si malè vixisti, bene viue iam hodie.
Esaiæ 46. Ezec. 18 & 33

De fide & operibus, Cap. XXVI.

Nisi essent quædam peccata ita grauia, vt etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus, Congregatis vobis & meo spiritu, tradere eiusmodi hominem satanæ in interitũ carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini Iesu. Vnde etiam dicit, Ne lugeam multos ex iis qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditiam & fornicationem quam gesserunt. Item nisi essent quædam non ea humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis, qui propriè pœnitentes vocãtur, sed quibusdam correptionum medicamẽtis, non diceret ipse Dominus, Corripe eum inter te & ipsum solum: & si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Postremò nisi essent quędam, sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione quam docuit, vt dicamus, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.
1. Corinth. 5. 2. Corinth. 12. Matth. 6.

De correctione Donatistarum ad Bonifacium, Cap. XXVI.

Vt enim constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicuius criminis pœnitentiam, clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ: alioquin cõtra claues datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est, Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cælo. Sed ne forsitan etiam de cæteris criminibus spe honoris Ecclesiastici animus intumescens, superbè ageret pœnitentiam, seueriſsimè placuit vt post actam de crimine damnabili pœnitentiam, nemo sit clericus, vt desperatione temporalis altitudinis medicina maior & verior esset humilitatis. Nã & sanctus Dauid de criminibus mortiferis pœnitentiam egit, & tamen in honore suo perstitit. Et beatum Petrum quando amariſsimas lachrymas fudit, vtique Dominum negasse pœnituit, & tamen Apostolus mansit. Sed non ideo superuacua putanda est posteriorum diligentia, qui vbi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur: experti, credo, aliquorum fictas pœnitentias, per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas inuenire medicinas multorum experimenta morborum.
De Ecclesiastica pœnitentia. Matth. 18. 2. Reg. 12. Matth. 26.

In Enchiridio ad Laurentium, Cap. LXV.

Sed neque de ipsis criminibus quanlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia, Dei desperanda est misericordia agentibus pœnitentiam, secundum modum sui cuiusque peccati. In actione autem pœnitentiæ, vbi tale crimen commissum est, vt is qui commisit à Christi etiam corpore separetur, non tam consyderanda est mensura temporis quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Verùm quia plerunque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcunque alia signa procedit, quum sit coram illo cui dicitur, Gemitus meus à te non est abscõditus: rectè constituuntur ab iis qui Ecclesiæ præsunt tempora pœnitẽtiæ, vt fiat etiam satis Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata: extra eam quippe non remittuntur peccata. Ipsa nanque propriè Spiritum sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur vlla peccata, ita vt quibus dimittuntur, consequantur vitam æternam.
Psalm. 50. Psalm. 37. *Extra Ecclesiã non remittuntur peccata.*

Eodem libro, Cap. LXXXII.

Nam & ipsa pœnitẽtia, quando digna causa est secundum morem Ecclesię vt agatur, plerunque infirmitate non agitur, quia & pudor timor est displicendi, dum plus delectat homi-
Dei misericordia fit vt quem pœniteat.

num æstimatio, quàm iustitia, qua se quisque humiliat pœnitendo. Vnde non solùm quum agitur pœnitentia, verumetiam vt agatur, Dei misericordia necessaria est. Alioqui non diceret Apostolus de quibusdam, Ne fortè det illis
2. Timoth. Deus pœnitentiam. Et vt Petrus amarè fleret,
Luca 22. præmisit Euangelista & ait, Respexit eum Dominus.

Sermon. VII. de tempore.

Qualis debeat esse pœnitentia. Videte qualis debet esse pœnitentia, quia multi assiduè se dicunt esse peccatores, & tamè adhuc illos delectat peccare. Professio est, non emendatio. Accusatur anima, nõ sanatur. Pronuntiatur offensa, non tollitur. Pœnitentiam certam nõ facit nisi odiũ peccati & amor Dei. Quando sic pœnites vt tibi amarum sapiat in animo, quod antè dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente, iam tunc bene ingemiscis ad Deum,
Psalm. 50. & dicis, Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.

Sermon. VIII. de tempore.

Pœnitentia nõ differenda. Rogo vos fratres charissimi, vt si fortè aliquis ex vobis, vt se habet humana fragilitas calliditate diaboli superatus, & capitalibus criminibus inuolutus, secũdum quod Apostolus ait, templum Dei in se violando destruxerit, de Dei misericordia non desperet, sed citò de malo iniquitatis suæ cõsurgat, ne consuetudine peccandi in ipsis se ruinis suis sepeliat. Non enim qui peccauerit, sed qui in peccatis perseuerauerit, odibilis & abominabilis Deo erit. Nam vt de indulgentia diuina nemo diffidat,
Ezech. 33. Dominus nos per Prophetam velut pater pijssimus consolatur, dicens, Nolo mortem peccatoris,
Ezech. 18. sed vt cõuertatur & viuat. & illud, Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die cõuersus fuerit ab impietate sua. Sed ista tã magna misericordia tunc nobis prodest, si nõ tardamus conuerti ad Dominum, nec crimina criminibus superaddimus.

Eodem sermone.

Exempla pœnitentiæ. Nemo ergo nec post centum peccata, nec post mille crimina de misericodia diuina desperet. Sic tamen non desperet, vt sine vlla mora Deum sibi repropitiari festinet, ne fortè si consuetudinem peccandi fecerit, etiam si velit,
2. Reg. 11. 12 de diaboli laqueis liberari non possit. Dauid enim qui & rex & Propheta diuino munere fieri meruit, post tantã gratiam ita præuentus est, vt non solùm adulterium committeret, sed etiã homicidium perpetraret: nec tamen se ad hoc reseruauit, vt in senectute sua ad pœnitentiæ medicamenta confugeret: sed statim cilicio prostratus, conspersus cinere, cum ingenti rugitu & gemitu pœnitentiam agens, impleuit illud quod ipse in Psalmis dixerat,
Psalm. 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis
Psalm. 101. stratum meum rigabo. Et iterum, Cinerem sicut panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebã. Et quia pœnitẽtiam agere mortifera securitate non distulit, citò in se Dei miserationem ita reuocauit, vt nõ solùm regnum nõ amitteret, sed etiam Spiritus sancti donum recipere mereretur. Achab quoque rex sacrilegus, de quo Scriptura dicit, quòd non fuerit alius talis, qui venundatus sit vt faceret malum
3. Reg. 21. contra Dominum, posteaquam deprauatus ab vxore Iezabel, abominabilis Deo factus est, interfecto & lapidato Naboth Iezraelita, quum vineam eius vellet inuadere, castigatus à sancto Helia, scissis vestibus, cilicio indutus est, & inclinato capite pœnitentiam egit. Pro qua re statim sermo Dei ad Heliam factus est, dicens, Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia (inquit) humiliatus est mei causa, nõ inducam in diebus eius malum. Manasses quo-
4. Reg. 21. que rex, sicut in Scripturis legimus, tam sacrilegus & impiissimus fuit, sicut de illo scriptum
2. Paral. 36. est, vt totam Hierusalem omni iniquitate repleuerit: & tamen post hęc in captiuitatem ductus, & in carcerem missus, cum grandi humilitate pœnitentiam agens, ita gratiam Dei obtinuit, vt mereretur inter Dei amicos postmodũ numerari. Meretrix quoq; illa, quæ pedes Do-
Luca 7. mini lachrymis lauit, & capillis suis extersit, vbi cęlestem medicum venisse cognouit, vltrò se ingessit in domũ vbi rogata non fuerat, & quæ prius frontosa erat ad perditionẽ, postea frontosior facta est ad salutem. Et ideo audire meruit, quòd ei omnia fuerint peccata dimissa. Sed quia longum est ire per singulos, isti quatuor quos nominauimus, satis abundéque sufficiunt, vt agnoscamus quòd Dominus noster, qui & Dauid post tam graue peccatum indulsit, & Achab sacrilego regi pepercit, & Manassen post innumerabilia peccata pœnitentiam agentem inter amicos suos reputauit, & meretrici quæ lachrymis pedes rigauerat, & capillis suis terserat, totum indulsit: qui ergo istis tantis ac talibus peccatoribus veniam dedit, paratus est & nobis, si in veritate conuertimur, non solùm peccata dimittere, sed etiam æternam beatitudinem dare.

Sermon. LXVI.

Facite dignos fructus pœnitentiæ. Fructus dignus est pœnitentiæ, transacta flere peccata, & eadem iterum non agere: sicut scriptum est, Ne adiicias peccatum super peccatum. Lauamini, dicit Dominus per Esaiam Prophetam, & mundi estote. Lauatur itaque & mũdus est, qui & præterita plangit, & iterum non admittit. Lauatur & non est mũdus, qui plãgit quod gesit, nec deserit, sed post lachrymas, flẽda hęc quæ fleuerat repetit. De his beatus Petrus terribiliter ait, Canis reuersus ad vomitũ suum.
2. Petri 2. Eccles. 21. Fili peccasti, dicit Scriptura sancta, ne adiicias iterum, sed de pristinis deprecare, vt dimittantur tibi. Pœnitentia vera non annorum numero censetur, sed amaritudine animi. Vnde beatus Petrus mox à Domino indulgentiam re-
Matth. 26. cepit, quia amarissimè fleuit trinæ negationis culpam.

Matth. 3. Fructus digni pœnitentiæ qui.

Esaiæ 1.

Ibidem

Ibidem in fine.

Ezech.33. In quacunque die conuersus fuerit peccator, vita viuet, & non morietur. Quanuis quisque sit peccator & impius, si ad pœnitentiam conuertitur, consequi per misericordiam veniam non dubitet. In hoc seculo pœnitentiam facientibus Dei misericordia subuenit: in futuro autẽ pœnitẽtia nõ proficit, sed rationem nostrorum operum reddituri sumus. In hac vita tantùm pœnitentię patet libertas, post mortem nulla correctionis est licentia.

Post mortem nulla correctionis est licentia.

De natura boni aduersus Manichæos, Cap. IX.

Ad Deum pertinere quãtitatem pœnæ inflige. Roman. 9. Qualis autem & quanta pœna cuique culpæ debeatur, diuini iudicii est nõ humani, quæ vtique & cum conuersis remittitur, magna est bonitas apud Deum: & quum debita reddit, nulla est iniquitas apud Deum: quia melius ordinatur natura, vt iustè doleat in supplicio, quàm vt impunè gaudeat in peccato. Quia tamen sic habent nonnullum modum & speciem & ordinem in quacunque extremitate, adhuc aliquod bonum est: quæ si omnino detrahantur, vt penitus consumantur: ideo nullum bonum erit, quia nulla natura remanebit.

In Euangelium Ioannis, Tractatu XXXIII.

Eccles.5. Illis qui spe periclitantur, hoc dicitur, Ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tẽpore vindictæ disperdet te. Illis qui desperatione periclitãtur, quid dicit? In quacunque die iniquus conuersus fuerit, omnes iniquitates eius obliuiscar. Propter illos ergo qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum, propter illos, qui spe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Quando veniat vltimus dies nescis. Ingratus es, quia hodiernum habes in quo corrigaris.

Ezech.18.

Quæstionum veteris & noui Testamenti, Quæst. CII.

Contra Nouatianos. Si enim apud veteres nostros pœnitentia habuit locũ, quomodo fieri potest vt hoc tempore locum non habeat, quãdo maior clementia prædicationis est, & qui inimicis misertus est vocando illos ad gratiam, amicis factis non miserebitur cum mercede? Tribulatio enim cordis merces est pœnitẽtis. Nam si nobis peccata, quæ in nos peccamus inuicem, si conuertamur, septuagiessepties remitti à nobis alterutrum præcepit Deus, quantò magis ipse si in illum peccetur, ignoscet conuersis? Omnem enim peccatorem conuerti vult. Quid enim est pœnitere, nisi dolere præterita, & de cætero temperare ab iis quæ admiserat?

Contra Fulgentium Donatistam, Articulo XVI.

A malis quomodo exeũdũ. Exeundum nobis è medio est malorũ mente, non carne, operibus, non corporibus. Nolite, inquit Apostolus, communicare operibus infructuosis tenebrarum. Operibus ait, non altaribus. Scriptum est enim in Esaia, Qui dicũt Recede à me, nõ appropinques mihi, quia immundus es, isti fumus erunt in ira mea, ignis ardens tota die. Ephes.5. Esaia 65.

Libro III. Hypognosticon contra Pelagianos, I.

Pœnitentia est optima. Pœnitentia ergo res est optima & perfecta, quæ defectos reuocat ad perfectum. Sed omne datum optimum (Iacobus inquit Apostolus) & omne donũ perfectũ, desursum est, descendẽs à Patre luminum, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio. Oportet ea orare pœnitentem, quæ ad eius emundationem expediunt. Iacobi 1.

De vera innocentia, Cap. CLXXXVII.

Bene currit ad remissionem peccatorum qui displicet sibi. Apud iustum enim iudicem & misericordem qui se accusat, excusat.

Eodem libro, CLXXXIIII.

Non est desperandum de malis, sed pro ipsis vt boni fiant studiosius supplicãdum, quia numerus Sanctorum semper de numero impiorum auctus est.

De Ecclesiasticis dogmatibus, Cap. LIIII.

Pœnitentia vera est, pœnitenda non admittere, & admissa deflere. Satisfactio pœnitentiæ est causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere.

Eodem libro, Cap. LXXX.

Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, etiam si in vltimo vitę spiritu admissorum pœniteat, & publica vel supplicii lamẽtatione peccata prodantur: quia propositum Dei, quo decreuit saluare quod perierat, stat immobile: & ideo quia voluntas eius non mutatur, siue emendatione vitæ, si tempus conceditur, siue supplici confessione, si continuò vita exceditur, venia peccatorum fideliter præsumatur ab illo, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur à perditione pœnitendo, & saluatus Domini miseratione viuat. Si quis aliter de iustissima Dei pietate sentit, nõ Christianus, sed Nouatianus est. Luca 19. Ezec. 18, & 33

De salutaribus documentis, Cap. XXXIX.

De feram sibi pœnitentiam proponentibus. Sed ne de misericordia Domini tantùm securi existimemus, vt peccata peccatis augeamus, neque dicamus, Donec viget ætas, nostræ carnis concupiscẽtias exerceamus, & postremò in senectute malorũ nostrorũ pœnitẽtiam agamus: pius est enim Dominus & misericors, nec vltrà facinorũ nostrorũ recordabitur. Ne quæso taliter cogitemus: quia summa stultitia est hæc cogitare, quum & impium sit talem licentiam à Deo postulare quempiam velle, cuius initium est nos separare à Deo. Ideo (inquam) talia ne cogitemus, quum nesciamus qua die morituri sumus. Nemo enim hominum nouit diem exitus sui. Non omnes in senectute mo-

riuntur, sed in diuersis ætatibus de hoc mundo migrant. Et in quibus actibus vnusquisque homo inuentus fuerit, in eisdē iudicabitur, quando anima exierit de corpore.

De pœnitentiæ medicina, Cap. II.

De triplici actione pœnitentiæ.

Tres sunt actiones pœnitentiæ, quas mecum vestra eruditio recognoscit. Sunt enim visitatæ in Ecclesia & diligenter attendentibus notæ. Vna est quæ nouum hominem per Baptismum parturit, donec salutaris omnium præteritorum peccatorum fiat ablutio, vt tanquam nato puero dolores transeant, quibus viscera vrgebantur ad partum, & tristitiam lætitia consequatur. Omnis enim qui iam voluntatis suæ factus est arbiter, quum ad Sacramenta accedit fidelium, nisi cum pœniteat veteris vitæ, nouam non potest inchoare. Altera verò pœnitentia est, cuius actio per totam istam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetua supplicationis humilitate subeunda est. Primò quia vitam æternam, incorruptibilem immortalémque nullus desyderat, nisi eum huius vitæ temporalis corruptibilis mortalísque pœniteat. Tertia actio pœnitentiæ est, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ Legis Decalogus continet, de quibus Apostolus dicit,

Galat. 5. Quoniam qui talia agunt, regnum Dei nō possidebunt. In hac ergo pœnitentia, maiorem in se quisque seueritatem debet exercere, vt à seipso iudicatus, non iudicetur à Domino, sicut

1. Corinth. 11. ipse Apostolus ait, Si enim nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.

De fide ad Petrum, Cap. III.

Omni homini vtilis pœnitentia.

Proinde omni homini in hac vita potest esse vtilis pœnitentia, quam quocunque tēpore homo egerit, quanlibet iniquus, quanlibet annosus, si toto corde renuntiauerit peccatis præteritis, & pro eis in cōspectu Dei, nō solùm corporis, sed etiam cordis lachrymas fuderit, & malorum operum maculas bonis operibus diluere curauerit, omnium peccatorum indulgentiam mox habebit. Hoc enim nobis Do-

Esaiæ 30. minus Prophetico promittit eloquio dicens, Si conuersus fueris & ingemueris, saluus eris.

Eccles. 21. Et alio loco dicitur, Fili peccasti: ne adiicias iterum, sed & de præteritis deprecare, vt tibi dimittātur. Nunquam peccanti esset indicta pro peccatis deprecatio, si deprecanti non esset remissio concedenda. Sed etiam pœnitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ecclesia catholica gerat. Cur Deus in persona beati Petri ligandi soluendíque tribuit potestatem, dicens,

Matth. 16. Quæ alligaueris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæ solueris super terram, erunt soluta & in cælis? In quacunque igitur homo ætate veram peccatorum suorum pœnitētiam egerit, & vitam suam Deo illuminante correxerit, non priuabitur indulgētiæ munere: quia

Ezech 33. Deus sicut per Prophetā dicit, non vult mortem peccatoris, sed vt reuertatur à via sua mala, & viuat anima eius. Veruntamen nullus hominum debet sub spe misericordiæ Dei in suis diutius remanere peccatis, quum etiam in ipso corpore nemo velit sub spe futuræ salutis diutius ægrotare. Tales enim qui ab iniquitatibus suis recedere negligunt, & sibi de Deo indulgentiam repromittunt, nonnunquam ita præueniuntur Dei furore, vt nec conuersionis tempus, nec beneficium remissionis inueniāt. Ideo sacra Scriptura nos admonet, dicens, Ne *Eccles. 5.* tardaueris conuerti ad Deum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te.

De vera & falsa pœnitentia, Cap. I.

Virtus pœnitentiæ.

Quantùm sit appetenda gratia pœnitentiæ, omnis auctoritas declarat, omnis bonorū vita conatur ostendere. Lāguores enim sanat, leprosos curat, mortuos suscitat, vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat, omnia satiat, omnia redintegrat, omnia lætificat, sanitatem auget quam conseruat, claudis gressum, aridis copiam, cæcis restituit visum, temperat successus, constringit impetus, moderatur excessus. Ignorans se, per hanc se recognoscit, quærens se, per hanc se inuenit. Hæc est quæ homines ad Angelos ducit, & creaturam reddit Creatori. Ista ouem perditam mō- *Lucæ 5.* strauit quęrenti, & decimam drachmam obtulit anxianti. Hæc dissipatorem filium ad patrem reduxit, & vulneratum à latronibus cu- *Lucæ 10.* stodi curandum reseruauit. In hac omne bonum inuenitur, per hanc omne bonum conseruatur: fugat tenebras, inducit lucem, excoquit omnia ipsa ignis consumens.

Cap. II. ibidem.

Fides fundamentum est pœnitentiæ.

Si fides fundamētum est pœnitentiæ, prēter quam nihil est quod bonum sit, appetenda est pœnitentia, quam constat in fide esse fundatā. Non enim potest arbor bona fructus malos fa- *Matth. 7.* cere. Pœnitentia itaque, quæ ex fide non procedit, vtilis nō est. Oportet autem credi remedium pœnitentiæ à Saluatore concedi.

Cap. V. eodem libro.

Contra Nouatianos.

Scimus autem & primos patres, & in omni tēpore Ecclesiam Dei semper vsque in septuagiessepties, quod est semper, peccata dimittere. Quam potestatem Nouatiani ab Ecclesia Dei conātur auferre. Oportet enim sic Ecclesiam credere, quæ confitetur se sæpe peccare. Negat enim veritatem in se esse, qui se absque peccato audet iactare. In multis enim of- *Iacobi 3.* fendimus omnes. Nec infans vnius diei absque peccato super terram esse potest. Quapropter *Iob 25.* eliminandus est iste error ab Ecclesia, q vnquā pœnitentibus negat indulgentiam. Non enim inquirit quid Apostolus senserit, qui dixit, Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Scimus enim & iustis solere pecca- *1. Corinth. 4.* ta contingere.

Eodem libro, Cap. XII.

Extra vnitatē Ecclesiæ nemo dignè pœnitere potest.

Laboret itaque pœnitens in Ecclesia esse, & ad Ecclesiæ vnitatem tendere. Nisi enim vnitas

nitas Ecclesiæ succurrat, nisi quòd deest peccatori sua opitulatione compleat, de manib⁹ inimici nõ eripietur anima mortui. Credendũ est enim & pietas fidei expostulat credere, quòd omnes eleemosynæ totius Ecclesiç, & orationes, & opera iustitiæ, & misericordiæ succurrãt recognoscenti mortem suam ad conuersionem suam. Ideóque nemo dignè pœnitere potest, quem non sustineat vnitas Ecclesiæ. Ideóque non petat sacerdotes per aliquam culpam abvnitate Ecclesiæ diuisos. Iudas enim pœnitens iuit ad Pharisæos, reliquit Apostolos, nihil inuenit auxilii, sed augmentum desperationis.

Matth. 27.

DE ORATIONE ET precatione.

Contra Epistolam Parmeniani, Libro II. Cap. VIII.

Orãt pro se inuicẽ Christiani

Homines omnes Christiani inuicem se cõmendant orationibus suis. Pro quo autem nullus interpellat, sed ipse pro omnibus, hic vnus verúsque Mediator est, cui⁹ typus quoniã præfigurabatur in sacerdote veteris Testamenti: nullus illic inuenitur orasse pro sacerdote. Paulus autẽ Apostolus, quãquam sub capite præcipuũ membrũ, sed tamẽ quia mẽbrum est corporis Christi, & nouerat non per figuram in interiora veli ad sancta sanctorum, sed per expressam & firmam veritatẽ in interiora cæli ad sanctitatem, non imaginariam, sed æternam pro nobis intrasse, maximum & verissimum sacerdotem Ecclesiæ se orationibus fidelium & ipse commendat. Nec Mediatorem se facit inter populum & Deum, sed rogat vt pro se inuicem orent omnia membra corporis Christi, quoniam pro inuicem sollicita sunt membra. Et si patitur vnum mẽbrum, compatiuntur omnia mẽbra: & si glorificatur vnum membrũ, congaudent omnia membra, ac si oratio pro inuicem membrorum omnium adhuc in terra laborantium, ascendat ad caput quod præcessit in cælum, in quo est propitiatio pro peccatis nostris. Nam si esset Mediator Paulus, essent vtique & cæteri Coapostoli eius: ac sic multi mediatores essent: nec ipsi Paulo constaret ratio, qua dixerat, Vnus enim Deus, vnus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus: in quo & nos vnũ sumus, si seruemus vnitatẽ spiritus in vinculo pacis. Nec propter malos bonos deseramus, sed propter bonos malos sufferamus: ne cùm defendere volumus quod temeraria præsumptione relinquimus, incognitos cogamur maiori scelere damnare inauditos: cùm etiam certũ sit, quia peccatores Deus audit, quod quidem inuenitur in Scripturis. Balaam Propheta nõ de populo Israel, sed alienigena, conductus ab amico, vt populo Dei malediceret, conuersus à Domino ad benedicendum est. Cuius verba omnia bene imprecantis audiuimus, & cùm aliud haberet in voto, verba tamen precantis & bona sunt, & pro populo exaudiuntur à Domino. Vnde non mirũ est, si verba bona quę pro populo dicuntur in precibus, etiam si à malis dicãtur Episcopis, exaudiri tamen nõ pro peruersitate præpositorum, sed pro deuotione populorum.

1. Corinth. 12.

1 Timoth. 2. Ephes. 4. Vnum tantùm habemus Mediatorem Christum Iesum.

Num. 23.

Ad inquisitiones Ianuarii, Libro II. Cap. XVIII.

Miror sanè quid ita volueris, vt de iis quæ variè per diuersa loca obseruantur, tibi aliqua cõscriberem: cùm & non sit necessarium, & vna in his saluberrima regula retinenda sit, vt quæ non sunt contra fidem, neque cõtra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicũque instituti videmus, vel instituta cognoscimus, non solùm non improbemus, sed etiam laudando & imitãdo sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentum sit. Si enim eo modo impediat, vt maiora studiorum luera speranda sint, quàm calumniatorum detrimẽta metuenda, sine dubitatione faciendum est, maximè illud quod etiam de Scripturis defendi potest, sicut de hymnis & Psalmis canendis, cùm & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta de hac re tam vtilia. Ad mouendum piè animum, & accendendum diuinæ lectionis affectũ varia consuetudo est, & plerunque in Aphrica Ecclesiæ mẽbra pigriora sunt: ita vt Donatistæ nos reprehendãt, quòd sobriè psallimus in Ecclesia, diuina cantica Prophetarum: quum ipsi ebrietates suas ad canticum Psalmorum humano ingenio compositorum, quasi tubas exhortationis inflamment. Quando autem non est tempus, cùm in Ecclesia fratres congregantur, sancta cantandi, nisi quum legitur aut disputatur, aut Antistites clara voce deprecãtur, aut communis oratio voce Diaconi indicitur?

Libro IIII. de anima & eius origine, ad Vincentium Victorem, Cap. IX.

Quid enim oremus sicut oportet, nescim⁹. Quod nõ tantùm verbo docuit Apostolus, sed suo quoque demonstrauit exemplo. Nam contra vtilitatẽ & salutis suæ perfectionem nesciẽs orabat, vt discederet ab eo stimulus carnis, quẽ sibi datum dixit, ne magnitudine reuelationũ suarum extolleretur. Et quia illum Dominus diligebat, non fecit quod ignoranter petebat. Sed tamen vbi ait, Quid enim oramus sicut oportet nescimus: mox adiunxit, Sed ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid Spiritus sapiat, quia secundum Deum interpellat pro Sanctis, id est, interpellare facit Sãctos.

Roman. 8. Quid sit nescire orare sicut oportet. 1. Corinth. 12.

Roman. 8.

Ad Simplicianum, lib. II. Quæst. IIII.

Quòd autem quæris, quid sit quod scriptum est, Intrauit rex Dauid, & sedit ante Dominum: quid aliud intelligendum est, nisi quia sedit in conspectu Domini, siue vbi erat arca

2. Reg. 7.

Testamenti, per quam sacratior & commendatior quædam præsentia Domini accipi potest, siue oraturus sedit, quod non fit rectè, nisi in conspectu Dei, hoc est, in intimo cordis? Potest enim sic accipi, quod dictum est, Ante Dominũ: vt nullus esset hominũ qui audiret orantem. Siue ergo propter arcam Testamenti, siue propter secretũ remotus ab arbitris, siue propter intimum cordis, vbi erat orantis affectus, cõuenienter dictum est, Sedit ante Dominum: nisi fortè quòd sedẽs orauit. Hoc mouet quod sanctus Helias hoc fecerit, quando pluuiam orando impetrauit. Quibus admonemur exemplis, non esse scriptum quomodo corpus constituatur ad orandum, dummodo animus Deo præsens peragat intentionem suam. Nam & stantes oramus, sicut & scriptum est, Publicanus autem de longinquo stabat: & fixis genibus, sicut in Actibus Apostolorum legimus: & sedentes, sicut ecce Dauid & Helias. Nisi autem etiam iacentes oraremus, non scriptum esset in Psalmis, Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Quum enim quisque orationem quærit, collocat membra sicut ei occurrerit, accommodata pro tempore positi corporis ad mouendum animum. Quum autem non quæritur, sed infertur appetitus orandi, quum aliquid repentè venit in mentem, quo supplicandi moueatur affectus gemitibus inenarrabilibus, quocũque modo inuenerit hominem, non est vtique differenda oratio, vt quæramus quò sedeamus, aut vbi stemus, aut vbi prosternamur. Gignit enim sibi mentis intentio solicitudinem, & sæpe etiam obliuiscitur se vel ad quam cæli partẽ, vel in qua positione corporis membra illud tempus inuenerit.

2. Reg. 18. *Situs & motus varij orãtium.*

Luc. 18.

Act. 7. & 20. 2. Reg. 7.

Psalm. 6.

De gratia noui Testamenti ad Honoratum, Cap. VII.

Quum itaque non exaudimur ad temporalia bona retinenda vel adipiscenda, quando pro his deprecamur Deum, in eo quod nos nõ exaudit, derelinquit nos: sed ad potiora, quæ vult intelligamus & præferamus & cõcupiscamus, non nos derelinquit.

Eodem libro, Cap. XXIX.

Angeli non solùm beneficia Dei nobis annuntiant, verumetiam illi preces nostras. Nam scriptum est vbi Angelus hominibus dicit, Ego obtuli memoriam orationis vestræ: non vt tunc Deus nouerit quid velimus, vel quo indigeamus: nouit enim Pater vester, ait Dominus, quid vobis necessarium sit, priusquam petatis ab eo. Sed quia necesse habet rationalis creatura obtemperans Deo, temporales causas ad æternam veritatem referre, siue petendo quod erga se fiat, siue consulendo quod faciat: qui pius mentis effectus est, vt ipsa cõstruatur, non vt Deus instruatur. Nam & hæc quædam cõtestatio rationalis creaturæ est, quòd nõ sibi ipsa sit bonũ, quo beata fiat, sed illud incõmutabile, cuius participatione etiã sapiẽs efficitur.

Angeli nostras precationes offerunt Deo. Tobiæ 12. Matth. 6.

De vera innocentia, Cap. CCCXIII.

Quid supplicaturus Deo locũ aptum & sanctum requiris? Interiora tua mũda, & omni inde mala cupiditate repulsa, præpara tibi in cordis tui pace secretum. Volens in templo orare, in te ora, & ita age semper, vt Dei templum sis. Ibi enim Deus exaudit, vbi habitat.

In Euangelium Ioannis, Tractatu X.

Est qui exaudit, ne dubitetis orare. Qui autem exaudit, intus manet. Non in montem aliquem oculos dirigatis, nõ faciem in stellas, aut solem, aut lunã leuetis. Non tunc exaudiri vos arbitremini, quãdo super mare oratis: imò detestabimini tales orationes. Mũda tãtùm cubiculum cordis, vbi fueris, vbicunque oraueris, intus est qui exaudit, intus in secreto, quem sinum vocat, cùm ait, Et oratio mea in sinu meo conuertetur. Qui te exaudit, non est prẽter te. Non longè vadas, nec te extollas, vt quasi attingas ad illum manibus. Magis si te extuleris, cades: si te humiliaueris, ipse appropinquabit.

In corde est qui exaudit.

Psalm. 34.

In Euangelium Ioannis, Tractatu CII.

Amen amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Non petitur in nomine Saluatoris, quidquid petitur contra rationem salutis. Non enim sonum literarum ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, & quod ab eo sono rectè ac veraciter intelligitur, hoc accipiendus est dicere, quum dicit, In nomine meo. Vnde qui hoc sentit de Christo, quod non est de vnico Dei Filio sentiendum, non petit in eius nomine, etiam si nõ taceat literis ac syllabis Christum: quoniam in eius nomine petit, quem cogitat quum petit. Qui verò quod est de illo sentiendum, sentit, ipse in eius nomine petit: & accipit quod petit, si non contra salutem suam sempiternam petit. Accipit autem quando debet accipere. Quædam enim non negantur, sed vt congruo dentur tẽpore differuntur. Ita sanè intelligendum est quod ait, Dabit vobis vt ea beneficia significata sciantur his verbis, quæ ad eos qui petunt, propriè pertinent. Exaudiuntur quippe omnes Sancti pro se ipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis, quia non vtcunque dictum est, Dabit, sed Dabit vobis.

Ioannis 15. *Petere quid sit in nomine Christi.*

In Epistolam beati Ioannis, Tract. VI.

Nouerit magnum sacramentum charitas vestra, quòd ideo commendauimus vobis, ne excidat vobis in tentationibus vestris. Sãcti ad salutem per omnia exaudiuntur, semper exaudiuntur ad salutem æternam. Ipsam desyderãt, quia secundum hanc semper exaudiuntur. Sed discernamus exauditiones Dei. Inuenimus enim quosdam non exauditos ad voluntatem, exauditos ad salutẽ. Hoc discernite, hoc tenete. Exemplum eius qui nõ est exauditus ad voluntatem, sed exauditus ad salutem. Audi Apostolum Paulum: non ipsam exauditionem

Exauditiones Dei differentes.

ad

2 Corinth. 12. ad salutem ostendit illi Deus, Sufficit tibi gratia mea: nã virtus in infirmitate perficitur. Rogasti, clamasti, ter clamasti: ipsum semel quod clamasti audiui, non auerti aures meas à te. Noui quid faciam. Tu vis auferre medicamẽtum quo vreris, ego noui infirmitatẽ qua grauaris. Ergo iste ad salutem exauditus est, ad voluntatem non est exauditus. Quos inuenimus exauditos ad volũtatem, non exauditos ad salutem? Inuenimus putamus aliquẽ, neque aliquem impium exauditũ à Deo ad voluntatem, nõ exauditum ad salutẽ? Si alicuius hominis exemplũ posuero, fortè dicturus es mihi, Tu illum dicis iniquum, nam iustus erat. Si iustus non esset, à Deo non exaudiretur. Talẽ propositurus sum, de cuius iniquitate & impietate nemo dubitet.

Iob 1. Diabolus exauditur a Deo. Diabolus ipse petiit Iob, & accepit. Nonne & hîc de diabolo audistis, quia qui facit peccatũ, ex diabolo est? Non quia ille creauit, sed quia iste imitatur. Nõne de illo dictũ est, In veritate non stetit? Nonne ipse est antiquus ille serpẽs, qui per fœminã venenum primo homini propinauit? Qui ad ipsum Iob fœminã propterea seruauit, per quam maritus non consolaretur, sed tentaretur. Ipse diabolus petiit sanctum virum tentandum, & accepit. Petiit Apostolus vt auferretur ab eo stimulus carnis, & non accepit. Sed Apostolus magis exauditꝰ est quàm diabolus. Apostolus enim exauditus ad salutem est, etsi non ad voluntatem: diabolus exauditus est ad voluntatem, sed ad damnationem. Ideo enim iste concessus est tentandus, vt eo probato esset ille cruciandus. Sed hæc fratres, non tantùm in veteribus libris inuenimus, & in Euangelio inuenimus. Petierunt dæmones à Domino quum eos excluderet ab homine, vt ire permitterentur in porcos. Nonne iis posset dicere Dominus, vt nec illuc accederent? Non enim si nollet rebellaturi erant contra Regem cæli & terræ. Certi tamen mysterii gratia, & certa dispensatione dimisit dæmones in porcos, vt ostenderet diabolum in eis dominari, qui vitam porcorum gerunt. Dæmones ergo exauditi sunt, Apostolus non exauditur. An potius quod verius est dicimus, imò Apostolus exauditus est, dæmones nõ sunt exauditi? Illorum voluntas facta est, huius sanitas perfecta est. Secundum hoc intelligere debemus, quia Deus etsi voluntati nostræ non dat, saluti dat.

Ioannis 8. Gene. 3. Iob 2. 2. Corinth. 12. Matth. 8.

Libro II. de ordine, Cap. XX.

A Deo quæ petere debemus. Summa opera danda est optimis moribus (Deus enim noster aliter nos exaudire non poterit) bene autem viuentes facillimè exaudiet. Oremus ergo non vt nobis diuitiæ vel honores, vel huiusce modi res fluxæ atq; nutantes & quouis resistente transeuntes, sed vt ea proueniant quæ nos bonos faciant ac beatos.

De Magistro. Cap. I.

Matth. 6. Quid sit clausis cubiculis orare. Non ob aliud nobis præceptum est vt clausis cubiculis oremus (quo nomine significãtur mẽtis penetralia) nisi quòd Deꝰ, vt nobis quod cupimus præstet, cõmoneri aut doceri nostra locutione non quærit. Qui enim loquitur, suæ volũtatis signũ foras dat per articulatum sonũ. Deus autem in ipsis rationalis animæ secretis, qui homo interior vocatur, & quærẽdus & deprecandus est. Hæc enim sua tẽpla esse voluit. An apud Apostolum non legisti, Nescitis quia tẽplum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? &, In interiore homine habitare Christũ? Nec in Propheta animaduertisti, Dicite in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini? Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino? Vbi putas sacrificium iustitiæ sacrificari, nisi in templo mentis, & in cubilibus cordis? Vbi autem sacrificandum est, ibi & orandum. Quare non opus est locutione cùm oramus, id est, sonantibus verbis, nisi fortè sicut sacerdotes faciunt, significandæ mentis suæ causa: non vt Deus, sed vt homines audiãt, & consensione quadam per cõmemorationem suspendantur in Deum.

1. Corinth. 3. Psalm. 4.

Post pauca ibidem.

Summus magister cùm orare doceret discipulos, verba quędam docuit, in quo nihil aliud videtur fecisse, quàm docuisse quomodo in orando loqui oporteret.

Libro II. de sermone Domini in monte D.

Vos autem cùm oratis, inquit, introite in cubicula vestra. Quæ sunt ista cubicula, nisi ipsa corda, quæ in Psalmo etiam significantur, quum dicitur, Quę dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini? Et claudentes ostia, orate (ait) Patrem vestrum in absconso. Orantes autem (ait) nolite multùm loqui, sicut Ethnici faciunt: arbitrantur enim quòd in multiloquio suo exaudiantur. Sicut hypocritarum est præbere se ad spectandos in oratione, quorum fructus est placere hominibus: ita Ethnicorum, id est, gentilium in multiloquio suo se putare exaudiri. Et reuera omne multiloquium à gentilibus venit, qui exercendæ linguæ potius quàm mundando animo dant operam, vt hoc nugatorii studii genus etiam ad precem fundendam transferre conentur, arbitrantes Deum sicut hominem iudicem verbis adduci in sententiam. Nolite itaque similes illis esse.

Matth. 6. Multiloquiũ in oratione à gentilibus venit.

Post pauca ibidem.

Apud Deum non verba sed intentione cordis agendum. Non verbis nos agere debemus apud Deũ, vt impetremus quod volumus, sed rebus quas animo gerimus & intẽtione cogitationis cum dilectione pura, & simplici affectu: sed res ipsas verbis nos docuisse Dominum nostrum, quibus memoriæ mandatis eas ad tempus orandi recordaremur. Sed rursus quæri potest, siue rebus, siue verbis orandum sit, quid opus sit ipsa oratione, si Deus iam nouit quid nobis necessarium sit? nisi quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat & purgat, capaciúsque efficit ad excipienda diuina munera,

quæ ſpiritaliter nobis infunduntur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui ſemper paratus eſt dare ſuam lucem nobis non viſibilem, ſed intelligibilem & ſpiritalem: ſed nos non ſemper parati ſumus accipere, quum inclinamur in alia, & rerum temporalium cupiditate tenebramur. Fit ergo in oratione conuerſio cordis ad eum, qui ſemper dare paratus eſt, ſi nos capiamus quod dederit: & in ipſa conuerſione purgatio interioris oculi, cùm excluduntur ea quæ temporaliter cupiebantur, vt acies cordis ſimplicis ferre poſſit ſimplicem lucem, diuinitus ſine vllo occaſu aut immutatione fulgentem. Nec ſolùm ferre, ſed etiam manere in illa non tantùm ſine moleſtia, ſed etiam cum ineffabili gaudio, quo verè ac ſynceriter beata vita perficitur.

Poſt pauca ibidem.

Ad orientem verſi orabant veteres.

Cùm ad orationem ſtamus, ad Orientem conuertimur, vnde cælum ſurgit. Non tanquã ibi ſit Deus, & quaſi cæteras mundi partes deſeruerit facimus, qui vbique præſens eſt, non locorum ſpatiis, ſed maieſtate potentiæ: ſed vt admoneatur animus ad naturam excellentiorem ſe conuertere, id eſt, ad Dominum, cùm ipſum corpus eius, quod eſt terrenum, ad corpus excellentius, id eſt, ad corpus cæleſte conuertitur.

De ciuitate Dei, Lib. I. Cap. VIII.

Secunda res quare a Deo aliquando petitiones denitur.

In rebus ſecundis ſi non eas Deus quibuſdam petentibus euidentiſſima largitate concederet, non ad eum iſta pertinere diceremus. Itémque ſi omnibus eas petentibus daret, nonniſi propter talia præmia ſeruiendum illi eſſe arbitraremur, nec pios nos faceret talis ſeruitus, ſed potius cupidos & auaros, &c.

De verbis Domini ſecundum Ioannem, Sermo. LIII.

Non habeatis pro magno exaudiri ad voluntatem: habete pro magno exaudiri ad vtilitatem. Ad voluntatem etiam dęmones exauditi ſunt, & ad porcos quos petiuerãt, ire permiſſi ſunt. Ad voluntatem etiam princeps eorum exauditus eſt diabol⁹, à quo petitus eſt Iob tẽtandus: non eſt negatus, vt eſſet ille probatus, iſte confuſus. Ad voluntatem etiam Iſraelitæ exauditi ſunt, & cùm adhuc cibus eſſet in ore ipſorum, noſtis quæ ſequuta ſunt. Nolite ergo pro magno habere ad voluntatem exaudiri. Aliquando Deus iratus dat quod petis, & Deus propitius negat quod petis.

Pſalm. 77.

Matth. 6.

Sermo. LIX. de tempore.

Et cùm oratis non critis ſicut Hypocritæ, qui amãt in ſynagogis & in angulis platearum ſtantes orare, vt videantur ab hominibus. Neque hic ab hominibus videri nefas eſt: ſed ideo hæc agere vt videaris, & fructus in eis expectetur placendi hominibus. Plateæ perpetuæ ac latiores ciuitatum viæ ſunt, iuxta propietatem linguæ Græcæ, à latitudine nominatæ. πλατὺ enim Latum dicitur. Amẽ dico vobis percepe- *Cubiculũ cordis eſt ſecretũ.*
runt mercedem ſuam. Et hìc oſtẽdit Dominus id ſe ꝓhibere vt ea merces appetatur, qua gaudent ſtulti quum laudantur ab hominibus. Tu autem cùm orabis, intra in cubiculum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſconſo. Cubiculum quod nominat, non occultam domum oſtendit, ſed cordis noſtri ſecretum.

Sermo. CCXXVI. de tempore.

Oratio iuſti clauis eſt cæli.

Oratio iuſti clauis eſt cæli. Aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio. Licet alta ſit terra, altum cęlum: audit tamen Deus hominis linguam, ſi mũdam habeat conſcientiam. Cum ſenſibus loquitur, ſi ſit ſolus noſter gemitus. Sufficit auribus imber oculorum, fletus citius audit quàm voces. Oratio inuidi, ſolet de auribus propulſari.

In Pſalmum III.

Vox cordis Deo ſonat. Daniel. 13. Matth. 6.

Voce mea ad Dominum clamaui, id eſt, non corporea voce, quæ cum ſtrepitu verberati aeris ꝓmitur, ſed voce cordis, quæ hominibus ſilet, Deo autẽ ſicut clamor ſonat. Qua voce Suſanna exaudita eſt. Et de qua voce ipſe Dominus præcepit, vt in cubiculis clauſis, id eſt, vt in ſecretis cordis ſine ſtrepitu oretur. Nec facilè quiſquã dixerit hac voce minus orari, ſi nullus verborũ ſonus redd atur ex corpore, quoniam & ſilentes cùm in cordibus oramus, ſi alienæ ab affectu orantis cogitationes intercurrãt, nondum dici poteſt, Voce mea ad Dominum clamaui. Neque hoc rectè dicitur, niſi cùm ſola anima nihil carnis, nihilq; carnalium cogitationum in oratione attrahens, loquitur Domino vbi ſolus audit. Clamor autem etiam iſte dicitur, propter vim ipſius intentionis, &c.

In Pſalmum XXXII.

Inquiſiui Dominum, & exaudiuit me, vbi exaudiuit Dominus? intus. Vbi dat? intus. Vbi oras ibi exaudiris, ibi beatificaris. Oraſti int⁹, exauditus es, beatificatus es, & non ſcit qui iuxta te ſtat. Geſtum eſt à te totum in occulto, ſicut Dominus in Euangelio dicit, Intra in cubiculum tuum, & claude oſtium tuum, & ora in occulto, & Pater tuus qui videt in occulto, reddet tibi. Cùm ergo intras in cubiculum, intras cor tuum. Si ergo loci viſibilis te delectat munditia, quare te non offendit immunditia cordis tui? Intra, mũda omnia, leua oculos tuos ad Deum, & ſtatim te exaudiet.

Matth. 6.

In Pſalmum XXXVII.

1. Theſſal. 5. Sine intermiſſione orare quo modo intelligẽdum.

Deſyderium tuum oratio tua eſt, etſi continuum deſyderium, continua oratio. Non enim fruſtrà dixit Apoſtolus, Sine intermiſſione orantes. Nunquid ſine intermiſſione genu flectimus, corpus proſternimus, aut manus leuam⁹, vt dicat, Sine intermiſſione orate? Aut ſicut dicimus nos orare, hoc puto ſine intermiſſione non poſſumus facere. Eſt alia interior oratio ſine intermiſſione. Oratio iſta quæ eſt deſyde-

desyderiũ. Quidquid aliud agas, si desyderas illud sabbatum, non intermittis orare: si non vis intermittere orare, noli intermittere desydera re. Continuũ desyderium, cõtinua vox tua est.

In Psalmum CXVIII. Sermo. XXVIII.

Clamor sine intento in dominum corde inanis est.

Clamor ad Dominum qui fit ab orantibus, si sonitu corporalis vocis fiat, non intento in Dominum corde, quis dubitet inaniter fieri? Si autem fiat corde, etiam silente corporis voce, alium quemlibet hominem potest latere, non Deum. Siue ergo cum voce carnis, quando id opus est, siue cum silentio ad Deum cùm oramus, corde clamandum est. Est autem clamor cordis, magna cogitationis intentio. Qui cùm est in oratione, magnũ exprimit desyderantis & petentis affectum, vt non desperet effectum. Tunc porrò in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur. Tales orationes raræ sunt multis, crebræ autem paucis, vtrum verò cuiquam nescio.

In præfatione Psalmi CXXX.

Quisquis præter templum Dei orauerit Deum, non exauditur ad illam pacem supernę Hierusalem, etsi exauditur ad quędam temporalia que Deus & paganis donauit. Nam & ipsi dæmones exauditi sunt, vt irent in porcos. Exaudiri ad vitam ęternam aliud est, nec conceditur nisi ei qui in templo Dei orat. Ille autem in templo Dei orat, qui orat in pace Ecclesiæ, in vnitate corporis Christi: quòd corpus Christi constat ex multis credentibus in toto orbe terrarum & ideo exauditur, quia orat in templo. Ipse enim orat in spiritu & veritate, qui orat in pace Ecclesiæ, non in illo templo vbi figura erat.

In spiritu & veritate orat.

In Psalmum CXXXVII.

Confitebor tibi in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei. Cuius oris mei, nisi cordis mei? Ibi enim habemus vocem, quam Deus exaudit, quam prorsus auris humana nõ nouit. Clamabant certè qui Susannam accusabant, & ad cœlos oculos non leuabant. Illa tacebat, & corde clamabat: vnde illa meruit exaudiri, inde isti puniri. Est ergo os int°, ibi rogamus, inde rogamus: & si hospitium vel domum Deo præparauimus, ibi loquimur, ibi exaudimur. Non enim est ille longe ab vnoquoque nostrûm positus, in quo mouemur, viuimus & sumus.

Daniel. 13

Actu. 17

Lib. III. De mirabilibus sacræ Scripturæ, Cap. XI.

Si etenim ea quæ non disposuit Deus, aliquis Sanctorum rogauerit, nullo modo fieri permittit: vt quòd Moses repromissionis terram ingrederetur, & Paulus vt ab eo angelus satanæ recederet, & petẽtes nõ impetrauerũt.

Deut. 34
2. Cor. 12

De Orando Deo ad Probam, Cap. X. Epist. CXXI.

Oratio nõ est in multiloquio Luc. 6. & 22

Neque enim, vt nonnulli putant, hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturn° affectus. Nam & de ipso Domino scriptum est, quòd pernoctauerit in orando, & quòd prolixius orauerit: vbi, quid aliud quàm nobis prębebat exẽplum in tempore precator opportunus, cum Patre exauditor æternus? Dicuntur fratres in Aegypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamẽ breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas: ne illa vigilanter reiecta, quæ orãti plurimum necessaria est, per productiores moras euanescat atque hebetetur intẽtio. Ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt hanc intentionem, sicut non est obtundenda, si perdurare non potest, ita si perdurauerit non citò esse rumpendã. Absit enim ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis: multum autem precari, est ad Deum, quem precamur, diuturna & pia cordis excitatione pulsare. Nam plerunque hoc negotium plus gemitibus quàm sermonib° agitur: plus fletu quàm affatu. Ponit autem lachrymas nostras in conspectu suo, & gemitus noster non est abscondi tus ab eo qui omnia per Verbum condidit, & humana verba non quærit.

Differunt multum loqui & multũ precari.

Ad Vitalem, Epistola CXVII.

Nõ oramus Deum, sed orare nos fingimus, si vnde illi gratias agimus, ipsum facere nõ putamus. Labia dolosa si in hominũ quibuscunque sermonibus sunt, saltem in orationibus non sint. Absit vt quod facere Deum rogamus oribus & vocibus nostris, cum facere negemus cordibus nostris.

Labia dolosa in oratione.

Ad Paulinum, Epistola LIX.

Illa plane difficillimè discernuntur, vbi ad Timotheum Apostolus scribens ait, Obsecrò itaque primum omnium fieri obsecrationes, orationes, interpellationes, gratiarũ actiones. Secundum enim Gręcum eloquium discernẽda sunt. Nam nostri interpretes vix reperiuntur, qui ea diligenter & scienter transferre curauerint. Ecce enim sicut ea ipse posuisti, Obsecro fieri obsecrationes. non eodem verbo vtrunque dixit Apostolus, qui vtique Græcè illam scripsit epistolam: sed pro eo quod in Latino est, Obsecro, ille Græcè dixit, παρακαλῶ. Pro eo verò quod Latinus vester habet, Obsecrationes, ille posuit δεήσεις. Proĩ de alii codices in quibus & nostri sunt, non habent, Obsecrationes, sed Deprecationes. Tria porrò quæ sequũtur, Orationes, Interpellationes, Gratiarum actiones, plerique Latini codices sic habent. Vnde si velimus secundum Latinæ linguæ proprietates ista discernere, more loquendi nostram vel qualencunque scientiam fortasse tenebimus. Sed mirũ, si sententiã Græci sermonis vel consuetudinis obtinebimus. Precationem & Deprecationẽ multi nostri hocidẽ putant, & hoc quotidiano vsu iam omnino prævaluit. Qui autẽ distinctius Latinè locuti sunt precationib° vtebãtur in optãdis bonis:

1. Timot. 2

Differũt inter se precatio & deprecatio.

deprecationibus verò in deuitādis malis. Precari enim dicebāt esse precando & bona optare. Imprecari mala, quod vulgò iam dicitur, maledicere. Deprecari autem, mala precando depellere. Sed vsitatum iam loquendi modum potius sequamur, & siue precationes siue deprecationes inuenerimus, quod Græci δεήσεις vocant, non putemus emendandum esse. Orationes verò, quas Græcus habet προσευχὰς, distinguere à precibus vel precationibus omnino difficile est. Quòd verò quidam codices nō habēt orationes, sed adorationes, quia non dictum in Græco est εὐχὰς, sed προσκυνὰς, non arbitror scienter interpretatum. προσευχὰς enim orationes dici à Græcis notissimum est. Et vtique aliud est orare, aliud est adorare. Denique non isto verbo, sed alio legitur in Græco, Dominum Deum tuum adorabis: &, Adorabo ad templum sanctum tuum, & si qua similia. Pro interpellationibus autem, quod nostri habēt, secundum codices, credo, vestros postulationes posuisti. Hęc interim duo, id est quod alii postulationes, alii interpellationes interpretati sunt, vnum verbum transferre voluerunt quod Græcus habet ἐντεύξεις, & profectò aduertis: sed nosti aliud esse interpellare, aliud postulare. Non enim solemus dicere postulant interpellaturi, sed interpellant postulaturi. Verūtamen ex vicinitate verbum vsurpatum, cui propinquitas ipsa impetrat intellectum, non est velut censoria notatione culpandum. Nam & de ipso Domino Iesu Christo dictum est, quòd interpellat pro nobis. Nunquid interpellat, & non etiam postulat? Imò verò quia postulat, pro eo positum est interpellat. Euidenter quippe alibi de eo dicitur, Et si quis peccauerit, Aduocatum habem⁹ ad Patrem, Iesum Christū iustum: ipse est exoratio pro peccatis nostris. Quanquam fortasis codices apud vos, etiā in eo loco de Domino Iesu Christo non habent Interpellat pro nobis, sed Postulat pro nobis. In Græco enim, quo verbo hic positę sūt interpellationes, quas ipse posuisti postulationes, ipsum & illic verbū est, vbi scriptū est, Interpellat pro nobis. Cùm igitur & qui precatur, oret, & qui orat, precetur, & qui interpellat Deum, ad hoc interpellet vt oret & precetur, quid sibi vult quod ista ita posuit Apostolus, vt non sit eorum negligenda distinctio? Excepto itaque nomine generali, & salua loquendi consuetudine, secundum quam siue dicas precationem, siue orationem, siue interpellationem, vel postulationem, vna eadémque res intelligitur, aliqua etiam singulorum istorum proprietas inquirenda est: sed ad eam liquidò peruenire difficile est. Multa quippe hinc dici possunt, quæ improbanda non sunt. Sed eligo in his verbis, hoc intelligere, quod omnis vel penè omnis frequentat Ecclesia, vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici: orationes cùm benedicitur & sanctificatur & ad distribuendum comminuitur: quam totam petitionē ferè omnis Ecclesia Dominica oratione concludit. Ad quem intellectum etiam verbi Græci origo nos adiuuat. Nam eam quā dicunt εὐχὴν, rarò ita Scriptura ponit vt intelligatur oratio, sed plerunque & multò vsitatius votum appellat εὐχήν. προσευχὴν verò, quod verbum ita positum est, vnde tractamus, semper orationem vocat. Vnde hanc verbi originem (sicut superius dixi) nōnulli minus eruditè intuentes, προσευχὴν non orationem, sed adoratiom dicere voluerunt, quæ potius προσκύνησις dicitur. Sed quia oratio interdum dicitur, quæ vocatur ἀγὴ, adoratio putata est προσευχή. Porrò si vsitatius, vt dixi, in Scripturis votum appellatur ἀγὴ, excepto nomine generali orationis, ea propriè intelligenda est oratio, quam facimus ad votum, id est, πρὸς ἀγήν. Vouentur autem omnia quæ offeruntur Deo, maximè sancti altaris oblatio: quo Sacramēto prędicatur nostrum aliud votum maximum, quo nos nouimus in Christo esse mansuros, vtique in compage corporis Christi. Cuius rei sacramē-tum, est quod vnus panis, vnum corpus multi sumus. Ideo in huius sanctificatione & distributionis præparatione, existimo Apostolum iussisse propriè fieri προσευχὰς, id est, orationes, vel (vt nonnulli minus peritè interpretati sunt) adorationes, hoc est enim ad votum, quod vsitatius in Scripturis nuncupatur ἀγή. Interpellationes autem, siue vt vestri codices habent, postulationes fiunt, quum populus benedicitur. Tunc enim Antistites velut Aduocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati. Quibus peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarū actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis vltimam commendauit Apostolus. Hæc autem causa præcipua fuit ista dicendi, vt his breuiter perstrictis atque significatis, non putaretur negligendum esse quod sequitur, Pro omnibus hominibus, pro Regibus, & his qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & charitate: ne quisquam, sicut se habet humanæ cogitationis infirmitas, existimaret non ista facienda esse pro iis à quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, quum membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda. Vnde adiungit & dicit, Hoc enim bonum & acceptum est coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines saluos vult fieri, & in agnitionem veritatis venire. Et ne quisquam diceret, posse esse salutis viam in bona conuersatione & vnius Dei omnipotentis cultu, siue participatione corporis & sanguinis Christi, Vnus enim De⁹ (inquit) & vnus Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, vt illud quod dixerat, Omnes homines vult saluos fieri, nullo alio modo intelligatur præstari, nisi per Mediatorem non Deum, quod semper Verbum erat, sed hominem

Matth. 4. Psalm. 5.

Roman. 8.

1. Ioannis 2.

Quid sit precatio.

Oratio.

1. Corinth. 10.

1. Timoth. 2. Pro regibus & principibus orandum.

hominem Christum Iesum, quum Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.

DE ELEEMOSYNA ET CHARITATE in pauperes.

De opere Monachorum, Cap. XXV.

Omnium Christianorum vna respublica est.

Omnium Christianorum vna respublica est: & ideo quisquis Christianis necessaria vbilibet erogauerit, vndecunque etiam ipse quod sibi necessariũ est accipit, de Christi bonis accipit. vbicunque & ipse cùm talibus dedit, quis nisi Christus accipit?

Quæstionum veteris & noui Testamenti, Quæst. CXXIIII.

Vna est misericordia in diuite & paupere: sed aliter imputatur diuiti, aliter pauperi, quia plus laudanda est in paupere quàm in diuite. Pauper enim qui exiguitate sua largiri non timuit, sperans à Deo sibi retribui & in præsenti & futuro: creditenī Scripturæ dicenti, Quia qui tribuit pauperibus, non egebit. Vnde & paupercula illa diuitibus multa mittẽtibus, sola meruit à Deo collaudari, quia de penuria sua largiri non timuit. Bene igitur faciunt diuites dum largiuntur egenis: sed multò melius pauperes. Diuites verò securi de diuitiis suis largiuntur: pauper autem securus de Domino. Ac per hoc alia remuneratio pauperis, & alia diuitis. Diues enim si hoc nõ fecerit vapulabit: à paupere enim non exigitur tantum. Ideóque laudabilis est pauper misericors.

Prouerb. 28. Luc. 21.

Lib. III. de libero arbitrio, Cap. X.

Quid enim tam opus habens misericordia quàm miser? Et quid tam indignum misericordia, quàm superbus miser?

Lib. I. De sermone Domini in monte, Z.

Non omnia petentibus dandũ.

Omni petenti te da, & qui voluerit mutuari à te, ne auersatus fueris. Omni petenti (inquit) non omnia petẽti, vt id des quod dare honestè & iustè potes. Quid si enim pecuniam petat, qua innocentẽ conetur opprimere? Quid si postremò stuprum petat? Sed ne multa persequar, quæ sunt innumerabilia, id profectò dandum est, quod nec tibi nec alteri noceat. Quãtum sciri aut credi ab homine potest, & cui iustè negaueris quod petit indicanda est ipsa iustitia, vt nõ eum inanem dimittas. Ita omni petenti te dabis, quanuis non semper id quod petit dabis, sed aliquando melius aliquid dabis, quum petẽtem iniustè correxeris. Quod autẽ ait, Qui vult à te mutuari, ne auersatus fueris, ad animam referẽdum est: hilarem enim datorem diligit Deus. Mutuatur autem omnis qui accipit, etiamsi non ipse soluturus est. Quum enim misericordibus plura restituat Deus, omnis qui beneficium præstat, fœneratur, &c.

Luc. 6.

Qui pauperi beneficiũ præstat fœneratur.

Lib. II. De eodem sermone Domini in monte, B.

Quum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere, & reliqua. Noli (inquit) velle innotescere, vt hypocritæ. Manifestum est enim hypocritas nõ quod oculis prætẽdunt hominum, id etiam corde gestare. Sunt autem hypocritæ simulatores, tanquam pronuntiatores personarum alienarum, sicut in theatricis fabulis. Non enim qui agit partes Agamemnonis in tragœdia (verbi gratia) siue alicuius alterius, ad historiam vel fabulam quæ agitur pertinentis, vere ipse est, sed simulat eũ, & hypocrita dicitur. Sic in Ecclesia, vel in omni vita humana quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est. Simulat enim iustum se, & non exhibet: quia totum fructum in laude hominum ponit, quã possunt etiam simulantes percipere, dũ fallunt eos quibus videntur boni, ab eisque laudantur. Sed tales ab inspectore cordis Deo mercedem nõ capiunt, nisi fallaciæ supplicium. Ab hominibus autem, inquit, perceperunt mercedem suam.

Hypocrita quid prætendat.

Post pauca ibidem.

Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera. Dextera signat intẽtionem implendi præcepta diuina. Quum itaque conscientiæ facientis eleemosynam miscet se appetitio laudis humanæ, fit sinistra conscia operis dextræ. Nesciat ergo sinistra tua quid faciat dextera tua, id est, nõ se misceat cõscientiæ tuæ laudis humanæ appetitio, quum in eleemosyna facienda, diuinum præceptum cõtendis implere vt eleemosyna tua in abscõso sit. Quid est in abscondito, nisi in ipsa bona conscientia, quæ humanis oculis demonstrari non potest, nec verbis aperiri: quandoquidem multi multa mẽtiuntur? Quapropter si dextera intrinsecus agit in abscondito, ad sinistram pertinent omnia exteriora, quæ sunt visibilia & temporalia. Sit ergo eleemosyna tua in ipsa conscientia, vbi multi eleemosynã faciunt bona voluntate, etiam si pecuniã, vel si quid aliud est, quod inopi largiendũ est, non habent. Multi autem foris faciũt, & intus non faciunt, qui vel ambitione, vel alicuius rei temporalis gratia volunt misericordes videri, in quibus sola sinistra operari existimanda est. Item alii quasi medium inter vtrosque locum tenent, vt & intentione, quæ in Deo est, eleemosynã faciant, & tamen inferat se huic optimæ voluntati nonnulla etiam laudis vel cuiuscunque rei fragilis & temporalis cupiditas. Sed Dominus noster multò vehementius prohibet solam sinistram in nobis operari, quando etiam misceri eam vetat operibus dextræ, vt scilicet non modò sola temporalium rerum cupiditate caueamus eleemosynã facere: sed nec ita in hoc opere attendamus Deum, vt sese misceat vel adiũgat exteriorum appetitio commodorum. Agitur enim de corde mundando, quod nisi fuerit simplex, mundum non erit.

Quid per sinistram & dextram significet.

Contra Adimantum, Cap. XIX.

De eo quod scriptum est in lege, Ego sum qui diuitias do amicis meis, & paupertatẽ ini-

micis meis: huic sententiæ illud opponunt quod
Matth.5. Luc 6. Qui sint verè diuites & verè pauperes. Luc.16. Dominus dicit, Beati pauperes spiritu, quoniã ipsorum est regnum cælorum: & Væ vobis diuitibus, quia percepistis cõsolationem vestrã. Sed cur nolunt & alia in Euangelio contueri? Vbi enim scriptum est, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: ibi sequitur, Beati mites, quoniã ipsi hæreditate possidebunt terram. Ecce habent amicos Dei hæreditate terræ diuites fieri. Cùm autem ad tantam egestatẽ diues ille redigitur, vt ab eo paupere quem neglexerát, digito breui in aqua tincto, arenti linguæ suæ humorem stillari deprecetur, intelligant quomodo fiant pauperes inimici Dei: & id esse cognoscant quod in Lege scriptum est, Ego sum qui diuitias do amicis meis, & paupertatem inimicis meis. Nam istas diuitias temporales, & in veteri Scriptura esse contemptas & superius docui, & in innumerabilibus locis qui legere voluerit inueniet. Vnde est etiam illud, Melius est modicũ iusto, super diuitias peccatorũ multas. & illud, Bonum mihi Lex oris tui, super milia auri & argenti.
Psal.36.
Psal.118.

In Enchiridio ad Laurentium, Cap.LXX.

Deus eleemosynis nõ concedit vt impunè peccare liceat. Eccle.15. Sanè cauendũ est ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnũ Dei non possidebunt, quotidie perpetrãda, & eleemosynis quotidie redimẽda. Ita melius est quippe vita mutãda, & per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus, non ad hoc emẽdus quodammodo, vt ea semper liceat impunè cõmittere. Nemini enim dedit laxamentum peccãdi, quanuis miserãdo deleat iã facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.

Eodem lib. Cap.LXXII.

Luc.11. Ac per hoc ad omnia quæ vtili misericordia fiunt, valet quod Dominus ait, Date eleemosynam, & ecce omnia mũda sunt vobis. Nõ solùm autem qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, captiuo redemptionem, debili subMulta sunt genera eleemosynarum. uectionem, cæco deductionẽ, tristi consolationem, non sano medicinam, erranti viam, deliberanti cõsilium, & quod cuique necessarium est indigenti: verumetiam & qui dat veniã peccanti, eleemosynam dat: & qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, & tamen peccatum eius quo ab illo læsus est aut offẽsus, dimittit ex corde, vel orat vt ei dimittatur: nõ solùm in eo quod dimittit atque orat, verumetiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynã dat, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur inuitis, quando eorum consulitur vtilitati non voluntati: quia ipsi sibi inueniuntur esse inimici, amici verò eorum potius illi quos inimicos putant, & reddunt errãdo mala pro bonis, quum reddere mala Christianus nõ debeat nec pro malis. Multa itaque sũt genera eleemosynarũ, quæ cùm facimus adiuuamur, vt dimittãtur nobis nostra peccata.

Cap.LXXIII.

Eleemosyna perfectissima est diligere inimicos. Sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus quod in nos quisque peccauit. Minus enim magnum est erga eum esse benevolum, siue etiam beneficum qui tibi mali nihil fecerit. Illud multò grandius & magnificentissimæ bonitatis est, vt tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malũ vult, & si potest facit, tu bonum semper velis, faciásque cùm possis, audiẽs dicentem Iesum, Diligite inimicos vestros, benefacite eis qui vos oderũt, & orate pro eis qui vos persequuntur, &c. Matth.5.

Lib.V. de ciuitate Dei, Cap.XVIII.

Christiani alieni à iactantia esse debent. Quomodo autem se audebit extollere de voluntaria paupertate Christianus, vt in huius vitæ peregrinatione expeditior ambulet viam quæ perducit ad patriam, vbi veræ diuitiæ ipse Deus est, quum audiat vel legat Lucium Valerium, qui in suo defunctus est consulatu, vsque adeò fuisse pauperem, vt nummis à populo collatis, eius sepultura curaretur? Audiat vel legat Quintium Cincinnatum, quum quatuor iugera possideret, & ea suis manibus coleret, ab aratro esse abductum vt Dictator fieret, maiore vtique honore quàm Cõsul: victísque hostibus ingentem gloriam consecutum, in eadem paupertate mansisse? Aut quid se magnum fecisse prædicabit, qui nullo præmio mundi huius fuerit ab æternæ illius patriæ societate seductus, quum Fabritium didicerit tantis muneribus Pyrrhi regis Epirotarum, promissa etiã quarta parte regni à Romana ciuitate non potuisse diuelli, ibíque in sua paupertate, priuatum manere voluisse? Nam illud quod rempublicam, id est, rem populi, rem patriæ, rem communem quum haberent opulentissimam atque ditissimam, sic ipsi in suis domibus pauperes erant: vt quidam eorum, qui iam bis consul fuisset, ex Senatu pauperum hominum pelleretur notatione Censoria, quòd decem pondo argentiin vasis habere cõpertum est. Ita iidem pauperes erant, quorum triumphis publicum ditabatur ærarium. Nonne omnes Christiani, qui excellentiore proposito diuitias suas communes faciunt, secundum quod scriptum est in actibus Apostolorum, Vt distribuatur sicut cuique opus est, & nemo dicat aliquid propriũ, sed sint illis omnia cõmunia, intelligũt se nulla ob hoc ventilari oportere iactantia, id faciẽdo pro obtinenda societate Angelorum, quum penè tale aliquid illi fecerint pro cõseruanda gloria Romanorum? Act.4.

Lib.XXI. Cap.XXVII.

Qui dignas pro suis peccatis eleemosynas facit, prius eas facere incipiat à seipso. Indignũ est enim vt in se non faciat qui facit in proximum, quum audiat dicentem Dominum, Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Itémque audiat, Miserere animæ tuæ placens Deo. Hanc ergo eleemosynam, id est, vt Deo placeat Matth.22. Eccles.30.

non

non faciens animæ suæ, quomodo dignas pro peccatis suis eleemosynas facere dicendus est? Ecclesi. 14. Ad hoc enim & illud scriptum est, Qui sibi malignus est, cui bonus erit? Orationes quippe adiuuant eleemosynæ. Et vtique intuendum est Eccles. 22. quod legimus, Fili, peccasti? non adiicias iterū, & de præteritis tuis deprecare vt dimittantur tibi. Propter hoc ergo eleemosynæ faciendæ sunt, vt quum de præteritis peccatis deprecamur, exaudiamur.

De verbis Domini secundum Lucam, Sermo. XXXV.

Facite vobis amicos de diuitiis iniquitatis. Hoc quidem malè intelligēdo rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur, & putant se facere quod præceptum est. Dicūt enim, rapere res alienas, mammona est iniquitatis: erogare inde aliquid, maximè egētibus sanctis, hoc ita facere est amicos de mammona iniquitatis. Intellectus iste corrigēdus est, imò de tabulis cordis nostri omnino delendus est. No lo sic intelligatis. De iustis laboribus facite eleemosynas, ex eo quod rectè habetis date. Nō enim corrupturi estis iudicem Christum, vt nō vos audiat cum pauperibus quibus tollitis.

De iustis laboribus eleemosynæ faciendæ.

Sermo. LX. de tempore

Qui enim ideo facit eleemosynam, vt ab hominibus se laudari desyderet, etiam si occultè fecerit, publicè facit, quia laudem ab hominibus quærit. Qui verò eleemosynam pro solo amore Dei facit, vt ad opus bonum illum reliqui inuitētur, & non ipse, sed Dominus collaudetur, etiam si publicè faciat eleemosynā, absconsè facit: quia pro eleemosyna illa non hoc quod videtur, sed quod nō videtur desyderat, nec ab hominibus laudē, sed mercedem à Deo optat accipere.

Sermo. XCVI. de tempore.

Ignoscere fratri perfecta est eleemosyna.

Quæ sunt perfectæ eleemosynæ? Vt ex eo quod tibi abundat des ei qui nō habet, & quod te lædit aliquis, ignoscas illi. Sed ne putetis fratres, quia facienda sunt quotidie adulteria, & eleemosynis quotidianis mundanda sunt. Ad illa scelera maiora non sufficiunt quotidianæ eleemosynæ, vt ea mundent. Aliud est vbi mutes vitam, aliud est vbi toleres vitam.

Sermo. CCXXXI.

O infœlicitas generis humani! quàm multi inueniuntur, qui ebriosos & luxuriosos amplius quàm oportet cogūt bibere, & ante ostiū pauperibus petentibus, vel vnum calicem dissimulant dare! nec attendunt, quia illud quod luxuriosis videntur ingerere, Christus in pau- Matth. 25. peribus deberet accipere, qui dixit, Quod feci stis vni ex minimis meis, mihi feciſtis. Sed qui tales sunt, quando alios in nimio potu sepeliūt, pauperi eleemosynam petēti dicunt, Vade, vade in antè, & dabit tibi Deus, & vtique dū ambulauerit homo ei daturus est. Quid est ergo quod dicit, Vade in antè, & dabit tibi Deus, nisi Vade ad illum hominem, qui habet Deum, quia daturus est Deus? Ac sic ore suo ipse confitetur apud se Deum non esse, quo inspirante possit erogare pauperibus.

De duodecim abusiuum gradibus, gradu. VIII.

Pauperibus spiritu regna celorū promittuntur.

Non enim quibuscunque pauperibus cæli regna promittuntur: sed iis tantummodo in quibus diuitiarum inopiam animorum humilitas comitatur. Pauper enim humilis, pauper spiritu appellatur, qui quum egenus foris cernitur, nunquam in superbiam eleuatur. Quoniam ad appetenda cælorum regna, plus valet mentis humilitas, quàm præsentiū diuitiarum temporalis paupertas. Etenim humiles qui bene possessas diuitias habent, possunt pauperes spiritu appellari. Superbos autem nihil habentes, haud dubium est beatitudine paupertatis priuari. De quibus vtrisque sancta Scriptura Proverb. 13. loquitur, Est quasi diues cùm nihil habeat, & est quasi pauper cùm in multis diuitiis sit. Quasi pauper ergo in multis diuitiis, est diues humilis spiritu, & nihil habēs: quasi diues, est pauper superbus mentis affectu.

Libro I. de visitatione infirmorum, Cap. III.

Grande bonum, quod quum fit in pauperes redūdat in Deum. Sed in pauperes largitio non est totius boni exhibitio: dicit enim Apo- 1. Cor. 13. stolus, Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Ergo totius boni sūma, est charitas. Distributio facultatum tuarū in pauperes, nisi ex radice charitatis procedat, in Deum nō redundat. Deus charitas est, quod 1. Ioan. 4. ex Deo procedit, in Deum redundat: quod in Deum non redundat, ex charitate non procedit. Ex Deo igitur processio, & in Deum redūdatio, Dei dona sūt. Tua igitur distribue sic in pauperes, vt in Deum distributio redūdet. Sed quid distribues? Forsitā deest quod distribuas. Audi Tobiam, Fili, si multum tibi fuerit, abun- Tob. 4. danter tribue: si autē exiguum, etiam illud exiguum impertiri stude. Si dederis alicui calicē aquæ saltem frigidæ, non perdes mercedē tuā. Sed forsitan & aqua deest, sed habes quod distribuas, habes teipsum: da teipsū Deo, & habebis ipsum Deum. Quomodo te dabis Deo? Dispone domui tuæ, quia morieris tu & non Esaiæ 38. viues. Forsitan domum nō habes, dispone tibi, si non disponis domui.

Summa omnis boni est charitas.

Ad Hilarium, Epistola, LXXXIX.

Eleemosynæ inutiles impœnitentibus.

Quisquis autem velut hac occasione comperta, quum audierit neminē hic arbitrio suo sine peccato viuere, dederit se libidinibus, & criminibus nepharijs obligauerit, atque vsque in diem suum vltimum perdurauerit, quaslibet inter hæc eleemosynas faciat, & infeliciter ducit vitam, & infelicius finit.

Ad Iulianum Comitem, Epistola, CXI.

Melius est vt ex paupertate pusillū tribuat indigentibus, quàm multum ex iniusta acquisitione. Vnusquisque iuxta quod habet porri-

Tantũ dandũ quãtum habet quis.

gat. Tantùm enim expetitur ab vnoquoque, quãtum ei dedit Deus. Neque enim plus ab eo exigit, quàm quod ipse dedit. Eleemosyna cum iniquitate acquisita abominabilis est Deo, & acceptum ei est quod fuit fideliter acquisitum. Sunt nonnulli qui diripientes aliena facere se simulant eleemosynam, & cùm alios premant, aliis misereri fingunt. Si autẽ ex proprio labore dederint, gratum & acceptũ erit Deo.

In Psalmum XLII.

2. Cor. 9. Hilarem autem datorem diligit Deus. Si panem dederis tristis, & panem & meritum perdidisti. Ergo ex animo fac, vt ille qui intus videt adhuc loquente te dicat, Ecce adsum. Quia celeriter accipiuntur orationes bene operantiũ: & hæc iustitia hominis in hac vita, ieiunium, eleemosyna & oratio. Vis orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas, ieiunium & eleemosynam. Tales nos inueniat, vt securos inueniat lux Dei, veritas Dei, quum venerit liberare nos à morte, qui iam venit subire pro nobis mortem.

Ex animo faciendа est eleemosyna.

Esaiæ 58.

In Psalmum LXXI.

Matth. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Qua paupertate etiã beatus Iob pauper fuit, & antequam magnas illas terrenas diuitias amisisset. Quod ideo commemorandum putaui, quoniam sunt quidam, qui facilius omnia sua pauperibus distribuũt, quã ipsi pauperes Dei fiant. Inflati sunt enim iactãtia, qua putant sibi esse tribuendum, non gratiæ Dei, quod bene viuunt: & ideo iam nec bene viuunt, quantuncunque bona opera facere videantur. De suo quippe habere se putant, & gloriantur quasi nõ acceperint: diuites sui, non pauperes Dei: abundãtes sibi, nõ egentes Deo. 1. Cor. 13. Sed ait Apostolus, Si distribuero omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum vt ardeat, charitatem autem nõ habeam, nihil mihi prodest. Tanquam si diceret, Si distribuero omnia mea pauperibus, & pauper Dei non fuero, nihil mihi prodest.

Qui sint Dei pauperes.

1. Cor. 4.

DE ABSTINENTIA ET IEIVNIO.

In Euangelium Ioannis, Tractatu XVII.

Ieiunii ratiõ. Ieiunium magnum & generale est, abstinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus seculi, quod est perfectum ieiunium, vt abnegantes impietatem & seculares cupiditates, temperaliter & iustè & piè viuamus in hoc seculo. Huic ieiunio quam mercedem addit Apostolus? Sequitur & dicit, Expectãtes illam beatam spem, & manifestationẽ gloriæ beati Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. In hoc seculo quasi quadragesimam abstinẽtiæ celebramus, cùm bene viuimus, quum ab iniquitatibus & ab illicitis voluptatibus abstinemus. Sed quia hæc abstinentia sine mercede non erit, expectamus beatam illam spem, & reuelationem gloriæ magni Dei, & Saluatoris Iesu Christi, &c.

Tit. 2.

Quæstionum veteris & noui Testamenti libro, Quæstio. CXX.

Necessaria sunt nobis ieiunia sicut vulneribus medicina. Medelam enim conferunt vitæ perpetuæ: ita tamen, vt duarum rerum testimonio commendentur, oratione scilicet & misericordia. Ieiunia ergo intemperantiam corporis mitigãt, motus aduersos reprimunt, pressuram animæ auferunt: sicut ait Dominus, Nolite dediti esse in esca & crapula, ne grauentur corda vestra. Quum enim anima ab esu & potu nimio fuerit liberata, tunc se melius recognoscit. Sicut enim in speculo sordido non se talem homo aspicit qualis est: ita si esca & crapula fuerit grauatus, alterũ se sentit quàm est. Tunc excitatur libido, accenditur ira, inflãmatur superbia, generatur luxuria. Vnde Apostolus, Nolite (ait) inebriari vino, in quo est luxuria. Quòd si tẽperatum fuerit corpus interposito ieiunio, cognitione sui recepta, anima intelligit qua deuotione obsequi debeat Redẽptori. Magna ergo ex parte ieiunia sunt necessaria. Sub Hester etenim regina, quum Iudaicus populus in periculo positus esset, ieiuniis suffragantibus liberatus est. Et Niniuitæ cùm euersionis suæ præscriptum diem à Propheta audisset, ieiunio indicto euadere meruerunt. Et iusti ac Prophetæ nostri, quando à Deo aliquid impetrare volebant, ieiunio se humiliabant, dicente Dauid, In ieiunio humiliabam animam meam. Nam & Saluator, cui opus non erat vt nobis exemplum daret, ieiunauit. Itaque nulli dubium est prodesse ieiunia. Sic etenim ostẽdit se homo velle impetrare quod postulat, quum se affligit ieiunio. Vnde dictum est, Bona est oratio cum ieiunio. Vt accepta ergo possit esse oratio, consortium vult secum habere ieiunii. Et quia nihil horum sine pietate firmũ est, adiicit, Et eleemosyna cum iustitia: vt eleemosyna seruata, iustitia commendet orationem cum ieiunio. Denique orationem & ieiunium Cornelii misericordia commendauit. Ipse enim abundans opibus seu copiis, ieiunabat: sed & nõ habentes pascebat, vt illorum saturitas, ieiunium eius faceret acceptabile. Nonnullis ergo indiget, & nonnullis carere debet ieiunium, vt possit mereri quod postulat, &c.

Ieiunii comitari debet oratio & misericordia.

Hester 4. & 5.

Ionæ 3.

Psal. 34. Matth. 4.

Tob. 3.

Ieiunium sine pietate non est firmum.

Act. 10.

Libro XVI. de ciuitate Dei, Cap. XXXVII.

Duo Isaac filii, Esau & Iacob pariter crescunt. Primatus maioris transfunditur in minorem, ex pacto & placito inter illos, eo quòd lenticulam, quem cibum minor parauerat, maior immoderatius cõcupiuit: eóque pretio primogenita sua, fratri iuratione interposita, vendidit. Vbi discimus in victẽdo, non cibi genere, sed auiditate immodesta quenquã culpãdũ.

Gene. 25.

In Psalmum LXXXVI.

Magnũ opus, Christianum opus, ieiunium. Noli citò laudare, quære causam: negotiũ ventris agitur, non religionis. Quare ieiunãt quidam?

Quidã quare ieiunent.

dam? Ne ventrem præoccupēt vilia,& nō poſſint admittere pretioſa. Ergo negotium gutturis gerit in ieiunio. Magna res: vtique ieiuniū contra ventrem & guttur pugnat, aliquando illis militat.

Libro I. contra Iulianum, Cap. II.

Ieiunium, inquit Baſilius in ſermone de ieiunio, in Paradiſo lege conſtitutū eſt. Primum enim mandatum accepit Adam, A ligno ſciendi bonum & malum nō māducabis. Non manducabis autem, ieiunium eſt, & legis conſtitutionis initium. Si ieiunaſſet à ligno Eua, non iſto indigeremus ieiunio. Non enim opus habent valentes medico, ſed malè habentes. AEgrotauimus per peccatum: ſanemus per pœnitentiā. Pœnitentia verò ſine ieiunio vacua eſt. Maledicta terra, ſpinas & tribulos pariet. Contriſtari ordinatus es, nunquid deliciari? Et paulò pòſt in eodem ſermone idem ipſe, Quia nō ieiunauimus, inquit, decidimus de Paradiſo. Ieiunemus ergo vt ad eum redeamus.

Genes. 2.

Libro IIII. contra Iulianum, Cap. XIIII.

Veſcendi potā dique tolerabilis eſt voluptas

Quid mali fecerimus crapula pœnitenda teſtatur. Quod metuentes plerunque, minus quàm eximēdæ fami ſufficit, veſcimur. Ita neſcit cupiditas, vbi finiatur neceſsitas. Et hæc quidem veſcendi potādíque tolerabilis eſt voluptas, quanta poſſumus vigilātibus nobis intentione, vt facilius nō impleat, quàm modum aliquando victus ſufficientis excedat. Contrà cuius concupiſcentiam, & ieiunādo, & parcius alimenta ſumēdo pugnamus. Eóque malo bene tunc vtimur, quādo per illam non niſi quod ſaluti conducibile eſt agimus. Ideoautem hanc voluptatem dixi tolerabilem, quia vis eius tanta non eſt, vt nos à cogitationibus ad ſapientiā pertinentibus (ſi in eis ſumus mētis delectatione ſuſpenſi) abrumpat & deiiciat. Nam ſæpe de magnis rebus inter epulas non ſolùm cogitamus, verumetiā diſputamus: atque inter ipſos ciborum morſus, & potionum gluctus, nihil remiſsius audiendo, dicendóque colloquimur: & quod noſſe, vel recolere volumus, intentiſsimè omnino ſi nobis legatur, accipimus.

De ſalutaribus documentis, Cap. XXXV.

Caro debet ancillari animæ.

Et ſemper atque ſemper caro noſtra ſubiecta ſit animæ noſtræ, & ſicut ancilla famuletur dominæ ſuæ. Ne præbeamus vires illicitas corpori noſtro, ne commitat bellum aduerſus ſpiritum noſtrum: ſed ſemper ſit ſubiecta caro, vt obtemperet iuſsis ſancti Spiritus. Neque incraſſari permittamus ancillā, ne contemnat dominam ſuā: ſed omnibus iuſsis eius & obſequiis mancipetur. Sicut enim equis frena ſunt imponenda, ita corpora noſtra ieiuniis & vigiliis & orationibus ſunt infrenāda. Nam quemadmodum aurigę, ſi frena laxauerint, per præcipitia ducuntur: ita & anima noſtra cum ipſo corpore, ſi ei frenum non impoſuerimus, ad inferni præcipitia dilabitur. Simus ergo boni & edocti aurigæ corpori noſtro, vt per viam rectam poſsimus incedere.

Cap. XXXVI. eodem libro.

Per crapulam variæ accedūt ægritudines.

Eſcæ enim nimiæ, non ſolùm animas, ſed etiam corpora noſtra plurimum lædūt, & ad infirmitatem perducunt. Solet enim per nimiam ciborum auiditatem & poculi intemperātiam frangi ſtomachi fortitudo, necnon & abundantia ſanguinis per cholerām, & plurimæ ægritudines æſcarum largitate cōtingunt. Sicut enim animæ & corpori ſunt iſta contraria, ita medela eſt vtriuſque temperantia ieiunii. Etſi non per omne tempus, ſaltē ſacratiſsimis diebus ieiuniorum, quantum poſſumus cum Dei adiutorio, delitias mundi & ciborum opulentiam fugiamus: nequando (quod auertat Deus) in cruciatu flammæ quæramus guttā aquæ, & nullum refrigerium conſequamur.

Luc. 19.

Eodem libro, Cap. XXXVII.

Fugiamus ebrietatem, ne vitium luxuriæ incurram⁹, quia Apoſtolus præcipit, dicēs, Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Vinum enim nobis Deus ad lætitiam cordis, non ad ebrietatem donauit. Bibamus ergo nō quātum gula exigit, ſed quātum naturæ imbecillitas poſtulat, ne id quod ad medelam corporis noſtri tributū eſt, ad perniciem deputemus. Annuntia quæſo tuis in domo tua ſubiectis, quòd plerique per vinum homicidia & fornicationes perpetrarūnt, nec ipſam mortē recuſauerunt: alii per vinum à dæmonibus capti ſunt. Nec eſt aliud ebrietas, quàm manifeſtus dæmon.

Ephes. 5.

Ebrietatis mala.

Cap. XLVIII.

Duo ſunt ieiunia.

Pariter enim duo ieiunia ieiunauerunt, id eſt, ieiunium corporis & animæ, Hoc eſt, ab ira & furore, & detractione, & blaſphemia, & rixa abſtinentes ſe, quia ſicut iam ſuperius intimauimus, iſti ſunt mortiferi cibi animæ, qui paſcunt eam in malum, & occidunt eā morte ſempiterna. Iterum cibi corporis ſimul & animæ iſti ſunt, voracitas, ſomnolentia, fornicatio, vinolentia, ſecuritas, ſuauitas, homicidium. Iſti ſunt cibi corporis ſimul & animæ, qui paſcunt corpus, & occidunt & aggrauant animam. Ciboria iſta deuitemus. Eſcas autem cæleſtes appetamus, quæ ad cælum nos trahant, & deducant, ſapientiam (ſubaudi diuinam) fidem robuſtam in Chriſto, benignitatem, patientiam, humilitatem, virtutem, diuinam lætitiam.

Libro XXXI. contra Fauſtum, Cap. IIII.

Tit. 1.

Omnia munda mundis ſecundum naturam in qua creata ſunt, non tamē omnia ſecundum ſignificationem munda primo populo Iudæorum, nec nōbis omnia, vel propter ſalutem corporis, vel propter conſuetudinem humanæ ſocietatis apta ſunt: ſed cùm ſua cuique reddūntur, & naturalem ordinē ſeruant, omnia mundis munda ſunt, immundis autē & infidelibus, nihil eſt mundum.

Sermo. IVI. de tempore.

Ante omnia in diebus ieiuniorum, quod ſolebamus prandere, pauperibus erogemus, ne

fortè aliquis sibi sumptuosas cœnas,& exquisitis saporibus epulas studeat præparare, & corpori suo magis cõmutasse quàm subtraxisse eiborũ abũdãtiã videatur. Nihil prodest tota die lõgum duxisse ieiunium,si postea ciborũ suauitate, vel nimietate anima obruatur. Illicò mẽs repleta torpescit,& irrigata corporis nostri terra, spinas libidinum germinabit. Sit ergo temperatus cibus,& nunquã nimium vẽter repletus. Et plus semper de cibo cordis,quàm de cibo corporis cogitemus: quia intus in homine interiore facti sumus ad imaginem Dei,in carne autem de limo terræ sumus formati.

Ita fit nostra tempestate a ieiunantibus.

Sermo.CLVII.de tempore.

Sunt quidam obseruatores quadragesimæ delitiosi potius quàm religiosi,exquirentes nouas suauitates, magis quàm veteres concupiscentias castigantes: qui pretiosis copiosissque apparatibus fructuum diuersorum quorũlibet varietates & sapores superare cõtendunt. Vasa in quibus coctæ sunt carnes tãquam immunda formidant, & in carne sua vẽtris & gutturis luxuriam non reformidant. Ieiunant non vt solitam temperando minuant edacitatem, sed vt immoderatam differẽdo augeant auiditatem. Nam vbi tempus reficiendi aduenerit,optimis mensis tanquã pecora præsepibus irruunt, ventréque distendunt,artificiosis & peregrinis cõdimentorum diuersitatibus tantum capiunt manducando, quantum digerere nõ sufficiunt ieiunando. Sunt etiam qui vinum ita non bibunt, vt aliorum expressione pomorum aliósque sibi liquores nõ salutis causa,sed iocunditatis exquirant, tanquam non sit quadragesima piæ humiliationis obseruatio, sed nouæ voluptatis occasio,&c.

De delitiosis quadragesimæ obseruatoribus.

Sermo.CLXXII.

Quoniam ieiuniorum tempus est,fratres charissimi, de ieiunio cũ sanctitate vestra tractandum est, vt sciatis quemadmodum ieiunetis. Ieiunia enim Christianorum spiritaliter potius quàm carnaliter obseruanda sunt. Vnde à peccatis nostris principaliter ieiunemus,ne ieiunia vestra sicut Iudæorum ieiunia à Domino respuantur. Quale est enim, vt à cibis,quos Dominus creauit, nescio quis impostor abstineat,& peccatorum sagina pinguescat? Non tale ieiunium ego elegi, dicit Dominus. Nam si flectas,inquit, vt circulum ceruicem tuam,cilicium autem & cinerem substernas, nec sic vocabis,inquit, ieiunium acceptũ. Sed quid? Solue,inquit,omnem nodum iniquitatis,& obstinationem malorum. Dimitte conflictos in requiem,& omnem conuentionem dissipa. Ieiunium est quòd probat Altissimus, non solùm intermissa corporis refectio, verumetiã à malis actibus, facta discessio. Itaque si neque mẽs tua grauetur oppressa peccatis, neque animus tuus vitiorum illecebris delectetur,digna Deo exoluisti ieiunia. Cæterùm, si corpus tuum ieiunia longa consumpserint, atque illi subtraxeris cibum, quum non detrahis vitia in malis perseuerans, magis horres quàm placeas Deo. Tunc erunt Deo accepta ieiunia, si operibus sanctis fuerit expiata cõscientia. Cur enim corpus fame discrutias, cui turpiter peccãdo blandiris? Principaliter ergo animus ieiunet à malis,& sic corpus subeat exercendo ieiunia,&c.

Ieiunia Christianorũ spiritaliter obseruãda sunt.

Esaiæ 58.

Ad Casulanum, Epistola LXXXVI.

In his rebus de quibus nihil certi statuit Scriptura diuina,mos populi Dei, vel instituta maiorum,pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus,& ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio, quæ labore sermocinationis, quum certa documenta nulla veritatis insinuet, vtique cauendum est,ne tempestate contentionis,sereni tas charitatis obnubiletur,&c.

In eadem Epistola.

Ego in Euangelicis & Apostolicis literis, totóque instrumento, quòd appellatur Testamentum nouũ,animo id reuoluens,video præceptum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare,& quibus oporteat,præcepto Domini vel Apostolorum non inuenio definitum. Ac per hoc sentio non quidem ad obtinendam, quam fides obtinet iustitiam, in qua est pulchritudo filiæ regis intrinsecus: sed tamen ad significandam requiem sempiternam, vbi est verum sabbatum, relaxationem quàm *contritionem ieiunii aptius conuenire. Veruntamen in huius sabbati ieiunio, siue prãdio,in his nihil videtur mihi tutius patiúsque seruari,vt qui manducat, non manducantem non spernat:& qui non mãducat,manducantem non iudicet: quia neque si manducauerimus,abundabimus, neque si non manducauerimus egebimus, custodita scilicet eorum inter quos viuimus, in his rebus inoffensa societate. Sicut enim quod ait Apostolus verum est, malum esse homini qui per offensionem manducat,ita malum est homini qui per offensionem ieiunat. Non itaque simus eis similes, qui videntes Ioannem non manducantem nec bibentem, dixerunt, Dæmonium habet. Sed nec rursus eis, qui videntes Christum manducantem & bibentem,dixerunt, Ecce homo vorax & vinosus, amicus publicanorum, & peccatorum. Rem quippe valde necessariam his dictis Dominus ipse subiecit, atque ait, Et iustificata est sapientia in filiis suis. Qui sint autem iusti,si requiris,lege quod scriptum est, Filii sapientiæ etiam iustorum, ii sunt qui quando manducãt, non mãducantes non spernunt: quando non manducant, manducantes non iudicant: sed eos planè qui per offensionem non manducant siue manducant, vel spernunt vel iudicant.

Quibus diebus ieiunare oporteat in nulla Scriptura reperitur esse definitum.

Alias, emollitionem.

Rom.14.

Matth.11.

Eadem Epistola in fine.

Sed quoniam non inuenimus,vt iam suprà cõmemoraui in Euangelicis & Apostolicis literis,

Certis diebus ieiunãdum esse in nouo Testamento, non reperi.

teris, quæ ad noui Testamẽti reuelationẽ propriè pertinent, certis diebus aliquibus euidenter præceptum, obseruãda esse ieiunia: & ideo res quoque ista sicut aliæ plurimæ, quas enumerare difficile est, inuenit in veste illius filiæ regis, hoc est, Ecclesiæ, varietatis locum: indicabo tibi, quid mihi de hoc requirenti responderit venerandus Ambrosius (à quo baptizatus sum) Mediolanensis Episcopus. Nam cùm in eadem ciuitate mater mea mecum esset, & nobis adhuc catechumenis parum ista curantibus, illa solicitudinem gereret, vtrùm secundum morem nostræ ciuitatis, sibi esset sabbato ieiunãdum, an Ecclesiæ Mediolanensis more prandendum: vt hac eam cunctatione liberarem, interrogaui hoc suprà dictum hominem Dei. At ille, Quid possum, inquit, hinc docere amplius, quàm facio ipse? Vbi ego putaueram mihi eum ista responsione præcepisse, nisi vt sabbato pranderemus. Hoc quippe ipsum facere sciebam. Sed ille secutus adiecit, Quando hic sum, non ieiuno sabbato, quando Romæ sum, ieiuno sabbato: & ad quãcunque Ecclesiam veneritis, inquit, eius morem seruate, si pati scandalum non vultis aut facere. Hoc responsum retuli ad matrem, eíque suffecit: nec dubitauit esse obediendum. hoc etiam nos secuti sumus. Sed quoniam contingit, maximè in Africa, vt vna Ecclesia, vel vnius regionis Ecclesiæ, alios habeant sabbato prandentes, alios ieiunantes, mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio regenda cõmissa est. Quapropter si cõsilio meo, præsertim quia in hac causa, plus fortè quàm satis fuit, te petẽte atque vrgente locutus sum, libenter acquieseis, Episcopo tuo in hac re noli resistere, & quod facit ipse, sine vllo scrupulo vel disceptatione sectare.

Ad Ianuarium, Epistola CXIX.

Temperare se à carnibus tanquam immundis, contra fidem. 1. Tim. 4.

Itaque illud quod scripsisti, quosdã fratres ita temperare à carnibus edẽdis, vt immundos qui comederint arbitrentur, apertissimè contra fidem sanámque doctrinam est, &c.

Libro I. de moribus catholicæ Ecclesiæ, Cap. XXXIII.

De ieiuniis quorundam.

Ieiunia prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus, quod est vsquequaque vsitatissimum, sed cõtinuum triduum vel amplius, sæpissime sine cibo ac potu ducere. Neque hoc in viris tantùm, sed etiam in fœminis. Quibus item multis viduis & virginibus simul habitantibus, & lana ac tela victum quæritãtibus, præsunt singulæ grauissimæ probatissimæque, nõ tantùm in instituendis componendísque moribus, sed etiam in instruendis mentibus peritæ ac paratæ: atque inter hæc nemo vrgetur in aspera, quæ ferre non potest. Nulli quod recusat imponitur, nec ideo condemnatur à cæteris, quòd in eis imitandis se fatetur inualidam. Meminerunt enim quantopere Scripturis omnibus commendata sit charitas. Meminerunt, omnia munda mundis: &, Non quod intrat in os vestrũ vos coinquinat, sed quod exit. Itaque non reiiciendis generibus ciborũ, quasi pollutis, sed concupiscentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ inuigilant omni industria. Meminerunt, Esca ventri, & venter escis, Deus autem hunc & illas destruet. Et alibi, Neque si manducauerimus abundabimus, neque si non mãducauerimus egebimus. Et illud præ cæteris, Bonum est, fratres, non manducare carnes, neque biberevinum, neque in quo frater tuus offenditur. Hic enim ostẽdit, quàm sint ad finem charitatis hæc omnia redigenda. Alius enim credit mãducare omnia, qui autem infirmus est, olus mãducet. Qui manducat, nõ manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet: Deus enim illum assumit. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Suo domino stat aut cadit. Stabit autẽ: potens est enim Deus statuere eum. Et paulò pòst, Qui manducat, Domino manducat, & gratias agit Deo. Et qui nõ mãducat, Domino non mãducat, & gratias agit Deo. Et itẽ in cõsequẽtibus, Itaque vnusquisq; nostrùm pro se rationẽ reddet. Non ergo amplius iudicemus inuicẽ: sed hoc iudicate magis, ne ponatis offẽsionẽ fratri, vel scandalum. Scio & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid cõmune esse, illi commune est. Potuístne magis ostẽdere, nõ in ipsis rebus quibus vescimur, sed in animo esse vim quandã, quæ ad eũ valeat maculãdum? Et propterea iis etiam, qui ad hæc cõtemnenda sunt idonei, certóque sciunt non se pollui, si quid ciborum, sine turpi cupiditate altitudine mentis assumpserint, charitatem tamen esse intuendam: videquid sequatur. Nam si propter escam frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Lege cætera (nam longum est omnia interponere) & inuenies præceptum iis qui possunt ista contemnere, id est, firmioribus & securioribus, ideo tamen esse temperandum, ne offendantur illi, quibus adhuc pro sua imbecillitate huiusce modi opus est temperantia. Hæc illi de quibus agebam norunt & tenent. Christiani sunt enim, non hæretici. Intelligunt Scripturas secundum Apostolicam disciplinam, non secundum superbum & ementitium nomen Apostolatus, vbi non manducantem nemo spernit, manducantem nemo iudicat: qui infirmus est, olus manducat. Multi tamen firmi propter infirmos idem faciunt, multis non est causa ista faciendi: sed quòd viliore victu viuere placet, minimé que sumptuoso corporis sustentaculo ætatem tranquillissimam ducere. Omnia enim mihi licita sunt, inquit, sed ego nõ redigar sub potestate vllius. Ita multi neque vescuntur carnibus, neque tamen eas immundas superstitiosè putant. Itaque iidem ipsi qui salui tempe-

Titus. Matth. 15.

1. Cor. 6.

1. Cor. 8.

Rom. 14.

Ibidem. Ad finem charitatis omnia redigenda.

1. Cor. 6.

rant, si ratio valetudinis cogat, ægroti sine vlla formidine accipiunt. Multi vinum nō bibunt, nec tamen eo se coinquinari arbitrantur. Nam & quibusdam lāguidioribus & prorsus omnibus, qui sine illo nequeunt salutē corporis obtinere, humanissimè ac modestissimè præberi faciunt. Et stultè nonnullos recusantes fraternè admonent, ne vana superstitione debiliores 1.Tim.5. citius, quàm sanctiores fiant. Legunt eis Apostolum præcipientem discipulo, vt aliquantum vini sumat, propter frequentes infirmitates suas. Ita pietatem sedulò exercent. Corporis verò 1.Tim.4. exercitationem, vt ait idem Apostolus, ad exiguum tempus pertinere nouerunt. Continent se igitur hi qui possunt, qui tamē sunt innumerabiles, & à carnibus, & à vino duas ob causas, vel propter fratrum imbecillitatē, vel propter suam libertatē. Charitas præcipuè custoditur, charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur. Coitur in vnā cōspiratúrque charitatē: hāc violare tanquā Deū nefas ducitur. Huic si quis resistit, *expurgatur al. eycitur atque euitatur: hāc siquis offendit, vno die durare non sinitur. Sciunt hanc ita commēdatam esse à Christo & Apostolis, vt si hæc vna absit, inania: si hæc adsit, plena sint omnia.

Contra Adimantum Manichæi discipulum, Cap. XIIII.

Omnia mūda mundis. De carne autem non manducanda, & non bibendo vino, quod ait Apostolus, nō quia illa immūda arbitratus est, hoc præcepit, sicut quidam existimant, & errantes in errorem præcipitant quibus talia persuaserunt. Nam & munda esse omnia dixit Apostolus secundum fidē, & ei esse immunda omnia, qui putat immunda: & tunc esse ab eis tēperandum quum per offensionem accipiuntur, id est, quum aliquis infirmus putat sibi ab omnibus carnibus temperandum, ne incidat in carnem immolatitiam: & ideo eum qui manducat, potest arbitrari in honorem idolorum id facere, & ex eo grauiter offendi, quum ipsa immolatitia caro, si ex fide à nesciente accipiatur, neminem maculet. Vn- 1.Cor.10. de alio loco idem Apostolus interrogare vetat, quum quid de macello emitur, vel ab aliquo infideli quisquam ad mensam vocatus, in mensa eius exhiberi sibi carnes videt, quas isti immundas arbitrantur, non propter immo- Rom.14. lationem, sed quia carnes sunt: quum Apostolus clamet omnia munda esse, & omnem creaturam Dei bonam esse, & omnia sanctificari per verbum & orationem, & tamen temperandum ab eis, siquis fortè infirmus offenditur. Et quodam loco apertissimè istos significauit, quum 1.Tim.4. dicit, In nouissimis temporibus futuros quosdā prohibētes nubere, abstinētes à cibis quos Deus creauit. Hos enim propriè designat, qui non propterea temperāt à cibis talibus, vt aut concupiscentiam suam refrenent, aut infirmitati alterius pareant: sed quia ipsas carnes immundas putant, & earum creatorem Deum esse negant. Nos autem teneamus Apostolicam disciplinam, dicentem quòd omnia munda sint mundis, seruata moderatione Euangelica, vt Tit.1. Luc.21. non grauentur corda nostra cruditate & vinolentia, & curis secularibus.

DE CONIVGIO.

In Euangelium Ioannis, Tract. IX.

Quòd Dominus inuitatus venerit ad nuptias, etiam excepta mystica significatione, con- 1.Tim.4. firmare voluit, quòd ipse fecit nuptias. Futuri In prohibentes nuptias. enim erant de quibus dixit Apostolus, Prohibentes nubere, & dicentes, quòd malum essent nuptiæ, & quòd diabolus eas fecisset, cùm idem Dominus dicat in Euangelio interrogatus, Vtrùm liceat homini dimittere vxorē suam ex qualibet causa, non licere excepta causa fornicationis. In qua responsione si meministis, hoc ait, Quod Deus coniunxit, homo Matth.19. non separet. Et qui bene eruditi sunt in fide catholica, nouerunt quòd Deus fecerit nuptias: & sicut coniunctio à Deo, ita diuortium à diabolo sit. Sed propterea in causa fornicationis licet vxorem dimittere, quia ipsa esse vxor prior noluit, quæ fidem coniugalem marito non seruauit.

Libro I. de peccatorum meritis, & remissione, Cap. XXIX.

Bonum coniugii lectum. Bonum ergo coniugii non est feruor concupiscentiæ, sed quidam licitus & honestus illo feruore vtendi modus propagandæ proli, non explendæ libidini accommodatus, voluntas ista, non voluptas illa nuptialis est. Quod igitur in mēbris corporis mortis huius inobedienter mouetur, totúmque animum in se deiectum conatur attrahere, & neque cùm mens voluerit, exurgit: neque quum mens voluerit conquiescit, hoc est malum peccati, in quo nascitur omnis homo.

Ad Hilarium, Epistola LXXXIX.

Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ Matth.19. habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Item, Quicunque dimiserit omnia sua propter Ibidem. me, accipiet in hoc seculo centuplum, & in futuro vitam æternam possidebit. Aliud est di- Vxor quando dimittenda. miserit, aliud est vendiderit. Nam & in his quæ dimittenda mandauit, etiam vxor commemorata est, quam nullis legibus humanis licet vendere: Christi autem legibus nec dimittere, excepta causa fornicationis. Quid sibi ergo volunt ista præcepta? Non enim possunt inter se esse contraria, nisi quia occurrit aliquando necessitatis articulus, vbi aut vxor dimittatur, aut Christus. Vt alia omittam, Si ipsi vxori maritus displicuerit Christianus, eique proposuerit aut à se diuortium, aut à Christo: hîc ille quid eligat nisi Christum, & dimittat vxorem laudabiliter propter Christū? Ambobus quippe Christianis Dominus præcepit, ne quisquam

quam dimittat vxorem, excepta causa fornicationis. Vbi autem quælibet in eis persona infidelis est, consilium Apostoli attendatur, vt,
1.Cor.7. Si infidelis consentit habitare cum viro fideli, vir non dimittat vxorem. Similiter & vxor fidelis virum, si cum illa habitare consenserit. Quòd si infidelis (inquit) discedit, discedat. Non est enim seruituti subiectus frater, aut soror in huiusmodi, id est, si infidelis noluerit esse cum coniuge fideli, hic agnoscat fidelis suam libertatem, ne ita se subiectum deputet seruituti, vt ipsam dimittat fidem, ne coniugem amittat infidelem.

Ad Editiam, Epistola, CXCIX.

Mulieri coniugatæ nō licebit facere de suo ad libitum.

Mulieri coniugatæ non licet dicere, Facio quod volo de meo, quum & ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est viri sui. Nam sic quædam (vt commemorat Apostolus Petrus) mulieres sanctæ, quæ in Deum sperabant, ornabant se, suis subiectæ viris, sicut Sara obsequebatur Abrahæ, dominum eum vocans: cuius (inquit) factæ estis filiæ: quum ad Christianas, non ad Iudæas fœminas loqueretur.
1.Petri 3.

De sermone Domini in monte, Libro I. M.

Matth.5. Dictum est autem, Quicunque dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudii. Hæc iustitia minor est Pharisæorum: cui non est contrarium, quòd Dominus dicit, Ego autem dico vobis, Quicunque dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui solutā à viro duxerit, mœchatur. Non enim qui præcipit dari libellum repudii, hoc præcepit, vt vxor dimittatur. Sed qui dimiserit (inquit) det illi libellum repudii, vt iracundiam temerariam proiicientis vxorem, libelli cogitatio tēperaret. Qui ergo dimittendi moram quæsiuit, significauit, quantum potuit, duris hominibus, se nolle diſsidium. Et ideo ipse Dominus alio loco de hoc interrogatus ita respondit, Hoc Moses propter duritiam vestram fecit. Quantunuis enim durus esset qui vellet dimittere vxorem, quum cogitaret libello repudii dato iam sine periculo eam posse nubere alteri, facilè placaretur. Dominus ergo ad illud confirmandum, vt non facilè vxor dimittatur, solam causam fornicationis excepit, cæteras verò vniuersas molestias, si quæ fortè extiterint, iubet pro fide coniugali, pro castitate fortiter sustineri: & mœchum dixit etiam virum qui eam duxerit, quæ soluta est à viro. Cuius rei Apostolus Paulus terminum ostendit, quia tandiu obseruandum dicit, quandiu vir eius viuit: illo autē mortuo, dat nubendi licentiam. Hanc etiam regulam ipse tenuit, & in ea non suum consilium sicut & in nonnullis monitis, sed præceptum Domini iubentis ostendit, quum ait, Eis autem quæ nuptæ sunt præcipio, non ego, sed Dominus, mulierē à viro non discedere. Quòd si discesserit, manere innuptā, aut viro suo reconciliari, & vir vxorem non dimittat. Credo simili forma, vt si dimiserit non ducat aliam, aut reconcilietur vxori. Fieri enim potest vt dimittat vxorem causa fornicationis, quam Dominus exceptam esse voluit. Iam verò si nec illi nubere cōceditur viuo viro, à quo recesserit, neque huic alteram ducere viua vxore quā dimisit, multò minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere. Beatiora sanè coniugia iudicāda sunt, quæ siue filiis procreādis, siue etiam ista terrena prole contēpta, continentiam inter se pari consensu seruare potuerint, quod neque cōtra illud præceptū fit, quo Dominus dimitti coniugem vetat. Non enim dimittit qui cum ea non carnaliter, sed spiritaliter viuit, & illud seruatur quod per Apostolum dicitur: Reliquum est, vt qui habent vxores quasi non habentes sint.
Matth.19.
Vxor nō dimittenda, nisi causa fornicationis.
Matth.19.
Rom.7
1.Cor.7.
1.Cor.7.

Ibidem post pauca, Liter. P.

Quomodo propter fornicationem dimittenda vxor.

Propter illicitas concupiscentias, non tantùm quæ in stupris cum alienis viris aut fœminis committuntur, sed omnino quaslibet quæ animam corpore malè vtētem à Lege Dei aberrare faciunt, & pernicioſè turpiterque corrumpūt, posit sine crimine & vir vxorē dimittere, & vxor virum, quia exceptam facit Dominus causam fornicationis. Quam fornicationem sicut supra commemoratum est, generalem & vniuersalē intelligere cogimur. Cùm autem ait, Excepta causa fornicationis, non dixit cuius ipsorum, viri an fœminæ. Non enim tantùm fornicantem vxorem dimittere conceditur, sed quisquis eam quoque vxorem dimittat, à qua ipse cogitur fornicari, causa fornicationis vtique dimittit, velut si aliquē cogat vxor sacrificare idōlis. Qui talem dimittit causa fornicationis, dimittit non tantùm illius, sed & suæ: illius quia fornicatur, suæ ne fornicetur. Nihil autē iniquius quàm fornicationis causa dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari. Occurrit enim illud, In quo enim alterum iudicas, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. Quapropter quisquis fornicationis causa vult abiicere vxorē, prior debet esse à fornicatione purgatus: quod similiter etiam de fœmina dixerim. Quod autem dicit, Quisquis solutam à viro duxerit, mœchatur, quæri potest vtrùm quomodo mœchatur ille qui ducit, sic & illa quam ducit. Iubetur enim & illa manere innupta, aut viro reconciliari. Sed si discesserit, inquit, à viro, maneat innupta. Multum autem interest vtrùm dimittat, an dimittatur. Si enim ipsa virum dimiserit & alteri nupserit, videtur cupiditate mutandi coniugii virum priorem reliquisse, quæ sine dubio adulterina cogitatio est. Si autem dimittatur à viro cum quo esse cupiebat, mœchatur quidem qui eam duxerit secundum Domini sententiam: sed vtrùm & ipsa tali crimine teneatur, incertum est. Quanuis multò minus inueniri possit quomodo quum vir & mulier pari consensu sibi misceantur, vnus eorum mœchus sit, & non sit alter. Huc accedit, quia si mœchatur ille ducendo eam quæ soluta est à viro, quanquam

non dimiserit, sed dimissa sit, ipsa eum facit mœchari, quod nihilominus Dominus vetat. Ex quo colligitur, siue dimissa fuerit, siue dimiserit, oportere illam manere innuptam, aut viro reconciliari. Rursum quæritur, vtrum si vxoris permissu, siue sterilis, siue quæ concubitum pati non vult, adhibuerit sibi alteram vir, non alienã, neq; à viro seiunctã, possit esse sine crimine fornicationis? Et in historia quidem veteris Testamenti inuenitur exẽplum, sed nunc præcepta maiora sunt, in quæ per illũ gradum generatio humana peruenit. Tractãda illa sunt ad distinguendas ætates dispensationis diuinæ prouidentiæ, quæ humano generi ordinatissimè subuenit, non autem ad viuendi regulas vsurpandas. Sed tamen vtrùm quod ait Apostolus, Mulier nõ habet potestatem sui corporis, sed vir: similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier: possit intantum valere, vt permittente vxore, quæ maritalis corporis potestatẽ habet, possit vir cum altera, quæ nec aliena vxor sit nec à viro disiuncta, cõcumbere. Sed non ita est existimandum, ne hoc etiã fœmina viro permittente facere posse videatur, quod omnium sensus excludit.

An vxoris permissu, alteram sibi vir adhibere possit.

1. Cor. 7.

Contra Adimantum, Cap. III.

Vxor si opus est dimittenda propter regnũ cælorum.

Quanuis Dominus dederit vxorem viro, relinquenda est tamen si opus est, propter regnũ cælorũ. Non .n. hoc semp necesse est, sicut Apostolus dicit, Siquis fidelis habet vxorẽ infidelem, & hæc cõsentit habitare cum illo, non dimittat. Significat vtique, quòd si non consentit habitare cũ illo, id est, si execratur in illo fidẽ Christi, & non eum patitur quòd Christianus est, relinquenda est propter regnum cælorum. Sicut & idem Apostolus in sequentibus dicit, Quòd si infidelis discedit, discedat. Non enĩ est subiectus seruituti frater aut soror in huiusmodi. Si quis ergo relinquit regnum cælorum, dum non vult relinquere vxorem non ferentem Christianum virum, improbatur à Domino. et item, Si quis vir relinquit vxorem dato libello repudii, quum causa non existat aut fornicationis, aut obtinendi regnum cælorum, similiter improbatur à Domino.

De doctrina Christiana, libro III. Cap. XII.

Quod in aliis personis plerunque flagitium est, in diuina vel prophetica persona magnæ cuiusdã rei signum est. Alia quippe est in perditis moribus, alia in Oseæ Prophetæ vaticinatione coniunctio meretricis. Regno terreno veteres iusti cæleste regnum imaginabantur & prænuntiabant. Sufficiendæ prolis causa erat vxorum plurium simul vni viro habendarum inculpabilis consuetudo. Et ideo vnam fœminam maritos habere plurimos honestum non erat: nõ enim mulier eò est fœcundior, sed meretricia potius turpitudo est, vel quæstum, vel liberos vulgò quærere. In huiuscemodi moribus quicquid illorum temporum Sancti non libidinosè faciebant, quanuis ea facerent, quæ hoc tempore nisi per libidinẽ fieri nõ possunt, non culpat Scriptura. Et quidquid ibi tale narratur, non solùm historicè ac propriè, sed etiam figuratè ac prophetic è acceptum, interpretandum est, vsque in finẽ illũ charitatis, siue Dei, siue proximi, siue vtriusque.

Oseæ 1.

Nusquam legitur vnam mulierẽ plures habuisse maritos.

Contra Faustum, lib. XIX. Cap. XXVI.

Nam & illud de vxore nõ dimittenda, quod Dominus præcepit, quum antiquis dictum sit, Quicunque dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudii: si diligenter intueamur, videbimus non esse contrariũ. Exposuit enim Dominus quid Lex voluerit, quum passim dimittenti vxorẽ iusserit libellum repudii dare. Neque enim ait, Qui voluerit dimittat vxorem suam, cui esset contrarium non dimittere: sed vtique nolebat dimitti vxorem à viro, qui hãc interposuit morã, vt in diss idium animus præceps, libelli conscriptione refractus absisteret, & quid mali esset vxorem dimittere cogitaret, præsertim quia, vt perhibent, apud Hebræos scribere literas Hebræas nulli fas erat nisi Scribis solis: quum & excellẽtiorem profiterentur sapiẽtiam, & si qui eorũ essent æquitate ac pietate præditi, non tantùm profiterẽtur, verumetiam sectarentur. Ad hos igitur, quos oporteret esse prudentes Legis interpretes, & iustos dissidii dissuasores, Lex mittere voluit eũ quẽ iusserit libellum repudii dare, si dimisisset vxorẽ. Nõ enim ei poterat scribi libellus, nisi ab ipsis, qui per hanc occasionem & necessitatem, venientem quodãmodo in manus suas bono consilio regerent: atque inter ipsum & vxorem pacificè agendo, dilectionem cõcordiámque suaderent. Quòd si tantum intercederet odium, vt extingui emendarique non posset, tunc vtique scriberetur libellus: quia frustranõ dimitteret, quam sic odisset, vt ad debitam coniugii charitatem, nulla prudentium persuasione reuocaretur. Si enim non diligitur, vxor dimittẽda est. Quia ergo dimittenda non est, diligenda est. Dilectio autem monendo atque suadendo componi, non inuitum cogendo imponi potest. Hoc Scriba facere debebat iust⁹ & sapiẽs, qualem in illa professione esse oportebat. Ad quem vt veniret discordia, marito libellus conscribendus præceptus est. Quẽ vir bonus prudénsq; nõ scriberet, nisi in animo nimis auerso atque peruerso consiliũ concordiæ nõ valeret.

Deut. 24.

Matt. 5. & 19.

Quæstionum noui & veteris Testamenti, Quæstio. CXXVII.

Hypocritarum & nuptias prohibentiũ vitium.

Talis est enim quorundam versutia: quia vt sanctitatis & castimoniæ amatores esse se simulẽt, nuptias esse dicũt dãnandas, vt per hoc cõmendentur & populum à veritate auertant, & vt abstinentiæ se studere fingãt: temperandum à cibis tradunt, vt per hoc se alienos à mundo ad cælestia regna festinare ostendant, per quod mentes hominum illicientes, deinceps illicita doceant licere, & licita quasi inconcessa damnare. Hæc sunt præstigia Satanæ, vt causas inuertat,

inuertat, quasi nouum insinus aliquid, excludat veritatem, in qua nihil nouum est, quia totum æternum. Quis non aduertat sensum istum ab aduersariis esse aptatum? Quis enim audeat Dei inuētum reprobare, & quod nunquam alicui obfuit, nisi aduersario veritatis? Qui vt impuritatem suā tegat, sanctimoniam prædicat, quam non amat: vt dum ex eo se quasi bonæ voluntatis ostenderet, illicita suadeat quasi licita.

De hæresibus ad quod vult Deum, Cap. XXV.

Taciani hæretici nuptias dānant.

Taciani à Taciano quodam qui & Encratitæ appellati sunt, nuptias damnant, atque omnino pares eas fornicationibus aliisque corruptionibus faciunt: nec recipiunt in suorum numerum coniugio vtentem, siue marem, siue fœminam: non vescuntur carnibus, eásque omnes abominantur: prolationes quasdam fabulosas seculorum etiam ipsi faciunt: saluti hominis primi contradicunt.

De ecclesiasticis dogmatibus, Caput LXIII.

Nuptiæ bonæ sunt.

Bonæ sunt nuptiæ, sed causa filiorum & cōpescendæ fornicationis obtentu.

Caput LXVII.

Hierarchitarū & Manichæorum hæresis.

Malas dicere nuptias vel fornicationi comparādas, aut stupro, cibos quoque credere malos, vel malicias causare percipientibus, nō est Christianorum, sed proprie Hierarchitarum & Manichæorum.

De bono coniugali, Caput I.

Quoniam vnusquisque homo humani generis pars est, & sociale quiddam est humana natura, magnúmque habet & naturale bonum, vim quoque amicitiæ: ob hoc ex vno Deus voluit omnes homines condere, vt in sua societate, non sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur. Prima itaque naturalis humanæ societatis copula, vir & vxor est. Quos nec ipsos singulos condidit Deꝰ, & tanquam alienigenas iunxit, sed alteram ex altero creauit, signans etiam vim coniunctionis in latere, vnde illa detracta formata est. Lateribus enim sibi iunguntur, qui pariter ambulant, & pariter quò ambulant intuētur. Consequens est connexio societatis in filiis, qui vnus honestus fructus est, non coniunctionis maris & fœminæ, sed concubitus. Poterat enim esse in vtroque sexu, etiam sine tali commixtione, alterius regentis, alterius obsequentis amicabilis quædam & germana coniunctio.

Prima naturalis humanæ societatis copula vir & vxor

Gene. 2.

Caput III.

Primum coniugium bonum.

Illud nunc dicimus secundum istam conditionem nascendi & moriendi, quam nouimus, & in qua creati sumus, aliquid boni esse coniugium masculi & fœminæ: cuius cōfœderationem ita diuina Scriptura cōmendat, vt nec dimissæ à viro nubere liceat alteri, quādiu vir eius viuit: nec dimisso ab vxore liceat alterā ducere, nisi mortua fuerit quæ recessit. Bonū ergo coniugii, quod etiam Dominus in Euangelio confirmauit, non solùm quia prohibuit dimittere vxorem, nisi ex causa fornicationis, sed etiā quia venit (inuitatus) ad nuptias, cur sit bonum meritò quæritur. Quod mihi nō videtur propter solam filiorū procreationem, sed propter ipsam etiam naturalē in diuerso sexu societatē. Alioqui nō iam diceretur coniugium in senibus, præsertim si vel amisissent filios, vel minimè genuissēt. Nunc verò in bono licet anoso coniugio, etsi emarcuit ardor ætatis inter masculum & fœminam, viget tamen ordo charitatis inter maritum & vxorem: quia quantò meliores sunt, tantò maturius à commixtione carnis suæ pari consensu se continere cœperunt: non vt necessitatis esset postea non posse quod vellēt, sed vt laudis esset primùm noluisse quod possent. Si ergo seruatur fides honoris & obsequiorum inuicem debitorum ab alterutro sexu, etiam si languescentibus & propè cadauerinis vtriusque membris, animorum tamen ritè coniugatorum, tātò syncerior quantò probatior, & tātò securior quātò placidior castitas perseuerat. Habēt etiā id bonum coniugia, quòd carnalis vel iuuenilis incontinētia, etiam si vitiosa est, ad propagandæ prolis redigitur honestatem, vt ex malo libidinis aliquid boni faciat copulatio coniugalis. Deinde quia reprimitur & quodammodo verecundius æstuat concupiscentia carnis, quam temperat parentalis affectus. Intercedit enim quædam grauitas feruidæ voluptatis, quum in ea quòd sibi vir & mulier adhærescunt, pater & mater esse meditantur.

Ioan. 2.

Secundum.

Tertium.

Caput. IIII.

Quartum.

Huc accedit quia in eo ipso, quod sibi inuicem coniuges debitum soluunt, etiam si id aliquanto intemperantius & incōtinentius expetant, fidem tamen sibi pariter debent. Cui fidei tantùm iuris tribuit Apostolus, vt eam Potestatem appellaret, dicens, Mulier non habet potestatē sui corporis, sed vir: similiter autem & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Huius autē fidei violatio dicitur adulterium, quum vel propriæ libidinis instinctu, vel alienæ consensu cum altero, vel altera cōtra pactum coniugale cōcumbitur: atque ita frangitur fides, quæ in rebus etiā corporeis & abiectis magnum animi bonum est: & ideo eam saluti quoque corporali, qua etiam vita ista continetur, certum est debere præponi.

1. Cor. 7.

Coniugalis fides violatio, in adulterio dicitur.

Caput VI.

Sunt viri aliquando vsqueadeò incontinentes, vt coniugibus nec grauidis parcant. Quicquid ergo inter se coniugati immodestum, inuerecundum, sordidúmve gerunt, vitiū est hominum, nō culpa nuptiarum. Iam in ipsa quoque immoderatiore exactione debiti carnalis, quam eis non secundum imperium præcipit, sed secundum veniam concedit Apostolus, vt etiā præter causam procreandi sibi misceātur: & si eos praui mores ad talē cōcubitum impellūt, nuptiæ tamē ab adulterio seu fornicatione

1. Cor. 7.

defendunt. Neque enim illud propter nuptias admittitur, sed propter nuptias ignoscitur.

Capit. VII.

Quomodo autem viro possit esse licentia ducendæ alterius, si adulteram reliquerit, cùm mulieri non sit nubendi alteri, si adulterum reliquerit, non video. Quæ si ita sunt, tantum valet illud sociale vinculum coniugum, vt quum causa procreãdi colligetur, nec ipsa causa procreandi soluatur. Posset enim homo dimittere sterilem vxorẽ, & ducere de qua filios habeat, & tamen non licet, & nostris quidem temporibus ac more Romano nec superducere, vt amplius habeat quàm vnam viuam, & vtique relicta adultera vel relicto adultero, possent plures nasci homines, si vel illa alteri nuberet, vel ille alteram duceret. Quod tamen si non licet, sicut diuina regula præscribere videtur, quem non faciat intentum quid sibi velit tanta firmitas vinculi coniugalis?

Causa procreanda prolis vxor sterilis nõ dimittenda.

Capit. VIII.

Cæterùm, aliter se habere iura gentilium quis ignorat? Vbi interposito repudio sine reatu aliquo vltionis humanæ, & illa cui voluerit nubit, & ille quam voluerit ducit. Cui consuetudini simile aliquid propter Israeliticam duritiam videtur permisisse Moses, de libello repudii. Qua in re exprobratio diuortii magis apparet, quàm approbatio. Honorabiles ergo nuptiæ in omnibus, & thorus immaculatus.

Gentiles repudium sine reatu vsurpabant. Dent. 24.

Hebr. 13.

Capit. IX.

Bonum est nubere, quia bonum est & filios procreare, matrem familias esse: sed melius est non nubere, quia melius est ad ipsam humanã societatem hoc opere non egere.

1. Tim. 5.

Capit. X.

Sed noui quosdam qui murmurent, Quid si (inquiunt) omnes velint ab omni concubitu abstinere: vnde subsistet genus humanum? Vtinam omnes hoc vellent, duntaxat in charitate, de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta multò citius Dei ciuitas compleretur vt acceleraretur terminus seculi. Quid enĩ aliud hortari apparet Apostolum vbi ait, quum inde loqueretur, Vellem omnes esse sicut meipsum? aut in illo loco, Hoc autem dico, fratres, tempus breue est: reliquum est vt & hi qui habent vxores, tanquam non habẽtes sint: & qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent, tanquam non gaudentes: & qui emunt, tanquam non ementes: & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi, volo vos sine sollicitudine esse. Deinde subiungit, Qui sine vxore est, cogitat quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino. Qui autem matrimonio coniunctus est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori.

Bonum esset vt se omnes continerent.

1. Tim. 5. 2. Cor. 7.

Eodem Cap.

Non itaque nuptias secundum veniam concedit Apostolus. Nam quis ambigat absurdissimè dici, non eos peccasse quibus venia datur? Sed illum concubitum secundum veniã cõcedit, qui fit per incõtinentiã, nõ solùm causa procreãdi, & aliquãdo nulla causa procreãdi, quẽ nuptiæ nõ fieri cogunt, sed ignosci impetrãt: si tamẽ nõ ita sit nimius vt impediat, quæ sepositа debent esse tẽpora orãdi, nec immutetur in eũ qui est cõtra naturã, de quo Apostolus tacere non potuit, cùm de coruptelis nimiis immundorum & impiorum hominum loqueretur.

De nuptiarum indulgentia. 1. Cor. 7.

1. Cor. 7. 1. Petri 3. Rom. 1.

Capit. XV.

Semel autem initum connubium in ciuitate Dei nostri, vbi etiã ex prima duorum hominum copula quoddam sacramentum nuptię gerunt, nullo modo potest nisi alicuius eorum morte dissolui. Manet enim vinculum nuptiarum, etiam si proles cuius causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur, ita vt iam scientibus coniugibus non se filios habituros, separare se tamen vel ipsa causa filiorum, atque aliis copulare nõ liceat. Quod si fecerint, cum eis quibus se copulauerint, adulterium cõmittunt, ipsi autem coniuges manent. Planè vxoris voluntate adhibere aliam, vnde communes filii nascantur, vnius commixtione ac semine, alterius autẽ iure ac potestate, apud antiquos patres fas erat, vtrùm & nunc fas sit non temerè dixerim. Non est. n. nũc propagandi necessitas, quæ tunc fuit, quando & parientibus coniugibus alias propter copiosiorem posteritatem superducere licebat, quod certè nunc non licet. Nam tãtùm affert opportunitatis ad aliquid iustè agendum siue nõ agendum, temporum secreta distinctio, vt nũc melius faciat qui nec vnam duxerit, nisi se continere non possit: tunc autẽ etiã plures inculpabiliter ducebant, & qui se multò facilius continere possent, nisi aliud pietas illo tempore postularet.

Quæ patribus olim licita, nostris temporibus illicita.

Capit. XVI.

Sicut ergo satius est mori fame quàm idolothitis vesci, ita satius est defungi sine liberis, quàm ex illicito coitu stirpem quærere, &c.

Capit. XVIII.

A viro viuo in alterius transire cõ nubium, nec in veteri Testamẽto licuit, nec nunc licet, nec vnquã licebit. Apostatare quippe ab vno Deo, & ire in alterius adulterinam superstitionem, semper est malum. Nec causa ergo numerosioris prolis fecerunt sancti nostri, quod Cato dicitur fecisse Romanus, vt traderet viuus vxorem etiam alterius domum filiis impleturam. In nostrarũ quippe nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quàm fœcunditas vteri.

Cato vxorem præstitit.

De sancta virginitate, Capit. XII.

Habeant coniugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honestè, quia licitè, quia pudicè, quia socialiter procreant, & procreatos pariter, salubriter, instanter educant, quia thori fidem inuicem seruant, quia sacramentum connubii non violant.

Bona matrimonii.

Lib. IX. de Genesi ad literam, Capit. VII.

Vnde enim magnum magnique honoris meri

Matrimonium mundatum.

meritũ fidelis & pia virginitas habet, nisi quia isto iam tempore continendi ab amplexu, cùm ex omnibus gentibus ad implendũ Sanctorum numerũ largissima suppetat copia, percipiendæ sordidæ voluptatis libido non sibi vendicat, quod iam sufficiendæ prolis necessitudo non postulat? Denique vtriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honestate nuptiarum: vt quod sanis possit esse officium, sit ægrotis remedium. Neque enim quia incontinentia malum est, ideo connubium, vel quo incontinentes copulantur, non est bonum. Imò verò nõ propter illud malum culpabile est hoc bonum: sed propter hoc bonum veniale est illud malum, quoniam id quod bonum habent nuptiæ, & quòd bonæ sunt nuptiæ, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est, fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculũ coniugale, cum altero vel altera concumbatur. In prole, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In sacramento autẽ, vt cõiugium non separetur, & dimissus aut dimissa, nec causa prolis alteri cõiungatur. Hæc est, tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur prauitas.

Libro III. de ciuitate Dei, Cap. V.

Romani quare morte adulteras non plectebant.

Antiqui Romani in stupro detectas Vestales sacerdotes, viuas etiam defodiebant: adulteras autem fœminas, quanuis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant: vsque adeò grauius seueriúsque vindicanda putabant adyta diuina, quàm humana cubilia.

Libro XIIII. Cap. XVIII.

De pudore cõiugali.

Opus verò ipsum, quod libidine tali peragitur, nõ solùm in quibusque stupris, vbi latebræ ad subterfugienda humana iudicia requirũtur, verumetiam in vsu scortorũ, quam terrena ciuitas licitam turpitudinem fecit, quãuis id agatur, quod eius ciuitatis nulla lex vindicat, deuitat tamẽ publicè etiam permissa atque impunita libido conspectum: & verecundia naturali habent prouisum lupanaria ipsa secretum, faciliúsque potuit impudicitia non habere vincula prohibitionis, quàm impudẽtia remouere latibula illius fœditatis. Sed hanc etiã ipsi turpes turpitudinem vocãt, cuius licet sint amatores, ostentatores esse non audent. Quid concubitus coniugalis, qui secũdum matrimonialium præscripta tabularum, procreãdorum fit causa liberorum? Nonne & ipse, quanquam sit licitus & honestus, remotum ab arbitris cubile conquirit? Nónne omnes famulos, atque ipsos etiam paranymphos, & quoscunque ingredi quelibet necessitudo permiserat, antè mittit foras, quàm vel blandiri coniux coniugi incipiat? Et quoniam, sicut ait etiam quidã, Romani eloquii maximus auctor, Omnia rectè facta in luce se collocari volunt, id est, appetunt sciri: hoc rectè factum sic appetit sciri, vt tamen erubescat videri. Quis enim nescit vt filii procreentur, quid inter se coniuges agant, quandoquidem vt id agatur tanta celebritate ducuntur vxores: & tamen cùm agitur vnde filii nascantur, nec ipsi filii, si qui inde iam nati sunt, testes fieri permittuntur? Sic enim hoc rectè factum ad sui notitiam lucem appetit animorum, vt tamen refugiat oculorũ. Vnde hoc, nisi quia sic geritur quod deceat ex natura, vt etiam quod pudeat comitetur ex pœna?

Cap. XX. eodem libro.

Diogenis impudentia.

Hoc illi canini Philosophi, hoc est, Cynici non viderunt, proferẽtes contra humanam verecundiam, quid aliud quàm caninam, hoc est, immundam impudentémque sententiam? vt scilicet quoniam iustum est quod fit in vxore, palàm non pudeat id agere, nec in vico, nec in platea qualibet cõiugalẽ concubitum deuitare. Vicit tamen pudor naturalis opinionem eius erroris. Nam etsi perhibent hoc aliquando gloriabundum fecisse Diogenem, ita putãtem sectam suam nobiliorem futuram, si in hominũ memoriam insignior eius impudẽtia figeretur: postea tamen à Cynicis fieri cessatum est, plúsque valuit pudor vt erubescerẽt homines hominibus, quàm error, vt homines canibus esse similes affectarent.

Cap. XXI.

Procreatio filiorum ad gloriam.

Absit itaque vt credamus illos coniuges in Paradiso constitutos per hanc libidinẽ, de qua erubescendo eadem mẽbra texerunt, impleturos fuisse, quod in sua benedictione Deꝰ dixit, Crescite & multiplicamini, & implete terram. *Genes. 1.* Post peccatum quippe orta est hęc libido. Post peccatum eam natura non impudẽs amissa potestate, cui corpus ex omni parte seruiebat, sensit, attendit, erubuit, operuit. Illa verò benedictio nuptiarum vt coniugati crescerent & multiplicarentur, & implerent terram, quanuis & in delinquentibus manserit, tamen antequam delinquerent data est, vt cognosceretur procreationem filiorum ad gloriam cõnubii, non ad pœnam pertinere peccati.

Cap. XXII.

Copula coniugalis à Deo instituta & benedicta.

Nos autem nullo modo dubitamus secundum benedictionem Dei crescere & multiplicari & implere terram, donum esse nuptiarum, quas Deus ante peccatum hominis ab initio constituit, creando masculum & fœminam, qui sexus euidens vtique in carne est. Huic quippe operi Dei etiam benedictio ipsa subiuncta est. Nam cùm Scriptura dixisset, Masculum & fœminam fecit eos, continuò subdidit, Et benedixit eis Deus, dicens, Crescite & multiplicamini, & implete terrã, & dominamini eius, &c. *Genes. 1.* Certum est igitur masculum & fœminam ita primitus institutos, vt nunc homines duos diuersi sexus videmus & nouimus. Vnum autem dici, vel propter cõiunctionem, vel propter originem fœminæ, quæ de masculi latere creata est. Nam & Apostolus per hoc primum quod *Ephes. 5.*

Deo instituente præcessit exemplum, singulos quosque admonet, vt viri vxores suas diligant, &c.

Libro XV. Cap. XVI.

Quum igitur genus humanum, post primam copulam viri facti ex puluere, & coniugis eius ex viri latere, marium fœminarúmque cõiunctione, opus haberet, vt gignendo multiplicaretur, nec essent vlli homines nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri sorores suas cõiuges acceperũt: quòd profectò quãto est antiquius, compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius, religione prohibente. Habita est enim ratio rectissima charitatis, vt homines quibus esset vtilis atque honesta concordia, diuersarum necessitudinũ vinculis necterentur, nec vnus in vna multas haberet, sed singulæ spargerẽtur in singulos, ac sic ad socialem vitam diligẽtius colligendã, plurimæ plurimos obtinerẽt. Pater quippe & socer duarum sunt necessitudinum nomina. Vt ergo alium quisque habeat patrem, alium socerum, numerosius se charitas porrigit.

Socrates duce re in vxore, res damnabilis.

Lib. II. contra Pelagium & Celestium de peccato originali, Cap. XXXIIII.

Bonum sunt nuptiæ in omnibus quæ sunt propriè nuptiarum. Hæc autem sunt tria, generandi ordinatio, fides pudicitiæ, connubii sacramentum. Propter ordinationem generandi scriptum est, Volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse. Propter fidem pudicitiæ, Vxor non habet potestatẽ sui corporis, sed vir: similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. Propter connubii sacramentum, Quod Deus coniunxit, homo non separet.

Nuptiarum bonitas in illis est

1. Timoth. 5.

1. Corinth. 7.

Matth. 19.

Libro I, de nuptiis & concupiscentia, ad Valerium, Cap. IX.

Nam si Deo patrum nostrorum, qui etiam noster est, illa numerositas cõiugum propterea non displicuisset, vt copiosius se libido iactaret, ita etiam sanctæ fœminæ seruissent pluribus singulæ. Quod si aliqua faceret, quid eam nisi concupiscentiæ turpitudo compelleret, vt plures viros haberet, quando ista licentia plures filios non haberet? Veruntamen magis pertinere ad nuptiarum bonum, nõ vnum & multas, sed vnum & vnam satis indicat ipsa prima diuinitus facta coniugum copula, vt inde connubia sumerent initium, vbi honestius attenderetur exemplum. Progrediente autem genere humano, iunctæ sunt quibusdam bonis viris bonæ fœminę, singulis plures. Vnde apparet & illud dignitatis magis appetisse modestiam, & hoc fœcunditatis permisisse naturam. Nam & principat⁹ magis naturaliter vnius in multos, quàm in vnum potest esse multorum. Nec dubitari potest naturali ordine viros potius fœminis, quàm viris fœminas principari. Quod seruans Apostolus ait, Caput mulieris vir: &, Mulieres, subditę estote viris vestris. Et Apostolus Petrus, Quomodo Sara, inquit, obsequebatur Abrahæ, dominum illum vocans. Quod licet ita sese habeat, vt natura principiorum amet singularitatẽ, facilius autem pluralitatem videamus in subditis: tamen plures fœminæ vni viro nunquam licitè iungerẽtur, nisi ex hoc plures filii nascerentur. Vnde si vna cõcumbat cum pluribus, quia non est ei hinc multiplicatio prolis, sed frequẽtatio libidinis, coniunx non potest esse, se meretrix.

Quòd plures fœminæ non viro licitè iungantur, sed non econuerso.

1. Corinth. 11. Ephes. 5.

1. Pet. 3.

Cap. X. eodem libro.

Quoniam sanè non tantùm fœcunditas, cuius fructus in prole est, nec tantùm pudicitia, cuius vinculum est fides, verũetiam quoddam sacramẽtum nuptiarum commendatur fidelibus cõiugatis. Vnde dicit Apostolus, Viri, diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Huius proculdubio sacramenti res est, vt mas & fœmina connubio copulati, quandiu viuunt, inseparabiliter perseuerent: nec liceat, excepta causa fornicationis, à coniuge coniugem dirimi. Hoc enim custoditur in Christo & Ecclesia, vt viuens cum viuente in æternũ nullo diuortio separetur. Cuius sacramenti tanta obseruatio est in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius, hoc est, in Ecclesia Christi quibusque fidelibus coniugatis, qui fine dubio membra sunt Christi, vt quum filiorum procreandorum causa vel nubant fœminę vel ducantur vxores, nec sterilem coniugem fas sit relinquere, vt alia fœcunda ducatur. Quod si quisquam fecerit, non lege huius seculi (vbi interueniente repudio sine crimine conceditur cum aliis alia copulare connubia, quod etiam sanctũ Mosem Dominus propter duritiam cordis illorũ Israelitis permisisse testatur) sed lege Euangelii reus est adulterii, sicut etiam illa, si alteri nupserit.

Coloss. 3.

Psalm. 47. Matrimonium quare sacramentũ dicatur

Matth. 19.

Eodem libro, Cap. XVI.

Quia igitur tales nuptiæ esse non possunt quales primorum hominum, si peccatum non præcessisset esse potuerũt, sint tales quales sanctorum patrum fuerunt, vt pudenda carnis cõcupiscẽtia, quæ in Paradiso nec ante peccatum fuit, nec post peccatum illic esse permissa est, quia necesse est in corpore mortis huius vt sit, non ei seruiatur, sed ipsa potius nõnisi ad propagandam prolẽ seruire cogatur. Aut quia hoc tempus, quod iam esse diximus continendi ab amplexu, nõ habet huius officii necessitatem, adiacente vndique in omnibus gentibus tanta fertilitate gignendorum spiritaliter filiorum, illud potius excellentis continentiæ bonum, qui potest capere capiat. Qui verò id capere non potest, etsi acceperit vxorem non peccat, & fœmina si se non continet, nubat. Bonum est homini mulierem non tangere. Verùm quia non omnes capiunt verbum hoc, sed quibus datum est, restat vt propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vna quæque virum suum habeat: ac sic infirmi-

Qui se continere non possunt, nubant.

1. Corinth. 7.

tas

tas incontinentiæ,ne cadat in ruinam flagitiorum,excipiatur honestate nuptiarũ. Quod enim ait Apostolus de fœminis, Volo igitur iuniores nubere : hoc & de maribus dici potest, Volo iuniores vxores ducere, vt ad vtrunque sexum pertineat,filios procreare;patres & matresfamilias esse , nullam occasionem dare aduersario maledicti.

1.Timoth.5.

Quæstionum super Genesim, Quæst.LXXXIX.

Septem diebus solere nuptias celebrari,etiam liber Iudicum ostendit in Samsone,quando fecit potum septem diebus. Et addidit Scriptura, quòd sic solerent facere iuuenes, fecit autem hoc propter nuptias suas.

Septem diebus nuptiæ celebrabantur olim. Iudicum 14.

Libro I.de adulterinis coniugiis ad Pollentium,Cap.I.

Nulla existente causa fornicationis, cuilibet coniugi licebit vnum de tribus eligere,aut non discedere à cõiuge,aut si discesserit sic manere, aut si non sic manserit, non alterum quærere,sed priori se reddere.

Eodem libro,Cap.XXV.

Infidelis cõiugis connubium non prohibitũ.

Non enim tempore reuelati Testamenti noui in Euangelio, velvllis Apostolicis literis sine ambiguitate declaratũ esse recolo, vtrùm Dominus prohibuerit fideles infidelibus iungi. Quanuis beatissimus Cyprianus inde non dubitet, nec in leuibus peccatis cõstituat,iungere cum infidelibus vinculũ matrimonii, atque id esse dicat prostituere gentilibus membra Christi. Sed quia de iis qui iam coniuncti sunt,alia quæstio est, audiatur & hîc Apostolus dicens, Si quis frater habet vxorem infidelem, & hæc consentiat habitare cum illo , non dimittat illam . Et si qua mulier habet virũ infidelem,& hic consentit habitare cum illa,non dimittat virum.Propter quodlibet tamen fornicationis genus , siue carnis , siue spiritus, vbi & infidelitas intelligitur , & dimisso viro non licet alteri nubere : & dimissa vxore non licet alteram ducere , quoniam Dominus nulla exceptione facta dicit, Si vxor dimiserit virum suum , & alii nupserit , mœchatur : & , Omnis qui dimittit vxorem suam , & ducit alteram, mœchatur.

1.Corinth.7.

Luc.16.

Lib.II.de consensu Euangelistarum,Cap.I.

Sine permixtione carnali potest esse coniugium.

Exemplo Ioseph & Mariæ magnificè insinuatur fidelibus coniugatis, etiam seruata pari consensu continentia, posse permanere,vocarique coniugium, nõ permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu : præsertim quia nasci eis etiam filius potuit sine vllo complexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est. Neque enim propterea non erat appellandus Ioseph pater Christi,quia nõ eum concumbendo genuerat:quandoquidem rectè pater esset etiam eius,quem non ex sua coniuge procreatum,aliunde adoptasset.

DE SANCTIS, ET VENERATIONE Sanctorum.

In Euangelium Ioannis,Tractatu XXIII.

Colere vnum Deum,religio est Christiana.

Hæc est religio Christiana,vt colatur vnus Deus,non multi dii,quia non facit animã beatam,nisi vnus Deus. Participatione Dei fit beata, non participatione sanctæ animæ fit beata infirma anima: nec participatione Angeli fit beata sancta anima, sed si quærit beata esse infirma anima , quærat vnde beata fit sancta anima. Non enim beatus efficeris ex Angelo tu, sed vnde Angelus inde & tu. Illuc perge anima contemptis cæteris,vel etiam transcensis,&c.

De vera religione,Cap.IV.

Non diligamus visibilia spectacula , ne ab ipsa veritate aberrando, & amando vmbras,in tenebras proiiciamur. Non sit nobis religio in phantasmatibus nostris. Melius est enim qualecunque verum, quàm omne quidquid pro arbitrio fingi potest: & tamen animã ipsam quãuis anima vera sit, cùm falsa imaginatur,colere nõ debemus. Melior est vera stipula,quàm lux inani cogitatione pro suspicãtis voluntate formata:& tamen stipulam quam sentimus & tangimus,dementis est credere colendam. Non sit nobis religio humanorum operum cultus:meliores enim sunt ipsi artifices,qui talia fabricãtur, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio cultus bestiarum : meliores enim sunt extremi homines , quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio cultus hominũ mortuorum,quia si piè vixerunt,nõ sic habentur vt tales quærant honores: sed illum à nobis coli volunt,quo illuminante lætãtur meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergo sunt propter imitationem , non adorandi propter religionem. Si autẽ malè vixerunt , vbicũque sint non sunt colẽdi. Non sit nobis religio, vel ipsa perfecta & sapiens anima rationalis,siue in ministerio vniuersitatis, siue in ministerio partiũ stabilita, siue quæ in summis hominibus expectat commutationem reformationémque portionis suę:quoniã omnis vita rationalis,si perfecta est,incommutabili veritati secum intrinsecus sine strepitu loquenti obtemperat, non obtemperans autem,vitiosa fit. Non ergo per se excellit, sed per illum cui libenter obtemperat. Quod ergo colit summus Angelus, id colendum est etiam ab homine vltimo, quia ipsa hominis natura id non colendo facta est vltima. Non enim aliũde sapiens Angelus,aliunde homo:aliunde ille verax, aliunde homo,sed ab vna incommutabili sapientia & veritate. Nam idipsum actum est temporali dispensatione ad salutem nostram,vt naturã humanam ipsa Dei virtus & Dei sapientia, incommutabilis & cõsubstantialis Patri & coæternus susciperet dignaretur, per quam nos doceret id esse homini colendum,quod ab omni creatura intellectuali & rationali colendum est. Hoc etiam ipsos

Sanctis quomodo veneranda. Nota.

Colendum est quod ab omni creatura rationali colitur.

optimos Angelos,& excellentissima Dei ministeria velle credamus, vt vnum cum ipsis colamus Deum, cuius contemplatione beati sunt. Neque enim & nos videndo Angelos beati sumus,sed videndo veritatem,qua etiam ipsos diligimus Angelos,& his cõgratulamur. Nec inuidemus quòd eo paratiores, vel nullis molestiis interpedientibus perfruuntur: sed magis eos diligimus,quoniam & nos tale aliquid sperare à communi Domino iussi sumus. Quare honoramus eos charitate,nõ seruitute,nec eis templa construimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis, quia nosipsos, quum boni sumus, templa summi Dei esse nouerunt. Rectè itaque scribitur hominem ab Angelo prohibitum ne se adoraret, sed vnum Deum sub quo ei esset & ille conseruus. Qui autem nos inuitãt vt sibi seruiamus, & tanquam deos colamus, similes sunt superbis hominibus, quibus si liceat, similiter coli volunt: sed istos homines perpeti minus,illos verò colere magis periculosum est. Religet ergo nos religio vni omnipotẽti Deo, quia inter mentem nostram, qua illum intelligimus Patrem & veritatem, id est, luce m interiorem, per quam illum intelligimus, nulla interposita creatura est. Quare ipsam quoque veritatem nulla ex parte dissimilem, in ipso & cum ipso veneremur, quæ forma est omnium, quæ ab vno facta sunt,& ad vnũ nituntur. Vnde apparet spiritalibus animis per hanc formam facta esse omnia, quæ sola implet quod appetunt omnia.

Matth.22.

1.Corinth.3.

Apocal.22.

Libro III.Hypognosticõn contra Pelelagianos, Q.

In libro Sapientiæ legitur, Quoniam gratia Dei,ait,est in Sanctis eius. Ecce generaliter dictum, neminem Sanctorum sine gratia Dei fuisse vel esse: sed vt in eis sit ad confirmandos eos, acceperũt gratis per fidem, quæ à Deo est, non habuerunt ante fidem,quia(vt ait Dauid) pro nihilo saluos facies eos. Item in libro Tobiæ, Ego autem, ait, custodiui animam meam, ne manducarem de escis eorum. Et quoniam memor fui Dei in toto corde meo, dedit mihi summus Deus gratiam ante Salmanasar regẽ, & emebam illi omnia,iẽns in regionẽ Mediam vsquedum mortuus est. Quod verò pręposuit, dicẽs, Quoniam memor eram Dei in toto corde meo,ne proprium esse videretur, & non donum,quòd memor esset Dei,continuò subiungens,ait,Dedit mihi summus Deus gratiam,vt cõfirmaret eius dono,non merito suo Dei memorem fuisse, & locum dilectionis ante regem Salmanasar inuenisse. Præparatur enim volũtas à Domino,à quo omne datum optimum,& omne donum perfectum est, vt omne os obstruatur: & subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus non iustificabitur omnis caro coram illo,quia iustitia Dei pręuentu misericordię per fidem Iesu Christi,apparuit super omnes qui crediderunt.

Sapient 4. Nemo Sanctorum sine gratia Dei fuit.

Psalm.55.

Tobiæ 1.

Iacobi 1. Roman.3. Nullus hominũ iustificatur ex operibus.

Libro VIII.de Trinitate,Cap.VII.

Non enim Sanctus quisquam potestate sua gaudet, sed eius à quo habet posse quidquid congruenter potest. Et nouit potẽtius esse cõiungi Omnipotenti pia voluntate, quàm propria voluntate posse quod contremiscant, qui talia non possunt. Itaque ipse Dominus Iesus Christus talia faciens,vt mirantes doceret ampliora, & temporalibus insolitis intẽtos atque suspensos ad æterna atque interiora conuerteret, Venite(inquit)ad me omnes qui laboratis, & onerati estis,& ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos. Et non ait, Discite à me quatriduanos mortuos suscitare: sed ait, Discite à me, quoniam mitis sum & humilis corde. Potentior est enim & tutior solidissima humilitas,quàm ventosissima celsitudo. Et ideo sequitur, dicens, Et inuenietis requiem animabus vestris.

Sãcti potestate sua nõ gaudent.

Matth.11.

De Ecclesiasticis dogmatibus,Cap. IXXXVI.

Nullus sanctus & iustus caret peccato,nec tamẽ ex hoc desinit esse iustus vel sanctus, cùm affectu teneat sanctitatem. Non enim naturæ humanæ viribus,sed propositi adiumento,per Dei gratiam acquirimus sanctitatem. Et ideo veraciter se omnes Sancti pronuntiant peccatores, quia in veritate habent quod plangant: & si non reprehensione conscientiæ, certè mobilitate &mutabilitate pręuaricatricis naturę.

Nullus Sanctorum caret peccato.

De præsentia Dei ad Dardanum,Cap.VI.

Cùm igitur Deus,qui vbique est,non in omnibus habitet, etiam in quibus habitat, non æqualiter habitat. Nã vnde est illud quod Helisæus popposcit,vt dupliciter in eo fieret Spiritus Dei,qui erat in Helia? Et vnde in omnibus Sanctis sunt alii aliis sanctiores, nisi abundantius habendo habitatorem Deum?

4.Reg 2. Sanctitas vnde in Sanctis.

Libro II.contra secundam Gaudentii Epistolam,Cap.XXIII.

Non itaque debemus quidquid in Scripturis etiam DEI testimonio laudatos homines fecisse legerimus, consentiendo approbare, sed considerãdo discernere, adhibẽtes iudiciũ non sanè nostrę auctoritatis,sed Scripturarum diuinarum atque sanctarum, quæ nos nec illorum hominum,quibus illic bonum atque præclarum testimoniũ perhibetur, omnia vel imitari vel laudare facta permittit, si quæ non rectè ab eis facta sunt, vel huic iam tempori non conueniunt: sed de his quæ tunc fuerant recta, non sunt.

Sanctorum facta non omnia imitanda.

Libro XXII.contra Faustum,Cap.XXI.

Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & societatis,quo & in hac vita coluntur homines sancti Dei,quorum cor ad talem pro Euangelica veritate passionem paratum esse sentimus: sed illos tantò deuotius, quãtò securius post incerta omnia superata, quantò etiam fidẽtiore laude prædicamus, iam in vita feliciore vi-

Quomodo à Christianis colẽdi Martyres.

re victores, quàm in ista adhuc vsque pugnantes. At illo cultu qui Græcè latria dicitur, Latinè vno verbo dici non potest, quum sit quædam propriè diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnũ Deum. Quum autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, vnde idololatria dicitur eorũ, qui hoc etiam idôlis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam sanctæ animæ, vel cuiquam Angelo. & quisquis in hunc errorem dilabitur, corripitur per sanã doctrinam, siue vt corrigatur, siue vt caueatur. Ipsi enim Sancti vel homines, vel Angeli exhiberi sibi nolunt, quod vni Deo deberi norũt. Apparuit hoc in Paulo & Barnaba, cùm cõmoti miraculis, quæ per eos facta sunt, Lycaonii tãquã diis immolare voluerunt. Cõscissis enim vestimẽtis suis, cõfitentes & persuadẽtes se deos nõ esse, ista sibi fieri vetuerũt. Apparuit & in Angelis, sicut in Apocalypsi legimus, Angelum se adorari prohibentem, ac dicentem adoratori suo, Conseruus tuus sum, & fratrum tuorum. Ista sibi planè superbi spiritus exigunt, diabolus & Angeli eius, sicut per omnia templa & sacra gentilium: quorum similitudo in quibusdã etiam superbis hominibus expressa est, sicut de Babyloniæ quibusdã regibus memoriæ commendatum tenemus.

Actorum 14.

Apocal. 19. & 22.

Daniel. 3.

Contra Secundinũ Manichæum, Cap. XVII.

Sãcti honorãdi in Deo.

Honor quippe summus, qualem pietas religiosorum exhibet, vtique deo debetur. Qui ergo amat honorem, Deum imitatur. Sed humiles animæ in illo se honorari volunt, superbi præ illo. Ad Deum autem humiles excelsiores fiunt iniustis: contra Deum verò excelsi humiliores fiunt iustis, ea scilicet dispensatione præmiorum atque pœnarum, quia illi Deum amauerunt supra se: illi pro Deo amauerunt se.

In Psalmum LXVII.

Psalm. 120. Auxilium non à Sanctis, sed à Domino.

Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi. Nec tamẽ auxilium meum ab ipsis propriè montibus, sed auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terrã. Vnus quippe ipsorum montium multum excellens, cùm dixisset, quòd plus illis omnibus laborauerit, non autem ego, sed gratia Dei mecum, inquit.

1. Corinth. 15.

In Psalmum LXXXV.

Sanctus sum cum audio, vocem eius agnosco, & hîc separo meam. Certè inseparabiliter à corpore suo loquitur, cum sic loquitur, Et audebo ego dicere quoniam sanctus sum? Si Sanctus tanquàm sanctificans, & nullo sanctificante indigens, superbus & mendax: si autem Sanctus sanctificatus, secundum id quod dictum est, Sãcti estote, quoniam ego Sanctus sum: audeat & corpus Christi, audeat & vnus ille homo, clamans à finibus terræ cum capite suo, & sub capite suo dicere, Sanctus sum. Accepit enim gratiam sanctitatis, gratiam Baptismi & remissionis peccatorum. Et hæc quidẽ fuistis, ait Apostolus enumerans multa peccata, & leuia, & grauia, & vsitata, & horribilia: & hæc quidẽ fuistis, sed abluti estis, sed sãctificati estis. Si ergo sanctificatos dicit, dicat & vnusquisque fideliũ Sanctus sum. Non est ista superbia elati, sed confessio non ingrati. Si enim dixeris te sanctum esse ex te, superbus es. Rursus fidelis in Christo, & membrum Christi, si te non dixeris esse sanctum, ingratus es. Arguens enim superbiam Apostolus, non ait, Non habes: sed ait, Quid enim habes, quod nõ accepisti? Dic Deo tuo Sanctus sum, quia sanctificasti me, quia accepi, non quia habui: quia tu dedisti non quia ego merui. Etenim ex alio latere incipis iniuriam facere ipsi Domino nostro Iesu Christo. Si enim Christiani omnes, & fideles, & baptizati in illo, ipsum induerunt, sicut Apostolus dicit, Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis: si membra sunt facti corporis eius, & dicunt se sanctos non esse, capiti ipsi faciunt iniuriam, cuius membra sancta sunt. Iam vide vbi sis, & de capite tuo dignitatem cape. Etenim eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.

1. Corinth. 6.

1. Corinth. 4.

Galat. 3.

Ephes. 5.

Libro X. de ciuitate Dei, Cap. I.

Latria soli Deo debetur.

Latriam ei tãtùm Deo deberi dicimus, qui verus est Deus, facítque suos cultores deos. Quicunque igitur sunt in cælestibus habitationibus immortales & beati, si nos non amãt, nec beatos esse nos volunt, colẽdi vtique non sunt. Si autem amant, & beatos volunt, profectò inde volunt, vnde & ipsi sunt: an aliunde ipsi beati, aliunde nos?

DE SIMVLACHRIS & imaginibus.

Expositionis Epistolæ ad Galatas, Cap. V.

Idolorũ seruitus vltima fornicatio animæ

Idolorum seruitus vltima fornicatio est animæ, propter quam etiam bellum aduersus Euangelium cum reconciliatis Deo furiosissimum gestum est: cuius reliquiç, quanuis interdiu, adhuc tamen recalent.

al. quãuis tria tæ, diu adhuc, &c.

De verbis Domini secundũ Matth. Sermo. VI.

Quæ immolãt gẽtes, dæmonibus immolãt, & non Deo, nolo vos socios fieri dæmoniorũ. Nouimus quia idôlum non est Deus, vtinam & illi sic norint. Sed propter eos qui hoc non norũt infirmos, non debet percuti conscientia ipsorum. Hoc monet Apostolus. Nam & illi quòd numen habeant, & pro nuimne accipiãt illam statuam, ara testatur. Quid illic faciat ara, si illud non habetur pro numine? Nemo mihi dicat, Non est numen, non est Deus. Iam dixi, vtinam sic ipsi norint hoc, quomodo omnes nouimus nos. Sed quid habeant, pro qua re habeant, quid ibi faciat, ara illa testatur. Conuincit omnium colentium mentes, non conuincat recumbentes, sed non premantur Christiani, si premuntur pagani. Verbis ipsorum ne credatis, nec timeatis: hostes nos dicũt idolorum suorum. Sic præstet Deus, & det omnia in potesta-

1. Corinth. 10.

Quomodo in destructione idolorum agendum sit.

te,quomodo dedit quod fractũ est. Hoc enim dicimus charitati vestrę,ne faciatis ista,quãdo in potestate vestra nõ est vt faciatis illud. Prauorum hominũ est, furiosorum Circuncellionum,& vbi potestatẽ non habẽt,sęuire & velle mori properant sine causa. Audistis quę vobis legimus, omnes qui nuper in Mapalibus adfuistis. Cùm data fuerit vobis terra in potestatem(prius ait in potestatem,& sic dixit quæ faciendaſunt) aras eorum, inquit, destruetis,lucos eorum cõminuetis, & omnes titulos eorũ cõfringetis. Cùm acceperitis potestatem,hoc facite: vbi nobis non est data potestas, non facimus:vbi data est,non prętermittimus. Multi pagani habent istas abominationes in fundis suis,nunquid accedimus & cõfringimus? Prius enim agimus, vt idôla in eorum corde frangamus. Quando Christiani & ipsi facti fuerint, aut inuitant nos ad tam opus bonum,aut præueniunt nos. Modò orandum est pro illis,non irascendum illis. Contra idôla prædicamus,de cordibus illa tollimus, sumus persecutores idolorum: profitemur. Nunquid seruatores? Non facio vbi non possum,non facio vbi conqueritur dominus rei. Vbi autem vult fieri,& gratias agit,reus ero si non fecero.

Deut 7,12.

Augustin persecutor idolorum

Ad Deogratias presbyterum, Epist. XLIX.

Qui Christianas literas vtriusque Testamenti sciunt, non hoc culpãt in sacrilegis ritibus Paganorum, quòd construant templa, & instituant sacerdotia, & faciant sacrificia: sed quod hæc idôlis & dæmoniis exhibeãt. Et idôla quidem omni sensu carere quis dubitet? Veruntamen cùm iis locãtur sedibus honorabili sublimitate, vt à precantibus atque immolantibus attendantur, ipsa similitudine animatorũ membrorum atque sensuum, quanuis insensata & exanima, afficiunt infirmos animos, vt viuere ac spirare videantur, accedente præsertim veneratione multitudinis, qua tantus eis cultus Dei impẽditur. Quibus morbidis & pestilentiosis affectibus medetur Scriptura diuina, quæ rem quidem notam, sed tamen salubri remedio admonitionis inculcat, dicens, Oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt,& cætera talia. Hęc enim verba quô magis aperta & populariter vera sunt, eô magis incutiunt salubrem pudorem illis, qui cùm talibus simulachris diuinum cum timore cultum exhibent, cáque viuẽtibus similia venerantes, adorantésque cõtuentur, eísque velut præsentibus preces allegant, victimas immolant, vota persoluunt, sic afficiũtur omnino, vt ea sensu carentia putare non audeant. Ne arbitrentur autem isti hoc solùm nostros libros velle sonare, quòd huiusceemodi affectº humano cordi ex idôlis innascitur, apertissimè scriptum est, Quoniam omnes dii gentium dæmonia. Vnde & Apostolica disciplina non solùm dicit, quod apud Ioannem legitur, Fratres, cauete à simulachris: verumetiam quod apud Paulum, Quid ergo? dico quòd idôlis immolatum sit aliquid, aut idôlum est aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmoniis & non Deo immolant. nolo autem vos socios fieri dęmoniorum. Vnde satis intelligi potest, non tam ipsam immolationem (nam vero Deo prisci Sancti immolauerunt) sed quod diis falsis & impiis dæmoniis immolatur, reprehendi à vera religione in superstitionibus gentium. Sicut enim veritas hortatur homines fieri socios sanctorum Angelorum, ita seducit impietas ad societatem dæmoniorum, cui præparatur ignis æternus, sicut regnum æternum societati Sanctorũ. Neque illinc excusant impii sua sacrilega sacra & simulachra, quòd eleganter interpretãtur quid quæque significent. Omnis quippe illa interpretatio ad creaturam refertur, nõ ad Creatorẽ, cui vni debetur seruitus religionis illa, quæ vno nomine Latria Græcè appellatur. Vnde colligitur corporali creaturæ non esse sacrificandum. Quoniam quãtò magis pia est & subdita Deo, tãtò minus se tali honore dignatur, quem scit non deberi nisi Deo.

Psalm. 113.

Psalm 95.

1 Ioannis 5.

1 Corinth. 10.

Ad Ianuarium, Epistola CXIX.

In primo Dei pręcepto, vbi prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo, non quia non habet imaginem Deus, sed quia nulla imago eius coli debet, nisi illa quę hoc est quod ipse: nec ipsa pro illo, sed cum illo: & quia creatura mutabilis est, ac propterea dicitur, Omnis creatura vanitati subiecta est.

Exod. 20. Prohibetur coli Dei similitudo in figmentis hominum.

Libro I. de Trinitate, Cap. VI.

Idololatræ dicuntur, qui simulachris eam seruitutem exhibent quæ debetur Deo. Secũdum hanc enim seruitutem dictum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Nam & hoc distinctius in Græca scriptura inuenitur: λατρεύσεις enim habet. Porrò si tali seruitute creaturæ seruire prohibemur, quandoquidem dictum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: vnde & Apostolus detestatur eos qui coluerunt & seruierunt potius creaturæ quàm Creatori: non est vtique creatura Spiritus sanctus, cui ab omnibus Sanctis talis seruitus exhibetur, dicente Apostolo, Nos enim sumus circuncisio Spiritu Dei seruientes: quod est in Græco λατρεύοντες.

Idololatræ qui dicantur.

Deutron. 6. Matth. 4.

Roman. 1.

Philip. 3.

Libro I. de consensu Euangelistarum, Cap. XXXI.

Desinant ergo dicere mali laudatores Christi, qui nolunt esse Christiani, quòd Christus non docuerit deos eorum deseri, & simulachra confringi. Deus enim Israel, de quo prædictum est, quòd Deus vniuersæ terræ vocabitur. & Deus vniuersę terręiam vocatur. Hoc per Prophetas futurum prædixit, hoc per Christũ cõgruo tempore impleuit. Nam apud Esaiam legimus, Propterea, inquit, ipse hæreditabit cõplures, & fortium partietur spolia. Nempe iam hæreditate possidet multos, & fortium partitur spolia, quum ea quæ diabolus & dæmones possidebant, per Ecclesiarum suarum fabricas & quos-

Christum sub tempore simulacra confracturum Prophetæ prædixerunt. Deutro 7. Esaiæ 38.

Esaiæ 53.

& quoslibet necessarios vsus illis expulsis proditisque distribuit.

In Psalmum CXIII.

Psalm.113 Simulachra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominũ. Id est, quanuis Deum nostrum carnalibus oculis vestris nõ possimus ostendere, quem per opera intelligere debuistis, nolite tamen seduci vanitatibus vestris, quia vos ea quæ colitis, digito potestis ostendere. Multò quippe honestius non haberetis quod possetis ostendere, quàm vt in eo quod istis oculis à vobis ostenditur, vestri cordis cæcitas ostendatur. Quid enim ostenditis, nisi aurum & argentum? Habent quidem ærea & lignea & fictilia simulachra, & huiusce modi alterius alterúsque materiæ: sed pretiosum eorum maluit commemorare Spiritus sanctus, quia quum in eo quisque quod illi charius est erubuerit, multò facilius auertitur à veneratione viliorum. Nam dictum est alio loco de simulachrorum cultoribus, Dicentes ligno, Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuisti. Sed ne sibi sapientior videatur, qui hoc non ligno & lapidi dixerit, sed auro & argento, huc aspiciat, huc aure cordis intendat. Simulachra gentium argentum & aurum. Item, Oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, &c. Cur ergo tantopere Spiritus sanctus curat Scripturarũ plurimis locis hæc insinuare atque inculcare veluti inscientibus, quasi non hominibus apertissima sint atque notissima, nisi quia speciem membrorum significat, quam naturaliter in animantibus viuentem videre, atque in nosmetipsis sentire consueuimus? Quanquam, vt illi asserunt, in signo aliquo fabre facto, atque eminenti collocato sugestu, quum adorari atque honorari à multitudine cœperit, parit in vnoquoque sordidissimum erroris affectum, vt quoniã in illo figmento non inuenit vitalem motum, credat numen occultum: effigiem tamen viuenti corpori similem, seductus forma, & commotus auctoritate, quasi sapientum institutorum obsequentúmque turbarum, sine viuo aliquo habitatore esse non putat. Hinc & mala dæmonia ad possidenda gentium simulachra, talis hominum affectus inuitat, quorum præsidẽtium varia fallacia mortiferi seminantur & multiplicantur errores. Aliis itaque locis etiam contra ista diuinæ literæ vigilant, ne quisquam dicat quum irrisa fuerint simulachra, Non hoc visibile colo, sed numen quod illic inuisibiliter habitat. Ipsa ergo numina in alio Psalmo eadem *Psalm.95* Scriptura sic damnat, Quoniam dii gentium dæmonia, Dominus autem cælos fecit. Dicit *2.Corinth.10* & Apostolus, Non quòd idolum sit aliquid, sed quoniam quæ immolant gentes dæmoniis immolant & nõ Deo: &, Nolo vos socios fieri dæmoniorum. Videntur autem sibi purgatioris esse religionis, qui dicunt, Nec simulachrũ nec dæmonium colo, sed per effigiem corporalem eius rei signum intueor, quam colere debeo. Itaque Apostoli vna sententia pœnam istorum damnationémque testatur, Qui transmutauerunt, inquit, veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potius quàm Creatori, qui est benedictus Deus in secula. Nam priori parte huius sententię simulachra damnauit, posteriori autẽ interpretationes simulachrorũ. Effigies enim à fabro factas appellando nominibus earum rerum quas fabricauit Deus, transmutant veritatem Dei in mendacium: res autem ipsas pro diis habendo & venerando, seruiunt creaturæ potius quàm Creatori, qui est benedictus in secula. Quis autem adorat vel orat intuens simulachrum, qui nõ sic afficitur, vt ab eo se exaudiri putet, ac ab eo sibi prętari quod desyderat, speret? Contra hunc affectum, quo humana & carnalis infirmitas facilè capi potest, cantat Scriptura Dei, Simulachra, inquit, gentium, argẽtum & aurum, opera manuum hominum.

Cũra simulachrorũ patrum.

Hierem.2

Roman.1

De ciuitate Dei, libro I. Cap. VI.

Ironia Fabij in idola Tarentinorum.

Fabius Tarentinæ euersor vrbis, à simulachrorum deprædatione abstinuisse laudatur. Nam cùm ei Scriba suggessisset, quid de signis deorum, quæ multa capta fuerãt, fieri iuberet, continentiam suã iocando condiuit. Quæsiuit enim cuiusmodi essẽt: & cùm ei nõ solùm multa grandia, verũetiam renuntiarentur armata, Relinquamus, inquit, Tarentinis deos iratos.

Libro III. Cap. XI.

Simulachrum Apollinis fleuisse ferunt.

Apollo ille Cumanꝰ, cùm aduersus Achęos, regémque Aristonicum à Romanis bellaretur, quatriduo fleuisse nũtiatus est. Quo prodigio haruspices territi, cùm id simulachrum in mare putauissent esse proiiciendum, Cumani senes interceserunt, atque retulerunt tale prodigiũ & Antiochi & Persæ bello in eodem apparuisse figmento. Et quia Romanis feliciter prouenisset, ex Senatusconsulto eidem Apollini sua dona esse missa testati sunt. Tunc verò peritiores acciti haruspices, respõderunt, Simulachri Apollinis fletum ideo prosperum esse Romanis, quoniam Cumana Colonia Græca esset, suísque terris vnde accitus esset, id est, ipsi Græciæ & luctum & cladem Apollinem significasse plorantem. Deinde mox Aristonicum regẽ victum & captum esse nuntiatum est, quem vinci vtique Apollo nolebat & dolebat, & hoc sui lapidis etiam lachrymis indicabat.

Libro IIII. Cap. IX.

Varronis de simulachris sententia.

Hi qui populis, inquit Varro, instituerunt simulachra, & metum dempserunt, & errorem addiderunt.

Eodem libro, Cap. XXX.

Nõ enim Philosophi solùm, inquit Tulliꝰ, verumetiam maiores nostri superstitionem à religione separauerunt. Nam qui totos dies precabantur & immolabãt, vt sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati. Quis nõ intelligat eum conari, dum consuetudinem ciuitatis timet, religionem laudare ma-

iorum,eámque à superstitione velle seiungere, sed quomodo id posit non inuenire? Si enim à maioribus illi sunt appellati superstitiosi,qui totos dies precabantur & immolabant : nunquid & illi qui instituerunt quod iste reprehendit,deorum simulachra diuersa ætate & veste distincta,deorum genera, coniugia, cognationes? Hæc vtique quum tanquam superstitiosa culpantur,implicat ista culpa maiores talium simulachrorum institutores atque cultores,implicat & seipsum , qui quantolibet eloquio se in libertatem nitatur euoluere,necesse habebat ista venerari,nec quod in hac disputatione disertus insonat,mutire audet in populi concione. Agamus itaque Christiani Domino Deo nostro gratias,non cęlo & terræ,sicut iste disputat : sed ei qui fecit cælum & terram, qui has superstitiones , quas iste Balbus velut balbutiens vix reprehẽdit, per altissimam Christi humilitatem, per Apostolorum prædicationẽ, per fidem Martyrum,pro veritate moriẽtium, & cum veritate viuentium , non solùm in cordibus religiosis, verumetiam in ædibus superstitiosis libera suorum seruitute subuerterit.

Cap.XXXI.

Romani per 170. annos deos sine simulachris coluere. Varro de simulachris.

Dicit etiam Varro antiquos Romanos plus quam annos centum & septuaginta, deos sine simulachro coluisse. Quod si adhuc , inquit, mansisset,castius dii obseruarentur. Cuius sententiæ suæ testem adhibet inter cætera etiam gentem Iudæam,nec dubitat eum locũ ita concludere,vt dicat, Qui primi simulachra deorũ populis posuerunt, eos ciuitatibus suis & metum dempsisse,& errorem addidisse:prudenter existimans deos facilè posse in simulachrorum stoliditate contemni.Quòd verò non ait errorem tradiderũt,sed addiderunt, iam vtiq; fuisse etiam sine simulachris intelligi vult errorẽ.

Libro VIII.Cap.XXIIII.

Psalm.113 Immundi spiritus simulachris colliganntur.

Nam quid sunt idôla,nisi quòd eadem Scriptura dicit, Oculos habent,& non vident : & quidquid tale de materiis licet à fabro effigiatis, tamen vita sensúque carentibus dicendum fuit? Sed immundi spiritus eisdem simulachris arte illa nefaria colligati , cultorum suorum animas in suam societatem redigẽdo , miserabiliter captiuauerunt.

Libro XVIII.Cap.XXIIII.

Tametsi posteriora tempora deos homines mortuos non instituerunt, tamen ab antiquis institutos colere vt deos,& habere non destiterunt. Quinetiam simulachris,quę veteres non habebant,auxerũt vanæ atque impiæ superstitionis illecebram , id efficiẽtibus immundis in eorum corde dæmonibus, per fallacia quoque oracula decipiẽtibus,vt fabulosa etiam crimina deorum,quæ iam vrbaniore seculo non fingebantur,per ludos tamen in eorundem falsorum numinum obsequium turpiter agerentur.

Libro I.Cap.II.

Tot bella gesta conscripta sunt, vel ante conditam Romam,vel ab eius exortu & imperio:legant & proferãt sic ab alienigenis aliquã captam esse ciuitatem, vt hostes qui ceperant, parcerent eis, quos ad deorũ suorum tẽpla confugisse compererãt: aut aliquem ducem barbarũ præcepisse, vt irrupto oppido nullus feriretur,qui in illo vel illo templo fuisset inuentus.

Nonne vidit AEneas -Priamúmque per aras *Virgi.2.AEn.*
Sãguine fœdãtẽ quos ipse sacrauerat ignes?
Nonne Diomedes & Vlyxes
-cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuêre sacrã effigiẽ,manibúsq; cruẽtis
Virgineas ausi diuæ contingere vittas?
Nec tamen quod sequitur verum est:
Ex illo fluere ac retro sublapsa referri
Spes Danaûm.

Postea quippe vicerunt, postea Troiam ferro ignibúsque delerunt , postea confugientem ad aras Priamũ obtruncauerunt. Nec ideo Troia periit, quia Mineruam perdidit. Quid enim prius ipsa Minerua perdiderat vt periret? An fortè custodes suos? Hoc sanè verum est, illis quippe interemptis potuit auferri. Neq; enim homines à simulachro, sed simulachrum ab hominibus seruabatur. Quomodo ergo colebatur vt patriam custodiret & ciues,quæ suos nõ valuit custodire custodes? *Homines à simulachro non seruantur, sed simulachrum ab hominibus.*

DE INDVLGENTIIS ET remissione peccatorum.

Ad Laurentium Enchirid.Cap. IXXXIII.

Peccatum in Spiritũ sanctũ

Qui verò in Ecclesia remitti peccata non credens,contemnit tantam diuini muneris largitatem, & in hac obstinatione mentis diem claudit extremũ, reus est illo irremissibili peccato in Spiritum sanctum,in quo Christus peccata dimittit.

Libro I.Retractat.Cap.XXI.

Retractanit de sententiam de Petro Aug.

In libro contra Epistolam Donati , dixi quodam loco de Petro Apostolo , quòd in eo, tanquam in petra,fundata sit Ecclesia:qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii , vbi de gallo gallinaceo ait,Hoc ipsa Petra Ecclesia canente,culpam diluit. Sed scio me postea sæpissime sic exposuisse quod à Domino dictum est, Tu es Petrus,& super hãc Petram ædificabo Ecclesiam meam: vt super hãc intelligeretur quam confessus est Petrus,dicens, Tu es Christus Filius Dei viui. acsi Petrus ab hac Petra appellatus, personam Ecclesiæ figuraret, quæ super hanc Petram ædificatur.& accepit claues regni cælorum. Nõ enim dictum est illi, Tu es Petra, sed tu es Petrus : Petra autem erat Christus, quem confessus Simon , sicut eum tota Ecclesia confitetur , dictus est Petrus . Harum autem duarum sentẽtiarum, quæ sit probabilior, eligat lector. *Matth.16* *1 Corinth.10*

Contra

Contra Iudæos, Paganos & Arrianos, Cap. XIX.

Remissio peccatorum donũ est Spiritus sancti. Ioannis 20

Donum Spiritus sancti agnoscimus esse remissionem peccatorum omnium, suffragante nobis ipsa Veritate, quæ post resurrectionem suam ait discipulis suis, Accipite Spiritũ sanctum: si cui remiseritis peccata, remittũtur illi.

De agone Christiano, Cap. XXX.

Nusquã tã vigere debent viscera misericordiæ, quàm in catholica Ecclesia, vt tanquam vera mater nec peccantibus filiis superbè insultet, nec correctis difficilè ignoscat. Nõ enim sine causa inter omnes Apostolos, huius Ecclesiæ catholicæ personam sustinet Petrus. Huic enim claues Ecclesiæ regni cælorum datę sunt. *Matth. 16* Et cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, *Ioannes 21* Amas me? pasce oues meas. Debet ergo Ecclesia catholica correctis & pietate firmatis filiis libenter ignoscere, quum ipsi Petro personam eius gestanti, *Matth. 14, & 26* & quum in mari titubasset, & cùm Dominum carnaliter à passione reuocasset, & cùm aurem serui gladio præcidisset, *Galat. 2* & quum ipsum Dominum ter negasset, & quum in simulationem postea superstitiosam lapsus esset, videamus veniam esse concessam, eúmque correctũ atque firmatum, vsque ad Dominicæ passionis gloriam peruenisse.

Eodem libro, Cap. XXXI.

Claues regni cælorum datæ sunt Ecclesiæ. Matth. 16 1. Timoth. 5

Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei omnia peccata posse dimittere. Itaque miseri, dum in Petro Petram non intelligunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ claues regni cælorum, ipsi eas de manibus amiserunt. Isti sunt qui viduas si nupserint, tanquã adulteras damnant, & super doctrinam Apostolicam se prædicãt esse mundiores. Qui nomen suum si vellent agnoscere, mũdanos se potius quàm mundos vocarent. Nolentes enim si peccauerint corrigi, nihil aliud delegerunt, nisi cum hoc mundo damnari. Nam quibus veniam peccatorum negant, non eos aliqua sanitate custodiunt, sed ægris subtrahunt medicinam, & viduas suas vri cogunt, quas nubere non permittunt. *1. Corinth. 7* Non enim prudentiores habendi sunt, quàm Apostolus Paulus, qui ait, Malo eas nubere quàm vri.

Libro I. de doctrina Christiana, Cap. XVIII.

Has igitur claues dedit Ecclesiæ suæ, vt quæ solueret in terra, soluta essent in cælo, scilicet vt quisquis in Ecclesia eius dimitti sibi peccata crederet, séque ab iis correctus auerteret, in eiusdem Ecclesiæ gremio constitutus, eadem fide atque correctione sanaretur. Quisquis enim non credit dimitti sibi posse peccata, fit deterior desperando, quasi nihil illi melius quàm malum esse remaneat, vbi de fructu suæ conuersionis infidus est.

De natura boni aduersus Manichæos, Cap. XLVIII.

Per quid detur remissio peccatorum. Psalm. 50.

Præsta nobis, da nobis, vt per nostrũ ministerium, quo execrabilẽ & nimis horribilẽ errorẽ Manichæorũ redargui voluisti, sicut iam multi liberati sunt, & alii liberẽtur, & siue per sacramentum sancti Baptismi tui, siue per sacrificiũ contribulati spiritus, & cordis contriti & humiliati, in dolore pœnitentiæ, remissionẽ peccatorũ & blasphemiarũ suarũ, quibus per ignorãtiam suã te offenderũt, accipere mereãtur. O Domine, tantũ enim valet impellẽs misericordia & potestas tua, & veritas Baptismi tui, clauésq; regni cælorũ in sancta Ecclesia, vt nec de illis desperandũ sit, quãdiu in hac terra per tuã patientiam viuunt, qui etiã sciẽtes quãtum malum sit talia de te sentire vel dicere, propter aliquam tẽporalis & terrenæ cõmoditatis cõsuetudinem vel adeptionem, in illa maligna professione detinentur, si ad tuam ineffabilem bonitatem saltẽ increpati tuis correptionibus fugiãt, & omnibus carnalibus vitæ illecebris, cælestem vitam æternámque præponant.

De verbis Domini secundum Matthæum, Sermo. XIII.

Tu es Petrus: Simon quippe antè vocabatur. Hoc autẽ nomen ei, vt Petrus appellaretur à Domino impositũ est, & hoc vt ea figura significaret Ecclesiam. Quia enim Christus Petra, Petrus populus Christianus. Petra enim principale nomen est, ideo Petrus à Petra, non Petra à Petro, quomodo non à Christiano Christus, sed Christianus à Christo vocatur. Tu es ergo (inquit) Petrus, & super hanc Petram quam confessus es, super hanc Petram quam cognouisti, dicens, Tu es Christus Filius Dei viui, ædificabo Ecclesiam meam, id est, super meipsum Filium Dei viui ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super te.

Ecclesia super Christum Petrus, nõ super Petrum ædificata.

Sermon. CLXXXI. de tempore.

Credenda est præcipuè, fratres, peccatorum remissio, quia hoc vnum remedium est, quod hominum genus à sententia perpetuæ mortis absoluat. Idcirco vnigenitus Altissimi dignatus est carnem assumere, contentus est cruce, vt te, qui crimina tua cuadere non poteras, indulgẽtia faceret innocentẽ. Ideo immaculatus occisus est Agnus, vt eius cruore, humani generis macula tergeretur. Miror autẽ quosdã sic obstinatos esse, vt dãdam nõ putent lapsis pœnitentiã, aut pœnitẽtibus existimẽt veniã denegandam, cùm scriptum sit, Memẽto vnde excideris, & age pœnitentiam, & fac priora opera. *Apocal. 2*

Sermo. de tempore CIIII.

Non potest peccator misericordiam à Deo sperare, qui misericordiam non facit peccantibus in se. Ergo dimittat homo temporale debitum, vt mereatur recipere æternale bonum. Si animas nostras cupimus peccatorum sordibus emundari, misericordiam in nos peccantibus nõ negemus, vt in die retributionis, ad promerendam Dei misericordiam, misericordiæ operibus adiuuemur. Quomodo misericordiã

à Deo expectat vel sperat,qui crudelis est in cõ seruos suos? Sicut quis cupiat Deum sibi misereri,ita & misereatur debitoribus suis. Certissimè indulgentiam sperare poterit,qui aliis indulgere nouit. Ad misericordiæ opus optimè nos in Euãgelio Dominus exemplo roborauit, vbi ait, Estote ergo misericordes, sicut Pater vester cælestis misericors est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Igitur ex nostro iudicio iudicat nos Deus. Quodammodo in potestate nostra est, quomodo iudicemur à iudice. Si misericorditer iudicemus in nos delinquentibus, misericorditer iudicat Deus de nobis in se peccãtibus. Vnusquisque talem indulgentiam accepturus est à Deo, qualem & ipse dederit proximo suo. Multa itaque genera sunt miserationum,quæ cùm facimus,adiuuamur vt dimittantur nobis nostra peccata. Sed nihil est maius ea, qua ex corde dimittimus quod quisque peccauit.

Luce 6 Matth.5

Serm.XLVII.de Sanctis.

Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis peccata vestra. Rogo vos fratres, quid delicatius,quid benignius dici potest? In potestate nostra posuit,qualiter in die iudicii iudicemur. Non dixit, Vade in Orientem,& quære iustitiam. Naviga vsque ad Occidentem, vt accipias indulgentiã. Dimitte inimico tuo,& dimittetur tibi: indulge,& indulgetur tibi: da,& dabitur tibi. Nihil à te extra te quærit. Ad teipsum & ad conscientiam tuam te Deus dirigit. In te enim posuit quod requirit. Non enim medicamenta tuis vulneribus longè opus habes inquirere. Peccatorum tuorum indulgentiam, si vis, intus in cellario cordis tui poteris inuenire. Sed dicis, Tanta mala me inimicus meus compulit sustinere, vt eum nulla possim ratione diligere. Attendis quid tibi fecerit homo,& non attendis quid tu feceris Deo?

Matth.6

Luce 6

In Euangelium Ioannis,Tractatu CXVIII.

In Apostolis quum esset numerus duodenarius,id est quadripartit° in ternos,& omnes essent interrogati,solus Petrus respondit, Tu es Christus Filii Dei viui. Et ei dicitur, Tibi dabo claues regni cælorum, tanquam ligandi & soluendi solus acceperit potestatem, quum & illud vnus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanquam personam gerens ipsius vnitatis acceperit. Ideo vnus pro omnibus,quia vnitas est in omnibus,&c.

Petro non soli claues date, sed Apostolis omnibus. Matth. 16

Tractatu CXXIIII.

Et quia in ipsa quoque via ambulantes non sunt sine peccatis,quæ de huius vitæ infirmitate subrepunt, dedit eleemosynarum remedia salutaria, quibus eorum adiuuaretur oratio,vbi eos dicere docuit, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hoc agit Ecclesia spe beata,in hac vita ærumnosa,cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum propriè pertinet, natura vnus homo erat,gratia vnus Christianus, abundantiore gratia vnus idémque primus Apostolus. Sed quando ei dictum est, Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram,erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis: vniuersam significabat Ecclesiam, quæ in hoc seculo diuersis tẽtationibus,velut imbrib°,fluminibus,tẽpestatibúsq; quatitur,& non cadit, quoniã fundata est super Petrã,vnde & Petr° nomen accepit. Non enim à Petro Petra, sed Petrus à Petra,sicut nõ Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus, Super hãc Petram ædificabo Ecclesiam meam: quia dixerat Petrus, Tu es Christus Filius Dei viui. Super hanc ergo,inquit,Petram,quam confessus es,ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. Ecclesia ergo quę fundatur in Christo, claues ab eo regni cælorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi soluendíque peccata. Quod enim est per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in Petra. Qua significatione intelligitur Christus Petra, Petrus Ecclesia. Omnibus igitur Sanctis ad Christi corpus inseparabiliter pertinentibus, propter huius vitæ procellosissimæ gubernaculum, ad liganda & soluenda peccata,claues regni cælorum primus Apostolorum Petrus accepit: quoniam nec ille solus,sed vniuersa Ecclesia ligat soluítque peccata.

Matth.16

Super Christũ Ecclesia ædificata.

1.Corinth.11

1.Corinth.3

In Epistolam Ioannis,Tractatu I.

Fratres, Iesum Christum iustum, ipsum habemus aduocatum ad Patrem, ipse propitiatio est peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresim non fecit, hoc qui tenuit,schisma non fecit. Vnde enim facta sunt schismata? Quum dicunt homines, Nos iusti sumus, quum dicunt homines, Nos iustificamus immundos,nos sanctificamus impios,nos petim°, nos impetramus. Ioannes autem quid dixit? Et si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem,Iesum Christum iustum. Sed dicet aliquis, Ergo Sancti non petunt pro nobis? Ergo Episcopi vel præpositi non petunt pro populo? Sed attendite Scripturas,& videte, quia & præpositi commendant se populo. Nam Apostolus dicit plebi, Orantes simul & pro nobis. Orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo. Oramus pro vobis fratres, sed & vos orate pro nobis. Inuicem pro se omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet. Propterea nõ mirum, quia sequitur & hic, & claudit ora diuidentibus Dei Ecclesiam: quia dixit, Iesum Christum iustum habemus aduocatum

Christus propitiatio est peccatorũ nostrorum.

Coloss.4

aduocatum, & ipse propitiatio est nostrorum peccatorum, propter illos qui se diuisuri erant & dicturi, Ecce hic est Christ⁹, ecce illic, & vellét ostẽdere eum in parte qui emit totũ, & possedit totum: continuò secutus est, Non tantùm nostrorum, sed totius mũdi. Quid est hoc fratres? Certè inuenimus eum in campis saltuum: inuenimus Ecclesiam in omnibus gentibus. Ecce Christus propitiatio est peccatorum nostrorum, non tantùm nostrorum, sed totius mundi. Ecce habes Ecclesiam per totum mundum. Noli sequi falsos iustificatores, & veros præcipitatores.

In eandem, Tractatu II.

Scribo vobis filioli, quia remittuntur vobis peccata per nomẽ eius. Ideo filioli, quia dimissis peccatis nascimini. Sed per cuius nomen remittuntur peccata? Nunquid Augustini? Ergo nec per nomen Donati, nec per nomen Pauli, nec per nomen Petri. Nam diuidẽtibus sibi Ecclesiam, & partes facere de vnitate cupientibus, parturiens paruulos mater charitas, in Apostolo exponit viscera sua, conscindit quodãmodo verbis vbera sua, plorat filios quos videt efferri, reuocat advnũ nomen eos, qui multa nomina sibi facere volebãt, repellit ab amore suo, vt Christus ametur, & dicit, Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? Quid dicit? Nolo mei sitis, sed mecum sitis. Mecum estote, omnes illius sumus, qui pro nobis mortuus est, qui pro nobis est crucifixus. Vnde & hic, Dimittuntur vobis peccata per nomen eius, non per hominis alicuius.

1 Corinth. 1 *Per solius Christi nomẽ remittuntur peccata*

In Psalmum LXX.

Negotiatio & in Græca lingua ab actu dicitur & in Latina. Negotiatio siue actus, siue negotium discutiatur quid sit. Qui enim negotiatores actuosi, quasi ex eo quod agunt præsumunt, opera sua laudant. nõ perueniunt ad gratiam Dei. Ergo contra illam gratiam sunt negotiatores, quam commendat hic Psalmus. Illam enim gratiam commẽdat, vt nemo de suis operibus glorietur. Quomodo quodam loco dicitur, Medici non resuscitabũt: deserere debent homines medicinã? Sed quid est hoc? Sub isto nomine intelliguntur superbi, pollicentes salutem hominibus, quum Domini sit salus. Quomodo ergo contra medicos, id est, superbos salutis pollicitatores vigilat hoc quod dictum est, Tota die salutem tuam: sic contra negotiatores, id est, qui de actu suo & operibus gaudẽt, vigilat hoc quod dictum est, Os meum annuntiabit iustitiam tuam, id est, non meam. Qui sunt negotiatores, id est, quasi de actu suo sibi placentes? Qui ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Meritò & negotium dictum est, quod negat otium. Quãtum mali est quod negat otium? Meritò Dominus expulit illos de tẽplo, quibus dictum est, Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam negotiationis, id est, gloriantes de operibus vestris, otium non quærẽtes, nec audientes cõtra inquietudinẽ & negotiationem vestrã, dicẽtem Scripturam, Vacate & videte quoniam ego sum Deus. Hęc requies contra negotiatores prædicatur, hæc requies cõtra eos qui oderunt otium prędicatur, agendo & iactãdo se de operibus suis, vt non lõgius requiescant in Deo, & tantò lõgius à gratia resiliant, quantò magis de suis operibus extollũtur. Propter actus & opera inuenimus illã dici negotiationẽ detestãdam, quam notauit Apostolus, dicens, Ignorãtes enim Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei nõ sunt subiecti. Contra quam dicit idem Apostolus, Non ex operibus, ne fortè quis extollatur.

Psalm. 37

Psalm. 45

Roman. 10

Ephes. 2

De blasphemia in Spiritum sanctum, Q.

In hoc enim fit remissio peccatorũ, ne princeps peccati spirit⁹, qui in seipsum diuisus est, regnet in nobis, vt eruti à potestate spiritus immundi, templum deinceps efficiamur Spiritus sancti: & à quo mundamur accipiendo indulgentiam, ipsum accipiamus habitatorem ad faciendam, augendam, perficiendámq; iustitiam. Nam & in primo eius aduentu, cùm ii qui eum acceperãt, linguis omnium gentiũ loquerẽtur, & stupentes eos qui aderãt alloqueretur Apostolus Petrus, compuncti sunt corde, & dixerũt ad Petrũ & ad Apostolos, Quid ergo faciemus fratres? mõstrate nobis. Et dixit Petrus ad eos, Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrũm in nomine Domini Iesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Vtique in Ecclesia vtrunque factum est, id est, & peccatorum remissio, & doni huius acceptio, in qua erat Spirit⁹ sanctus. Idco autem in nomine Iesu Christi: quia cùm eundem Spiritum sanctum promitteret, Quem mittet (inquit) Pater in nomine meo. Neque enim habitat Spiritus sanctus in quoquã sine Patre & Filio, sicuti nec Filius sine Patre & Spiritu sancto, nec sine illis Pater, &c.

Acterum 2

Ioannis 14

DE CONFESSIONE.

Libro X. confessionum, Cap. II.

Et tibi quidem Domine, cuius oculis nudã est abyssus humanæ conscientiæ, quid occultũ esset in me, etiamsi nollem confiteri tibi? Te enim mihi abscõderem, non me tibi. Nunc autẽ quòd gemit⁹ meus testis est displicere me tibi, tu refulges & places, & amaris & desyderaris, vt erubescam de me, & abiiciam me, atque eligam te, & nec tibi nec mihi placeam nisi de te. Tibi ergo Domine manifest⁹ sum, quicunque sim, & quo fructu tibi confitear dixi: neque enim id ago verbis carnis & vocibus, sed verbis animæ & clamore cogitationis, quem nouit auris tua. Quum enim malus sum, nihil est aliud confiteri tibi, quàm displicere mihi:

Omnia peccata nostra manifesta sunt Deo.

quum verò pius, nihil est aliud confiteri tibi, quàm hoc nõ tribuere mihi: quoniã tu Domine benedicis iustum, sed prius eum iustificas impium. Confessio itaque mea, Deus meus, in conspectu tuo tibi tacitè fit, & non tacitè. Tacet enim strepitu, clamat affectu. Neque enim dico rectè aliquid hominibus, quod non à me tu prius audieris, aut etiam tu aliquid tale audies à me, quod non mihi tu prius dixeris.

Psalm. 5 Roman. 4

Eodem libro, Cap. III.

Quid mihi ergo est cum hominibus, vt audiant cõfessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes lãguores meos? Curiosum genus ad cognoscẽdam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Quid à me quærunt audire qui sim, qui nolunt audire à te qui sint? Et vnde sciunt, quum à meipso, de meipso audiunt, an verum dicam: quando quidem nemo scit hominum quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Si autem à te audiunt de seipsis, non poterunt dicere, Mentitur Dominus. Quid est enim à te audire de se, nisi cognoscere se? Quis porrò cognoscit & dicit, Falsum est, nisi ipse mentiatur? Sed quia charitas omnia credit, inter eos vtique quos connexos sibimet vnum facit: ego quoque Domine etiã sic tibi confiteor, vt audiant homines quibus demõstrare non possum an vera confitear: sed credunt mihi quorũ aures charitas aperit. Veruntamen tu medice meus intime, quo fructu ista faciã eliqua mihi. Nam confessiones præteritorũ malorũ quæ remisisti & texisti vt beares me in te, mutans animã meam fide & Sacramento tuo, quum legũtur & audiuntur, excitant cor ne dormiat in desperatione, & dicat, Non possum: sed euigilet in amore misericordiæ tuæ, & dulcedine gratiæ tuæ, qua potens est omnis infirmus, qui sibi per ipsam fit conscius infirmitatis suæ.

Psalm 102 Curiosum genus confessorũ. 1. Corinth. 2. 1. Corinth. 13 Psalm 51

Libro eodem, Cap. IIII.

Hic est fructus confessionum mearum, non qualis fuerim, sed qualis sim, vt hoc confitear, non tantùm coram te secreta exultatione cum tremore, & secreto mœrore cum spe, sed etiam in auribus credentium filiorum hominum, sociorum gaudii mei, & consortium mortalitatis meæ, ciuium meorum & mecũ peregrinorum, præcedentium & consequentium, & comitum viæ meæ. Hi sunt serui tui, fratres mei, quos filios tuos esse voluisti, dominos meos, quibus iussisti vt seruiam, si volo tecũ de te viuere, &c.

Libro XXII. contra Faustum, Cap. LXXXVI.

Confessioni amaritudo misceatur, vt vera pœnitentia præsignetur. Hac pœnitẽtia fœcundatur Ecclesia, in omnibus gentibus constituta. Oportebat enim Christum pati & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem.

Luca 24

De verbis Domini secundum Matthæum, Sermo. VIII.

Confitemur ergo siue laudantes Deum, siue accusantes nosmetipsos. Pia est vtraque cõfessio, siue quum tereprehendis, qui non es sine peccato, siue cùm illum laudas qui non potest habere peccatum. Si autem bene cogitemus, reprehensio tua, laus ipsius est, &c.

Confessio duplex.

Post pauca ibidem.

Ergo in confessione, sui accusatio, Dei est laudatio. Dicit ergo aliquis, Quid prodest Ecclesia, si iam cõfessor voce Dominica resuscitatus prodit? Quid prodest Ecclesia cõfitẽti, cui Dominus ait, Quæ solueritis in terra, soluta erũt & in cælo? Ipsum Lazarum attẽde: cum vinculis prodit, iam viuebat cõfitendo, sed nondũ liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia cui dictũ est, Quæ solueritis soluta erunt, nisi quod ait Dominus cõtinuò ad discipulos, Soluite illũ & finite abire? Siue ergo nos accusemus, siue Deum laudemus, bis Deũ laudamus, si piè nos accusamus, Deúmq; laudamus. Quãdo Deum laudamus, tanquã eum qui sine peccato est prædicamus. Quãdo autẽ nosipsos accusamus, ei per quẽ resurreximus gloriã damus. Hoc si feceris, nullam occasionem inuenit inimicus, qua te circũueniat ante iudicem. Cùm enim tuipse fueris accusator, & Dominꝰ liberator, quid erit ille nisi calumniator?

Matth. 16 Iouinus it Cur fidẽli quid prosit Ecclesiæ auctoritas.

Eodem libro, Sermo. XVI.

Noli qui corrigi non vult, illum deputare in numerum fratrum tuorum, nec ideo tamen salus eius negligenda est. Nam ipsos ethnicos, id est, gentiles & paganos, in numero quidẽ fratrum non deputamus, sed tamen eorum salutem inquirimus. Hoc ergo audiuimus Dominum ita monentem & tanta cura præcipientẽ, vt etiam hoc adderet continuò, Amen dico vobis, quęcunque ligaueritis super terram, ligata erunt & in cęlo, & quęcunque solueritis super terram, soluta erunt & in cęlo. Cœpisti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illũ in terra: sed vt iustè alliges vide. Nã iniusta vincula dirumpit iustitia. Cùm autem correxeris & concordaueris cum fratre tuo, soluisti illum in terra. Quum solueris in terra, solutus erit & in cælo. Multum non tibi præstas, sed illi, quia multum nocuit, non tibi, sed sibi, &c.

Matth. 18 Iniuriam ligans & soluens post suum.

Sermo. LXVI. de tempore.

Hortatur nos sępiꝰ sancta Scriptura ad medicamẽta fugere cõfessionis, nõ quòd Deꝰ indigeat cõfessione nostra, cui omnia præstò sũt quę cogitamus, loquimur, aut agimꝰ: sed nos aliter salui fieri nõ possumꝰ, nisi cõfiteamur pœnitẽtes quod iniquè gessimus negligẽtes. Qui seipsum accusat in peccatis suis, hũc diabolus non habet iterum accusare in die iudicii, si tamen confitens pœnitendo deleat quę fecit, nec iterum renouet quæ egit. Cõfitemini, dicit Iacobus Apostolus, alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini. Iterum

Iacobi 5

beatus

Rom.10. beatus Apostolus, Ore autem confessio fit ad salutem. Sed & Salomon de confessione peccatorum dicit, Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam cõsequetur. Magnum est salutis medicamentum non iterare quæ impiè gessimus, nec priorum cicatrices vulnerum resauciare. Sicut autem dicit Ioannes Euangelista, Si cõfiteamur peccata nostra, fidelis est Deus & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Similiter & Psalmista ait, Dixi cõfitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Viuens cõfiteatur peccator quæ fecit, quia non est fructuosa cõfessio apud inferos, nec pœnitentia ad salutem proficiens.

Proverb.28. Confessio quæ sit Deo.

1.Ioan.1.

De vera innocentia, Cap.CI.

Bona est peccati confessio, si & curatio consequatur. Nam quid prodest detergere plagã, & non adhibere medicinam?

Eodem lib. Cap.CXL.

Apud misericordiam Dei plurimum valet confessio pœnitẽtis, qua facit peccator cõfitẽdo propitium, quem negando nõ fecit nescium.

In Psalmum LXXXIIII.

Deus cõfitendũ. Tua peccata potes habere, fructum bonum non potes habere, nisi ille dederit cui confiteris. Quum ergo cœperis odisse peccata, & confiteri Deo, cùm te delectationes illicitæ rapiũt, & ducunt te ad ea quæ tibi non prosunt, ingemisce ad Deũ, & confitens illi peccata tua, mereberis ab illo delectationem, & suauitatem iustitiæ faciendæ: dabit tibi vt incipiat te delectare iustitia, quem primò delectabat iniquitas, vt qui primò gaudebas in ebrietate, gaudeas in sobrietate.

In Psalmum CI.

Quum audis hominem pœnitere peccatorum suorum, iam reuixit, cùm audis hominem confitendo proferre cõscientiam suam, iam de sepulchro eductus est, sed nondum solutus est. Quando soluitur? A quibus soluitur? Quæ solueritis, inquit, in terra, erunt soluta & in cælo. Meritò per Ecclesiã dari solutio peccatorum potest, suscitari autem ipse mortuus nõ nisi intus clamante Domino potest. Hæc enim Deus interius agit. Loquimur ad aures vestras: vnde scimus quid agatur in cordibus vestris? Quod autẽ intus agitur, nõ à nobis, sed ab illo agitur.

Matth.16. Per ecclesiam datur solutio peccatorum.

In Psalmum CIII.

Vera confessio hæc est. Esaiæ 1. Disputatio hominis ad Deum, est confessio peccatorum. Confitere Domino quod es, & disputasti cum illo. Disputa cum illo, fac bona opera & disputa. Lauamini, mundi estote, Esaias dicit, auferte nequitias ab animis vestris à conspectu oculorum meorum, cessate à nequitiis vestris, discite bene facere, iudicate pupillo, iustificate viduam: & venite & disputemus, dicit Dominus. Quid est disputare cũ Deo? Te illi indica scienti, vt indicet se tibi nescienti.

De salutaribus documentis, Cap.XXVII.

Aliena debent esse à nobis omnia vitia mala, dũ hæreditas nostra Christus esse vult. Ideo quia incerti sumus de talibus, prosternamus nos humiliter in conspectu pii Patris nostri, & peccata nostra citò producamus in medium, vt deleat ea ipse Pater noster cælestis. Et cùm confessi fuerimus, non nos iustificemus orãtes, ne sicut Pharisæus ille discedamus condemnati. Memoremur Publicanum illum, & ita oremus vt veniam delictorũ consequi mereamur. Clamor cordis nostri pulset ad aures omnipotentis Dei, quia in pura mente placabitur in tempore orationis.

Peccata nostra delet Pater noster cælestis. Luc.18.

De ciuitate Dei, lib.X.Cap.XXII.

In eius ergo nomine vincitur diabolus, qui hominem assumpsit egitque sine peccato, vt in ipso sacerdote & sacrificio fieret remissio peccatorum, id est, per Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum, per quem facta peccatorũ purgatione reconciliantur Deo. Non enim nisi peccatis homines separantur à Deo, quorum in hac vita nõ fit nostra virtute, sed diuina miseratione purgatio, per indulgentiam illius non per nostram potentiam: quia & ipsa quantulacunq; virtus, quæ dicitur nostra, illius est nobis bonitate concessa. Multum autem nobis in hac carne tribueremus, nisi vsque ad eius depositionẽ sub venia viueremus. Propterea ergo nobis per Mediatorem præstita est gratia, vt polluti carne peccati, carnis peccati similitudine mundaremur, &c.

Non fit peccatorum remissio nisi per Christum purgatio.

DE VERO CHRISTIANORUM sacrificio.

Sermo.CXXX. de tempore.

Iudæis ideo præcepit Deus relinquere vniuersam terrã, & in vno loco offerre sacrificia & vota reddere, quoniam immunda erat tunc vniuersa terra fumo ararum & nidore bustorum, cæterorúmque coinquinatorum eorum, quæ de prophanis gentilium sacrilegiis inferebantur super eam. Nobis verò iam quomodo Christus aduenies, vniuersam terrã expiauit, omnis locus oratoriũ factus est. Et idcirco beatus Paulus hortatur & præcipit sine intermissione orare vbique, dicens, Volo orare viros in omni loco, leuantes manus sanctas. Vides quomodo mundatus est orbis terrarum. Et ideo vbique sanctas manus leuare possumus, quoniã vniuersa terra sanctificata est, vt sanctior sit quã illa quæ in interioribus tẽpli veteris erant sancta sanctorum. Ibi nãque irrationabile animal ouis offerebatur: hic autẽ spiritalis oblata est.

Deut.12.

1.Tim.2. Oratio spiritalis & vera, Christianorũ oblatio.

Sermo.CLII. de tempore.

In tẽplo à Salomone ædificato, legimus duo altaria fuisse cõstituta, vnum foris, aliud intus. In illo quod foris erat, animaliũ cædebatur sacrificiũ. In illo verò altari quod intus erat, thimiamatis offerebatur incensum. Videamus ex-

3 Reg.6.

go fratres, ne fortè in nobis duo sint altaria cõstituta, corporis scilicet & cordis nostri. Denique duplex à nobis sacrificium quærit Deus: vnũ vt simus casto corpore, aliud vt mundo corde esse debeamus. Ergo in exteriore altari, id est, in corpore nostro offerãtur opera bona, in corde, odorẽ suauitatis redoleat cogitatio sancta. In altari cordis nostri iugiter quod est Deo placitum operemur. Tunc enim ordinem legitimum consecrationis altaris cum gaudio celebramus, quando altaria cordis vel corporis nostri munda & pura in conspectu diuinæ maiestatis offerimus. Nã nescio qua fronte, aut qua conscientia optat in altaris consecratione gaudere, qui in cordis sui altari non studet munditiam custodire. Et quia vniuscuiusque cor altare est, attendat vnusquisque cõscientiam suam, & si cupiditatis igne consumitur, eleemosynarum refrigerio mitigetur.

Duplex sacrificium à nobis exigit Deus.

De gratia noui Testamenti ad Honoratum Epistola CXX. Cap. XVII.

Qui timetis Dominũ laudate eum, vt Deũ non seruiliter, sed liberè colatis, eum amare discite quem timetis, & poteritis laudare quod amatis. Timentes enim Deum homines veteris Testamenti, propter literam terrentem & occidentem, nondum habentes Spiritum viuificantem, current cum sacrificiis ad templum: & quãuis in figuram futuri sanguinis, quo redempti sumus, tamen nescientes quod per ea præfiguraretur, cruẽtas victimas immolabant. Nunc verò in gratia noui Testamenti qui timetis Dominum, laudate eum. Ipse quippe in alio Psalmo illa mutãda prænuntiãs, quæ tunc in vmbra futuri offerebantur, Non accipiam (inquit) de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Et paulò pòst vt ostenderet sacrificium noui Testamenti, quando illa fuerãt cessatura, Immola (inquit) Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Et in fine eiusdem Psalmi, Sacrificium, inquit, laudis glorificabit me, & illic via est qua ostendam illi salutare meum. Hinc gratias agimus Domino Deo nostro, quod est magnum sacramentum in sacrificio noui Testamenti, quod vbi & quando & quomodo offeratur, quum fueris baptizatus inuenies.

Psal. 49.

Sacrificiũ gratiarũ actionis.

In Psalmum XLIX.

Immola Deo sacrificium laudis. Ad me redeam, vbi inueniam quod immolem. Ad me redeam, in me inueniam laudis immolationem. Ara tua, conscientia tua: immola Deo sacrificium laudis. Securi sumus, non imus in Arabiã thus quærere, non sarcinas auari negotiatoris excutimus: sacrificium laudis quærit à nobis Deus. Habebat hoc sacrificiũ Zacchæus in patrimonio suo, habebat vidua in saccello suo, habebat nescio quis pauper hospes in dolio suo. Immola Deo sacrificium laudis. Et hæc immolatio, hoc sacrificiũ laudis est, gratias agere illi à quo habes quidquid boni habes, & cuius misericordia tibi dimittitur quidquid tuum mali habes. Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo preces tuas. hoc odore Dominus delectatur.

Ara, hominis conscientia.

Luc. 19.

Matth. 27.

In Psalmum L.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem vtique. In illo tempore erat Dauid, quando sacrificium victimarum animalium offerebatur Deo, & videbat hæc futura tempora. Nõne in his vocibus nos agnoscimus? Erant illa sacrificia figurata, prænuntiãtia vnum salutare sacrificium, nec nos dimissi sine sacrificio sumus, quod Deo offeram⁹. Audi enim quid dicat curam gerens pro peccato suo, & ignosci sibi volens malum quod fecit, Si voluisses sacrificium (inquit) dedissem vtique, holocaustis non delectaberis. Nihil ergo offeremus? Sic veniemus ad Deum? Et vnde illum placabimus? Offer: sanè in te habes quod offeras. Noli extrinsecus thura comparare, sed dic, In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudes tibi. Noli extrinsecus pecus quod mactes inquirere: habes in te quod occidas. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor cõtritum & humiliatum Deus nõ spernit. Prorsus spernit aurum, hircum, arietẽ: iam non est tempus vt hæc offerantur. Oblata sunt quum aliquid indicarent, cùm aliquid promitterent, venientibus repromissis, promissiones ablatæ sunt. Cor contritũ & humiliatum Deus non spernit. Nostis quia excelsus est Deus. Si te excelsum feceris, lõginquabitur à te, si te humiliaueris, propinquabit ad te. Videte quis iste sit. Vn⁹ videbatur deprecari Dauid: videte hîc imaginem nostram, & typum Ecclesiæ.

Psal. 50.

Quilibet ipse habet quod Deo offerat.

Psal. 55.

Quæstionum veteris & noui Testamenti, Quæst. CXII.

Sciens per Christum rex Dauid promissum, quod futurum erat implendum ad liberationẽ seruorum Dei, orat vt impleatur, id est, vt per fidem ædificetur Ecclesia, & liberentur sperantes de hac fide salutem. Et sequitur, Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta. Hoc dicit, quia oblationes & holocausta tunc accepta sibi haberet, quum esset Ecclesia ædificata, & non passim aut secundum omnem eõsuetudinem, sed Sacrificium (inquit) iustitiæ acceptabis. Iustum est sacrificium, quum cõdignum munus offertur. Porrò autem nihil est tam iustum sacrificium & cõdignum, nisi vt nosipsos offeramus Deo. Quia enim Deus spiritus est, spiritalia illi offerenda sunt sacrificia, vt viuo viua hostia offeratur. Quia enim dixerat, in causa peccati sacrificiis carnalibus Deũ minimè delectari, ostendit futurum, quia spiritaliter Deo offerendum erat vt hoc acceptaret: quia hæc Deo digna sunt sacrificia, hoc est, in præterito minora fuerunt, quia carnalia, nũc maiora, quia spiritalia.

Iosue. Viua Deo viua hostia offerãda.

Lib. I. contra aduersarium Legis & Prophetarum, Cap. XVIII.

Sacrificiis autem Deum non egere quis nesciat?

Sacrificijs nec fert & laudibus nostris Deus non eget.

sciat? Sed nec laudibus nostris eget. Verùm sicut nobis, non illi, vtile est offerre sacrificium Deo, & quoniam singulari & solo vero sacrificio pro nobis Christi sanguis effusus est, ideo primis temporibus ad hoc sacrificium talibus significationibus significandum & prophetandum, immaculatorũ animalium sacrificia Deꝰ sibi iussit offerri, vt quẽadmodum illa immaculata erant à corporum vitiis, ita speraretur immolãdus esse pro nobis, qui solus immaculatus fuerat à peccatis. Quæ tẽpora per Prophetam sic prænuntiantur, Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinẽ hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Et iterum in fine Psalmi, Sacrificium (inquit) laudis honorificabit me, & ibi via, qua ostendam illi salutare Dei. Iam de hoc salutari Dei, quòd ipse sit Christus, suprà commemoraui atque monstraui. Quod est autẽ sacratius laudis sacrificium, quàm in actione gratiarum? Et vnde maiores agendæ gratiæ Deo sunt, quàm pro ipsius gratia, per Iesum Christũ Dominum nostrum? Quod totũ fideles in Ecclesiæ sacrificio sciunt, cuius vmbræ fuerunt omnia priorum genera sacrificiorum, &c.

Psal. 49.

Libro X. de ciuitate Dei, Cap. I III.

Deo nos seruitutem, quæ latria Græcè dicitur, siue in quibusque sacramentis, siue in nobisipsis debemus. Huius enim templum simul omnes & singuli tẽpla sumus: quia & omnium concordiam & singulos inhabitare dignatur: non in omnibus, quàm in singulis maior, quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Quum ad illum sursum est, eius est altare cor nostrum, eius vnigenito cum sacerdote placamur: ei cruẽtas victimas cædimus, quãdo vsque ad sanguinem pro eius veritate certamus, ei suauissimũ adolemus incensum, cùm in eius conspectu pio sanctóque amore flagramus, ei dona eius in nobis nósque ipsos vouemus & reddimus, ei beneficiorum eius solẽnibus festis & diebus statutis dicamus sacramúsque memoriam, ne volumine tẽporum ingrata subrepat obliuio, ei sacramus hostiam humilitatis & laudis in ara cordis, igne feruidæ charitatis, &c.

Nosipsos Deo vouere & reddere debemus.

Eodem libro, Cap. V.

Quis autem ita desipiat, vt existimet aliquibus vtibus Dei esse necessaria quæ in sacrificiis offerunt? Quod cùm multis locis diuina Scriptura testetur, ne lõgum faciamus, breue illud de Psalmo cõmemorare sufficiat, Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum nõ eges. Nõ solùm igitur pecore vel qualibet alia re corruptibili atque terrena, sed ne ipsa quidem iustitia hominis Deum egere credendũ est, totúmque quod rectè colitur Deus, homini prodesse, non Deo. Neque enim fonti se quisquã dixerit profuisse, si biberit, aut luci, si viderit. Nec quòd ab antiquis Patribus talia sacrificia facta sunt in victimis pecorum, quæ nunc Dei populus legitimè non facit, aliud intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas, quæ aguntur in nobis, ad hoc vt inhæreamus Deo, & ad eundem finem proximo consulamus. Sacrificium ergo visibile, inuisibilis sacrificii sacramẽtum, id est, sacrum signum est. Vnde ille pœnitens apud Prophetam, vel ipse Propheta, quærẽs Deum peccatis suis habere propitium, Si voluisses (inquit) sacrificiũ, dedissem: vtique holocaustis non delectaberis. Sacrificiũ Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatũ Deus non spernit. Intueamur quemadmodum vbi dixit Deum nolle sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium. Nõ vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificiũ cõtriti cordis. Et in huius Prophetæ verbis vtrunque distinctum est, satísque declaratum, illa sacrificia nõ requirere Deum, quibus significantur hæc sacrificia, quæ requirit Deꝰ. In Epistola, quæ scribitur ad Hebræos, Bene facere, inquit, & cõmunicatores esse nolite obliuisci: talibus enim sacrificiis placatur Deus. Ac per hoc vbi scriptum est, Misericordiam magis volo quàm sacrificium, nihil aliud quàm sacrificio sacrificium prælatum oportet intelligi: quoniã illud quod ab hominibus appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii. Porrò autem misericordia verum sacrificium est, vnde dictum est, quod paulò antè commemoraui, Talibus enĩ sacrificiis placatur Deus. Quæcunque igitur in ministerio tabernaculi siue tẽpli, multis modis de sacrificiis leguntur diuinitus esse præcepta, ad dilectionem Dei & proximi significando referuntur. In his enim duobus præceptis, vt scriptum est, tota Lex pẽdet & Prophetæ.

Sacrificium visibile inuisibilis sacrificii sacramentum est

Psal. 50.

Hebr. 13.

Osee 6.

Hebr. 13.

Eodem libro, Cap. VI.

Proinde verum sacrificium est omne opus quod agitur, vt sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possumus. Vnde & ipsa misericordia, qua homini subuenitur, si propter Deum nõ fit, non est sacrificium. Etsi enim ab homine fit vel offertur, tamen sacrificium res diuina est, ita vt hoc quoque vocabulo id Latini veteres appellauerunt. Vnde ipse homo Dei nomini consecratus, & Deo deuotus, inquantum mundo moritur, vt Deo viuat, sacrificium est. Nam & hoc ad misericordiam pertinet, quam quisque in seipsum facit. Propterea scriptum est, Miserere animæ tuæ, placẽs Deo. Corpus etiam nostrum cùm per temperãtiam castigamus, si hoc quemadmodum debemus, propter Deũ facimus, vt non exhibeamus mẽbra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiæ Deo, sacrificiũ est. Ad quod exhortans Apostolus ait, Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequiũ vestrum. Si ergo corpus, quo inferiore tanquã famulo vel tanquam instrumento vtitur anima, cùm eius bonus & re-

Quid sit sacrificium.

Eccle. 30.

Rom. 6.

Rom. 12.

ctus vsus ad Deum refertur, sacrificiũ est, quãtò magis anima ipsa quum se refert ad Deum, vt igne amoris eius accensa, formam concupiscentiæ secularis amittat, eíque tanquam incõmutabili formæ subdita reformetur? Hinc ei placens, quod ex eius pulchritudine acceperit, fit sacrificium. Quod idem Apostolus consequenter adiungens, Et nolite, inquit, conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate mentis vestræ, ad probandum quæ sit voluntas Dei, quod bonum & beneplacitum & perfectum. Cùm igitur vera sacrificia opera sint misericordiæ, siue in nosipsos siue in proximos, quę referũtur ad Deũ: opera verò misericordię non ob aliud fiant, nisi vt à miseria liberemur, ac per hoc vt beati simus, quod non fit nisi à bono illo, de quo dictum est, Mihi autẽ adhærere Deo bonũ est, profectò efficitur, vt tota ipsa redempta ciuitas, hoc est, cõgregatio societasque Sanctorum, vniuersale sacrificium offeratur Deo, per sacerdotem magnum, qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, vt tanti capitis corpus essemus, secundum formam serui. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est, quia secundum hanc Mediator est, in hac sacerdos, in hac sacrificium est. Quum itaque nos hortatus esset Apostolus, vt exhibeamus corpora nostra, hostiam viuam, sanctam, Deo placẽtem, rationabile obsequium nostrum, & nõ conformemur huic seculo, sed reformemur in nouitate mentis nostræ, ad probandum quæ sit voluntas Dei, quod bonum & beneplacitum, & perfectum, quod totũ sacrificium nosipsi sumus. Dico enim (inquit) per gratiam Dei, quæ data est mihi, omnibus qui sunt in vobis, non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad temperantiam, sicut vnicuique Deus partitus est fidei mẽsuram. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem mẽbra non eosdem actus habẽt, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autẽ alter alterius mẽbra, habẽtes dona diuersa secundum gratiam, quæ data est nobis. Hoc est sacrificium Christianorum, multi vnum corpus sumus in Christo: quod etiam sacramẽto altaris fidelibus noto frequẽtat Ecclesia, vbi ei demõstratur, quòd in ea oblatione quam offert, ipsa offeratur.

Rom. 10. *Vera sacrificia opera sunt misericordiæ.* Psal. 72. Rom. 12. Nota.

Eodem libro, Cap. XX.

Vnde verus ille Mediator, inquantum formam serui accipiens, Mediator effectus est Dei & hominum, homo Christus Iesus, cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & vnus est Deus: tamen in forma serui sacrificium maluit esse quàm sumere, ne vel hac occasione, quisquam existimaret cuilibet sacrificãdum esse creaturæ. Per hoc & sacerdos est, ipse offerẽs, ipse & oblatio. Cuius rei sacramẽtum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium, quum ipsius corporis, ipse sit caput, & ipsius capitis, ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri. Huius veri sacrificii multiplicia variáque signa erant sacrificia

1. Tim. 2. Philip. 2. *Christus oblatio.*

prisca Sanctorum, quum hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt sine fastidio multum commendaretur. Huic summo veróque sacrificio, cuncta sacrificia falsa cesserunt.

Libro XX. Cap. X.

Quod Ioannes in Apocalypsi dicit, In istis secunda mors non habet potestatem, adiunxit atque ait, Sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annis: nõ vtique de solis Episcopis & presbyteris dictũ est, qui propriè iam vocantur in Ecclesia sacerdotes, sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum chrisma, sic omnes sacerdotes, quoniam membra sunt vnius sacerdotis, de quibus Apostolus Petrus, Plebs (inquit) sancta, regale sacerdotium.

Apoc. 20. *Christiani omnes sacerdotes.* 1. Petri 2.

DE MORTVORVM SEpultura.

Libro I. de ciuitate Dei, Cap. XII.

Curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt viuorum solatia, quàm subsidia mortuorum. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis aut nulla. Præclaras exequias in conspectu hominum exhibuit purpurato illi diuiti turba famulorum: sed multò clariores in conspectu Domini vlceroso illi pauperi ministerium præbuit Angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ gremium sustulerunt. Rident hæc illi, contra quos defendendam suscepimus ciuitatem Dei. Veruntamen sepulturæ curã etiam eorum Philosophi cõtempserunt: & sæpe vniuersi exercitus, dum pro terrena patria morerentur, vbi postea iacerent, vel quibus bestiis esca fierent, non curarunt. Licuítque de hac re Poetis plausibiliter dicere, Cælo tegitur, qui nõ habet vrnã. Quãtò minus debent de corporibus insepultis insultare Christianis, quibus & ipsius carnis, & membrorum omnium reformatio non solùm ex terra, verumetiam ex aliorum elementorum secretissimo sinu, quo dilapsa cadauera recesserunt, in temporis puncto reddenda & redintegranda promittitur?

Luc. 16. *Lucanus libro 7.*

Cap. XIII.

Nec ideo tamen contemnenda & abiicienda sunt corpora defunctorum, maximéque iustorum atque fidelium, quibus tanquam organis & vasis, ad omnia bona opera, sanctus vsus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid huiusmodi tãtò charius est posteris, quãtò erga parẽtes maior extitit affectus: nullo modo ipsa spernẽda sunt corpora, quæ vtiq; multò familiarius atque cõiunctius, quã quælibet indumenta gestamus. Hæc enim nõ ad ornamẽtum, vel adiutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Vnde & antiquorum iustorum funera officiosa

Quæ sit ratio sanctorũ corpora sepeliendi. Gen. 23. 25, & 47.

ficiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ,& sepultura prouisa. Ipsique dum viuerent hæc de sepeliendis vel etiam transferendis suis
Tob.2,& 12. corporibus filiis mandauerunt. Et Tobias sepeliendo mortuos, Deũ promeruisse, teste Angelo commẽdatur. Ipse quoque Dominus die
Matth.26. tertio resurrecturus, & religiosæ mulieris bonum opus prædicat prædicandúmque cõmendat, quòd vnguẽtum pretiosum super membra eius effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum
Ioan.12. fecerit. Et laudabiliter cõmemorãtur in Euangelio, qui corpus eius de cruce acceptum, diligenter atque honorificè tegẽdum sepeliẽdúmque curarunt. Verùm istæ auctoritates nõ hoc admonẽt, quòd insit vllus cadaueribus sensus, sed ad Dei prouidentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorũ pertinere significãt, propter fidem resurrectionis astruẽdam. Vbi & illud salubriter discitur, quanta possit esse remuneratio pro eleemosynis, quas viuẽtibus & sentientibus exhibemus, si neque hoc apud Deum perit, quod exanimis hominum membris, officii diligentiæque persoluitur. Sunt quidẽ & alia, quæ sancti Patriarchæ de corporibus suis, vel condendis vel trãsferendis prophetico spiritu intelligi dicta voluerunt. Non autem hic locus est, vt ea pertractemus, quum sufficiant ista quæ diximus. Sed si ea quæ sustentandis viuentibus sunt necessaria, sicut victus & amictus, quanuis cum graui afflictione desint, non frangunt in bonis perferendi tolerandíque virtutem, nec eradicant ex animo pietatem, sed exercitatã faciunt fœcundiorem: quantò magis quum desunt ea quæ curandis funeribus condẽdísque corporibus defunctorum adhiberi solent, non efficiunt miseros in occultis piorum sedibus iã quietos? Ac per hoc quando ista cadaueribus Christianorum in illa magnæ vrbis vel etiam aliorum oppidorum vastatione defuerunt, nec viuorũ culpa est, qui nõ potuerunt ista præbere, nec pœna mortuorum, qui non possunt ista sentire.

Libro XIX. Cap. VIII.

Quorum nos vita propter amicitiæ specialis solatia delectabat, vnde fieri potest, vt eorũ mors nullã nobis ingerat mœstitudinẽ? Quam qui prohibet, prohibeat si potest amica colloquia, interdicat amicabilem societatem, vel intercidat affectum omnium humanarum necessitudinum: vincula mentis immitis immiti stupore dirumpat, aut sic eis vtendum censeat, vt nulla ex eis animum dulcedo perfundat. Quod
Impossibile est vt nobis illius amara mors nõ sit, cuius dulcis erat vita. fieri nullo modo potest. Etiam hoc quo pacto futurum est, vt eius nobis amara mors non sit, cuius dulcis est vita? Hinc est enĩ & luctus quidam in humano corde, quasi vulnus aut vlcus, cui sanando adhibentur officiosæ consolationes. Non enim propterea nõ est quod sanetur, quoniam quantò est animus melior, tãtò in eò citius faciliúsque sanatur. Quum igitur etiam d: charissimorum mortibus, maximè quorum sunt humanæ societati officia necessaria, nunc mitius, nũc asperius affligatur vita mortalium: mortuos tamen eos quos diligimus, quanuis vel à fide vel à bonis moribus lapsos, hoc est, in ipsa anima mortuos, audire seu videre mallemus. Qua ingenti materia malorum plena est terra: propter quod scriptum est, Nunquid nõ *Iob.7.* tẽtatio est vita humana super terrã? Et propter quod ipse Dominus ait, Væ mundo à scãdalis. *Matth.18.*

In Psalmum XLVIII.

Et sepulchra eorum domus eorum in æter- *Psal.48.* num. Iã quia ista structa sunt sepulchra, domus sunt sepulchra. Nam plerunque audis diuitem dicentem, Habeo marmoratam domum, quam relicturus sum, & non cogito mihi æternam domum vbi semper ero. Quando cogitat sibi memoriam marmoratam aut exsculptam facere, quasi de domo æterna cogitat, quasi ibi manebat ille diues. Si ibi maneret, non arderet apud *Luc.16.* inferos. Vbi maneat ille spiritus malè agentis, non vbi ponatur corpus mortale, cogitandum est. Sed domus eorum sepulchra eorum in æternum. Tabernacula eorum in generatione & generationem. Tabernacula in quibus temporaliter mãserunt, domus in quibus quasi in æternum manebunt, id est, sepulchra. Tabernacula ergo suis dimittunt, vbi manebant quum viuerent, transeunt quasi ad domus æternas ad sepulchra. Quid illis prosunt tabernacula eorũ in generatione & generationẽ? Iam generatio & generatio puta filii sunt, nepotes erunt & pnepotes: quid faciunt? Quid prosunt tabernacula eorum? Quid? Audi. Inuocabunt nomina eorum in terris ipsorũ. Quid est hoc? Tollunt panem & merum ad sepulchra, & inuocant ibi nomina mortuorum. Putas quantum est inuocatum nomen illius diuitis, postea quando inebriabãt se homines in memoria ipsius, nec descendebat vna gutta super linguã ipsius ardentem? Ventri suo seruiũt homines, nõ spiritibus suorum. Ad spiritus mortuorũ suorum nõ per- *Ad mortuos nihil peruenit, nisi quod viuo fecerunt.* uenit, nisi quod secũ viui fecerũt. Si autẽ viui non secum fecerũt, ad mortuos nihil peruenit.

Libro IX. Confessionum, Cap. XI.

Quum ægrotaret quodam die mater mea, *De sepultura matris Augustini.* defectum animæ passa est, & paululùm subtracta à præsentibus. Nos concurrimus. Sed citò reddita est sensui, & aspexit astantes me & fratrem meum, & ait nobis, quasi quærẽti similis, Vbi eram? Deinde nos intuens mœrore attonitos, Ponetis (inquit) hic matrem vestram. Ego silebam, & fletum frænabam. Frater autẽ meus quiddam locutus est, quo eam non peregrè, sed in patria defungi, tãquã felicius optaret. Quo audito, illa vultu anxio reuerberans eum oculis, quòd talia saperet, atque inde me intuens, Vide, ait, quid dicit. Et mox ambobus, Ponite, inquit, hoc corpus vbicũque, nihil vos eius cura cõturbet. Ego verò cogitans dona tua, Deus me⁹ inuisibilis, quæ immittis in corda fidelium tuorum, & proueniunt inde fruges admirabiles, gaudebam & gratias agebam tibi, recolens

quod noueram, quanta cura semper æstuasset de sepulchro, quod sibi prouiderat & præparauerat iuxta corpus viri sui. Quia enim valde concorditer vixerant, id etiam volebat (vt est animus humanus minus capax diuinorum) adiungi ad illam felicitatem, & commemorari ab hominibus, concessum sibi esse post transmarinã peregrinationẽ, vt cõiuncta corpora amborum cõiugum terra tegerẽtur. Quando autem ista inanitas plenitudine bonitatis tuæ cœperat in eius corde nõ esse, nescibã, & lætabar admirans quòd sic mihi apparuisset, quãquam & illo sermone nostro ad fenestram, cùm dixit, Iam quid hîc facio? non apparuit desyderare in patria mori. Audiui etiã postea, quòd iam cùm Ostiis essemus, cum quibusdam amicis meis materna fiducia colloquebatur quodam die de cõtemptu huius vitæ & bono mortis, vbi ipse non aderam. Illísque stupentibus virtutem fœminæ, quam tu dederas ei, quærentibus vtrùm non formidaret tam lõgè à ciuitate sua corpus relinquere, Nihil, inquit, longè est Deo, neque timendum est ne ille non agnoscat in fine seculi vnde me resuscitet.

In libro de cura pro mortuis gerenda, Cap. II.

Sed vtrùm aliquid prosit animæ mortui, locus corporis sui, operosius inquirendũ est. Ac primùm vtrùm interfit aliquid, ad inferendam vel augendam miseriam post hanc vitam spiritibus hominum, si eorum corpora sepulta non fuerint, non secundum opinionem vtcunque vulgatam, sed potius secundum religionis nostræ sacras literas, est videndum. Neque enim credẽdum est, sicut apud Maronem legitur, insepultos nauigando atque transeundo inferni amne prohiberi, quia scilicet

Virgilius 6. Æneid. Nec ripas datur horrẽdas, nec rauca fluẽta
Trãsportare, priusquã sedib⁹ ossa quierũt.

Quis cor Christianum inclinet his poeticis fabulosíssque figmentis, quum Dominus Iesus, vt inter inimicorum manus, qui eorum corpora in potestate haberẽt, securi occumberent Christiani, nec capillum capitis eorum asserat periturum, exhortans ne timeant eos qui

Matth. 10. quum corpus occiderint, amplius non habent quid faciant?

Cap. V.

Vbicunque enim iaceat, vel non iaceat defuncti caro, spiritui requies acquirẽda est. Qui quum inde exiret, secum abstulit sensum, quo intersse possit, quomodo quisq; sit, siue in bonis, siue in malis, nec ab ea carne expectat adiuuari vitam suam, cui præbebat ipse vitam, quam detraxit excedens, & redditurus est rediens: quoniam non caro spiritui, sed spiritus carni etiam ipsius resurrectionis meritum cõparat, vtrùm ad pœnã an ad gloriã reuiuiscat.

Cap. VI.

Legimus in Ecclesiastica historia, quã Græcè scripsit Eusebius, & in Latinam linguã vertit Rufinus, Martyrũ corpora in Gallia canibus exposita: canúmque reliquias atque ossa mortuorum, vsque ad extremam consumptionem ignibus concremata, eosdémque cineres fluuio Rhodano, ne quid ad memoriam qualécunque relinqueretur, insperses. Quod nõ ob aliud credendum est diuinitus fuisse permissum, nisi vt discerent Christiani, in confitendo Christum, dum contemnunt hanc vitam, multò magis contemnere sepulturam. Hoc enim quod ingenti sæuitia de corporibus Martyrũ factum est, si eis quidquam noceret, quò minus beatè requiescerent eorum victoriosíssimi spiritus, non vtique fieri sineretur. Reipsa ergo declaratum est, nõ ideo dixisse Dominum, Nolite timere eos qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant, quòd non esset permissurus aliquid eos facere de suorum corporibus mortuorum: sed quoniam quidquid facere permissi essẽt, nihil quo minueretur Christiana defunctorum felicitas fieret, nihil inde ad sensum post mortem viuentium peruenireret, nihil ad detrimentum, saltem ipsorum corporum, quò minus integra resurgerent, pertineret.

De sanctorum corpori in Gallias combustis.

Luc. 12.

Libro I. de consolatione mortuorum, Cap. IIII.

Sed dicet aliquis, Prohibes lugere mortuos, quum & Patriarchæ plorati sint, & Moses ille famulus Dei, & multi inde Prophetæ: præsertim quum Iob quoque iustíssimus suam plagam super filiorum conscideret necem? Nõ ego prohibeo lugere mortuos, sed Gentium illuminator Paulus, qui sic ait, Nolo vos ignorare, fratres, de dormientibus, vt non tristes sitis, sicut & cæteri qui spem non habent. Non potest Euangelii claritas obscurari, siue quia ii qui ante Legẽ aut sub Legis vmbra positi fuerant, suos mortuos flebant. Meritò flebant, quia adhuc sententia permanebat. Sed dices, In Euangelio ecce legitur Archisynagogi deploratam filiam, & sorores Lazari Lazarum fleuisse. Sed & illi adhuc secundum veterem legem sapiebant, qui necdum à mortuis Christum resurrexisse conspexerant. Fleuit planè & ipse Dominus Lazarum iam sepultum: non vtique vt flendi mortuos formam daret, sed vt se per lachrymas verũ corpus assumpsisse monstraret: vel certè fleuit amore humano Iudæos, qui nec Dei signo monstrato, erant in eum credituri.

Paulus lugeri vetat mortuos. 1. Thess. 4.

Matth. 9. Ioan. 11.

Cap. V. eodem libro.

Habuerunt ergo veteres suum morem sumámque fragilitatem, Christi aduentum præcedentes. Iam ex quo Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, ex quo primi Adæ datam sententiam Adam nouissimus soluit, ex quo nostram mortem sua morte destruxit, & ab inferis tertia die resurrexit Dominus: iam nõ est terribilis mors fidelibus, non timetur occasus, quia

Causa luctus non habent homines nouis Testamenti.

quia Oriens venit ex alto. Clamat ipse Dominus qui mentiri nescit, Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiã si mortuus fuerit viuet, & omnis viuens & credens in me, mortem nõ videbit inæternum. Itẽ, Qui credit in Christo, & eius mandata custodit, etiam si mortuus fuerit viuet. Itẽ, Nolo vos fratres, ignorare de dormientibus, vt non tristes sitis. Item, Mihi (inquit) viuere Christus est, & mori lucrum.

Ioan. 11.
1. Thess. 4.
Philip. 1.

Libro II. de consolatione mortuorum, Cap. V.

Supereſt vt vnum de veteribus exemplum proferam, quod omnem consolationem faciat, quod etiam patentibus cordis auribus volo omnes audire. Si Dauid rex ille, qui adhuc sub Lege positus erat, sub illa non dico licentia, sed necessitate lamentationis, sic animum à luctu irrationabili superauit, sic tristitiam suam suorúmque compescuit: nos qui sub gratia sumus, sub certa spe resurrectionis, quibus omnis tristitia interdicta est, qua frõte mortuos nostros gentilium more plangimus, vlulatus insanos attolimus, veluti alio genere bacchantes, cùm scissis tunicis pectora nudamus, verba inania, & nænias circa corpus & tumulum defuncti cãtamus? Postremò etiam qua ratione vestes nigras tingimus, nisi quos verè infideles & miseros non tantùm fletibus, sed etiam vestibus approbemus? Aliena sunt ista fratres, extranea sunt: non licent, & si licerent non decent. Sed aliquantos de fratribus & sororibus, licet fides propria & præceptum Domini fortes faciat, parentum tamen & vicinorum opinio debilitat & frãgit, ne lapidei & crudeles iudicentur, si pepercerint vestimento, si non fuerint insanis luctibus debacchati. Et hoc quàm vanum est, & quàm ineptum, opiniones hominum errantium cogitare, & non timere ne quid minus de fide faciat quam susceptit?

2. Reg. 12. *Ab exemplo quòd mortuis sunt lugendi.*

De verbis Apostoli, Sermo. XXXII.

Admonet nos beatus Apostolus, vt de dormientibus, hoc est, mortuis dormientibus charissimis nostris non cõtristemur, sicut & cæteri qui spem non habent, spem scilicet resurrectionis & incorruptionis æterne. Nam ideo & dormientes eos appellat veracissima Scripturæ cõsuetudo, vt quum dormientes audimus, euigilaturos minimè desperemus. Vnde etiam cantatur in Psalmo, Nunquid qui dormit non adiiciet vt resurgat? Est ergo de mortuis eis qui diliguntur, quædam tristitia quodammodo naturalis. Mortem quippe horret, nõ opinio, sed natura. Nec mors homini accideret, nisi ex pœna quam præcesserat culpa. Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus, necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi. Inde angimur, hinc consolamur. Inde infirmitas afficit, hinc fides reficit. Inde dolet humana conditio, hinc sanat diuina promissio. Proinde pompa funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta constructio, viuorum sunt qualiacunque solatia, non adiutoria mortuorum. Permittantur itaque pia corda charorum de suorum mortibus cõtristari dolore sanabili, & cõsolabiles lachrymas fundant conditione mortali, quas citò reprimat fidei gaudium, qua credunt fideles quando moriuntur, paululùm à nobis abire, & ad meliora transire. Consolentur eos etiam fraterna obsequia, siue quæ funeribus exhibentur, siue quę dolentibus adhibentur, ne sit iusta querela dicentium, Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit, & consolantes, & non inueni. Sit pro viribus cura sepeliendi, & sepulchra construẽdi: quia & hæc in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sũt. Nec solùm in corporibus Patriarcharum aliorúmque sanctorum, & humanis cadaueribus quoruncunque iacentium, verumetiam in ipsius Domini corpore, prædicati atque collaudati sunt, qui ista fecerunt. Impleant hæc homines erga suos officia postremi muneris, vt sui humani lenimenta mœroris.

Psal. 68.
Gene. 49.
Ioan. 19.

Quomodo contristandum in amicorũ morte

DE ANTICHRISTO.

In Psalmum IX.

Constitue legislatorem super eos, Domine. Videtur mihi Antichristum significare, de quo Apostolus dicit, Quum reuelabitur homo peccati. Vt sciant gentes quoniam homines sunt: vt qui nolunt liberari à Filio Dei, & pertinere ad Filium hominis, & esse filii hominum, id est, noui homines, seruiant homini, id est, veteri homini peccatori, quoniam homines sunt. Et quia ille ad tantum culmen inanis gloriæ venturus creditur, tanta ei licebit facere, & in omnes homines, & in Sanctos Dei, vt tunc verè nonnulli infirmi arbitrentur Deum res humanas negligere. Hic Antichristus vsque adeò beatus videbitur hominibus, vt etiam Deus putetur. Item, quòd reges omnes superaturus sit, & solus regnum obtenturus, quando etiam secundum Apostolum, qui de illo prædicat, in templo Dei sedebit, extollens se super omne quod colitur, & quod dicitur Deus. Et quoniam traditus in concupiscentiam cordis sui, & damnationi vltimæ destinatus, per nefarias artes ad illud vanum & inane culmen dominationémque venturus est, vim habebit in imperio, dolum in miraculis.

2. Thess. 2.
Qui nolũt liberari per Christum, traduntur Antichristo.
2. Thess. 2.

Libro XVIII. de ciuitate Dei, Cap. LIII.

Illam sanè nouissimam persecutionem, quæ ab Antichristo futura est, præsẽtia sua ipse extinguet Iesus. Sic enim scriptũ est, Quòd eum interficiet spiritu oris sui, & euacuabit illuminatione præsentiæ suæ. Hìc quæri solet, quando istud erit. Importunè omnino. Si enim hoc nobis nosse prodesset, à quo melius quàm ab ipso Deo magistro, interrogantibus discipulis diceretur? Non enim siluerunt inde apud

2. Thess. 2.
Antichristiana persecutionis tẽpus occultũ

Act.1. eum, sed à præsente quæsierunt dicētes, Domine, si in hoc tēpore repræsētabis regnum Israel? At ille, Nō est, inquit, vestrum nosse tempora, quæ Pater in sua posuit potestate. Non vtique illi de hora, vel de die, vel de anno, sed de tēpore interrogauerant, quando illud accepere responsum. Frustra igitur annos qui huic seculo remanent, cōputare ac definire conamur, cùm hoc scire non esse nostrum ex ore veritatis audiamus. Quos tamen alii quadringentos, alii quingentos, alii etiam mille ab ascensione Domini, vsque ad eius vltimum aduentum, cōpleri posse dixerunt. Quemadmodum autē quisque eorum astruat opinionem suam, longum est demonstrare, & non necessarium. Coniecturis quippe vtuntur humanis, nō ab eis certum aliquid de Scripturæ canonicæ auctoritate ꝓfertur. Omnium verò de hac re calculantium digitos resoluit, & quiescere iubet ille qui dicit, Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate.

Libro XX. Cap. XIX.

Multas tamen Euangelicas Apostolicásque sententias de diuino isto iudicio nouissimo, video mihi esse prætereundas, ne hoc volumē in nimiam longitudinem prouoluatur. Sed nullo modo est prætereundus Apostolus Paulus,
2. Thess. 2. qui scribens ad Thessalonicenses, Rogamus (inquit) vos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostræ congregationis in ipsum, vt nō citò moueamini mente, neque terreamini, neque per Spiritum, neque per verbum, neque per epistolam, tanquā per nos missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat vllo modo: quoniam nisi venerit refuga primùm, & reuelat° fuerit homo peccati, filius interitus, qui aduersatur, & superextollitur supra omne quod dicitur De°, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostentās se tanquā sit Deus. Non retinetis in memoria, quòd adhuc cùm essem apud vos, hæc dicebā vobis? Et nūc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tēpore. Iā enim mysterium iniquitatis operatur. tātùm qui modò tenet, teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur iniquus ille, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & euacuabit illuminatione præsentiæ suæ eum cuius est præsentia secundum operationem satanæ, in omni virtute & signis & prodigiis mendacii, & in omni seductione iniquitatis, iis qui pereunt, pro eo quòd dilectionem veritatis nō receperunt, vt salui fierent. Et ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed cōsenserunt iniquitati. Nulli dubium est eum de Antichristo ista dixisse, diéque iudicii. Hunc enim appellat diem Domini non esse venturum, nisi ille prior venerit quem refugam vocat, vtique à Domino Deo.
Incertum esse in quo templo sessurus Antichristus sit. Quod si de omnibus impiis dici meritò potest, quantò magis de isto? Sed in quo templo Dei, vt Deus sit sessurus, incertum est: vtrùm in illa ruina templi, quod à Salomone rege cōstructum est, an verò in Ecclesia. Non enim tēplum alicuius idôli aut dæmonis, templum Dei Apostolus diceret. Vnde nonnulli, non ipsum principem, sed vniuersum quodammodo corpus eius, id est, ad eum pertinentem hominum multitudinē, simul cum ipso suo principe, hoc loco intelligi Antichristum volunt. Rectiúsque putant etiam Latinè dici sicut in Græco est, non in templo Dei, sed in templum Dei sedeat, tanquam ipse sit templum Dei, quod est Ecclesia sicut dicimus, Sedet in amicum, id est, velut amicus, vel si quid aliud isto locutionis genere dici solet. Quod autem ait, Et nunc 2. Thess. 2. quid detineat scitis, id est, quid sit in mora, quæ causa sit dilationis eius, vt reueletur in suo tempore scitis: quoniam scire illos dixit, apertè hoc dicere noluit. Et ideo nos qui nescimus quod illi sciebant, peruenire cum labore ad id quod sensit Apostolus cupimus, nec valemus: præsertim quia & illa quæ addidit, hunc sensum faciunt obscuriorem. Nam quid est, Iam enim mysterium iniquitatis operatur: tantùm qui modò tenet teneat, donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus? Ego prorsus quid dixerit me fateor ignorare. Suspiciones tamen hominum, quas vel audire, vel legere de hac re potui, non tacebo. Quidam putant hoc de imperio dictum fuisse Romano, & propterea Paulum Apostolum, non id apertè scribere voluisse, ne calumniam videlicet incurreret, quasi Romano imperio malè optauerit, quum speraretur æternum: vt hoc quod dixit, Iam enim mysterium iniquitatis operatur, Neronem voluerit intelligi, *Opiniones de Antichristo.* cuius iam facta velut Antichristi videbantur. Vnde nonnulli ipsum resurrecturum & futurum Antichristum suspicantur. Alii verò nec eum occisum putant, sed subtractum potius, vt putaretur occisus, & viuum occultari in vigore ipsius ætatis in qua fuit, quum crederetur extinctus, donec suo tempore reueletur, & restituatur in regnum. Sed multùm mihi mira est hæc opinantium tanta præsumptio. Illud tamen quod ait Apostolus, Tantùm qui modò tenet teneat, donec de medio fiat: non absurdè de ipso Romano imperio creditur dictum, tanquam dictum sit, Tantùm qui modò imperat imperet, donec de medio fiat, id est, de medio tollatur. Et tunc reuelabitur iniquus, 2. Thess. 2. quem significari Antichristum nullus ambigit. Non veniet ad viuos & mortuos iudicandos Christus, nisi prius venerit ad seducendos in anima mortuos aduersarius eius Antichristus: quāuis ad occultū iā iudicium Dei pertineat, quod ab illo seducētur. Præsētia quippe eius erit, sicut dictū est, secundum operationē satanæ in omni virtute & signis & prodigiis mēdacii, & in omni seductione iniquitatis, iis qui pereūt. Tūc enim soluetur satanas, & per illū Antichristū in omni sua virtute mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur. Quod solet Apoc. 20.

ambigi

ambigi, vtrũ propterea dicta sint signa & prodigia mendacii, quoniam mortales sensus per phãtasmata decepturus est, vt quod non facit, facere videatur: an quia illaipsa etiam si erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent, credituros non ea potuisse nisi diuinitus fieri, virtutem diaboli nescientes, maximè quando tantam quantam nunquam habuit, accipiet potestatem. Non enim quando de cælis ignis cecidit, & tantam familiam cum tantis gregibus pecorum sancti Iob vno impetu absumpsit, & turbo irruens & domum deiiciens, filios eius occidit, phantasmata fuerunt, quæ tamen fuerunt opera satanæ, cui Deus dederat hanc potestatem. Propter quid horum ergo dicta sint prodigia & signa mendacii, tunc potius apparebit. Sed propter quodlibet horum dictum sit, seducentur eis signis & prodigiis qui seduci merebuntur, pro eo quod dilectionẽ veritatis (inquit) nõ receperunt, vt salui fierẽt. Nec dubitauit Apostolus addere & dicere, Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mẽdacio. Deus enim mittet, quia Deus diabolum ista facere permittet iusto ipsius iudicio, quanuis faciat ille iniquo malignóque cõsilio.

Iob. 1.

2. Thess. 2.

In Euangelium Ioannis, Tractatu XXIX. Cap. VII.

Qui à semetipso loquitur, gloriam propriã quærit. Hoc erit ille qui vocatur Antichristus, extollens se, sicut Apostolus ait, supra omne quod dicitur Deus, & quod colitur. Ipsũ quippe annuntians Dominus, gloriam suam quæsiturum, non gloriam Patris, ait ad Iudæos, Ego veni in nomine Patris mei, & non suscepistis me: alius veniet in nomine suo, & hunc suscipietis. Significauit eos Antichristum suscepturos, qui gloriam nominis sui quæsiturus est, inflatus non solidus, & ideo non stabilis sed vtique ruinosus. In ipso iniustitia est, & verax nõ est, quia gloriam suam quæsiturus est, non eius à quo missus est: nõ enim est missus, sed venire permissus. Omnes ergo pertinentes ad corpus Christi, ne inducamur in laqueos Antichristi, non quæramus gloriam nostram, sed si ille quęsiuit gloriam eius, qui eum misit, quantò magis nos eius qui nos fecit?

2. Thess. 2.

Ioan. 5.

In Epistolam Ioannis, Tractatu III.

Antichristus quid significet.

Latinè Antichristus cõtrarius dicitur Christo. Non quomodo nonnulli intelligunt Antechristum ideo dictum, quòd ante Christum venturus sit, id est, post eum venturus sit Christus. Non sic dicitur, non sic scribitur, sed Antichristus, id est, contrarius Christo. Iam quis sit contrarius Christo, nunc aduertetis ipso exponente, & intelligetis non posse exire foras nisi Antichristos. Eos autẽ qui non sunt Christo cõtrarii, foras exire nullo modo posse. Qui enim non est Christo contrarius, in corpore ipsius hæret, & membrum computatur.

Ibidem post pauca.

Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis: nã si fuissent ex nobis, permãsissent vtique nobiscum. Hinc ergo videat charitas vestra, quia multi qui nõ sunt ex nobis, accipiunt nobiscũ Sacramẽta, accipiunt nobiscum Baptismũ, accipiunt nobiscum quod norunt fideles se accipere, benedictionem, Eucharistiã, & quidquid in Sacramẽtis sanctis est. Ipsius altaris cõmunicationem accipiunt nobiscum, & non sunt ex nobis. Tentatio probat, quia non sunt ex nobis. Quando illis tentatio venerit, velut occasione venti volant foras, quia grana non erant.

Ibidem.

Omnibus malis lapis offensionis est Christus: quidquid dicit Christus amarum est illis. Etenim audite & videte. Omnes certè qui exeunt de Ecclesia, & ab vnitate Ecclesiæ præciduntur, Antichristi sunt. Nemo dubitat: ipse enim designauit, Ex nobis exierunt, sed nõ erãt ex nobis. Nam si fuissẽt ex nobis, permãsissent vtique nobiscum. Quicunque ergo nõ manẽt nobiscum, sed exeunt ex nobis, manifestum est quòd Antichristi sunt. Et quomodo probãtur Antichristi? Ex mendacio. Et quis est mendax, nisi qui negat quoniam Iesus est Christus? Interrogemus hæreticos. Quem inuenis hæreticum, qui negat quia Iesus non est Christus? Videat charitas vestra magnum sacramentũ. Attendite quid inspirauerit nobis Deus, & quid insinuare nobis velit. Ecce exierunt à nobis, & facti sunt Donatistæ. Interrogemus eos, vtrùm Iesus sit Christus: statim confitentur quia Iesus Christus est. Si ergo ille est Antichrist⁹ qui negat Iesum esse Christum, nec nos possunt illi dicere Antichristos, nec nos illos: quia & nos confitemur, & illi. Si ergo nec illi nos dicunt, nec nos illos: ergo nec illi à nobis exierunt nec nos ab ipsis. Si ergo non à nobis exiuimus, in vnitate sumus. Si in vnitate sumus, quid faciunt in hac ciuitate duo altaria? Quid faciunt diuisæ domus, diuisa coniugia? Quid facit cõmunis lect⁹, & diuisus Christus? Admonet nos, vult nos fateri quod verum est. An ipsi à nobis exierunt, aut nos ab ipsis? Sed absit vt nos ab ipsis. Habemus enim Testamentum Dominicæ hæreditatis: recitamus & ibi nos inuenimus, Dabo tibi Gentes hæreditatem tuã, & possessionem tuam terminos terræ. Tenemus hæreditatem Christi. Illi eam non tenent, non communicant orbi terrarum, nõ cõmunicant vniuersitati redẽptæ sanguine Domini. Habemus ipsum Dominum resurgentem à mortuis, qui se dubitantibus manibus discipulorũ præbuit palpandum. Et cùm adhuc illi dubitarẽt, ait illis, Oportebat Christum pati, & resurgere tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitẽtiã & remissionẽ peccatorum. Vbi? Quâ? Quib⁹? Per omnes Gentes, incipiẽtes ab Hierusalem. Securi sum⁹ de vnitate hæreditatis. Quisquis huic hæreditati nõ cõmunicat, foras exiit. Sed non contristemur: ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Si ergo ex nobis

Antichristus probatur ex mẽdacio.

Psal. 2.

Luc. 24.

exierunt, Antichristi sunt. Si Antichristi sunt, mendaces sunt. Si mendaces sunt, negãt Iesum esse Christum. Iterum redimus ad difficultatẽ quæstionis. Singulos interroga, cõfitentur Iesum esse Christum. Coarctat nos angustus intellectus in hac epistola. Videtis certè quæstionem. Hæc quæstio & nos & ipsos turbat, si non intelligatur. Aut nos sumus Antichristi, aut illi sunt Antichristi. Illi nos Antichristos vocãt, & dicunt quòd exiuimus ab eis, nos illos similiter. Sed designauit hæc epistola Antichristos, Quicunque negat quòd Iesus nõ sit Christus, ipse est Antichristus. Iam ergo quæramus quis neget, & non attendamus ad linguam sed ad facta. Si enim omnes interrogentur, omnes vno ore confitentur Iesum esse Christum. Quiescat paululùm lingua, vitam interroga. Si inueneritis hoc, si ipsa Scriptura nobis dixerit, quia negatio eorum non tãtùm lingua fit, sed etiam factis: certè inuenimus multos Antichristos, qui ore confitentur Christum, & moribus dissentiunt à Christo. Vbi inuenimus hoc in Scriptura? Paulum audi Apostolum, de talib⁹ cùm loqueretur, ait, Confitentur enim se nosse Deum, factis autẽ negant. Inuenimus & ipsos Antichristos: quisquis factis negat Christum, Antichristus est. Iam ergo, fratres, si facta interroganda sunt, non solùm multos inuenimus Antichristos foras exisse, sed multos nondum manifestos qui foras exierunt. Quotquot enim habet Ecclesia periuros, fraudatores, adulteros, ebriosos, fœneratores, mangones, & omnia quæ numerare non possumus, si contraria sunt doctrinæ Christi, cõtraria sunt verbo Dei. Verbum autem Dei Christus est. Quidquid contrarium est Verbo Dei, in Antichristo est: Antichristus enim contrarius est Christo.

Vide.

In Tractatu de Antichristo.

Antichristus in cunctis Christo contrarius.

De Antichristo scire volentes, primò notabitis, quare sic vocatus sit. Ideo scilicet quia Christo in cunctis cõtrarius erit, & Christo cõtraria faciet. Christus venit humilis, ille veniet superbus. Christus venit humiles erigere, peccatores iustificare, ille ecõtra humiles deiiciet, peccatores magnificabit, impios exaltabit, semperque vitia quæ sunt contraria virtutibus docebit. Legem Euangelicam disipabit, dæmonum culturã in mundo renouabit vel reuocabit. Gloriã vanã quærẽs, omnipotentẽ Deum se nominabit. Hic itaque Antichristus multos habet suæ malignitatis ministros, ex quib⁹ multi in mũdo præcesserũt, qualis fuit Antiochus, Nero, Domitianus. Nos quoque nostro tẽpore Antichristos multos nouimus esse. Habebit autẽ Antichrist⁹ magos, maleficos, diuinos, incantatores, qui eũ diabolo inspirãte nutriẽt, & docebunt in omni iniquitate, falsitate & nefaria arte, & maligni spiritus erunt duces eius, & socii semper & comites indiuisi.

Post pauca ibidem.

Tempus quidem quando Antichristus veniat, vel quando dies iudicii apparere incipiat, Paulus in epistola ad Thessalonicẽses dicens, Rogamus vos per aduẽtum Domini nostri Iesu Christi, manifestat eo loco vbi ait, Quoniã nisi venerit discessio primùm, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, &c. Scimus enim quoniam post regnum Græcorũ, siue etiã post regnũ Persarũ, ex quib⁹ vnũquodque suo tẽpore magna gloria viguit, & maxima potẽtia floruit: ad vltimũ quoque post cætera regna, regnum Romanorum cœpit, quod fortissimum omnium regnorum superiorum fuit, & omnia regna terrarum sub dominatione sua habuit, omnésque populorum nationes Romanis subiacuerunt, & eis sub tributo seruierunt. Inde ergo dicit Apostolus Paulus, Antichristum nõ antea in mundum esse vẽturum, nisi venerit primùm discessio, hoc est, nisi discesserint omnia regna à Romano imperio, quæ pri⁹ subdita erant. Hoc autem tempus nõdum aduenit, quia licet videamus Romanum imperium ex maxima parte destructum, tamẽ quandiu reges Frãcorum durauerint, qui Romanum imperium tenere debent, Romana dignitas ex toto non peribit, quia in regibus suis stabit.

2. Thess. 2.

Romano imperio deficiente Antichristum regnaturum.

DE RESVRRECTIONE mortuorum.

Libro X. de ciuitate Dei, Cap. XXIX.

Qualia Sanctorum corpora in resurrectione futura sint, potest aliquãtò scrupulosius inter Christianarũ scripturarum doctissimos disputari, futura tamẽ sẽpiterna minimè dubitam⁹, & talia futura, quale sua resurrectione Christus demõstrauit exẽplũ. Sed qualiacunq; sint, cùm incorruptibilia prorsus & immortalia in nullóque animæ contemplationẽ, qua in Deũ figitur, impedimẽtia prædicẽtur, vósq; etiã Philosophi dicatis esse in cælestib⁹ immortalia corpora immortaliter beatorũ, quid est quòd ¦vt beati simus omne corpus fugiẽdum esse opinamini, vt fidem Christianã quasi rationabiliter fugere videamini, nisi quia illud est quod iterũ dico, Christus est humilis, vos superbi?

Corpora sanctorum qualia in resurrectione futura sint, scrupulosius à doctis disputantur.

Libro XIII. Cap. XX.

Proinde nunc Sanctorum animæ defunctorum, ideo nõ habent grauem mortem qua sepa ratæ sunt à corporibus suis, quia caro eorũ requiescit in spe, quanlibet sine vllo iam sensu cõtumelias accepisse videantur. Non enim sicut Platoni visũ est, corpora obliuione desyderãt: sed potius quia meminerunt quid sibi ab eo sit promissum, qui neminem fallit, qui eis etiã de capillorũ suorũ integritate securitatem dedit, resurrectionẽ corporum, in quibus multa dura perpessi sunt, nihil in eis vlteri⁹ tale sensuri, desyderabiliter & patienter expectant. Si enim carnem suam non oderant, quando eam suæ menti infirmitate resistentẽ spiritali iure coercebant, quantò magis eam diligunt, etiã ipsam spiritalem futuram? Sicut enim spiritus carni seruiens,

De qualitate sanctorum in resurrectione.

seruiens, non incongruè carnalis, ita caro spiritui seruiens, rectè appellatur spiritalis, non quòd in spiritum conuertatur, sicut nonnulli 1.Cor.15. putãt, ex eo quod scriptum est, Seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale: sed quia Spiritui summa & mirabili obtemperandi facilitate subdetur, vsque ad implendam immortalitatis indissolubilis securissimã voluntatẽ, omni molestiæ sensu, omni corruptibilitate & tarditate detracta. Nõ solùm enim nõ erit tale quale nũc est in quauis optima valetudine, sed nec tale quidẽ quale fuit in primis hominibus ante peccatum. Qui licet morituri non essent nisi peccassent, alimẽtis tamẽ vt homines vtebãtur nondũ spiritalia, sed adhuc animalia corpora terrena gestãtes. Quæ senio non veterascerent, vt necessitate perducerentur ad mortem.

Eodem libro, Capit. XXII.

Corpora ergo iustorum, quę in resurrectione futura sunt, neque vllo ligno indigebunt, quo fiat vt nullo morbo vel senectute inuetera ta moriantur, neque vllis aliis corporalibus alimentis, quibus esuriendi atque sitiendi qualiscunque molestia deuitetur: quoniã certo & omnimodo inuiolabili munere immortalitatis induẽtur, vt nõ nisi velint, possibilitate nõ necessitate vescãtur. Quod Angeli quoque visibiliter & tractabiliter apparẽtes, nõ quia indigebãt, sed quia volebãt & poterãt, vt hominib⁹ cõgruerẽt, sui ministerii quadã humanitate fecerunt. Non enim potestas, sed egestas edendi ac bibẽdi talibus corporibus auferetur. Vnde & spiritalia erunt, non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu viuificante subsistent.

Corpora post resurrectionem nec violabili munere immortalitatis induentur.

Cap. XXIII.

Nam sicut ista quæ habent animam viuentem, nondum spiritum viuificantem, animalia dicuntur corpora, nec tamẽ animæ sunt, ita illa spiritalia vocãtur corpora. Absit tamen vt spiritus ea credamus futura, sed corpora carnis habitura substistentiam, sed nullam tarditatem, corruptionémque carnalem spiritu viuificante passura. Tunc iam non terrenus, sed cæ lestis homo erit: nõ quia corpus quod de terra factum est, nõ ipsum erit, sed quia dono cælesti iam tale erit, vt etiã cælo incolendo, non amissa natura, sed mutata qualitate conueniat.

Animalia corpora quæ dicãtur.

Lib. XX. Cap. VI.

Sicut ergo duæ sunt regenerationes, de quibus iam suprà locutus sum, vna quæ secundum fidem est, quæ nunc fit per Baptismum: alia secundum carnem, quæ fiet in eius incorruptione atque immortalitate per iudicium magnum atque nouissimum: ita sunt & resurrectiones duæ: vna prima quæ nunc est & animarum est, quæ venire non permittit in mortem secundam: alia secunda quæ nunc non est, sed in seculi fine futura est, nec animarum sed corporũ est, quæ per vltimum iudicium alios mittet in secundam mortem, alios in eam vitam quæ non habet mortem.

Duæ sunt resurrectiones.

Eodem libro, Capit. VII.

Vnus dies apud Dominum sicut mille anni, 2.Petri 3. & mille anni sicut dies vnus: sex annorum millibus tãquam sex diebus impletis, sequatur velut sabbati septimus, in annis mille postremis, ad hoc scilicet sabbatum celebrãdum, resurgẽtibus Sanctis. Quæ opinio esset vtcunque tolerabilis, si aliquæ delitiæ spiritales in illo sabbato affuturæ Sanctis per Domini præsentiã crederentur. Nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquãdo. Sed cùm eos qui tunc resurrexerint, dicant immoderatissimis carnalibus epulis vacaturos, in quibus cibus sit tantus ac potus, vt non solùm nullam modestiam teneant, sed modum quoque ipsius incredulitatis excedãt, nullo modo ista possunt nisi à carnalibus credi. Hi autem qui spiritales sunt, istos ista credentes χιλιασὰς appellant Græco vocabulo, quod verbũ è verbo exprimẽtes, nos possum⁹ milliarios vocare. Eos autẽ lõgum est refellere ad singula.

Hoc opinatus est etiã aliquãdo Augustinus

Eodem lib. Cap. XX.

Sed quæri solet, vtrùm illi, quos hic viuentes inuenturus est Christus, quorum personam in se atque illos qui tunc secum viuebant transfigurabat Apostolus, Thessalonicensibus scribens, nunquam omnino morituri sint, an ipso temporis puncto, quo quum resurgentibus rapientur in nubibus obuiam Christo in aera, ad immortalitatẽ per mortẽ mira celeritate trãsibunt. Neque enim dicẽdum est fieri non posse vt dum per aera in sublime portãtur, in illo spatio & moriãtur & reuiuiscãt. Quod enim ait, Et ita semper cum Domino erimus: non sic accipiẽdum est, tanquã in aere nos dixerit sẽper cum Domino esse mãsuros, quia nec ipse vtiq; ibi manebit, quã veniẽs trãsiturus est. Veniẽti quippe ibitur obuiam non manẽti, sed ita cum Domino erimus, id est, sic erimus semper habẽtes corpora sẽpiterna, vbicunque cum illo fuerimus. Ad hunc autẽ sensum, quo existimamus etiam illos quos hic viuos inuenturus est Dominus, in ipso paruo spatio & passuros mortẽ, & accepturos immortalitatem, ipse Apostolus nos videtur vrgere vbi dicit, In Christo omnes viuificabuntur: cùm alio loco de ipsa loquens resurrectione corporum dicat, Tu quod seminas non viuificatur nisi prius moriatur. Quomodo autẽ sit futurum quod pro nostræ nunc ratiunculæ viribus vtcunque coniicimus, tunc potius erit vt nosse possimus. Resurrectionem quippe mortuorum futurã esse in carne, quãdo Christus vẽturus est iudicare viuos & mortuos, oportet si Christiani esse volumus vt credamus. Sed non ideo de hac re inanis est fides nostra, si quemadmodum futura sit, perfectè cõprehendere non valemus.

1.Thess 4.

Nihilominus Christiani sumus, etiã si per fidei resurrectionẽ comprehendere non valeamus. 1.Cor.15.

2 Tim.4.

Lib. XXII. Cap. XIII.

Abortiuos fœtus, qui cùm iam vixissent in vtero, ibi sunt mortui, resurrecturos vt affirmare, ita negare non audeo, quanuis non videam quomodo ad eos nõ pertineat resurrectio mor

Abortiuos fœtus videtur Augustinus opinari resurrecturos

tuorum, si non eximuntur de numero mortuorum. Aut enim nō omnes mortui resurgent, & erunt aliquæ humanæ animæ sine corporibus in æternum, quæ corpora humana quanuis intra viscera materna gestarunt, aut si omnes animæ humanæ recipiant resurgentia sua corpora, quæ habuerunt vbicunque viuentia, & morientia reliquerunt: non inuenio quemadmodum dicam ad resurrectionem non pertinere mortuorum, quoscunque mortuos etiam in vteris matrum. Sed vtrūlibet de his quisque sentiat, quod de iam natis infantibus dixerimus: hoc etiā de illis intelligendum est, si resurgent.

Cap. XIIII.

Infantes quomodo resurrecturi.

Quid ergo de infantibus dicturi sumus, nisi quia non in ea resurrecturi sunt corporis exiguitate, qua mortui? Sed quod eis tardius accessurum erat tempore, hoc sunt illo Dei opere miro atque celerrimo recepturi. In sententia quippe Domini vbi ait, Capillus capitis vestri non peribit, dictum est nō defuturū esse quod fuit, non autem negatum est affuturum esse quod defuit. Defuit autē infanti mortuo perfecta quantitas sui corporis: perfecto quippe infanti deest vtique perfectio magnitudinis corporalis, quæ cùm accesserit, iam statura longior esse nō possit. Hunc perfectionis modum sic habent omnes, vt cum illo concipiantur atque nascantur: sed habēt in ratione, nō in mole, sicut ipsa iam membra omnia sunt latenter in semine, cùm etiam natis nonnulla adhuc desint, sicut dētes, ac si quid eiusmodi. Secundum hanc rationem profectò in resurrectione corporis, detrimenta corporis non timemus: quia etsi æqualitas futura esset omnium, ita vt omnes vsque ad giganteas magnitudines peruenirent, nec illi qui maximi fuerunt, minus haberent aliquid in statura, quod eis contra sententiā Christi periret, qui dixit, nec capillū capitis esse periturū. Creatorique qui creauit cuncta ex nihilo, quomodo deesse posset, vnde adderet quod addēdū esse mirus artifex nosset?

Luc. 21.

Caput XV.

An ad dominici corporis modū, omnium mortuorū resurrectura sint corpora.

Si vtique Christus in ea mensura corporis in qua mortuus est resurrexit, nefas est dicere, quum resurrectionis omnium tempus aduenerit, accessuram corpori eius eam magnitudinem quam non habuit, quando in ea discipulis, in qua illis erat notus, apparuit, vt longissimis fieri possit æqualis. Si autem dixerimus ad Dominici corporis modum, etiā quoruncunque maiora corpora redigenda, peribit de multorum corporibus plurimum, cùm ipse nec capillum periturum esse promiserit. Restat ergo vt suam recipiat quisque mensuram, quam vel habuit in iuuētute, etiam si senex est mortuus, vel fuerat habiturus si antè est defunctus. Atque illud quod commemorauit Apostolus de mensura ætatis plenitudinis Christi, aut propter aliud intelligamus dictum esse, id est, vt illi capiti in populis Christianis accedente omniū perfectione membrorum, ætatis eius mensura compleatur: aut si hoc de resurrectione corporum dictum est, sic accipiam⁹ dictum, vt nec vltra nec infra iuuenilem formam resurgant corpora mortuorum: sed in ea ætate & robore vsque ad quā Christum hîc peruenisse cognouimus. Circa triginta quippe annos diffinierunt esse etiam seculi huius doctissimi homines iuuentutem. Quæ cùm fuerit spatio proprio terminata, inde iam hominē in detrimēta vergere grauioris ac senilis ætatis: & ideo nō esse dictū In mensura corporis, vel in mensuram staturæ, sed in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Ephes. 4.

Caput XVI.

Illud etiam quod ait, Prædestinatos fieri cōformes imagini Filii Dei, potest & secundū interiorem hominem intelligi. Vnde nobis alio loco dicit, Nolite conformari huic seculo, sed reformamini in nouitate mentis vestræ. Vbi ergo reformamur ne conformemur huic seculo, ibi conformamur Dei Filio. Potest & sic accipi, vt quemadmodum ille nobis mortalitate, ita nos illi efficiamur immortalitate conformes: quod quidem & ad ipsam resurrectionem corporum pertinet. Si autem etiam in his verbis qua forma resurrectura sint corpora sumus admoniti, sicut illa mensura, ita & ista conformatio non quantitatis intelligenda est, sed ætatis. Resurgēt itaque omnes, tā magni corpore, quàm vel erant, vel futuri erant iuuenili ætate, quāuis nihil oberit, etiā si erit infantilis vel senilis corporis forma, vbi nec mentis nec ipsius corporis vlla remanebit infirmitas. Vnde si quis in eo corporis modo, in quo defūctus est, resurrecturū vnunquēque cōtēdit, nō est cum illo laborioſa contradictione pugnandum.

Rom. 8.

Rom. 12.

Qualis intelligenda sit reformatio sanctorum ad imaginem Filii Dei.

Caput XVII.

Nōnulli propter hoc quod dictum est, Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, & conformes imaginis Filii Dei, nec in sexu fœmineo resurrecturas fœminas credunt: sed in virili omnes aiunt, quoniam Deus solum virum fecit ex limo, fœminam ex viro. Sed mihi melius sapere vidētur qui vtrunque sexum resurrecturum esse non dubitant. Non enim libido ibi erit, quæ confusionis est causa. Nam priusquam peccassent, nudi erant, & non confundebantur vir & fœmina. Corporibus ergo illis vitia detrahētur, natura seruabitur. Non est autem vitium sexus fœmineus, sed natura: quæ tunc quidem à concubitu & à partu immunis erit: erunt tamen membra fœminea nō accommodata vsui veteri, sed decori nouo, quo non alliciatur aspicientis concupiscētia, quæ nulla erit, sed Dei laudetur sapientia atque clemētia, qui & quod nō erat fecit, & liberauit à corruptione quod fecit. In resurrectione (inquit Christus) neq; nubēt neque vxores ducēt, sed sunt sicut Angeli Dei in cælo. A Equales vtiq; Angelis immortalitate ac felicitate, nō carne: sicut

Ephes. 4. Rom. 8.

An in suo sexu resuscitādae sint quemcunque sexum fœminarū mortuarum. Gene. 2.

Matth. 22.

sicut nec resurrectione, qua nō indiguerūt Angeli, quoniam nec mori potuerunt. Nuptias ergo Dominus futuras esse negauit in resurrectione, non fœminas.

Cap. XIX.

Deformia in corpore hoc mortali in resurrectione non apparitura.

Quid iam respōdeam de capillis atque vnguibus? Semel quippe intellecto ita nihil periturum esse de corpore, vt deforme nihil sit in corpore, simul intelligitur ea quæ formæ factura fuerāt enormitatem, massæ ipsi accessura esse, nō locis in quibus membrorum forma turpetur. Quapropter si capilli toties tōsi, vnguésve defecti ad loca sua deformiter redeunt, non redibunt, nec tamen cuique resurgēti peribūt: quia in eandem carnem, vt quencunque ibi locum corporis teneant, seruata partium congruētia materiæ mutabilitate vertētur. Quāuis quod ait Dominus, Capillus capitis vestri non peribit, nō de longitudine, sed de numero capillorum dictum multò aptius possit intelligi. Vnde & alibi dicit, Capilli capitis vestri numerati sunt. Neque hoc ideo dixerim, quòd aliquid existimem corpori cuiq; periturū quod naturaliter inerat, sed quod deforme natum fuerat.

Luca 21

Luca 12

Cap. XX.

Quæstio de comestis humanis corporibus.

Vnde iam etiam quæstio illa soluenda est, quæ difficilior videtur cæteris, vbi quæritur, quum caro mortui hominis etiam alterius fit viuētis caro, cui potius eorum in resurrectione reddatur. Si enim quispiam confectus fame atque compulsus vescatur cadaueribus hominū, quod malum aliquoties accidisse & vetus testatur historia, & nostrorum temporum infelicia experimenta docuerunt: non quisquam veridica ratione contendet, totum digestum fuisse per imos meatus, nihilq; inde in eius carne mutatum atque conuersum, cùm ipsa macies quæ fuit & non est, satis indicet quæ illis escis detrimenta suppleta sint. Iam itaque aliqua præmisi paulò antè, quæ ad istum quoque nodum soluendum valere debebūt. Quidquid enim carnium exhausit fames, vtiq; in auras est exhalatum: vnde diximus omnipotētem Deum posse reuocare quod fugit. Reddetur ergo caro illa homini, in quo esse caro humana primitus cœpit. Ab illo quippe altero, tāquam mutuo sumpta deputanda est, quæ sicut æs alienum reddenda est, vnde sumpta est. Sua verò illi quem fames exinaniuerat, ab eo qui potest etiam exhalata reuocare, reddetur.

4. Reg. 4

Eodem Cap. in fine.

Si contenditur in ea quenque statura corporis resurrecturum esse in qua defunctus est, non pugnaciter resistendum est: tantùm absit omnis deformitas, omnis infirmitas, omnis tarditas, omnisq; corruptio: & si quid aliud illud nō decet regnum, in quo resurrectionis & promissionis filii æquales erunt Angelis Dei, si non corpore, non ætate, certè felicitate, &c.

Cap. XXI.

Restituetur ergo & quidquid de corporibus viuis, vel post mortem de cadaueribus periit, & simul cum eo quod in sepulchris remansit, in spiritalis corporis nouitatem ex animalis corporis vetustate mutatum resurget, incorruptione atque immortalitate vestitum. Sed etsi vel aliquo casu graui vel inimicorum immanitate totum penitus cōteratur in puluerem, atque in auras, vel in aquas dispersum quantum fieri potest nusquam esse sinatur, omnino nullo modo subtrahi poterit omnipotentię Creatoris, sed capillus in eo capitis nō deperibit. Erit ergo spiritui subdita caro spiritalis: sed tamen caro, non spiritus, sicut carni subditus fuit spiritus ipse carnalis, sed tamen spiritus nō caro. Quæ sit autē & quàm magna spiritalis corporis gratia, quoniam nōdum venit in experimentum, vereor ne temerarium sit omne quod de illa profertur eloquium.

Nihil omnipotētiæ Creatoris subtrahetur.

Luca 21

Cap. XXVII.

Platonis & Porphyrij de animæ opinione.

Singula quædam dixerunt Plato atque Porphyrius, quę si inter se cōmunicare potuissent, facti essent fortasse Christiani. Plato dicit sine corporibus animas in æternum esse non posse. Ideo dixit etiam sapientium animas post quodlibet longum tempus, tamen ad corpora redituras. Porphyrius autē dixit animam purgatissimam quum redierit ad Patrem, ad hæc mala mundi nunquam esse redituram. Dicat itaque cum Platone Porphyrius, Redibunt ad corpora: dicat Plato cum Porphyrio, Non redibunt ad mala, & ad ea corpora redire consentient, in quibus nulla mala patiantur. Hæc itaque non erunt nisi illa quæ promisit Deus, beatas animas in æternum cum sua ęterna carne victuras.

Cap. XXVIII.

Gentilium de resurrectione somnia.

Nonnulli nostrūm propter quoddam prę- clarissimum loquēdi genus, & propter nōnulla quæ veraciter sensit, amantes Platonem, dicūt eum aliquid simile nobis etiam de mortuorum resurrectione sensisse. Quod quidem sic tāgit in libris de Republica Tullius, vt eū lusisse potius, quàm quòd id verum esse affirmet, dicere voluisse. Inducit enim hominem reuixisse, & narrasse quędam quæ Platonicis disputationibus congruebāt. Labeo etiam duos dicit vno die fuisse defunctos, & occurrisse inuicem in quodam cōpito: deinde ad corpora sua iussos fuisse remeare, & constituisse inter se amicos se esse victuros: atque ita esse factum donec postea morerētur. Sed isti auctores talē resurrectionē corporis factam fuisse narrarunt, quales fuerunt eorum quos resurrexisse nouimus, & huic quidem redditos vitę, sed non eo modo vt non morerentur vlterius. Mirabilius autem quoddam Marcus Varro ponit in libris quos scripsit de gente populi Romani, cuius putaui verba ipsa ponenda. Genethliaci quidam scripserunt, inquit, esse in renascendis hominibus, quam appellant παλιγγενεσιαν Græci. hanc

scripserunt confici in annis numero quadringẽtis quadraginta, vt idem corpus & eadem anima, quę fuerãt coniuncta in homine, aliquãdo eadem rursus redeant in coniunctionẽ, &c.

Ad Ianuarium, Epist. CXIX.

Hoc igitur vniuersa Ecclesia, quę in peregrinatione mortalitatis inuenta est, expectat in fine seculi quod in Domini nostri Iesu Christi corpore præmonstratum est, qui est ex mortuis primogenitus, quia & corpus eius, cuius caput est ipse, non nisi Ecclesia est. Nonnulli enim attendentes verba quæ assiduè dicit Apostolus, Quia & mortui sumus cum Christo, & resurreximus cum eo, nec intelligẽtes quatenus dicatur, arbitrati sunt iam factã esse resurrectionem, nec vllam vlterius in fine temporum esse sperandam. Ex quibus est, inquit, Hymenęus & Philetus, qui circa veritatem aberrauerunt, dicentes resurrectionem iam factam esse, & fidem quorundam subuerterunt. Iam Apostolus eos arguens detestatur, qui tamen dicit nos resurrexisse cum Christo. Vnde, nisi quia hoc per fidem & spem & dilectionem factũ esse dicit in nobis secundum primitias Spiritus? Sed quia spes quæ videtur non est spes, & ideo si quod non videmus speramus, per patientiam expectantes, restat vtique redemptio corporis nostri, quam expectantes in nobismetipsis, ingemiscimus. Vnde est illud, Spe gaudentes, in tribulatione patientes.

Error credẽtiũ resurrectionem iam factam.

2. Timoth. 2

Roman. 8

Roman. 12

Ad Consentium, Epistola CXLVI.

Quæris vtrùm nunc corpus Domini ossa & sanguinẽ habeat, aut reliqua carnis lineamẽta. Quid si adderes, vtrùm etiam vestimenta, nonne augeretur quæstio? Qua causa, nisi quia ea quæ in vsu vitæ huius nostræ corruptibilia nouimus, sine corruptione cogitare vix possumus, cùm diuinorũ miraculorum quędã documenta iam data sint, ex quibus liceat cõiectare maiora? Nam si vestis Israelitarum per tot annos in eremo sine tritura esse potuit, si morticina pellis calceamẽtorum tandiu sine labe durauit, potest vbique Deus quorũlibet corporum, per quãtum voluerit tempus, incorruptã protendere qualitatem. Ego proinde Domini corpus ita in cælo esse credo, vt erat quando ascendit in cælum. Dixerat autem discipulis (vt in Euangelio legimus) de sua resurrectione dubitãtibus, & illud quod videbant non corpus, sed spiritũ esse putãtibus, Videte manus meas & pedes meos, Palpate & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Sic eorum quum esset in terra contrectatus est manibus, sic eorum est quum iret in cælum deductus aspectibus. Ibi vox Angelica sonuit, Sic veniet, quemadmodum eum videtis euntem in cælum. Fides adsit, & nulla quæstio remanebit. Nisi fortè de sanguine requirẽdum est, quia quum dixisset, Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, non addidit sanguinem. Non ergo & nos addamus inquirere, quod ille non addidit dicere. Et de compendio (si placet) finita sit quæstio. Fortasis enim accepta occasione sanguinis, vrgebit nos molestior persecutator, & dicet, Si sanguis, cur non & pituita, cur non & fel flauum, & fel nigrum, quibus quatuor humoribus naturã carnis temperari etiam medicinæ disciplina testatur? Sed quodlibet quisque addat, corruptionẽ addere caueat, ne suæ fidei sanitatem castitatémque corrumpat. Ex cõsuetudine rerum expertarum inexperta opera diuina, infirmitas metitur humana, & argutulè se arbitratur garrire, cùm dicit, Si caro est, & sanguis est, si sanguis, & cæteri humores, si cęteri humores, ergo & corruptio, &c.

Quæstio de Christi corpore glorificato post resurrectionem

Luca 24

Actorum 1

In eadem Epistola.

Caro quippe erit post resurrectionem, quoniam Dominus post resurrectionem ait, Palpate & videte, quia spiritus ossa & carnem non habet, sicut me videtis habere. Caro autem nõ erit, quoniam caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Exponit quid dixerit, adiiciens, Ecce mysterium vobis dico, Omnes quidem resurgemus: vel sicut Græci codices habẽt, Omnes quidem dormiemus: non tamen omnes immutabimur. Hãc immutationẽ vtrùm in deterius an in melius intelligi voluerit, inferiora demõstrant. In atomo (inquit) hoc est, in puncto temporis, quod diuidi non potest, In ictu oculi, hoc est, in summa celeritate, In nouissima tuba, hoc est, in nouissimo signo quod dabitur, vt ista compleantur. Cãtat enim tuba (inquit) & mortui resurgunt incorrupti, & nos cõmutabimur. Ergo istam commutationem in melius sine dubitatione oportet intelligi, quia omnes & iusti & iniusti resurrecturi sunt. Sed sicut Dominus in Euangelio loquitur, Qui bene fecerunt, in resurrectionem vitę, qui malè egerunt in resurrectionem iudicii.

Omnes vtique immutabimur.

In Psalmum XXIX. expositione II.

Quia resurrexit caput vestrum, hoc sperate mẽbra cætera quod videtis in capite. Hoc sperate membra quod credidistis in capite. Prouerbium est antiquum & verum, Vbi caput, & cætera membra. Christus in cælũ ascendit, quô nos secuturi sumus. Non remansit apud inferos: resurrexit, iam non moritur. Cùm resurrexerimus & nos, iam non moriemur, &c.

Vbi caput, ibi & cætera membra.

Marci 16

Actorum 1

In Psalmum LXXII.

Quomodo animæ nostræ promittitur beatitudo, sic & carni nostræ promittitur resurrectio. Resurrectio carnis talis nobis promittitur. Audite & discite, & tenete quę sit spes Christianorum. Quare sumus Christiani? Nõ enim ad hoc sumus Christiani, vt terrenam nobis felicitatem petamus, quam plerunque habent & latrones & scelerati: ad aliam felicitatem nos sumus Christiani, quam tunc accipiemus cùm vita ista huius seculi tota transierit. Ergo promittitur & nobis carnis resurrectio, & talis nobis resurrectio carnis promittitur, vt caro quidem

Vt animæ beatitudo, ita corpori resurrectio promittitur.

dem ista quam modò portamus, resurgat in finem. Nec incredibile vobis videatur. Si enim Deus fecit nos qui non eramus, magnum est illi reparare qui eramus? Ergo hoc vobis incredibile non videatur, quia quasi putrescere mortuos videtis, & ire in cineres & in puluerem. Aut si incendatur aliquis mortuus, aut si canes dilanient eum, putatis quia inde nõ erit resurrecturus? Omnia quæ discerpuntur, & in fauillas quasdam putrescũt, integra Deo sunt. In illa enim elementa mundi eunt, vnde primò venerunt quando facti sumus. Non illa videmus, sed tamen Deus vnde scit, producet illa: quia & antequã essemus, vnde sciebat nos produxit. Talis ergo resurrectio carnis nobis promittitur, vt quanuis ipsa sit caro, quam modò portamus, quæ resurrectura est: tamen non habeat corruptionem quam modò habet.

In Psalmum LXXXVIII. Serm. II.

Carnis resurrectioni à Philosophis cõtradictum.

In nulla re tam vehementer, tam pertinaciter, tam obnixè & contentiosè cõtradicitur fidei Christianæ, sicut de carnis resurrectione. Nam & de animi immortalitate multi etiã Philosophi Gentium multa disputauerunt, & immortalem esse animum humanum, pluribus & multiplicibus libris conscriptum, memorię reliquerunt. Cùm ventum fuerit ad resurrectionem carnis, non titubant, sed apertissimè contradicunt: & contradictio eorum talis est, vt dicant fieri non posse, vt caro ista terrena possit in cælum ascendere, &c.

In Euangelium Ioannis, Tractatu XXIII.

Ioannis 5

Sicut enim Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat. De resurrectione animarum dictum est hoc. Quid de resurrectione corporũ? Redit & dicit, Neque enim Pater iudicat quenquã, sed omne iudicium dedit Filio. Resurrectio animarũ fit per substãtiam Patris & Filii æternam & incõmutabilẽ.

Resurrectio corporum fit per dispensationẽ humanitatis Filij tẽporalem

Resurrectio verò corporũ fit per dispensationem humanitatis Filii temporalem, non Patri coæternam. Ideo quum memoret iudicium vbi fieret resurrectio corporum, Non enim Pater, inquit, iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio. De resurrectione autẽ animarum, Sicut Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat. Illud ergo, simul Pater & Filius: hoc autem, de resurrectione corporum, Non iudicat Pater quenquã, sed omne iudicium dedit Filio, vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.

Tractatu XLIX.

Plus est homines creare, quàm resuscitare.

Tractatu LXXV.

Ioannis 14. Duæ resurrectiones.

Vos autẽ, inquit Christus ad discipulos, videbitis me, quia ego viuo, & vos viuetis. Quid est quia ego viuo, & vos viuetis? Duas ergo resurrectiones, suam scilicet mox futuram, & nostram in seculi fine venturam, duobus verbis præsentis temporis & futuri, eleganter breuitérque promisit. Quia ego, inquit, viuo, & vos viuetis: quia ille viuit, ideo & nos viuemꝰ. Per hominem quippe mors, & per hominem resurrectio mortuorũ. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: quoniam nemo ad mortem nisi per illum, nemo ad vitam nisi per Christum. Quia nobis viximus, mortui sumus: quia viuit ipse, viuemus nos. Mortui sumus illi, quando viximus nobis. Quia verò mortuus est ille pro nobis, & sibi viuit & nobis. *1. Corinth. 15*

Libro XXI. Sententiarum, Senten. VII.

Excepto eo quod omni fide dignum est, nihil Deum non posse, tali etiam ratiocinatione colligi potest, non esse contra naturam, vt resurgat hoc corpus. Vniuersum corpus, quod etiam huius mundi sensibilis cęli & terræ nomine significatur, est aliquo modo. Omne autem quod est aliquo modo, neq; tamen summo modo, eius speciei participatione est, in quantuncunque est, quæ summo modo est, qua cùm tenetur ordinatas quasque commutationes pati potest, non autem esse omnino corpus non potest. Si enim omnino corpus non erit, aut nihil erit, aut aliquid melius. Sed nihil esse non sinitur obtinente specie, quæ semper manet, & verè summéq; est, melius autẽ aliquid esse quàm corpus nõ potest, quia & corporis vniuersi certus est modus, & eorum quæ incorporea facta sunt, numerus augeri non indiget, & non est opus aliquam nouam naturam fieri, quasi aut nõ omnia facta fuerint, aut in locum alicuius quæ perierit, alia substituenda sit: quum & perfectè facta sint omnia, & ea gubernentur prouidentia, secundum speciem semper manẽtem, vt ordinatæ mutabilitati, & per hoc in mutantis quandam manentiam cedat natura sensibilis, atque ita in suo genere teneatur, modúmque custodiat propriũ. Ex quo fit, vt corpus omne aliter atque aliter sit, corpus tamen esse nõ desinat: ita vniuersę naturę salua sunt omnia, quę sensibus nostris discedunt, & interire penitus existimantur. Vnde non mirum est, si hoc corpus modum istum suum, quo nunc est, in quãtum est recipiat, aut meliorem aliquem sortiatur: quum is qui vocatur interitus, discessio in alios modos sit, non omnino peremptio.

Non esse cõtra naturam, vt resurgãt corpora.

De agone Christiano, Cap. XXXII.

Cõtra negantes carnis resurrectionem.

Nec eos audiamus, qui carnis resurrectionem futuram negant, & commemorant quod ait Apostolus, Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: non intelligẽtes quod idem ipse dicit Apostolꝰ, Oportet corruptibile hoc induere incorruptionẽ, & mortale hoc induere immortalitatem. Quum enim hoc factũ fuerit, iam nõ erit caro & sanguis, sed cæleste corpus. Quod & Dominus promittit, cùm dicit, Neque nubẽt, neq; vxores ducẽt, sed erunt æquales Angelis Dei. Nõ enim iam hominibus, sed Deo viuent, cùm ęquales Angelis facti fuerĭt. Immutabitur ergo caro & sãguis, & fiet corpus cæleste & Angelicũ. Et mortui enim resur- *1. Corinth. 5* *Matth. 22* *1. Corinth. 15*

gẽt incorrupti,& nos immutabimur,vt & illud verum sit quòd resurget caro, & illud verum, quòd & caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.

De doctrina Christiana,Lib.I.Cap.XX.

Cuius autem animus non moritur hoc seculo,neque incipit configurari veritati,in grauiorem mortem morte corporis trahitur, neque ad commutationem cælestis habitationis, sed ad luenda supplicia reuiuiscet.

Cap.XXI.eodem libro.

Resurrectio omnium futura Hoc itaque fides habet,atque ita rem se habere credendum est,neque animum,neque corpus humanum,omnino interitum pati,sed impios resurgere ad pœnas inæstimabiles pios autem ad vitam æternam.

Ad Laurentium enchiridii,Cap. LXXXIIII.

De generali resurrectione. Iam verò de resurrectione carnis,non sicut quidam reuixere, iterúmque sunt mortui, sed in æternam vitam, sicut Christi ipsius caro resurrexit, quemadmodũ possim breuiter disputare, & omnibus quæstionibus, quæ de hac re moueri assolent, satisfacere non inuenio. Resurrecturam tamen carnem omnium quicũque nati sunt hominum, atque nascentur, & mortui sunt atque morientur, nullo modo dubitare debet Christianus.

Cap.LXXXV.

Abortiui fœtus an resurrecturi sint. Vnde primò occurrit de abortiuis fœtibus quæstio,qui iam quidem nati sunt in vteris matrum,sed nondum ita vt iam possint renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus, de iis qui iam formati sunt,tolerari potest vtcunq; quod dicitur. Informes verò abortus quis non procliuius perire arbitretur,sicut semina quę concepta non fuerint? Sed quis negare audeat,& si affirmare non audeat, id acturam resurrectionem,vt quidquid formæ defuit impleatur? Atque ita non desit perfectio, quæ accessura erat tempore,quemadmodum non erunt vitia,quæ acceſſerunt tempore,vt neque in eo quod aptũ & congruum dies allaturi fuerant,natura fraudetur: neque in eo quod aduersum atque contrarium dies attulerãt,natura turpetur: sed integretur quod nõdum erat integrum, sicut instaurabitur quod fuerat vitiatum.

Cap.LXXXVI.

In vtero matris quãdo quit viuere incipiat Ac per hoc scrupulosissimè quidem inter doctissimos quæri ac disputari potest,quod vtrùm ab homine inueniri possit ignoro,quando incipiat homo in vtero viuere: vtrùm sit quædam vita occulta, quæ nondum motibus viuentis appareat. Nam negare vixisse puerperia, quæ propterea membratim execantur, & eiiciuntur ex vteris prægnantium, ne matres quoque si mortuæ ibi relinquantur, occidant, impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo viuere,ex illo vtique iam mori potest. Mortuus verò, vbicũque illi mors potuit euenire, quomodo non ad resurrectionem nõ pertineat mortuorum,reperire non possum.

Cap.LXXXVII.

De mõstrisque nascuntur & cito moriantur. Neque enim & monstra quæ nascuntur & viuunt,quanlibet citò moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita vitiata resurrectura credenda sunt,ac non potius correcta emendatáque natura. Absit enim vt illũ bimembrem, qui nuper natus est in Oriẽte,de quo & fratres fidelissimi,qui eum viderunt retulerunt,& sanctæ memoriæ Hieronymus presbyter scriptũ reliquit: absit,inquam,vt vnum hominem duplicem,ac non potius duos,quod futurum fuerat,si gemini nascerentur, resurrecturos existimemus. Ita cætera quæ singuli quique partus, vel amplius vel minus aliquid habẽdo, vel quadam nimia deformitate monstra dicuntur, ad humanæ naturę figuram resurrectione reuocabũtur, ita vt singulæ animæ singula sua corpora obtineant, nullis cohærentibus etiam quæcunque cohærentia nata fuerant, sed seorsum sibi singulis sua membra gestantibus, quibus humani corporis completur integritas.

Cap.LXXXVIII.

Caro quamuis cunque mutetur,tamen resurget. Non autem perit Deo terrena materies,de qua mortalium creatur caro, sed in quenlibet puluerem cinerémve soluatur,in quoslibet halitus auráque diffugiat, in quancunque aliorum corporum substãtiam, vel in ipsa elementa vertatur,in quorũcunque animalium,etiam hominum cibum cedat,carnémque mutetur,illi animæ humanæ puncto temporis redit, quæ illam primitus vt homo fieret, creſceret,viueret,animauit.

Cap.LXXXIX.

Caro quomodo reformetur. Ipsa itaque terrena materies,quæ discedente anima fit cadauer, non ita resurrectione reparabitur,vt ea quæ dilabuntur & in alias atq; alias aliarum rerum species formáque vertũtur, quãuis ad corp⁹ redeãt, vnde dilapsa sunt, ad easdẽ quoque corporis partes,vbi fuerunt, redire necesse sit. Alioqui si capillis capitis redit,quod tam crebra tonsura detraxit,si vnguibus quod toties dempsit exectio immoderata & indecens,cogitantibus, & ideo resurrectionem carnis nõ credentibus, occurrit informitas. Sed quemadmodum si statua cuiuslibet solubilis metalli aut igne liquescret, aut contereretur in puluerẽ, aut confunderetur in massam, & eam vellet artifex rursus ex illius materiæ quantitate reparare,nihil interesset ad eius integritatem,quæ particula materiæ cui membro statuæ redderetur,dum tamen totũ ex quo cõstituta fuerat, restituta resumeret: ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex, de toto quo caro nostra cõstiterat, eam mirabili & ineffabili celeritate restituet. Nec aliquid attinebit ad eius integritatem,vtrùm capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues,an quidquid eorum perierat mutetur in carnẽ, & in partes alias corporis reuocetur,curante artificis prouidentia,ne quid indecens fiat.

Cap.

Cap.XC.

Vtrùm æquaeler an diuersa figuræ resurgentium.

Nec illud est consequens, vt ideo diuersa sit statura reuiuiscentium singulorum, quia fuerat diuersa viuentium, aut macri cum eadem macie, aut pingues cum eadē pinguedine reuiuiscant. Sed si hoc est in consilio Creatoris, vt in effigie sua cuiusque proprietas & discernibilis similitudo seruetur: in cæteris autem corporis bonis æqualia cuncta reddantur: ita modificabitur illa in vnoquoque materies, vt nec aliquid ex ea pereat, & quod alicui defuerit ille suppleat, qui etiam de nihilo potuit quod voluit operari. Si autem in corporibus resurgentium rationabilis inæqualitas erit, sicut est vocum, quibus cātus impletur: hoc fiet cuique de materia corporis sui, quod & hominem reddat æqualem Angelicis cœtibus, & nihil incōueniens eorum ingerat sensibus. Indecorum quippe aliquid ibi non erit: sed quidquid futurum est, hoc decebit, quia nec futurum est si non decebit.

Eodem libro, Cap.XCI.

Qualiter resurgant corpora.

Resurgent igitur Sanctorum corpora sine vllo vitio, sine vlla deformitate, sicut sine vlla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta facilitas resurgendi, quanta felicitas erit. Propter quod & spiritalia dicta sunt, quum proculdubio corpora sint futura, non spiritus. Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus non anima est, ita tunc spiritale corpus erit: corpus tamen nō spiritus erit. Proinde quantùm attinet ad corruptionem, quæ nunc aggrauat animam, & ad vitia, quibus caro aduersus spiritum concupiscit: tunc non erit caro, sed corpus, quia & cælestia corpora perhibentur. Propter quod dictum est, Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Et tanquam exponens quid dixerit, Neque corruptio, inquit, incorruptionem possidebit. Quod prius dixit, Caro & sanguis, hoc posterius dixit, corruptio: & quod prius regnū Dei, hoc posteri° incorruptionē. Quātùm autem attinet ad substantiam, etiam tunc caro erit. Propter quod & post resurrectionem corpus Christi caro appellatū est. Sed ideo ait Apostolus, Seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale: quoniam tanta erit tunc concordia carnis & spiritus, viuificante spiritu sine sustentaculi alicuius indigentia subditā carnē, vt nihil nobis repugnet ex nobis, sed sicut foris neminem, ita nec intus nosipsos patiamur inimicos.

2. Corinth. 15

Sapient. 9
Galat. 5

1. Corinth. 15

Luc. 24

1. Corinth. 15

De hæresibus, Cap.XVIII.XX, & XI.

Caiani, Archontici & Cerdoniani hæretici, carnis & mortuorum negant resurrectionem.

De verbis Apostoli, Serm.XXV.

Carnis resurrectionem non credentes. Hieron. 17

Carnis resurrectionem non credunt, qui dicunt, Quis huc inde reuersus est? Credituros se volunt videri, si quis parētum suorum reuiuisceret. Sed maledictus homo qui spem suam ponit in homine. Ideo ergo Deus homo factus, mori & resurgere voluit, vt & quod futurū esset homini, in hominis carne ostenderetur, & Deo tamen non homini crederetur. Et certè Ecclesia fideliū, toto orbe diffusa, iam ante oculos eorum est. Legant eam ante tot secula vni homini promissam, qui cōtra spem in spem credidit, vt fieret pater multarū gentiū. Quod ergo vni Abrahæ credenti promissum est, iam videmus impletū, & quod vniuerso orbi promittitur credenti, desperamus esse venturum? Eant nunc & dicāt, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Illi se adhuc cras dicunt morituros. Veritas autem illos, iam cùm ista dicunt, inuenit mortuos. Vos autem fratres, filii resurrectionis, ciues sanctorum Angelorum, Dei hæredes & Christi cohęredes, cauete imitari eos qui cras sperando moriuntur, & hodie bibendo sepeliuntur. Sed sicut dicit idē Apostolus, Ne corrumpant vestros mores bonos colloquia mala. Sobrii estote iusti, & nolite peccare.

Roman. 4

1. Corinth. 15

Sermon.XXXIIII.

Resurrectio mortuorum à gentilibus non discernit.

Hoc præcipuè Christianos à gentili errore secernit, quia illi tantummodo hanc vitam esse credunt: & ideo sine Deo esse, & diuersis peccatis atque criminibus nō metuunt inquinari. Nos verò ita in hac vita conuersemur, vt nos ad aliam præparemus, in qua & bonis bona, & malis mala retribuentur, sicut dixit Apostolus, Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisq; prout gesserit, siue bona siue mala. Sicut hic modò adstamus in Ecclesia, & nos inuicem præsentes aspicimus, ita etiam post resurrectionem mortuorum adstituri sumus ante tribunal Christi. Hanc enim etiam ipsam animam tunc habebimus quam modò habemus, & in hoc ipso quo nunc induimur, sumus corpore resuscitandi. Nemo ergo, fratres mei charissimi, de resurrectione desperet, in qua Christianorum spes tota consistit. Plus enim est facere quod nūquam fuit, quàm reparare quod fuit. Tota etiam huius mūdi administratio testimonium est resurrectionis futuræ. Et qui Dominum Iesum resurrexisse à mortuis confitetur, nec de sua poterit dubitare.

1. Corinth. 5

Sermon.CLII. de tempore.

Adhibuit Dominus Iesus speciem corporis hominis sensibus, ad confirmandam carnis resurrectionem. Nihil nos docere voluit ostēdendo se viuum in corpore post resurrectionē suam, nisi vt credatur à nobis resurrectio mortuorum, donec veniat Dominus, & illuminet abscondita tenebrarum. Quid est hoc? Audi quod sequitur, Et manifestabit cogitationes cordis. Cor videre, Dei est, hominum autem non est, nisi de iis quæ manifesta sunt iudicare. Modò ergo cogitationes nostræ nobisipsis singulis quibusque in luce sunt, quia nouimus eas: sed proximis nostris in tenebris sunt, quia non vident eas. Ibi quod nosti te cogitare, & alter sciturus est: ibi erit inuicem agnitio. Sic

1. Corinth. 4

Post resurrectionem perfecta erit inuicem agnitio.

videbũt omnes & multò excellentius, quomodo hìc ſolent videre Prophetæ.

De Eccleſiaſticis dogmatibus, Cap. VII.

Omnium enim hominum erit reſurrectio. Si omniũ erit, ergo omnes moriũtur, vt mors ab Adam ducta, omnibus filiis eius dominetur, & maneat illud priuilegium in Domino, quod de eo ſpecialiter dicitur, Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Eius enim caro non vidit corruptionem. Hãc rationem maxi-

Diuinæ qui in reſurrectione non perimuntur.

ma Patrum turba tradẽte ſuſcepimus. Verùm quia ſunt & alii æquè catholici & eruditi viri, qui credunt animam in corpore manente, immutandos ad incorruptionem & immortalitatem eos, qui in aduentu Domini viui inueniendi ſunt, & hoc eis reputari pro reſurrectione ex mortuis, quòd mortalitatem immutatione deponant, non morte. Quolibet quis acquieſcat modo, nõ eſt hæreticus, niſi ex cõtentione hęre ticus fiat. Sufficit enim in Eccleſiæ lege carnis reſurrectionem credere futuram de morte.

Eodem libro, Cap. LXXVII.

In reſurrectione ſexus nõ mutabitur.

In reſurrectione ex mortuis, ſexus forma nõ mutabitur: ſed vir mortuus reſurget in forma viri, & fœmina in forma fœminæ: carens tamen ſexuum in hac vita conditione non ſpecie naturali, ne non ſit vera reſurrectio, ſi non id reſurget quod cadit.

Libro de fide & Symbolo, Cap. X.

Ideo credimus & carnis reſurrectionem, non tantùm quia reparatur anima, quæ nunc propter carnales affectiones caro nominatur: ſed hæc etiam viſibilis caro, quæ naturaliter eſt caro, cui⁹ nomẽ anima non propter naturã, ſed propter affectiones carnales accepit. Hæc ergo viſibilis, quę caro propriè dicitur, ſine dubitatione credẽda eſt reſurgere. Videtur enim Paulus Apoſtolus eam tanquam digito ſuo oſtendere, cùm dicit, Oportet corruptibile hoc

2. Corinth. 15

induere incorruptionem. Quum enim dicit Hoc, in eam quaſi digitum intendit. Quod autem viſibile eſt, id poteſt digito oſtendi, quoniam poſſet & anima corruptibilis dici: nam vitiis morum ipſa corrũpitur. Et mortale hoc induere immortalitatem, quum legitur, eadem ſignificatur viſibilis caro, quia in eam identidẽ velut digitus intenditur. Poteſt enim & anima ſicut corruptibilis propter morum vitia, ita etiam mortalis dici. Mors quippe animæ eſt apoſtatare à Deo, quod primũ eius peccatum in paradiſo ſacris literis continetur. Reſurget igitur corpus ſecundum Chriſtianam fidem,

Non amplius caro & ſanguis, ſed tantùm corpus.

quæ fallere non poteſt. Quod cui videtur incredibile, qualis nunc ſit caro attendit, qualis autem futura ſit non conſyderat: quia illo tempore immutationis Angelicæ, non iam caro erit & ſanguis, ſed tantùm corpus. Quum enim

1. Corinth. 15

de carne Apoſtolus loqueretur, Alia, inquit, caro pecorum, alia volucrum, alia piſcium, alia ſerpentum, & corpora cæleſtia, & corpora terreſtria. Non enim dixit Caro cæleſtis, dixit autem cæleſtia & terreſtria corpora. Omnis etiã caro & corpus eſt, non autem omne corpus caro eſt. Caro enim noſtra vtiq; ex terra eſt. Philoſophi enim quorũ argumẽtis ſæpius reſurrectioni carnis reſiſtitur, quibus aſſerunt nullum poſſe eſſe terrenum corpus in cælo, quodlibet corpus in omne corpus conuerti & mutari poſſe concedunt. Qua corporis reſurrectione facta, à temporis conditione liberati, æterna vita ineffabili charitate atque ſtabilitate ſine corruptione perfruemur. Tunc enim fiet illud quod ſcriptum eſt, Abſorpta eſt mors in victoria. Vbi eſt mors aculeus tuus, vbi eſt mors cõtentio tua?

DE EXTREMO IVDICIO.

In Euangelium Ioannis, Tractatu XXI.

In iudicio Chriſtus apparebit.

Omnino eſt quidam intellectus verus, fortis, ſi quomodo eum tenere poſſumus, quia Pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit Filio. Hoc enim dictum eſt, quia homini bus in iudicio non apparebit niſi Filius. Pater occultus erit, Filius manifeſtus. In quo erit Filius manifeſtus? In forma qua aſcendit. Nam in forma Dei cũ Patre occultus eſt, in forma ſerui hominibus manifeſtus. Nõ ergo Pater iudicat quẽquam: ſed in manifeſto omne iudicium dedit Filio. Hoc enim dictum eſt, quia hominib⁹ in iudicio non apparebit niſi Filius, ſed manifeſto. In quo manifeſto iudicio Filius iudicabit, quia ipſe iudicãdis apparebit. Euidẽtius nobis oſtendit Scriptura, quia ipſe apparebit. Quadrageſimo die poſt reſurrectionem ſuam *Actorum 1* aſcendit in cælum, videntibus diſcipulis ſuis, & vox illis Angelica, Viri, inquit, Galilęi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Iſte qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cęlum. Quomodo eum videbant ire? In carne quam tetigerunt, quam palpauerunt, cuius etiam cicatrices tangendo ſibi probauerunt: in illo corpore in quo cum eis intrauit & exiuit per quadraginta dies, manifeſtans ſe eis in veritate, non in aliqua falſitate, non phantaſmate, non vmbra, non ſpiritu, ſed quemadmodum ipſe dixit non fallens, Pal- *Luca 24*

pate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Eſt quidem illud iam corpus dignum cæleſti habitatione, non ſubiacens morti, non mutabile per ætates. Non enim ſicut ad illam ætatẽ ab infantia creuerat: ſic ab ætate quæ iuuentus erat, vergit in ſenectutem. Manet ſicut aſcendit, venturus ad *Ioannis 19 Zacharię 12 Apocal. 1* eos quibus antequam veniat, verbum ſuum voluit prædicare. Sic enim veniet in forma humana. Hanc videbunt & impii, videbunt & ad dexteram poſiti, videbũt ad ſiniſtram ſeparati, ſicut ſcriptum eſt, Videbunt in quem pupugerunt. Si videbunt in quem pupugerũt, corpus ipſum videbũt, quod lancea percuſſerunt. Lancea nõ percutitur Verbum. In hoc enim impii videre potuerunt, quod & vulnerare potuerũt.

Latentem

Latentem Deũ in corpore non videbunt. Post iudicium videbitur ab iis qui ad dexteram erunt. Hoc est ergo quod ait, Pater non iudicat quẽquam, sed omne iudicium dedit Filio: quia manifestus ad iudicium veniet Filius in humano corpore apparens, hominibus dicens dextris, Venite benedicti Patris mei, &c.

Matth. 25

Post pauca ibidem.

Ecce videbitur forma hominis Christi in iudicio à piis & impiis, à iustis & ab iniustis, à fidelibus & ab infidelibus, à gaudẽtibus & plãgentibus, à confisis & confusis, &c.

De fide & Symbolo, Cap. VIII.

Christus iudicaturus est vivos & mortuos

Credimus etiam Christũ venturum cõuenientissimo tempore, & iudicaturum viuos & mortuos. Siue istis nominibus iusti & peccatores significentur, siue quos tunc ante mortem nostram in terris inuenturus est, appellati sunt viui: mortui verò qui eius aduentu resurrecturi sunt: hæc dispensatio temporalis non tãtùm est sicut illa generatio secundum Deum, sed etiam fuit & erit. Nam fuit Dominus noster in terris, & nunc est in cælis, & erit in claritate iudex viuorum atque mortuorum. Ita enim veniet sicut ascendit, secũdum auctoritatem quæ in Actibus Apostolorum continetur. Ex hac itaque temporali dispensatione loquitur in Apocalypsi, vbi scriptum est, Hęc dicit qui est, & qui fuit, & qui venturus est.

Actorum 1

Apocal. 1

Libro LXXXIII. Quæstionum, Quæstion. LVIII.

Sex ætates hominis.

Finis seculorum tanquam senectus veteris hominis, cùm totum genus humanum tanquam vnum hominem constituerit, sexta ætate signatur, qua Dominus venit. Sunt enim ætates sex etiam in vno homine: infantia, pueritia, adolescẽtia, iuuentus, grauitas & senectus.

Sex ætates mũdi.

Prima itaque generis humani ætas est ab Adã vsque ad Noe. Secunda à Noe vsque ad Abraham: qui articuli sunt euidentissimi & notissimi. Tertia ab Abraham vsque ad Dauid: sic enim Euangelista Matthæus partitur. Quarta à Dauid vsque ad transmigrationem in Babyloniam. Quinta à transmigratione in Babyloniã vsque ad aduentum Domini. Sexta ab aduẽtu Domini vsque in finem seculi sperãda est, qua exterior homo tanquam senectute corrumpitur, qui etiam vetus dicitur, & interior renouatur de die in diem. Inde requies interior sempiterna est, quæ significatur sabbato. Quod futurũ credimus, secundo aduentu Domini, quo in claritate venturus est, cuius aduentus præcursor speratur Helias, &c.

Matth. 1

2. Corinth. 4

Matth. 17

Libro XX. de ciuitate Dei, Cap. I.

Quod in cõfessione ac professione tenet omnis Ecclesia Dei veri, Christum de cælo esse venturum ad viuos ac mortuos iudicãdos: hũc diuini iudicii vltimum diem dicimus, id est, nouissimum tempus. Nam per quot dies hoc iudicium tendatur, incertum est: sed Scripturarum more sanctarum diem poni solere pro tẽpore, nemo qui illas literas quanlibet negligẽter legerit, nescit. Ideo autem cùm diem iudicii Dei dicimus, adiicimus vltimum vel nouissimum, quia & nunc iudicat, & ab humani generis initio iudicauit, dimittens de Paradiso, & à ligno vitæ separans primos homines, peccati magni perpetratores: imò etiam quando Angelis peccãtibus nõ pepercit, quorũ princeps homines, à seipso subuersus, inuidẽdo subuertit, procul dubio iudicauit. Iste quippe dies iudicii, ppriè iam vocatur, cò quòd nullus ibi erit imperitæ querelæ locus, cur iniustus ille sit felix, & cur iustus ille infelix. Omnium nanque tunc nonnisi bonorum vera & plenissima felicitas: & omnium nonnisi malorũ digna & summa infelicitas apparebit.

Genes. 3

2. Petri 2

Cap. II.

Cùm verò ad illud Dei iudicium venerim°, cuius tempus iam propriè dicitur dies iudicii, & aliquando dies Domini nuncupatur: non solùm quæcunque tunc iudicabuntur, verumetiam quęcunque ab initio iudicata, & quęcunque vsque ad illud tẽpus adhuc iudicãda sunt, apparebunt esse iustissima. Vbi hoc quoque manifestabitur, quàm iusto iudicio Dei fiat, vt nũc tam multa ac penè omnia iusta iudicia Dei sensus mentésque mortalium lateant, cùm tamen in hac re piorum fidem non lateat iustum esse quod latet.

2. Thessal. 5

In iudicio omnia manifestabuntur.

Eodem libro, Cap. XXIX.

Cùm admonuisset Propheta Malachias Iudæos, vt meminissent legis Mosi, quoniã prævidebat eos multo adhuc tempore nõ eam spiritaliter sicut oportuerat accepturos, cõtinuò subiecit, Ecce ego mittam vobis Heliam Thesbitem, antequam veniat dies Domini magnus & illustris, qui cõuertet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum suum, ne fortè veniens percutiam terram penitus. Per hunc Heliam magnum mirabilémque Prophetã, exposita sibi Lege, vltimo tẽpore ante iudicium Iudæos in Christum verum, id est, in Christũ nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus cordibúsque fideliũ. Ipse quippe ante aduentum iudicis Saluatoris, non immeritò speratur esse vẽturus, qui etiã nunc viuere nõ immeritò creditur. Curru nãque igneo raptus est de rebus humanis, quod euidẽtissimè fãcta Scriptura testatur. Cùm venerit ergo exponẽdo Legem spiritaliter, quam nunc Iudęi carnaliter sapiunt, conuertet cor patris ad filium, id est, cor patrum ad filios. Singularẽ quippe numerum pro plurali Interpretes septuaginta posuerũt. Et est sensus, Vt etiam filii sic intelligãt Legem, id est, Iudæi, quemadmodũ patres eam intellexerunt, id est, Prophetæ, in quibus erat & ipse Moses.

Malach. 4

Iudæi ante diẽ Domini magnum, in Christum credituri.

4. Reg. 2

Malach. 4

Cap. XXX.

Nullus igitur vel negat, vel dubitat, per Iesũ Christũ tale quale istis sacris literis prænuntiatur, futurũ esse nouissimũ iudiciũ, nisi qui eisdẽ literis nescio qua incredula animositate seu cęcitate non credit, quæ iam veritatẽ suam or-

bi demonſtrauêre terrarum. In illo vtique iudicio, vel circa illud iudicium, has res didicimus eſſe venturas & futuras, Heliam Thesbitem, fidem Iudæorũ, Antichriſtum perſecuturum, Chriſtum iudicaturũ, mortuorum reſurrectionem, bonorũ malorúmque direptionem, mundi conflagrationem, eiuſdémque renouationem. Quæ omnia quidem ventura eſſe credendũ eſt: ſed quibus modis & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quàm nunc valet conſequi ad perfectum homi num intelligẽtia. Exiſtimo tamen eo quo à me commemorata ſunt ordine eſſe ventura.

Quæ circa iudicium veniura ſint.

Ad fratres Maudarenſes, Epiſt. XIII.

Omnia quæ prꝛteritis temporibus erga humanum genus maiores noſtri geſta eſſe meminerunt, nobiſque tradiderunt: omnia etiã quæ nos videmus, & poſteris tradimus, quæ tamen pertinent ad veram religionem quærendam & tenendam, diuina Scriptura non tacuit: ſed ita omnino cuncta tranſeunt, vt tranſitura eſſe prædicta ſunt. Videtis certè ex ipſo populo verbum Dei Legémque prodeuntem per Chriſtum, qui ex illis mirabiliter natus eſt, omnium gẽtium fidem occupaſſe atque tenuiſſe. Ita hæc omnia prænuntiata legimus, vt videmus. Videtis certè populum Iudæorum auulſum à ſedibus ſuis, per omnes ferè terras diſſeminatum atq; diffuſum. Et origo eiuſdem populi, & incremẽta, & regni amiſſio, & per cũcta diſperſio prædicta eſt. Videtis certè multos præciſos à radice Chriſtianæ ſocietatis, quæ per ſedes Apoſtolorum, & ſucceſsiones Epiſcoporum, certa per orbem propagatione diffunditur, de ſola figura originis, ſub Chriſtiano nomine, quaſi areſcentia ſarmenta gloriari, quas hæreſes & ſchiſmata nominamus, præuiſa, prædicta, ſcripta ſunt omnia. Videtis certè ſimulachrorum templa, partim ſine reparatione collapſa, partim diruta, partim clauſa, partim in vſus alios commutata: ipſáque ſimulachra vel cõfringi, vel incendi, vel includi, vel deſtrui, atque ipſas huius ſeculi poteſtates, quæ aliquãdo pro ſimulachris populum Chriſtianum perſequebantur, victas & domitas, non à repugnantibus, ſed à morientibus Chriſtianis: & contra eadem ſimulachra, pro quibus Chriſtianos occidebant, impetus ſuos legéſque vertiſſe, & imperii nobiliſſimi eminentiſſimum culmen ad ſepulchrum piſcatoris Petri, ſubmiſſo diademate ſupplicare. Hęc omnia Scripturę diuinæ, quę in manus omniũ iam venerũt, ante longiſſima tẽpora futura eſſe teſtatæ ſũt. Hæc omnia tantò robuſtiore fide lætamur fieri, quantò maiore auctoritate prædicata eſſe in ſanctis literis inuenimus. Nũquidnã, obſecro vos, nunquid nam ſolum iudiciũ Dei, quod inter fideles atque infideles futurum eſſe in eiſdem literis legimus, cùm illa omnia, ſicut prædicta ſint euenerint: nunquidnam ſolum iudicium Dei vẽturum non eſſe putabimus? Imò verè veniet ſicut illa omnia venerunt. Nec quiſquam erit homo noſtrorum tẽporum, qui ſe in illo iudicio de ſua poſsit infidelitate defendere, quum Chriſtum cantet & iuſtus ad æquitatẽ, & periurus ad fraudẽ, & rex ad imperium, & miles ad pugnam, & maritus propter regimen, & vxor propter obſequium, & pater propter præceptum, & filius propter obedientiam, & dominus per dominationem, & ſeruus per famulatum, & humilis ad pietatem, & ſuperbus ad æmulationem, & diues vt porrigat, & pauper vt ſumat, & ebrioſus ad phialam, & mẽdicus ad iaiuam, & bonus vt præſtet, & malus vt fallat, & Chriſtianꝰ venerator, & Paganus adulator: omnes Chriſtum cantant, & qua voluntate atque ore cantẽt, eidem ipſi quem cantãt, rationem ſine dubio reddituri ſunt.

Ex prꝛteritis colligitur venturum eſſe iudicium.

Ad Heſychium, Epiſt. LXXVIII.

Ego nanque de Saluatoris aduentu, qui expectatur in fine, tẽpora dinumerare nõ audeo, nec aliquem Prophetã de hac re numerum annorũ exiſtimo præfiniſſe: ſed illud potius prævalere quod ipſe Dominus ait, Nemo poteſt cognoſcere tempora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Quod enim in alio loco ait, De die autẽ illa & hora nemo ſcit: ſũt qui ſic accipiũt, vt putent ſe poſſe tempora computare: diem verò tantummodo ipſum & horam neminem ſcire: vbi omitto dicere quemadmodum ſolẽt Scripturæ diem vel horam etiam pro tempore ponere. Sed certè illud de ignorantia temporum dictum apertiſſimè eſt. Nam quum hinc Dominus interrogatus eſſet à diſcipulis ſuis, Nemo, inquit, poteſt cognoſcere tẽpora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Non enim dixit diem vel horam, ſed tempora, quę in breui ſpatio non ſolent dici, ſicut dies vel hora, maximè ſi Græcum intueamur eloquium.

Tẽpora aduentus Domini Auguſtinus dinumerare non audet.

Actorum 1

Matth. 24

Poſt pauca.

Tempora ergo computare, hoc eſt, χρόνους, vt ſciamus quando ſit finis huius ſeculi, vel aduentus Domini, nihil mihi aliud videtur quàm ſcire velle, quod ipſe ait ſcire neminem poſſe. Opportunitas verò illius temporis, profectò non erit antequam prædicetur Euangelium in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus. Apertiſſima enim de hac re legitur ſententia Saluatoris dicẽtis, Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe in teſtimonium omnium: & tunc veniet finis. Tunc veniet, quid eſt, niſi antè non veniet? Quantò pòſt ergo veniat, incertum nobis eſt: antè tamẽ non eſſe venturum dubitare vtique non debemus. Si ergo ſuſciperent hunc laborem ſerui Dei, vt peragrato orbe terrarum quantum poſſent colligerent quod remanet gentium, vbi nondum eſt Euangelium prędicatum, hinc aduertere vtcunque poſſemus, quantum hoc tempus longè ſit à fine ſeculi.

Matth. 24

Prædicato Euangelio, Chriſtum ad iudiciũ venturum.

Ad eundem, Epiſt. LXXX.

Quomodo autem tardus eſt eius aduentus, vel quomodo lõgè futurꝰ eſt, cùm ipſi Apoſtoli tem-

Apoſtoli diem Domini nouerunt.

li tempore, quo adhuc erant in carne, dixerint, Nouissima hora est? quanuis à Domino audierint, Non est vestrum scire tempora. Hoc ergo nesciebant, quod nescimus & nos. Quātùm ad me attinet, dico, & eos qui hoc mecum nesciūt, & tamen quibus dictum est, Non est vestrū scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate: diligebant eius manifestationē, & dabant conseruis in tempore cibaria, nec percutiebāt eos dominando eis, nec luxuriabantur cum amatoribus mundi, dicentes, Moram facit Dominus meus. Alia est ergo ignorantia temporum, alia labes morum, amórque vitiorum. Nam &
2. Thessal. 2 Apostolus Paulus quando dicebat, Non citò moueamini mente, neque terreamini, siue per verbum, siue per Epistolam, tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini: nolebat vtique vt crederent eis, qui iam appropinquare Domini arbitrabantur aduentum. Nec tamen
Luce 12 volebat vt tanquam seruus ille, dicerent, Moram facit dominus meus venire: & traderent se superbiæ luxuriæque perdendos. Sed sic eos nolebat de propinquante die nouissimo falsis auscultare rumoribus, vt tamē vellet eos paratos ad aduētum Domini sui lumbis accinctis,
1. Thessal. 5 & lucernis ardētibus operiri: quibus dicit, Vos autem fratres, non estis in tenebris, vt vos dies ille tanquam fur comprehendat. Omnes enim vos filii lucis estis, & filii diei: non sumus noctis neq; tenebrarum. Ille autem qui sic dicit, Moram facit dominus meus venire, vt percutiat conseruos suos, epuletur cum ebriosis: non est lucis, sed tenebrarum: & ideo eum tanquam fur dies ille comprehendet. Quod vnusquisque debet etiam de die huius vitæ suæ nouissimo formidare. In quo enim quenque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum cōprehendet mundi nouissimus dies: quoniam qualis in die isto quisq; moritur, talis in die illo iudicabitur. Ad hoc pertinet quod in Euangelio se-
Marci 13 cundum Marcum ita scriptum est, Vigilate ergo, quia nescitis quādo dominus domꝰ veniat: sero an media nocte, an gallicantu, an manè. ne cùm venerit repentè, inueniat vos dormiētes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. Quibus enim omnibus dicit, nisi electis & dilectis suis ad corpus eius pertinētibus, quod est Ecclesia? Non solùm ergo illis dixit, quibus tunc audientibus loquebatur, sed etiā illis qui fuerūt post illos ante nos, & ad nosipsos, & qui erūt post nos, vsq; ad eius nouissimū aduētum. Ac per hoc vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inueniat eum Domini aduētus.

Ad Demetriadem, Epist. CXLII.

Ad illum diem para te, in quo mundi gloria finienda est. Illum inquam diem, quem Saluator diluuio comparauit, qui multos fallaci se-
1. Thessal. 5 curitate deceptos, furtiuo (vt ait Apostolus) comprehendet aduētu. Quem beatus quoque
2. Petri 3 Petrus describens, ait, Aduenietautē dies Domini sicut fur, in qua cæli magno impetu trāsibunt, elementa verò à calore resoluētur. Cùm hæc omnia dissoluēda sint, quales oportet nos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus expectantes, & properantes in aduentum Domini Dei, in quo cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescēt? Recens factum est, & quod ipsa audisti, cùm ad stridulæ buccinæ sonum Gotthorúmque clamorem, lugubre *Roma à Gothis vastata* oppressa metu domina orbis Roma contremuit. Vbi tunc nobilitatis ordo? Vbi certi & distincti vllius dignitatis gradꝰ? Permixta omnia & timore confusa, omni domui planctus, & æqualis fuit per cunctos pauor. Vnū erat seruus & nobilis, eadem omnibus imago mortis. Nisi quia magis eam timebant illi, quibus fuerat vita iucundior. Si ita mortales timemus hostes, *A minori argumentatur.* & humanam manum: quid faciemus cùm clangore terribili tuba intonare de cælo cœperit, & ad illam Archangeli vocem omni buccina clariorem, totus simul remugiet mundus? Cùm viderimus super nos non manufacta arma cōcuti, sed & virtutes cælorum commoueri, sicut Propheta dicit, Quum venerit Dominus ponere orbem terræ desertum, & peccatores perdere ex eo: quis tunc nobis pauor, quæ caligo, quæ tenebræ, quum nos sæpius ac toties admonitos, & tamen imparatos dies repererit? Tunc, inquit, plangent super se omnes tribus *Matth. 24 Luc. 23* terræ. & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate. Tunc dicent montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos: & petris, Aperite vos nobis. Verùm hæc eorum sint, qui variis huius mundi detenti curis, de mundi non cogitant fine. Tu verò cui aduentus Christi dierum noctiúmque meditatio est, cui pro cōscientiæ puritate Domini est optanda præsentia, quæ consummationem seculi, quasi certum præmii tui tempus expectas, exultationem de cælo capies non timorem, &c.

In Psalmum VI.

Non est vestrum scire tēpora quæ Pater po- *Actorum 1 Matth. 24* suit in sua potestate. Et de die verò & hora illa nemo scit, neque Angelus, neque virtus, neque Filius, nisi solus Pater. Et illud quod scriptum est, tanquam furem venire diem Domini: satis *1. Thessal. 5* apertè ostēdit neminem sibi oportere arrogare scientiam illius temporis computatione aliqua annorum. Si enim post septē millia annorum ille dies venturus est, omnis homo potest annis cōputatis aduentū eius addiscere. Vbi erit ergo, quòd nec Filius hoc nouit? Quod vtique ideo dictum est, quia per Filium homines hoc nō discunt, nō quòd apud se ipse non nouerit: sed secundum illam locutionem, Tentat *Deut. 13* vos Dominꝰ Deus vester, vt sciat, id est, vt scire faciat vos, Exurge Domine, id est, fac nos exurgere. Cùm ergo ita dicatur, nescire Filium hūc diem, non quòd nesciat, sed quòd nescire faciat eos quibus hoc non expedit scire, id est, non eis hoc ostēdat: quid sibi vult nescio quæ præsumptio, quæ annis computatis, certissimum

sperat post septem annorũ millia diem Domini. Nos igitur quod scire nos Dominus noluit libenter nesciamus,&c.

In Psalmum IX.

Duo Christi aduentus creduntur.

Duos aduentus Domini credimus, vnum præteritum,quem Iudæi non intellexerunt,alterum futurum, quem vtrique speramus. Et quoniam iste quem Iudæi non intellexerunt, gentibus profuit, non inconuenienter accipitur de hoc aduentu dictum, Pro occultis filii: *Roman.11* vbi cæcitas ex parte in Israel facta est, vt plenitudo gentium intraret. Duo etiam iudicia insinuãtur per Scripturas,si quis aduertat,vnum occultum , alterum manifestum . Occultum nunc agitur , de quo Apostolus Petrus dicit, *1.Petri 4* Tempus est vt iudicium incipiat à domo Domini . Occultum itaque iudicium est pœna, qua nunc vnusquisque hominum , aut exercetur ad purgationem, aut admonetur ad cõuersionem , aut si contempserit vocationem & disciplinam Dei,excęcatur ad damnationem.Iudicium autem manifestum est , quo venturus est Dominus iudicare viuos & mortuos,omnibus fatẽtibus eum esse à quo & bonis præmia, *2.Timoth.4* & malis supplicia tribuantur . Sed tunc illa confessio , non ad remedium malorum, sed ad cumulum damnationis valebit. De iis duobus iudiciis, vno occulto, alio manifesto , videtur mihi Dominus dixisse,vbi ait, Qui in me credit,transiet de morte ad vitam,nec in iudicium *Ioannis 5* veniet:in iudicium scilicet manifestum. Nam *Hebr.12* hoc quod transit de morte ad vitam per nonnullam afflictionem , qua flagellat Dominus omnem filium quem recipit , iudicium occul- *Ioannis 3* tum est. Qui autem non credit,inquit,iam iudicatus est,id est,isto occulto iudicio,iam præparatus est ad illud manifestum. Hęc duo iudicia etiam in Sapiẽtia legimus,vbi scriptum est, *Sapient.12* Propter hoc tanquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti . Hic autem hoc iudicio non correcti, dignum Dei iudicium experturi sunt. Qui ergo non corrigũtur isto occulto iudicio, dignissimè illo manifesto puniẽtur.

De verbis Apostoli,Sermo. XXXV.

Remotis omnibus probationibus rationem Deo reddituri.

Rogo vos fratres,vt quotidie cogitemus quales erimus in die iudicii , purissimis Angelorum conspectibus offerendi, & æterno Iudici rationem de libris conscientiæ reddituri,remotis omnibus probationibus. Certum est in die illa ipsum ante se hominem constituendum, & ipsam sibi vitam in cordis speculo demonstrandam , & testes contra eum non de foris aliquando , sed intus de ipsa anima proferendos. Adiicienda erunt non aliqua peregrina , sed nimium nota testimonia , id est , opera sua. Ordinabuntur ante infelicem animã peccata vel crimina sua , vt eam & conuincat probatio , & confundat agnitio , secundum illud *Psalm 49* quod scriptum est, Arguam te , & constituam te ante faciem tuam,&c.

DE MORTVIS.

Libro II. Quæstionum Euangeliorum, Cap.XXXVIII.

Quod autem apud Lucam Abraham diuiti dicit, ad ea loca in quibus torquentur impii, iustos etiam si velint, non posse transire : quid aliud significat nisi post hanc vitam ita receptis in carcere , vt inde non exeant donec reddant nouissimum quadrãtem,per incõmutabilitatem diuinæ sententiæ nullum auxilium misericordiæ posse præberi à iustis, etiã si velint illud prębere? Quod admonet scilicet,vt in hac vita homines subueniant quibus possint. *In hac vita hominibus subueniendum.*

Libro XII. de Genesi ad literam, Cap.XXXII.

Anima exuta corpore, vitium ad aliqua loca corporalia, vel corporibus similia feratur.

Si autem quæritur,cùm anima de corpore exierit , vtrùm ad aliqua loca corporalia feratur,an ad incorporalia corporalibus similia,an verò nec ad ipsa, sed ad illud quod & corporibus & similitudinibus corporum est excellentius:citò quidem responderim , ad corporalia loca eã vel non ferri nisi cum aliquo corpore, vel non localiter ferri . Iam vtrùm habeat aliquod corpus, quum de hoc corpore exierit,ostendat qui potest:ego autẽ non puto. spiritalem enim arbitror esse non corporalem. Ad spiritalia verò pro meritis fertur, aut ad loca pœnalia similia corporibus. Neq; enim video cur habeat anima similitudinem corporis sui, cùm iacente sine sensu ipso corpore,nondum tamẽ penitus mortuo , videt talia qualia multi ex illa subductione viuis redditi narrauerunt,& nõ habeat,cùm perfecta morte penitus de corpore exierit. Aut ergo ad illa fertur pœnalia,aut ad alia itidem similia corporalibus, nec tamen pœnarum, sed quietis atque gaudiorum. Neque enim rectè dici potest vel illas falsas esse pœnas, vel illam falsam requiem atque lætitiã. Tunc enim hæc falsa sunt, quando per opinationis errorem alia pro aliis putantur. Est ergo prorsus inferorum substantia: sed eam spiritalem arbitror esse non corporalem,&c.

In Euangelium Ioannis,Tractatu XLIX.

Diuersæ custodiæ mortuorum. Lucæ 16

Sicut ergo diuersæ custodiæ agentium in officio,sic & diuersæ custodiæ mortuorum, & diuersa merita resurgẽtium. Receptus est pauper,receptus est & dives : sed ille in sinu Abrahæ,ille vbi sitiret & guttam non inueniret. Habent ergo omnes animæ , vt ex hac occasione instruam charitatem vestram,habent omnes animæ , quum de seculo exierint,diuersas receptiones suas : habent gaudium boni , & mali tormenta . Sed quum facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit , & malorum tormenta grauiora, quando cum corpore torquebuntur. Recepti sunt in pace sancti Patriarchæ,Prophetæ,Apostoli, Martyres,boni fideles : omnes tamen adhuc in fine recepturi

sunt

sunt quod promisit Deus. Promissa est enim resurrectio etiam carnis, mortis consumptio, vita æterna cum Angelis: hoc omnes simul accepturi sumus. Nam requiem quæ continuò post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque quum moritur. Priores acceperunt Patriarchæ: videte ex quo requiescunt. Posteriores Prophetę, recenti° Apostoli, multò recentius sancti Martyres, quotidie boni fideles, & alii in ista requie tandiu sunt, alii non tandiu, alii paucioribus annis, alii recenti tempore. Quum verò ab hoc somno euigilabunt, simul omnes quod promissum est accepturi sunt, &c.

Tractatu LXVII.

Ioannis 14 In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Proinde respuendi sunt à corde Christiano, qui putant ideo dictum multas esse mansiones, quia extra cælorum regnum erit aliquid, vbi maneant beati innocentes, qui sine Baptismo ex hac vita emigrarũt, quia sine illo in regnum cælorum intrare non potuerunt. Hæc fides non est fides, quoniam non est vera & catholica fides. Ita ne tandem stulti homines, & carnalibus cogitationibus exæcati, quum reprobandi essetis, si mansionem non dico Petri & Pauli, vel cuiuslibet Apostolorum, sed cuiuscunque paruuli baptizati à regno cælorum separaretis: non vos putatis esse reprobandos, qui domum Dei Patris inde separatis? Non enim ait Dominus, In vniuerso mundo, aut in vniuersa creatura, aut in vita vel beatitudine sempiterna mãsiones multę sunt, sed In domo, inquit, Patris mei mansiones multæ sunt.

De infantibus qui sine Baptismate decesserũt

In Psalmum CVIII.

Quemodo spiritus mortuorũ sciant quæ circa viuos agantur. Lucæ 16 Magnam quidem esse quæstionem dico, nec in præsentia differendam, quòd sit operis prolixioris, vtrùm, vel quatenus, vel quomodo ea quæ circa nos aguntur nouerint spiritus mortuorum. Veruntamen quod breuiter dici potest, si nulla illis esset cura de nobis, non diceret Dominus dixisse illum diuitem, qui tormenta apud inferos patiebatur, Habeo ibi quinque fratres, ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum. Sed quomodolibet intelligãt, qui hoc aliter intelligere conãtur, & quia fatendum est non esse consequens, vt si sciunt mortui suos viuere, quia nec in locis pœnarum eos vident, vbi diues ille erat, nec in requie beatorum, vbi Lazarum & Abraham, quanuis à longè agnoscebat: ideo eos etiam illa quæ circa eorum charos aguntur, vel læta, vel tristia, scire necesse sit. Hoc dico paucos esse eius animi homines, qui post mortem suam quid suis boni malíve contingat, saltem dum viuunt, negligant, atque omnino contemnãt: multos autem, quod indicat etiam tanta cura commendandæ vltimæ voluntatis, & qualiumcunque testamentorum, satis agere, vt quum defuncti fuerint suis bene sit, &c.

Sermo. CXXXIX. de tempore.

Philosophorum de mortuis opinio. Quæsitũ est à quibusdã Philosophis quòd postea cùm fuerit homo mortuus quid erit. In hoc contriuerunt ingenia sua, & laboraverunt quantum ingenia potuerunt, reddere hominibus rationem, vel sibi vel aliis, & dixerunt animas hominum malè viuentium immũdas pessimis moribus, quum exierint de corporibus, rursus continuò reuolui ad alia corpora, & pœnas hic luere quas videmus: eas verò animas quæ bene vixerunt, quum exirent de corporibus, ire ad superna cælorum, requiescere ibi in stellis & luminibus istis conspicuis, vel quibuscunque cælestibus abditisque secretis, obliuisci omnium pręteritorum malorum, & rursus delectari redire ad corpora, & venire iterum ad ista patienda. Hoc ergo interesse voluerunt inter animas peccatorum, & animas iustorum: quia peccatorum animas de proximo statim quum exierint de corporibus, dicunt reuolui ad altera corpora: iustorum autem animas diu esse in requie, non tamen semper, sed rursus delectari corporibus. & de summis cælis post tantam iustitiam, ad ista mala facere ruinam. Hoc dixerunt valde magni Philosophi mundi huius, de quibus dicit Scriptura nostra, Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi, &c.

Serm. XV. de Sanctis.

Silicernia gentilium. Miror cur apud quosdam infideles hodie tam pernicios⁹ error increuerit, vt super tumulos defunctorum cibos & vina conferant, quasi egressę de corporibus animę, carnales cibos requirant. Epulas enim & refectiones caro tantùm requirit: spiritus autem & anima iis non indigent. Parare aliquis suis charis dicit quod ipse deuorat, quod præstat ventri, imputat pietati. Cessate ergo, fratres, ab hoc gentili infidelitatis errore. Animæ enim sanctæ, quæ in hoc seculo, aut per vitæ innocentiam puræ sunt, aut pœnitentiæ satisfactione purgantur, à Saluatore nostro recipiuntur, & cum eo esse credendæ sunt, secundum Apostoli dictum, Cupio dissolui, & esse cum Christo. Animę ergo fratrum parentúmque nostrorum minimè cibis carnalibus delectantur. Offendi his magis possunt quàm delectari, si quum illæ insacris sedibus sint, vos eas esse in terra credatis. Cessate ergo ab his errorib⁹, & sicut scriptum est, Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram: vt superstitiones fidei vestræ contrarias repudiantes, dum ea quæ Deo placita sunt facitis, etiam vos cum Christo in ęternum esse mereamini. *Philip 1* *Coloss. 3*

Libro XIII. de ciuitate Dei, Cap. VIII.

In requie sunt piorũ animæ. In requie enim sunt animæ piorum à corpore separatæ: impiorum autem pœnas luunt, donec istarum ad æternam vitam, illarum verò ad æternam mortem, quæ secunda dicitur, corpora reuiuiscant.

De spiritu & anima, Cap. XXIX.

Mortui quomodo sciat quæ fiunt in hoc mundo.

Cùm homines mortui siue viui, hominibus dormientibus vel vigilantibus apparent, non in ipsis rebus vt sunt videntur, sed in quibusdam similitudinibus rerum. Istud autē Angelicis operationibus fieri credimus, per dispēsationem prouidentiæ Dei, bene vtentis bonis vel malis secundum inscrutabilem altitudinem iudiciorum suorum, siue hinc instruantur mentes mortalium, siue fallantur, siue consolentur, siue terreantur, sicut vnicuique vel prębenda est misericordia, vel irroganda iustitia, ab eo cui misericordiam & iudicium non inaniter decantat Ecclesia. Ibi siquidem sunt spiritus defunctorum, vbi non vident neque audiunt quæ aguntur aut eueniunt in ista vita hominibus: ita tamen est eis cura de viuis, quāquam quid agant omnino nesciant, quemadmodum cura est nobis de mortuis, quanuis quid agant vtique nesciamus. Nesciunt quidē mortui quid hic agatur.

Psalm. 100

Eodem lib. Cap. XI.

Sic autem infirmitas humana sese habet, vt cùm mortuū in somnis quisque viderit, ipsius animam se videre arbitretur. quum autem viuum similiter somniauerit, non eius animā neque corpus, sed hominis similitudinem sibi apparuisse non dubitet: quasi non possint & mortuorum hominum eodem modo nescientium, non animæ sed similitudines apparere dormiētibus. Pro certo quum Mediolani essemus, audiuimus, quòd quum debitum repeteretur à quodā, defuncti patris cautione prolata, quod filio nesciente à patre iam fuerat persolutum: contristari homo grauissimè cœpit, atque mirari, quòd ei pater moriens nō dixerit quid deberet, quum fecisset etiam testamētum. Tunc nimis anxio apparuit idē pater eius in somnis, & vbi esset recautum quo illa cautio vacuata fuerat indicauit. Quo inuēto iuuenis atque monstrato, non solùm falsi debiti calumniam propulsauit, sed etiā paternum recepit chirographum, quod pater non receperat, quādo est persoluta pecunia. Hic itaque putatur animā hominis curam gessisse pro filio, & ad eum venisse dormientem, vt docens quod ignorabat, à magna eum molestia liberaret. Sed eodē ipso fermè tempore quo id audiuimus, id est nobis apud Mediolanū cōstitutis, Carthaginis rhetor Eulogius, qui meus in eadem arte discipulus fuit, sicut mihi ipse, posteaquā in Africam remeauimus retulit: quum rhetoricos Ciceronis libros discipulis suis traderet, recensens lectionem, quam postridie fuerat traditurus, quendam locum offendit obscurum. Quo non intellecto, vix potuit dormire solicitus. Qua nocte, somnianti ego illi quod non intelligebat exposui. imò non ego, sed imago mea nesciente me, & tam longè trans mare aliquid aliud siue agente siue somniāte, & nihil de illius curis omnino curante. Quomodo fiant ista nescio. Sed quomodolibet fiant: cur nō eodem modo, fieri credimus, vt in somnis quisque videat mortuum, quomodo fit vt videat & viuum, ambobus vtique nescientibus, neque curātibus quis vel vbi, vel quando eorum imagines somniet?

Exemplum.

Cap. XIII.

Quid mortui viuorū agāt & rebus nam misceātur.

Si rebus viuentium interessent animæ mortuorum, & ipsæ nos quando eas videmus alloquerētur in somnis, vt de aliis taceā, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ terra marique secuta est vt mecum viueret. Absit enim vt facta sit vita feliciore crudelis, vsqueadeò vt quando aliquid angit cor meum, nec tristem filium cōsoletur, quem dilexit vnicè, quē nunquā voluit mœstū videre. Sed profectò quod sacer Psalmus personat verum est, Quoniā pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me. Si ergo dereliquerunt nos patres nostri, quomodo nostris curis & rebus intersunt? Si autem parentes nō intersunt, qui sunt alii mortuorum qui nouerunt quid agamus, quidve patiamur? Esaias Propheta dicit, Tu es enim Pater noster, quia Abraham nesciuit nos, & Israel non cognouit nos. Si tanti Patriarchæ, quid erga populum ex iis procreatū ageretur ignorauerunt, quibus Deo credētibus populus ipse de illorum stirpe promissus est. quomodo mortui viuorum rebꝰ atque actibus cognoscendis adiuuandísque miscentur? Quomodo dicimus eis fuisse consultum, qui obierunt antequā venirent mala, quæ illorum obitum consecuta sunt, si & post mortem sentiunt quæcunque in vitæ humanæ calamitate contingunt? An fortè nos errando ista dicimus, & hos putamus quietos, quos inquieta vita viuorum solicitat? Quid est ergo quòd piissimo regi Iosiæ pro magno beneficio promisit Deus, quòd esset ante moriturus, ne videret mala quæ ventura illi loco & populo minabatur? Quæ Dei verba ista sunt, Hæc dicit Dominꝰ Deus Israel, Verba mea quæ audisti, & veritus es à facie mea, cùm audisti quæ locutus sū de isto loco, & qui commorantur in eo, vt deseratur, & in maledicto sit: & conscidisti vestimenta tua, & fleuisti in conspectu meo, & ego audiui, dixit Dominus Deus Sabaoth. Nō sic. Ecce ego apponā te ad patres tuos, & apponeris cum pace, & non videbunt oculi tui omnia mala, quæ ego induco in locum hunc, & qui cō morantur in eo. Territus iste Dei cōminationibus fleuerat, & sua vestimenta conciderat, & fit omnium malorum futurorum de properatura morte securus: quòd ita requieturus esset in pace, vt illa omnia non videret. Ibi ergo sunt spiritus defunctorum vbi nō vident quæcunque aguntur aut eueniunt in ista vita hominibus. Quomodo ergo vidēt tumulos suos, aut corpora sua, vtrùm abiecta iacēāt, an sepulta? Quomodo intersunt miserię viuorum, cùm vel sua ipsa mala patiantur, si talia merita contraxerunt, vel in pace requiescāt, sicut huic Iosiæ promissum est, vbi mala vlla nec patiendo

Psal. 26.

Esaiæ 63.

4. Reg. 22. 2. Paral. 34.

nec

nec compatiendo sustineant, liberati ab omnibus malis quæ patiendo & compatiendo cùm hic viuerent sustinebant?

Cap. XIIII.

De Lazaro & diuite. Dixerit aliquis, Si nulla est mortuis cura de viuis, quomodo ille diues qui apud inferos torquebatur, rogabat Abraham patrem vt mitteret Lazarum ad quinque fratres suos nõdum mortuos, & ageret cum eis ne venirẽt & ipsi in eundẽ tormẽtorum locum? Sed nunquid quia *Luc.16.* hoc ille diues dixit, ideo quid fratres agerẽt vel quid paterentur in illo tẽpore sciuit? Denique Abrahã nec Lazarũ misit, & Mosẽ ac Prophetas hîc eos habere respondit, quos audire debe rent, vt ad illa supplicia non venirent. Vbi rursus occurrit, quomodo quid hîc ageretur Abraham pater nesciebat, vbi sciebat esse Mosen & Prophetas, id est, libros eorum, quibus homines obediendo tormenta æterna euitarent, vbi denique nouerat diuitem illum in delitiis, pauperem verò Lazarum in laboribus doloribúsque vixisse? Nam & hoc illi ait, Memento fili, quia percepisti bona in vita tua, Lazarus autẽ mala. Sciebat ergo hæc, quæ vtique apud viuos non apud mortuos gesta fuerant. Verùm non quum agerẽtur in viuis, sed eis mortuis potuit Lazaro indicãte cognoscere, ne falsũ sit, quod *Esaiæ 63* ait Propheta, Abraham nesciuit nos.

Iib. eodem, Cap. XV.

Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua quæ hîc aguntur, quæ necessarium est eos nosse, & quæ necessarium non est eos non nosse, nõ solùm præterita vel præsentia, verumetiam futura Spiritu Dei reuelante cognoscere: sicut non omnes homines, sed Prophetæ dum hîc viuerent cognoscebant, nec ipsi omnia, sed quæ illis esse reuelanda Dei prouidentia iudicarat. Mitti quoque ad viuos aliquos ex mortuis, sicut ecõtrario Paulus ex viuis in Paradisum rap- *2. Cor. 12.* tus est, diuina Scriptura testatur. Nã Samuel *1. Reg. 28.* Propheta defunctus viuo Sauli etiam regi futura prædixit: quanuis nõnulli non ipsum fuisse, qui potuisset magicis artibus euocari, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruẽtem, illius existiment similitudinem figurasse: *Eccles. 46.* quum liber Ecclesiasticus, quẽ Iesus filius Sirach scripsisse traditur, & propter eloquii nonnullam similitudinẽ Salomonis pronuntiatur, cõtineat in laude Patrum, quòd Samuel etiam mortuus prophetauerit. Sed si huic libro, ex Hebræorum, quia in eo non est, canone cõtradicitur, quid de Mose dicturi sumus, qui certè *Deut. 34. Matth. 17.* & in Deuteronomio mortuus, & in Euangelio cum Helia, qui mortuus non est, legitur apparuisse viuentibus?

Ad Laurentium in Enchiridio, Cap. CIX.

Animarũ status ante vltimam resurrectionem. Tempus autem, quod inter hominis mortem & vltimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut vnaqueque digna est, vel requie, vel ærũna, pro eo quod sortita est in carne quum viueret.

DE POENIS INFERNI ET damnatione malorum.

Libro IIII. de Baptismo contra Donatistas, Cap. XIX.

Pœnæ dãnatorum diuersæ. Matth. 11. Dubitandum non est ipsas pœnas quibus cruciabuntur, qui regnũ Dei nõ possidebunt, pro diuersitate criminum esse diuersas, & alias aliis acriores, vt in ipso igne æterno, pro disparibus põderibus peccatorum sint disparia tormenta pœnarum. Neque enim frustra ipse Dominus dicit, Tolerabilius erit Sodomis, quàm vobis in die iudicii.

Libro XII. de Genesi ad literã, Cap. XXXIII.

Cõtra illos qui negant esse infernas post mortem. Nec audiendi sunt, qui affirmant inferos in hac vita explicari, nec esse post mortem. Videruit enim quemadmodum poetica figmẽta interpretẽtur. Nos ab auctoritate diuinarũ Scripturarum, quibus solis de hac re fides habenda est, recedere non debemus. Quanquam possimus ostendere illorum quoque sapiẽtes, de inferorum substãtia minimè dubitasse, quæ post hanc vitam excipit animas mortuorum. Vnde autem sub terris esse dicãtur inferi, si corporalia loca non sunt, aut vnde inferi appellantur, si iub terris nõ sunt, meritò quæritur. Animam verò non esse corpoream nõ me putare, sed planè scire audeo profiteri: tamen habere posse similitudinem corporis, & corporalium omnino mẽbrorũ quisquis negat, potest negare animã esse, quæ in sõnis videt vel se ambulare, vel sedere, vel hac atque illac, gressu aut etiam volatu ferri ac referri: quod sine quadam similitudine corporis non fit. Proinde si hanc similitudinem etiam apud inferos gerit, non corporalem sed corpori similem, ita etiam in locis videtur esse non corporalibus, sed corporalium similibus, siue in requie, siue in doloribus. Quãquam & illud me nondum inuenisse confiteor inferos appellatos, vbi iustorũ animæ requiescunt. Et Christi quidem animã venisse vsque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, vt eos solueret à tormentis, quos esse soluendos occulta nobis sua iustitia iudicabat, non immeritò creditur. Quomodo enim aliter accipiendum sit quod dictum est, Quem Deus suscitauit ex mortuis solutis doloribus inferorũ, quia *Act 2.* non poterat teneri ab eis: nõ video, nisi vt quorundam dolores, apud inferos eum soluisse accipiamus, ea potestate, qua Dominus est, cui omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, & *Philip. 2.* infernorum, per quam potestatẽ etiam illis doloribus quos soluit, non potuit teneri. Neque enim Abrahã, vel ille pauper, qui in sinu eius, *Luc. 16.* hoc est in secreto quietis eius, in dolorib⁹ erat inter quorum requiem, & alia inferni tormenta legimus magnum chaos firmatum: sed nec apud inferos esse dicti sunt. Contigit enim mori (inquit) inopem illum, & afferri ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est. Et quum apud inferos in tormen-

tis esset, &c. Videmus itaque inferorum mentionem non esse factam in requie pauperis, sed in supplicio diuitis. Illud etiam quod Iacob dicit ad filios suos, Deducetis senectutem meam cum tristitia ad inferos, videtur hoc magis timuisse, ne nimia tristitia sic perturbaretur, vt non ad requiem beatorum iret, sed ad inferos peccatorum. Neque enim paruum animæ malum est tristitia, quum etiã Apostolus cuidam tam solicitè timuerit, ne maiore tristitia absorberetur. Proinde, vt dixi, nõdum inueni, & adhuc quæro, nec mihi occurrit inferos alicubi in bono posuisse Scripturam, duntaxat canonicam. Non autem in bono accipiendum sinum Abrahæ, & illam requiem, quõ ab Angelis pius pauper ablatus est, nescio vtrùm quisquã possit audire: & ideo quomodo eum apud inferos credamus esse, non video.

Gene. 44.

2. Cor. 2.

Ad Iulianum, Epistola CXI.

Summo studio, summáque vigilantia est nobis curandum, vt non audiamus à Christo iudice omniũ in die iudicii, quod peccatores audierint, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Verè enĩ diabolo præparata est gehẽna, & omnibus operibus hominum, si faciamus opera diaboli. Væ iis quibus præparatur dolor vermium, ardor flãmæ, sitis sine extinctu, fletus & stridor dentium, oculorũ lachrymæ, tenebræ exteriores sine luce, pœna inexterminabilis: vbi non est vllus honor siue agnitio proximi, sed continuus dolor & gemitus: vbi mors optatur, & non dabitur: vbi nõ est honor senioris & regis, nec dominus super seruum, nec mater diligit filium aut filiam, nec filius honorat patrem: vbi omne malum & omnis indignatio & fœtor & amaritudo abundat.

Matth. 25.

Ad Honoratum, Epistola CXX.

Et quoniam extremo iudicio Christus dicturus est eis, quos ad siniſtram discernet, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: his malignis spiritibus cõiungendos simúlque damnandos, dicet ituros in tenebras exteriores, id est, in societatẽ pœnalem diaboli & angelorum eius. Huic pœnæ cõtrarium est, quod bono seruo dicitur, Intra in gaudiũ Domini tui, vt quantò sunt istæ tenebræ exteriores, tantò sit lumen illud interius. Non hæc per locorum interualla inani phantasmate cogitãda sunt. localia spatia non occupant nisi corporum moles, nõ est hoc spiritus vitæ, non est hoc anima rationalis, multò minꝰ Deus, omniũ benignissimus cõditor & iustissimus ordinator. Voluntatibus & affectibus ista vel propinquare, vel lõgè fieri, vel intrare, vel exire dicuntur. Sed qui malo opere, id est, tenebroso delectãtur facientes, secutura est pœna quæ torqueat: ideo Dominus vbi dixit, Tenebras exteriores: addidit etiam, Ibi erit fletus & stridor dentium, ne talibus oblectationibus, qualibus hîc iniqui perfruuntur, quando infidelitate atque iniustitia tenebrescunt, etiam in illo supplicio

Matth. 25.

De tenebris exterioribus.

seuſuros clementer existimẽt. Quia enim volẽtes iniustè vtuntur bonis, iustè nolentes cruciabuntur malis. Quibus à charitatis luce auersa mens in peccatis oblectatur, exteræ tenebræ: corporis autem mala, quibus æternis in finem torquebitur, exteriores tenebræ, quas solas timẽt, qui seruili adhuc timore detinentur. Nam si eis liceret in illis exteris, quæ fũt in peccatis, impunè semper volui & inuolui, profectò nũquã vellẽt accedere ad Deum, & illuminari, & inhærere illi per charitatẽ, vbi est timor castus permanens in seculum seculi: qui timor non cruciat, sed tenaciorem facit animam boni illius, quod si dimiserit, cadet.

De verbis Apostoli, Sermo. XVIII.

Duæ quippe habitationes sunt, vna in igne æterno, alia in regno æterno. Puta quia in igne æterno aliter ille, aliter ille torquebuntur. vbi erunt tamen ibi omnes cruciabuntur, minus ille, plꝰ ille: quia tolerabilius erit Sodomæ in die iudicii, quàm alteri ciuitati: & quidã circũeunt mare & terram facere vnum proselytum: quem cùm fecerint, faciunt eum filium gehennæ duplo quàm sint ipsi. Puta quia alii duplo, alii simplo, puta quia alii plus, alii minus. Non est regio vbi tibi eligas locum. Quæcunque ibi mitiora tormenta sunt, peiora sunt, quàm quæ formidas in isto seculo.

Duæ essentiales tabernacula. Marc. 10. Matth. 25.

Sermo. LXXXI. de tempore.

Propterea enim ignis æternus inextinguibilis dicitur, non solùm quia ipse non extinguitur, sed quia nec eos quos susceperit extinguet aut perimet. Scriptura etenim dicit, quia & peccatores induent incorruptionem, scilicet non ad honorem vitæ, sed ad diuturnitatẽ supplicii profuturam. Huius autem pœnę & ignis illius potentiam nulla vox exponere, nullus poterit sermo explanare. Nihil est enim in rebus corruptibilibus, quod conferri possit incorruptibilibus siue bonis, siue malis. Ibi quid agemus, quid respondebimus? Nihil erit nisi stridor dentium, nisi vlulatus & fletus, & sera pœnitentia cessantibus vndique auxiliis, & vndique inualescentibus pœnis: sed solatium quidem nullũ. Nullus ibi occurret oculis nostris, nisi soli pœnarum ministri, & facies dira torto rum. Verùm has pœnas, hos cruciatus non solùm euadere, sed etiam æternã beatitudinem, si modò de malis nostris pœnitentiam agimus, possumus acquirere. &c.

Ignis infernalis quare dicatur inextinguibilis.

Matth. 25.

Quæstionũ super Numeros, Quæstio XXIX.

Et descenderunt ipsi & omnia quæcunque sunt eis, viuẽtes ad inferos. Notandum secundum locum terrenum dictos esse inferos, hoc est, in inferioribus partibus terræ. Variè quippe in Scripturis & sub intellectu multiplici, sicut rerum de quibus agitur sensus exigit, nomen ponitur inferorum, & maxime in mortuis hoc accipi solet. Sed quoniam istos viuentes dictum est ad inferos descẽdisse, & ipsa narratione quid factum fuerit satis apparet, manifestum

Num. 16. *Infernus quadruplex dicitur.*

festum est, vt dixi, inferiores partes terræ inferorum vocabulo nuncupatas, in comparatione huius superioris terræ, in cuius facie viuitur, sicut in comparatione cæli superioris, vbi sanctorum demoratio est Angelorum, peccantes Angelos in huius aeris detrusos caliginem

2. Petri 2 Scriptura dicit, tanquam carceribus inferi puniendos reseruari. Si enim Deus, inquit, Angelis peccãtibus non pepercit, sed carceribus inferni caliginis retrudẽs, tradidit in iudicio puniẽdos reseruari: cùm Apostolus Paulus, principem potestatis diabolum dicat, qui operatur in filiis diffidentiæ. &c.

Ad Laurentium enchiridii Cap. XCIII.

Mitissima omnium parnulorum pœna. Mitissima sanè omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod originale traxerũt, nullum insuper addiderunt, & in cæteris quæ addiderunt, tantò quisque tolerabiliorem ibi habebit damnationem, quantò hìc minorem habuit iniquitatem.

Eodem libro, Cap. CXI.

Facultas dãnãtis peccãdi deest. Post resurrectionem verò, facto vniuerso completóque iudicio, suos fines habebũt ciuitates duæ, vna Christi, altera diaboli, vna bonorum, altera malorum, vtraque tamen Angelorum & hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit vlla esse peccãdi, vel vlla conditio moriendi: istis in æterna vita verè felicitérque viuentibus, illis infeliciter in æterna nocte sine moriendi potestate durantibus: quoniam vtrique sine fine. Sed in beatitudine isti alius alio præstabilius, in miseria verò illi, alius alio tolerabilius permanebunt.

Eodem libro, Cap. CXII.

De iis qui non credũt æternas esse pœnas impiorum. Frustra itaque nonnulli, imò quàm plurimi, æternam damnatorum pœnam, & cruciatus sine intermissione perpetuos, humano miserãtur affectu, atque ita futurũ esse nõ credunt: nõ quidem Scripturis aduersando diuinis, sed pro suo motu dura quæque molliendo, & in leniorem flectendo sententiã, quæ putant in eis terribilius esse dicta quàm verius. Non enim obliuiscetur, inquiunt, misereri Deus, aut continebit in ira sua miserationes suas. Hoc quidem in

Psalm. 76 Psalmo legitur sãcto. Sed de iis sine vllo scrupulo intelligitur, qui vasa misericordiæ nuncupãtur, quia & ipsi non pro meritis suis, sed Deo

Roman. 9 miserante de miseria liberantur. Aut si hoc ad omnes existimant pertinere, non ideo necesse est, vt damnationem opinentur posse finiri eorum, de quibus dictum est, Et ibũt hi in supplicium æternum: ne isto modo putetur finem habitura quandoque felicitas eorum, de quibus econtrariò dictum, Iusti autem in vitam æternam. Sed pœnas damnatorum certis tẽporum

Matth. 25 interuallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari. Etiã sic quippe intelligi potest manere in illis iram Dei, hoc est, ipsam damnationem. Hæc enim vocatur ira Dei, non diuini animi perturbatio, vt in ira sua, hoc est, manente ira sua, non tamen contineat miserationes

Psal. 76 suas, non æterno supplicio finem dando, sed leuamen adhibendo, vel interponendo cruciatibus. Quia nec Psalmus ait, Ad finiendam iram suam, vel post iram suam, sed in ira sua. Quæ si sola esset, quãta ibi minima cogitari potest, perire à regno Dei, exulare à ciuitate Dei, alienari à vita Dei, carere tã magna multitudine dulcedinis Dei, quã abscondit timentibus se, perfecit autẽ sperantibus in se, tam grãdis est pœna, vt ei nulla possint tormenta, quæ nouimus, comparari, si illa sit æterna, ista autem sint quãlibet multis seculis longua

Psal. 30

Cap. CXIII. eodem libro.

Perpetua est pœna damnatorum. Manebit ergo sine fine mors illa perpetua damnatorum, id est, alienatio à vita Dei, & omnibus erit ipsa communis, quanlibet homines de varietate pœnarum, de dolorum releuatione, vel intermissione, pro suis humanis motibus suspicentur: sicut manebit communiter omnium vita æterna Sanctorum, quanlibet bonorum distantia concorditer fulgeant.

In Psalmum LVII.

Futurã pœnã duas species habere. Est quædam pœna futura gehennæ ignis, ignis æternus. Futura enim pœna duas species habet: aut inferorum est, vbi ardebat ille diues, qui volebat sibi stillã aquæ stillari in linguam de digito pauperis, quem ante ianuam suã contemserat, quãdo ait, Quoniam crucior in hac flamma. Et altera est illa in fine, de qua audituri sunt, qui ad sinistram ponendi sunt, Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo & angelis eius. Illæ pœnæ manifestæ erunt eo tẽpore, quãdo exitum fuerit ex hac vita, aut finito seculo peruentum ad resurrectionem mortuorum.

In Psalmum LXXXV.

Incerta esse de inferno. Eteruisti animam meã ex inferno inferiori. Quod dicimus fratres, hoc si nõ vobis tanquã certus exposuero, ne succenseatis. homo enim sum, & quantum conceditur de Scripturis sanctis, tantum audeo dicere, nihil ex me. Infernũ nec ego expertus sum adhuc, nec vos. Incerta sunt enim hæc. Verùm quia dicit Scriptura, cui contradici non potest, Eruisti animam meam ex inferno inferiori: intelligimus tãquam duo inferna esse, superius & inferius. Etenim fratres, propter duo ista inferna missus est Filius Dei vndique liberãs. Ad hoc infernum missus est nascendo, ad illud moriendo. &c.

De triplici habitaculo, Cap. I.

Inferni condemnationes. Lacus inferni plenus est tenebrarum, discordiæ, odii, stultitiæ, miseriæ, turpitudinis, amaritudinis, offensionis, doloris, adustionis, sitis, famis, ignis inextinguibilis, tristitiæ, vindictæ perennis, & omnis ineffabilis mali, quod nec dici, nec cogitari potest. Ciues cæli sunt iusti homines & Angeli, quorum Rex est Deus omnipotẽs. At cõtrà ciues inferni, sunt impii homines & dæmones, quorum princeps est diabol⁹. Satiat iustos visio sãctorum hominum & Angelorum, & super omnia ipsi⁹ Dei. Cruciat im-

pios & peccatores visio hominum damnatorum & dæmonum,& super omnia ipsius diaboli. Nihil in regno Dei desyderatur, quod non inueniatur: at in inferno nihil inuenitur,quod desyderatur.

De cognitione veræ vitæ,Cap.XL.

Infernus non est corporeus. Infernus est incorporeus,substantia spiritalis corpori simili, cuius pœna tãtò est intolerabilior,quãtò spiritus corpore est subtilior. Omne enĩ corpus vetustate deficit,diuturnitate dissolutũ interibit. Vnde si infernalis ignis est corporeus,restat vt corporalibus instrumẽtis nutriatur, & sequitur vt illis cõsumptis ipse intereat. Sed constat ignem gehennæ non deficere:ergo spiritalis est. Si autem est corporeus, sed indeficiens creatus est:necesse est vt animæ & spiritus qualecunque corpus induãt,in quo ignem corporeum sentiant.

De fide ad Petrum,Cap.XXXVIII.

Dãnantur omnes extra Ecclesiã decedentes Firmissimè tene & nullatenus dubites,non solùm omnes paganos, sed etiã omnes Iudæos, hæreticos atque schismaticos, qui extra Ecclesiam catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros,qui paratus est diabolo & angelis eius.

Libro XX.de ciuitate Dei,Cap.XVI.

Iudicatis quippe iis,qui scripti non sunt in libro vitæ, & in æternum ignem missis: qui ignis, cuiusmodi, & in qua mũdi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminẽ: nisi fortè cui Spiritus diuinus ostendit·tunc figura huius mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit,sicut factum est mundarum aquarum inundatione diluuii.

Eodem libro,Cap.XXII.

Esaiæ 66. Qualis futura sit egressio Sanctorũ ad videndas pœnas malorum. Matth.8. Sed quomodo egredientur boni ad videndas pœnas malorum? Nunquid corporis motu beatas illas relicturi sedes, & ad loca pœnalia perrecturi, vt malorum tormenta conspiciant præsentia corporali? Absit. Sed egrediẽtur per sciẽtiam. Hoc enim verbo significatum est eos qui cruciabuntur extrà futuros. Propter quod & Dominus ea loca tenebras exteriores vocat, quibus contrarius est ille ingressus, de quo dicitur seruo bono, Intra in gaudiũ Domini tui. Matth.5. Nec illic mali putentur ingredi vt sciantur: sed ad illos potius, velut egredi per scientiam, qua eos cogniturí sunt boni,quia id quod extrà est, cogniturí sunt. Qui enim erunt in pœnis,quid agatur intus in gaudio Domini nesciẽt: qui verò erunt in illo gaudio, quid agatur foris in illis tenebris exterioribus,sciẽt. Ideo dictum est, Egredientur: quia eos etiam qui foris ab eis erunt,vtique non latebũt. Si enim hæc Prophetæ nõdum facta nosse potuerunt,per hoc quod erat Deus quantuluncunque erat in eorũ mortalium mẽtibus, quomodo immortales Sancti, 1.Cor.15. iam facta tunc nescient, quum Deum erit omnia in omnibus?

Post pauca ibidem.

In pœnis autem malorum,& inextinguibilis ignis, & viuacissimus vermis,ab aliis atque aliis,aliter atque aliter expositus est. Alii quippe vtrunque ad corpus, alii vtrunq; ad animã retulerunt: alii propriè ad corpus ignem, vermem verò tropicè ad animã: quod credibilius esse videtur,&c.

Libro XXI.de ciuitate Dei,Cap.II.

An possint corpora in igne ignis esse perpetua. Quid igitur ostendam vnde conuincantur increduli, posse humana corpora animata atq; viuentia, non solùm nunquam morte dissolui, sed in æternorum quoque ignium durare tormentis? Nolunt enim hoc ad Omnipotẽtis nos referre potentiam,sed aliquo exemplo persuaderi sibi flagitant. Quibus si respõdebimus esse animalia profectò corruptibilia, quia mortalia,quæ tamen in mediis ignibus viuãt,nonnullum etiam genus vermium in aquarum calidarum scaturigine reperiri, quarum feruorẽ nemo impune contrectat: illos autem non solùm sine vlla sua lasione ibi esse, sed extrà esse non posse:aut nolunt credere,si ostendere non valemus, aut si valuerimus siue oculis demonstrare res ipsas,siue per testes idoneos edocere, non satis hoc esse ad exemplum rei,de qua quæstio est,eadem infidelitate contẽdunt:quia hæc animalia nec semper viuunt, & in illis feruoribus sine doloribus viuunt: suæ quippe naturæ conuenientibus vegetantur, illis non cruciantur elementis, quasi non incredibilius sit vegetari,quàm non cruciari talibus rebus. Mirabile est enim dolere in ignibus, & tamen viuere: sed mirabilius viuere in ignibus nec dolere. Si autem hoc creditur,curnon & illud?

Cap.III.

Sed nullum est,inquiunt,corpus,quòd dolere possit,nec possit mori. Et hoc vnde scim⁹? Nam de corporibus quis certus est dæmonum, vtrùm in eis doleant, quando se affligi magnis cruciatibus cõfitentur? Quod si respondetur, terrenum corpus solidum scilicet atque conspicuum nullum esse: atque vt vno potius nomine id explicem, nullam esse carnem,quæ dolere possit moríque non possit: quid aliud dicitur, nisi quod sensu corporis homines & experientia collegerunt? Nullam nãque carnem nisi mortalem sciunt. Et hæc est eorum tota ratio,vt quod experti non sunt, nequaquam esse posse arbitrentur,&c.

Cap.IIII.eodem libro.

Corpora humana in igne non absumũtur Quapropter sicut scripserunt,qui naturas animalium curiosius indagarunt, Salamandra in ignibus viuit. Et quidam notissimi Siciliæ montes,qui tanta diuturnitate temporisatque vetustate, vsque nũc & deinceps flãmis æstuãt atq; integri perseuerãt, satis idonei testes sunt, non omne quod ardet absumi. Et anima indicat,non omne quod dolere potest, posse etiam mori,&c.

Cap.XI.eodem libro.

Quare pro temporariis peccatis tot tempus pœna mulctantur æterna. Sic autem quidam eorum contra quos defendimus ciuitatem Dei, iniustum putant, vt pro

pro peccatis quâlibet magnis, paruo ſcilicet tẽpore perpetratis, pœna quiſque dãnetur æterna: quaſi vllius id vnquam iuſtitia legis attendat, vt tanta mora temporis quiſque puniatur, quãta mora temporis vnde puniretur admiſit. Quomodo iterum verum eſt, inquiũt, id quod Matth.7. Luc.6. ait Chriſtus veſter, In qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur vobis, ſi temporale peccatũ ſupplicio punitur æterno? Nec attendunt nõ propter æquale temporis ſpatium, ſed propter viciſsitudinem mali, id eſt, vt qui mala fecerit, mala patiatur, eandem dictam fuiſſe menſuram: quanuis hoc in ea re propriè poſsit accipi, de qua Dominus cùm hoc diceret, loquebatur, id eſt, de iudiciis & condemnationibus. Proinde qui iudicat & cõdemnat iniuſtè, ſi iudicatur & condemnatur iuſtè, in eadem menſura recipit, quanuis non hoc quod dedit. Iudicio enim fecit, iudicio patiatur. Quãuis enim fecerit dãnatione quod iniquum eſt, patiatur damnatione quod iuſtum eſt, &c.

Cap. IX. eodem libro.

De gehenna & æternis quæ ſint pœnis. Eſaiæ 66. Quod igitur de ſempiterno ſupplicio damnatorum per ſuum Prophetã Deus dixit, fiet omnino, fiet, Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Ad hoc enim vehementius commendandum, etiam Dominus Marc.7. Ieſus quum mẽbra quæ hominem ſcandalizãt pro iis hominibus poneret, quos vt ſua membra dextra quis diligit, eáque præciperet amputari, Bonum eſt tibi, inquit, debilem introire in vitam æternam, quàm duas manus habentem ire in gehennã, in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur. Similiter de pede, &c. Non eum piguit vno loco eadẽ verba ter dicere. Quẽ non terreat iſta repetitio, & illius pœnæ comminatio tam vehemens ore diuino? Vtrunque autem horum, ignem ſcilicet atque vermem, qui volunt ad animæ pœnas non ad corporis pertinere, dicunt etiam vri dolore ſero atque infructuoſè pœnitentes eos, qui fuerint à regno Dei ſeparati: & ideo ignem pro iſto dolore vrẽtem, non incongruè poni potuiſſe con- 2.Cor.11. tendunt. Vnde illud Apoſtoli eſt, Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Eundem etiam dolorem, vermem putant intelligendum eſſe. Nam Prouerb.25. ſcriptum eſt, inquiunt, Sicut tinea veſtimẽtum & vermis lignum, ſic mœror excruciat cor viri. Qui verò pœnas & animæ & corporis in illo ſupplicio futuras eſſe non dubitãt, igne vri corpus, animam autem rodi quodammodo vermemœroris affirmãt. Quod & ſi credibilius dicitur, quia vtique abſurdum eſt ibi dolorem aut corporis aut animæ defuturum: ego tamen facilius æſtimo, vt ad corpus dicã vtrunque pertinere quàm neutrum. & ideo tacitũ in illis diuinæ Scripturæ verbis animi dolorem, quoniam cõſequens eſſe intelligitur etiã ſi non dicatur, vt corpore ſic dolente animus quoque ſterili pœnitentia crucietur. Eligat quiſque quod placet, aut ignẽ tribuere corpori, animo vermem, hoc propriè, illud tropicè: aut vtrunque propriè corpori. Nunc enim ex parte ſci- 1 Cap.13. mus, donec veniat quod perfectum eſt: dum tamen nullo modo illa corpora talia eſſe credamus, vt nullis ab igne afficiantur doloribus.

Cap. X.

Matth.25. Ignis infernalis ſine ſpiritu admirat. Hic occurrit quærere, Si nõ erit ignis incorporalis noxius, ſicut animi dolor, ſed corporalis tactu noxius, vt eo poſsint corpora cruciari: quomodo in eo erit etiam pœna ſpirituum malignorum? Idem quippe ignis erit ſupplicio ſcilicet hominum attributus & dæmonum, dicẽte Chriſto, Diſcedite à me maledicti in ignẽ æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius: niſi quia ſunt quædam ſua etiam dæmonibus corpora, ſicut doctis hominibus viſum eſt, ex iſto aere craſſo atque humido, cuius impulſus vento flante ſentitur. Quod genus elemẽti ſi nihil igne perpeti poſſet, non vreret feruefactus in balneis: vt enim vrat, prior vritur, facíſque quod patitur. Si autem quiſquam nulla corpora habere dæmones aſſeuerat, nõ eſt hac de re aut laborãdum operoſa inquiſitione, aut contentioſa diſputatione certandum. Cur itaque non dicamus, quanuis miris, tamen veris modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna ignis corporalis affligi, ſi ſpiritus hominum etiã ipſi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus mẽbris: & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? Adhærebunt ergo ſi eis nulla ſunt corpora ſpiritus dæmonum, imò ſpiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi: non vt ignes ipſi quibus adhærebunt, eorũ iuctura inſpirentur, & animalia fiãt, quæ cõſtent ſpiritu & corpore: ſed vt dixi, miris & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnã, non dantes ignibus vitam: quia & iſte alius modus, quo corporibus adhærent ſpiritus & animalia fiunt, omnino mirus eſt, nec cõprehendi ab homine poteſt: & hoc ipſe homo eſt. Dicerem quidem ſic arſuros, ſine vllo ſuo corpore ſpiritus, ſicut ardebat apud inferos ille di- Luc.16. ues, quando dicebat, Crucior in hac flãma: niſi conuenienter reſponderi cernerem, talẽ fuiſſe illam flammã, quales oculi quos leuauit, & Lazarum vidit: qualis lingua cui humorem exiguum deſyderauit infundi, qualis digitus Lazari, de quo id ſibi fieri poſtulauit: vbi tamen erant ſine corporibus animæ. Sic ergo incorporalis, & illa flamma qua exarſit, & illa guttula quam popoſcit, qualia ſunt viſa dormientium, ſiue in extaſi cernentium res incorporales, habentes tamen ſimilitudinem corporum. Nam & ipſe homo cùm ſpiritu non corpore ſit in talibus viſis: ita ſe tamen tunc ſimilem ſuo corpori videt, vt diſcernere omnino non poſſit. At verò gehẽna illa, quod etiam ſtagnum ignis & ſulphuris dictũ eſt, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum & dæmonum, ſolida hominũ, aerea dæmonum: aut tantum hominum corpora cum ſpiritibus,

dæmones autem ſpiritus, ſine corporibus hærẽtes ſumendo pœnam, nõ impertiendo vitam corporalibus ignibus. Vnus quippe vtriſque ignis erit, ſicut veritas dixit, &c.

Cap. XIII.

Platonicorum opinio de purgãdis poſt mortem hominibus

Platonici quidem quanuis impunita nulla velint eſſe peccata: tamen omnes pœnas emendationi adhiberi putant, vel humanis inflictas legibus, vel diuinis, ſiue in hac vita, ſiue poſt mortem: ſiue autẽ parcatur hîc cuiquam, aut ita plectatur, vt hîc non corrigatur. Hinc eſt Maronis illa ſententia, vbi cùm dixiſſet de terrenis corporibus moribũdiſq; mẽbris, quòd animæ.

Virgilius 6. Æneid.

Hinc metuunt, cupiúntque, dolẽt, gaudẽntque, nec auras
Suſpiciunt, clauſæ tenebris & carcere cæco:
ſecutus adiunxit atque ait,
Quin & ſupremo cùm lumine vita reliquit,
id eſt, cũ die nouiſsimo relinquit eas iſta vita,
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes: penitúſque neceſſe eſt
Multa diu cõcreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterúmq; malorũ,
Supplicia expendunt: aliq; pãduntur inanes,
Suſpenſæ ad ventos, aliis ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Qui hoc opinantur, nullas pœnas niſi purgatorias volunt eſſe poſt mortem, vt quoniã terris ſuperiora ſunt elementa, aqua, aer, ignis, ex aliquo iſtorum mũdetur per expiatorias pœnas, quod terrena contagione contractum eſt. Aer quippe accipitur in eo quod ait, Suſpenſæ ad vẽtos. A qua in eo quod ait, Sub gurgite vaſto. Ignis ſuo autẽ nomine expreſſus eſt, cùm dixit, Aut exuritur igni. Nos verò etiã in hac quidẽ vita mortali eſſe quaſdã pœnas purgatorias cõfitemur, nõ quib⁹ affligũtur, quorũ vita vel nõ inde fit melior, ſed poti⁹ inde fit peior: ſed illis ſunt purgatoriæ, qui eis coerciti corriguntur. Cęteræ omnes pœnæ, ſiue tẽporariæ, ſiue ſẽpiternæ, ſicut vnuſquiſq; diuina prouidentia tractãdus eſt inferuntur, vel pro peccatis ſiue præteritis, ſiue in quibus adhuc viuit ille qui plectitur, vel pro exercendis declarandiſque virtutib⁹ per homines & Angelos, ſeu bonos, ſeu malos. Nã ſi quiſquã mali aliquid alterius improbitate vel errore patiatur, peccat quidẽ homo, qui vel ignorantia vel iniuſtitia cuiquã mali aliquid facit: ſed nõ peccat Deus, qui iuſto, quãuis occulto iudicio fieri ſinit.

Cap. XVII. eodem libro.

Nunc iam cum miſericordibus noſtris agẽdum eſſe video, & pacificè diſputãdum, qui vel omnibus illis hominibus, quos iuſtiſsimus Iudex dignos gehennæ ſupplicio iudicabit, vel quibuſdam eorum, qui nolũt credere pœnam ſempiternam futuram: ſed poſt certi temporis metas, pro cuiuſque peccati quãtitate longioris ſiue breuioris, eos inde exiſtimant liberandos. Qua in re miſericordior profectò fuit Origenes, qui & ipſum diabolum atque angelos eius, poſt grauiora pro meritis & diuturniora ſupplicia ex illis cruciatibus eruẽdos atque ſociandos ſanctis Angelis credidit. Sed illum & propter hoc, & propter alia nonnulla: & maximè propter alternantes ſine ceſſatione beatitudines & miſerias, & ſtatutis ſeculorum interuallis, ab iſtis ad illas, atque ab illis ad iſtas itus ac reditus interminabiles, non immeritò reprobauit Eccleſia. Quia & hoc quòd miſericors videbatur amiſit, faciendo Sanctis veras miſerias, quibus pœnas luerent, & falſas beatitudines, in quibus verum ac ſecurum, hoc eſt, ſine timore certum ſempiterni boni gaudium non haberent, &c.

Origenes nullarum hominum pœnas in æternum eſſe mãſuras credidit.

Cap. XXIIII. eodem libro.

Sed quum dictum fuerit à Iudice viuorum atque mortuorum, Venite benedicti, &c. & a- *Matth. 25.*
liis econtrariò, Diſcedite à me maledicti, &c. nimiæ præſumptionis eſt dicere cuiquam eorum æternũ ſupplicium nõ futurũ, quos Deus ituros in ſupplicium dixit æternũ: & per huius præſumptionis perſuaſionem facere, vt de ipſa quoq; vita, vel deſperetur vel dubitetur æterna. Nemo itaque ſic intelligat Pſalmũ canentem, Nũquid obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſerationes ſuas: vt opinetur de hominibus bonis veram, de malis falſã: aut de bonis hominib⁹ & malis Angelis verã, de malis autẽ hominibus falſam Dei eſſe ſẽtentiã. Hoc enim quod ait Pſalmus, ad vaſa miſericordiæ pertinet, & ad ipſos filios promiſsionis, quorum vnus erat etiam ipſe Propheta.

Refellit opinionem Origenis.

DE VITA AETERNA, ET FElicitate Sanctorum.

Quæſtionum ſuper Geneſim, Quæſt. CXIIII.

Non iam vocaberis Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Nimirum ergo nomen hoc ad illam rectè intelligitur pertinere promiſsionem, vbi ſic videbitur Deus, quomodo non eſt antea Patribus viſus, vbi non erit nomen vetus, quia nihil remanebit vel in ipſo corpore vetuſtatis, & Dei viſio ſummum erit præmium. *Gene. 35.*

Viſio Dei ſummum beatũ præmium.

Ad Probam, Epiſtola CXXI.

Hîc fortaſſe iam quæras, quid ſit ipſa beata vita. In qua quæſtione multorũ Philoſophorũ ingenia otiáque contrita ſunt: qui tamen eam tantò minus inuenire potuerunt, quãtò minus eius fontem honorauerunt, eíque gratias egerunt. Prius itaque attende, vtrùm acquieſcendum ſit eis, qui dicunt eum beatum eſſe, qui ſecũdum ſuam viuit voluntatẽ. Sed abſit vt hoc verum eſſe credamus. Quid ſi enim nequiter velit viuere? Nonne tantò miſerior eſſe cõuincitur, quantò facilius mala eius voluntas impletur? Meritò hanc ſentẽtiam etiam ipſi, qui ſine cultu Dei philoſophati ſunt, reſpuerunt. Nam quidã eorum vir eloquentiſsimus ait, Ecce autem alii non Philoſophi quidẽ, ſed prõpti tamẽ ad diſpu-

ad disputãdum, omnes aiunt esse beatos qui vi uunt vt ipsi velint. Falsum id quidem. Velle enim quod nõ deceat, idipsum miserrimum, nec tam miserum est nõ adipisci quod velis, quàm adipisci velle quod nõ oporteat. Quid tibi videntur hæc verba? Nonne ab ipsa veritate, per quélibet dicta sunt? Possumus ergo hîc dicere, quod Apostol⁹ ait de quodã Propheta Cretẽsi, cùm ei⁹ illi sentẽtia placuisset. Testimoniũ hoc verum est. Ille igitur beatus est, qui omnia quæ vult habet, nec aliquid vult quod non decet.

Tit.1.

De Spiritu & litera ad Marcellinum, Cap.XXXIII.

Beati misericordes, quoniã ipsorum misere bitur Deus. Iam verò quũ siniſtri ierint in am bustionem æternam, iusti autem in vitã æternã: quia hæc est, inquit, vita æterna, vt cognoscant te vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: illa cognitione, illa visione, illa contemplatione satiabitur in bonis animæ desyderium. Hoc enim ei solùm sat est: vltrà non habet quod appetat, quò inhiet, quod requirat.

Matth.5. Cognoscere Deum vita est æterna. Ioan.17.

De inquisitione Trinitatis.

Interrogatur quomodo beatus Ioannes Euangelista dicit, Deum nemo vidit vnquã. Et ipse Dominus in alio loco, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et Apostolus inuisibilem Deum dicit. Responsio, Videri enim potest Deus, id est, intelligi secũdum suæ donum gratiæ, siue ab Angelis, siue ab animabus Sanctorum. Plenam verò diuinitatis naturam, nec Angelus quilibet, nec Sanctorum aliquis perfectè intelligere poterit: ideo incõprehensibilis dicitur Deus.

Ioan.1. Matth.5. 1.Tim.1.

Ibidem.

Interrogatur, Quod Sanctis summum promittitur præmium æterna Dei visio, an æqualiter videbunt vel intelligẽt? Respõdetur, Nullatenus æqualiter omnes vel Angeli vel animæ Sanctorum, Deum vel nunc vident, vel post resurrectionẽ videbunt, sed secũdum donatoris dispẽsationem & meritorum qualitatẽ. Vnusquisq; tamẽ sufficiẽtẽ in eius visione suis meritis habebit beatitudinẽ, nec plus quæret quàm habebit, nec se min⁹ habere quã volet dolebit.

Visio Dei præmiũ beatorum

De vera innocentia, Cap.XXXVII.

A Eternæ ciuitatis æterna sunt gaudia, & stãtium dierum perpetuitas infinita, nec variabitur, nec labetur: quia incõmutabili pace potientur, quorum erit omnium bonum, etiã quę fiunt singulorum.

De æterna gaudia.

In lib. de vita beata, disputatione tertiæ dici.

Illa est igitur plena satietas animorum, hæc est beata vita, piè perfectéq; cognoscere, à quo inducaris in veritatẽ, qua veritate perfruaris, per quid connectaris summo bono. Quæ tria vnũ Deum, intelligentibus, vnámque substantiam exclusis vanitatibus variæ superstitionis, ostẽdunt. Hæc est, inquã, nullo ambigente beata vita, quæ vita perfecta est, ad quam nos festinãter posse perduci, sola fide, alacri spe, flagrãte charitate præsumendum est.

Vita beata per vita est.

Lib.I. de moribus Ecclesiæ cathol. Cap.XXV.

Diligamus igitur Deum ex toto corde, ex tota ánima, ex tota mente, quicunque ad vitam æternam peruenire proposuimus. Vita enim æterna est totum præmium, cuius promissione gaudemus. Nec præmiũ potest præcedere merita, & prius homini dari, quã dignus est. Quid enim hoc iniustius, & quid iustius Deo? Non ergo debemus poscere præmium, antequã mereamur accipere. Hîc fortasse non incongruè quæritur, æterna ipsa vita quid sit. Sed eius largitorem potius audiamus, Hæc est, inquit, vita æterna, vt cognoscãt te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. A Eterna igitur vita est ipsa cognitio veritatis. Quamobrem videte quã sint peruersi atque præposteri, qui sese arbitrantur Dei cognitionem tradere, vt perfecti simus, quum perfectorum ipsa sit præmium. Quid ergo agẽdum est? quid quæso, nisi vt eum ipsum quem cognoscere volumus, prius plena charitate diligam⁹? Vnde illud exoritur, quod ab initio satis egimus, nihil in Ecclesia catholica salubrius fieri, quàm vt rationem præcedat auctoritas.

Vita æterna præmiũ est imperfectorum. Ioan.1.

De fide & symbolo, Cap.VI.

Christum credimus in cælum ascendisse, qui vitæ beatitudinẽ etiam nobis promisit, dicens, Erunt sicut Angeli in cælis, in illa ciuitate quæ est mater omnium nostrum, Hierusalẽ æterna in cælis. Solet autẽ quosdã offẽdere vel impios Gentiles vel hæreticos, quòd credamus assumptum terrenum corpus in cælum. At Gentiles plurimíque Philosophorum, argumẽtis nobiscum agere solent, vt dicant terrenum aliquid in cęlo esse non posse. Nostras enim Scripturas non nouerunt, nec sciunt quomodo dictum sit, Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Non enim ita dictũ est, quasi corpus vertatur in spiritum, & spiritus fiat: quia & nunc corpus nostrum quod animale dicitur, non in animam versum est, & anima factum: sed spiritale corpus intelligitur, quia ita coaptandũ est, vt cælesti habitationi conueniat, omni fragilitate ac labe terrena in cælestẽ puritatem & stabilitatem mutata atque conuersa. Hæc est immutatio, de qua iterũ dicit Apostolus, Omnes resurgemus, sed nõ omnes immutabimur. Quã immutationẽ non in deterius, sed in melius fieri docet idẽ, cùm dicit, Et nos immutabimur. Sed vbi & quomodo sit in cælo corpus Dominicum, curiosissimum & superuacaneũ est quæ rere. tantummodo in cœlo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ secreta cælorum discutere: sed est nostræ fidei de Dominici corporis dignitate sublimia & honesta sapere.

Quale corpus in cælo futurũ sit. 1.Cor.15. 1.Cor.15. In cælo corpus Dominicũ quo modo sit curiosissimũ est quæ rere.

De videndo Deum ad Paulinam, Cap.XI.

In iudicio futuro, quò sic Christus venturus est, quomodo visus est iens in cælum, hoc est in eadem forma Filii hominis, eãdem formam videbunt, quibus dicturus est, Esuriui & non

Act.1. Matth.25.

dediſtis mihi manducare, quia & Iudæi videbunt in quem pupugerunt, non illam Dei formam, in qua non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualis Deo. In illa Dei forma tunc videbunt, qui videbũt eum ſicuti eſt. Nec ideo videbunt, quia pauperes ſpiritu in hac vita fuerunt, quia mites, quia lugentes, quia eſurientes & ſitientes iuſtitiam, quia miſericordes, quia pacifici, quia perſecutionem paſsi propter iuſtitiam: quãuis & hæc omnia iidẽipſi paſsi ſunt, ſed quia mundo ſunt corde. Ideo quippe inter illas beatitudines, cùm omnia faciant qui cor mundum habent, nõ eſt tamẽ alicubi poſitum, Deum videbunt, niſi vbi dictum eſt, Beati mundo corde: quoniam mundo corde videbitur, qui nec in loco videtur, nec oculis corporalib⁹ quæritur, nec circunſcribitur viſu, nec tactu tenetur, nec auditur affatu, nec fętitur inceſſu. Deum enim nemo vidit vnquã, vel in hac vita ſicuti ipſe eſt, vel etiã in Angelorũ vita, ſicut viſibilia iſta quę corporali viſione cernuntur. Quia vnigenitus Fili⁹ qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit. Vnde non ad oculorum corporalium, ſed ad mẽtium viſionem dictum eſt pertinere quod narrat.

Zach 12. Matth.5. Philip.2. Ioan.1. Ad mẽtiũ viſionẽ iſta dicũtur.

Cap.XIX.eodem libro.

Ad eam verò viſionem qua videbimus Deum ſicuti eſt, mundãda corda cõmonuit. Quia enim corpora conſuetudine loquendi viſibilia nominantur, propterea Deus inuiſibilis dicitur, ne corpus eſſe credatur: nõ quia corda mũda ſuæ ſubſtantiæ contemplatione fraudauit, quum hæc ſumma & magna merces Deum colentibus & diligentibus promittatur, dicente ipſo Domino, quando corporalibus oculis viſibiliter apparebat, & inuiſibilẽ ſe cõtuendum mũdis cordibus promittebat, Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & oſtendam meipſum illi. Hæc quippe natura eius æqualiter cum Patre inuiſibilis, ſicut æqualiter incorruptibilis eſt, quæ ſicut ſuprà dictum eſt, continuatim Apoſtolus poſuit, diuinã ſubſtantiam, qua potuit hominibus prædicatione commendãs, quam ſi oculi corporales in reſurrectione mutata corporum qualitate conſpiciẽt, viderint qui hoc poſſunt aſtruere: me plus mouet illius ſententia, qui nec in ipſa reſurrectione hoc corporalibus oculis, ſed mũdis cordibus tribuit, &c.

Ioan.5. Ioan.14. Deus non videbitur corporalibus oculis.

Cap.XXI.eodem libro.

Nos autem ad illam viſionem Dei, quæ nobis in reſurrectione promittitur, non ex hoc mundo iſtam concupiſcentiã oculorum tranſferre conemur: ſed mundãdis cordibus pio ſtudeamus affectu, nec corporalem faciem cogitemus quum dicit Apoſtolus, Videmus nunc per ſpeculum in ænigmatæ, tunc autem facie ad faciem: præſertim quia Apoſtolus expreſsius dixit, Nunc ſcio ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Si ergo tunc corporali Deum facie cognoſcemus, corporali eius nunc facie cogniti ſumus. Tunc enim cognoſcã, inquit, ſicut & cognitus ſum. Vnde quis eum nõ intelligat eo loco, etiam noſtram faciem illã ſignificare voluiſſe, de qua dicit alio loco, Nos autem reuelata facie gloriã Domini ſpeculantes, in eandẽ imaginem tranſformamur de gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu? De gloria ſcilicet fidei, in gloriam cõtemplationis æternæ. Hoc quippe agit hæc tranſformatio, qua interior homo renouatur de die in diem.

1.Cor.13. Corporalis facies nõ cogitanda 2.Cor.3.

In Pſalm.LXXXV.

In alio ſeculo quid erit? Quod negotium noſtrum? Quæ actio noſtra? Nulla actio: quia quies. Sedebimus ergo & torpebimus, & nihil agemus? Si refrigeſcit amor noſter, refrigeſcit & actio noſtra. Amor ergo quietus in vultu Dei, quẽ modò deſyderamus, cui ſuſpiramus, quum ad eum venerimus, quomodo nos accendet, in quem nondum viſum ſic ſuſpiramus? Quum ad eum venerimus, quomodo nos illuminabit? Quomodo nos mutabit? Quid de nobis faciet? Quid ergo agemus fratres? Pſalmus nobis indicat, Beati qui habitant in domo tua. Vnde? In ſecula ſeculorum laudabunt te. Hæc erit actio noſtra, laus Dei.

In alio ſeculo boni & fideles quid actum. Pſal.83.

Pſalm.LXXXVI.

Aderit poſt hanc vitam cui modò ſuſpiramus, ſimiles ei erimus, quoniã videbimus eum ſicuti eſt. Ibi totum negotium noſtrum, non erit niſi laudare Deum, & frui Deo. Et quid aliud quæremus, vbi ſolus ſufficit, per quem facta ſunt omnia? Habitabimus & habitabimus, ſubiicientur illi omnia, vt ſit Deus omnia in omnibus. Beati ergo qui habitant in domo tua.

1.Ioan.3. Negotium beatorum. Pſal.83.

In Epiſtolam Ioannis, Tractatu IIII.

Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Ergo viſuri ſumus quandam viſionem, fratres, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcẽdit. Viſionem quandam, viſionem præcellentem omnes pulchritudines terrenas, auri, argenti, nemorum atque cãporum, pulchritudinẽ maris & aeris, pulchritudinẽ ſolis & lunæ, ſtellarũ, Angelorũ, omnia ſuperãtem, quia ex ipſo pulchra ſunt omnia. Quid ergo erimus quando videbimus quod nobis promiſſum eſt? Similes ei erimus: quoniã videbimus eum ſicuti eſt. Quomodo potuit lingua ſonuit, cætera corde cogitentur.

Matth.5. Eſaiæ 64. 1.Cor.2. De excellentia viſionis beatorum.

Libro I. de Trinitate, Cap XIII.

Multis documentis probabile eſt, quia illa viſio Dei, qua contẽplabimur incõmutabilem atque humanis oculis inuiſibilẽ Dei ſubſtãtiã, quæ ſolis Sanctis promittitur, quam dicit Apoſtolus Paulus, Facie ad faciem. Et de qua dicit Apoſtolus Ioannes, Similes ei erimus, &c.

1.Cor.13. 1.Ioan.3.

Lib.XIII.Cap.IIII.

Mirum eſt autem cùm capeſſendæ atque retinendæ beatitudinis voluntas vna ſit omnium, vnde tãta exiſtat de ipſa beatitudine rurſus varietas atque diuerſitas voluntatum. Non quòd aliquis eam nolit, ſed quòd non omnes eam norint. Si enim omnes eam noſſent, non

ab aliis

ab aliis putaretur esse in virtute animi, aliis in corporis voluptate, aliis in vtraque, & aliis atque aliis, alibi atque alibi. Vt enim eos quæque res maximè delectauit, ita in ea constituerunt vitam beatam. Quomodo igitur feruentissimè amant omnes, quod nō omnes sciunt? Quis potest amare quod nescit? Sicut iam de hac re in libris superioribus disputaui. Cur ergo beatitudo amatur ab omnibus, nec tamen scitur ab omnibus? An fortè sciunt omnes ipsa quæ sit, sed non omnes sciunt vbi sit, & inde contentio est? Quasi verò de aliquo mundi huius agatur loco, vbi debeat quisque velle viuere, qui vult beatè viuere, ac non ita quæratur vbi sit beatitudo, sicut quæritur quæ sit. Nam vtique si in corporis voluptate est, ille beatus est qui fruitur corporis voluptate: si in virtute animi, ille qui hac fruitur: si in vtraque, ille qui fruitur vtraq;. Cùm itaque alius dicit, Beatè viuere est voluptate corporis frui: alius autē, Beatè viuere est virtute animi frui: nonne aut ambo nesciunt quæ sit beata vita, aut non ambo sciunt?

Omnes beatitudinē expetunt.

Eodem lib. Cap. V.

Beatus igitur non est, nisi qui & habet omnia quæ vult, & nihil vult malè.

Quia verè beatus.

De sancta virginitate, Cap. XXVI.

Quid sibi vult denarius ille, inquiunt, qui opere vineæ terminato æqualiter omnib⁹ redditur, siue iis qui à prima hora, siue iis qui vna hora operati sunt? Quid vtique nisi aliquid significat, quod omnes communiter habebunt, sicuti est ipsa vita æterna, ipsum regnum cælorum, vbi erunt omnes quos Deus prædestinauit, vocauit, iustificauit, & glorificauit? Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Hic est ille denarius, merces omnium. Stella tamen ab stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum. Hæc sunt merita diuersa Sanctorum. Sed quia ipsa vita æterna pariter erit omnibus Sāctis, æqualis denarius omnibus attributus est. Quia verò in ipsa vita æterna distinctè fulgebunt lumina meritorū, multæ sunt mansiones apud Patrem. Ac per hoc in denario quidem non impari, non viuet alius alio prolixiùs. In multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius, &c.

Matth. 20. Quod non sint æqualia futura præmia beatorum.

Lib. X. de ciuitate Dei, Cap. XVI.

Visio nanque Dei, tantæ pulchritudinis visio est, & tāto amore dignissima, vt sine hac quibuslibet aliis bonis præditum atque abundantē, nō dubitet Plotinus infelicissimum dicere.

Quid de Dei visione Plotinus senserit.

Libro XXII. Cap. XXIX.

Nunciam quid acturi sint in corporibus immortalibus atque spiritalibus Sancti, non adhuc eorū carne carnaliter, sed spiritaliter iā viuente, quātum Dominus dignatur adiuuare videamus. Et illa quidē actio, vel potius quies atque otium, quale futurum sit, si velim verum dicere, nescio. Non enim hoc vnquā per sensus corporis vidi. Si autē hoc mēte, id est, intelligē tia vidisse me dicā, quātum est aut quid est nostra intelligētia ad illā excellentiā? Ibi est enim pax Dei, quæ sicut ait Apostolus, superat omnē intellectum. quē nisi nostrum, aut fortasse etiā omnium sanctorum Angelorum? Non enim & Dei. Si ergo Sācti in Dei pace victuri sunt, profectò in ea pace victuri sunt, quæ superat omnē intellectum. Quoniā quòd nostrum quidē superat, nō est dubium. Si autē superat & Angelorum, vt nec ipsos excepisse videatur, qui ait omnē intellectum, secundum hoc dictū esse debemus accipere, quia pacē Dei, qua ipse De⁹ pacatus est, sicut nouit Deus non eā nos sic possumus nosse, nec vlli Angeli. Superat itaque omnē intellectū, nō dubium quòd præter suū. Sed quia & nos pro modo nostro pacis eius participes facti, summā in nobis atque inter nos & cū ipso pacē, quātum nostrum summum est, obtinebimus: isto modo pro suo modo sciunt eam sancti Angeli: homines autem nunc lōgè infrà quātunlibet prouectu mētis excellant. Cōsyderandum est enim quātus vir dicebat, Ex parte scimus, & ex parte prophetamus, donec veniat quod perfectū est. Et videm⁹ nunc per speculū in ænigmate, tunc autē facie ad faciem. Sic iam vident sancti Angeli, qui etiam nostri Angeli dicti sunt, quia eruti de potestate tenebrarum, & accepto spiritus pignore, trāslati ad regnum Christi, ad eos Angelos iam cœpimus pertinere, cum quibus nobis erit sancta atque dulcissima, de qua iā tot libros scripsimus, Dei ciuitas ipsa cōmunis. Sic sunt ergo Angeli nostri, qui sunt Angeli Dei, quēadmodum Christus Dei, Christus est noster. Dei sunt, quia Deum nō reliquerunt: nostri sunt, quia suos ciues nos habere cœperunt. Dixit autē Dominus Iesus, Videte ne cōtemnatis vnum de pusillis istis. dico enim vobis, quia Angeli eorū in cælis sēper vident faciē Patris mei, qui in cælis est. Sicut ergo illi vidēt, ita & nos visuri sumus: sed nōdum ita videm⁹. Propter quod ait Apostolus quod paulò antè dixi, Videmus nūc per speculum in ænigmate, tunc autē facie ad faciē. Præmium itaque fidei nobis visio ista seruatur, de qua & Ioannes Apostolus loquens, Cùm apparuerit, inquit, similes ei erimus, quoniā videbimus eū sicuti est. Facies autē Dei, manifestatio eius intelligenda est, nō aliquod tale mēbrorum, quale nos habemus in corpore, atque isto nomine nuncupamus. Quapropter cùm ex me quæritur, quid acturi sint Sancti in illo corpore spirituali, non dico quod iam video, sed dico quod credo, secundum illud quod in Psalmo lego, Credidi, propter quod locutus sum. Dico itaque quòd visuri sint Deum in ipso corpore, sed vtrùm per ipsū, sicut per corpus nunc videmus solem, lunā, stellas, mare ac terram & quæ sunt in ea, nō parua quæstio est. Durum est enim dicere, quòd Sācti talia corpora tunc habebunt, vt non possint oculos claudere atque aperire cùm velint. Durius autē quòd ibi Deum quisquis oculos clauserit nō videbit. Si enim Pro-

De qualitate visionis Dei.

Philip. 4.

1. Cor. 13.

Matth. 18.

1. Cor. 13.

1. Ioan. 3.

Psalm. 115.

pheta Heliſæus puerum ſuũ Giezi abſens corpore vidit accipientem munera, quæ dedit ei Naaman Syrus, quem Propheta memoratus à lepræ deformitate mundauerat: quod ſeruus nequam domino ſuo nõ vidente latenter ſe feciſſe putauerat: quãtò magis in illo corpore ſpiritali videbunt Sancti omnia, non ſolùm ſi oculos claudant, verumetiam vnde ſunt corpore abſentes? Tunc enim erit perfectum illud, de
1.Cor.13. quo loquẽs Apoſtolus, Ex parte, inquit, ſcim⁹, & ex parte prophetamus: quum autem venerit quod perfectum eſt, quod ex parte eſt euacuabitur. Deinde vt quomodo poſſet aliqua ſimilitudine oſtenderet, quantum ab illa quæ futura eſt diſtet hæc vita, nõ qualiuncunque hominum, verumetiam qui præcipua hîc ſanctitate ſunt præditi; Cùm eſſem, inquit, paruulus, quaſi paruulus ſapiebã, quaſi paruulus loquebar, quaſi paruulus cogitabam: quum autem factus ſum vir, euacuaui ea quæ paruuli erant. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciẽ. Nunc ſcio ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Si ergo in hac vita, vbi hominum mirabilium prophetia ita cõparanda eſt illi vitæ, quaſi paruuli
4.Reg.5. ad iuuenem: vidit tamen Heliſæus accipientẽ munera ſeruum ſuum vbi ipſe non erat, itáne
Sapien.9. quum venerit quod perfectum eſt, nec iam corpus corruptibile aggrauabit animã, ſed incorruptibile nihil impediet: illi Sãcti ad ea quæ videnda ſunt oculis corporeis, quibus Heliſæus abſens ad ſeruum ſuum videndum non indiguit, indigebunt? Nam ſecundum Interpretes 70. iſta ſunt ad Giezi verba Prophetæ, Nonne cor meum tecum ibat, & noui quòd conuerſus eſt vir de curru in obuiam tibi, & accepiſti pecuniã? & cætera. Sicut autẽ ex Hebræo
4.Reg.5. interpretatus eſt presbyter Hieronymus, Nõne cor meum, inquit, in præſenti erat, quando reuerſus eſt homo de curru ſuo in occurſũ tui? Corde ſuo ergo ſe dixit hoc vidiſſe Propheta, adiuto quidem mirabiliter nullo dubitante diuinitus. Sed quantò amplius tunc omnes mu-
1.Cor.15. nere iſto abundabunt, quum Deus erit omnia in omnibus? Habebunt tamen etiam illi oculi corporei officium ſuum, & in loco ſuo erunt, vtetúrque illis ſpirit⁹ per ſpiritale corpus. Neque enim & ille Propheta, quia nõ eis indiguit vt videret abſentem, non eis viſus eſt ad videnda præſentia, quæ tamen ſpiritu videre poſſet, etiam ſi illos clauderet, ſicut vidit abſentia, vbi cum eis ipſe non erat. Abſit ergo vt dicamus illos Sanctos in illa vita Deum clauſis oculis nõ viſuros, quem ſpiritu ſemper videbunt· ſed vtrùm videbunt & per oculos corporis, cùm eos apertos habebunt, inde quæſtio eſt. Si enim tãtum potuerunt in corpore ſpiritali eo modo vtique etiam ipſi oculi ſpiritales, quãtum poſſunt iſti quales nũc habemus: proculdubio per eos Deus videri nõ poterit. Longè itaque alterius erunt potentiæ, ſi per eos videbitur incorporea illa natura, quę non continetur loco, ſed vbique tota eſt. Nõ enim quia dicimus Deum & in cælo eſſe & in terra, ipſe quippe ait per Prophetam, Cælum & terrã ego impleo: aliam *Hieron.23.* partem dicturi ſumus eum in cælo habere, & in terra aliam: ſed totus in cælo eſt, totus in terra, non alternis temporibus, ſed vtrunque ſimul, quod nulla natura corporalis poteſt. Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, non vt acutius videant, quàm quidem perhibentur videre ſerpentes vel aquilæ (quantalibet enim acrimonia cernendi eadẽ quoque animalia nihil aliud poſſunt videre quàm corpora) ſed vt videant & incorporalia. Et fortaſſe iſta virtus magna cernendi data fuerit ad horã, etiam in iſto mortali corpore oculis Sancti viri Iob, quando ait ad Deum, In obauditu auris *Iob.42.* obaudiebam te prius, nunc autẽ oculus meus videt te: propterea deſpexi memetipſum, & diſtabui & exiſtimaui me terrã & cinerẽ. Quanuis hîc nihil prohibeat oculum cordis intelligi, de quibus oculis ait Apoſtolus, Illumina- *Epheſ.1.* tos oculos habere cordis veſtri. Ipſis autem videri Deum quum videbitur, Chriſtianus ambigit nemo, qui fideliter accipit quod ait De⁹ ille Magiſter, Beati mundo corde, quoniam i- *Matth.5.* pſi Deum videbunt. Sed vtrùm etiã corporalibus oculis ibi videatur, hoc in iſta quæſtione verſamus. Illud enim quod ſcriptum eſt, Et vi- *Luc.3.* debit omnis caro Salutare Dei, ſine vlli⁹ nodo difficultatis ſic intelligi poteſt, ac ſi dictum fuerit, & videbit omnis homo Chriſtum Dei, qui vtiq; in corpore viſus eſt, & in corpore videbitur, quãdo viuos & mortuos iudicabit. Quòd autẽ ipſe ſit Salutare Dei, multa ſunt & alia teſtimonia Scripturarũ. Sed euidẽtius venerãdi illius ſenis Simeonis verba declarant: qui cùm infantẽ Chriſtũ accepiſſet in man⁹ ſuas, Nunc *Luc.2.* (inquit) dimittis ſeruum tuum Domine, ſecũdum verbum tuum in pace: quoniã viderũt oculi mei Salutare tuũ. Illud etiã quod ait ſuprà memoratus Iob, ſicut in exemplaribus, quæ ex Hebræo ſunt, inuenitur, Et in carne mea vide- *Iob 19.* bo Deum: reſurrectionẽ quidẽ carnis ſine dubio prophetauit, non tamen dixit, per carnem meã. Quod quidẽ ſi dixiſſet, poſſet Deus Chriſtus intelligi, qui per carnẽ in carne videbitur. Nunc verò poteſt & ſic accipi, In carne mea videbo Deum ſaluatorem meum: ac ſi dixiſſet, In carne mea ero cùm videbo Deũ. Et illud quod ait Apoſtolus, Facie ad faciem: non cogit vt *1.Cor.13.* Deum per hanc faciẽ corporalem, vbi ſunt oculi corporales, nos viſuros eſſe credamus, quẽ ſpiritu ſine intermiſsione videbim⁹. Niſi enim eſſet etiam interioris hominis facies, non diceret idem Apoſtolus, Nos autem reuelata facie *2.Cor.3.* gloriã Domini ſpeculãtes, in eandẽ imaginem tranſformamur de gloria in gloriam, tanquam ad Domini Spiritum. Nec aliter intelligimus quod in Pſalmo canitur, Accedite ad eum & il- *Pſalm.33.* luminamini, & facies veſtræ nõ erubeſcẽt. Fide quippe acceditur ad Deum, quam cordis cõſtat eſſe, nõ corporis. Sed quia ſpiritale corpus

neſcimus

neſcimus quantos habebit acceſſus: de re quippe inexperta loquimur, vbi aliqua quæ aliter intelligi nequeãt, diuinarum Scripturarum nõ occurrit, ſed ſuccurrit auctoritas, neceſſe eſt vt contingat in nobis, quod legitur in libro Sapiẽtiæ, Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ. Ratiocinatio quippe illa Philoſophorum, qua diſputant ita mentis aſpectu intelligibilia videri, & ſenſu corporis ſenſibilia, id eſt, corporalia, vt nec intelligibilia per corpus, nec corporalia per ſeipſã mẽs valeat intueri, ſi poſſet nobis eſſe certiſsima, profectò certum eſſet per oculos corporis etiã ſpiritualis, nullo modo poſſe videri Deum. Sed iſtam ratiocinationẽ & vera ratio & Prophetica irridet auctoritas. Quis enim ita ſit auerſus à vero, vt dicere audeat Deum corporalia iſta neſcire? Nunquid ergo corpus habet, per cuius oculos ea poſsit addiſcere? Deinde quod de Propheta Heliſæo paulò antè diximus, nonne ſatis indicat etiam ſpiritu, non per corpus corporalia poſſe cerni? Quando enim ſeruus ille munera accepit, vtique corporaliter geſtum eſt, quod tamen Propheta non per corpus, ſed per ſpiritum vidit. Sicut ergo conſtat videri corpora ſpiritu, quid ſi tanta erit potentia ſpiritalis corporis, vt corpore videatur & ſpiritus? Spiritus enim eſt Deus. Deinde vitam quidem ſuam, qua nunc viuit in corpore, & hæc terrena membra vegetat, facítque viuẽtia, interiore ſenſu quiſque non per corporeos oculos nouit: aliorum verò vitas quum ſint inuiſibiles per corpus videt. Nam vnde viuentia diſcernimus à non viuẽtibus corpora, niſi corpora ſimul vitáſque videam⁹, quas niſi per corpus videre non poſſumus? Vitas autem ſine corporibus corporeis oculis nõ videmus. Quamobrem fieri poteſt, valdéque credibile eſt, ſic nos eſſe viſuros mundana tunc corpora cæli noui & terræ nouæ, vt Deum vbique præſentem, & vniuerſa etiam corporalia gubernãtem, per corpora quæ geſtabimus, & quæ conſpicie mus, quaquauerſum oculos duxerimus, clariſſima perſpicuitate videamus, nõ ſicut nunc inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta cõſpiciũtur per ſpeculum in ænigmate & ex parte, vbi plus in nobis valet fides qua credimus, quàm rerum corporalium ſpecies, quam per oculos cernimus corporales: ſed ſicut homines inter quos viuentes, motúſque vitales exercentes viuimus, mox vt aſpicimus non credimus viuere, ſed videmus: cùm eorum vitam ſine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora remota omni ambiguitate conſpicimus: ita quacunque ſpiritalia illa lumina corporum noſtrorum circũferemus, incorporeũ Deum omnia regentẽ etiã per corpora cõtuebimur. Aut ergo per illos oculos ſic videbitur Deus, vt aliquid habeãt in tãta excellẽtia mẽti ſimile, quo & incorporea natura cernatur, quod vllis exẽplis ſine Scripturarum teſtimoniis diuinarum vel difficile vel impoſsibile eſt oſtẽdere: aut quod eſt ad intelligendũ facilius, ita Deus nobis erit notus atque cõſpicuus, vt videatur ſpiritu à ſingulis nobis in ſingulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in ſeipſo, videatur in cælo nouo, & in terra noua, atque in omni quæ tũc fuerit creatura, videatur & per corpora in omni corpore, quocunq; fuerint ſpiritalis corporis oculi acie peruenière di recti. Patebũt etiã cogitationes noſtræ inuicẽ nobis. Tunc enim implebitur quod Apoſtolus cùm dixiſſet, Nolite ante tẽpus iudicare quicquã: mox addidit, Donec veniat Domin⁹ & illuminet abſcõdita tenebrarũ, & manifeſtet cogitationes cordis: & tũc laus erit vnicuiq; à Deo.

Sapien. 9.

4. Reg. 5.

Ioan. 4.

Rom. 1. 1. Cor. 13.

1. Cor. 4.

Cap. XXX.

Quanta erit illa felicitas, vbi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus! Nã quid aliud agetur vbi neque vlla deſidia ceſſabitur, neque vlla indigentia laborabitur, neſcio. Admoneor etiam ſancto cantico, vbi lego vel audio, Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Omnia mẽbra & viſcera incorruptibilis corporis, quę nũc videmus per vſus neceſsitatis varios & motus diſtributa, quoniam tunc non erit ipſa neceſsitas, ſed plena, certa, ſecura, ſempiterna felicitas, proficiẽt in laudib⁹ Dei. Omnes quippe illi de quibus iam ſum locutus, qui nunc latent harmoniæ corporalis numeri, nõ latebunt, intrinſecus & extrinſecus per corporis cuncta diſpoſiti, & cum cæteris rebus, quæ ibi magnæ atque mirabiles videbuntur, rationales mẽtes in tãti artificis laudẽ, rationabilis pulchritudinis delectatione ſuccẽdent. Qui mot⁹ illic talium corporum ſint futuri, temerè definire non audeo, quod excogitare non valeo. Tamen & motus & ſtatus, ſicut ipſa ſpecies decens erit, quicunque erit, vbi quod nõ decebit nõ erit. Certè vbi volet ſpiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid ſpiritus, quod nec ſpiritũ poſſit decere nec corp⁹. Vera ibi gloria erit, vbi laudantis nec errore quiſquã, nec adulatione laudabitur. Verus honor qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno: ſed nec ad eũ ambiet vllus indignus, vbi nullus permittetur eſſe niſi dignus. Vera pax ibi eſt, vbi nihil aduerſi, nec à ſeipſo, nec ab alio quiſquã patietur. Præmiũ virtutis erit ipſe, qui virtutẽ dedit, & qui ſeipſũ, quo meli⁹ & mai⁹ nihil poſsit eſſe, promiſit. Quid eſt enim aliud quod per Prophetã dixit, Ero illorũ Deus, & ipſi erunt mihi plebs, niſi ego ero vnde ſatiẽtur, ego ero quæcunque ab omnibus honeſtè deſyderẽtur, & vita, & ſalus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax & omnia bona? Sic enim & illud rectè intelligitur, quod ait Apoſtolus, Vt ſit Deus omnia in omnibus. Ipſe finis erit deſyderiorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profectò erit omnibus, ſicut ipſa vita æterna communis. Cæte-

1. Cor. 15.

Pſal. 83.

Hierem. 32.

1. Cor. 15.

rùm qui futuri sint pro meritis præmiorum, etiã gradus honorum atque gloriarum, quis est idoneus cogitare, quantò magis dicere? Quòd tamen futuri sint, non est ambigendum. Atque id etiã beata ciuitas illa magnum in se bonum videbit, quòd nulli superiori vllus inferior inuidebit: sicut nunc non inuident Archangelis Angeli cæteri, tãquam nolit esse vnusquisque quod non accepit, quanuis sit pacatissimo concordię vinculo ei qui accepit obstrictus, quàm nec in corpore vult oculus esse qui est digitus, quum membrum vtrunque contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, vt hoc quoque donum habeat, ne velit amplius. Nec ideo liberum arbitrium nõ habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi vsque ad delectationem non peccandi indeclinabilem libertatem. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datũ est, quãdo primùm creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare: hoc autem nouissimum eo potentius erit, quò peccare non poterit. Verùm hoc quoque Dei munere, non suæ possibilitate naturæ. Aliud est enim esse Deum, aliud participẽ Dei. Deus naturâ peccare non potest, particeps verò Dei ab illo accipit vt peccare non possit. Seruandi autem gradus erant diuini muneris, vt primùm daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo, nouissimũ quo peccare non posset: atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret. Sed quia peccauit ista natura cùm peccare potuit, largiore gratia liberatur, vt ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non possit. Sicut enim prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, nouissima erit non posse mori: ita prmum liberum arbitrium, posse non peccare, nouissimum, nõ posse peccare. Sic enim erit inamissibilis voluntas pietatis & æquitatis, quomodo est felicitatis. Nam vtique peccando, nec pietatẽ nec felicitatem tenuimus, voluntatem verò felicitatis, nec perdita felicitate perdidimus. Certè Deus ipse nunquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est? Erit ergo illius ciuitatis & vna in omnibus, & inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono, fruens indeficienter æternorum iucunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita pœnarum, nec tamen ideo suæ liberationis oblita, vt Liberatori suo sit ingrata. Quantùm ergo attinet ad scientiam rationalem, memor præteritorum etiam malorum suorum: quantùm autem ad experientis sensum, prorsus immemor. Nam & peritissimus medicus, sicut arte sciuntur, omnes ferè morbos corporis nouit. Sicut autem corpore sentiuntur, plurimos nescit, quos ipse non passus est. Vt ergo scientiæ malorum duæ sunt, vna qua potentiam mentis non latent, altera qua experientis sensibus inhærent. Aliter quippe sciuntur omnia vitia per sapientiæ doctrinam, aliter per insipientis pessimam vitam: ita & obliuiones malorum duæ sunt. Aliter ea nanque obliuiscitur eruditus & doctus, aliter expertus & passus. Ille si peritiam negligat, iste si miseria careat. Secundum hanc obliuionem, quam posteriore loco posui, nõ erunt memores Sancti præteritorum malorum. Carebunt enim omnibus malis, ita vt penitus deleantur de sensibus eorum. Ea tamen potentia scientiæ, quæ magna in eis erit, non solùm sua præterita, sed etiam damnatorum eos sempiterna miseria non latebit: alioquin si se fuisse miseros nescituri sunt, quomodo sicut ait Psalmus, Misericordias Domini in æternum cantabunt? Quo cantico in gloriam gratiæ Christi, cui⁹ sanguine liberati sumus, nihil erit profectò illi iucundius ciuitati. Ibi perficietur, Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. Quod erit ibi verè maximum sabbatum, non habens vesperam. Quod commendauit Dominus in primis operibus mundi, vbi legitur, Et requieuit Deus die septimo ab omnibus operib⁹ suis quæ fecit: & benedixit Deus diem septimum, & sanctificauit eum, quia in eo requieuit ab omnibus operibus suis, quæ inchoauit Deus facere. Dies enim septimus etiam nosipsi erimus, quando eius fuerimus benedictione & sanctificatione pleni atque refecti. Ibi vacantes videbimus, quoniã ipse est Deus, quod nobis nosipsi esse voluimus, quando ab illo cecidimus, audientes à seductore, Eritis sicut dii: & recedentes à vero Deo, quo faciente dii essemus eius participatione, non defertione. Quid enim sine illo fecim⁹, nisi quod in ira eius defecimus? A quo refecti, & gratia maiore perfecti vacabimus in æternum, vidẽtes quia ipse est Deus, quo pleni erimus, quando ipse erit omnia in omnibus. Nam & ipsa opera bona nostra, quando ipsius potius intelliguntur esse quã nostra, tunc nobis ad hoc sabbatum adipiscendum imputantur: quia si nobis ea tribuerimus, seruilia erunt, quum de sabbato dicatur, Omne opus seruile in eo non facietis. Propter quod & per Ezechielem Prophetã dicitur, Et sabbata mea dedi eis in signum interme & inter eos, vt scirẽt, quia ego Dominus qui sanctifico eos. Hoc perfectè tunc sciemus, quando perfectè vacabimus, & perfectè videbimus, quia ipse Deus. Ipse etiam numerus ætatum veluti dierum, si secundum eos articulos temporis computentur, qui in Scripturis sanctis videntur expressi, iste sabbatismus euidentius apparebit, quoniam septimus inuenitur, vt prima ætas tãquam dies primus sit ab Adam vsque ad diluuiũ. Secunda inde vsque ad Abraham, nõ æqualitate temporum, sed numero generationũ: denas quippe habere reperiuntur. Hinc iam sicut Matthæus Euangelista determinat, tres ætates vsque ad Christi subsequuntur aduentum, quæ singulæ denis & quaternis generationibus explicãtur.

Psal.88

Psalm.45.

Gene.2.

Gene.3.

Leuit.23.

Ezech.26.

Matth.1.

Ab

Ab Abraham vsque ad Dauid vna, altera inde vsque ad transmigrationem in Babyloniam: tertia inde vsque ad Christi carnalem natiuitatem. Fiunt itaque omnes quinque. Sextanũc agitur, nullo generationum numero metienda, propter id quod dictum est, Non est vestrũ scire tempora, quę Pater posuit in sua potestate. Post hanc tanquam in die septimo requieſcet Deus, cùm eundem septimum diem, quod nos erimus, in seipso Deus faciet requiescere. De istis porrò ętatibus singulis diligenter longum est disputare. Hęc tamen septima erit sabbatum nostrũ, cuius finis non erit vespera: sed Dominicus dies velut octauus æternus, qui Christi resurrectione sacratus est, ętернam non solùm spiritus, verumetiam corporis requiem præfigurans. Ibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. Ecce quod erit in fine sine fine. Nam quis alius noster est finis, nisi peruenire ad regnum cuius nullus est finis? Videor mihi debitum ingentis huius operis adiuuante Domino reddidisse: quibus parum, vel quibus nimium est, mihi ignoscant. Quibus autem satis est, non mihi, sed Deo mecum gratias congratulantes agant. Gloria & honor Patri & Filio & Spiritui sancto, omnipotenti Deo in excelsis in secula seculorum, Amen.

Æternus.

Genes. 2

Sermon. XXXVII. de Sanctis.

De felicitate Sanctorũ perfectione. Ephes. 4

Agite nunc fratres, aggrediamur iter vitę, reuertamur ad ciuitatem cælestem, in qua scripti sumus, & ciues decreti. Non sumus hospites, sed ciues Sãctorum & domestici Dei, etiã illius hæredes, cohæredes autem Christi. Huius nobis vrbis ianuas aperiet fortitudo, & fiducia latum præbebit ingressum. Consyderemus ergo inclytam vrbis illius felicitatem, inquantum consyderare possibile est. Vt enim verè est, comprehendere nullus sermo sufficiet. Dicitur de ea in quodam loco sic, Quòd aufugiet ibi dolor, tristitia & gemitus. Quid hac vita beatius, vbi non est paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas? Nemo lædi- tur, nemo irascitur, nemo inuidet. Cupiditas nulla exardescit, nullum cibi desyderium, nulla honoris pulsatio aut potestatis ambitio. Nullus ibi diaboli metus, insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennę procul. Mors ibi neque corporis neque animæ erit: sed immortalitatis munere vita iucunda. Nulla erit tunc vsquam discordia, sed cuncta consona, cuncta cõuenientia, quia omnium Sanctorum vna concordia, pax cuncta & lætitia continet, tranquilla sunt omnia & quieta. Iugis splendor, non iste qui nunc est, sed tantò clarior quãtò felicior: quia ciuitas illa, vt legitur, non egebit lumine solis, sed Dominus omnipotens illuminabit eam, & lucerna eius est Agnus: vbi Sãcti fulgebunt vt stellæ in perpetuas æternitates, & sicut splendor firmamẽti, qui ad iustitiam erudiunt multos. Quapropter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris ardoríque asperitas vlla: sed talis quædam erit rerum temperies, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, nisi illorum qui ea perfrui digni inueniuntur, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, qui & lauerunt stolas suas in sanguine Agni, & sunt ante thronum Dei, seruiúntque ei die ac nocte. Non est senectus, ibi nec senectutis miseria, dum omnes occurrunt in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Hæc hæreant firmiter sensibus nostris, hæc intelligantur plena fide, hæc toto corde diligantur, hæc indesinentium operum magnanimitate acquirantur.

Esaiæ 35

Apocal. 21

Daniel. 12

FINIS PRIMI TOMI.

VARIA ET MISCELLANEA.

DE HÆRESIBVS ET hæreticis.

Libro I. de Geneſi contra Manichæos, Cap. I.

Quare in Eccleſia Deus hæreſes permittat

QVIA nulla ſcriptura eſt quæ nō apud eos qui intelligūt, facilè poſsit reprehēdi. Sed ideo Diuina prouidentia multos diuerſi erroris hæreticos eſſe permittit, vt cùm inſultant nobis, & interrogant nos ea quæ neſcimus, vel ſic exercitiamus pigritiam, & diuinas Scripturas noſſe cupiamus. Propterea & Apoſtolus dicit, Oportet hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fiant inter vos. Hi enim Deo probati ſunt, qui bene poſſunt docere: ſed manifeſti hominibus eſſe non poſſunt, niſi cùm docent. Docere autem nolunt, niſi eos qui doceri quærunt. Sed multi ad quærendum pigri ſunt, niſi per moleſtias & inſultationes hæreticorum, quaſi de ſomno excitentur, & de imperitia ſua erubeſcant ſibi, & de illa imperitia periclitari ſe ſentiant. Qui homines, ſi bonæ ſunt fidei, non credunt hæreticis, ſed quid eis reſpondeant, diligenter inquirunt. Nec eos deſerit Deus, vt petentes accipiant, & quærentes inueniāt, & pulſantibus aperiatur. Qui autem deſperant ſe poſſe in catholica diſciplina inuenire quod quærunt, atteruntur erroribus, & ſi perſeueranter inquirunt, ad ipſos fontes, à quibus aberrauerant, poſt magnos labores fatigati atque ſitientes & penè mortui reuertuntur.

1. Corinth. 11

De vera religione, Cap. VIII.

Vtendum quomodo hæreticis

Vtamur igitur etiam hæreticis, non vt eorum approbemus errores, ſed vt catholicam diſciplinam aduerſus eorum inſidias aſſerentes, vigilantiores & cautiores ſimus, etiamſi eos ad ſalutem reuocare non poſſumus.

Libro VII. confeſſionum, Cap. XIX.

Improbatio quippe hęreticorum, facit eminere quid Eccleſia tua ſentiat, & quid habeat ſana doctrina. Oportuit enim & hæreſes eſſe, vt probati manifeſti fierent inter infirmos.

Libro XIII. contra Fauſtum, Cap. XII.

Hæretici non libenter diſputant.

Non enim diſputare amant hæretici, ſed quoquo modo ſuperare impudentiſsima peruicatia, vt congregent, ſicut hic dixit, quæ non pepererunt.

In Pſalmum LIIII.

Prima hæreſis ſub Chriſto.

Nam & prima hęreſis in diſcipulis Chriſti velut ad duritiā ſermonis ipſius facta eſt. Cùm enim diceret, Niſi quis manducauerit carnem meam, & biberit ſanguinem meum, non habebit vitam in ſe: illi non intelligentes, dixerunt

Ioannis 6

ad inuicem, Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? Dicētes quia durus ſermo eſt hic, ſeparauerunt ſe ab illo: remāſit cum aliis duodecim. Cùm eis ſuggeſsiſſent illos in ſermone eius fuiſſe ſcandalizatos. Nunquid & vos, inquit, vultis abire? Et Petr⁹, Verba vitæ æternæ habes: ad quem ibimus? Intendite, obſecramus vos, & paruuli diſcite pietatem. Nunquid iam Petrus intelligebat ſecretū illius ſermonis Domini? Nondum intelligebat, ſed bona eſſe verba quæ non intelligebat, piè credebat.

In Euangelium Ioannis, Tractatu VI.

Leges Imperatoriæ contra hæreticos.

Leguntur enim leges manifeſtæ, vbi præceperunt Imperatores, eos qui pręter Eccleſiæ catholicę communionem vſurpant ſibi nomen Chriſtianū, nec volunt in pace colere pacis auctorē, nihil nomine Eccleſiæ audeāt poſsidere.

De verbis Domini, Sermon. XI.

Sapient. 1

Sāctus Spiritus diſciplinæ effugiet fictum. Quapropter quicunq; in ſchiſmaticis vel hæreticis congregationibus, vel potius ſegregationibus baptizantur, quanuis non ſint renati

Galat. 4

ſpiritu, tanquam Iſmaeliſimiles, qui ſecundum carnem natus eſt Abrahæ, nō ſecundum Iſaac, qui ſecundum ſpiritum per repromiſsionem: tamen cùm ad catholicam fidem veniunt, & ſocietati ſpiritus aggregantur, quem foris proculdubio non habebāt, non eis repetitur lauacrum carnis. Non enim defuit etiam foris poſitis iſta forma pietatis. Sed accedit eis, quę niſi intus non poteſt dari, vnitas ſpiritus in vinculo pacis. Tales quippe erant antequam catholici eſſent, de qualibus dicit Apoſtolus, Haben

Hæretici non rebaptizandi, cùm ad Eccleſiam redeunt.

2. Timoth. 3

tes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Poteſt enim eſſe viſibilis forma palmitis etiam præter vitem: ſed inuiſibilis vita radicis haberi non poteſt, niſi in vite. Proinde corporalia ſacramenta, quæ portant & celebrant, etiam ſegregati ab vnitate corporis Chriſti, formam poſſunt exhibere pietatis. Virtus enim pietatis inuiſibilis & ſpiritalis, ita in eis non poteſt eſſe, quemadmodum ſenſus non ſequitur hominis membrum, quando amputatur à corpore. Quæ cùm ita ſint, remiſsio peccatorum, quoniam non datur niſi in Spiritu ſancto, in illa Eccleſia tantummodo dari poteſt, quæ habet Spiritum ſanctum.

Libro XVIII. de ciuitate Dei, Cap. II.

Multis impedimenta ſunt hæretici.

Ipſi quoque hæretici cùm Chriſtianum cogitantur habere nomen, & ſacramēta Chriſtiana, & Scripturas & profeſsionem, magnum dolorem faciunt in cordibus piorum: quia & multi volentes eſſe Chriſtiani, propter eorum diſſenſiones hæſitare coguntur, & multi maledici etiam in his inueniunt materiam blaſphemandi Chriſtianum nomen, quia & ipſi quoquo modo Chriſtiani appellantur.

Libro quæſtionum Euangeliorum ſecundum Matthæum, Quæſt. XI.

Differētia inter hæreticum malè catholicū & ſchiſmaticum

Inter hæreticos & malè catholicos hoc interęſt, quòd hæretici falſa credunt: illi autem vera

vera credentes, non viuunt ita vt credunt. Solet autem etiam quæri, schismatici quid ab hæreticis distent, & hoc inueniri, cùm schismaticos non fides diuersa faciat, sed communionis dirupta societas.

Post pauca ibidem.

Hæretici & schismatici quando ab Ecclesia pellendi.

Nec tamen consequens est, vt omnis hæreticus vel schismaticus corporaliter ab Ecclesia separetur. Multos enim tales portat Ecclesia, quia non ita defendunt falsitatem sententiæ suæ, vt intentam multitudinem faciant: quod si fecerint, tunc pellantur.

Ad Donatum proconsulem Africæ, Epistola CXXVII.

Denique vnum solum est, quod in tua iustitia pertimescimus, ne fortè quoniam quidquid mali contra Christianam societatem ab hominibus impiis ingratisque cõmittitur, profectò grauius est & atrocius, quàm si in alios talia committantur: tu quoque pro immanitate facinorum, ac non potius pro lenitatis Christianæ consyderatione censeas coercendum. quod te per Iesum Christum ne facias obsecramus. Neque enim vindictam de inimicis in hac terra requirimus, aut verò ad eas angustias animi nos debeant coarctare quæ patimur, vt obliuiscamur quid nobis præceperit, pro cuius veritate ac nomine patimur, qui diligimus inimicos nostros, & oramus pro eis. Vnde ex occasio ne terribilium iudicum ac legum, ne æterni iudicii pœnas incidãt, corrigi eos cupimus, non necari: nec disciplinã circa eos negligi volum⁹, nec suppliciis quib⁹ digni sunt exerceri. Sic ergo eorũ peccata cõpesce, vt sint quos pœniteat peccauisse. Quæsumus igitur vt cùm Ecclesiæ causas audis, quanlibet nefariis iniuriis appetitam vel afflictam esse cognoueris, potestatem occidẽdi te habere obliuiscaris, & petitionẽ nostram non obliuiscaris. Non tibi vile sit neque contemptibile, fili honorabiliter dilectissime, quod vos rogamus, ne occidantur pro quibus Dominum rogamus vt corrigantur: excepto etiam quod à perpetuo proposito recedere nõ debemus vincendi in bono malũ. Illud quoque prudentia tua cogitet, quòd causas Ecclesiasticas, insinuare vobis nemo prẽter Ecclesiasticos curat. Proinde si occidẽdos in iis sceleribus homines putaueritis, deterrebitis nos ne per operam nostram ad vestrum iudicium aliquid tale perueniat, quo comperto illi in nostram perniciem licentiore audacia grassabuntur, necessitate nobis impacta & indicta, vt etiam occidi ab eis eligamus, quàm eos occidendos vestris iudiciis ingeramus. Hanc admonitionem, petitionem, obsecrationem meam, ne quæso aspernãter accipias. Neque enim te arbitror non recolere magnam me ad te, & multò quàm nunc es, altius sublimatum, etiamsi Episcopus non essem, fiduciam tamen habere potuisse.

Hæretici non necandi.

DE HYPOCRISI, SIMVlatione & mendacio.

De vera innocentia, Cap. CCXIX.

Simulata æquitas, duplex est iniquitas.

Simulata innocentia non est innocentia, simulata æquitas non est æquitas: sed duplicatur peccatũ, in quo & iniquitas & simulatio est.

Sermon. LIX. de tempore.

Nomen hypocritæ vnde transfolatum sit.

Hypocrita Græco sermone simulator interpretatur, qui dum intus malus sit, bonum se palàm ostendit. Nomen autem hypocritæ trãslatum est à specie eorum qui spectaculis tecta facie incedunt, distinguentes vultum cæruleo niueóque colore & cæteris pigmentis, habẽtes simulachra oris, lintea gypsata, & vario colore distincta: nonnunquam colla & manus creta perungentes, vt ad personæ colorem peruenirent, & populum dum in ludis agerent, fallerẽt, modò in specie viri, modò in forma fœminæ & reliquis præstigiis. Quæ species argumẽti trãslata est in iis qui falso incedunt vultu, & simulant quod non sunt. Sed hypocriseorum maculam non habere, aut paucorum aut nullorum est. Nam quicunque vult se videri quod non est, hypocrita est.

De ciuitate Dei, libro XIX. Cap. V.

De simulata amicitia.

Nullæ sunt occultiores insidiæ, quàm hæ quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nã eum qui palàm est aduersarius, facilè cauendo vitare possis. Hoc verò occultum, intestinum ac domesticum malum, non solùm existit, verumetiam opprimit antequam prospicere atque explorare potueris. Propter quod etiam diuina vox illa, Et inimici hominis domestici eius, cum magno dolore cordis auditur: quia etsi quisq; tam fortis sit, vt æquo animo perferat, vel tam vigilans, vt prouido cõsilio caueat quæ aduersus eum molitur amicitia simulata: eorum tamẽ hominum perfidorum malo, cùm eos esse pessimos experitur, si ipse bonus est, grauiter excrucietur necesse est, siue semper mali fuerint, & se bonos finxerint, siue in istã malitiam ex bonitate mutati sint. Si ergo domus commune perfugium, in his malis humani generis tuta non est, quid ciuitas, quæ quantò maior est, tãtò forum eius litibus ciuilibus & criminalibus plenius, etiam si quiescant, non solùm turbulentæ, verũetiam sæpius & cruentæ seditiones ac bella ciuilia, à quorum euentibus sunt aliquando liberę ciuitates, à periculis nunquam?

Mich. 7

In Psalmum XI.

Hypocritæ malitiosi simulatores.

Sunt enim hypocritæ simulatores mali, adiungentes se ficta charitate, captantes omnes motus, omnia verba Sanctorum, in omnibus laqueos inquirentes.

Libro II. de Genesi contra Manichæos, Cap. XV.

Amissa veritate, hypocrisis nascitur.

Quum enim quisque ceciderit ab illa intima & secretissima luce veritatis, nihil est vnde

velit placere ſuperbia, niſi fraudulẽtis ſimulationib⁹. Hinc enim & hypocriſis naſcitur, in qua multum ſibi videntur cordati, qui potuerunt fallere & decipere quem voluerunt.

Libro II. de ſermone Domini in monte, B.

Manifeſtum eſt enim hypocritas non quod oculis prætendunt hominum, id etiam corde geſtare. Sunt enim hypocritæ ſimulatores, tanquam pronuntiatores perſonarum alienarum, ſicut in theatricis fabulis. Non enim qui agit partes Agamemnonis in Tragœdia (verbi gratia) ſiue alicuius alterius, ad hiſtoriam vel fabulam, quæ agitur pertinentis, verè ipſe eſt: ſed ſimulat eum, & hypocrita dicitur. Sic in Eccleſia vel in omni vita humana, quiſquis ſe vult videri quod non eſt, hypocrita eſt. Simulat enim ſe iuſtum eſſe, & nõ exhibet: quia totum fructum in laude hominum ponit, quam poſſunt etiam ſimulãtes percipere, dum fallũt eos quibus videntur boni, ab eiſque laudantur. Sed tales ab inſpectore cordis Deo mercedem non capiũt, niſi fallaciæ ſuppliciũ. Ab hominibus, inquit, perceperũt mercedẽ ſuam. Rectiſsiméque iis dicitur, Recedite à me operarii doloſi: nomen meum habuiſtis, ſed opera mea non feciſtis.

Hypocritæ operary doloſi.

In lib. de mẽdacio ad Cõſentium, Cap. I.

Magna quæſtio eſt de mendacio, quæ nos in ipſis quotidianis actibus noſtris ſæpe conturbat, ne aut temerè accuſemus mẽdacium, quod non eſt mendacium: aut arbitremur aliquando eſſe mentiendũ honeſto quodam & officioſo ac miſericordi mendacio. Quam quæſtionem tam ſolicitè tractabimus, vt quæramus cum quærentibus.

Magnam eſſe quæſtionem de mendacio.

Cap. II.

Exceptis igitur iocis, quæ nunquam ſunt putata mendacia: habent enim euidentiſsimã ex pronuntiatione atque ipſo iocantis affectu ſignificationem animi nequaquam fallentis, etſi non vera enuntiantis.

Ioca non eſſe mendacia.

Cap. III.

Quiſquis hoc enuntiat quod vel creditum animo vel opinatum tenet, etiam ſi falſum ſit, non mentitur: incognitum enim habet pro cognito. Quapropter ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuſlibet ſignificationibus enuntiat. Vnde etiam duplex cor dicitur eſſe mentientis, id eſt, duplex cogitatio: vna rei, quam veram eſſe vel ſcit vel putat, & non profert: altera eius rei, quam pro iſta profert ſciens falſam eſſe vel putans.

Quis dicatur mentiri.

Cap. IIII.

Nemo autem dubitat mentiri eum, qui volens falſum enuntiat cauſa fallendi. Quapropter enuntiationem falſam cum voluntate fallendi prolatam, manifeſtum eſt eſſe mendacium: ſed vtrùm hoc ſolùm ſit mendacium, alia quæſtio eſt.

Cap. V.

Interim de hoc genere in quod omnes conſentiunt, inquiramus, vtrùm aliquando ſit vtile falſum aliquid enuntiare cum voluntate fallendi. Nam qui hoc ſentiũt, adhibent teſtimonia ſententiæ ſuæ, commemorantes Saram cùm riſiſſet, Angelis negaſſe quòd riſerit. Iacob à patre interrogatum reſpondiſſe, quòd ipſe eſſet Eſau, maior filius eius. A Egyptias quoque obſtetrices ne infantes Hebræis naſcentes interficerentur, etiam Deo approbante & remunerante mentitas. Et multa eiuſmodi exempla eligentes, eorum hominum mendacia commemorant, quos culpare non audeas: atque ita fatearis aliquando eſſe poſſe, non ſolùm reprehenſione non dignum, ſed etiam dignum laude mendacium. His atque talibus copioſiſsimè ſe arbitrantur vrgere, vt ſi conſulendi cauſa exigit, aliquando mentiamur. Contrà illi quibus placet nũquam ſic mentiendum, multò fortius agunt, vtentes primò auctoritate diuina, quoniam in ipſo Decalogo ſcriptũ eſt, Falſum teſtimonium ne dicas. Quo genere complectitur omne mendacium. Quiſquis enim aliquid enuntiat, teſtimonium perhibet animo ſuo. Sed ne quis contendat non omne mendacium falſum teſtimonium eſſe appellandum, quid dicturus eſt ad id quod ſcriptũ eſt, Os quod mẽtitur occidit animam? Quod ne quis arbitretur exceptis aliquibus mentientibus poſſe intelligi, alio loco legat, Perdes omnes qui loquuntur mendaciũ. Vnde ore ſuo ipſe Dominus ſic inquit, Sit in ore veſtro Eſt eſt, Non non: quod autem amplius eſt, à malo eſt. Hinc & Apoſtolus cùm exuendum veterem hominẽ præciperet, quo nomine omnia peccata intelligũtur, conſequenter ait, in primis ponens, Quapropter deponẽtes mendacium, loquimini veritatem. Nec illis quæ de veteribus libris mendaciorum exempla prolata ſunt, terreri ſe dicunt, vbi quidquid geſtum eſt, figuratè accipi poteſt, quanuis reuera contigerit. Quidquid autem figuratè fit aut dicitur, non eſt mendacium. Omnis enim enuntiatio ad id quod enuntiat referẽda eſt. Omne autem figuratè aut factum aut dictum hoc enuntiat, quod ſignificat eis quibus intelligendum prolatum eſt. Et ideo de libris noui Teſtamẽti, exceptis figuratis ſignificationibus Domini, ſi vitam moréſq; Sanctorum, & facta ac dicta conſyderes, nihil tale proferri poteſt, quod ad imitationem prouocet mentiendi. Simulatio nanque Petri & Barnabbæ, nõ ſolùm commemorata, verumetiam reprehenſa atque correcta eſt. Non enim vt nonnulli putãt, ex eadem ſimulatione etiam Paulus Apoſtolus, aut Timotheum circuncidit, aut ipſe quædam ritu Iudaico ſacramenta celebrauit: ſed ex illa libertate ſententiæ ſuæ, qua prædicauit, nec Gẽtibus prodeſſe Circunciſionem, nec Iudæis obeſſe: vnde nec illos aſtringendos ad conſuetudinem Iudæorum, nec illos à paterna deterrendos cenſuit. Petrus autem ſimulatione ſua, tanquam in Iudaiſmo ſalus eſſet, cogebat Gentes iudaizare: quod verba Pauli oſtendunt, dicentis, Quomodo Gen-

Sum enuntiare cum voluntate fallendi. Genes. 17 & 27

Exod. 1

Exod. 20

Sapient. 2

Pſalm. 5 Matth. 5

Epheſ. 4

Galat. 2

Actorum 2

Galat. 2

Vtrùm aliquã do ſit vtile fal-

tes cogis iudaizare? Non enim cogerentur, nisi viderent eum sic eas obseruare, quasi præter illas salus esse nō posset. Petri ergo simulatio libertati Pauli non est comparanda. Quòd auctoritas mentiendi nec de antiquis libris proferri potest, vel quia non est mendacium, quod figuratè gestum dictúmve recipitur, vel quia bonis ad imitandum non proponitur, quod in malis, cùm proficere cœperint, in peioris comparatione laudatur: nec de noui Testamenti libris, quia correctio potius quàm simulatio, sicut lachrymæ potius quàm negatio Petri est imitanda.

Cap. X.

A doctrina religionis, atque ab eis omnino enuntiationibus, quæ propter doctrinam religionis enuntiantur, quum illa docetur & discitur, omnia penitus mendacia remouēda sunt. *Prædicando omnia mēdacia remouenda.* Nec vlla omnino causa inueniri posse credatur, cur in rebus talibus mentiendum sit, quando nec ideo in ea doctrina mentiendum est, vt ad eam ipsam quisque facilius perducatur. Fracta enim vel leuiter diminuta auctoritate veritatis, omnia dubia remanebunt. Quæ nisi vera credantur, teneri certa non possunt. Licet igitur vel dissertori ac disputatori atque prędicatori rerum æternarum, vel narratori aut prænuntiatori rerum temporalium ad ædificādam religionem atque pietatem pertinentium, occultare in tempore quidquid occultandum videtur: mentiri autem nunquam licet, ergo nec occultare mentiendo.

Cap. XXI.

Nunquam esse mentiendum. Elucet itaque discussis omnibus nihil aliud illa testimonia Scripturarum monere, nisi nunquam esse omnino mentiendum. Quādoquidē nec vlla exempla mēdaciorum imitatione digna in moribus factísque Sanctorum inueniantur: quòd ad eas attinet scripturas quæ ad nullam figuratam significationem referuntur, sicuti sunt res gestæ in Actibus Apostolorum. Nam Domini omnia in Euangelio, quæ imperitioribus mendacia vidētur, figuratæ significationes sunt. Et quod ait Apostolus, 2. Corinth. 9 Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem: non eum mentiendo, sed compatiēdo feciſſe rectè intelligitur. Ad sempiternam salutē nullus ducendus est opitulante mendacio: non enim malis conuertentium moribus ad bonos mores conuertendus est. Et quisquis esse aliquod genus mendacii quod peccatum non sit, putauerit, decipiet seipsum turpiter, quum honestum se deceptorem arbitratur aliorum.

Libro contra mendacium ad Consentium, Cap. II.

4. Reg. 10 Si enim Iehu, quem sibi inter cæteros ad exemplum mentiendi prudenter videntur intueri, seruum Baal se esse mētitus est, vt seruos eius occideret, quantò iustius secundū istorum peruersitatem, tēpore persecutionis seruos dæmonum se mentirentur serui Christi, ne serui dæmonum seruos occiderent Christi, & sacrificarent idōlis, ne interficerētur homines, si sacrificauit ille Baali, vt interficeret homines? Quid enim eis obesset secūdum egregiam doctrinam mendaciloquorum, si diaboli cultum mentirentur in corpore, quādo Dei cultus seruabatur in corde? Sed non sic intellexerunt Apostolum Martyres veri, Martyres sancti. Viderunt quippe tenuerúntque quod scriptum est, Corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem. Et in ore eorum non est inuentum mendacium: ac sic irreprehensibiles abierunt, vbi tentari à mendacibus vlterius non cauebunt, quia mendaces amplius in suis cælestibus cœtibus, vel alienos vel proximos non habebunt. Illum verò Iehu mendacio impio & sacrificio sacrilego occidendos impios & sacrilegos inquirentem non imitarētur: nec si de illo qualis fuisset, eadē Scriptura tacuisset. Cùm verò scriptum sit eum rectum cor nō habuisse cum Deo, quid ei profuit, quòd pro nonnulla obediētia, quam de domo Achab omnino delenda, pro cupiditate suæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem trāsitoriam regni temporalis accepit? &c. Roman. 10 Apocal. 14 4. Reg. 10

Cap. III.

Mendaciorum genera multa sunt, quæ quidem omnia vniuersaliter odisse debemus. Nullum est enim mendacium, quod non sit contrarium veritati. Nam sicut lux & tenebræ, pietas & impietas, iustitia & iniquitas, peccatū & rectè factum, sanitas & imbecillitas, vita & mors, ita inter se sunt veritas mendaciúmque contraria. Vnde quantò amamus istam, tātò illud odisse debemus. *Omnia mēdacia odisse debemus.*

Cap. VI.

Fuerunt enim temporibus Apostolorum, qui veritatem non veraciter, id est, non veraci animo prædicarēt, quos dicit Apostolus Christum annuntiasse non castè, sed per inuidiam & contentionem. Ac per hoc etiam tunc nonnulli tolerati sunt annuntiātes nō casto animo veritatem, non tamen vlli laudati sunt, tanquā annuntiantes casto animo falsitatem, &c. Philip. 1

Cap. X.

Ad mendaciorum genera defendenda plurima de Scripturis sanctis suffragari putantur exempla. Non autem hoc est occultare veritatem, quod est proferre mendacium. Quanuis enim omnis qui mentitur velit cęlare quod verum est, non tamē omnis qui vult quod verum est cęlare, mentitur. Plerunque enim vera non mentiēdo occultamus, sed tacendo. Neq; enim mentitus est Dominus vbi ait, Multa habeo vobis dicere, sed nō potestis illa portare modó. Vera tacuit, non falsa loquutus est, quibus veris audiēdis eos min° idoneos iudicauit. Quòd si eis hoc ipsum nō indicasset, id est, nō eos posse portare quæ dicere noluit, occultaret quidē nihilominus aliquid veritatis: sed posse hoc rectè fieri forsitan nescimus, aut non tanto *Occultare veritatem, non est proferre mendacium.* Ioannis 16

firmaremur exẽplo. Vnde qui asserũt aliquando esse mentiendum, non conuenienter commemorãt Abraham hoc fecisse de Sara, quam sororem suam dixit. Non enim dixit, Non est vxor mea: sed dixit, Soror mea est. quod erat re uera, tam propinqua genere, vt soror non mẽdaciter diceretur: quod & postea iam sibi ab illo qui abduxerat, ea reddita confirmauit, respondẽs illi & dicens, Est verè soror mea de patre, nõ de matre, hoc est, de paterno genere, nõ de materno. Aliquid ergo veri tacuit, non falsi aliquid dixit, quãdo tacuit vxorem, dixit sororem. Hoc & filius eius fecit Isaac. Nã & ipsum nouimus propinquam coniugem suam fuisse sortitum. Non est ergo mendacium, cùm silendo absconditur verum, sed cùm loquendo promitur falsum. Iacob autẽ quod matre fecit auctore, vt patrem fallere videretur, si diligenter & fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium. Quæsi mẽdacia dixerimus, omnes etiam parabolæ & figuræ significãdarum quarũcunque rerum, quæ non ad proprietatẽ accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio est intelligendum, dicentur esse mendacia. Quod absit omnino. Nam qui hoc putat, tropicis etiã tam multis locutionibus omnibus potest hanc importare calumniam: ita vt hæc ipsa quæ appellatur Metaphora, hoc est, de re propria ad rem non propriam verbi alicuius vsurpata translatio, possit ista ratione mendacium nuncupari. Cùm enim dicimus, fluctuare segetes, gemmare vites, floridam iuuentutem, niueam canitiẽ, procul dubio fluctus, gemmas, florem, niuem, quia in iis rebus non inuenimus, in quas hæc verba aliunde transtulimus, ab istis mendacia putabũtur. Et petra Christus, & cor lapideum Iudæorum: item leo Christus, & leo diabolus, & innumerabilia talia dicentur esse mendacia. Quid quòd hæc tropica locutio vsque ad eam peruenit, quæ appellatur Antiphrasis, vt dicatur abundare, quod nõ est, dicatur dulce, quod acidum est, lucus, quod nõ luceat, Parcæ, quòd non parcant? Vnde illud est in Scripturis sanctis, Si non in faciem benedixerit tibi: quod diabolus ait Domino de sancto Iob, & intelligitur, maledixerit. Hi omnes modi locutionũ mendacia putabuntur, si locutio vel actio figurata in mendacio deputabitur. Si autem nõ est mendacium, quando ad intelligentiam veritatis aliud ex alio significantia referuntur, profectò non solùm id quod fecit aut dixit Iacob patri vt benediceretur: sed neque illud quod Ioseph velut illudendis loquutus est fratribus: nec quod Dauid simulauit insaniã, nec cætera huiusmodi mendacia iudicanda sunt: sed locutiones actionésque Propheticæ, ad ea quæ vera sunt intelligẽda referendæ. Quæ propterea figuratis velut amictibus obteguntur, vt sensum piè quærentis exerceant, & ne nuda ac prompta vilescant.

Genes. 20

Genes. 26

Genes. 27

Tropi non sunt mendacia.

1. Corinth. 10
Ezech. 11
Apocal. 5
1. Petri 5

Iob 2

Genes. 27

Gene. 42

1. Reg. 2

Eodem libro, Cap. XI.

Sed aliquantò commendatius oportet ne dicam cur ista mhi videatur tripartita ratio disputandi aduersus eos, qui patronas mendaciis suis Scripturas volunt adhibere diuinas: vt prius ostendamus nonnulla quæ putantur ibi esse mendacia, non esse quod putantur, si rectè intelligantur. Deinde si qua ibi mendacia manifesta sunt, imitanda non esse. Tertiò contra omnes omnium opiniones, quibus videtur ad boni viri officium pertinere aliquando mentiri, omni modo tenendum, in doctrina religionis nullo modo esse mentiendum, &c.

Cap. XIII.

Hinc est etiam illud quod commemorasti eos dicere, Dominum Iesum posteaquam resurrexit, ambulasse in itinere cum duobus discipulis, & propinquantibus eis castello quò ibant, illum longius se ire finxisse: vbi Euangelista dicens, Ipse autem se finxit longius ire, etiam ipsum verbum posuit, quo mendaces nimium delectantur, vt impunè mẽtiantur, quasi mendacium sit omne quod fingitur: quum veraciter aliud ex alio significãdi gratia tã multa fingãtur. Si ergo nihil aliud significasset Iesus in eo quòd longius ire se finxit, meritò iudicaretur esse mendacium. Porrò autem, si bene intelligatur, & ad id quod voluit significare referatur, inuenitur esse mysterium. Alioquin erunt cuncta mendacia, quæ propter quandam rerum significandarum similitudinem cùm gesta non sint, tanquam gesta narrantur. Vnde est illa de duobus vnius hominis filiis, maiore qui mãsit apud patrem suum, & minore qui lõgius peregrinatus est, tam prolixa narratio. In quo genere fingendi, humana etiam facta vel dicta, irrationalibus animantibus & rebus sensu carentibus homines addiderunt, vt eiusmodi fictis narrationibus, sed veracibus significationibus, quod vellent commendatius intimarẽt. Nec apud auctores tantùm secularium literarum, vt apud Horatium mus loquitur muri, & mustella vulpeculæ, vt per narrationem fictam ad id quod agitur vera, significatio referatur. Vnde & Æsopi tales fabulas ad eum finem relatas, nullus tam ineruditus fuit, qui putaret appellanda mendacia. Sed in literis quoque sacris, sicut in libro Iudicum, ligna sibi regem requirunt, & loquuntur ad oleam, & ad ficum, & ad vitem, & ad rubum. Quod vtique totũ fingitur, vt ad rem quæ intenditur, ficta quidem narratione, non mendaci tamen, sed veraci significatione veniatur. Hæc dixi propter id quod scriptum est de Iesu, Et ipse se finxit longius ire. Ne quisquam ex hoc verbo sicut Priscillianistæ licitum volens habere mendacium, insuper etiam contendat Christum fuisse mentitũ. Quisquis autem vult intelligere illud fingendo quid præfigurarit, attendat quid agendo perfecerit. Longius nanque postea profectus super omnes cælos, non tamen deseruit discipulos suos. Propter hoc significandum futurũ diuinitus factum, ad præsens illud est humanitus fictum. Et ideo significatio verax in illa est

Luc. 24

Luc. 15

Iudicum 9

Luc. 24

Priscillianistæ licitum contendunt mẽdacium.

fictione

fictione præmissa, quia in hac profectione illius est significationis veritas subsecuta. Ille igitur contendat Christum mentitum esse fingendo, qui negat eum quod significauit impleuisse faciendo, &c.

Cap. XV.

1. Ioannis 2 *Cautela de positis ex Scriptura mentiendi exemplis.*

Clamat etiam Ioannes, Omne mendacium non est ex veritate: omne ergo mendacium non est iustum. Quapropter quando nobis de Scripturis sanctis mentiendi proponuntur exempla, aut mẽdacia nõ sunt, sed putantur esse, dum non intelliguntur, aut si mendacia sunt, imitanda non sunt, quia iusta esse non possunt.

Exod. 1 Iosue 2

Sed quod scriptum est, bene Deum fecisse cum Hebræis obstetricibus, & cum Rahab Hierichũtina meretrice, non ideo factũ est quia mẽtitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed beneuolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis.

Cap. XVIII.

Nullum ex veritate mendacium esse.

De cæteris mendaciorum generibus eligat sibi quod putat esse mitissimũ atque innocentissimum mentiendi genus, cui placet esse mentiendum. Hoc scio quod etiã qui docet oportere mẽtiri, verũ docere se vult videri. Nã si falsum est quod docet, quis falsæ velit studere doctrinæ, vbi & fallit docens, & fallitur discens? Si autem vt aliquem possit inuenire discipulũ, docere se asserit verũ, cùm doceat esse mentiendum: quomodo erit vllum ex veritate

1. Ioannis 2

mendacium, Ioanne Apostolo reclamante, Omne mendacium non est ex veritate?

Ad Laurentium in Enchiridio, Cap. XVIII.

Augustino videtur omne mendacium peccatum esse.

Verùm difficillima & latebrosissima hîc gignitur quæstio, de qua iam grandem librum, cùm respondẽdi necessitas nos vrgeret, absoluimus. Vtrùm ad officium iusti hominis pertineat aliquando mentiri. Nonnulli enim eousque progrediuntur, vt & peierare & de rebus ad Dei cultum pertinẽtibus, ac de ipsa Dei natura falsum aliquid dicere, nonnunquam bonũ piúmque opus esse contendant. Mihi autem videtur, peccatum esse quidem omne mendacium, sed multum interesse quo animo, & quibus de rebus quisque mentiatur. Non enim sic peccat ille qui consulendi, quomodo ille qui nocendi voluntate mentitur.

Eodem libro, Cap. XXII.

Non ideo mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnunquã pro salute quorundã mentimur. Peccatũ ergo est, sed veniale, quod beneuolentia excusat, & ideo fallacia damnat.

In Psalmum V.

Exod. 1

Multa quidem videntur pro salute aut cõmodo alicuius, non malitia, sed benignitate mendacia. Quale illarum in Exodo obstetricum, quæ Pharaoni falsum renuntiauerunt, vt infantes filiorum Israel nõ necarentur: sed etiã ista non re, sed in dolo laudantur. Quoniam qui tantùm hoc modo mentiũtur, merebuntur aliquando ab omni mẽdacio liberari. Nam in iis qui perfecti sunt, nec ista mẽdacia inueniũtur, quibus dictũ est, Sit in ore vestro Est, est, Non, non. Quidquid amplius est, à malo est. Nec immeritò alio loco scriptum est, Os quod mentitur, occidit animam.

In perfectis nec minuta inueniuntur mendacia. Matth. 5 Sapient. 1

Post pauca ibidem.

Duo genera mendaciorum.

Duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa: cùm aut iocamur, aut vt proximis prosimus, mentimur. Illud primùm in iocando, ideo non est pernitiosissimum, quia nõ fallit. Nouit enim ille cui dicitur, ioci causa esse dictum. Secundum autem ideo mitius est, quia retinet nonnullam beneuolentiam. Illud verò quod non habet duplex cor, nec mendacium quidem dicendum est.

DE SIMONIA.

Item in alio quodam loco.

Simoniaci ab est Spiritus.

Sicut eunuchus fuit qui Ioseph comparauit, ita qui gratiam mercatur, viuum semen nõ habet sanctis genitalibus: sic quoque ignis sacrificii, qui per septuaginta annos Babylonicæ captiuitatis, sub aqua vixerat, extinctus est Iasoni Antiocho vendenti sacerdotium: quod significauit Spiritus sancti ignem non lucere in Simoniacorum sacramentis, &c.

In Psalmum CXXX.

Intendat charitas vestra. Magna res commendatur. Quomodo Simon ille magus in mirabilibus ingredi volebat super se: propterea plus illum delectauit potentia Apostolorum, quàm iustitia Christianorum. Aut vbi vidit per manus impositionem Apostolorum, & per orationes eorum Deum dare fidelibus Spiritum sanctum, & quia tunc per miraculum demonstrabatur aduentus Spiritus sancti, vt linguis loquerentur, quas non didicerant omnes, super quos veniebat Spiritus sanctº. Nec ideo modò non datur Spiritus sanctus, quia linguis non loquuntur qui credunt. Ideo enim tunc oportebat vt linguis loquerentur, vt significarent omnes linguas Christo credituras, vbi impletum est quod significabatur, miraculum ablatum est. Cùm ergo hoc videret Simon magus, voluit talia facere, non talis esse. Et nostis quia etiam pecunia putauit comparãdum Spiritum sanctũ. Erat ergo de talibus, qui in templũ intrant ad emendum & vendendum: emere volebat, quod vẽdere disponebat. Et verè, fratres mei, quia talis erat ille, & sic intrauerat ad eos, Dominus illos expulit de templo, qui columbas vendebant.

Actorum 8

Matth. 21

DE SACRILEGIO.

Libro III. de mirabilibus sacræ Scripturæ, Cap. XVI.

Actorum 5

Ecce quanta est Apostolica virtus in Christo. Sanum Ananiã dum Petrus arguit, per sermonis tantum imperium morte ligauit, & Ta-

bitßam mortis vinculo ligatam,eadem imperii poteſtate diſſoluit. Ideóque prius Ananias & Sapphira in conſpectu Eccleſiæ citò mortui ſunt, vt Apoſtolica auctoritas quanta eſſet oſtenderetur,& quàm magnum peccatum eſſet, quod oblatum iterum ab Eccleſia retraheretur, monſtraretur, & cæteri exemplo huius caſtigarentur.

In Euangelium Ioannis,Tractau I.

Quid ergo voluit Dominus noſter Ieſus Chriſtus,fratres mei,admonere Eccleſiam ſuã, quando vnum perditum inter duodecim habere voluit, niſi vt malos toleremus,ne corpus Chriſti diuidamus? Ecce inter Sanctos eſt Iudas,ecce fur eſt Iudas. Et ne contemnas,fur ſacrilegus,non qualiſcũque fur. Fur loculorum, ſed Dominicorum,loculorum , ſed ſacrorum. Si crimina diſcernuntur in foro,qualiſcunque furti & peculatus (peculatus enim dicitur furtum de republica: & non ſic iudicatur furtum rei priuatæ quomodo publicæ) quando vehementius iudicandus eſt fur ſacrilegus, qui auſus fuerit non vndecunque tollere , ſed de Eccleſia tollere? Qui aliquid de Eccleſia furatur, Iudæ perdito comparatur.

Sacrilegiũ furtum deteſtabiliſſimum.

DE VSVRA.

In Pſalmum XXXVI.Sermon.III.

Nolo ſitis fœneratores:& ideo nolo,quia Deus non vult. Nam ſi ego nolo,& Deus vult: agite. Si autem Deus non vult,etiam ſi ego vellem,malo ſuo ageret qui ageret. Vnde apparet Deum hoc nolle? Dictum eſt alio loco, Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram. Et quàm deteſtabile ſit, & quàm odioſum , quàm execrandum, puto quia & ipſi fœneratores nouerunt. Ruſus autem ego ipſe,imò Deus noſter, qui te prohibet eſſe fœneratorem, iubet te eſſe fœneratorem, & dicitur tibi, Fœnera Deo. Si fœneras homini, habes ſpem: & ſi fœneras Deo,ſpem non habebis? Si fœneraueris homini,id eſt,mutuã tuam pecuniam dederis, à quo aliquid plus quàm dediſti expectes accipere, nõ pecuniam ſolam,ſed aliquid plus quàm dediſti, ſiue illud triticum ſit, ſiue vinum, ſiue oleum,ſiue quodlibet aliud. ſi plus quàm dediſti expectas accipere , fœneratores, & in hoc improbandus,non laudandus.

Pſalm.14

Vſurarij & fœneratores improbandi.

In Pſalmum IIIII.

Fœnus & profeſsionem habet. Fœnus etiam ars vocatur,corpus dicitur. Corpus quaſi neceſſarium ciuitati , & de profeſsione ſua vectigal impedit, vſqueadeo in platea eſt, quod ſaltem abſcondendum erat.

Fœnus profeſsionem habet.

In Pſalmum CXXVIII.

Audet etiam fœnerator dicere , Non habeo aliud vnde viuam. Hoc mihi & latro diceret,deprehẽſus in fauce. Hæc & effractor diceret,deprehenſus circa parietem alienum. Hoc mihi & leno diceret,emens puellas ad proſtitutionem. Hoc & maleficus incantans mala, & vendens malitiam ſuam. Quidquid tale prohibere conaremur,reſponderẽt omnes, quia non haberent vnde viuerent, quia inde ſe paſcerẽt, quaſi non hoc ipſum in illis maximè puniendũ eſt,quia artem nequitiæ delegerunt, vnde vitã tranſigant , & inde ſe volunt paſcere , vnde offendant eum,à quo omnes paſcuntur.

Fœneratorum excuſatio ridicula & ſacrilega.

Ad Macedonium,Epiſtola IIII.

Quid dicam de vſuris, quas etiam ipſæ leges & iudices reddi iubẽt? An crudelior eſt qui ſubtrahit aliquid , vel eripit diuiti , quàm qui trucidat pauperem fœnore? Hæc atque huiuſmodi malè vtique poſsidentur,& vellem vt reſtituerentur,ſed non eſt quo iudice repetãtur. Iam verò ſi prudenter intueamur quod ſcriptũ eſt, Fidelis hominis totus mundus diuitiarum eſt : infidelis autem nec obolus : nonne omnes qui ſibi videntur gaudere licitè cõquiſitis,eſſque vti neſciunt,aliena poſsidere cõuincimus? Hoc enim certè alienũ non eſt , quod iure poſsidetur , hoc autẽ iure quod iuſtè , & hoc iuſtè quod bene. Omne illud quod malè poſsidetur alienũ eſt, malè autẽ poſsidet,qui malè vtitur. Cernis ergo quàm multi debeant reddere aliena,ſi vel pauci,quibus reddantur,reperiuntur: qui tamen vbi ſunt , tantò magis iſta contemnunt,quantò ea iuſtius poſsidere potuerunt.

Leges vſuras reſtituere iubẽt

DE FVGA IN PERSEquutione.

Ad Honoratum,Epiſtola CLXXX.

Faciant in perſecutione ſerui Chriſti,miniſtri verbi & ſacramenti eius, quod præcepit ſiue permiſit in hac re Dominus. Fugiant omnino de ciuitate in ciuitatem , quando eorum quiſquam ſpecialiter à perſequutoribus quæritur, vt ab aliis,qui non ita requiruntur, non deſeratur Eccleſia : ſed præbeant cibaria conſeruis ſuis,quos aliter viuere nõ poſſe nouerũt. Quum autem omnium,id eſt,Epiſcoporum & clericorum eſt commune periculum,ii qui aliis indigent , non deſerantur ab iis quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes tranſeant,aut qui habent remanendi neceſsitatem, non relinquantur ab eis , per quos illorum eſt Eccleſiaſtica ſupplenda neceſsitas, vt aut pariter viuant , aut pariter ſufferant , quod eos paterfamilias volet perpeti.

In perſecutione agendum quæ Chriſtus permiſit.

Poſt pauca.

Nam qui fugiũt,vel ſuis deuincti neceſsitatibus fugere non poſſunt,ſi cõprehenſi patiuntur,pro ſeipſis,non pro fratribus vtique patiũtur. Qui verò propterea patiuntur , quia fratres qui eis ad Chriſtianam ſalutem indigebãt, deſerere noluerunt,ſine dubio ſuas animas pro fratribus ponunt . Vnde illud quod Epiſcopum quendam dixiſſe audiuimus, Si Dominus nobis imperauit fugam in eis perſecutionibus , vbi poteſt eſſe fructus martyrii : quantò magis debemus fugere ſteriles paſsiones,quando eſt barbaricus & hoſtilis incurſus? verum

Sententia cuiuſdam Epiſcopi.

eſt

est quidē & acceptabile, sed iis quos Ecclesiastici officii non tenēt vincula. Non enim quisquam est qui dicat ministros manere oportere, vbi iam non fuerint, quibus necesse sit ministrare. Itaq; quidē sancti Episcopi de Hispania profugerūt, prius plebibus partim fuga lapsis, partim peremptis, partim obsidione consumptis, partim captiuitate dispersis. Tunc de locis in quibus sumus, premente persecutione fugiendum est Christi ministris, quando ibi aut plebs Christi nō fuerit cui ministretur, aut potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus non est eadem causa fugiendi. Sicut in sporta submissus, quod suprà memoraui, fugit Apostolus, quum à persecutore propriè ipse quæreretur, aliis vtique necessitatem similem non habētibus, à quibus illic ministerium abest vt desereretur Ecclesiæ. Sicut fugit sanctus Athanasius Alexandrinus Episcopus, cùm eum specialiter apprehendere Constantius cuperet Imperator, nequaquam à cæteris ministris deserta plebe catholica, quæ adhuc in Alexandria commanebat. Cùm autem plebs manet, & ministri fugiūt, ministeriúmque subtrahitur, quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ouibus?

Actorum 9
2. Corinth. 11
De fuga Athanasii.
Ioannis 10

Post pauca ibidem.

Hìc fortè quis dicat, ideo debere Dei ministros fugere à talibus imminentibus malis, vt se pro vtilitate Ecclesiæ temporibus tranquillioribus seruent. Rectè hoc fit à quibusdam, quando non desunt alii, per quos suppleatur Ecclesiasticum ministerium, ne ab omnib⁹ deseratur, quod fecisse Athanasium suprà diximus. Nam quantum necessarium fuerit Ecclesiæ, quantúmque profuerit, quòd vir ille mansit in carne, catholica fides nouit, quæ aduersus Arrianos hæreticos ore illius & amore defensa est. Sed quādo est commune periculum, magísque timēdum est, ne quisquam id facere credatur, non consulendi voluntate, sed timore moriendi, magísque fugiendi obsit exemplo, quàm viuendi prosit officio, nulla ratione faciendum est. Denique sanctus Dauid ne se cōmitteret periculis prælíorum, & fortasis extingueretur, sicut ibi dictum est, lucerna Israel, à suis hoc petētibus sumpsit, non ipse præsumpsit: alioquin multos imitatores fecisset ignauiæ, qui eum crederent hoc fecisse non consyderatione vtilitatis aliorum, sed suæ perturbatione formidinis.

Fuga Athanasii vtilitas.
2. Reg. 17

Adhuc post pauca.

Quid si enim hactenus sęuiat illa pernicies, vt solos ministros Ecclesię persequatur? Quid dicam? An relinquenda est à ministris fugiētibus Ecclesia, ne à morientibus miserabilius relinquatur? Sed si laici non quærūtur ad mortē, possunt occultare quoquo modo Episcopos & clericos suos, sicut ille adiuuerit, in cuius potestate sūt omnia, qui potest & non fugientē per mirabilē conseruare potentiā. Sed ideo quęrimus quid nos facere debeam⁹, ne in omnib⁹ fugiendo diuina miracula, tētare Dominum iudicemur.

A laicis quādo occultandi Episcopi.

Sub fine ibidem.

Nemo in hoc cœtu excipiat personam suā, vt si aliqua gratia videtur excellere, ideo se dicat vita & ob hoc fuga esse digniorem. Quisquis enim hoc putat, nimium sibi placet. Quisquis autē etiam hoc dicit, omnibus displicet. Quicunque igitur isto modo fugit, vt Ecclesiæ necessarium ministerium illo fugiente non desit, facit quod Dominus prȩcepit siue permisit. Qui autem sic fugit, vt gregi Christi ea quibus spiritaliter viuit, alimenta subtrahantur, mercenarius ille est, qui videt lupum venientem, & fugit: quoniam non est ei cura de ouibus. Melius tamē quod in his periculis faciamus, inuenire non possumus, quàm orationes ad Dominum Deum nostrum, vt misereatur nostri.

Ioannis 10
Orationibus ad Deum in his periculis certiores crimus.

DE LABORE MANVVM.

Lib. de opere Monachorum, Cap. I.

Primùm ergo videndum, quid dicant illius professionis homines, qui operari nolunt. Non, inquiunt, de hoc opere corporali, in quo vel agricolę vel opifices laborant, præcepit hoc Apostolus, quum diceret, Qui non vult operari, non manducet. Neque enim Euangelio potuit esse contrarius, vbi ait ipse Dominus, Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ quid māducetis, neque copori vestro quid induamini, &c. Quapropter, inquiūt, in eo quod ait Apostolus, Qui non vult operari, non manducet, opera spiritalia debemus accipere. Sic, inquiunt, & nos facimus. Legimus cum fratribus, qui ad nos ab æstu seculi veniunt fatigati, vt apud nos in verbo Dei, & in orationib⁹, Psalmis, hymnis & canticis spiritalibus requiescāt. Alloquimur eos, consolamur, exhortamur, ædificantes in eis, siquid eorum vitæ pro suo gradu deesse perspicimus. Talia opera si non faceremus, periculosē à Domino alimenta ipsa spiritalia sumeremus: hoc enim dicit Apostolus, Qui non vult operari, non manducet.

2. Thessal. 3
Matth. 6
Otiosorum Monachorum excusatio.

Cap. III. eodem libro.

Prius ergo demonstrare debemus beatum Apostolum Paulum, opera corporalia seruos Dei operari voluisse, quæ finem haberent magnam mercedem spiritalem, ad hoc vt ipso victu & tegumento à nullo indigerent, sed manibus suis hæc sibi procurarent. Dicit enim Apostolus, Nam & cùm apud vos essemus, hoc vobis præcipiebamus, quoniam si quis nō vult operari, non māducet. Audiuimus enim quosdam inter vos ambulare inquietè, nihil operātes, sed curiosè agētes. His autem qui eiusmodi sunt, præcipimus & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes, panem suum manducent.

Laborem manualem Apostolum præcepisse demōstrat.
2. Thessal. 3

Post pauca ibidem.

Quid est enim quod ait Apostol⁹? Neq; panem gratis ab aliquo manducauimus, sed in la-

2. Thessal. 3

bore & fatigatione die ac nocte operantes, ne quẽ veſtrûm grauaremus. non quia non habuerimus poteſtatem, ſed vt nos formam daremus vobis, qua nos imitaremini. Audiãt ergo quibus hoc præcepit, id eſt, qui nõ habẽt hanc poteſtatẽ quam ille habebat, vt tantummodo ſpiritaliter operantes, manducẽt panem à corporali labore gratuitum: & quemadmodum dicit, Præcipimus & obſecramus in Chriſto, vt cum ſilentio operantes, panẽ ſuum manducent. Nõ diſputẽt cõtra manifeſtiſsima verba Apoſtoli, quia & hoc pertinet ad ſilentium, cum quo debent operantes manducare panem ſuum.

Cap. XII.

Matth. 6 Per hoc enim quod iure Dominico debebatur bonis Euangeliſtis, non propter hoc euangelizantibus, ſed quærẽtibus regnum Dei,
Roman. 16 vt hęc omnia apponerentur eis, inueniebant alii occaſionẽ, de quibus idem dicit, Neq; enim iſti Deo ſeruiũt, ſed ſuo ventri: quibus hãc occaſionem amputare volebat Apoſtolus, vt etiã quod ſibi iuſtè debebatur, omitteret. Apertè quippe hoc ipſe oſtẽdit in ſecũda ad Corinth. ab aliis Eccleſiis ſuppletas dicens neceſsitates
Paulus quare de Euangelio vt viueret, non accepit. 2. Corinth. 11 ſuas. Venerat enim ſicut apparet ad tantam indigentiam, vt de longinquis Eccleſiis ei neceſſaria mitterẽtur, dum tamen ab eis, apud quos erat, nihil tale acciperet. Alias Eccleſias, inquit, expoliaui, accipiens ſtipendium ab eis ad veſtram miniſtrationem: & cùm apud vos fuiſſem & egerem, nemini grauis fui.

Cap. XIII.

Furta labore præcauere. Ephes. 4 Nam præcauet & ipſe Apoſtolus, ne quiſquam ex neceſsitate ſuſtentandæ vitæ, in mala opera dilabatur. Qui furabatur, inquit, iam nõ furetur, magis autem laboret manibus ſuis bonum, vt habeat vnde tribuat cui opus eſt.

Cap. XV.

2. Timoth. 2 Ad Timotheum ſcribẽs, inquit Apoſtolus, Laborantem agricolã primùm oportet de fructibus percipere: ſecundum illud quod ad Co-
1. Corinth. 9 rinth. dixerat, Quis militat ſuis ſtipendiis vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non percipit? Fecit itaque ſecurum, caſtum E-
Diſtãt hic fratricelli mendicantes. uangeliſtam, non ad hoc euangelizantẽ, vt venderet Euangelium: ſed tamen huic vitæ neceſſaria ſuis ſibi exhibere manibus non valẽtem, vt intelligeret quod neceſſarium ſibi ſumebat ab eis, quibus tanquam prouincialibus militabat, & quos tanquam vineam cultura exercebat, vel tanquã gregem paſcebat, non eſſe mendicitatem, ſed poteſtatem.

Cap. XVII.

Quid enim agant, qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent, ſcire deſydero. Orationibus, inquiunt, & Pſalmis & lectioni & verbo Dei. Sancta planè vita, & in Chriſti ſuauitate laudabilis: ſed ſi ab his auocãdi nõ ſum°, nec mã ducandum eſt, nec ipſæ eſcæ quotidie prępарãdę, vt poſsint apponi & aſſumi. Si autem ad iſta vacare ſeruos Dei certis interuallis temporum ipſius infirmitatis neceſsitas cogit, cur non & Apoſtolicis prȩceptis obſeruãdis aliquas partes tẽporum deputamus? Citius enim exauditur vna obedientis oratio, quàm decem millia contemptoris. Cantica verò diuina cantare, etiam manibus operãtes facilè poſſunt, & laborem tanquam diuino celeuſmate conſolari. An ignoramus opifices, quibus vanitatibus, & plerunque turpitudinibus theatricarum fabularum donẽt corda & linguas ſuas, quum manus ab opere non recedant? Quid ergo impedit ſeruum Dei manibus operantem in Lege Domini meditari, & pſallere nomini Domini altiſsimi: ita ſanè vt ad ea dicenda quæ memoriter recolat, habeat ſepoſita tempora? Ad hoc enim & illa bona opera fideliũ ſubſidio ſupplẽdorum neceſſariorũ deeſſe non debent, vt horæ quibus ad erudiẽdum animum ita vacatur, vt illa opera corporalia gerí non poſsint, non opprimant egeſtate. Qui autem ſe dicunt vacare lectioni, nonne illic inueniunt quod præcipit Apoſtolus? Quæ eſt iſta ergo peruerſitas lectioni nolle obtemperare, dum vult ei vacare: & vt quod bonum eſt diutius legatur, ideo facere nolle quod legitur? Quis enim neſciat tantò citius quenque proficere cùm bona legit, quantò citius facit quod legit?

Cantica diuina canere laborãtes manibus poſſunt.

Cap. XVIII.

Si autem alicui ſermo erogandus eſt, & ita occupatur, vt manibus operari non vacet: nũquid hoc omnes in monaſterio poſſunt veniẽtibus ad ſe ex alio genere vitę fratrib°, vel diuinas lectiones exponere, vel de aliquib° quęſtionibus ſalubriter diſputare? Quando ergo non omnes poſſunt: cur ſub hoc obtentu omnes vacare volunt? Quanquam etſi omnes poſſent, viciſsim facere deberent, non ſolùm ne cæteri à neceſſariis operibus occuparentur, ſed etiam quia ſufficit vt audientibus pluribus vnus loquatur. Deinde ipſi Apoſtolo quomodo vacaret operari manibus ſuis, niſi ad erogandũ verbum Dei, certa tempora conſtitueret?

Prædicantes verbum Dei à quotidiano labore excuſantur.

Cap. XXVIII.

Diabolus tam multos hypocritas ſub habitu Monachorum vſquequaque diſperſit, circumeuntes prouincias, nuſquam miſſos, nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedẽtes. Alii membra Martyrum, ſi tamen Martyrum, venditãt: alii fimbrias & phylacteria ſua magnificant, alii parentes vel conſanguineos ſuos in illa vel illa regione ſe audiſſe viuere, & ad eos pergere mentiuntur: & omnes petunt, & omnes exigunt, aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ pretium ſanctitatis: quum interea vbicunque in factis ſuis malis deprehenſi fuerint, vel quoquo modo innotuerint, ſub generali nomine Monachorum, veſtrum propoſitum blaſphematur.

De otioſis & impiis quæ ſtuarint.

Libro XXII. de ciuitate Dei,

Cap. XXII.

Deſidia

Labor qui vtilis est, hominis pœna est.

Desidia, segnities, pigritia, negligentia, vitia sunt vtique, quibus labor fugitur, quum labor ipse, etiam qui est vtilis, pœna sit.

DE MEDICINA ET medicis.

Lib. XXII. de ciuitate Dei, Cap. XXIIII.

Certè nihil videmus creatum in corpore vtilitatis causa, quod non habeat etiam decoris locum. Plus autem nobis id appareret, si numeros mensurarum, quibus inter se cuncta cõnexa sunt & coaptata, nosſemus: quos forsitan data opera in iis quæ foris eminent, humana posset inuestigare solertia. Quæ verò tecta sunt, atque à nostris remota conspectibus, sicuti est tanta perplexitas venarum atque neruorum, & viscerum, secreta vitalium, inuenire nullus potest. Quia etsi medicorum diligentia non-

Anatomicorũ medicorũ crudelis diligẽtia.

nulla crudelis, quos anatomicos appellant, laniauit corpora mortuorum, siue etiam inter manus secantis & perscrutantis morientium, atque in carnibus humanis inhumanè abdita cuncta rimata est, vt quid, & quomodo, & quibus locis curandum esset, addisceret: numeros tamen de quibus loquor, quibus coaptatio, quæ harmonia Græcè dicitur, tanquam cuiusdam organi extrinsecus atque intrinsecus totius corporis constat, quid dicam, Nemo valuit inuenire, quos nemo ausus est quærere? Qui si noti esse potuissent, in interioribus quoq; visceribus, quæ nullum ostentãt decus, ita delectaret pulchritudo rationis, vt omni formæ apparenti, quæ oculis placet, ipsius mentis quæ oculis vtitur, præferretur arbitrio.

De natura & gratia, Cap. XXVI.

Medici post curam ægrotos Deo committant.

Nam medicus homo cùm sanauerit hominem, iam de cætero sustentandum clementis & alimentis corporalibus, vt eadem sanitas apto subsidio conualescat atq; persistat, Deo dimittit, qui præbet ista in carne viuẽtibus, cuius erant etiã illa, quæ dum curaret, adhibebat. Nõ enim quenquã medicus ex iis rebus quas ipse creauerit sanat: sed ex illius operib⁹, qui creat omnia necessaria sanis atque vitiosis.

Libro LXXX. Quæstion. Quæst. XLV.

Conceptus geminorum, quoniam vno concubitu efficitur, attestãtibus medicis, quorum disciplina multò est certior atque manifestior, tam paruo puncto tẽporis contingit, vt in duas minutas minutarum non tendatur.

Eodem libro, Quæstione LXXXII.

Præcepta disciplinæ duplicia

Sic est in animo beatitudo, vt in corpore sanitas. Quemadmodũ in ipso corpore alia præcipitur medicina, ne bona valetudo amittatur, alia verò vt amissa recuperetur: sic in toto statu hominis, alia tunc præcepta data sunt, ne amitteret immortalitatem, alia nunc pręcipiuntur, vt eam recipiat. Et sicut in valetudine corporis, si quis præceptis medici, quibus eadẽ bona valetudo custodienda est, non obtemperando in aliquẽ morbũ inciderit, accipit alia præcepta vt sanari possit, quæ sæpe non sufficiunt, si talis est morbus, nisi adhibeantur à medico quædam adiutoria plerunque aspera, & dolores importantia, quæ tamen valent ad recuperãdam salutem. Vnde fit vt homo, quanuis iam obtẽperans medico, patiatur tamen adhuc dolores, non solùm de ipso morbo nondum sanato, verũetiam de adiutorio medicinę. Ita homo per peccatum lapsus in huius vitæ morbidã & calamitosam mortalitatem, quia primo præcepto obtemperare noluit, quo sempiternam custodiret ac teneret salutem, secunda præcepta ęger accepit, quibus obtẽperans, iam quidẽ absurdè dicitur iustè viuere: sed tamen molestias quas patitur, vel de ipso modo nondum sanato patitur, vel de adiutorio medicinæ.

Sermon. XIX. de Sanctis.

Solent medicinæ periti, ægritudines quas curandas suscipiunt, aliquando curare per contraria, aliquando per similia. Sic ratione medicinæ sicca humidis, humida siccis, calida frigidis opponuntur, & minus fortia cõtraria à fortioribus contrariis superuenientibus superantur. Simili ratione, similia similibus apponuntur, cùm secundum quantitatem vulnerum, vel tumorem mensurantur longitudo vel latitudo epithematũ. Sic scorpionum carnes oleo coctæ percussionibus medentur scorpionum: sic theriaca de serpentis carne confecta, morsibus serpentinis occurrit, & potiones veneno infectas, in potu sumpta expellit.

DE VIDVIS.

Libro Quæstionum super Deuteronomium, Quæstion. XLIII.

Hæ verè dicendæ sunt viduæ, quæ etiam pauperes sunt. Id enim & Apostolus euidenter ostendit, vbi ait, Si qua autem vidua filios & nepotes habet, discat primùm domũ suam piè tractare, & mutuam vicem parentibus reddere: hoc enim acceptum est corã Domino. Quæ autem verè vidua est & desolata, sperabit in Dominum, & persistet in orationibus nocte ac die. Hanc verè viduam dixit, quæ non habet à quibus sustentetur, quia non solùm viro, sed etiam posteris atque omni ope destituta est: diuitem quippe non diceret desolatam. Pauperitaque pignus non est auferendum vestimentum. Nam & hoc ipso quòd vestimentum prohibet auferri, pauperem ostendit. Neque enim creditor non potius auferret argentum, vel si quid aliud quàm vestimentum.

1. Timoth. 5

Verè vidua dicitur, quæ non habet vnde sustentetur.

Sermon. VII. de tempore.

Iterũ vobis loquor quæ estis viduę: custodite viduitatẽ, non estote verbosæ, sed cum silentio expectate Dominũ, qui pupillum & viduã suscipit. Sed bonam viduam, & illam quæ in oratione est, in humilitate, in eleemosynis prompta, si certè vnde faciat non habet, voluntatem bonam, & cogitationem synceram habeat.

Vidua non debet esse verbosa. Psalm. 145. 1. Timoth. 5

Lib. de vita Christiana, Cap. XV.

Tria genera viduarum. Tria esse viduarum genera non ignorare te credo. Vnum quod perfectissimum est, cælestique præmio destinatum, quod ritu illius de Euangelio viduæ, Deo orationibus & ieiuniis, die noctúque deseruit. Aliud verò quod filiorum curam habere dicitur & domus, non tamen tanto præmio dignum, nec tamen peccatis obnoxium. Tertium autem genus est in epulis & delitiis, quod æternæ morti seruatur & pœnæ: sicut scriptum est, Viduas honora, quę verè viduæ sunt. Qualis autem Christi vidua debeat esse, Apostolus dicit, Quæ verè vidua est, sperat in Domino, & instat orationibus die ac nocte.

Luc. 2

1. Timoth. 5

De orando Deo ad Probam, Epistola CXXI. Cap. I.

Quod enim maius oportuit esse negotium viduitatis, quàm persistere in oratione nocte ac die, secundum Apostoli admonitionem? Ille quippe ait, Quæ autem verè vidua est & desolata, sperauit in Domino, & persistit in oratione nocte ac die.

Cap. III.

Non enim Apostolus qualicunque viduæ hoc munus tribuit, sed quæ verè, inquit, vidua est & desolata, sperauit in Domino, & persistit in orationibus die ac nocte. Quod verò sequitur, vigilantissimè caue, Quæ autem in delitiis agit, viuens mortua est. Agit enim homo in his quæ diligit, quæ pro magno appetit, quibus beatum se esse credit.

DE FATO ET MATHEMATICIS.

Ad Ianuarium, Epistola CXIX.

Mathematicorum deliramenta sunt cum detestatione irridenda. Manichæorum vel Mathematicorum deliramenta cum detestatione irridenda sunt: quibus quum obiecerimus vana commenta, vnde homines in errorem præcipitãt, quô prius præcipitati sunt, garruli sibi videntur, quum dicunt nobis, Cur & vos ad solis & lunæ computationem Pascha celebratis? quasi nos ordines syderum ac vicissitudines temporum à summo atque optimo Deo conditas arguamus, & non eorum peruersitatem, quæ rebus sapientissimè conditis, ad stultissimas opiniones abutitur. Nam si Mathematicus nobis contradicturus est de syderibus & luminaribus cœli, ad sacramenta mysticè figuranda similitudines ducere, contradicant & augures, ne dicatur nobis, Estote simplices vt columbæ. Augures. Matth. 10 Marsi, Histriones. Contradicant & Marsi, ne dicatur nobis, Estote prudentes sicut serpentes. Contradicant histriones, ne in Psalmis cytharam nominemus. Ac quia ex his rebus ad mysteria verborum Dei, similitudinum signa sumuntur, dicant si placet, vel auspicia nos captare, vel venena cõficere, vel theatricas affectare luxurias, quod dementissimum est dicere.

In Euangelium Ioannis, Tractatu VIII.

Sub fatone fuisse Christum. Mathematicis respondeamus. Et ipsi vnde conantur conuincere, quia sub fato erat Iesus? Quia ipse ait, vt inquiunt, Nondum venit hora mea. Si ergo dixisset, Horam non habeo, excluisset Mathematicos: non esset vnde calumniarentur. Nunc verò quia dixit, Nondum venit hora mea: contra ipsius verba quid possumus dicere? Mirum est quòd Mathematici credẽdo verbis Christi, conantur conuincere Christianos, quòd sub hora fatali vixerit Christus. Credant ergo Christo dicenti, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eã à meipso, & iterum sumo eam. Ergóne ista potestas sub fato est? Ostendant hominem qui potestatem habeat quando moriatur, quandiu viuat, omnino non ostendunt. Credant ergo Deo dicenti, Potestatem habeo ponẽdi animam meã, & iterum sumendi eam: & quærant quare sit dictum, Nondum venit hora mea. Nec ideo iam sub fato ponãt Cõditorem cœli, Creatorẽ atque ordinatorem syderum: quia si esset fatũ de syderibus, nõ poterat esse sub necessitate syderum conditor syderum. Adde quia non solùm Christus nõ habuit quod appellas fatum, sed nec tu, aut ego, aut ille, aut quisquã hominum: veruntamen seducti seducunt, & proponunt fallacias hominibus.

Sermo. XXXIIII. de tempore.

Nullos homines nasci sub fato. Nunc autem tantùm abhorret à vero sub stellato fato natum esse Christum, vt nullos homines ita nasci credat quisquis rectè credit in Christum. Sed de genituris hominum vani homines loquantur quod insipienter opinantur: negent voluntatem qua peccant, confingant necessitatem qua peccata defendant. Perditos mores per quos in terra ab hominibus detestãtur, in cælo etiam figere conentur, & à syderibus manare mentiantur.

In Psalmum XXXI.

Contra eos qui dicunt Deum velle peccata. Multi pronuntiant iniquitatem suam, sed aduersus ipsum Dominum Deum, quando inueniuntur in peccatis suis, dicũt, Deus hoc voluit. Si enim homo dicat, Nõ feci, aut hoc factũ quod arguitis non est peccatum, non pronuntiat nec aduersum se, nec aduersus Deum. Si dicat, Prorsus feci, & peccatum est, sed Deus hoc voluit: quid ergo feci? hoc est pronuntiare aduersus Deum. Fortè dicatis, Nemo hoc dicit. Quis est qui dicat, Deus hoc voluit? Multi & hoc dicunt. Sed & qui hoc non dicunt, & aliud dicunt, quid dicunt? Fatum mihi fecit, stellæ me fecerunt. Ita iam per circumitum ad Deum volunt peruenire. Per circumitũ volũt ad Deum accusandum peruenire, qui nolunt de compendio venire ad Deum placandum, & dicunt, Fatum mihi fecit Quid est fatum? Stellæ me fecerunt. Quid sunt stellæ? Certè istæ quas in cælo conspicimus. Et quis eas fecit? Deus. Quis eas ordinauit? Deus. Ergo vi-

des

des quod voluisti dicere, Deus fecit vt peccarē. Ita ille iniustus, tu iustus: quia nisi ille feciſſet, tu nō peccaſſes. Tolle istas excusationes in peccatis. Ad hæc enim magni viri sunt, qui prætēdunt peccata sua, magni sunt & qui numerant sydera, & computant stellas & tempora, & dicunt, quis, quando, vel peccet vel bene viuat, & quando Mars faciat homicidium, & Venus adulterium. Magni docti & electi viri videntur in hoc seculo. Dicant illi electos & doctos numeratores syderum, dicāt illi sapientes eos, qui quasi digerūt in digitis facta humana, & describunt de stellis mores humanos. Cum libero arbitrio me creauit Deus. Si peccaui, ego peccaui, vt nō solùm pronuntiem iniquitatē meā Domino, sed aduersum me, non aduersus eum. Non fatū, non fortuna, non diabolus: quia nec ipse cogit, sed ego persuadenti consensi. Si casibus reguntur homines, nulla prouidentia aliquid geritur.

In Psalmum XCI.

Satanas nemi nē cogit inuitū

Non cessat satanas suadere malum, sed nec Deus cessat admonere bonum. Satanas autem non cogit inuitum. In tua potestate est consentire aut non consentire. Si aliquid persuadente satana mali feceris, dimitte satanam & accusa te, vt accusatione tua Dei misericordiā merearis. Expetis illum accusare, qui nō habet veniam? Te accusa, & accipies indulgentiam. Deinde multi non accusant satanam, sed accusant fatum. Fatum meum me duxit, dicit. Quum dixeris illi, Quare feci sti? quare peccasti? & ille, Fato meo malo. Ne dicat, Ego feci: iam manus ad Deum tendit, lingua blasphemat. Nondum quidem hoc apertè dicit: sed tamen attende & vide, quia hoc dicit, Quæris ab illo quid sit fatum: & dicit, Stellæ malæ. Quæris ab illo, quis fecit stellas, quis ordinauit stellas. Non habet quid tibi respondeat, nisi Deus. Restat ergo vt siue per transennam, siue per cannam longam, siue per proximū, Deum accuset: & cùm Deus puniat peccata, Deum faciat auctorem peccatorum suorum. Nō potest enim fieri vt puniat quod fecit: punit quod facis, vt liberet quod fecit. Aliquando autem missis omnibus omnino directè eunt in Deum, & quando peccant dicunt, Deus hoc voluit, & si nollet Deus, non peccarem.

Aliqui peccantes fatū accusant.

Aliqui obliquè in Deum sua peccata reijciūt

Libro V. de ciuitate Dei, Cap. I.

Causa ergo magnitudinis imperii Romani nec fortuita est, nec fatalis, secūdum eorum sententiam siue opinionem, qui ea dicunt esse fortuita, quæ vel nullas causas habēt, vel nō ex aliquo rationabili ordine venientes, & ea fatalia quæ præter Dei & hominum voluntatē, cuiusdam ordinis necessitate cōtingunt. Prorsus diuina prouidētia regna constituuntur humana. Quæ si propterea quisquam fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat. Cur enim non hoc primū dicit, quod

Fortuitū quid sit.

Fatale quid.

postea dicturus est, quum ab illo quisquā quæsierit, quid dixerit fatum? Nā id homines quādo audiunt, vsitata loquendi consuetudine nō intelligunt, nisi vim positionis syderum, qualis est quando quis nascitur siue concipitur: quod aliqui alienant à Dei voluntate, aliqui ex illa etiam hoc pendere confirmant. Sed illi qui sine Dei volūtate decernere opinātur sydera quid agamus, vel quid bonorū habeam⁹ malorúmve patiamur, ab auribus omniū repellēdi sunt: nō solùm eorum qui veram religionem tenēt, sed qui deorum qualiuncunque, licet falsorum, volūt esse cultores. Hæc enim opinio quid agit aliud, nisi vt nullus omnino colatur aut rogetur Deus?

Cap. VIII.

Ipsam itaque præcipuè Dei summi voluntatem, cuius potestas insuperabiliter per cūcta porrigitur, eos appellare fatum sic probatur. Annei Senecæ sunt, nisi fallor, hi versus,

Senecatragicus

Duc me summe Pater, alti dominator Olympi
Quocunq; placuerit nulla parēdi mora est.
Adsū impiger: fac nolle, comitabor gemēs,
Malúsque patiar facere quod licuit bono.

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Nempe euidentissimè hoc vltimo versu, ea fata appellauit, quā supra dixerat summi Patris voluntatem. Cui se paratum obedire dicit, vt volens ducatur, ne nolens trahatur: quoniā scilicet ducunt volentem fata, nolentem trahunt. Illi quoque versus Homerici huic sententiæ suffragantur, quos Cicero in Latinum vertit,

Homerus.

Tales sunt homines mētes, qualis pater ipse
Iuppiter auctiferas lustrauit lumine terras.

Stoici vim fati asserunt.

Nec in hac quæstione auctoritatē haberet poetica sententia. Sed quoniam Stoicos dicit vim fati āsserētes, istos ex Homero versus solere vsurpare, non de illius Poetæ, sed de istorū Philosophorum opinione tractatur: cùm per istos versus quos disputationi adhibēt, quam de fato habent, quid sentiant esse fatum apertissimè declaratur: quoniam Iouem appellāt, quē summum Deum putant, à quo connexionē dicunt pendere fatorum.

Eodem lib. Cap. IX.

Aduersus vim fati asserentes.

Nos aduersus istos sacrilegos ausus atque impios, & Deum dicimus omnia scire antequā fiant, & voluntate nos facere quidquid à nobis non nisi volentibus fieri sentimus & nouimus. Omnia verò fato fieri non dicimus, imò nulla fieri fato dicimus: quoniam fati nomen vbi solet à loquentibus poni, id est, in constitutione syderum, qua quisque conceptus aut natus est: quoniam res ipsa inaniter asseritur, nihil valere monstramus. Ordinem autē causarum vbi voluntas Dei plurimū potest, neque negamus, neque fati vocabulo nuncupamus, nisi fortè vt fatum à fando dictum intelligamus, id est, à loquendo. Non est autem consequens, vt si Deo certus est omnium ordo causarū, ideo nihil sit

Nulla fato fiere.

in noſtræ voluntatis arbitrio. Et ipſe quippe noſtræ volũtates in cauſarum ordine ſunt, qui certus eſt Deo, eiúſque præſcientia cõtinetur: quoniam & humanæ voluntates humanorum operum cauſæ ſunt. Atque ita qui omniũ rerũ cauſas præſciuit, profectò in eis cauſis, etiã noſtras voluntates ignorare non potuit, quas noſtrorum operum cauſas eſſe præſciuit, &c.

Quæſtionum veteris & noui Teſtamenti, Quæſt. CXV.

Contra fata pulcherrima argumenta.

Accedente enim timore Dei, vincuntur vitia, quæ prius dominabantur. Quantũ aut poſſit timor legis, hinc aduertamus. Ante Iuliani edictum, mulieres viros ſuos dimittere nequibant: accepta autem poteſtate, cœperunt facere quod prius facere non poterant. Cœperunt enim quotidie viros ſuos licẽter dimittere. Vbi latuit fatum tantis tẽporibus? Timore credo legis occultabat ſe. Illud autem quomodo ſubintrauit quod tradidit Moſes? Dormientibus credo fatis. Tãta enim tradita ſunt illis ſeruanda, & talia qualia nulla gens habet præcepta. Et ne hoc aliquis ad plagam cæli referendũ putet, in omnem propè orbem diſperſi mãdata legis ſuæ cuſtodiunt. Hæc præcepta contra fata ſunt. Nõ enim fortè fuerunt tribus millibus annis & ſuprà à cõſtitutione mundi: poſtea autem data permanent vſque ad finem. Quod ergo tot millibus annis non fuit, quomodo cœpit? Stellarũ enim curſus à conſtitutione mundi eſt. Et quid illud eſt, vt quum tanta multitudo Iudæorum ſit per totũ mundum, nemo immutetur ex iis vt fiat Gentilis, quum videamus ex Paganis, licet rarò, fieri Iudæos? Ecce quantùm pertinet ad ritum Iudæorum, excluſum eſt fatũ, quia & extra fatum eſſe cœperunt, & in eo permanent. Quid videtur de Sodoma & Gomorrha, quarum qualis fuerit exitus, vindictæ obtutibus adiacet? Sic fuit vt omnes ſpurcitiæ infamia aſperſi, diuino igne cõſumerentur. In cataclyſmo omnes vnius fati fuerunt, vt omnes vna morte & eodẽ tempore cuncti perirẽt, excepta domo Noe. Et omnis exercitus Pharaonis vno decreto damnatus dicitur, vt ineptus error Matheſeos vindicetur, quia demerſi ſunt in rubro mari cum ſuo rege. Et alia quanta exempla ſunt quæ prætermittimus, quia ad ſatisfactionem ſufficiunt duo exempla, quantò magis tot myſteria? Nam & cunctæ gentes diuerſa habent inſtituta, & quod alibi licet, hìc non licet: & iterum, quod hìc licet, alibi non licet. Hìc enim in vrbe Roma & finib⁹ eius, quæ ſacratiſsima appellatur, licet mulieribus viros ſuos dimittere, quum cautum ſit in Lege diuina, vt ne viri quidem hac poteſtate vterentur, excepta fornicationis cauſa. Ecce in hac re meliores ſunt Barbari, quòd & hoc ſeruari poſſe non impoſsibile eſt, quia prius ſeruatum docetur. Mutatum eſt ergo fatum, quia cœpit licere quod antè prohibitum erat. Et eunuchos in regno Romano fieri non licet: apud alios licet.

Gene. 19.

Gene. 7.

Exod. 14.

Romæ vxoribus maritos relinquere lege permiſſum. Matth. 5.

Quia autem & hìc poſſent fieri in abſconſo, licitum eſt. Nam fatum, licet occultè, probatur: ſi autẽ ceſſaret timor, publicè fieret. Metus ergo prohibet fatum: vincitur enim ſi quod vult facere non facit. Et Perſæ mulierum more inaures habẽt, quod hìc inhoneſtum & illicitum eſt. Quia autem & hìc fieri poſsit, atteſtantur antiſtites Matris quæ appellatur Magna. & reuera magna fuit, ſed meretrix: ſed in eo diſtat, quia iſti cinædi ſunt, illi viri. Et quid dicemus? In omni orbe terrarum hi ſoli hoc fato naſcuntur, vt abſciſſi in mulieres tranſformentur, & toto mundo iſti pauculi inueniantur, quos cõſtat minis circũueniri, & promiſsis præmiis ad hunc dolorem & dedecus cogi. Si autẽ ad hoc nati eſſent, non cogerentur. Perſæ licitum habent cum filiabus ſuis conuenire: quod & hìc fieri poſſe oſtenditur per id quod à quibuſdam factum probatur. Sed quia vindicta interuenit metu correpti ſunt ne facerent quod poteſt fieri, ſed non licet. Omne enim quod prohibetur, ideo prohibetur, ne quia poteſt fieri, fiat. Si autẽ fati eſſet, non poſſet fieri, neque prohiberetur. Nam ſi non eſſet fati & prohiberetur, poſſe fieri quod fati non eſt ſignificaretur. Et quæ prudentia eſt prohibere quod non poteſt fieri? Ac ſi aliquis prohibeat, ne quis de vrbe Roma tranſuolet in Hiſpaniam, aut ne quis humeris montem tranſferat. Illa autem quæ poſſunt fieri, cùm non debeant, prohibentur. Mos Maurorum eſt vt inaures etiam in naribus habeãt fœminæ. Nũquid fati eſt? Si fati eſſet, huc trãſlati ſic manerẽt: quia ſi fatum eſt vnuſquiſque ſecum habet fatum ſuum. Sed quia non eſt fati, omnes inde venientes, hìc immutantur, videntes turpe iſtic videri, quod illic decorũ putatur. Certè apud omnes gentes, numerus, numerus eſt: terra, terra eſt, aqua, aqua eſt, aer, aer eſt, & ignis, ignis eſt. Nũquid poteſt alicubi reperiri terra quæ non arida ſit, aut aer qui palpabilis ſit, aut aqua quæ nõ fluxa & frigida ſit, vel ignis qui frigidus ſit? Sic vbique Iupiter, Iupiter eſt, & Saturnus, Saturnus eſt, & Venus, Venus eſt. Eodem modo & cætera ſigna. Ars enim iſta vna ratione tractatur vbiq; ſed quia apud omnes gentes inſtituta manẽt, non fatorum ratione, quæ vbique vna eſt ſicut tractãt, ſed hominum excogitatione: quilibet qui primus habitus eſt apud ſuos, quod ratione dignum viſũ eſt, & aptum decori, ſtatuit quibus præerat. Inde vnaquæq; regio vel gẽs, propria habet quæ ſeruet. Sicut Solon & Lycurgus multa ſtatuerunt, quæ à Græcis legis more ſeruarẽtur, quæ paulatim deficiẽte regno eorũ obliterata ſunt. Nam regibus Iudæorum mulæ placuerunt ad ſeſſum. Romanorum autem nõ mulæ ſed equi. Garamãtum autem qui ſupra Tripolim Afrorum ſunt, regibus, tauri placuerunt ad ſeſſum. Perſarum verò reges vehiculis feruntur. Nam veteres reges Perſarum, nec videbantur à populis. Et reges Madian camelis delectabãtur ad ſeſſum: ita vt colla corũ aureis exornentur torquibus

Apud Perſas licitum cum filiabus miſceri.

Solon & Lycurgus legislatores.

quibus. Et per Africā asinis magis volunt insidere quàm equis. Cùm omnia vbique sint, nō tamē omnia omnibus gratiosa sunt: quia vnusquisque eligit quod magis apud illum habeat gratiā. Nam & nobisipsis diuersa voluntas est, & in vestibus & in cibis, & in cætero vsu, & in ipsa sententia. Quod ne fati dicāt, qui multorum diuersa asserunt fata, hæc res probat, quia frequenter in nobis mutatur voluntas. Quod enim diu amauimus, postea displicet, & diligere incipimus quod prius libenter non habuimus, & facta cōsuetudine immutati manemus. Ordinem autem sic dicunt esse fatorum, vt sit quid quibus efficiant temporibus per interualla recurrētia ad pristina, vt puta quod hodie faciunt, iterum faciant post tempus. Nō enim in vno dicuntur manere. Nam per disciplinam & consuetudinem etiam vincuntur. Mulieribus etenim Romanorum, multis temporibus vini vsus incognitus fuit. Disciplina enim facta cōsuetudine confirmauit sensum suum, vt retineret quod prodesse didicerat. Nunquid illis tēporibus hæc fata fuerūt, & postea mortua sunt, vt cessaret res bene inuenta? Sed non fata hæc, sed disciplina inuenerat. at vbi recessum est à consuetudine, periit disciplina. Et veteres Romanorum, tātæ continentiæ fuerunt, vt etiam oblata munera refutarent, bonam famam diuitias arbitrantes, & virtutem voluptatibus præponentes. & his fatis successū est, aut obierunt: sed nō fati fuit, sed disciplinæ, quæ etiam ipsius fati pędagogus est. Quomodo enim potest fati esse quod neque antè tēpus habuit, neq; nunc habet? Et quidem nescio vt quid tantam inuidiam fato faciant, vt in omnibus gestis ipsum dicant auctorem, quum sit & non sit.

Mulieribus Romanis vini vsus olim incognitus.

Veterū Romanorū cōtinētia.

Post pauca ibidem.

Et quoniam discernere dicuntur singulis quomodo moriantur, aut ferro, aut laqueo, aut præcipitio, aut naufragio, vel aliter multis modis eadem præstāt. Nemo enim potest solus ab omnium fatis discrepare. Quod siquis inuentus fuerit discrepare, iam non est fati, sed euentus. Et si in vnius morte euentus est, erit & in multorum, & iam non erit fati. Anaxagoras in pilam coniectus iussu regis cōcussus expirauit: quod non contigit vlli hominum. Et Sisari regi Allophylorum mulier palum in tempora fixit, & ita reddidit spiritum. hoc modo nemo est mortuus. Et antea cruci homines figebātur, quod postea edicto prohibitum manet. Si fati erat quomodo desiit? Quando enim quod fati est prohibetur & non fit, vincitur fatum. Aut si non erat fati, non fato homines crucifigebantur, sed iudicio legis. Et ita est, vt non fato homines damnentur, sed cōuicti à malis suis operibus. Apud rusticos natus dicitur quidā tam formosus facie, quàm nemo vnquā fuit: & quia vir bonus erat, ne cui in suspitionem veniret, quia etiam honestarum mulierum oculos illiciebat, faciem sibi septem plagis vulnerauit, vt pulchritudinem, quæ ab omnibus desyderabatur, damnaret. Ecce quomodo si fata sunt, superata sunt. Legitur nanque cautum in quodam iuris libello, aliquando mulierem quinque peperisse. Quomodo surreptum est fatis, vt huic soli hoc natura decreuerit quod non erat fati? Quod si fati fuisset, aliquātæ hac sorte oneratæ fuissent. Et quum quidam ad peregrina loca proficisceretur, vxorem suam amico quē fidelem sciret cōmendauit, non vtique puero, sed maturę ętatis: qui vt diligētior custos eius esset, abscidit se ille, vt cū ea sine cuiusquā suspitione cautè dormiret. Quid putamus, fati fuisse, an cōsilii? Sed quomodo fati fuerit quod cōtrariū est? Qui vincit enim quod natum in eo est, hic exinanit fatum. Et in studiis certè fatorum vertitur causa, vt sciat quis aliquid, aut non possit comprehendere. Omnes ergo Senatores vnum habent fatum. Nullus enim Senatorum sine literis est. Et gētes quæ sine literis sunt, vnum habēt, & omnes serui vnius sunt fati. Nemo enim seruorum est Senator. Sed si quod nascitur dicitur fatum, quidquid accesserit extra fatum erit: at si quod accidat ex fato venit, quare per laborem venit? Tunc enim diceretur fati, si inuito homini cueniret.

Anaxagoræ mors. Sisaris nex.

Mulier quædā quinque peperit pueros.

Ibidem post pauca.

Quædam mulier fuit in vrbe Roma, quam constat vndecim maritos habuisse: & alius vir qui duodecim habuit vxores. quæ fata sūt quæ his hæc decreuerunt? Nam tempore imperatoris Constantini manifestum est puellam in parte Campaniæ immutatam in masculum, & Romam perductam. Quæ hæc fata fuerunt? Alia vt opinor, quę vos nescitis. O si de hoc nomine taceretis, & aliqua euentui & casibus remitteretis, quędam prouidentiæ concederetis! Nam tātum potest virtus & industria animorum, vt non solùm naturæ resistat, verùm & seipsam emendet aut inemendet, quia habet iudiciū sui. Traduntur enim mulieres Scytharum quæ Amazones dictæ sunt, quia quum viri eorum occupati bello longinquo diu abessent, propter sobolem se miscuisse seruis, & omnem marem natum necauisse relictis fœminis, ita vt nulla operam lanificio daret: sed ab incunte ætate palestra & armis imbuerentur. Harum tanta virtus in rebus gerēdis fuit, vt per multam seriem annorum regnantes, nonnullas gentes subigerent, Asiámque omnem sub tributo ponerent. Quid ad hoc poterit dici? Nunquid hæc fata fuerunt, quæ per tot annos sic gesta sunt, vt omnia quæ fati putātur esse, exinanirēt? Primū, vt cōtra naturam mulieres spretis viris regnarent. Deinde quod seruis mixtæ sunt propriis. Tertiò, vt omnes nati masculi necarentur, fœminæ viuificarentur. Tanta eas prosperitas est secuta, vt sine viris regnū cœptum, magnis copiis, magnis tēporibus propagarent. Certè hoc factum à constitutione mundi nunquā factum est, nisi in Scythia tantum. Ne fortè dicerent, quia cùm mundus innouatur post annos mille quadringētos sexaginta, sic hæc veniūt. Quip-

Mulier quædā 11. habuit viros. Vir quida 12. duxit vxores.

De mulieribus Scythārū quæ Amazones dicebantur.

pe quum mundus iam sexto millesimo agitur anno, quandiu quod imitatus quis fuerit, facit.

Crassus dictus agelastus. Nã Crassus agelastus dictus est, quia semel tra-
Iunius Brutus finxit insaniã. ditur in vita risisse. Cur Iunius, Brutus est cognominatus? quia sagaci consilio stultum se simulauit, ne à superbo rege ꝓpter pecuniæ suæ magnitudinem occideretur. Tẽpore Constantini morionem se triginta annis finxit quidam, qui Samatius vocabatur, vt Imperatorẽ, sicut ipse postea dixit, à tædiis suis auocaret. Vbi est ratio fatorũ, quãdovnusquisq; quod vult facit?

DE VOTIS.

De vera innocentia, Cap. XV.

Nosipsos debemus Deo. Luc. 20. Quisquis bene cogitat quæ voueat Deo & quæ vouẽdo persoluat, seipsum vouet & reddat. Hoc exigitur, hoc debetur. Imago Cæsaris reddatur Cæsari, imago Dei reddatur Deo. Sed sicut videndum est, quid offeras & cui offeras: ita etiam cõsyderandum est, vbi offeras, quia veri sacrificii extra catholicam Ecclesiam locus non est.

Lib. XVII. de ciuitate Dei, Cap. IIII.

Mater Samuelis ipsum quia vouerat Deo reddidit. 1. Reg. 2. Mater ipsa Samuelis Anna, quæ prius fuit sterilis & posteriore fœcũditate lætata est, prophetare aliud non videtur, cùm congratulationem suam Domino fundit exultans: quandoquidem eundem puerum natum & ablactatum Deo reddidit eadem pietate qua vouerat.

Sermo. VII. de tempore.

Psal. 75 Vouete & reddite Domino Deo vestro. Nos dulciter & confidenter voueamus, ille dabit possibilitatem vt reddere possimus. Nos tamen quidquid illi promittimus, de illo speremus. Et fortassẽ interrogatis me quid debeatis hodie vouere & reddere. Sunt enim multi qui vouent, alius pallam, alius oleum, alius ceram ad luminaria noctis, alius vt vinum non bibat per aliquot annos, alius vt ieiunia certo tẽpore faciat, alius vt carnes non comedat. Non est istud votum optimum nec perfectũ: adhuc melius volo. Non eligit Deus nec speciem tuam, nec oleum tuum, nec ieiunium tuum: sed hoc quod te hodie redemit, ipsum offer, hoc est animam tuam. Et si interroges me, Quomodo animam meam, quam ipse habet in potestate, offeram? Et ego respõdebo tibi, quomodo, Moribus sanctis, cogitationibꝰ castis, operibus fructuosis, auertẽdo à malo & cõuertẽdo ad bonũ.

Votum perfectum & verũ hoc est.

De bono viduitatis, Cap. X.

Proinde qui dicunt à proposito castitatis prolabantium, nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria: non mihi videntur satis acutè ac diligenter consyderare quid dicant. fallit eos quippe similitudo veritatis, &c.

Lib. Quæstionũ super Numeros, Quæst. LIX.

Manifestum est ita voluisse Legem, fœminam esse sub viro, vt nulla vota eius, quæ abstinentiæ causa vouerit, reddantur ab ea, nisi auctor vir fuerit permittendo.

Ad Armentarium Riparium, & Paulinam eius Vxorem, Epistola XLV.

Continentia & alia vouenda non sunt à cõiugatis, nisi ex cõsensu & voluntate communi. Et si prꝛeproperè factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam persoluẽda promissio. Neque enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid vouerit, sed potius vsurpare vetat alienũ. Diuina quippe de hac re per Apostolũ est prolata sententia, Vxor non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Sexum nomine corporis nuncupauit.

Coniugatorum nemo sine consensu alterius continentiam vouere potest.

1. Cor. 7.

In Psalmum LXXV.

Vouete & reddite Domino Deo vestro. nõ sitis pigri ad vouendum: non enim viribus vestris implebitis. Deficietis si de vobis præsumitis: si autem de illo cui vouetis, vouete: securi reddetis. Vouete & reddite Domino Deo nostro omnes cõmuniter. Quid debemus vouere? Credere in illum, sperare ab illo vitam æternam, bene viuere secundum communem modum. Est enim quidã modus cõmunis omnibꝰ. Furtũ nõ facere, nõ nubere castimoniali præcipitur, & nuptæ nõ præcipitur, adulterium nõ facere omnibus præcipitur. Non amare vinolentiam, qua ingurgitatur anima, & corrumpitur in se tẽplum Dei, omnibus æqualiter præcipitur. Nõ superbire omnibus æqualiter præcipitur. Non hominem occidere, nõ odisse fratrem, non aduersus aliquem tenere perniciem, omnibus in communi præcipitur. Hoc totum omnes vouere debemus. Sunt etiam vota propria singulorum. Alius vouet Deo castitatem coniugalem, vt præter vxorem suam nõ nouerit aliam: sic & fœmina vt præter virum suum non nouerit alium. Alii etiam vouent, etsi experti tale coniugium, vltrà nihil tale pati, nihil tale cõcupiscere aut sustinere: & ipsi vouerunt aliquid maius quàm illi. Alii virginitatem ipsã ab ineunte ætate vouent, vt nihil tale vel experiantur, quale illi experti sunt & relinquerunt: & isti vouerunt plurimum. Alii vouẽt domum suam esse hospitalẽ omnibus Sanctis aduenientibus: magnum votum vouẽt. Alius vouet relinquere omnia sua distribuendo pauperibus, & ire in cõmunem vitam, in societatem Sanctorum: magnum votum vouit. Vouete & reddite Domino Deo vestro.

Nemo quod vouet suis viribus implere præsumat.

In Psalmum CXXXI.

Quid ergo vouimus Deo, nisi vt simus templum Dei? Nihil gratius ei possumus offerre, quàm vt dicamus ei quod dicitur in Esaia, Posside nos, &c.

De bono coniugali.

Sunt quædam quæ etiam non vouentes debemus, quædam etiam quæ nisi vouerimus nõ debemus. Sed postquam ea Domino promisimus, necessariò reddere constringimur.

Vota reddẽda.

Eodem libro.

Quidam nubentes post votum asserunt adulteros

dulteros esse, ego autem dico vobis, quòd grauiter peccant qui tales diuidunt.

DE ORNATV INDECENTI.

Ad Posidonium, Epistola LXXIII.

Nolo de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas in prohibẽdo sententiam, nisi in eos qui neque coniugati neque coniugari cupientes, cogitare debeant quomodo placeant Deo. Illi autem cogitãt quæ sunt mundi, quomodo placeant vel viri vxoribus, vel mulieres maritis, nisi quòd capillos nudare fœminas (quas etiam caput velare Apostolus iubet) nec maritatas decet. Fucari autem pigmentis, quò vel rubicundior vel candidior appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittẽdæ sunt fœminæ ornari, secundum veniam nõ secundum imperium. Nam verus ornatus maximè Christianorum & Christianarũ, non tantùm nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem vestísque pompa, sed mores boni sunt. Execranda autem superstitio ligaturarum, in quibus etiã inaures virorũ in summis ex vna parte auriculis suspensæ deputentur, non ad placendum hominibus, sed ad seruiendum dæmonibus adhibetur. Quis autẽ speciales possit nefariarum superstitionũ prohibitiones in Scripturis inuenire, cùm generaliter Apostolus dicat, Nolo vos socios fieri dæmoniorum: & iterum, Quæ enim cõsonantia Christi ad Belial?

1 Cor. 7. *De detestandis fucationibus mulierum.*

2. Cor. 6.

Ad Editiam Epistola CXCIX.

Mulieri non licet dicere coniugatæ, Facio quod volo de meo: quum & ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est viri sui. Nam sic quædam (vt commemorat Apostolus Petrus) mulieres sanctæ quæ in Deum sperabant, ornabant se, subiectæ suis viris, sicut Sara obsequebatur Abrahæ dominum eum vocas: Cuius, inquit, factæ estis filiæ. Quia & si te indumentum monachæ delectabit, etiã hoc gratius posset marito obseruato, exoratóque sumi, quàm illo inconsulto cõtemptóque præsumi. Quòd si omnino non fineret, quid tuo proposito deperiret? Absit vt hinc displiceres Deo, quod cõiuge tuo nõdum defũcto, nõ induereris sicut Anna, sed sicut Susanna. Neque enim & ille qui tecum iam cœperat custodire tam magnum cõtinentiæ bonum, etiam si coniugale non viduale voluisset vt acciperes indumentum, ad indecentem quoque te compulisset ornatum. Quò & si aliqua dura cõditione cogereris, posses habere in superbo cultu cor humile. Nempe apud Patres Hester illa regina Deum timẽs, Deum colẽs, Deo subdita, marito regi alienigenæ, non eundem secum colenti Deum, tamẽ subiecta seruiebat. Quæ cùm extremo periculo, nõ suo tãtùm, sed etiam gentis suæ (quæ tunc erat populus Dei) Domino prosterneretur orãdo, in ipsa oratione sua dixit, ita sibi esse ornatum regium, sicut pannum menstrualem. & ita orãtem confestim exaudiuit, qui cordis inspector eam verè diecere sciuit, &c. *Ibidem.*

1. Petri 3. *Sactarũ mulierũ quales ornatus.*

Hester 6.

Scriptum est quidem, mulieres debere esse in habitu ornato, auríque circumpositio, & intortio criniũ, & cætera huiusmodi quæ vel ad inanem pompam, vel ad illecebram fermè adhiberi solent, meritò reprehẽsa sunt. Sed est quidam pro modulo personæ habitus matronalis, à vidualiv este distictus, qui potest fidelibus cõiugatis salua religionis obseruãtia cõuenire.

1. Tim. 2.

Lib. IIII. de doctrina Christiana, Cap. XXI.

Martyr Cyprianus de habitu virginum ita scripsit, Si quis (inquit) pingendi artifex vultum alicuis & speciem & corporis qualitatem æmulo colore signasset, & signato iam consumatóque simulachro man" alius inferret, vt iã formata, iam picta, quasi peritior reformaret: grauis prioris artificis iniuria, & iusta indignatio videretur. Tu te existimas impunè laturam tam improbe temeritatis audaciã, Dei artificis offensam? Vt enim impudica circa homines, & incesta fucis lenocinantibus non sis, corruptis violatísque quæ Dei sunt, peior adultera deterieris. Quòd ornari te putas, quòd putas comi, impugnatio est ista Diuini operis, præuaricatio est veritatis. Monentis Apostoli vox est, Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque festa celebremus, non in fermento veteri, neque in fermẽto malitiæ & nequitiæ, sed in azymis syncritatis & veritatis. Num syncritas perseuerat & veritas, quãdo quæ syncera sunt polluuntur, & colorum adulterinis medicaminum fucis in mẽdacium vera mutantur? Dominus tuus dicit, Non potes facere capillum vnum album aut nigrum: & tu ad vincendã domini tui vocem, vis te esse potiorẽ audaci conatu, & sacrilego contemptu? Crines tuos inficis, malo prætagio futurorum, capillos iam tibi flãmeos auspicaris. Longum est inserere omnia quæ sequuntur. Ille verò posterior vt in tales diceret, Hinc illa (inquit) nascuntur incentiua vitiorũ, vt quæsitis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidãt, & de adulterio vultus meditantur adulterium castitatis. Quanta hæc amẽtia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere? Et dum verentur maritale iudicium, perdiderunt suum.

1. Cor. 5.

Matth. 5.

Ambrosij verba in Libro primo de virginibus.

Sermo. XVIII. de verbis Apostoli.

Corporis enim huius, id est, exterioris hominis ornamenta, quantò magis appetuntur, tãtò sunt interioris maiora detrimẽta. Quantò autem minus appetuntur ornamenta exterioris hominis, tantò magis moribus pulchris homo interior adornatur. Vnde dicit & Petrus, Ornãtes se nõ in tortis crinibus. Cùm enim dixisset, Ornantes se, quid aliud à carnalibus quàm visibilia ista ornamenta putarentur? Cõtinuò tulit cogitationi quod cupiditas inquirebat. Nõ, inquit, in tortis crinibus, neque

Locus Petri de ornatu mulierum exponitur.

1 Petri 3.

auro, vel margaritis, vel veste pretiosa: sed ille absc̃dit° cordis homo, qui est ante Deũ diues. Neq; enim De° diuitias daret exteriori homini, & inopẽ relinqueret interiorẽ. dedit inuisibili diuitias inuisibiles, & inuisibilẽ ornauit inuisibiliter. His ornamẽtis studẽtes Dei puellæ, sanctæ virgines, nec quod licebat appetierunt, nec quod cogebantur consenserunt, &c.

DE VLTIONE ET VINdicta.

Sermo. XCVII. de tempore.

Præcedebat in eremo populum carens spiritu vitulus figuratus, vt tali duce demens populus vteretur, qualis fuerat & ipse delictis effectus. Et ne tãti mali sine vindicta in posteros manaret exemplum, statim vindicatur in reos.

Malis dũ modus imponitur frangitur licentia peccatorum

Dum enim malis modus imponitur, frangitur licentia peccatorum. Frequenter enim plagis disciplina corrigitur, si nihil proficiant hortamenta iustorum. A damnabilibus factis homines vindicta compescit, quos in bonis operibus beneficia Dei retinere non possunt. Si enim non inter primos peccantium lapsus consuleret, sed in futurum suspenderet vltionis occursum Diuina censura, proculdubio sceleſtorum omnium latius processisset audacia. Denique si vis tuorum proficere disciplinam, exerce cẽsuram. Vbi Dei futuræ vindictæ solicitudo versatur, illic aut nõ peccatur, aut tardius delinquitur. Censura enim interdum quidam suscipiunt supplicium, vt multi corrigantur in paucis, ne postmodum ita commotus incipiat grassari per multos.

Lib. LXXXIII. Quæstionũ, Quæst. XXXI.

Vindicatio est per quã vis aut iniuria, & omnino omne quod offuturum est, defendendo aut vlciscendo propulsatur.

Contra Cresconiũ Grammaticũ, Lib. III. Cap. I.

Nullis bonis in catholica hoc placet, si vsq; ad mortẽ in quenquã, licet hæreticũ, sæuiatur.

Lib. Quæstionum super Leuiticũ, Quæst. LXX.

Nam quid est aliud vindicari velle, nisi lætari & cõsolari de alieno malo? Et ideo dictum est, Non irasceris filiis populi tui. Sic enim rectè ira definita est, quòd sit vlciscendi libido.

Ad Marcellinum Epistola V.

Vindicta quãdo petenda.

Vindicta enim vltima iustè poscitur, quando nullus iam restat correctionis locus, extremo scilicet summóque iudicio. Nunc verò cauendum est, ne vindicandi cupiditate amittatur (vt nihil aliud dicã) ipsa patientia, quæ pluris est habenda, quàm omne quod potest etiam inuitò inimicus auferre. Paratus itaque debet esse homo iustus & pius, patiẽter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, vt numerus potius crescat bonorum, nõ vt pari malitia se quoque numero addat malorum, &c.

In Psalmum XXX. concione II.

Christianus vindictæ nescius.

Tu Christiane tolerare didicisti, non vindictam retribuere. Vindicari vis Christiane? nõdũ vindicatus est Christus. An tu passus es improbum, & ille non passus est? Nõne prior pro te passus est, qui non habebat quare pateretur?

In Psalmum LXXVIII.

Apoc. 6. Sancti quomodo vindictæ vltionem petant. Psalm. 57.

Non est prætereundum, quomodo accipi debeat quod in Apocalypsi scriptum est, sub ara Dei Martyres ad Deum clamare & dicere, Quousque Domine non vindicas sanguinem nostrum: ne propter exaturandum odium credantur Sancti desyderare vindictam, quod ab eorum perfectione longè abest. & tamen scriptum est, Lætabitur iustus cùm viderit vindictam impiorum, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Et Apostolus ait, Non vosipsos vindicantes charissimi, sed date locũ iræ. Scriptum est enim, Mihi vindictam, & ego retribuã dicit Dominus. Nec ipse itaque præcepit vt nolint vindicari, sed vt non se ipsi vindicantes dẽt locum iræ Dei, qui dixit, Mihi vindictã, & ego retribuam. Et Dominus in Euangelio, viduam proponit in similitudinem, quæ vindicari desyderans, iudicem interpellabat iniustum: qui eã tandem aliquando, non iustitia ductus, sed tædio victus audiuit. Hoc autem Dominus proposuit, vt ostenderet multò magis Deum iustũ citò facturũ iudicium electorum suorum, qui ad eum clamant die ac nocte. Inde est & ille sub ara Dei Martyrum clamor, vt Dei iudicio vindicentur. Vbi est ergo illud, Diligite inimicos vestros, benefacite eis qui vos oderunt, & orate pro eis qui vos persequũtur? Vbi est & illud, Non reddẽtes malum pro malo, nec maledictũ pro maledicto, & nulli malum pro malo reddẽtes? Si enim malum pro malo nõ est cuiquã reddendum, non solùm factum malũ pro facto malo, sed nec votum malum reddendum est pro facto & voto malo. Reddit autem malum votum, qui etiã si non seipsum vindicat, tamen vt eius inimicum Deus puniat, expectat atque optat. Quapropter cùm & homo iustus & homo malus de inimicis suis velint à Domino vindicari, vnde discernentur, nisi quia iustus & magis cupit inimicum suum corrigi quàm puniri, & cùm in eum videt à Domino vindicari, nõ eius delectatur pœna, quia nõ eum odit, sed Diuina iustitia, quia Deum diligit? Denique si in hoc seculo in eum vindicatur, vel pro illo etiã lætatur si corrigitur, vel certè pro aliis, vt eũ timeãt imitari: ipse quoque fit melior, non supplicio illius odia sua pascendo, sed errata emendãdo. Ac per hoc de beneuolentia est non de malitia quod lætatur iustus quum videt vindictam, & manus suas lauat, id est, opera sua mundiora efficit in sanguine, hoc est, in exitio peccatorum, sumens inde non mali alieni gaudium, sed Diuinæ admonitionis exemplum. Si autem in futuro seculo vltimo Dei iudicio vindicatur, hoc ei placet quod Deo, ne bene sit malis, ne piorum præmiis etiã impii perfruãtur. Quod vtique iniustum est, & à regula veritatis, quam iustus diligit, alienum. Quum enim nos ad diligẽdos inimicos Dominus hortaretur, exemplum

Apoc. 6. Matth. 5. 1. Petri 3.

Rom. 12. Deut. 32. Luc. 18.

plum proposuit Patris nostri qui in cælis est, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Nunquid tamē ideo vel tēporalibus correptionibus nō emendat, vel pertinaciter duros in fine non dānat? Sic ergo inimicus diligatur, vt non displiceat Domini iustitia qua punitur. Et sic placeat iustitia qua punitur, vt non de malo eius, sed de bono iudice gaudeatur. Ita intelligamus Sanctos homines Dei, suos inimicos dilexisse, nec cuiquam voluisse nisi bonum, quod est pietas in hoc seculo, æternitas in futuro. In pœnis autem malorum, non malis eorum, sed Dei bonis iudiciis fuisse delectatos. Et vbicunque in Scripturis sanctis legūtur in homines odia eorum, odia fuisse vitiorum, quæ ipse etiā vnusquisque hominū odire debet in se, si diligit se.

DE VISIONIBVS ET APparitionibus variis. Contra Adimantum, Cap. XXVIII.

Varia genera visionum.

Multa genera visionis in Scripturis sanctis inueniuntur. Vnum secundum oculos corporis, sicut vidit Abrahā tres viros sub ilice Mābræ, & Moses ignem in rubo, & discipuli trāsfiguratum Dominum in mōte inter Mosen & Heliam, & cætera huiusmodi. Alterum, secundum quod imaginamur ea quæ per corpus sentimus. Nam & pars nostra cùm diuinitus assumitur, multa reuelantur non per oculos corporis, aut aures aliúm ve sensum carnalem: sed tamen his similia, sicut vidit Petrus discum illum submitti è cælo cum variis animalibus. Ex hoc genere est etiam istud Esaiæ, quod imperitissimè impii reprehendunt. Non enim Deum forma corporea circunterminat: sed quemadmodum figuratè non propriè multa dicuntur, ita etiam figuratè multa monstrātur. Tertium autem genus visionis est secundum mentis intuitum, quo intellecta conspiciuntur veritas atque sapiētia, sine quo genere illa duo, quæ prius posui, vel infructuosa sunt, vel etiam in errorem mittunt. Quum enim ea quæ siue corporeis sensibus, siue illi parti animæ, quæ corporalium rerum imagines capit, diuinitus demonstrantur, non solùm sentiuntur his modis, sed etiam mente intelliguntur: tunc est perfecta reuelatio. Ex hoc tertio genere est visio illa quam commemoraui, dicente Apostolo, Inuisibilia enim Dei à constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciūtur. Hac visione videtur Deus, cùm per pietatem fidei, & per agnitionem Dei, morum optimorum corda mundantur. Quid enim profuit Balthazari regi, quòd manum scribentem ante oculos suos, in pariete cōspexit? Cui visioni quia non potuit adiungere mentis aspectum, quærebat adhuc videre quod viderat. Tali autem acie luminis, qua ista intelliguntur, Daniel præditus mente vidit, quod ille viderat corpore. Rursus illa parte animi, quę imagines corporum capit, vidit somnium Nabuchodonozor rex. Et quoniam non habebat idoneum oculum mentis ad melius videndum quod viderat, id est, ad intelligendum quod viderat, ideo ad interpretandum visum suum, aspectum quæsiuit alienum, eiusdem scilicet Danielis, cui tamen aperienti, vt certam accōmodaret fidem, etiā ipium somnium, vt sibi diceretur exegit, &c.

Genes. 18.
Exod. 3.
Matth. 17.
Roman. 1.
Dan. 5.

Libro de cura pro mortuis gerenda, Cap. X.

Mortui viuentibus quomodo apparent.

Narrantur visa quædam, quæ huic disputationi non negligendā videantur inferre quæstionem. Feruntur quippe mortui nōnulli, vel in somnis, vel alio quocunque modo apparuisse viuentibus, atque vbi eorum corpora iacerēt inhumata nescientibus, locísque monstratis admonuisse, vt sibi sepultura, quæ defuerat, præberetur. Hæc si falsa esse respondemus, cōtra quorundā scripta fidelium, & cōtra eorum sensus, qui talia sibi accidisse confirmant, impudenter venire videbimur. Sed respondendum est, non ideo putandum esse mortuos ista sentire, quia hæc dicere vel indicare vel petere videntur in somnis. Nam & viuentes apparent *Viuentes aliquando apparent viuētibus.* sæpe viuentibus dormientibus, dum se ipsi nesciunt apparere, & ab eis qui hæc somniauerint audiunt, dicentibus quòd eos in somnis agentes aliquid vel loquentes viderint. Si ergo me potest aliquis in somnis videre sibi aliquid, quod factum est, indicātem, vel etiam quod futurum est prænuntiantem, quum id ego prorsus ignorem, & omnino non curem: non solùm quid ille somniet, sed vtrùm dormiente me vigilet, an vigilante me dormiat, an vno eodémque tempore vigilemus ambo siue dormiamus, quando ille somnium videt, & in quo me videt: quid mirum si nescientes mortui, nec ista sentientes, tamen à viuētibus videntur in somnis, & aliquid dicunt, quod euigilantes verum esse cognoscant? Angelicis igitur operationibus fieri crediderim, siue permittatur desuper, siue iubeatur, vt aliquid dicere de sepeliendis corporibus suis videantur in somnis, quum id penitus nesciant quorum illa sunt corpora. Id autem aliquando vtiliter fit, siue ad viuorum qualecunque solatium, ad quos pertinent illi mortui, quorum apparent imagines somniantibus, siue vt his admonitionibus generi humano sepulturæ commendetur humanitas. Quæ licet defunctis non opituletur, culpanda tamen irreligiositate negligitur. Aliquando autem fallacibus somniis ii homines in magnos mittuntur errores, quos talia perpeti iustum est: velut si quisquam videat in somnis, quòd AEneas vidisse apud inferos poetica fal- *Virgilius 6. AEneidos.* sitate narratur, & vt ei cuiuspiam non sepulti appareat imago, & loquatur qualia fertur illi locutus fuisse Palinurus, & quum euigilauerit, ibi corpus eius inueniat, vbi iacere inhumatum, quum somniaret, audiuit, admonitus & rogatus, vt sepeliret inuentum. Et quia id verum esse comperit, credat ideo mortuos sepeliri, vt eorum animæ ad loca transeant vn-

de insepultorum animas inferna prohiberi lege somniauit. Nonne ita credens, plurimum à tramite veritatis exorbitat?

Ad Paulinam, Epistola CXII.

Verba beati Ambrosij in 1. Cap. Lucæ.

Quum Euangelium exponens beatus Ambrosius Mediolanensis Episcopus, venisset ad eum locũ, vbi Angelus apparuit in templo Zachariæ sacerdoti: ex hac occasione, vide quanta & qualia de Dei etiam visione disseruit. Nõ immeritò, inquit, Angelus videtur in templo, quia veri Sacerdotis iam nuntiabatur aduentus, & cæleste sacrificiũ parabatur, in quo Angeli ministrarent. Et bene apparuisse dicitur ei, qui eum repentè cõspexit. Hoc specialiter aut de Angelis, aut de Deo diuina Scriptura tenere consueuit, vt quod nõ potest videri, apparere dicatur. Sic enim habes, Apparuit Deus Abrahæ ad ilicem Mambræ. Nam qui antè non præsentitur, sed repentino videtur aspectu, apparere memoratur. Non enim similiter sensibilia videtur, & is in cuius voluntate situm est videri, & cuius naturæ est non videri, voluntatis videri. Nam si non vult, non videtur, si vult videtur: apparuit enim Deus Abrahæ quia voluit, aliis quia noluit non apparuit. Visus est etiã Stephano, cùm lapidaretur à populo, cælũ aperire. Visus est etiam Iesus stans ad dexterã Dei, & nõ est visus à populo. Vidit Esaias Deũ sabaoth: sed & alius videre non potuit, quia cui placuit apparuit. Et quid de hominibus loquimur, quum etiam de ipsis cælestibus virtutibus & potestatibus legerimus, Quia Deũ nemo vidit vnquam?

Gene. 18.

Act. 7.

Ioan. 1.

Contra Maximinum libro III. Cap. XXVI.

Per subiectam creaturã Deus patribus ostensus Exod. 33.

Quando se patribus Diuinitas ostendebat, per subiectam creaturam se visibilem demonstrabat. Nam per ipsam suam naturam vsque adeò inuisibilis est, vt ipse Moses ei cum quo facie ad faciem loquebatur diceret, Si inueni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum manifestè.

DE PHANTASTICIS *visionibus.*

Libro XII. de Genesi ad literam. Cap. VII.

Tria genera visionum.

Tria sunt genera visionum. Primum ergo appellemus corporale, quia per corpus percipitur, & corporeis sẽsibus exhibetur. Secundũ spiritale. Quidquid enim corpus non est, & tamen aliquid est, iam rectè spiritus dicitur, & vtique non est corpus: quanuis corpori similis sit imago absentis corporis, nec illeipse obtutus quo cernitur. Tertium verò intellectuale, ab intellectu, quia mentale à mente, ipsa vocabuli nouitate nimis absurdum est vt dicamus.

Cap. IX.

Prophetia ad mentalem pertinet visionem. Gene. 41.

Vnde apparet magis ad mentem pertinere prophetiam, quàm ad istum spiritum, qui modo quodã proprio vocatur spiritus, vis animæ quædam mente inferior, vbi corporalium rerum similitudines exprimuntur. Itaque magis Ioseph Propheta, qui intellexit quid significarent septem spicæ, & septem boues, quàm Pharao, qui eas vidit in somnis. Illius enim spiritus informatus est vt videret, huius mens illumina ta vt intelligeret: ac per hoc in illo erat lingua, in isto prophetia: quia in illo rerũ imaginatio, in isto imaginationum interpretatio.

Eodem libro, Cap. II.

De extaticis visionibus.

In ecstasi autem vnum audire potui, & eum rusticanum virum, valentẽ quod sentiebat exprimere, qui & vigilare se sciret & videre quid dam non oculis corporeis. Nam vt eius verbis vtar, quantum recolere possum, Anima mea, inquit, videbat eum, nõ oculi mei. Non tamen sciebat vtrùm corpus esset aut imago corporis. Non enim erat talis, vt ista discerneret: veruntamen simpliciter fidelis, vt eum sic audirẽ, ac si illud quod se vidisse narrabat ipse vidisse. Ac per hoc si Paradisũ Paul° ita vidit, vt apparuit Petro ille discus submissus è cælo, vt Ioanni quidquid in Apocalypsi se vidisse conscribit, vt Ezechieli campus ille cum ossibus mortuorum, & illa eorum resurrectio, vt Esaiæ sedens Deus, in conspectu eius Seraphim, & ara vnde carbo assumptus Prophetæ labia mundauit: manifestum est eum ignorare potuisse vtrùm in corpore an extra corpus ea viderit.

Act. 10.

Apoc. 1.

Ezech. 37.

Esaiæ 6.

DE MORTE.

Epistola CX.

Omni homini dies mortis suæ semper est incertus.

Omnes in hac vita mortales sumus, & dies huius vitæ vltimus omni homini est semper incertus. Veruntamen in infantia speratur pueritia, & in pueritia speratur adolescentia, & in adolescentia speratur iuuentus, & in iuuentute speratur grauitas, & in grauitate speratur senectus. Vtrùm contingat incertũ est, est tamen quod speratur, &c.

AD Iulianum comitem, Epistola CXI.

Morientes quomodo immemor fuerit ita iudicatur. Psal. 6.

Nemo hominum nouit diem exitus sui: non omnes in senectute moriuntur, sed in diuersis ætatibus de hoc mundo migrant, & in quibus actibus vnusquisque homo inuentus fuerit, in eisdem iudicabitur quando anima exierit de corpore. Dicit enim Psalmista. Nemo in inferno confitebitur tibi. Ideo festinemus ad pœnitentiam conuerti: semper ante oculos nostros versetur vltimus dies, & quum diluculò surrexerimus, ne ad vesperam nos confidamus peruenire, & quum in lectulo membra deposuerimus, de lucis non confidamus aduentu. Ita facillimè corpus nostrum à vitiis & concupiscẽtiis poterimus refrenare.

Ad Nebridium, Epistola CXVI.

Profectiones quas quietas & felices habere nequeas, per totã cogitare vitam, non est hominis de illa vna vltima, quæ mors vocatur, cogitãtis, de qua vel sola intelligis verè esse cogitandum. Dedit quidem Deus paucis quibusdam, quos gubernatores Ecclesiarum esse voluit, vt & illam non solùm expectarent fortiter,

titer, sed alacriter etiam desyderarẽt, & earum obeundarũ labores sine vllo angore susciperẽt.

In Psalmum XXXIIII. concione I.

Dies mortis cur incertus.

Magna misericordia Dei monuit, vt bene viuamus, & diẽ nobis nouissimum mortis nostræ abscondit, ne nobis de futuro aliquid promittamus.

In Psalmum XXXVIII.

Nihil certius morte, nihil incertius hora.

Quid enim in hac terra certũ est, nisi mors? Consyderate omnia omnino vel bona vel mala vitæ huius, vel in ipsa iustitia, vel in ipsa iniquitate: quid hîc certum est nisi mors? Profecisti: qui sis hodie scis, quid facturus crastino nescis. Peccator es: quid sis hodie scis, quid sis crastino nescis. Speras pecuniam, incertum est an proueniat. Speras vxorem, incertum est an accipias, vel qualẽ accipias. Speras filios, incertũ est an nascantur. Nati sunt, incertum est an viuant: viuunt, incertum est an proficiant, an deficiant. Quocunque te verteris incerta omnia, sola mors certa. Pauper es, incertum est an ditescas. Indoctus, incertum est an eruditaris. Imbecillis, incertum est an conualescas. Natus es, certum est quia morieris. Et in hoc ipso, quia mors certa est, dies mortis incertus est. Itaque hæc incerta, vbi sola mors est certa, cuius etiam hora incerta, & sola multum cauetur, quæ nullo modo deuitatur, &c.

In Psalmum LXVII.

Patienter ergo etiam ipsam mortem feramus illius exẽplo, qui licet peccato nullo esset debitor mortis, & Dominus esset, à quo nemo animam tolleret, sed ipse eam à semetipso poneret, etiam ipsius fuit exitus mortis, &c.

In Psalmum CI.

Etenim ne desperatione homines peius viuerent, promisit indulgentiæ portum. Rursus ne de spe veniæ peius viuerent, fecit diem mortis incertum: prouidentissimè vtrunque constituens, & reuertentes quo recipiantur, & differentes vnde terreantur.

In Psalmum CXXII.

Quis enim resistit morti? Fratres, intendat charitas vestra. Resistitur ignibus, vndis, ferro, resistitur potestatibus, resistitur regibus: venit vna mors. quis ei resistit? Nihil est illa fortius.

Libro VI. de Genesi ad literam.

Illo die Adam & Eua mori cœperunt, quo mortis legem, qua in senium inueterascerent acceperunt.

Immaturæ mortis causa.

Libro de agenda cura pro mortuis.

Vocantur ante tempus boni, ne diutius vexentur à noxiis. Mali verò & impii tolluntur, ne diutius bonos persequantur.

De natura & gratia.

Si de diuitiis & honoribus & morum nobilitate te iactas, de patria & pulchritudine corporis & honoribus, quæ tibi ab hominibus exhibentur: respice teipsum quia mortalis terra es & in terram ibis. Circunspice qui similibus fluxere splendoribus. Vbi sunt qui ambiebant currum potestatis? Vbi insuperabiles imperatores? Vbi sunt qui conuentus disponebant, & festa, & equorum splẽdidi nutritores? Vbi nũc vestes & ornamenta peregrina? Vbi seruorum turba? Vbi iocus & lætitia? Vbi exercituum duces? Vbi satrapæ & tyranni? Nonne omnia puluis & fauilla? Nonne in paucis versibus eorum vitæ patet memoria? Respice eorũ sepulchra, & vide quis seruus, quis dominus, quis diues, quis pauper. Discerne si potes vinctum à rege, fortem à debili, pulchrũ à deformi. Vide si est aliquod in eo signum iactantiç suæ. Memorare itaque naturæ, ne extollaris.

Mors omnibus pariter immanet.

Libro I. de ciuitate Dei.

Mala mors non est vbi bona præcessit vita.

Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit. Neque enim fecit malam mortẽ qui sequitur mortem. Non itaque multum curandum est eis, qui necessariò morituri sunt, quid accidat vt moriantur, sed moriendo quo ire cogantur.

De disciplina Christiana.

Latet vltimus dies, vt obseruentur omnes dies. Serò parantur remedia, quum mortis imminet periculum, &c.

Libro II. de doctrina Christiana.

Timor de futura morte, mentem necessariò concutit, & quasi clauus carnis, omnes motus superbiæ ligno crucis affigit.

Item in alio loco.

Non potest malè mori, qui bene vixerit, & & vix bene moritur, qui malè vixit.

In Euangelium Ioannis.

Mors quid sit.

Quid est mors? Relictio corporis, depositio sarcinæ grauis: sed si alia sarcina non portetur, qua homo præcipitetur in gehennam.

Ibidem.

Qui desyderat dissolui & esse cũ Christo, non impatienter moritur, sed patienter viuit & delectabiliter moritur.

DE ADVOCATIS.

Epistola XXXVI.

Ab aduocatis iniustè acceptа repetenda.

Si iustiti æ syncerius consulatur, iustè dicitur Aduocato, Redde quod accepisti, quãdo contra veritatem fecisti, iniquitati astitisti, iudicium fefellisti, causam iustam oppressisti, de falsitate vicisti.

Ibidem.

Quis tandem Aduocatus facilè reperitur, qui dicat suscepto suo, Recipe quod mihi, cùm male adessem, dedisti, & redde aduersario tuo, quod me iniquè agẽte abstulisti. Nisi fortè restituendum est alienum, quod furto clanculum aufertur: & restituendum non est quod in ipso foro, vbi peccata puniuntur, decepto iudice & circunuentis legibus obtinetur.

Ad Macedonium, Epistola. LIIII.

Nõ sanè quidquid ab inuito sumitur iniuriosè aufertur. Nã plerique nec medico volunt

reddere honorem suum, nec operario mercedem: nec tamen hæc qui ab inuito accipiunt, per iniuriam accipiunt, quæ potius per iniuriam non darentur. Sed non ideo debet iudex vendere iustum iudicium, aut testis verum testimonium, quia vendit aduocatus iustum patrocinium, & iurisperitus verum consilium. Illi enim inter vtranque partem ad examina adhibentur: isti ex vna parte cõsistunt. Cùm autẽ iudicia & testimonia, quæ nec iusta, nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multò sceleratius vtique pecunia sumitur: quia sceleratè etiam quãuis à volentibus datur. Ille tamen solet tãquam sibi malè ablatam pecuniam repetere, qui iustum iudicium emit: quoniam venale esse non debuit. Qui verò pro iniquo iudicio dedit, vellet quidem repetere, nisi timeret vel puderet emisse. Sunt aliæ personæ inferioris loci, quæ ab vtraque parte, non insolẽter accipiunt, sicut officialis, & à quo amouetur, & cui admouetur officium. Ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti solẽt, data per tolerabilem consuetudinem non solent: magisque reprehendimus, qui talia inusitatè repetiuerũt, quàm qui ea de more sumpserunt: quoniam multæ necessariæ personæ rebus humanis, vel inuitantur huiusmodi cõmodis vel tenentur, &c.

Aduocatus, iustum patrocinium, potest vendere

In Psalmum CXXXVI.

Aduocatum esse, inquit quispiam, magna res est, potentissima eloquentia in omnibus habere susceptos, pendentes ex lingua diserti patroni sui, & ex eius ore sperantes, vel damna vel lucra, vel mortem vel vitam, vel perniciem vel salutem. Nescis quò te miseris. Alius & iste fluuius Babylonis est, & quod multum sonat, strepitus aquæ saxa percutit. Attende quia fluit, percutit: attẽde quia labitur: & si attẽdas quia fluit & labitur, caue, quia trahit, &c.

Aduocatorum lingua fluuius alter est Babylonis.

DE CVRIOSITATE.

Libro I. contra Manichæos.

Compescat se humana temeritas, & id quod non est, non quærat, ne illud quod est non inueniat, &c.

Libro de moribus Ecclesiæ.

Sunt qui desertis virtutibus, & nescientes, quid sit Deus, & quãta sit maiestas, semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si vniuersam istã corporis molem, quam mundum nuncupamus, curiosissimè perquirunt: vnde etiam tanta superbia gignitur, vt in ipso cælo, de quo sæpe disputant, sibimet habitare videantur.

De philosophis nimium curiosis

Libro de vera religione.

In consyderatione creaturarum, non est vana & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia & sẽper manẽtia faciendus, &c.

Ad Dioscorum, Epistola LVI,

Ego autem vellem te abripere de medio deliciosarum inquisitionum tuarum, & cõstipare inter curas meas, vt vel discceres non esse inaniter curiosus, vel curiositatem tuam cibãdam atque nutriendam imponere non auderes eis, quorum inter curas vel maxima cura est, reprimere ac refrenare curiosos. Quãtò enim melius quantóque fructuosius, si in dandis vllis literis, tempus atque opera impenditur, ad hoc potius impenditur, vt resecentur vanæ atque fallaces cupiditates tuæ: quæ tantò magis cauendæ sunt, quantò facilius decipiunt, nescio qua vmbra honestatis, & liberalium studiorum nomine velatæ atque palliatæ, quàm vt nostro ministerio, atque (vt ita dixerim) satellitio induratæ, quò tam bonam tuam mentem premant, vehementius excitentur? Humilitatis igitur saluberrimæ, qua Dominus noster Iesus Christus, vt doceret humiliatus est: huic, inquã, maximè aduersatur quædam (vt ita dicam) imperitissima scientia, dum nos scire gaudemus, quid Anaximenes, quid Anaxagoras, quid Pythagoras, quid Democritus senserit, & cæteri huiusmodi, vt docti eruditiq; videamur: cùm hoc à vera doctrina & eruditione longè absit.

Episcopi officium reprimere curiosos.

In Psalmum VIII.

Intuere pisces maris, hoc est curiosos, qui perambulant semitas maris, id est, inquirunt in profundo huius seculi temporalia, quæ tãquam semitæ in mari tam citò euanescũt & intereunt, quàm rursus aqua confunditur, postquam transeuntibus locum dederit vel nauibus vel quibuscunque ambulantibus aut natantibus. Non enim tantùm ambulant semitas maris, sed perambulant dixit, ostendens pertinacissimũ studium, inania & præterfluẽtia requirentium. Hæc autem tria genera vitiorum, id est, voluptas carnis, & superbia, & curiositas, omnia peccata cõcludunt. Quæ mihi videtur à Ioanne Apostolo enumerata, cùm dicit, Nolite diligere mundum: quoniam omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi. Per oculos enim maximè curiositas prævalet. Relinqua verò quò pertineant manifestum est. Et illa Dominici hominis tentatio tripertita est, &c. Per curiositatem, vbi de pinna tẽpli admonetur, vt se deorsum mittat, tentandi gratia vtrùm ab Angelis suscipiatur, &c.

Curiosus piscis æstimatur.

1. Ioan. 2.

Matth. 4.

DE ACCEPTIONE PERsonarum.

Ad Pascentium.

Iniquum est, vt quisque de alio iudicare velit, & iudicari de se nolit.

In Epistolam Iacobi super illud, Fratres mei nolite peccare.

Si hanc distantiam sedendi & standi, ad honores Ecclesiasticos referamus, non est putandum leue esse peccatũ, in personarum acceptione habere fidem Domini gloriæ. Quis enim ferat

ferat eligi diuitem ad sedem honoris Ecclesiæ contempto paupere instructiore & sanctiore?

Item in quodam sermone.

Absit Domine, vt in tabernaculo tuo præ pauperibus accipiantur personæ diuitum, aut præ ignobilibus nobiles, quando potius infirma mundi elegisti vt confunderes fortia.

DE FESTIS ET SOLENNITATIBUS.

Libro de decem chordis.

Contra otiosos Iudæos.

Melius faceret Iudæus in agro suo aliquid vtile, quàm in theatro seditiosus existeret: & melius fœminæ eorum die sabbati lanam nerent, quàm tota die in neomeniis suis impudicè saltarent.

Libro III. contra Faustum.

Christianique non obseruent diem sabbati. Matth. 11.

Si quæras cur Christianus non obseruat otium sabbati, quum Dominus non venerit soluere Legem, sed adimplere: respondeo, istud nō obseruat Christianꝰ, quia quod ea figura profitebatur, iā ipse impleuit. In isto habemus sabbatū qui dicit, Venite ad me omnes, qui laboratis, & inuenietis requiem animis vestris, &c.

In Euangelium Ioannis, Tractatu XX.

Sacrum sabbatū est antiquis patribus præceptum, quod nos Christiani spiritualiter obseruamus, cùm ab omni seruili opere, id est, ab omni peccato abstinemus, & habemus quietē in corde, & spiritualem tranquillitatem.

De vera innocentia, Sent. CXIIII.

Malè celebrant sabbatum, qui à bonis operibus cessant. Otium enim ab iniquitate debet esse, quia bona conscientia non inquietum, sed tranquillum facit animum.

DE SAPIENTIA.

De ciuitate Dei.

Qui sine Saluatore salutem vult habere, & sine vera sapientia æstimat se prudentem fieri posse, non sanus sed æger, non prudens, sed stultus in ægritudine assiduè laborabit, & in ciuitate noxia stultus & demens permanebit.

De libero arbitrio.

Sapientia vera non est nisi veritas.

Non aliam putes esse sapientiam, nisi veritatem, in qua tenetur & cernitur summum bonum. Nullo loco abest, nusquā deest, foris admonet, intus docet, in se omnes in melius commutat, à nullo in deterius commutatur, nullus de illa iudicat, nullus sine illa bene iudicat.

Libro IX. de ciuitate Dei, Cap. II.

Homini nulla est causa philosophandi, nisi vt beatus sit.

Ad Dioscorum, Epistola LVI.

Nosti enim quidquid propter adipiscendam sapientiam quæritur, aut de moribus, aut de natura, aut de ratione quæstionem habere.

DE MVNERVM ACCEPTORIBVS.

In Psalmum XXVI, expositione II.

Ne perdas cum impiis Deus animā meam, & cum viris sanguinum vitam meam: In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus. Munera non solùm pecunia est, non solùm aurum & argentum, non solùm encænia sunt: neque omnes qui accipiūt ea, accipiunt munera. Aliquando enim accipiuntur ab Ecclesia. Quod dico Petrus accepit, Ioan. 13. Dominus accepit, loculos habuit. ea quæ mittebantur Iudas auferebat. Sed quid est accipere munera? Propter munera laudare hominē, adulari homini, palpare blandiendo, iudicare cōtra veritatem propter munera. Propter quæ munera? Non solùm propter aurum & argentum, & huiusmodi aliquid: sed etiam propter laudē qui iudicat malè, munus accipit, & munus quo nihil inanius. Patuit enim illi manus ad accipiēdum iudicium linguæ alienæ, & perdidit iudicium conscientiæ suæ. Ergo in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus, &c.

DE SACERDOTIBVS.

Libro de corpore Domini.

Intra catholicam Ecclesiam in mysterio corporis & sanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur sacerdote: quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris & virtute Spiritus sancti. Si enim in merito esset sacerdotis, nequaquam ad Christū pertineret. Nunc autē sicut qui baptizat ipse Christus est, ita ipse est, qui per Spitum sanctum hanc suā efficit carnem, & vinum transfundit in sanguinē. Credendum est enim, quòd in verbis Christi sacramēta cōficiuntur, cuius prius creātur imperio. Eius itaq; verbo recreantur ad melius.

Item in alio loco.

Nocētissimi in Ecclesia pernitiosi sacerdotes & Episcopi.

Nemo quippe nocet in Ecclesia Dei amplius, quàm qui peruersè agens nomen vel ordinem sanctitatis & sacerdotis habet. Delinquentē nanque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur. Episcopus itaque, quòd talium crimina non corrigit, magis dicendus est canis impudicus quàm Episcopus.

Super illud Apostoli ad Timotheum, Qui bene præsunt.

Presbyteri quomodo dupli ci honore digni dicantur.

Presbyteri qui bene præsunt vita & doctrina, digni habentur à subditis duplici honore, scilicet vt spiritualiter eis obediant, & exteriora bona ministrent. Boni enim dispensatores & fideles, non solùm honore sublimi præmiari debent, sed & terreno, vt non contristentur indigentia sumptuum, & gaudeant obedientia spiritalium. Instantior enim fit, si non humiliatur inopia, & crescit in illo auctoritas,

cùm videt se etiam in præsenti laboris fructum percipere, non vt abundet, sed vt non deficiat.

DE RECONCILIATIONE cum proximo.

De verbis Domini secundum Matth. Cap. V.

Proximus quo modo reconciliandus.

Si absens est, vade non pedibus corporis, sed animo humili te prosternas: in cõspectu eius oblaturus es. Si præsens est, reuocãdus ad amorẽ ab eo veniam petendo, si eum læsisti: vel si te læserit, dimittendo cordis rancorem, &c.

DE RAPINA.

In libro Quæstionum super Exodum.

Furtum omnis est illicita vsurpatio rei alienæ

Pœnale est occultè auferre, multò maioris pœnæ est visibiliter eripere. Auferre ergo volẽti, siue occultè, siue palàm, habet præceptum suum. Furti enim nomine bene intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ. Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit. sed vtique furti nomine, in lege veteris Testamenti, & rapinam intelligi voluit. Apertè enim totum significauit, quidquid illicitè rerum proximo aufertur.

Ibidem.

Si quid inueneris, & non reddideris, rapuisti: quantum potuisti fecisti, quia plus non inueneris. Qui alienũ negat, si posset & tolleret. Deus cor interrogat, non manum.

De verbis Domini, Sermo. XX.

Si in ignem mittitur, qui nõ dedit rem propriam: vbi putas mittendus est, qui inuasit alienam? Si quum diabolo ardet, qui nudum non vestiuit: vbi putas arsurus est qui expoliauit? Non nocent mala præterita, si non placent.

Sermo. IIII. Dominicæ Quadragesimæ. I.

Si pœnale est c'anculò auferre, multò maioris pœnæ est violenter eripere.

DE ERRORE.

Ad Marcellinum, Epistola VII.

Ego proinde fateor me ex corũ numero esse conari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiũt. Vnde si aliquid vel incautius, vel indoctius à me positum est, quod nõ solùm ab aliis, qui videre id possunt, meritò reprehendatur: verumetiam à meipso, quia & ego saltem postea videre debeo si proficio: nec mirandum est, nec dolendum, sed potius ignoscendum atque gratulandũ: non quia erratum est, sed quia improbatũ. Nã nimis peruersè seipsum amat, qui & alios vult errare, vt error suus lateat. Quãtò enim melius & vtilius, vbi ipse errauit, alii nõ errẽt, quorum admonitu errore careat? Quod si noluerit, saltẽ comites erroris nõ habeat. Si enĩ mihi Deus, quod volo præstiterit, vt omnium librorũ meorum quæcunque mihi rectissimè displicẽt, opere aliquo ad hoc ipsum instituto, colligã atque demõstrem: tunc videbunt omnes homines, quàm non sim acceptor personæ meæ. Vos autẽ qui me multum diligitis, si talem me asseritis aduersus eos, quorum malitia, vel imperitia, vel intelligẽtia reprehẽdor, vt me nusquã scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis: non bonam causam suscepistis: facilè in ea etiam meipso iudice superamini. Quoniam non mihi placet, quum à charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum. Profectò enim non me, sed pro me alium sub meo nomine diligunt, si non quod sum, sed quod non sum diligunt. Nam inquantum me nouerunt, vel de me verum credunt, ego ab eis diligor: inquãtum autem mihi tribuunt, quod in me non cognoscunt, alium talem qualem me putãt, pro me diligunt. Nec Romani maximus auctor Tullius eloquii, nullum vnquam verbum, inquit, quod reuocare vellet, emisit. Quæ quidem laus, quanuis præclarissima videatur, tamen credibilior est de nimium fatuo, quàm de sapiente perfecto. Nam & illi quos vulgo moriones vocant, quantò magis à sensu communi dissonant, magisque absurdi & insulsi sunt, tantò magis nullum verbum emittunt, quod reuocare velint: quia dicti mali vel stulti vel incommodi pœnitere, vtique cordatorum est. Sed si in bonã partem accipiatur, vt quempiam talem fuisse credamus, qui quum omnia sapiẽter loqueretur, nullum vnquam verbum, quod reuocare vellet emisit: hoc potius de hominibus Dei, qui Spiritu sancto acti locuti sũt, quàm de illo, quem sic Cicero laudat, saluberrima pietate credendum est. Ab hac ego excellentia tam lõgè absum, vt si nullum verbum, quod reuocare vellẽ protulero, fatuo sim quã sapienti similior. Illius quippe scripta summa sunt auctoritate dignissima, qui nullum verbum, non quod reuocare vellet, sed quod reuocare deberet emisit. Hoc quisquis nondum est assecutus, secundas habeat partes modestiæ, quia primas non potuit habere sapientiæ: quia non valuit omnia non pœnitẽda diligenter dixisse, pœniteat quæ cognouerit dicenda non fuisse. Quum ergo non sicut quidam charissimi mei putant, nulla vel pauca, sed potius plura fortasse quàm etiam maledici opinantur, verba dixerim, quæ mallem reuocare si possem, nõ mihi Tulliana illa blanditur sententia, qua dictum est, Nullum vnquam verbum, quod reuocare vellet emisit: sed angit me planè Horatiana sententia, Nescit vox missa reuerti. *Horatius.*

DE PVLCHRITVDINE.

Lib. XV. de ciuitate Dei.

Pulchritudo corporis bonum Dei donum est: sed propterea id etiã largitur malis, ne malum bonum videatur bonis. *Pulchritudo corporis, Dei donum est.*

DE PROVIDENTIA humana.

De sermone Domini in monte.

Cùm viderimus aliquem seruum Dei prouidere, ne ista necessaria sibi desint, nõ iudicemus eum de crastino solicitum esse. Nã & ipse Dominus

Dominus propter exẽplum loculos habere dignatus est, & in Actibus Apostolorũ scriptum est, ea quę ad victum sunt necessaria procurata esse in futurum, propter imminentem famem.

Lib. de singularitate Clericorum.

Vbicunque fuerit prouidentia, frustrãtur vniuersa contraria: vbi autem prouidentia negligitur, omnia contraria dominantur.

DE REGIBVS ET PRINCIPIBVS.

Libro II. de ciuitate Dei, Cap. XX.

Rex quum est iniquus, tyrannus est.

Item libro IIII. Cap. III.

Malus etsi regat, seruus est tot dominorum, quot vitiorum, &c.

Libro III. ad Chrysostomum.

In quib⁹ reges Deo seruiunt.

In hoc seruiunt reges Deo, si in regno suo bona iubeant, mala prohibeãt: non solùm quæ pertinent ad societatem humanam, sed quæ ad religionem Diuinam.

DE PRAEDICATIONE.

Libro de mendacio ad Consentium.

Ad salutẽ opitulante mendacio nemo ducendus.

Ad sempiternam salutem, nullus ducendus est opitulante mendacio.

In Apocalypsim Homilia II.

Ministri angeli dicũtur.

Quia Angelus nuntius interpretatur, quicunque Episcopus vel presbyter, vel etiam laicus, de Deo loquitur, & quomodo ad vitam æternam perueniatur annuntiat, meritò Angelus dicitur.

Item alio loco.

Verbum Dei minus non esse quàm Christi corpus.

Interrogo vos fratres & sorores, Dicite mihi, quid plus videtur vobis, corpus Christi an verbum Christi? Si vultis verè respõdere, hoc dicere debetis, quòd nõ sit minus Dei verbum quàm Christi corpus. Et ideo quanta solicitudine obseruamus, quando nobis ministratur, vt nihil ex ipso de manibus nostris in terrã cadat, tanta solicitudine obseruemus, ne verbũ Domini quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitam⁹ aut loquimur, de corde puro pereat. Quia nõminus erit reus qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille qui corpus Christi sua negligentia in terram cadere permisit.

DE HISTORIA.

Ad Memorium, Epistola CXXXI.

Est per nostrum ministerium non literis illis, quas variarum serui libidinum liberales vocant, sed Dominico pane nutritus, quantus ei potuit per nostras angustias dispensari. Quid enim aliud dicendum est eis, qui cùm sint iniqui & impii, liberaliter sibi videntur eruditi, nisi quod in literis verè liberalibus legimus, Si vos Filius liberauerit, tũc verè liberi eritis? Per eum nanque præstatur, vt ipsę etiam quæ liberales disciplinæ ab eis qui in libertatem vocati non sunt, appellantur, quid in se habeãt liberale noscatur. Neq; enim cõgruũ habẽt libertati, nisi quod habent congruum veritati. Vnde ille ipse Fili⁹, Et veritas, inquit, liberabit vos. Nõ ergo illæ innumerabiles & impiæ fabulæ, quibus vanorum plena sunt carmina Poetarum, vllo modo nostræ consonant libertati. Non oratorum inflata & expolita mendacia. Non denique ipsorum Philosophorum garrulæ argutiæ: quòd vel Deum prorsus non cognouerũt, vel cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Et immutauerunt gloriam incorrupti Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & voluerũ atque quadrupedum & serpentium: vel qui istis simulachris non dediti, aut non nimis dediti, coluerunt tamen, & seruierunt creaturæ potius quàm Creatori. Absit vt omnino istorũ vanitates & insaniæ mendaces, vẽtosæ nugæ ac superbus error, rectè liberales literæ nominentur, hominum scilicet infelicium, qui Dei gratiam per Iesum Christum Dominum nostrum, qua sola liberamur de corpore mortis huius, non cognouerunt, nec in eisipsis quæ vera sunt senserunt. Historia sanè, cuius scriptores fidem se præcipuè narrationibus suis debere profitentur, fortasis habeat aliquid cognitione dignũ liberis, cùm siue bona siue mala hominum, tamen vera narrãtur. Quanuis in eis cognoscẽdis, qui Spiritu sancto nõ adiuti sunt, rumoresque colligere, ipsa humanæ infirmitatis conditione compulsi sunt, quemadmodum non fallerentur in plurimis omnino nõ video. Est tamẽ in eis aliqua propinquitas libertatis, si voluntatem mentiendi non habent, nec homines fallunt, nisi cùm ab hominibus humana infirmitate falluntur.

Ioann. 8

Libro II. de doctrina Christiana. Cap. XXVIII.

Quòd gentium historiæ conferant ad intellectũ Scripturæ

Quidquid igitur de ordine temporum trãsactorũ indicat ea quæ appellatur historia, plurimum nos adiuuat ad sanctos libros intelligẽdos, etiam si præter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Nam & per Olympiadas & per cõsulum nomina, multa sæpe quęruntur à nobis: & ignorãtia consulatus quo natus est Dominus, vel quo passus est, nõnullos coegit errare, vt putarent quadraginta sex annorum ætate passum esse Dominum, quia per tot annos ædificatum esse templũ dictum est à Iudæis, quod imaginẽ Dominici corporis habebat. Et annorum quidem ferè triginta baptizatum esse retinemus auctoritate Euangelica. Sed postea quot annos in hac vita egerit, quanquam textu ipso actionum eius animaduerti possit: tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de historia gentium collata cum Euangelio, liquidius certiúsque colligitur. Tunc enim videbi-

Ioannis 2. Lucæ 3.

tur non frustra dictum esse, quòd quadraginta sex annis templum ędificatum sit, vt cùm referri iste numerus ad ætatem Domini non potuerit, ad secretiorem institutionem humani corporis referatur, quo indui propter nos non dedignatus est vnicus Dei filius, per quem facta sunt omnia. De vtilitate autem historiæ, vt omittam Græcos, quantam noster Ambrosius quæstionem soluit, calumniãtibus Platonis lectoribus & dilectoribus, qui dicere ausi sunt, omnes Domini nostri Iesu Christi sententias, quas mirari & prædicare coguntur, de Platonis libris eum didicisse: quoniã longè ante humanum aduentũ Domini Platonem fuisse negari non potest: nonne memoratus Episcopus, consyderata historia gentium, cùm Platonem reperisset Hieremiæ Prophetæ tẽporibus profectum fuisse in Aegyptum, vbi tunc ille Propheta erat, probabilius esse ostendit, quòd Plato potius nostris literis per Hieremiam fuerit imbutus, vt illa posset docere vel scribere quæ iure laudantur? Ante literas enim gentis Hebræorum, in qua vnius Dei cultus emicuit, ex qua secundum carnem venit Dominus noster, nec ipse quidem Pythagoras fuit, à cuius poste ris Platonem Theologiam didicisse isti asserũt. Ita cõsyderatis temporibus, fit multò credibilius istos potius de literis nostris habuisse quęcunque bona & vera dixerunt, quàm de Platonis Dominum nostrum Iesum Christũ: quod dementissimum est credere.

Vtilitas historiæ.

Plato à Hieremia traditur imbutus.

DE PROPHETIA.

Paulini ad Augustinum, Epistola LVIII.

Prophetia multis modis dicitur.

Prophetia à pro, id est, procul, & for faris, quæ sunt, erunt vel fuerunt loquuturus. Hanc autem prophetandi differẽtiam abs me cognitam præscribere volui, orans, vt tibi si quippiã superesse videatur, referibas. Prophetare enim inuentum est significare futurarum rerum prędictionem: vnde Esaiæ 7. Ecce virgo concipiet Filium. Item prophetare est præterita narrare, vt, In principio creauit Deus cælum & terram. Item vbi dicebat Helisæus, Nonne cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo in curru suo? Est etiam prophetare prophetias recitare, vt Magistratus exercitus segregauit filios Asaph, quòd prophetarent in cytharis & psalteriis. Prophetare est quoque laudes Dei canere: vt, Quis tribuat mihi vt omnis populus prophetet? Est prophetare idem quòd docere. Vnde Apostolus, Aemulamini spiritalia, magis autem vt prophetetis. & in Actis, Erãt in Ecclesia Prophetæ & doctores. Item est exercere officium prędocutoris, vt in Exodo, Aaron erit Propheta tuus, id est, prędocutor. Prophetare etiã inuenimus idem quod figurare, quemadmodum Iosue dicitur Propheta, quia figurabat Christum. Est etiam Propheta qui aliena refert, sicut Saul, qui prophetauit in medio domus suæ, id est, aliena referebat. Isto verò loco vbi Paulus Ephesiis scribens, non eos qui venturum in carne Dominum Christum prophetarunt, Prophetas dicimus: sed per aliquã gratiam sequutura, vt Agabus cernebat, qui & famem instãtem prædixit: & quæ beatus Paulus Hierosolymis passurus esset, & verbo denuntiauit, & ligno zonæ eius ostendit.

Genes. 1

4. Reg. 5

1. Paral. 25

Num. 11

1. Corinth. 14

Actorum 13

Exod. 7

Ephes. 4

Actorum 21

Ad Paulinum, Epistola LIX.

De Prophetis quod ait Apostolus, quosdã quidẽ dedit Deus in Ecclesia Apostolos, quosdam autem Prohetas: hoc ita intelligo, quod ipse scripsisti, Prophetas eos dictos illo loco, ex quib⁹ Agabus erat, nõ illos qui vẽturum in carne Dominum prophetauerunt. Euangelistas verò inuenimus quos Apostolos fuisse non legimus, sicut fuerunt Lucas & Marcus. Pastores autẽ & doctores, quos maximè vt discernerem voluisti, eosdẽ puto esse, sicut & tibi visum est: vt non alios pastores, alios doctores intelligamus: sed ideo quum prædixisset Pastores, subjunxisse doctores, vt intelligerent pastores ad officium suum pertinere doctrinã. Ideo enim nõ ait, Quosdam autem pastores, quosdam verò doctores. sed quum superiora ipso locutionis genere distingueret, dicẽdo, Quosdam autem Apostolos, quosdam autem Prophetas, quosdam verò Euangelistas: hoc tanquam vnum aliquid duobus nominibus amplexus est, Quosdam autem pastores & doctores.

Ephes. 4

Actorum 11

Quomodo differant inter se Apostoli, Euangelistæ, &c.

In Psalmum XCIII.

Exaltare qui iudicas terram, & redde retributionem superbis. Redditurus est fratres. Quid est enim quod dictũ est, Exaltare qui iudicas terram, redde retributionem superbis? Prophetia est prędicentis, non audacia iubentis. Non enim quia dixit Propheta, Exaltare qui iudicas terram: obtemperauit Prophetæ Christus, vt resurgeret & iret in cælum: sed quia hoc facturus erat Christus, hoc prædixit Propheta. Non ideo fecit Christus, quia Propheta prædixerat: sed ideo Propheta prædixit, quia ille facturus erat, &c.

DE PRAESVMPTIONE.

De Verbis Domini, Sermo. XIII.

Multos impedit à firmitate prędumptio firmitatis. Nemo erit à Deo firmus, nisi qui se à seipso sentit infirmum, &c.

Super illud Ecclesiastici VII. Noli te iustificare ante Deum, quoniam agnitor cordis est.

Nulla prædumptio pernicioſior, quàm de propria iustitia, aut scientia superbire.

De propria iustitia superbire pernicioſissimũ.

In Psalmum LVIII, concione I.

Sunt in hominibus quidam fortes reprehensibili & damnabili fortitudine, quòd prædumunt quidẽ, sed de temporali felicitate. Non vobis videtur fuisse fortis diues iste, qui nunc ex Euangelio recitatus est, quoniam succesit ei regio in opulentia fructuum? Perturbatus consilium reconditionis inuenit, vt destructis veteribus

Lucæ 12

veteribus apothecis nouas cõstrueret amplio-
Psalm.5 res, essque completis animę suæ diceret, Habes multa bona, anima: epulare, iucundare, satiare. Qualem fortem vides? Ecce homo, qui nõ posuit Deũ adiutorẽ suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum (vide quàm fortis sit) & pręualuit in vanitate sua. Sunt & alii fortes, non de diuitiis, non de viribus corporis, nõ de aliqua in tempore præcellenti potentia dignitatis: sed præsumentes de iustitia sua. Hoc genus fortium cauendum, metuendum, auersandum, non imitandum. Præsumentium, inquam, non de corpore, non de opibus, non de genere, non de honore. Omnia enim ista quis non videat temporalia, fluxa, caduca, volatica? Sed præsumentium de iustitia sua. Talis fortitudo impediuit Iudæos, ne per foramen acus intrarent. Quum enim de se præsumunt quòd iusti sint, & tanquam sani sibi
Matth.10 videntur, medicinam recusauerunt, & ipsum medicum necauerunt.

In Psalmum LXXXV.

Præsumptio nostra Deus esse debet. Quidquid est circa te vel in te, vnde possis præsumere, abiice à te, & tota præsumptio tua Deus sit: illius indigens esto, vt in ipso implearis. Quidquid enim aliud habueris sine ipso latius, inanis eris.

DE POETIS.

Libro I. confessionum, Cap. XVI.

Didici in eis vtilia multa. Ibi lego Iouẽ tonantem & adulterãtem. Fingebat hoc Homerus, & humana ad deos trãsferebat: diuina mallem ad nos. Sed verius dicitur quòd fingebat hæc quidem ille, sed hominibus flagitiosis diuina tribuendo, ne flagitia putarentur, & vt quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed cælestes deos videretur imitatus, &c.

In eodem capite sub fine.

Non accuso verba quasi vasa electa atque pretiosa: sed vinum erroris, quod in eis propinatur ab ebriis doctoribus: & nisi biberemus, cædebamur, nec appellare ad aliquem iudicem sobrium licebat. Et tamen ego, Deus meus, in cuius cõspectu iam secura est recordatio mea, libẽter hæc didici, & in eis delectabar miser, & ob hoc bonæ spei puer appellabar.

Libro II. de doctrina Christiana, Cap. XVIII.

Quisquis bonus verúsq; Christian⁹ est, Domini sui esse intelligat, vbicũque inuenerit ve-
Vbicunque sit veritas, Domini mei est. ritatem: quam continens & agnoscens, etiam in literis sacris superstitiosa figmenta repudiet, doleátq; homines atque caueat, quòd cognoscentes Deum, nõ vt Deum glorificauerũt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis.

DE FRATERNA CORRECTIONE.

Super Epistolam ad Galatas.

Quidquid animo lacerato dixeris, puniendo est impetus, non charitas corrigentis. Dilige, & dic quidquid voles, &c.

De charitate, Sermo. VII.

Non putes te amare seruum, quando eum non cædis, aut tunc amare filium, quando ei non das disciplinam, aut tunc amare filium tuum, quando eum non corrigis. Non est ista charitas, sed langor.

Ad Macedonium, Epistola LXIIII.

Misericordia puniens, crudelitas parcens. Plurimum interest quo animo quisq; parcat. Sicuti enim est aliquándo misericordia puniens, ita & crudelitas parcens, &c.

In regula Clericorum.

Crimina ate cusanda. Si enim frater tuus vulnus habeat in corpore, quod vult occultari quum timet secari, nõne crudeliter à te fileretur, ac misericorditer indicaretur? Quãtò ergo potius debes manifestare crimen, ne deterius putrescat in corde?

DE DIVITIIS ET DIuitibus.

Ad Hilarium, Epistola LXXXIX.

Scribis quosdam dicere, diuitem manẽtem Matth.19 in diuitiis suis regnum Dei non posse ingredi, nisi omnia sua vendiderit: nec ei pdesse si fortè ex ipsis diuitiis mandata fecerit. Euaserunt istorum disputationes patres nostri Abraham, Isaac & Iacob, qui tantò antè ex hac vita migrarunt. Habebant quippe hi omnes non paruas diuitias, sicut fidelissima testatur Scriptu-
Matth.9 ra: multos tamen venturos ab Oriente & Occidente, & non supra ipsos, vel extra ipsos, sed
Lucæ 16 cum ipsis recubituros in regno cælorum, illeipse qui propter nos factus est pauper, quum verè diues esset, veracissima promissione prædixit. Et quanuis superbus diues qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splẽdidè, mortuus apud inferos torqueretur: tamẽ si pauperis vlcerosi, qui ante ianuam eius contemptus iacebat, misertus fuisset, mereretur & ipse misericordiam. Et si pauperi illi meritum esset inopia non iustitia, non vtique ab Angelis in Abrahę gremiũ, qui diues hic fuerat, tolleretur. Sed vt nobis ostenderetur, nec in isto paupertatem per seipsam diuinitus honoratã, nec in illo diuitias fuisse damnatas: sed in isto pietatem, in illo impietatẽ suos exitus habuisse: sic suscepit impium diuitem cruciatus ignis, vt tamen pium pauperem susciperet sinus diuitis. Qui sanè quum hic diues viueret, diuitias sic habebat, & eas præ Dei præceptis paruipendebat, vt etiam quũ ipsius filii immolatione nollet offendere Deum iubentem, quem suarum diuitiarum & sperabat & optabat hęredẽ. Hic vtique dicunt, ideo patres antiquos non vẽdidisse omnia quæ habebant, & dedisse pauperibus, quia hoc eis non præceperat Dominus. Nondum enim reuelato Testamento nouo, quod nõ fieri nisi plenitudine temporis oportebat, nec eorum virtus fuerat reuelanda, qua

virtute hoc eos facillimè posse Deus in eorum cordibus nouerat, qui testimonium illis tam insigne perhibebat, vt cùm sit omnium Sãctorum Deus, tanquam de præcipuis amicis suis
Exod.3 dicere dignaretur, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob: hoc mihi nomen est in æternum. Postea verò quàm magnum pietatis sacramentum manifestatum est in carne, & vocãdis omnibus Gentibus Christi aduentus illuxit, in quem etiam illi patres crediderãt: sed huius fidei oliuam suo tempore manifestãdã in illius arboris, de qua Apostolus loquitur, tanquam radice seruabant, dictum est diuiti,
Matth.19 Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cælis: & veni, sequere me. Hæc si dicant, videntur aliquid rationabiliter dicere. Sed totum audiãt, totũ aduertant, non in parte aures aperiant, in parte surdescãt. Cui enim Dominus hæc præcepit? Profectò illi diuiti, qui vitæ æternæ consequendæ consilium quærebat accipere. Hoc enim Domino dixerat, Quid faciam vt vitam æternam cõsequar? Ille autem non ei respondit, Si vis venire ad vitam, vade & vende omnia quæ habes: sed, Si vis venire ad vitam, serua mandata. Quæ iuuenis cùm sibi à Domino ex Lege commemorata seruasse dixisset, & quæsisset quid adhuc sibi deesset, responsum accepit, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Et ne se illa quæ multũ amabat, hoc modo perdere existimaret, Et habebis, inquit, thesaurũ in cælis. Deinde addidit, Et veni, sequere me: ne cuiquam cùm hæc fecerit aliquid prodesse existimetur, si non sequitur Christum. At ille quidem tristis abscessit, qui viderit quemadmodum illa Legis mandata seruauerat. Puto enim quòd se arrogantius quàm verius seruasse responderat. Veruntamen Magister bonus mandata Legis ab ista excellentiore perfectione distinxit. Ibi enim dixit, Si vis venire ad vitam, serua mãdata. Hic autem, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, &c. Cur ergo negamus diuites, quanuis ab illa perfectione absint, venire tamen ad vitã, si mandata seruauerint, & dederint vt detur illis, & dimiserit vt dimittatur illis? Credimus enim noui Testamenti ministrum fuisse Apostolum, cùm scri-
1.Timoth.6 bens ad Timotheum diceret, Præcipe diuitibus huius mundi non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarũ, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum. Bene faciant, diuites sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, thesaurizẽt sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam, de qua & illi adolescenti dictum est, Si vis venire ad vitam, serua mandata, &c. Puto quòd ista præcipiens, diuites instruebat, nõ fallebat Apostolus, Præcipe diuitibus huius mundi, vt vendant omnia quæ habent, dent pauperibus, & sequantur Dominum: sed non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum. Ista superbia diuitem illũ qui iacentem ante ianuam suam contemnebat pauperẽ iustum, & ista spes in incerto diuitiarum, qua se propter purpuram, byssum & epulas splendidas beatum putabat, non ipsæ diuitiæ perduxerunt ad inferni tormenta, &c.

Quære de illa materia in quæstionibus Hilarii.

In Psalmum II.

Ecce homo qui nõ posuit adiutorem suum Psalm.51
Deum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarũ. Non dicat pauper fortè malus, Ego non sum de hoc corpore. Audiuit enim Prophetam dicentem, Sperauit in multitudine diuitiarum suarum. Continuò si pauper est, attendit pannos suos. Respexit iuxta se fortè diuitem in populo Dei ornatius vestitum, & ait in corde suo, De isto dicit: nunquid de me? Noli inde te excipere, noli separare, nisi videris & timueris *Pauperes enim vt sic possint.*
vt postea rideas. Nam quid tibi prodest si eges facultate, & ardes cupiditate?

Post pauca ibidem.

Nam quum Dominus dixisset, Facilius est Matth.19
camelum transire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cælorum: Apostoli apud se dixerunt Quis ergo poterit saluari? Quid attenderunt? Non facultates, sed cupiditates. Viderunt etiam ipsos pauperes, & si non habẽtes pecuniam, tamen habere auaritiam. Et vt *Non pecuniam diuite, sed auaritia condemnatur.*
noueritis non pecuniam in diuite, sed auaritiã condemnari, aduertite quod dico. Respicis illum diuitem stantem iuxta te, & fortè in illo est pecunia. & non est auaritia: in te non est pecunia, & est auaritia.

Adhuc post pauca.

Lege Scripturas, & inuenies diuitem Abra- Genes.13
ham, vt noueris quia non diuitiæ puniuntur. Habebat Abraham multum auri, argẽti, pecorum, familiæ. Diues erat, & in eius sinum Lazarus pauper sublatus est: in sinu diuitis pauper, An potius ambo Deo diuites, ambo cupiditate pauperes? Luca 16

Ibidem.

Hoc intendite ne passim diuites reprehen- *Nec de paupertate præsumendum.*
datis, & rursus ne de paupertate & egestate præsumatis. Si enim non est præsumendum de diuitiis, quantò magis non est præsumendum de paupertate, sed de Deo viuo?

In Psalmum CI.

Vnde enim homines sunt diuites? Puto au- *Tria genera diuitiarum.*
ro, argento, familia, terra: sed omnia per ipsum facta sunt. Quid ergo illo ditius, per quem facta sunt diuitiæ, illæ etiam quæ non sunt veræ diuitiæ? Per illum enim & illæ diuitiæ, ingenium, memoria, mores, vita, ipsius corporis sanitas, sensus, confirmatióque membrorum. Et enim quum hæc salua sunt, & pauperes diuites sunt. Per illum & illæ maiores diuitiæ fides, Rom.xv.4
pietas, iustitia, charitas, castitas, mores boni. Nemo enim & has habet, nisi per eum qui iustificat impium. Ecce quàm diues, &c.

De

De doctrina Christiana.

Pecunia vnde dicatur. Pecunia ideo pecunia vocata, quia antiqui habebant in pecoribus quod habebant.

De orando ad Probam.

Sufficientiã vitæ non indecenter vult, quisquis eam vult, nec amplius vult: quæ quidẽ nõ appetitur propter seipsam, sed propter salutem corporis, & congruentẽ habitum personæ hominis, quo habitu nõ sit inconueniens eis cum quibus honestè officioséque viuẽdum est, degat. Ista ergo cùm habẽtur, vt teneantur, cùm autẽ non habentur, vt habeãtur orandum est.

DE FAMA BONA CVranda.

Libro de bono viduitatis.

Fama bona tenenda quomodo amittatur. Non sunt audiendi siue viri sancti, siue fœminæ, qui quando reprehenduntur in aliqua negligentia, per quam fit, vt in malam veniant suspicionem, vnde vitam suam longè abesse sciunt, dicũt coram Deo sufficere sibi cõscientiam: æstimationem hominum non solùm imprudenter, verumetiam crudeliter contemnentes, quum occidant animas aliorum, siue blasphemantium viam Dei, quibus secundũ suam suspicionẽ, quasi turpis, quæ casta est displicet vita Sãctorum, vel etiam cum accusatione imitantiũ, non quod vidẽt, sed quod putãt. Proinde quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit. Quisquis autem etiam famam, & in aliis est misericors. Nobis enim necessaria est vita nostra, aliis fama nostra, &c.

De doctrina Christiana.

Sic doctor bonã eligat vitam, vt etiam bonam non negligat famam.

DE IVDICIO TEMERARIO.

Libro de sermone Domini in monte.

Qui temerè diuinare iudicantur. Ii maximè temerè iudicant qui de meritis aliorum facilè reprehendunt, qui magis amant vituperare & damnare, quàm emẽdare & corrigere: quod vitiũ vel superbiæ est vel inuidiæ.

Eodem libro.

Temerarium iudicium plerunque nihil nocet ei de quo temerè iudicatur. Ei autẽ qui temerè iudicat, ipsa temeritas necesse est vt noceat.

Contra Manichæos.

Matth. 6 Dubia facta meliorẽ partẽ interpretanda. Nolite iudicare. Hoc loco nihil aliud nobis præcipitur, nisi vt ea facta, de quibus dubiũ est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est, A fructib⁹ eorum cognoscetis eos: de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri. Sunt quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, quia in malo & bono fieri possunt, de quibus temerarium iudicare, vt condemnemus cauere debemus.

In libro de pastoribus.

Temerariis iudiciis plena sunt omnia. De quo desperamus, subitò conuertitur, & fit optimus. De quo multum præsumpseramus, deficit, & fit pessimus. Nec timor noster certus est, nec amor. Quid sit hodie quisque homo, vix nouit ipse homo. Tamen vtcunque ipse quid hodie: quid autem cras, nec ipse.

Temerariis iudiciis plena omnia.

DE LIBERALITATE ET hospitalitate.

Contra quinque hæreses.

Sine differentia exhibenda hospitalitas. Disce Christiane sine discretione exhibere hospitalitatẽ, ne fortè cui domum clauseris, cui humanitatem negaueris, ipse sit Christus.

Eodem libro.

Genes. 18 Obsequutus Loth Angelis tanquam peregrinis, cõsuetudine liberalitatis, liberat⁹ à periculo ciuitatis, & temporale euasit incẽdium, & æternum consequutus est premium.

De verbis Apostoli.

Quis humanus dicatur. Ille homo dicitur esse humanus, qui se exhibet esse hominem, & maximè hospitio suscipit hominem.

In Euangelium Ioannis.

Donare res suas histrionibus, vitium est immane, non virtus: & scitis de talibus quàm sit frequens fama cum laude, quia laudatur peccator in desyderiis animæ suæ, & quòd iniqua gerit, benedicitur.

De sermone Domini in monte.

Dandum est quod nec tibi nec alteri noceat, & quum negaueris quod petit, iudicanda est iustitia, & non eum inanem dimittas: & aliquando melius aliquid dabis, etiam quum iniustè petentem correxeris.

DE TENTATIONE.

Ad Consentium, CXIVI.

1 Thessal. 3 Scriptum est, Ne fortè tentauerit vos qui tẽtat, & inanis sit labor noster: atque hic intelligitur diabolus, tanquam Deus omnino non tentet, de quo alio loco Scriptura dicit, Ipse autem neminem tẽtat. Nec contraria est ista sententia ei qua dicitur, Tentat vos Dominus Deus vester. Sed soluitur quæstio, quum vocabulum tentationis diuersas intelligentias habeat, eò quòd alia sit tentatio deceptionis, alia tentatio probationis. Secundum illam non intelligitur qui tentat nisi diabolus, secundum hanc verò tentat Deus.

Iacobi 1 Deut. 13 Deus quomodo non tentare hominẽ dicatur.

In Psalmum V.

Deuter. 13 Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si diligitis eum, quid est, nisi vt vos per illũ sciatis, & vobismetipsis manifestetur, quantum in eius amore profeceritis?

In Psalmum XXXVI, Concione I.

Genes. 22 Dictum est Abrahæ, Nunc cognoui quòd timeas Deũ. Hoc Deus nouerat, & ante illam

probationem. Nam illa probatio ideo facta est, vt nos nossemus quod Deus iam nouerat, & propter nos docendos cõscriberetur, quod ante documentum ille nouerat: & fortasse & ipse Abraham nondum nouerat, quas vires haberet fides eius. Vnusquisque enim se tentatione tanquam interrogatus agnoscit, sicut Petrus quas vires haberet fides eius vtique nesciebat, quãdo dixit Domino, Tecum paratus sum vsque ad mortem. Dominus autem qui nouerat eum, prædixit vbi deficeret, prænũtians illi infirmitatem eius, tanquam tacta vena cordis eius. Proinde Petrus, qui ante tẽtationem prẽsumpsit de se, in tentatione didicit se. Sic ergo non absurdè sentimus & patrem nostrum Abraham cognouisse vires fidei suæ, vbi iussus immolare vnicum filium suum, non dubitauit nec trepidauit ei offerre qui dederat: quia quẽadmodum nesciuit vnde daturus erat nondum natum, sic credidit posse reparare immolatum. Dixit ergo Deus, Nunc cognoui: quod intelligimus, Nunc cognoscere te feci.

Tentatione vnusquisque se tanquã interrogatus agnoscit. Lucæ 22

Genes. 22

In Psalmum XLII.

Quis enim pertinens ad Christum, non variis tentationibus agitatur, & quotidie agit cũ illo diabolus & angeli eius, vt peruertatur qualibet cupiditate, qualibet suggestione, aut promissione lucri, vel terrore damni, vel promissione vitæ, vel terrore mortis, aut alicuius potẽtis inimicitiis, aut alicuius potentis amicitiis? Omnibus modis instat diabolus quemadmodum deiiciat. Et in persecutionibus viuimus, & habemus perpetuos inimicos, diabolum & angelos eius. Sed nõ timeamus. Sic sunt diabolus & angeli eius quasi milui: sub illius gallinæ alis sumus, & non nos potest contingere. Gallina enim quæ nos protegit, fortis est.

Diabolus instat vt nos dẽtineat.

In Psalmum CXLIIII.

Si enim nunquam tentaris, nunquam probaris. Nonne melius est tentari & probari, quã non tentatum reprobari? &c.

In Psalmum XII.

Tantum admittitur diabolus tentare, quantum tibi prodest vt exercearis, vt proberis, vt quia te nesciebas, à teipso inueniaris.

In Psalmum XL.

Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine peccato, sine tẽtatione: quia profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisquam innotescit nisi tentatus, nec potest coronari nisi vicerit, nec potest vincere nisi certauerit, nec potest certare, nisi inimicum & tentationes habuerit.

Vita humana sine tentatione non est.

De verbis Domini, Sermon. VI.

Bonus si fuerit qui tibi prẽest, nutritor tuus est: malus si fuerit, tẽtator tuus est. Et nutrimẽta libenter accipe, & in tentatione approba te.

DE IGNORANTIA.

In libro de natura & gratia.

Non tibi reputabitur ad culp
uitus ignoras.

Item alio loco.

Nõ omnis ignorãs immunis
le enim ignorãs potest excusari à
quod discere tnõ inuenit. Illis ign
rit, q à quo discerẽt habẽtes, oper

Libro de adulterinis coniug

Non rectè dici potest, Si nesci
peccat: sunt enim peccata ignoran
minora quàm scientium.

Ad Sixtum Romanum presbyt

Epistola CV.

Humana superbia tanquam præ
viribus liberi arbitrii, excusatam se p
do ignorãtiæ non volũtatis videtur
peccat. Secundum hanc excusationem
sabiles dicit Scriptura diuina, quoscu
entes peccare conuincit. Dei tamen iu
dicium nec illis parcit, qui non audier
cunque enim sine lege peccauerũt, sine
ribunt. Et quanuis seipsos excusare v
non admittit hanc excusationem, qui
ciisse hominem rectum, eique dedisse o
tiæ præceptum, nec nisi eius, quo malè v
libero voluntatis arbitrio, etiam quod
ret in posteros, manasse peccatum. Neq
nim damnantur qui non peccauerunt: quã
quidem illud ex vno in omnes pertransiit,
quo ante propria in singulis quibusque pecca
ta, omnes communiter peccauerunt. Ac per
hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu
originis, vel additamento etiam propriæ volũ
tatis, siue qui nouit, siue qui ignorat, siue qui
iudicat, siue qui non iudicat: quia & ipsa ignorantia, in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est. In eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in vtrisque nõ est iusta excusatio, sed iusta damnatio.

Ignorãtia pœna peccati.

DE VARIIS SVPERSTITIOSORUM NOMINIBUS.

Libro de natura dæmonum.

Incantatores dicuntur, qui artem verbis peragunt. Arioli, qui circa aras idolorum preces nefarias emittunt, & funesta sacrificia offerunt. Haruspices dicuntur horarum inspectores: dies enim & horas in agendis negotiis & operibus custodiunt, extáque pecudum inspiciũt. Augures verò sunt, qui volatus auium & voces intendunt: dicitur enim augurium, quasi auigerium, quod aues gerunt. Pythonissæ à Pythone, id est, Apolline dictæ, quæ dicunt se habere spiritum, per quem possunt futura prædicere. Genesiani, qui geneses, id est, natiuitates hominũ p duodecim signa cæli describũt, ac per hoc mortes, actũs, euẽtus prędicere conãtur. Salitores, q dũ eis mẽbrorum quęcunq; partes offenderint, aliquid malè prosperum sibi siue triste significari præsumunt. Sortilegi verò communi nomine à sorte dicuntur.

Incantatores. Arioli. Haruspices.

De

DE MIRACVLIS.

Libro XXII. de ciuitate Dei, Cap. VIII.

Miracula etiã vbi fiunt, nõ ab hominibus fiũt

Miracula leguntur in populis vt credantur, nec in populis tamen nisi credita legerentur. Hæc autem vbicunque fiunt ibi sciuntur, vix à tota ipsa ciuitate, vel à quocunque cõmanentium in loco. Nam plerunque fiunt ignorantibus cæteris, maximè si magna sit ciuitas. Et quãdo alibi aliísque narrantur, nõ tanta ea commendat auctoritas, vt sine difficultate vel dubitatione credantur, quanuis Christianis fidelibus à fidelibus indicentur.

Libro LXXXIII. quæstionum.

Aliter Magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali. Magi per priuatos contractu cum dæmonibus: boni Christiani per publicam iustitiam: mali Christiani per signa publicæ iustitiæ.

Eodem libro.

Ideo non omnibus Sanctis ista miracula attribuuntur, ne pernicioſissimo errore decipiãtur infirmi, ęstimantes in talibus factis esse maiora bona, quàm in operibus iustitiæ, quibus vita æterna comparatur.

DE ECSTASI.

In Psalmum XXX. Concione prima.

Verbũ est ecstasis Græcum, Latinè, quantum datur intelligi, verbo vno exponi potest, si dicatur excessus. Excessus autem mẽtis propriè solet ecstasis dici. In excessu verò mentis duo intelliguntur, aut pauor, aut intentio ad superna, ita vt quodammodo de memoria labantur inferna. In hac ecstasi fuerunt omnes Sancti, quibus arcana Dei, mundum istum excedentia, reuelata sunt. De hoc mentis excessu, id est, ecstasi Paulus cùm loqueretur, seipsum insinuãs, ait, Siue enim mẽte excesimus, Deo, siue tẽperãtes sum⁹, vobis: charitas enim Christi compellit nos: hoc est, si ea tãtùm agere vellemus, & ea tantùm contẽplari, quæ mentis excessu intuemur, vobiscum non essemus, sed essemus in supernis tanquam contemptis vobis. Et quãdo nos ad illa superiora & interiora infirmo passu sequeremini, nisi rursus compellẽte nos charitate Christi, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, vt consyderemus nos esse seruos, & non ingrati ei, à quo accepimus altiora, propter eos qui infirmi sunt non contemnamus inferiora, & temperemur: nescitis quia nõ possunt nobiscum videre sublimia? Hoc ergo ait, Siue mente excesimus Deo. Ille enim videt quod nos videmus in mẽtis excessu, ille solus reuelat secreta sua. Quippe ille hoc loquitur, qui se dicit raptum esse, & ablatum in tertium cælum, & audiuisse ineffabilia verba, quę non licet homini loqui. Tantus autem fuit ille mẽtis excessus, vt diceret, Siue in corpore, siue extra corp⁹, nescio, Deus scit. Ergo si hũc excessum mẽtis, id est, hãc ecstasim, significat titulus Psalmi huius, magna profectò & alta quædam sperare debemus dicturum eum qui condidit Psalmum, id est, Prophetam: imò verò per Prophetam Spiritum sanctum. Si verò hęc ecstasis pauor intelligendus est, neque huic significationi verbi deerit huius Psalmi contextus.

Sanctorum ecstasis.

Philipp. 2

2. Corinth. 12.

DE ADVERSITATIBUS & tribulationibus.

Libro II. de verbis Domini.

Nemo frangitur aduersorum molestia, qui prosperorum delectatione non capitur.

De verbis Domini, Sermon. XXVIII.

Quare felicitatibus Deus amaritudines misceat.

Ideo Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, alia vt quæratur felicitas, cuius dulcedo non est fallax.

In sermone ad Lippium.

Vita Christi plurimis vexata angustijs.

Noli admirari, frater, si postquam Christianus effect⁹ es, mille te vndiq; tribulationes vexant. Quoniam Christus nostræ religionis caput est, nósque eius membra sumus. Debemus ergo non solùm eum, sed eius vitam cumulatissimè sequi. Vita enim Christi respersa est angustiis plurimis, summa paupertate circũdata. A Scribis & Pharisæis derisus, tãdem ꝓpter nos peccatores morti turpissimæ traditus est. Vnde coniectura est, quum te Deus immensis persequutionibus corripit, te in electorum suorum numero ordinasse. Nam sine huiusmodi tribulationibus nequaquam ad Deum peruenire possumus. Omnes enim qui ad paradisum redire desyderant, oportet transire per ignem & aquam, siue fuerit Petrus Apostolus, cui datæ sunt claues regni cælorum, siue Paulus vas electionis, siue Ioannes, cui reuelata sunt secreta cælestia: necesse est vt omnes dicant, Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.

Matth. 19
Actorum 9
Ioannis 13
Actorum 20

Ad Felicitatem & Rusticum, Epistola LXXXVII.

Tribulatio Dei est beneficium.

Quid ergo non misericorditer præstatur hominibus à Domino Deo, à quo etiam tribulatio beneficium est? Nam res prospera donum est consolantis: res autem aduersa donum est admonentis Dei. Et si hæc præstat, vt dixi, etiã malis, quid præparat sustinẽtibus se? Quorum in numero vos per illius gratiam congregatos gaudete, sustinentes inuicem in dilectione, studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Non enim deerit quod in vobis inuicem sufferatis, nisi quum vos ita portauerit Dominus absorpta morte in victoriam, vt sit Deus omnia in omnibus.

Ephes. 4

1. Corinth. 15

Ad Victorinum, Epistola CXXII.

Vides etiam isti quàm humiliter & veraciter sapiant, qui pro peccatis suis se flagellari à Domino confitentur. De quo scriptum est, Quem enim diligit Dominus corripit: flagellat autẽ omnem filium quẽ recipit. Vnde &

1.Corinth.11 Apostolus, Si enim nosmetipsos,inquit,iudicaremus, à Domino vtique non iudicaremur. Quum iudicamur autem, à Domino corripimur,ne cum hoc mundo damnemur.

In Psalmum XXXIII.Serm.II.

Multæ tribulationes iustorum. Nunquid dicit, Ideo sint Christiani iusti: ideo audiant verbum meum,vt nihil tribulationis patiãtur? Nõ hoc promittit,sed dicit, Multæ tribulationes iustorum. Magis si iniusti sunt, pauciores habent tribulationes: si iusti, multas habent. Sed post paucas tribulationes aut nullas,illi venient ad tribulationem sempiternã,vnde nunquam eruentur. Iusti autem post multas tribulationes venient ad pacem sempiternam, vbi nunquam aliquid mali patientur.

Iusti multas habent tribulationes.

In Psalmum XLIX.

Nõ enim præsumere debes de viribus tuis: omnia auxilia tua mẽdacia sunt. Me inuoca in die tribulationis, eruam te, & glorificabis me. Ad hoc enim permisi diem tribulationis tibi fieri,quia fortè si nõ tribulareris, non inuocares me. Quum tribularis autem inuocas me, quum inuocas me, eximam te: quum eximam te,glorificabis me,vt iam non discedas à me.

In Psalmum LVII.

Nemo sibi dicat, Fuerunt tribulationes apud patres nostros,apud nos nõ sunt. Si putas te non habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus. Et vbi est vox Apostoli, Omnes qui volunt in Christo piè viuere, persecutionem patiuntur? Si ergo non pateris pro Christo vllam tribulationem,vide ne nondum cœperis in Christo piè viuere. Cùm autem cœperis in Christo piè viuere, ingressus es torcular,prępara te ad pressuras: sed noli esse aridus, ne de pressura nihil exeat.

Qui se nõdum dicit habere tribulationes, nõdum incœpit esse Christianus. 2.Timoth.3

In præfatione Psalmi LXXIIII.

Iob 7 Tota enim vita humana super terram,sicut scriptum est,tentatio est. Nec quasi prospera eligenda est,& sola aduersa deuitanda, sed vtraque cauẽda est: illa ne corrumpat, ista ne frangat,vt vnicuique hominum,in quocunque statu rerum in vita egerit, non sit refugium nisi Deus, nec vllum gaudium nisi in promissis eius. Vita enim hæc qualibet redundans felicitate multos fallit, Deus autem neminem.

DE CATECHIZANDIS rudibus.

Libro de catechizandis rudibus,Cap.III.

Cùm quisq; primò catechizatur,ab eo quod scriptum est, In principio fecit Deus cælum & terram, vsque ad præsentia tempora Ecclesiæ, narratio plena est:non tamen propterea debemus totum Pentateuchum,totósque Iudicum & Regnorum,& Esdręlibros,totúmque Euãgelium, & Actus Apostolorũ, vel si ad verbum edidicimus memoriter reddere, vel nostris verbis omnia, quæ his continentur voluminibus, narrãdo euoluere & explicare: quod nec tempus capit,nec vlla necessitas postulat: sed cũcta summatim generatímque complecti,ita vt eligãtur quędã mirabiliora,quæ suauius audiuntur, atque in ipsis articulis cõstituta sunt, & ea tanquam inuolucris ostẽdere,statímque à conspectu abripere nõ oportet: sed aliquãtum immorãdo,quasi resoluere atque expãdere,& inspicienda atque mirãda offerre animis auditorum. Cætera verò celeri percursione inserẽdo contexere. ita & illa quæ maximè commendari volumus, aliorum submissione magis eminẽt. Nec ad ea fatigatus peruenit,quẽ narrando volumus excitare,nec illius memoria cõfunditur, quẽ docendo debemus instruere. Quapropter omnia quę antè scripta sunt,vt nos doceremur scripta sunt, & figuræ nostræ fuerunt, & in figura contingebant illis. Scripta sunt autẽ propter nos,in quos finis seculorum obuenit

Genes 1

Rudis quomodo ex veteri Testamento imbuendus.

Roman.15

1.Corinth.10

Eodem libro,Cap.IIII.

Quæ autem maior causa est aduentus Domini, nisi vt ostẽderet Deus dilectionem suam in nobis, commendans eam vehementer, quia cùm adhuc inimici essem⁹, Christus pro nobis mortuus est? Hoc autem ideo,quia finis pręcepti & plenitudo Legis charitas est,vt & nos inuicem diligamus: & quemadmodum ille pro nobis animam suam posuit, sic & nos pro fratribus animã ponamus. Et ipsum Deum, quoniam prior dilexit nos, & Filio suo vnico non pepercit,sed pro nobis omnibus tradidit eum, si amare pigebat, saltem redamare non pigeat. Nulla est enim maior ad amorem inuitatio, quàm præuenire amando. Et nimis durus est animus, qui dilectionem, & si nolebat impendere,nolit & repẽdere. Hac ergo dilectione tibi tanquã fine proposito, quò referas omnia quæ dicis, quidquid narras ita narra, vt ille cui loqueris audiendo credat, credendo speret,sperando amet.

Roman.5 1.Timoth.1 1.Ioannis 3 1.Ioannis 4 Roman.8

Cap.VII.

Narratione finita,spes resurrectionis intimanda est,& pro capacitate ac viribus audientis, próque ipsius temporis modulo aduersus vanas irrisiones infidelium,de corporis resurrectione tractãdum,& futuri vltimi iudicii bonitate in bonos, seueritate in malos, veritate in omnes, cõmemoratísque cum detestatione & horrore pœnis impiorum, regnum iustorum atque fidelium, & superna illa ciuitas, eiúsq; gaudium,cum desyderio prædicandũ est. Tum verò instruenda & animanda est infirmitas hominis aduersus tentationes & scandala, siue foris siue intus in ipsa Ecclesia. Foris aduersus Gentiles & Iudæos,vel hæreticos,intus autẽ aduersus areæ Dominicæ paleas. Non vt cõtra singula peruersorum genera disputetur, omnésque illorum prauę opiniones propositis quæstionibus refellantur: sed pro tempore breui demonstrandum est ita esse prædictum, & quæ sit vtilitas tentationum erudiendis fidelibus

Rudibus post resurrectionem intimanda.

delibus,& quæ medicina in exemplo patientiæ Dei,qui statuit vsque in finem ista permittere.

Post pauca ibidem.

Catechizãdus sedulò admonẽdus, ne spem in homine ponat.

Ad extremum etiam instruendus, ne spes eius in homine ponatur sedulò monendus est: quia neque facilè ab homine iudicari potest, quis homo sit iustus. Et si facilè posset, non ideo nobis proponi exempla iustorum, vt ab eis iustificemur,sed vt eos imitantes, ab eorum Iustificatore nos quoque iustificari sciamus.

Cap.VIII.

Docti ad fidẽ venientes,quomodo instruẽdi

Sed illud planè non prætereundum est,vt si ad te quisquam catechizandus venerit liberalibus doctrinis excultus,qui iam decreuerit esse Christianus, & ideo venerit vt fiat : difficillimum omnino est,vt non multa nostrarũ Scripturarũ literarúmque cognouerit,quibus iam instructus ad sacramentorum participationem tantummodo venerit. Tales enim non eadem hora Christiani fiunt, sed antè solent omnia diligenter inquirere, & motus animi sui cum quibus possunt communicare atque discutere. Cum his itaque breuiter agẽdum est, & non odiosè inculcãdo quæ norunt, sed modestè perstringẽdo:ita vt dicam⁹ nos credere, quòd iam nouerint illud atque illud:atq; hoc modo cursim enumerare omnia,quæ rudib⁹ indoctísque inculcanda sunt, vt & si quid nouit eruditus iste, non tanquam à doctore audiat, & si quid fortè adhuc ignorat, dum ea commemoramus, quæ illum nosse iam credimus, discat. Cætera verò secundum regulas doctrinæ salutaris,siue de fide quæcũque narranda vel differẽda sunt, siue de moribus, siue de tentationibus, eo modo percurrendo quo dixi, ad illam supereminentiorem viam omnia referenda sunt.

Cap.IX.

Rhetores & oratores admonẽdi,ne simplicitate vrideant Ecclesiasticam

Sunt item quidam de scholis vsitatissimis Grãmaticorum Oratorúmque veniẽtes,quos neque inter idiotas numerare audeas, neq; inter illos doctissimos,quorum mens magnarum rerũ est exercitata quæstionibus. His ergo qui loquendi arte cæteris hominibus excellere videntur,quum veniunt vt Christiani fiant, hoc amplius quàm illis illiteratis impartire debemus, quòd sedulò monendi sunt,vt humilitate induti Christiana, discant non contemnere, quos cognouerint morum vitia quàm verborum amplius deuitare, & cordi casto linguam exercitatam nec conferre audeant,quam etiam præferre consueuerant.Maximè autem isti docendi sunt Scripturas audire diuinas, ne fordeat eis solidum eloquium, quia non est inflatum : neque arbitrentur carnalibus integumẽtis inuoluta atque operta dicta vel facta hominum,quæ in illis libris leguntur,non euoluẽda atq; aperiẽda vt intelligãtur,sed sic accipienda vt literæ sonãt, déq; ipsa vtilitate secreti, vnde etiã mysteria vocãtur, quid valeant ænigmatũ latebræ,ad amorem veritatis acuendum discutiendúmque fastidii torporem, ipsa experientia probandum est talibus, quum aliquid eis, quod in promptu positum non ita mouebat,enodatione allegoriç alicuius eruitur.His enim maximè vtile est nosse, ita esse præponendas verbis sententias, vt præponitur animus corpori. Ex quo fit,vt ita malle debeant veriores quàm disertiores audire sermones, sicut malle debent prudentiores quàm formosiores habere amicos. Nouerint etiam non esse vocem ad aures Dei,nisi animi affectum. Ita enim non irridebunt,si aliquos antistites & ministros Ecclesiæ fortè animaduerterit, vel cum barbarismis & solœcismis Deum inuocare, vel eadem verba quç pronuntiantur non intelligere,perturbateque distinguere. Non quia ista minimè corrigenda sunt,vt populus ad id quod planè intelligit, dicat Amen : sed tamen piè toleranda sunt ab eis qui didicerunt, vt sono in foro, sic voto in Ecclesia benedici. Itaque forensis illa nõnunquam fortè bona dictio,nunquam tamen benedictio dici potest. De sacramento autem quod accepturi sunt,sufficit prudentioribus audire quid res illa significet,cum tardioribus autem aliquantò pluribus verbis & similitudinibus agendum est, ne contemnãt quod vident.

Eodem libro,Cap.XII.

Iam verò si vsitata & paruulis congruentia sæpe repetere fastidimus, congruamus eis per fraternum,paternum,maternúmque amorem,& copulatis cordi eorum etiam nobis noua videbuntur. Tantum enim valet animi cõpatientis affectus,vt cùm illi afficiuntur nobis loquẽtibus, & nos illis discentibus,habitemus in inuicẽ,atque ita & illi quæ audiunt,quasi loquantur in nobis, & nos in illis discamus quodammodo quæ docemus.

Cap.XIII.

Quòd si catechizãdus nimis tardus est,& ab omni tali suauitate absurdus & auersus,misericorditer sufferendus est, breuitérque decursis cęteris,ea quæ maximè necessaria sũt,de vnitate Catholicę,de tẽtationib⁹,de Christiana conuersatione,propter futurum iudicium terribiliter inculcãda sunt,magísque pro illo ad Deũ, quàm de Deo illi multa dicenda.

Cap.XV.

Quòd modus no idem sit instruendis omnibus.

Sed quia de rudibus imbuendis nunc agimus,de meipso tibi testis sum, aliter atq; aliter me moueri, cùm ante me catechizãdum video eruditum,inertem,ciuem,peregrinum,diuitẽ, pauperẽ,priuatũ,honoratũ,illius aut illius gẽtis hominem, illius aut illius ætatis aut sexus, ex illa aut illa secta,ex illo aut illo vulgari errore venientem, ac pro diuersitate motus mei, sermo ipse & procedit & progreditur & finitur.Et quia cùm eadẽ omnibus debeatur charitas, non eadem est omnibus adhibenda medicina:ipsa item charitas alios parturit,cum aliis infirmatur, alios curat ædificare,alios contremiscit offendere, ad alios se inclinat, ad a-

lios se erigit, aliis blanda, aliis seuera, nulli inimica, omnibus mater.

Cap. XIX.

Item docēdus ad fidem veniens, Sanctorum qui prēcesserunt tēpore natiuitatem Domini, non solùm sermonē, sed etiam vitā & coniugia & filios & facta, Prophetiā fuisse huius temporis, quo per fidem passionis Christi ex gētibus cōgregatur Ecclesia. Per illos sanctos Patriarchas & Prophetas carnali populo Israel, qui postea etiam Iudæi appellati sunt, & visibiliter beneficia ministrabantur, quæ carnaliter à Domino desyderabant, & coercitiones pœnarum corporalium, quibus pro tempore terrerētur, sicut eorum duritiæ congruebat. Et in his tamen omnibus mysteria spiritalia significabantur, quæ ad Christum & Ecclesiam pertinerēt: cuius Ecclesiæ membra erant etiam illi Sancti, quamuis in hac vita fuerint antequam secundum carnem Christus Dominus naſceretur.

Cap. XXVI.

Deinde monendus est, vt si quid etiam in Scripturis audiat, quod carnaliter sonet, etiam si non intelligit, credat tamen spiritale aliquid significari, quod ad sanctos mores futuramque vitā pertineat. Hoc autem breuiter discet, vt quidquid audierit ex libris Canonicis, quod ad dilectionem æternitatis & veritatis & sanctitatis, & ad dilectionem proximi referre non possit, figuratè dictū vel gestum esse credat, atque ita conetur intelligere, vt ad illam geminā referat dilectionem. Ita sanè vt proximum non carnaliter intelligat, sed omnem qui cum eo in illa sancta ciuitate potest esse, siue iam, siue nōdum appareat. Et vt de nullius hominis correctione desperet, quem patientia Dei videt viuere, non ob aliud, sicut Apostolus ait, nisi vt adducatur ad pœnitentiam.

De nullius hominis correctione desperandū.

DE VIRTVTIBVS IN genere.

Libro LXXXIII. quæstionum, quæstion. XXXI.

Virtus est animi habitus, naturæ modo atq; rationi consentaneus. Quare omnibus partibus eius cognitis, tota vis erit simplicis honestatis cōsyderata. Habes igitur partes quatuor, prudentiā, iustitiā, fortitudinem, tēperantiam.

Verba Ciceronis libro 2. offic. citantis.

Libro XXI. Vnius sententiarum, Sentent. XIX.

Tria sunt genera virtutum. Primæ ciuiles politicorū. Secundæ purgatorię, quibus exuitur anima vitiis. Tertiæ exemplares, quæ iam contemplanti menti imprimuntur à Deo, vbi totum viuit, vbi totum semper beatè viuit.

Tria genera virtutum.

Libro V. de ciuitate Dei, Cap. XII.

Via virtus est, qua nititur tanquam ad possessionis finem, id est, ad gloriam, honorem, imperium. Hoc insitum habuisse Romanos, etiā deorum apud illos ædes indicant, quas cōiunctissimas constituerūt virtutis & honoris, pro diis habentes, quæ dātur à Deo. Gloriam ergo & honorem & imperium, quæ sibi exoptabāt, & quō bonis artibus peruenire nitebantur boni, non debet sequi virtus, sed ipsa virtutem. Neque enim est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, vbi est bonum hominis, quo melius non est. Vnde & honores quos petiuit Cato, petere nō debuit: sed eos ciuitas ob eius virtutem non petēti dare. Sed cùm illa memoria duo Romani essent virtute magni, Cæsar & Cato, lōgè virtus Catonis virtuti videtur propinquior fuisse quàm Cæsaris.

Libro XIX. Cap. XXV.

Virtutes, quas sibi habere videtur quis, p quas imperat corpori & vitiis ad quodlibet adipiscēdum & tenēdū, nisi ad Deū retulerit, etiā ipsę vitia sūt potiꝰ quàm virtutes. Nā licet à quibusdā tūc verę & honestę putētur esse virtutes, cùm ad seipsas referūtur, nec ꝓpter aliud expetūtur: etiam tunc inflatæ ac superbæ sunt: & ideo non virtutes, sed vitia iudicanda sunt.

Virtutes nisi ad Deum referantur, vitia sunt.

Libro IIII. contra Iulianum Pelagianum, Cap. III.

Absit autem vt virtutes verè cuiquam seruiant, nisi illi vel propter illū cui dicimus, Deꝰ virtutum conuerte nos. Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibꝰ, vel quibusq; cōmodis & emolumētis temporalibus seruiunt, veræ ꝓrsus esse nō possūt. Quę autē nulli rei seruire volūt, nec ipsæ verę sunt. Verę quippe virtutes Deo seruiūt in hominibꝰ, à quo donātur hominibꝰ. Deo seruiunt in Angelis, à quo donantur & Angelis. Quidquid autē boni fit ab homine, & nō propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia prēcipit, & si officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.

Psalm. 79

DE FIDE.

In Enchiridio ad Laurentium, Cap. V.

Certum propriúmque fidei Catholicæ fundamentum, Christus. Fundamentū enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.

Fidei fundamentum Christus esse est.

In Euangelium Ioannis, Tractatu XXVI.

Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accipere potest sacramentum nolens, credere non potest nisi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus: sed non corpore creditur ad iustitiam. Apostolum audi dicentem, Corde creditur ad iustitiam. Et quid sequitur? Ore autem fit confessio ad salutem. De radice cordis surgit ista confessio.

Credere nemo potest nisi volēs

Roman. 10

Libro XIII. de Trinitate, Cap. II.

Aliud sunt ea quæ creduntur, aliud fides qua creduntur. Illa quippe in rebus sunt quæ vel esse, vel fuisse, vel futura esse dicūtur. Hæc autem in animo credentis est, ei tantum conspicua cuius est, quantus sit & in aliis, non ipsa, sed similis. Non enim numero est vna, sed genere: propter similitudinem tamen & nullam

Fides in animo credentis est.

nullam aduersitatem magis vnam dicimus esse quàm multas.

Libro XIIII. Cap. XX.

Necessaria est ergo fides, vt beatitudinem consequãtur omnibus humanæ naturæ bonis, id est, & animi & corporis. Hanc autem fidem
Roman. 6 in Christo esse definitam, qui in carne resurrexit à mortuis, non moriturus vlterius, nec nisi per illum quenquam liberari à diaboli domi natu per remissionem peccatorum.

Sub fine eiusdem capitis.

Abacuc 2 Galat. 5 Iustus ex fide viuit, quæ fides per dilectionem operatur, ita vt virtutes quoque ipsę, quibus prudenter, fortiter, temperanter, iustéque viuitur, omnes ad eandem referantur fidē. Nō enim aliter poterunt verè esse virtutes, quæ tamen in hac vita non valent tantum, vt aliquando non sit hîc necessaria qualũcunque remissio peccatorũ, quę non fit nisi per eum, qui sanguine suo vicit principem peccatorum, &c.

Vide suprà De fide & operibus.

DE SPE.

Libro XV. de ciuitate Dei, Cap. XVIII

Spe viuit homo In spe igitur viuit homo filiꝰ resurrectionis. In spe viuit quandiu peregrinatur hîc ciuitas Dei, quę gignitur ex fide resurrectionis Christi

In Euangelium Ioannis, Tract. XXXIII.

Spe aliqui periclitantur. Exvtroque igitur homines periclitantur, & sperando & desperando, contrariis rebus, contrariis affectionibus. Sperãdo quis decipitur? Qui dicit, Bonus est Deus, misericors est Deus, faciã quod mihi placet, quod libet, laxẽ habenas cupiditatibus meis, impleam desyderia animæ meæ. Quare hoc? Quia misericors est Deus, bonus est Deus, mansuetus est Deus, Spe isti periclitantur.

In Enchiridio ad Laurentium, Cap. VIII.

Sperari nō potest, quod non creditur Quid autem sperari potest quod non creditur? Porrò etiam aliquid quod non speratur, credi potest. Quis nanque fidelium pœnas non credit impiorũ, nec sperat tamen? Et quisquis eas imminere sibi credit, ac fugaci animi motu exhorret, rectius timere dicitur quàm
Lucanus. sperare. Quæ duo Lucanus distinguens, ita complexus ait, Liceat sperare timenti. Non autem ab alio Poeta, quanuis meliore, propriè
Virgilius. dictum est, Hunc ego si potui tantum sperare dolorem. Est itaque fides & malarum rerum & bonarum, quia & bona creduntur & mala, & hoc fide bona, non mala. Est etiam fides præteritarum rerum, præsentium & futurarum. Spes
Spes nonnisi bonarum rerũ est autem nonnisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibetur. De illa enim Apostolꝰ ait. Spes quę videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Quum ergo bona bonis futura esse credũtur, nihil aliud quàm sperantur.

De catechizandis rudibus, Cap. XVI.

In verbo Domini collocanda spes nostra Qui veram requiem & veram felicitatem desyderat, debet tollere spem suam de rebus mortalibus & prætereuntibus, & eam collocare in verbo Domini, vt hærens ei quod manet in æternum, etiã cum illo maneat in æternum.

De orando Deo ad Probam, Cap. VIII.

Spes significatur in ouo, quia vita pulli nondum est, sed futura est: nec iam videtur, sed adhuc speratur.

In Psalmum LXII.

Spes Christianorum. Audite, & discite, & tenete quæ sit spes Christianorum. Quare sumus Christiani? Nō enim ad hoc sumus Christiani, vt terrenam nobis felicitatem petamus, quam plerunque habent & latrones & scelerati. Ad aliam felicitatem nos sumus Christiani, quam tunc accipiemus, quum vita istius seculi tota transierit. Ergo promittitur nobis & carnis resurrectio, & talis resurrectio carnis nobis promittitur, vt caro quidem ista, quam modò portamus, resurgat in finem. Nec incredibile vobis videatur. Si enim Deus fecit nos, qui non eramus, magnum illi est reparare qui eramus?

In præfatione Psalmi CXXIII.

Spes nostra tã certa est, quasi iam res perfecta sit. Tribulatio nostra in præsenti seculo, spes verò nostra de futuro seculo: & nisi in tribulatione præsentis seculi, cõsoletur nos spes futuri seculi, perimus. Gaudiũ ergo nostrũ, fratres, nondũ est in re, sed iam in spe. Spes autẽ nostra tam certa est, quasi iam res perfecta sit. Neque enim timemus promittẽte veritate. Veritas enim nec falli potest, nec fallere. Bonũ est vt hæreamus illi, illa nos liberat: sed si manserimus in verbo eius. Modò enim credimus, tunc videbimus. Cùm credimus, spes est in isto seculo: cùm 1. Corinth. 13 videbimus, res erit in futuro seculo. Videbimus autem eum facie ad faciem.

DE CHARITATE.

Libro X. de ciuitate Dei, Cap. V.

Quæcunque in ministerio tabernaculi siue templi, multis modis de sacrificiis leguntur diuinitus esse præcepta, ad dilectionem Dei & proximi significando referuntur. In his enim duobus præceptis, vt scriptum est, tota Lex pendet & Prophetæ.

Libro de fide & operibus, Cap. X.

Dilectio Dei sine proximi dilectione esse nã potest. Nolo pluribus immorari. Nam si diligẽter cõsyderatur, ista duo præcepta ita ex alterutro connexa reperiuntur, vt nec dilectio Dei possit esse in homine, si non diligit proximum, nec dilectio proximi, si non diligit Deum.

De vera religione, Cap. XLVI.

Sed nec ab homine vinci potest, q vitia sua vicerit. Non enim vincitur, nisi cùm ei eripitur ab aduersario quod amat. Qui ergo amat id solum quod amanti eripi non potest, ille indubitanter inuictus est, nec vltrà cruciabitur inuidia. Id enim diligit ad quod diligendum &

percipiendum quantò plures venerint, tãtò eis vberius gratulatur. Diligit enim Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & diligit proximum tanquam seipsum. Non ergo illi inuidet, vt sit quod ipse est. imò adiuuat etiam quantũ potest. Nec potest amittere proximum quem diligit, tanquã seipsum, quia neque in seipso ea diligit quæ oculis subiacent, aut vllis aliis sensibus corporeis. Ergo apud semetipsum habet quẽ diligit, tanquam seipsum. Ea autẽ est regula dilectionis, vt quæ sibi vult bona prouenire, & illi velit: & quæ accidere sibi mala non vult, & illi nolit. Hanc voluntatem erga omnes homines seruat. Nam erga neminem operandum est malum. Et dilectio proximi malum non operatur. Diligamus ergo vt præceptum est etiam inimicos nostros, si verè inuicti esse volumus.

Matth. 22

Tobiæ 4

Roman. 13

Matth. 5

De vera innocentia, Cap. CIIII.

De vera charitate.

Charitatem habens, quæ ex puro corde, & conscientia bona, & fide non ficta diligit Deũ, & proximum sicut seipsum. Amator enim Dei, amator est sui: & qui non diligit Deum, non diligit proximũ, quia non diligit seipsum. Pro hac autem dilectione patienter etiam mundi odia sunt toleranda: necesse est enim vt nos oderit, quos videt odisse quod diligit.

Libro XV. de Trinitate, Cap. XVIII.

Deus charitas est.

Dilectio igitur, quæ ex Deo est, & Deus est, propriè Spiritus sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas. Quocirca rectissimè Spiritus sanctus, cùm sit Deus, vocatur etiã donum Dei. Quod donum propriè quid nisi charitas intelligenda est, quæ perducit ad Deũ, & sine qua quodlibet aliud donum Dei non perducit ad eum?

Libro I. de Baptismo contra Donatistas, Cap. IX.

Videant quàm multa, & quàm magna nihil prosint, si vnum quidem defuerit: & videant quid sit ipsum vnum. Nec me in hoc audiant, sed Apostolum, Si linguis hominum, inquit, loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero Prophetiam, & secreta omnia sciuero, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Quid ergo eis prodest, si & linguam in sacris mysteriis habeant Angelicam, & Prophetiam quemadmodum Caiphas & Saul, vt aliquando prophetent, quos fuisse damnabiles sancta Scriptura testatur? Si sacramenta nõ tantùm sciant, sed & habeant, sicuti habuit Simon magus? Si fidem sicut dæmonia confessa sunt Christum? Neque enim non credebant, quum diceret, Quid nobis est & tibi Fili Dei? scimus qui sis. Si dispertiant ipsi etiam substãtiam suam pauperibus: sicut multi non solùm in Catholica, sed in diuersis hæresibus faciunt? Si aliqua ingruente persequutione tradant ad flammas nobiscum corpus suum pro fide, quã pariter confitentur: tamen quia separati hęc agunt, non sufferẽtes inuicem in dilectione, neque studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis: charitatem vtique non habendo, etiam cum illis omnibus, quæ nihil eis prosunt, ad æternam salutem peruenire non possunt.

1. Corinth. 13

Ioannis 11

1. Reg. 18

Actorum 8

Marci 1

Ephes. 4

Sine charitate nulli salutem

De sententia beati Iacobi Apostoli ad Hieronymum, Cap. VIII. libr. II.

Quid autem est pietas, nisi Dei cultus? Et vnde ille colitur, nisi charitate? Charitas igitur de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, magna & vera virtus est, quia ipsa est & finis præcepti. Meritò dicta est, Fortis sicut mors, siue quia nemo eam vincit sicut mortem, siue quia in hac vita vsque ad mortem est mensura charitatis, sicut Dominus ait, Maiorem hac charitatem nemo habet, quàm vt animam ponat pro amicis suis: siue potius quia sicut mors animam auellit à sensibus carnis, sic charitas à concupiscentiis carnalibus. Huic subseruit scientia quum est vtilis: nam sine illa inflat.

Charitate colitur Deus. 1. Timoth. 1

Cantic. 8

Ioannis 15

1. Corinth. 8

Libro eodem, Cap. X.

Et vt generaliter breuiterque complectar quam de virtute habeam rationẽ, quòd ad rectè viuendum attinet. Virtus est charitas, qua id quod diligendum est diligitur. Hæc in aliis maior, in aliis minor, in aliis nulla est. Plenissima verò, quæ iam non possit augeri, quandiu hîc homo viuit, est in nemine: quandiu autem augeri potest, profectò illud quod minus est quàm debet, ex vitio est. Ex quo vitio non est iustus in terra qui faciat bonum, & non peccet. Ex quo vitio non iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens, &c.

Charitati hic semper addi potest.

3. Reg. 8

Psalm. 142

Cap. XI.

Qui totam Legẽ seruauerit, si in vno offenderit, fit omnium reus, quia cõtra charitatẽ facit vnde tota Lex pẽdet. Reus itaq; fit omniũ, faciẽdo cõtra eam in qua pendent omnia, &c.

In Euangelium Ioannis, Tractatu XVII.

Semper omnino cogitate fratres, diligendum esse Deum & proximum. Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & proximũ tanquam teipsum. Hæc semper cogitãda, hæc meditanda, hæc retinẽda, hæc agenda, hæc implenda sunt. Dei dilectio prior est ordine præcipiendi. Proximi autem dilectio prior est ordine faciendi. Neque enim qui præciperet tibi dilectionem istã in duobus præceptis, prius tibi commẽdaret proximum, & postea Deum: sed prius Deum, postea proximum. Tu autem quia Deum nondum vides, diligendo proximum promereris quẽ videas, diligendo proximum purgas oculum ad videndum Deum, euidenter Ioanne dicente, Si fratrem quem vides non diligis, Deum quem non vides, quomodo diligere poteris?

Matth. 22.

Dei dilectio prior est ordine præcipiendi.

1. Ioannis 4

Tractatu LXV.

In

Ioan.13. In hoc cognoscent omnes, quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis adinuicem: tanquam diceret, Alia munera mea habent vobiscum etiam non mei, non solùm naturam, vitam, sensus, rationem, & eam salutem, quæ hominibus pecoribúsque communis est: verum-

1.Cor.13. etiam linguas, sacramenta, prophetiam, scientiam, fidem, distributionẽ rerum suarum pauperibus, & traditionem corporis vt ardeãt: sed quoniam charitatem non habent, vt cymbala concrepant: nihil sunt, nihil illis prodest. Non ergo in illis quãuis bonis muneribus meis, quæ habere possunt etiam non discipuli mei, sed in hoc cognoscẽt omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis adinuicem, &c.

De laudibus charitatis litera A.

Charitas mater omnium virtutum. Charitas causa est & mater omnium virtutum, quæ si desit frustra habentur cætera, si autem adsit, habentur omnia: omnia fiunt facilia charitate. Mãdatũ Dei nõ habet graue. Quomodo enim est graue, quum sit dilectionis mãdatum? Aut enim quis non diligit, & iam graue est, aut diligit, & graue esse non potest. Totam magnitudinem diuinorum eloquiorum, & latitudinem secura possidet charitas, qua Deum proximúmque diligimus. Si ergo non vacat omnes paginas sanctas perscrutari, omnia inuolucra sermonum euoluere, omnia Scripturarũ secreta penetrare: tene charitatem, ibi pendent omnia, ita tenebis quod ibi didicisti, tenebis etiam quod nondum didicisti.

Ibidem.

1.Tim.6. Sicut enim radix omnium malorum est cupiditas, ita & radix omniũ bonorũ est charitas.

Sermo. XXXIX. de tempore.

Vis charitatis Quapropter fratres sectamini charitatem, dulce ac salubre vinculum mentium, sine qua diues pauper est, & cum qua pauper diues est. Hæc in aduersitatibus tolerat, in prosperitatibus tẽperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in hospitalitate latissima, inter veros fratres lætissima, inter falsos patientissima. In Abel sacrificio grata, in Noe per diluuium secura, in Abrahæ peregrinationibus mansuetissima, in trib⁹ pueris iugulãdis ignes innocenter expectat, in Machabæis sæuos ignes fortiter tolerat. Casta in Susanna erga virum, in Anna post virum, in Maria præter virũ. Libera in Paulo ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in Christianis ad confitendum, Diuina in Christo ad ignoscendum, &c.

Gene.4. Gene.7. Gene.12. Dan.3. Matth.7. Dan.13. Luc.2.

DE PRVDENTIA.

Quæstionum LXXXIII. Quæst. XXXI.

Prudentia est rerum bonarum & malarum & neutrarum scientia. Partes eius, memoria, intelligentia, prouidentia. Memoria est per quam animus repetit illa quæ fuerunt. Intelligentia, per quã ea perspicit quæ sunt. Prouidẽtia, per quã futurum aliquid videturante quã factũ est.

Eodem libro, Quæst. LXV.

Prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita & pax: quia prudentia carnis inimica est in Deum. Anima nanque quum inferiora appetit, prudentiam carnis habere dicitur, quum superiora prudentiam spiritus: non quia prudentia carnis substantia est qua induitur anima vel exuitur, sed ipsius animæ affectio est, quæ omnino esse desinet, quum se totam ad superna cõuerterit. Qui autẽ in carne, inquit, sunt, Deo placere non possunt, id est, qui voluptatibus carnis acquiescunt.

Lib. XIX. de ciuitate Dei, Cap. IIII.

Prudentia discernit bona à malis. Quid illa virtus quæ prudentia dicitur? nõne tota vigilantia sua bona discernit à malis, vt in illis appetendis, istisque vitandis nullus error obrepat? Ac per hoc & ipsa nos in malis, vel mala in nobis esse testatur. Ipsa enim docet nos, malum esse ad peccandum consentire, bonúmque esse ad peccandum non consentire libidini. Illud tamen malum cui nos non consentire docet prudentia, facit temperantia. Nec prudtẽia nec temperantia tollit huic vitæ, &c.

Lib. II. contra Iulianum litera T.

Dicis in causa iudicãdi amoto strepitu turbarũ, de omni ordine cõuersationis hominum, siue sacerdotum, siue administrantiũ, siue præuaricatorum, ad discussionẽ talium rerum non sola nomina, sed eligendam esse prudentiam, & honorandam esse paucitatem, quam ratio, eruditio, libertásque sublimat, &c.

Quæstionum noui & veteris Testamenti, Quæst. C.

Quis Deo prudens sit. Hîc enim prudens Deo est, & salutis suæ memor, qui scientiæ suæ anteponit Dei legem, quã vtique videt nõ verborum strepitu fulciri, sed rerum virtutibus. Et sine dubio hic stultus & vanus est, qui huic rei se commendat: quæ nulla munitur prærogatiua signorum, &c.

Ad Eremitas in sermone de prudentia.

Prudentiæ fructus. Fratres charissimi, non solùm silentium tenere debetis in eremo, sed prudentiam rapere festinate. Prudentia enim vobis necessaria est, quia docet quid fugiendum, & quid tenendum sit. Prudentia enim docet te vt nõ superbias, nec mireris de rebus transitoriis, cùm sint caducæ, & ea quæ possides tanquam aliena possidere aduertas. Prudentia docet te, vt quæ nõ potes perpetuò tenere, fructuosè permittas abire. Prudẽtia docet te, vt in cunctis semper idẽ sis, tam in prosperis, quàm in aduersis: sicut manus quæ eadem est, & quum in palmam extenditur, & in pugnum restringitur. Ipsa te docet, quomodo reprehensibilis sit nimia laudatio, & immoderata vituperatio: illa quidem adulatione, sed ista suspecta malignitate. Prudentia testimonium veritati, non amicitiæ reddit: prudẽtia cum discretione promittit & promissum accelerat, & amplius quã promisit præstat. Pru

dētia docet quomodo præsentia ordines, quomodo præteritorū recorderis,& quomodo futura prouideas,&c.

DE IVSTITIA.

Lib.LXXXIII.Quæstionū,Quæst.XXXI.

Iustitia quid sit.

Iustitia est habitus animi communi vtilitate cōseruata, suam cuique tribuens dignitatem. Eius initium est à natura profectum. Deinde quædam in cōsuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt. Postea res ex natura profectas & consuetudine probatas,legum metus & religio sanxerunt.

Lib.II.de Genesi contra Manichæos,Cap.X.

Iustitia ad omnes partes animæ pertinet, quia ipsa ordo & æquitas animæ est,&c.

Expositionis Epistolæ ad Romanos inchoatæ.

Ea enim demum est humanæ iustitiæ disciplina,nō in se amare,nisi quod Dei est,& odisse quod proprium est: nec approbare peccata sua,nec in eis aliū improbare, sed seipsum: nec putare satis sibi esse,vt sua peccata displiceant, nisi etiam vigilantissima deinceps intentione vitentur: nec in eis vitādis vires suas existimare sufficere,nisi diuinitus adiuuetur,&c.

De natura & gratia contra Pelagianos, Lib.Cap.LXI.

Deum colere iustitiæ proprium est officiū.

Lib.XIII.de Trinitate,Cap.XIII.

Iustitia ad bonā pertinet voluntatem. Luc.2.

Potentia adiuncta iustitiæ,vel iustitia accedens potentiæ, iudiciariam potestatem facit. Pertinet autem iustitia ad voluntatē bonā. Vnde dictum est ab Angelis nato Christo,Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.Potentia verò sequi debet iustitiam,nō præire.Ideo & in rebus secundis ponitur, id est,prosperis: secundæ autem à sequēdo sunt dictæ,&c.

De vera innocentia,CCCLXV.

De humana iustitia modo. Eccl.7.

Diuinitus dictum est,Noli esse iustus multum: quoniam non est iustitia sapientis,sed superbia præsumentis. Qui ergo sic fit nimis iustus,ipso nimio fit iniustus. Quis est autē qui se facit iustum,nisi qui dicit se non habere peccatum?

Lib.II.de ciuitate Dei,Cap.XXI.

Vera autem iustitia non est,nisi in ea republica cuius cōditor rectórque Christus est,& si etiam rempublicam placet dicere, quoniā eam rem populi esse negare non possumus,&c.

Libro XIX.Cap.XXVII.

Iustitia Christianorū cōstat remissione peccatorum.

Ipsa quoque nostra iustitia,quanuis vera sit propter veri boni finem,ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita,vt potius peccatorū remissione cōstet,quā perfectione virtutū,&c.

De hac materia,vide suprà de officio magistratus.

DE FORTITVDINE.

Libro Ie libero arbitrio,Cap.XIII

Fortitudo quid sit.

Quid fortitudo? Nonne illa est animæ affectio, qua omnia incommoda & damna rerū nō in nostra potestate cōstitutarum conténimus?

Libr.LXXXIII.Quæstionū,quæst.XXXI.

Fortitudo est consyderata periculorum susceptio & laborum perpessio. Cuius partes,magnificentia,fidentia,patiētia,perseuerātia,&c.

De vera innocentia,Cap.CCXCV.

Fortitudinem Gentilium,mundana cupiditas,fortitudinem autem Christianorum,Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, per Spiritū sanctū qui datus est nobis, nō per voluntatis arbitrium quod est à nobis.

Lib.XIX.de ciuitate Dei,Cap.IIII.

Iam verò illa virtus,cuius est nomen fortitudo,in quantacunque sapiētia,euidentissima testis est humanorum malorum, quæ cōpellitur patientia tolerare. Quæ mala Stoici Philosophi miror qua fronte mala non esse contendant: quibus fatentur, si tanta fuerint vt ea sapiens vel non possit, vel non debeat sustinere, cogi eum mortem sibimet inferre,atque ex hac vita emigrare. Vtrùm,obsecro,Cato ille patiētia,an potius impatiētia se peremit? Non enim hoc fecisset, nisi victoriam Cæsaris impatiēter tulisset. Vbi est fortitudo? Nempe cessit,nempe succubuit,nempe vsqueadeò superata est,vt vitam beatam derelinqueret, desereret ac fugeret. An non erat iam beata? Misera ergo erat. Quomodo igitur mala non erant,quæ vitā miseram fugiendámque faciebant?

Ad Hieronymum Epistola XXIX.

Catilina (vt de illo scripserunt qui nosse potuerunt) frigus, sitim, famem ferre poterat, erátque patiens inediæ, algoris,vigiliæ, supra quàm cuiquam credibile est: ac per hoc & sibi & suis magna præditus fortitudine videbatur. Sed hæc fortitudo prudens nō erat: mala enim pro bonis eligebat. Temperās non erat,corruptelis enim turpissimis fœdabatur .Iusta nō erat:nam contra patriam coniurauerat. Et ideo nec fortitudo erat:sed duritia sibi,vt stultōs falleret, nomen fortitudinis imponebat. Nam si fortitudo esset,non vitium, sed virtus esset. Si autē virtus esset,à cæteris virtutibus tāquā inseparabilib⁹ comitibus nūquā relinqueretur.

Ibidem.

Conditio viri fortis.

Qui vera virtute fortis est,nec temerè audet,nec inconsultè timet,&c.

DE TEMPERANTIA.

Lib.LXXXIII.Quæstionū quæst.XXXI.

Temperantia quid sit,Cuiusmodi.

Temperantia est rationis in libidinem atque alios nō rectos impetus animi,firma & moderata dominatio. Eius partes,continentia,clementia,modestia.

Lib.I.de libero arbitrio,Cap.XIII.

Porrò temperantia est affectio coercens atque cohibēs appetitū ab his rebus, quæ turpiter appetuntur.

De moribus Ecclesiæ catholicæ,Cap.XIX.

Omne igitur officiū temperantiæ,est exue-

re

re veterem hominem, & in Deo renouari, id est, contemnere omnes corporeas illecebras, laudémque popularem, totúmque amorem ad inuisibilia & diuina cõferre. Vnde illud sequitur quod mirificè dictum est, Etsi exterior homo noster corrũpitur, sed interior renouatur de die in diem. Audi & Prophetam canentem, Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Quid contra istam conuenientiam dici, nisi à cæcis latratoribus potest?

2.Cor.4.

Psalm.50

DE CASTITATE ET CONTINENTIA.

In libro de continentia, Cap. I.

Continẽtiã esse donum Dei.

De virtute animi quæ continentia nominatur, satis cõuenienter & dignè disputare difficilè est: sed exiguitatẽ nostram sub tanti ponderis sarcina, ille cuius hæc virtus magnum est munus, adiuuabit. In libro Sapiẽt. scriptũ habemus, Nisi Deus det, cõtinentem esse neminẽ posse. Dominus de ipsa maiore & gloriosiore cõtinentia, quæ coniugali vinculo non cõtinetur ait, Nõ omnes capiunt hoc verbũ, sed quibus datum est. Et quoniam ipsa quoque castitas coniugalis, nisi contineatur ab illicito concubitu, non potest custodiri: vtrunque Apostolus donum Dei esse prædicauit, quum de vita vtraque, id est, & cõiugali & ea quæ est sine coniugio loqueretur, dicens, Vellem omnes homines sic esse sicut meipsum, sed vnusquisque proprium donum habet à Deo: alius sic, alius autem sic.

Sapien.8.

Matth.19.

1.Cor.7.

Lib. eodem, Cap. XIII.

Ea verò quæ vera est desuper veniens continentia, nõ aliis malis mala premere alia, sed bonis mala sanare vult omnia. Cuius vt breuiter complectar actionem, omnibus prorsus delectationibus concupiscentiæ, quæ aduersantur delectationi sapientiæ, coercendis atque sanandis inuigilat officium continentiæ. Vnde angustius eam sine dubitatione metiuntur, qui solas libidines corporis cohibere diffiniunt. Melius profectò illi qui nõ addunt Corporis, sed generaliter libidinem siue cupiditatem regẽdam dicunt ad continentiã pertinere. Quæ cupiditas in vitio ponitur, nec tantùm est corporis, verùm & animi.

Quibus inuigilet officiũ continentiæ.

Lib. LXXXIII. Quæstionum, Quæst. XX.

Continentia est, per quam cupiditas consilii gubernatione regitur.

Lib. XV. de ciuitate Dei, Cap. XX.

Secundum hominem viuũt, non secundum Deum, & Indorum Gymnosophistæ, qui nudi perhibentur philosophari in solitudinibus Indiæ: ciues Babylonis sunt, & à generando se cohibẽt. Non enim est hoc bonum, nisi quum fit secũdum fidẽ summi boni, quæ est Deus. Hoc tamen nemo fecisse ante diluuium legitur.

Sermo. CCXLVIII. de tempore.

Continẽtia in quibus consistat.

Continentia verò & sobrietas non in sola integritate carnis consistit, sed etiam in cultu & ornatu, vita pariter & moribus cõsistit. Debet enim vnusquisque continens esse ab omnibus illicitis, &c.

Sermo. CCL.

Inter omnia Christianorum certamina, sola duriora sunt prælia castitatis, vbi quotidiana est pugna, & rara victoria, &c.

De adulterinis coniugus, Libro II. Cap. XX.

Viri quum à fœminis vtique habentibus carnem, tantam flagitant castitatem, vt quãdo ab vxoribus diutissimè peregrinantur, velint eas ab adulterino concubitu incontaminatas feruorem transigere iuuentutis: & plurimæ pudicissimè transigunt: & maximè Syræ, quarum mariti negotiãdi quæstibus occupati, iuuenes adolescẽtulas deserunt, & vix aliquando senes ad aniculas reuertuntur: eoipso euidentius cõuincunt non esse impossibile, quod se nõ posse causantur. Si enim hoc nõ posset infirmitas hominum, multò minus id posset sexus infirmior fœminarum, &c.

Mulierũ Syrarũ continentia.

De bono coniugali, Cap. IX.

Bonum est nubere, quia bonũ est filios procreare, matrem familias esse: sed melius est non nubere, quia melius est ad ipsam societatẽ hoc opere non egere.

1.Tim.5.

DE ABSTINENTIA.

In Epistolam Ioannis.

Delitiæ quælibet si absque desyderio percipiuntur, non afficiunt. Et viles cibi appetenter accepti, impediunt profectum abstinentiæ. Dauid enim aquam malè concupitam effudit, & Helias carnes comedit.

De verbis Domini.

Diuites vti possunt cõsuetudine infirmitatis suæ.

Non cogantur diuites pauperum cibis vesci. Vtantur consuetudine infirmitatis suæ, sed doleant aliter se non posse sustentari. Si cõsuetudinem mutant, ægrotant. Vtãtur superfluis, dent inopibus necessaria. Vtãtur pretiosis, dẽt pauperibus vilia, &c.

De diffinitionibus Orthodoxæ fidei.

Bonum est in cibo cum gratiarum actione percipere quidquid Deus edendum præcepit. Abstinere autem ab aliquibus, non quasi malis sed quasi non necessariis, non est malum.

Super illud ad Romanos XIIII. Noli propter escam, &c.

Gene.3.

Gene.8. Abstinentiæ exempla.

Non propter porcum, sed propter pomum mortem primus homo inuenit. Et Esau primatum suum nõ propter gallinã, sed propter lenticulam perdidit. Scio enim Noe omne genus carnis, quod cibo esset vsui, manducare cõcessum, Heliam cibo carnis refectum, Ioannẽ mirabili abstinentia præditum, animalibus locustis in escam cedentibus non fuisse pollutum. Et scio Esau lenticulæ cõcupiscentia deceptũ, & Dauid propter aquæ desyderiũ à seipso reprehensum, & regem nostrum nõ de carne, sed de pane tentatum.

Gene.25.

Matth.4.

Ad sacras virgines.

Sobrietas est mentis & sensus membrorum omnium, corporisque tutela, castitatis pudicitiæque munimẽtum, pudori proxima, amicitiæ pacisque serua, honestatisque semper cõiuncta, criminum atque vitiorum omnium profuga.

DE VITIIS IN GENERE.

In Psalmum LXVIII.

Vitia plura esse virtutibus.

Vitia nanque ex nobis & ex nostra voluntate habemus, & vitia non sunt substantia.

Ad beatum Hieronymum, Epistola XXIX.

Cogimur fateri vitia plura esse virtutibus. Vnde aliquando vitium vitio tollitur, vt amore laudis amor pecuniæ. Aliquando vnum cedit vt plura succedant, velut qui ebriosus fuerit, & tenacitatẽ & ambitionem didicerit. Possunt itaque vitia etiam cedere vitiis succedentibus, non virtutibus: & ideo plura sunt.

AD Aurelium, Epistola LXIIII.

Roman. 13.

Quum enim Apostolus tria breuiter genera vitiorum detestanda & vitanda vno in loco posuerit, de quibus innumerabilium peccatorum exurgit seges, vnum horum quod secundo loco posuit acerrimè in Ecclesia vindicatur: duo autem reliqua, id est, primum & vltimum, tolerabilia videntur hominibus: atque ita paulatim fieri potest, vt nec vitia iam putẽtur. Ait enim vas electionis, Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in cõtentione & dolo: sed induite vos Dominum Iesum Christum, & carnis curã ne feceritis in cõcupiscentiis. Horum ergo trium, cubilia & impudicitiæ tam magnũ crimen putantur, vt nemo dignus non modò Ecclesiastico ministerio, sed ipsa etiam sacramentorum communione videatur, qui se isto peccato maculauerit. Et rectè omnino. Sed quare solũ? Cõmessationes enim & ebrietates ita concessæ & licitæ putantur, vt in honorem etiam beatissimorum Martyrum, nõ solùm per dies solennes (quod ipsum quis nõ lugẽdum videat qui hæc non carnis oculis inspicit?) sed etiam quotidie celebrẽtur. Quã fœditatẽ, si tantùm flagitiosa & non etiam sacrilega esset, quibuscunque tolerãtiæ viribus sustentandã putaremus. Quãquam vbi est illud, quòd quum multa vitia enumerasset idem Apostolus, inter quæ posuit ebriosos, ita cõclusit, vt diceret cum talibus nec panem edere? Sed feramus hæc in luxu & labe domestica, & eorum conuiuiorum quæ priuatis parietibus cõtinentur, accipiamúsque cum eis corpus Christi cum quibus panẽ edere prohibemur: saltem de locis sacrorum, de domibus orationum tantum dedecus arceatur.

Vitia tria de quibus innumerabilium peccatorum surgit seges

1. Cor. 15.

Ad Demetriadem, Epistola CXLII.

Duo nãque sunt ex omnibus vitia, quæ maximè homines decipiũt sui voluptate, gula scilicet ac libido. Quæ deponere eò difficilis est, quò eis vti dulcius est. & tamen hæc vitia tam molesta támq; delectatione sui periculosa, ita à multis calcari vidimus, vt totam ætatem virgines permanserint in summa abstinentia. Vt de illis taceam, quæ post delitiarum lõgum luxum, & inueteratũ vsum libidinis, castitati ac temperantiæ se dederint, & vtrunque vitiũ cõtraria sibi virtute mutauerint. Aliorũ verò vitiorum est lõgè diuersa ratio: quæ quum nihil habeant iucunditatis, tam multum amaritudinis habent, quæque cùm ad vitandum multò sint faciliora, rarò à quibus vitentur inuenies. Quid oro te inuide, delectationis præstat inuidia, quem secretis quibusdam conscientiæ vngulis liuor ipse decerpit, & alienam felicitatẽ tormẽtum eius facit? Quid verò alter ab odio mercedis accipit, nisi horribiles animæ tenebras, & cõfusæ mentis horrorẽ, qui vultu semper animóque mœrẽte, voto quo alteri vultno cere, seipsum excruciat? Quid autem iracundo furor suus confert, quem sæuissimis exagitatũ stimulis conscientiæ, ira ab omni cõsilio ac mẽte deturbat, vt dum irascitur, insanire credatur? Similiter curre per singula, inuenies tot animę tormenta, quot vitia: quæ vtiq; eò facilius vinci possunt, quò nulla nos illiciunt voluptate.

Ibidem post pauca.

Quædã vitia aliquãdo virtutibus inuitas similitudine.

Summa tibi scientia sit, notitia summa, vitia virtutésque distinguere. Quæ quanquam semper cõtraria tibi sunt, aliqua tamen ex eis tanta iungũtur similitudine, vt discerni omnino vix possint. Quàm multi enim superbiam libertatis loco ducunt, adulationẽ pro humilitate suscipiunt, malitiam prudentiæ amplectuntur vice, & stultitiæ simplicitatis nomen imponunt, atque fallaci ac pessima decepti similitudine, vitiis pro virtutibus gloriantur? &c.

DE SVPERBIA.

In Psalmum XVIII.

Delictum magnum arbitror esse superbiã. Quæritis quã magnum sit hoc delictum, quod deiecit Angelum, quod ex Angelo fecit diabolum, eíque in æternum intercluſit regnum cælorum? Magnum hoc delictum est, & caput atque causa omnium delictorum. Scriptum est enim, Initiũ peccati omnis superbia. Et ne quasi leue aliquid contemnas, Initium, inquit, superbiæ hominis apostatare à Deo. Non leue malũ est hoc vitiũ fratres mei. Huic vitio in his personis, quas videtis amplas, displicet humilitas Christiana. Propter hoc vitium dedignantur subdere colla iugo Christi, obligati arctiꝰ iugo peccati. Non enim seruire nõ eis continget. Nã nolunt seruire: sed eis expedit seruire. Nolendo seruire nihil aliud agunt, quã vt bono Domino non seruiãt, non vt omnino nõ seruiant: quia qui noluerit seruire charitati, necesse est vt seruiat iniquitati. Ab hoc vitio, quod est caput vitiorum omnium, quia inde cætera vitia nata sunt, facta est apostasia à Deo, eunte anima in tenebras, & malè vtente libero arbitrio, peccatis etiam cæteris consecutis, vt & substã-

Superbia intercluſit regnum cælorum. Eccles. 10.

Luc. 15.

tiam

tiam suam dissiparet cum meretricibus, viuens prodigè, & per egestatem fieret pastor porcorum, qui erat socius Angelorum. Propter hoc vitium, propter hoc magnum superbiæ peccatum, Deus humilis venit. Hæc causa, hoc peccatum magnum, iste ingens morbus animarum omnipotentem medicum de cælo deduxit, vsque ad formam serui humiliauit, contumeliis egit, ligno suspendit, vt per salutem tantæ medicinæ, curetur hic tumor. Iam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus.

In Psalmum LVIII.

Superbia in benefactis etiam metuenda est.

Illud est vitium capitale, quòd quum quisque bene profecerit, superbia tentatur, vt perdat totum quod profecit. Denique omnia vitia in malefactis timenda sunt, superbia in benefactis plus metuenda est.

In Psalmum XCIII.

Exaltare, inquit, qui iudicas terram, redde retributionem superbis. Superbis redder, non humilibus. *Qui sint superbi.* Qui sunt superbi? Quibus parum est quòd mala faciunt, sed & defendere peccata sua volunt.

Post pauca ibidem.

Quis est superbus? Qui in confessione peccatorum non agit pœnitentiã, vt sanari per humilitatem possit. Quis est superbus? Qui illa ipsa pauca, quæ videtur habere bona, sibi vult arrogare, & derogat misericordiæ Dei. Quis est superbus? Qui etiam si Deo tribuat bona quæ facit, insultat tamẽ iis qui illa nõ faciunt, & extollit se super illos. *Luc. 18.* Nam & ille Pharisæus, Gratias tibi ago, inquit. nõ dixit, Ego facio. de iis quæ faciebat, gratias Deo agebat. Sẽtiebat ergo & bene se facere, & ab illo se facere. Vnde ergo improbatus est? Quia insultabat Publicano. Ille autem elisa facie, percutiebat pectus suum dicẽs, Deus propitius esto mihi peccatori. Ille superbus erat in bonis factis: ille humilis in malis factis. Videte fratres, magis placuit Deo humilitas in malis factis, quàm superbia in bonis factis. Sic odit Deus superbos: & ideo sic conclusit, Amen dico vobis, descendit iustificatus Publicanus, magis quã Pharisæus.

Ad Iulianum, Epistola CXI.

Iactantiam & superbiam conculcet profunda humilitas, quia humilitas homines sanctis Angelis similes facit, & superbia ex Angelis dæmones facit. Et vt euidenter ostendamus, ipsa est peccatorum omnium initium & finis & causa: quoniam non solùm est peccatum superbia, sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse sine superbia. Siquidem nihil aliud omne peccatum est, nisi Dei cõtemptus, quando eius præcepta contẽnimus, & hoc nulla res alia persuadet homini nisi superbia. Porrò superbia & cupiditas intantum est vnũ malũ, vt nec superbus sine cupiditate, nec sine superbia possit cupidus inueniri. *Malum superbiæ.* De superbia nãque nascuntur hæreses, schismata, detractiones, inuidiæ, iræ, rixæ, dissentiones, contentiones, animositates, ambitiones, elationes, præsumptiones, iactantia, verbositas, vanitas, inquietudo, mendacium, periurium, & cætera huiusmodi, quæ dinumerare lõgum est per singula, &c.

In eadem Epistola.

Multorum autem temporum labores, & orationes, & eleemosynæ, & ieiunia, & vigiliæ, si cum superbia finẽ habuerint, pro nihilo apud Dominum computantur.

De verbis Domini, Sermo. LVII.

Audeo dicere, superbis continentibus expedit cadere, vt in eoipso in quo se extollunt, humilientur. Quid enim prodest cui est continentia, si dominetur superbia?

De natura & gratia.

Cætera vitia in malefactis valent, sola superbia etiam in rectè factis est cauenda.

In Euangelium Ioannis, Tract. I.

Quare patimur multa mala à creatura quã fecit Deus? Quia offẽdimus per superbiã. Ad domandam igitur superbiam instituit Deus, vt creatura minima atque abiectissima nos torqueret, vt homo superbꝰ, qui se iactauit aduersus Deum, & proximum non agnouit, pulicibus subdatur.

De verbis Domini, Sermo. IIII.

Prior in omnibus vitiis superbia.

Prior est in vitiis superbia. Non enim inuidia parit superbiam, sed superbia parit inuidiam. Non enim inuidet nisi amor excellentiæ. Amor autem excellentiæ, superbia vocatur.

DE ADVLATIONE.

In Psalmum IX.

Adulantium linguæ, alligant animas in peccatis. Delectatur enim ea facere peccator in quibus non solùm non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur.

In Psalmum LXIX.

Duo sunt genera persecutorum, vituperantium & adulãtium. Nam plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus persequentis.

Ibidem.

Falsa laus adulatoris, & simulata dilectio, mentes à rigore veritatis emollit, &c.

Ad Casulanum.

Nemo peritorum aut prudentium putet, quòd minus sit periculũ in verbis linguam mentiendo, quàm manibus sanguinem fundendo. Melius est autẽ pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione beneficium.

Ad Demetriadem, Epist. CXLII.

Adulatores vt inimici cauẽdi

Adulatores vt inimicos caue, quorum sermones super oleum molles, & ipsi sunt iacula. Corrũpunt fictis laudibus leues animas, & malè credulis mẽtibus blandum vulnus infigunt. Creuit hoc in nostra ætate vitium, & in vltimo fine stetit, nec augeri potest. In hãc omnes nos

ſcholã ſtudiúmque dedimus, vt officium putemus illudere: quódque ipſi ab aliis libenter accipimus, id aliis quaſi quoddam munus offerimus: & ſpe recipiendæ laudis, eos à quibus laudari volumus antè laudamus. Sæpe adulãtium reſiſtimus verbis ad faciem, & in ſecreto mẽtis fauemus, maximúmque fructũ cepiſſe nos ducimus, ſi vel fictis laudib⁹ prædicamur. Nec cogitamus quid ipſi ſimus, ſed quid alteris eſſe videamur. Vnde eò producta res eſt, vt neglecta veritate meriti, de ſola opinione curemus, qui teſtimonium vitæ noſtræ non à conſcientia noſtra, ſed à fama petimus. Beata mẽs eſt quæ perfectè hoc vitium vincit, nec adulatur aliquando, nec adulanti credit: quæ nec decipit alterũ, nec ipſa decipitur, tantúmque hoc malum nec facit aliquando nec patitur. Nihil vnquam in te fictum ſit, nihil omnino fucatum. Conſcientiam tuã, quæ certè Deo ſemper patet, in multitudine verſari puta. Nunquam aliud corde, aliud ore prætendas. Quidquid pudet dicere, pudeat etiam cogitare, &c.

Libro IX. confeſſionum.

Sicut adulantes amici peruertunt, ſic inimici litigantes plerunque corrigunt, &c.

DE AVARITIA.

Ad Iulianum comitem, Epiſtola CXI.

1. Tim. 6. Cupidus animã ſuam venalem habet.

Annuntia, præcipe, impera, ſuade tuis vt caueant ſe à cupiditate, quæ eſt radix omniũ malorum. Cupidus enim vir, animam ſuam venalem habet. Si inuenerit tempus vt concupiſcat alicuius aurũ, aut argẽtum, vel veſtes pulchras, vel etiam cuiuſlibet mulierem pulchram facie, pro nihilo perpetrat homicidiũ. Et vt quis effundit aquam in terram, ita ei ſit effundere ſanguinem proximi ſui. Plurimæ animæ in mortis periculum inciderunt propter cupiditatem, &

Ioſue 7. 1. Reg. 15

multi Domino iubente ob hoc lapidati ſunt. Saul enim à Deo alienus effectus eſt propter auaritiam, & ad extremum de culmine regali expulſus, ab inimicis ſuis peremptus eſt. Et tibi de multis multa dicere potuiſſem: ſed ſapienti pauca ſufficiunt. Dominus verò noſter & Saluator voluit de cordibus pecuniarum amorẽ excludere: ſed quia erant cupidiſſimi, ſalutaria

Luc. 18. Matth. 19.

Domini verba deridebant. Nam & illum diuitem, quem Dominus ad regna cælorum prouocauit, amor pecuniarum eum intrare non permiſit. Sed & Iudæ pectus auaritiæ flamma exarſit, vt Dominum, cunctorum bonorum largitorem, in manus traderet impiorũ. Auarus enim vir inferno eſt ſimilis. Infernus enim quantos mortuos deuorauerit, nunquam dicit ſatis eſt: ſic & ſi omnes theſauri circunfluxerint in auarum, nunquã ſatiabitur. Ideo frater mi, omnibus qui in domo tua ſunt præcipe ab hoc vitio cauere. Melius eſt enĩ vt ex paupertate puſillũ tribuãt indigentibus, quàm multum ex iniuſta acquiſitione. Vnuſquiſque iuxta quod habet porrigat. Tantum enim expetitur ab vnoquoque, quantum ei dedit Deus. Neque enim plus ab eo exigit, quàm quod ipſe dedit. Eleemoſyna cum iniquitate acquiſita, abominabilis eſt coram Deo, & acceptum ei eſt quod fuerit fideliter acquiſitum. Sunt nonnulliqui diripientes aliena, facere ſe ſimulant eleemoſynam, & cùm alios premant, aliis miſereri fingunt. Si autem ex proprio labore dederint, gratum & acceptũ erit Deo.

Ad Bonifacium.

Diuitiæ ſeculares ſi deſint, non per mala opera quærantur in mundo. Si autem adſint, per bona opera ſeruentur in cælo. Animum virilẽ Chriſtiani non debẽt ſi accedunt attollere, nec debent frangere ſi recedunt.

Diuitiæ nõ per mala opera quærenda.

In Pſalmum CXVIII. Concione vndecima.

Inclina cor meũ in teſtimonia tua, & non in auaritiã. In teſtimonia iſte petit inclinari cor ſuũ, & nõ in auaritiã. Teſtimoniis quippe ſuis agit nobiſcum Deus, vt eum gratis colamus: quod impedit auaritia, radix omniũ malorum. Tali verbo Græco hîc appellat, à quo poſsit intelligi generalis auaritia, qua plus appetit quiſq; quàm ſat eſt. πλέον enĩ Latinè plus eſt, ἕξις habitus eſt, ab eo quod eſt habere. Ergo à plus habẽdo appellata eſt πλεονεξία, quam Latini interpretes in hoc loco nõnulli interpretati ſunt emolumentum: quidam verò vtilitatẽ: ſed melius qui auaritiam. Dicit autem Apoſtolus, Radix omnium malorum auaritia eſt. Sed in Græco, vnde in noſtram linguam verba ipſa trãſlata ſunt, non legitur apud Apoſtolum πλεονεξία, quod in loco Pſalmi huius, ſed φιλαργυρία, quo verbo ſignificatur amor pecuniæ. Verùm Apoſtolus intelligẽdus eſt iſto nomine genus ſignificaſſe per ſpeciem, id eſt, per amorem pecuniæ vniuerſalem generalémque auaritiam, quæ verè radix eſt omnium malorum. Nam ipſi primi homines, per ſerpentem decepti & electi non fuiſſent, niſi pluſquã acceperãt habere, & pluſquam facti fuerant eſſe voluiſſent. Hoc quippe ille promiſerat dicẽs, Eritis ſicut dii. Ergo iſta πλεονεξία ſubuerſi ſunt. Plus enim volentes habere quàm acceperant, & quod acceperant amiſerunt. Cuius veſtigiũ veritatis legibus quæ vbique diſperſæ ſunt, & in forenſi iure deprehẽſum eſt, quod inſtitutũ eſt, vt plus petendo, cauſa cadat, id eſt, vt qui plus petierit quàm ei debetur, & quod ei debebatur amittat. Omnis autem à nobis circunciditur auaritia, ſi gratis colatur Deus. Ad quod ſanctum Iob in agone tentationis ipſe prouocat inimicus, cùm de illo dicit, Nunquid gratis colit Iob Deum? Putabat enim diabolus, quòd in Deo colendo vir iuſtus cor inclinatum haberet in auaritiam, & cauſa emolumenti vel vtilitatis rerum temporalium, quibus eum ditauerat Dominus, velut mercenarius ei pro tali mercede ſeruiret. Sed quàm gratis Deum coleret, tentatus aperuit, & apparuit. Si ergo cor non habeamus inclinatũ in auaritiam, Deum non colamus niſi propter

1. Tim. 6. Auaritia generali nomine omnem cupiditatem complectitur.

Gene. 3.

Iob 1.

Deum,

Deum, vt sui cultus ipse sit merces.

In Psalmum CXXVIII.

Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. Contradicit Deus auaritiæ, & vult nihil possideri ab auaritia. Ego possidear, clamat. Quid vis auaritia possideri? Dura iubet, leuia iubeo. Onus eius graue, sarcina mea leuis est. Iugum eius asperum est, iugum meum leue est. Noli velle ab auaritia possideri. Iubet auaritia vt mare transeas, & obtemperas: iubet vt te vētis procellisque committas: iubeo ego vt ante ostium tuū ex eo quod habes des pauperi. Piger es ad faciendum ante te opus bonum, & strenuus es ad transeundum mare. Quia auaritia imperat, seruis: quia Deus iubet odisti, &c.

Post pauca.

Auaritia opus est mali hominis, homo ipse opus est Dei.

Ibidem post pauca.

Audent fœneratores dicere, Non habeo aliud vnde viuam. Hoc mihi & latro diceret de prehensus in fauce: hoc effractor diceret, deprehensus circa parietem alienum. Hoc mihi & leno diceret, emens puellas ad prostitutionem: hoc maleficus incantans mala, & vendens malitiam suam. Quidquid tale prohibere conaremur, responderent omnes, quia non haberent vnde viuerent, quia inde se pascerent: quasi non hocipsum in illis maximè puniendum sit, quia artem nequitiæ delegerunt, vnde vitā transigant, & inde se volunt pascere, vnde offēdunt eum, à quo omnes pascuntur, &c.

Auaritiæ fœnus & mala.

In Psalmum XXXVIII. sermone habito Carthagine, ad mensam sancti Cypriani.

Thesaurizat, & non cognoscit cui congregabit ea. O insana vanitas! Beatus cuius est Dominus spes eius, & non respexit in vanitates & insanias mendaces. Delirare tibi videor auare, cùm hæc loquor, anicularia tibi videntur hæc verba. Tu enim magni consilii, magnæque prudentiæ, excogitas quotidie genera acquirendæ pecuniæ, & de negotio, de agricultura, fortassis & de eloquio, de iurisconsultatione, de militia addis, & de fœnore. Homo cordat', nihil prætermittis omnino, vnde nūmus super nummum, & in occulto diligentius acquiratur. Deprædaris hominem, caues deprædatorem. quod facis times ne patiaris, & in eo quod pateris, non te corrigis · sed non pateris. Prudens enim homo es, bene seruas, nō solùm bene colligis. Habes vbi ponas, cui cōmittas, quomodo nihil pereat ex eo quod collegisti. Interrogo cor tuum, discutio prudentiā tuā. Ecce collegisti. Interroga cor tuum, discute prudentiā tuam. Ecce ita seruasti, vt nihil possis amittere eorum quæ seruasti. Dic mihi, cui seruas? Nō tecum ago, nō cōmemoro, non exaggero quidquid mali habet auaritia vanitatis tuæ: hoc vnū propono, hoc discutio, quod mihi dat occasio lectionis huius Psalmi, &c.

Libro III. de libero arbitrio.

Auaritia quæ Græcè philargyria dicitur, nō in solo argēto, vnde nomē duxisse resonat, sed in omnibus rebus, quæ immoderatè cupiūtur, intelligenda est, vbicunque omnino plus vult quisque quàm satis. Hæc autem auaritia cupiditas est: cupiditas verò improba voluntas est. Ergo propterea voluntas omnium malorum causa est.

Item alio loco.

Quum auaritia alicui dominatur, subiectus malis omnibus demonstratur: quia de auaritia omnia mala oriūtur, & peccatorum omnium spinæ producuntur.

Item de doctrina Christiana.

Auarus est cæcus: credendo enim diues est non videndo. Amas pecuniam, ô cæce, quam nunquam videbis: cæcus possides, cæcus moriturus es: quod possides hīc relicturus es.

De verbis Domini.

Quæ est ista auiditas concupiscentiæ, cùm & ipsę beluæ habeant modum? Tunc enim rapiunt quando esuriunt, parcunt verò prędę cū senserint satietatem. Insatiabilis est sola auaritia diuitum, semper rapit & nūquam satiatur. nec Deum timet, nec hominem reuereretur, nec patri parcit, nec matrem cognoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem seruat. Viduam opprimit, pupillum inuadit, liberos in seruitium reuocat, testimoniū falsum profert. Res mortui occupantur · quare & qui faciunt non moriuntur? Quæ est illa animarum insania, amittere vitam, appetere mortē, acquirere aurum, & perdere cælum? &c.

Auaritia diuitum similis humanæ insaniæ peruersa.

De interpellatione Iob.

Modum non habet auaritia, nec capiendo expletur, sed incitatur, hòc egentior quò plura quæsiuit.

Auaritia modum non habet.

Sermo de decem plagis.

Nemo habet iustum lucrum, sine iusto dāno. Verbi gratia, qui furatur, acquirit vestē, sed perdit fidem: vbi lucrum ibi damnum. Lucrū in arca, damnum in conscientia.

Iniustum lucrum sine iusto damno non est.

DE IVXVRIA, ID EST, LIBIDINE.

In Regula.

Nec solo affectu & tactu, sed aspectu quoq; appetitur & appetit concupiscentia fœminarum. Nec dicatis vos animos habere pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Et quum se sibi inuicem etiam tacente lingua, cōspectu mutuo corda nuntiant impudica, & secūdum cōcupiscentiā carnis, ardore alterutro delectātur, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus, & cætera.

Libro XII. de ciuitate Dei.

Luxuria non est vitium corporum pul-

chrorum,vel ſuauiũ,ſed animæ peruerſæ amãtis corporeas voluptates,neglecta temperãtia, qua aptamur ſpiritualibus.

Libro XV. de ciuitate Dei.

Sicut iniquum eſt auiditate poſſidẽdi trãſgredi limitem agrorũ,ita iniquum libidine eõ cumbendi ſubuertere limitem morum,&c.

Item alio loco.

Luxuria eſt inimica Deo , inimica virtutibus , perdit omnem ſubſtantiam,& ad præſens voluptate deliniens, futuram non ſinit cogitare paupertatem.

Libris confeſſionum.

Ex voluntate peruerſa facta eſt libido,& dũ ſeruitur libidini facta eſt conſuetudo. Dum conſuetudini non reſiſtitur , facta eſt neceſſitas.

De ſingularitate clericorum.

Quantos leones domuit vna infirmitas delicata,id eſt,luxuria,quæ quum ſit vilis & miſera,de magnis efficit prædam, &c.

DE IRA.

De ciuitate Dei,lib. XIIII.

Non eſt quærendum vtrùm quis iraſcatur, ſed quare iraſcatur, nec vtrùm ſit triſtis, ſed quare , nec vtrũ timeat,ſed quid timeat.Iraſci enim peccanti , vt corripiatur, contriſtari pro afflicto,vt liberetur,timere periclitanti,ne perat,nullus ſanę mentis vel conſyderationis reprehendat, &c.

De Verbis Apoſtoli.

Iram fratris tunc portabis,quum tu aduerſus eum non iraſceris, vt rurſum eo tempore quo te ira præoccupauerit,ille te lenitate& trãquillitate ſupportet.

In regula quadam fratrum.

Lites aut nullas habeatis,aut quàm celerrimè finiatis,ne ira creſcat in odium, & trabẽ faciat de feſtuca,& animã faciat homicidam. Nanque ſcriptum eſt , Qui odit fratrem ſuũ homicida eſt.

Poſt pauca ibidem.

Melior eſt autem,qui quanuis ira ſępe tẽtatur,tamẽ impetrare feſtinat,vt ſibi dimittat, cui ſe feciſſe agnoſcit iniuriam,quàm qui tardius iraſcitur,& ad veniam petendam difficilius inclinatur.

Ad Nebridium,Epiſtola. CXV.

Ira eſt autem,quantùm mea fert opinio,turbulẽtus appetitus auferendi ea quæ facilitatẽ actionis impediunt. Itaque plerunque non hominibus tantùm,ſed calamo iraſcimur in ſcribendo,eúmque collidimus atque frangimus. Et aleatores teſſeris , & pictores penicillo , & cuique inſtrumento quilibet, ex qyo difficultatem ſe pati arbitratur. Hac autem aſſiduitate iraſcendi fel creſcere medici affirmãt. Crementa autem fellis rurſus & facilè ac propè nullis cauſis exiſtentibus iraſcimur, ita quod ſuo motu animus fecit in corpore,ad eum rurſus commouendum valebit,&c.

Ad Profuturum Epiſtola CXIIX.

Atque inter hæc,quàm vigilandum ſit, ne cuiuſquã odium cordis intima teneat,neque ſinat vt oremus Deum in cubili noſtro clauſo oſtio , ſed aduerſum ipſum Deum claudat oſtium,noſti optimè,frater.Subrepit autem,dũ nulli iraſcenti ira ſua videtur iniuſta. Ita enim inueteraſcens ira fit odium,dum quaſi iuſti doloris admixta dulcedo, diutius eam in vaſe detinet, donec totum aceſcat , vaſque corrumpat. Quapropter multò melius nec iuſtè cuiquam iraſcimur,quàm velut iuſtè iraſcendo in alicuius odiũ ira & occulta facilitate delabimur. In recipiendis enim hoſpitibus ignotis iſta ſolemus dicere,multò eſſe melius malum hominem perpeti,quàm forſitan per ignorantiam excludi bonum,dum cauemus ne recipiatur malus. Sed in affectibus animi contrà eſt. Nam incõparabiliter ſalubrius eſt , etiam iræ iuſtæ pulſãti non aperire penetrale cordis,quã admittere non facilè receſſuram, & peruenturam de ſurculo ad trabem. Audet quippe impudenter etiam creſcere quàm putatur.

In Pſalmum IIII.

Iraſcimini & nolite peccare,duobus modis intelligi poteſt. Aut etiam iraſcimini,& nolite peccare,id eſt , etiam ſi ſurgit motꝰ animi, qui iam propter pœnam peccati non eſt in poteſtate , ſaltem ei non conſentiat ratio & mens , quæ intus regenerata eſt ſecundum Deum , vt ſeruiamus mente Legi Dei, ſi adhuc carne ſeruimus legi peccati. Aut agite pœnitentiam,id eſt , iraſcimini vobisipſis, de præteritis peccatis,& vlterius peccare deſinite.

In Pſalmum XXV.

Si propterea iraſceris ſeruo tuo,quia peccauit , ne tu ipſe pecces iraſcere tibi. Sol non occidat ſuper iracundiã veſtram. Intelligitur quidem ſecundum tempus fratres,quia & ſi ex ipſa humana conditione & infirmitate mortalitatis quã portamus ſurripit ira Chriſtiano, non debet diu teneri & fieri pridiana. Eiice illam de corde,antequam occidat lux tua viſibilis,ne te deſerat lux illa inuiſibilis, &c.

In Pſalmum CXII.

Melior eſt qui vincit iram , quàm qui capit ciuitatem,Non ergo eris inglorius in ignoſcendo,quia de ira victa laudabilius triumphatur,&c.

DE GVLA ET EBRIETATE.

Libro XII.confeſſionum.

Hoc me docuiſti Deus,vt quemadmodum medicamenta ſic alimenta ſumpturus accedã. Sed dum ad quietem ſatietatis ex indigentiæ moleſtia tranſeo,in ipſo tranſitu inſidiatur mihi

Periculoſa in cibis ſecunditas.

hi laqueus concupiſcentiæ.

Ibidem.

Quum ſalus ſit cauſa edendi & bibendi, adiungit ſe tanquam pediſſequa periculoſa iucunditas, quæ plerunque præire conatur, vt eius ſcilicet cauſa fiat, quod ſalutis cauſa facere me dico vel volo, &c.

Sermo. I. de tempore.

Caro iumentum, quod eſt freno & fame domandum, quia de via, quæ ducit Hieruſalem, excludere nos conatur, &c.

Ad ſacras virgines.

Ebrietas eſt flagitiorum omnium mater culparúmque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubuerſio ſenſus, tẽ peſtas linguæ, procella corporis, naufragiũ caſtitatis, amiſſio temporis, inſania voluntaria, ignominioſus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæ corruptela.

Ad eaſdem.

Ebrietas in vtroq; ſexu, cuncta mala appetit, & nephãda committit. Et vt ait Apoſtolus regna cæleſtia appetentibus denegat.

Item ibidem.

Quiſquis immoderatus, cõuiuióq; medius, amiſſis modeſtiæ frenis, inſana fuerit ebrietate proſtratus, auerſus reſpicit nutãtes, quos in tegros videre nequit, aut ſermone lõgo ſuperflua verba emittit, & vana dicta componit, malè clamans & bene ſibi ſonans. Ebrius vultu deiecto ſupinus accũbit, & ſui omnino neſcius ſpectaculum ſe conuiuio præbet, & dum nihil cõſequitur ſanum, nullo alio cogente præter vinum, cordis ſui arcana patefacit, & amicorum ſibi cõmiſſa ſecreta in medium prodit.

Adhuc ad eaſdem.

Ebrius aſſumit inter pocula iniuſta certamina, & nullis exiſtẽtibus cauſis aſperã excitat rixam, quia interponendo verba vana, aliorum ſana dicta non patitur audire, ſed in contumeliam erigitur cõuiuarũ & proximorũ crimina. Vinum verò potatum moderatè eſt medicamẽtum, plus iuſto ſumptum venenum eſſe cognoſcitur. Iucunditati non ebrietati creata eſt vini materia. Per vinolentiam plurimi plurimæque à ſancto pióque propoſito excidere, & ſui obliti, amiſſis honoribus ignobiles remanſerunt, & ſedibus paternis profugi vitam vt ſumpſerunt finierunt. Innumerabiles nanque iugum dominationis diu recuſantes, vinolẽtia in alienum redegit arbitrium. Alexander omnium victor, vino victus eſt. Infiniti verò vino nimio impellente iniuſta impiáque homicidia commiſerunt. Quàm plurimæ vrbes diu obſeſſæ nec captæ, cuſtodibus ſomno vinóque ſepultis ab hoſtibus patefactæ ſunt, & incendiis concrematæ.

Ibidem.

In ebriis non ratio vlla, non vllum vitæ gerendæ conſilium, nec vlla artium, nec geſtorum aut lectionũ memoria, aut induſtriæ prouidentia eſt.

Epiſtola CXI.

Valde turpe eſt, vt quem non vincit homo, vincat libido. & obruatur vino, qui non vincitur ferro.

In quodam ſermone.

Ebrietas eſt blandus dæmon, dulce venenũ, ſuaue peccatum, quam qui habet, ſeipſum nõ habet, quam qui facit, peccatum non facit, ſed ipſe totus eſt peccatum.

Super Geneſim ad literam, Libro V.

Ebrietas decepit, quem Sodoma non decepit. Vritur ille flammis mulierum, quẽ ſulphurea flamma non vrebat, &c.

Ad Caſſulanum, Epiſtola LXXXVI.

Si enim Adam non cibus, ſed prohibitus cibus perdidit, & Eſau nepotem ſancti Abrahæ non eſca, ſed vſque ad contẽptum ſacramẽti, quod in primatu ſuo habuit, concupita eſca damnauit: ſic à ſanctis & fidelibus piè prandetur, quemadmodum à ſacrilegis & incredulis impiè ieiunatur, &c. *Genes 4 Non cibus obfuit Adæ ſed præcepti tranſgreſſio.*

Ad Iulianum Comitem, Epiſtola CXI.

Simus igitur boni & edocti aurigæ corpori noſtro, vt per viam rectam poſſimus incedere. Eſcæ enim nimię non ſolùm animas, ſed etiam corpora noſtra plurimum lædũt, & ad infirmitatem perducunt. Solet enim per nimiam ciborum auiditatem & poculi intemperantiã frangi ſtomachi fortitudo, necnon & ex abundantia ſanguinis, cholera, & plurimæ ęgritudines eſcarum largitate contingunt. Sicut enim animæ & corpori ſunt iſta contraria, ita medela eſt vtriſque tẽperantia ieiunii, & ſi non per omne tempus, ſaltem ſacratiſſimos dies ieiuniorum, quãtum poſſumus cum Dei adiutorio delitias mundi & ciborum opulentiam fugiamus, ne quando (quod auertat Deus) in cruciatu flammæ quæramus guttam aquę, & nullum refrigerium conſequamur. Fugiamus ebrietatem, ne in crimen luxuriæ incurramus: quia Apoſtolus præcipit dicens, Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Vinũ enĩ Deus ad lætitiã cordis, nõ ad ebrietatẽ donauit. Bibamus igitur nõ quantũ gula exigit, ſed quantũ naturę imbecillitas poſtulat. Ne igitur quod ad medelã corporis noſtri tributũ eſt, ad pernicie deputemus. Annuntia quæſo tuis in domo tua ſubiectis, q̃ plerioq; per vinũ homicidia & fornicationes perpetrauerunt, nec ipſã mortẽ recuſauerunt. Alii per vinum à dæmonibus capti ſunt. Nec eſt aliud ebrietas, quàm manifeſtus dæmon. Brioſus putat ſe aliquid optimũ gerere cùm fuerit ad præcipitia deuolutus: per vinolentiam armatur ad maledicta & conuitia proximorum, & immutatur męs eius, & lingua balbutit. Huiuſmodi enim vir cũ ſe putat bibere vinum, bibitur à vino. Plurimi nãque homines per vinum maximam debilitatẽ *Per ciborũ auiditatem frangitur ſtomachi fortitudo.*

contraxerunt: nec potuerunt consequi pristinam firmitatem, quia non temperauerunt gulæ ardorem, &c.

DE ODIO ET INVIDIA.

De verbis Domini super Matthæum.

Inuidia est filia superbiæ: sed ista mater superbia nescit esse sterilis, vbi fuerit, continuò parit. Suffoca matrem & non erit filia, &c.

De doctrina Christiana.

Inuidia vitium diabolicum, quo solo diabolus est reus, & inexpiabiliter reus. Nõ enim diabolo dicitur vt damnetur, Adulterium cõmisisti, furtum fecisti, villam alienam rapuisti: sed homini statum inuidisti, &c.

In Euangelium Ioannis.

Tolle inuidiam, & tuum est quod habeo. Tolle inuidiam, & meum est quod habes, &c.

De Genesi ad literam, Libro III.

Inuidia sequitur superbiam, non præcedit: non enim causa superbiendi est inuidia, sed causa inuidendi est superbia. Quum enim superbia sit amor propriæ excellentiæ, inuidia verò sit odium felicitatis alienæ, quæ vnde nascatur satis in promptu est. Amãdo enim quisque excellentiam suam, vel paribus inuidet, quod ei coæquantur, vel inferioribus ne coæquentur, vel superioribus, quòd non eis coæquatur. Superbiendo ergo inuidet, non inuidendo quisque superbus fit.

Vnde oritur inuidia.

In quodam sermone consecrationis Ecclesiæ.

Si ad mensam cuiusque potentis hominis nemo præsumit consciscis vestibus & inquinatis accedere, quãtò magis à conuiuio æterni regis, id est, ab altari Domini debet se vnusquisque inuidiæ vel odii veneno percussus, iracũdiæ furore repletus, cum reuerentia & humilitate subtrahere? Propter quod dicitur, Vade prius, reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuũ. Et iterum, Amice quomodo huc intrasti nõ habens vestem nuptialem?

Matth. 5
Matt. 22

Ad Vincentium Donatistam, Epistola XLVIII.

Non enim propter malos boni deserendi, sed propter bonos mali tolerandi sunt: sicut tolerauerunt Prophetæ contra quos tanta dicebant, nec communionem sacramentorum illius populi relinquebant: sicut ipse Dominus nocentem Iudam, vsque ad condignũ eius exitum tolerauit, & cum sacram cœnam cum innocentibus communicare permisit. Sicut tolerarunt Apostoli eos, qui per inuidiã (quod ipsius diaboli vitium est) Christum annuntiabant. Sicut tolerauit Cyprianus collegarum auaritiam, quam secundum Apostolum appellat idololatriam, &c.

Propter malos boni non deserendi.

Ad Iulianum, Epistola CXI.

Inuidus vir similis est naui, quæ iactatur in fluctibus maris, in perturbatione semper est, vt lupus rapax, insanit inaniter, in miseria detinetur, & tabescens ad nihilum redigitur, semper furore plenus, particeps dæmoniorũ efficitur. Homo pacificus securam possidet mentẽ, totus est Angelorum agmine munitus, & fructu iucunditatis repletus, gaudens & delectãs in Domino, &c.

In Psalmum XLIIII.

Nemo enim inuidet misero.

In Psalmum CIIII.

Inuidia est odium felicitatis alienæ.

In Psalmum CV. II.

Odium est crimen maximum persequentis, quanuis sit voluntaria pœna patientis, &c.

In Psalmum. CXXXVIII.

Perfecto odio oderam illos. Quid est perfecto odio? Oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam. Hoc est perfecto odio odisse, vt nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas, &c.

In Psalmum. CXXXIX.

Sunt quidam, qui cùm sint falsi iusti, necesse est vt inuideant veris iustis. Nemo enim inuidet alteri in eo quod non vult vel esse vel videri. Alius tibi inuidet, quia diues es: aut diues vult esse, vt tibi inuideat, aut putari vult diues. Alius tibi inuidet, quia clarus es & nobilis: aut hoc esse affectat, aut hoc se putari cupit. Et sic omnia quæ vidẽtur bona in hoc seculo, & putantur, quod quisque vult habere, & in quo vult excellere, vel cuius rei famã captat, in eo tibi inuidet. Isti autẽ qui falsi iusti sunt, videri volunt iusti, cùm non sint, & necesse est vt quem viderint verum iustum, inuideant illi, & hoc cum illo agãt, quomodo amittat vnde gloriatur. Inde veniũt omnes seductiones & supplantationes. Hoc prior ipse diabolus voluit, qui cadens stanti homini inuidit, & quia ipse amisit regnum cælorũ, hominem illuc peruenire noluit, & non vult. Et id agit nunc, vt homo illuc nõ perueniat, vnde ipse eiectus est. Quia ergo superbus est ipse, & ideo inuidus, quia superbus, omne corpus ipsius talium corpus est. Sed nos oremus contra illum, qui corrigi non potest, & pro istis qui possunt, vt dicamus homini iniusto, Quare inuides iusto ô homo iniuste? Quia vis videri iustus? Citò fac quod melius est, & facilius eris, Quod vis videri esto rebus, ita diliges cui inuidebas, quia quod illũ doles esse, eris & tu, & amabis in eo & ipsum in te. Etenim si inuideres diuiti, non esset in potestate tua, vt diues esses. Si inuideres honesto alicui senatori nobili, non esset in potestate tua vt nobilis tu esses & clarus. Si inuideres pulchro, nunquam pulchrum te faceres, Si inuideres forti & valido, nunquam tibi vires dares. Si inuides iusto, res in voluntate est. Esto quod doles esse alterum. Non enim empturus es, quod tu non es, & alius est. Gratis constat, citò constat. Pax in terra hominibus bonæ

Luc. 2

bonæ voluntatis,&c.

DE ACEDIA.

Libro I. De ciuitate Dei.

Deleta quippe Carthagine,magno videlicet terrore Romanæ reipublicæ extincto, tãta de prosperis rebus mala secuta sunt,vt corrupta concordia, prius sæuis cruentísque seditionibus, deinde mox malarum connexionum curarum bellis ciuilibus tãtus sanguis effusus est, vt crudeliora paterentur à ciuibus,quàm ab hostibus,&c.

Libro X. confessionum.

Nemo securus esse debet in hac vita, quæ tota tentatio nominatur,vt qui potuit fieri ex deteriore melior,non fiat ex meliore deterior.

Ad Versellenses.

Nullus fructus otii, imò magis dispẽdium. Otiosus Esau amisit primatus benedictionẽ, quia maluit cibum accipere quàm quærere, &c.

FINIS SECVNDI TOMI.

DE MORIBVS, VITA ET scriptis D. Aurelii Augustini.

INgenii felicitas in Augustino prorsus erat incõparabilis, siue spectes acumen vel obscurissima facilè penetrans, siue capacis memoriæ fidem, siue vim quandã mẽtis indefatigabilẽ. Difficultatibus quæstionũ alebatur. Huc quisquis prouocabat, prorsus equũ, vt habet prouerbiũ, in planiciem inuitabat: nec vllis materiis lubentius indulsit, quàm quæ subtilitate torquerent, nec conquiescebat, donec nodos omnes explicuisset. Ad docendum semper erat paratus, non aliter quàm auidus negotiator ad lucrum. Aderat interim admiranda quædã animi lenitas, quam Paulus vocat μακροθυμίαν, atque adeo mansuetudo quædã inuincibilis. Hãc Petrus appellat πραότητα, quam Plato putat non ita frequenter deprehendi in iis, quibus cõtigit acrius ingenium. Id perspicuum est ex conflictationibus quas plurimas habuit cum hæreticis: quorum alii miris technis studebant eludere pondus inuictæ veritatis, alii superfluis & alienis tergiuersationibus tempus eximere, alii conuitiis à disputatione ad iurgium prouocare, alii stolidissimis responsis fatigare vexaréque contrà disserentem. Hac mansuetudine cum instantia pertinaci coniuncta plurimos sanauit hæreticos, deuicit omnes. Nam quemadmodum iuxta vetus dictum, Africa semper aliquid noui mali solet gignere, ita tum variis hæreseon mõstris infestabatur. Et erat ea gens nec sobria, nec satis firmæ fidei, nouarúmque rerũ supramodum auida, alioqui vafra & arguta. Aduersus hæc portenta dictu mirum, quàm strenuum pugilem egerit Augustinus. Deiecit Pascentium Arrianum, licet auctoritate potestatéque publica formidabilem. Traduxit Manichæorum prodigiosas fabulas, & obscœna mysteria protraxit in lucem. Nam hæc prodidisse, erat vicisse. Donatistas & Circumcelliones, pertinax malum, multis conflictibus tandem fudit, profligauit, deleuit. Postrema lucta fuit cum Pelagianis. Denique Paganorum reliquias magna ex parte deleuit in Africa. Et ad tantas res conficiendas, non vi, non armis, non copiis, non carceribus aut incendiis vsus est, sed solo gladio Spiritus, quod est verbum Dei, atque armis apostolicis, tot victorias, tot triumphos parauit Ecclesiæ Christi: licet aduersus Donatistas & Circumcelliones, quoniam ipsi ferro rem gerebant, adhibita sit tandem Cæsaris auctoritas: refragante primùm Augustino, mox Cæsaris edictum sic intercessione sua moderante, vt plerisque multa auraria redderetur iis qui persoluerant. Summa verò cura intercessit apud Cæsareos magistratus, ne quis hæreticorum occideretur. Cupiebat amicus medicus superesse quos arte sua sanaret. Imò quod est maioris clementiæ, his etiã vitã impetrauit, à quibus orthodoxi quidã fuerant nefariè trucidati. Proinde quemadmodum ad tuendam Reip. tranquillitatem necessaria est legum principalium seueritas, ita laudãda est in Episcopis Christi vicarius christiana lenitas, quæ tã singularis fuit in hoc Præsule, vt cùm in ciuitate quadã Pagani contra Cæsaris edictum, publicitus impetum fecissent in Christianos, multisque vexatis, vnum atque alterum occidissent, aut certè paressent occidere, jámque seuerã principis vltionẽ expectarent, quidã ex ipsis eruditus, per literas ab Augustino petierit, vt intercessione sua Cæsaris iram mitigaret. Tam insignis erat sanctissimi Præsulis mãsuetudo, vt hostis & idololatra nõ vereretur ab hoc petere, quod vix amicus ab amico auderet flagitare. Clericos suos quos tædebat iuxta Episcopi institutum viuere, patiebatur ad alios Episcopos demigrare, qui clericos suos non adigebant ad domus ac vitæ communionem. Amabat perfectam pietatem, sed spontaneam non extortam. En aliud in hoc Episcopo miraculum. In tam multis, tam eximiis virtutibus, quàm nullum omnino supercilium? Dicas illum paterna maternáque viscera erga cunctos gerere, malos parturire vt renascantur in Christo, imbecilles veluti gallinam sub alis fouere ne pereant, bonos prouehere vt adolescant. Nullus erat tam deploratus hæreticus, aut alioqui flagitiosus, de quo spem prorsus abiiceret, donec ille spiraret. Sic in libris suis agit cum hæreticis, non solùm vt reuocat, verumetiam vt (quod quidem in ipso est) sanet: sic obiurgat improbos, vt semper vino seueritatis admisceat oleum lenitatis. Nihil est vsquam tam austerum, quod non interim spiret Christianæ charitatis dulcedinem, quæ iuxta Paulum Apostolum, omnia suffert, omnia sperat, omnia credit. Erat vnius ciuitatis Episcopus, cui nomen Hippon regius, quasi dicas equile regium (nam erat eiusdem nominis altera in eodem littore ad exortum cognomine differens, διάρρυτος enim dicebatur:) Sed omnium Ecclesiarũ solicitudinem in se recepit. Episcopos earum vel coram, vel missis voluminibus & epistolis instruens ad Euangelii prædicationem, armans aduersus hæreticos. Porrò quoniam vir prudens perspiciebat librorum vsum multò latius patere quàm vocis, in hanc operam quidquid potuit temporis suffurabatur. Ad hoc quò plus haberet

otii

otii, discutiebat humiliora negotia, quæ tametsi non aduersabantur pietati, tamen ab optima parte Mariæ nonnunquam auocabant. Itaque conciliandis matrimonijs auctor esse recusabat: iuncta tamẽ sua benedictione confirmabat. Nec ædificandi cura sustinebat occupari, licet alios id agentes non reprehenderet. Nec omnium epistolis respondebat, nisi si quid tractarent ad religionis pertinens negotium. Postremò ingrauescente iam ætate successorem sibi designauit, ad quem leuioris momenti causæ deferrẽtur, ipse vacaret melioribus. Quo tempore libros omnes suos collegit, recognouit, & in ordinẽ digessit, ne vel interirent complures, quod Ambrosianis scriptis accidisse videmus, aut mendosi deprauatique versarentur in manibus hominũ. O virum ad totius Ecclesiæ publicam vtilitatem natum, factum, datúmque diuinitus! quam vbi conspiceret Vuandalorum, Gothorum, aliorumque barbarorum, qui ex Hispaniis in Africã eruperant, incursione turbari, iã huius vitæ cœpit tædere, quódque solum potuit, consolatus suos, & hortatus ad tolerantiam, è viuis excessit. Tanto ardore vir Spiritu Christi plenus, amabat, atque vt ita loquar, deperibat decorem, profectum, ac tranquillitatem domus Dei. Hoc, hoc nimirum erat summum illum Ecclesiæ sponsi imitari. Nã & suæ quisque Ecclesiæ quodammodo sponsus est omnis Episcopus. Ille dixit, Bonus pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Hic qui nullum vnquam periculum metuit, quoties Ecclesiæ commodis seruiendum erat, cui vita erat acerba, posteaquam Ecclesiæ malis nõ potuit succurrere, quàm lubens illã impendisset ouibus suis, si modò eius dispendio gregis salutẽ redimere licuisset? Optabat cũ Paulo vel anathema fieri pro filijs suis. Hæc pietas, hæc charitas, hic ardor pectoris facit, vt omnia illius scripta non minus inflãment ad pios affectus, quàm doceant intellectũ. Sunt enim qui friuolis argutijs vtcunque delectent otiosos. Sunt qui subtiliter doceant necessaria: sed non efficiunt vt quod intelligitur ametur. Sunt rursus qui excitent ad studium pietatis, sed excitatos doctrina non prouehant. Frustra intelligas nisi diligas quod percepisti. Ad quid autem conducit cæcus amor? Scientia, si absit charitas, inflat: charitas absque scientia nonnũquam perniciosa pro salutiferis amplectitur. Sed vtraque res alterius opẽ poscit, & coniurat amicæ. At hic incomparabilis doctor simulatque maturuit in Christo, neglectis sophistarum ineptis argutationibus ingenit plusquam aquilinam aciem ad necessariæ veritatis inuestigationem intendit: ita subtilis in disputando, si res postulet acumen dialecticum, vt semper dimittat lectorem, non tantùm eruditiorem, verumetiam ad bene viuendum inflammatiorem. Amabat vehementer quod docebat, docebat argutè quod amabat: vtrunque gignit in eo, qui scriptis illius propius intendit animum. Rhetoricæ multa sunt cum dialectica communia. Rhetorum libros ad plenũ imbiberat. Platonica philosophia, quoniam Rhetorica quadam suauiloquentia multa tradit de rebus à corpore separatis, & iis quæ sensibus deprehendi non possunt, sed animi cernuntur oculis, non pauca miscens Christianorum placitis consentanea, videtur immensius delectatus. Ex Aristotelica philosophia, vel quia iciuniore stylo tractat res subtiles, vel quia nondum in publicum vsum venerat apud Latinos, nihil degustasse videtur, præter libros de Enuntiatione, de Categorijs, siue de decem generibus generalissimis & de quinque vocibus prædicabilibus, quem librorum velut isagogen ad Aristotelis philosophiam, edidit Porphyrius. Nec vsquam vllo vestigio deprehendere licet, quòd eiusdẽ libros, quos de topicis, analyticis & elenchis, de naturalibus rebus & vltramũdanis, de moribus & Rep. multos reliquit, vsquam attigerit, vt nec cõmemorem tot Græcos Aristotelis interpretes. Et tamen hic ipse qualiscunque Aristotelicæ logicæ gustus, dialectici non solùm opinionem illi conciliauit, verumetiam magnam apud hæreticos conflauit inuidiam, quòd quum veritatis pondere premerentur, clamarent se artificio dialectices circumueniri. Siquidẽ illis temporibus tanta fuit apud Afros huius artis ruditas, vt qui sciret distinguere substantiam ab accidente, genus à specie, relatiũ ab absoluta, vulgò dialecticus haberetur: quo nomine Iulianus visus est idoneus qui cum Augustino manus ex æquo conferet. Sed dialectica fuit antequam quisquam de dialectica præciperet: nec enim est de numero earum disciplinarum, quas instituit hominum voluntas, sed quas animaduertit sagacitas, qualis est Arithmetica. Tanta autem erat in Augustino, támque mirabilis ingenij felicitas, tanta sanitas, tantáque præsentia, vt ne extstus quidem, qui posterioribus seculis bonam ætatis partem in dialectica contriuerunt, quenquam inuenias, qui citius aut certius perspiciat causæ scopũ, qui dexterius ad hunc rationes & scripturarum testimonia dirigat, qui felicius nodos quæstionum dissecet. Multa non scripsit, sed dictauit, pleraque per notarios ex ore loquentis excepta sunt, cuiusmodi fermè sunt enarrationes Scripturarum ad populum, quos ipse tractatus appellat, aut collationes cum hæreticis, quæ olim publicitus apud plebẽ fieri consueuerunt. Nec alibi mihi videtur admirabilior.

D. AVRELII AVGVSTINI

IN PENTATEVCHVM, ID EST, Septē voluminum opus siue libros Quæstionū, ex lib. Retractationum, ARGVMENTVM.

2. Retract. Cap. 55.

EOdem tempore scripsi etiam libros Quæstionum, de libris eisdem Diuinis, septem: quos ideo sic appellare volui, quia ea quæ ibi disputantur, magis quærēda proposui, quàm quæsita dissolui. Quanuis multò plura in eis mihi videantur ita pertracta ta, vt possint etiā soluta & expōsita non immeritò iudicari. Regnorū quoque libros eodem modo iam cōsyderare cœperamus: sed nō multò progressi, in alia, quæ magis vrgebant, animum intendimus. In primo autem libro, vbi agitur de virgis variatis, quas ponebat Iacob in aqua, vt in conceptu positæ oues eas viderent cùmbiberent, & varios fœtus parerent: non bene à nobis expōsita est causa, cur iterum concipientibus non ponebat, id est, cùm alios fœtus conciperent: sed in priore conceptu. Nam quæstionis alterius expōsitio, vbi quæritur, cur dixerit socero suo Iacob, Et decepisti mercedem meam decem agnabus: satis veraciter enodata demonstrat istam, sicut solui debuit, non solutam. In tertio quoque libro, vbi de summo agitur sacerdote, quo modo creabat filios, cū haberet necessitatem bis in die ingredi in sancta sanctorum, vbi erat altare incensi, ad offerendum incensum manè & vespere, quò non posset, sicut Lex dicit, immūdus intrare: & eadem Lex dicat, immundum fieri hominem etiam ex concubitu coniugali, quem iubet quidem lauari aqua: sed & lotum dicit immundum esse vsque ad vesperam. Vnde dixi consequēs esse, vt aut continens esset, aut diebus aliquibus intermitteretur incensum: non vidi non fuisse consequēs. Potest enim sic intelligi quod scriptum est, Immundus erit vsque ad vesperam: vt post ipsam vesperam iam non esset immundus, sed vsque ad ipsam: & vespertino iam tempore incensum mundus offerret, cùm propter creandos filios post matutinum incensum mixtus esset vxori. Itemque vbi quæsitum est, quomodo prohibitus esset super funus patris sacerdos summus intrare, cùm eum fieri sacerdotem (quando vnus erat) nisi post mortem sacerdotis patris non oporteret: dixi propter hoc necesse fuisse, nondū sepulto patre statim post eius mortem filium eius constitui, qui succederet patri, etiā propter continuationis incensum, quod bis in die necesse erat offerri, qui sacerdos super mortem nondum sepulti patris prohibeturintrare. Sed parum attendi potuisse hoc præcipi magis propter illos qui futuri fuerant summi sacerdotes, non patribus summis sacerdotibus succedentes, sed tamen ex filiis, id est, ex posteris Aaron: si forte summus sacerdos, aut filios non haberet, aut ita reprobos haberet, vt nullus eorum patri deberet succedere. Sicut Samuel summo sacerdoti Heli

Lib. 1. quæstionum quæst. 93 Genes. 30.

Lib. 1. quæstionum quæst. 93. Genes. 31

Lib. 3. quæst. 9. 82

Leuit. 6.

Leuit. 15

Lib. 3. quæst. 9. 83

Leuit. 21

Leuit. 8

succesisit, quum sacerdotis filius ipse nō esset: sed tamē ex filiis, hoc est, ex posteris esset Aarō, De latrone etiā cui dictum est, Hodie mecum eris in paradiso, quòd non fuerit visibiliter baptizatus, quasi certū posui, cùm sit incertum, magisque illum baptizatum fuisse credēdum sit, sicut ego quoque alibi postea disputaui. Itē quod in quinto libro dixi, vbi commemorantur matres in generationibus Euangelicis, non eas positas nisi cum patribus: verum est quidē, sed ad rem, de qua agebatur, non pertinet. Agebatur autem de iis, qui ducebāt fratrum vel propinquorum coniuges, eorum qui sine filiis defuncti essent, propter duos patres Ioseph, quorum alterum Matthæus commemorat, alterum Lucas. De qua quæstione diligenter in hoc opere differui, cùm retractaremus opus nostrum contra Faustum Manichæum.

1. Reg. 1. 2 Lib. 3. quæstio. q. 84

De Baptismo contra Donatistas lib. 4. cap. 22. Lib. 51 quæst. q. 46. in fine.

2. Retractatio. cap. 7. Lib. 2. contra Faustū cap. 3 & lib. 28. ca. 3

D. AVRELII AVGVSTINI

Liber primus Quæstionum super Genesim.

QVm Scripturas sanctas, quæ appellantur Canonicæ, legendo & cum aliis codicibus secundum Septuaginta interpretationē cōferendo, percurreremus, placuit eas quæstiones quæ in mentē venirent, siue breuiter commemorando, vel etiam pertractando tantūmodo proponerentur, siue etiam qua litercunque tanquā à festinantibus soluerētur stylo alligare, ne de memoria fugerēt. Non vt eas satis explicaremus, sed vt cū opus esset possemus inspicere, siue vt admoneremur quid adhuc esset requirendū, siue ex eo quod iam videbatur inuentū, vt poteramus essemus & ad cogitādū instructi, & ad respōdendū parati. Si quis igitur hæc legere propter incultū in nostra festinatione sermonē nō fastidierit, si quas quæstiones propositas inuenerit nec solutas, non ideo sibi nihil collatum putet. Nonnulla enim pars inuentionis est, nosse quid quæras. Quarū autem solutio placuerit, non ibi vile contēnat eloquium, sed de aliqua participatione doctrinæ potius gratuletur. Nō enim disputatio veritate, sed veritas disputatione requiritur. Exceptis ergo iis, quæ à principio, vbi Deus cælum & terram fecisse narratur, vsque ad dimissionem duorum hominum primorum de paradiso, tractari multipliciter possunt: de quibus alias quantū potuimus disseruimus. Hæc sunt quæ legentibus nobis occurrentia voluimus literis attingere.

De eo quod dictū est de Cain, quòd ædificauit ciuitatē, quæritur quomodo id fieri posit, cùm ciuitas non nisi ex multitudine hominum constituatur, quātēpore Cain fuisse verisimile non est.

Quæstio 1

Quomodo Cain potuerit condere ciuitatem, quum ciuitas alicui vtique constituatur hominum multitudini: illi autem duo parentes & duo filii fuisse referantur, quorum filiorum ab altero alter occisus est, in cuius occisi locum alius natus esse narratur? An ideo quæstio est, quoniam qui legunt, putant solos tunc

fuisse homines, quos diuina Scriptura commemorat: nec aduertunt eos qui prius sint conditi duos, vel eos etiam quos genuerunt, tam diu vixisse, vt multos gignerent. Non enim & Adam ipse eos solos genuit, quorum nomina leguntur: cum de illo Scriptura loquens ita concludat, quòd genuerit filios & filias. Proinde cùm multò pluribus illi vixerint annis, quàm Israelitæ in Aegypto fuerũt, quis non videat quàm multi homines nasci potuerũt, vnde illa ciuitas impleretur, si Hebræi multò minore tẽpore ita multiplicari potuerunt?

Vtrùm quod quidam codices habent, Mathusalem post diluuium vixisse verum sit.

2 Quæri solet, quomodo Mathusalé secundum annorum computationem viuere post diluuium potuerit, quum omnes, præter eos qui in arcam ingressi sunt, periisse dicãtur. Sed hanc quæstionem plurium codicum mendositas peperit. Non solùm quippe in Hebræis aliter inuenitur, verumetiã in Septuaginta interpretatione, Mathusalem in codicibus paucioribus, sed veracioribus, sex annos ante diluuium reperitur fuisse defunctus. *Genes.5*

Quomodo potuerint Angeli cum filiabus hominum concumbere.

3 Item quæritur, quemadmodum potuerint Angeli cum filiabus hominum concumbere, vnde gigãtes nati esse perhibẽtur: quãuis nonnulli & Latini & Græci codices, non Angelos habeant, sed filios Dei, quos quidam ad soluendam istam quæstionem iustos homines fuisse crediderunt, qui potuerunt etiam Angelorum nomine nũcupari. Nam de homine Ioanne scriptum est, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. Sed hoc mouet, quomodo vel ex hominum concubitu nati sint gigantes, vel fœminis miscere se potuerũt, si non homines, sed Angeli fuerunt. Sed de gigantibus, id est, nimiũ grandibus atque fortibus puto non esse mirandum, quòd ex hominibus nasci potuerunt, quia & post diluuium quidam tales fuisse reperiũtur, & quædam corpora hominum ad incredibilẽ modum ingentia, nostris quoque temporibus extiterunt, non solùm virorum, verumetiã fœminarum. Vnde credibilius est homines iustos appellatos vel Angelos vel filios Dei, concupiscẽtia lapsos peccasse cũ fœminis, quàm Angelos carnem non habentes, vsque ad illud peccatum descẽdere potuisse: quanuis de quibusdam dæmonibus, qui sunt improbi mulierib⁹, à multis tam multa dicantur, vt non facilè sit de hac re definienda sententia. *Genes 6* *Malach.3*

Quomodo arca tanta, quanta describitur, potuerit totanimalia & eorum escas capere.

4 De arca Noe quæri solet, vtrùm tanta capacitate, quanta describitur, animalia omnia, quæ in eam ingressa dicuntur, & escas eorum ferre potuerit. Quam quæstionem cubito Geometrico soluit Origenes, asserens non frustra Scripturam dixisse, quòd Moses omni sapientia Aegyptiorũ fuerit eruditus, qui Geometricam dilexerũt. Cubitum autem Geometricum dicit tantum valere, quantũ nostra cubita sex valent. Si ergo tam magna cubita intelligamus, nulla quæstio est tantæ capacitatis arcam fuisse, vt posset illa omnia continere. *Genes.6* *Actor.7*

Vtrùm arca tam magna, centum annis potuerit fabricari.

Item quæritur, vtrùm arca tam magna, cẽtum annis potuerit fabricari à quatuor hominibus, id est, Noe, & tribus filiis eius. Sed si non potuit, non erat magnum fabros alios adhibere, quanuis operis sui mercede accepta, non curauerint, vtrùm eam Noe sapienter, an verò inaniter fabricaret. Et ideo non in eam intrauerint, quia non crediderunt quod ille crediderat. 5 *Genes.6*

Vtrùm inferiora arca futura erant bicamerata & tricamerata.

Quod ait, cùm de arcæ fabricatione loqueretur, Inferiora bicamerata & tricamerata faciesea: quæri solet, num inferiora futura erant bicamerata & tricamerata. Sed in hac distinctione totam structuram eius intelligi voluit, vt haberet inferiora, haberet media, & superiora, quæ appellãtur tricamerata. In prima quippe habitatione, id est, in inferioribus semel camerata erat arca: in secunda verò habitatione supra inferiorem iam bicamerata erat, ac per hoc in tertia supra secundam tricamerata erat. 6 *Genes.6*

Quibus escis animalia carnibus vesci solita, in arca vescebantur.

Quoniam non solùm viuere, sed etiam pasci in arca animalia Deus dixit & iussit, vt Noe ab omnibus escis sumeret sibi & illis, quæ ad illum fuerant ingressura: quæritur quomodo ibi leones vel aquilæ, quæ cõsueuerunt carnibus viuere, pasci potuerint: vtrũ & animalia præter illum numerum propter aliorum escã fuerint intromissa, an aliqua præter carnes, quod magis credendum est, à viro sapiẽte, vel Deo demonstrãte prouisa sint, quæ taliũ quoque animantium escis conuenirent. 7 *Genes.6*

Quomodo intelligendum sit, quæ dicuntur animalia munda & immunda bina intrasse.

Quod scriptum est, A volatilibus mundis, & à volatilibus immundis, & à pecoribus mundis, & à pecoribus immũdis, & ab omnibus serpentibus in terra: quod deinde non additur, subauditur mundis & immundis, & adiũgitur, Duo & duo intrauerunt ad Noe in arcam, masculus & fœmina: quæritur quomodo superius distinxerit duo & duo ab immundis, nunc autẽ siue à mundis, siue ab immundis, duo & duo dicat intrasse. Sed hoc refertur non ad numerum mundorum vel immũdorum animalium, sed ad masculum & fœminã, quæ in omnibus siue mundis, siue immundis, duo sunt, masculus & fœmina. 8 *Genes.7*

Quod dicitur, In quo est spiritus vitæ, an de Spiritu sancto intelligatur.

Notandum quod scriptum est, In quo est spiritus vitæ: nõ solum de hominibus, sed etiã de pecoribus dictum, propter illud quod qui- 9 *Genes.7*

dam de Spiritu sancto volunt intelligere, vbi
Genes.2 scriptum est, Et insufflauit Deus in faciē eius spiritum vitæ: quod melius quidā codices habent, Flatum vitæ.

Quomodo potuerint aquæ diluuii superare omnem montium altitudinem, cùm historia dicat Olympum tantæ celsitudinis.

10 De montium altitudine, quam omnē scriptum
Gen.7 est transcendisse aquam cubitis quindecim, quidam non rectè dubitāt propter Olympi mōtis historiam. Si enim terra inuadere potuit spatium tranquilli illius aeris, vbi dicitur nec nubes videri, nec ventos sentiri, cur non & aqua crescendo?

Vtrùm aquæ illæ semper vsque in centesimum quinquagesimum diem excreuerint.

11 Quod scriptū est, Exaltata est aqua super
Gen.7 terrā centum quinquaginta dies: quæritur vtrùm vsque ad hunc diem creuerit, an per tot dies in altitudine, qua creuerat, manserit: quoniam alii Interpretes planius vidētur hoc dicere. Nā Aquila dixit, Obtinuit: Symmachus, Prævaluerunt aquæ.

Vtrùm ea, quæ Gene. octauo facta narrantur, sint post centum quinquaginta dies facta.

12 Quòd scriptum est, exaltatam esse aquam
Gen.8 post centum quinquaginta dies, & adductum esse spiritum super terram, & desiisse aquam, & conclusos fontes abyssi, & cataractas cæli, & detentam pluuiam de cælo: quæritur, vtrū post centum quinquaginta dies hæc facta sint, an per recapitulationem omnia commemorata sint, quæ post quadraginta dies pluuiæ fieri cœperunt, vt hoc solùm ad centum quinquaginta dies pertineat, quòd vsque ad ipsos aqua exaltata est, aut de fontibus abyssi cessante iam pluuia, aut quia mansit in altitudine sua, dum in illo spiritu siccaretur. Cætera verò quę dicta sunt, non post centum quinquaginta dies omnia facta sint, sed cōmemorata sunt omnia, quę ex fine quadraginta dierum fieri cœperunt.

Vtrùm coruus ille, qui emissus dicitur, & non rediisse, mortuus sit.

13 Quòd scriptum est, dimissum esse coruum
gene.8 nec rediisse, & dimissam post eū columbam, & ipsam rediisse, quòd non inuenisset requiē pedibus suis: quæstio solet oboriri, vtrū coruus mortuus sit, an aliquo modo viuere potuerit: quia vtique si fuit terra vbi requiesceret, etiā columba requiem potuit inuenire pedib⁹ suis. Vnde cōiicitur à multis, quòd cadaueri potuerit coruus insidere, quod columba naturaliter refugit.

Quomodo columba dicatur non inuenisse vbi resideret, cùm iam cacumina montium nudata dicantur.

14 Item quæstio est, quemodo columba non
gen.8 inueniret vbi resideret, si iam sicut narrationis ordo contexitur, nudata fuerant cacumina mōtium. Quæ quæstio videtur per recapitulationē posse dissolui, vt ea posterius narrata intelligātur, quæ prius facta sunt: an potius aquæ nondum siccatæ fuerant?

Quomodo intelligendum sit, quod Dominus dicit, Non adiiciam adhuc maledicere terræ &c.

15 Quid sibi vult quod Dominus dicit, Non
Gene.8 adiiciam adhuc maledicere super terram propter opera hominum: quia apposita est mens hominis ad malitiam à iuuentute: non adiiciam ergo adhuc percutere omnem carnem viuam, quemadmodum feci? Et deinde iungit, quæ secundum largitatem bonitatis suæ donat hominibus indignis. Vtrùm hîc Testamenti noui indulgentia figurata sit, & præterita vltio ad vetus pertineat Testamentū, hoc est illud ad Legis seueritatem, hoc ad gratiæ bonitatem?

Quomodo dicatur, De manu fratris eius requirā animam hominis, & quis sit frater.

16 Quid est, Et de manu fratris hominis ex-
Gen.9 quiram animam hominis? An omnem hominem fratrem eius hominis nomine intelligi voluit, secundum cognationem ex vno ductam?

Cur Cham in filio suo Chanaā, non in se maledicitur, ob offensam patris.

17 Quæritur quare peccans Cham in patris
Gen.9 offensa, non in seipso, sed in filio suo Chanaā maledicitur. Nisi quia prophetatum est, terram Chanaan eiectis Chananæis inde & debellatis, accepturos fuisse filios Israel, qui venirent de semine Sem.

Quomodo dictum sit de Nemroth, quòd cœpit esse gigas super terram, cùm gigantes antea natos Scriptura commemoret.

18 Quæritur quomodo dictum sit de Nem-
gen. 10 roth, Hic cœpit esse gigas super terrā: cùm gigantes & antea natos Scriptura commemoret. An fortè quia post diluuium nouitas generis humani reparandi de nouo commemoratur, in qua nouitate hic cœpit esse gigas super terram?

Quomodo in diebus filii Heber, Phalech nomine, diuisa dicatur terra.

19 Quæritur quid sit, Et Heber nati sunt filii
gene.10 duo: nomē vnius Phalech, quia in diebus eius diuisa est terra: nisi fortè in diebus eius linguarum illa diuersitas extiterit, per quam factum est, vt gentes diuiderentur.

Quomodo dicatur omnibus fuisse labium vnum, cùm prius filii Noe dicantur distributi per terras secundum tribus, gentes & linguas.

20 Et erat omnis terra labium vnum: quo-
gene. 11 modo hoc potest intelligi, quando superius dictum est, quòd filii Noe, vel filiorum eius, distributi essent per terram secundum tribus, & secundum gētes, & secundum linguas suas: nisi quia per recapitulationem postea commemorat, quod prius erat? Sed obscuritatem hic facit, quòd eo genere locutionis ista contexit, quasi narratio de his quę postea facta sunt, consequatur.

Quomodo stulte præsumentes dixerint, Venite, ædificemus nobis ciuitatem & turrim, cuius caput erit vsque in cælum.

21 Venite, ædificemus nobis ciuitatem & tur-
gen.11

rim,cuius caput erit vsque in cælum. Si se hoc posse crediderũt,nimium stulta audacia & impietas deprehenditur. Et quia ob hoc Dei vindicta secuta est, vt eorum linguæ diuiderẽtur, non absurdè hoc cogitasse creduntur

Ad quos intelligatur Deus dixisse, Venite descendamus & confundamus linguam eorum.

22 Gen.11 Venite descendamus & confundamus linguas eorum, ne audiat vnusquique vocẽ proximi: vtrùm ad Angelos Dominus hoc dixisse intelligatur, an secundum illud accipiendum est,quod in exordio libri legitur,Faciamus hominem ad imaginem & similitudinẽ nostrã? Nam & quod postea dicitur singulari numero,quia ibi cõfudit Dominus labiũ terræ,sicut & illic cùm dictum esset,Faciamus ad imaginẽ nostram: in consequẽtibus tamen non dictum est, Fecerunt, sed, Fecit Dominus.

Cùm dictum sit ad Noe, Erunt anni vitæ eorum centum viginti, quomodo dicatur de Arphaxat postea genito quòd plusquam trecentis annis vixerit.

13 Gene.10. Quòd scriptum est, Et erat Arphaxat annorum centum triginta quinque, cùm genuit Chainam: & vixit Arphaxat postquam genuit Chainã annos quadringẽtos, vel sicut in Græco inuenimus, annos trecẽtos: quæritur quomodo dixerit Deus ad Noe, Erunt anni vitæ eorum centum viginti. Nõdum natus erat Arphaxat,quando dixit hoc Deus:nec fuit in arca cum parentibus suis. Quomodo ergo intelliguntur deinceps anni vitæ humanæ prædicti centum viginti, cùm inueniatur homo vixisse amplius quadringentis annis: nisi quia intelligitur ante viginti annos quàm inciperet arca fieri, quæ centum annis facta reperitur, hoc Deum dixisse ad Noe: cùm iam prænuntiaret se facturum esse diluuium, nec vitæ humanæ deinceps futuræ in iis, qui post diluuiem nascerentur,spatium prædixisse, sed vitæ hominum quos fuerat diluuio deleturus?

Quare scriptum sit, Sem erat pater omnium filiorum Heber, &c.

24 Gene.10 Quæritur quare scriptum sit, Sem erat pater omnium filiorum Heber, cùm inueniatur Heber quintus à Sem filio Noe: vtrùm ex illo Hebræi dicuntur appellati:per illum enim generatio transit ad Abraham.Quid ergo probabilius sit ab Heber tanquam Heberos dictos,an Abraæos,meritò quæritur.

Quomodo constet veritas super numerum annorum Thare patris Abraham.

25 Gene.11. Quomodo accipiendum sit, quòd cùm esset Thare pater Abrahæ annorum septuaginta,genuit Abraham: & postea cum suis omnibus mansit in Charram:& vixit annos ducẽtos quinque in Charram,& mortuus est? Et dixit Dominus ad Abrahã, vt exiret de Charrã: &exiit inde,cùm esset idẽ Abrahã septuaginta quinque annorum: nisi quia per recapitulationẽ ostenditur viuo Thare locutũ esse Dominum: & Abraham viuo patre suo secundum præceptum Domini,exisse de Charram, cùm esset septuaginta quinque annorum, centesimo & quadragesimo & quinto anno vitæ patris sui: si dies vitæ patris sui anni ducenti quinque fuerint, & ideo scriptum sit, Fuerũt anni vitæ Thare ducenti quinque in Charrã: quia ibi compleuit omnes annes totius vitæ suæ. Soluitur ergo quæstio per recapitulationẽ, quæ indissolubilis remaneret,si post mortem Thare acciperemus locutũ esse Dominũ ad Abraham, vt exiret de Charram, qui non poterat esse adhuc annorum septuagintaquinque,cùm pater eius iam mortuus esset,quia eũ septuagesimo ætatis suæ anno genuerat,vt Abraham post mortem patris sui annorum esset centum triginta quinque, si omnes anni patris eius ducenti quinque fuerunt. Recapitulatio itaque ista si aduertatur in Scripturis, multas quæstiones soluit, quæ indissolubiles possint videri, secundum etiam superiorum quæstionum expositionem per eandem recapitulationem factam: quãquam & aliter ista quæstio à quibusdem soluatur, ex illo cõputari annos ætatis Abrahæ, ex quo liberatus est ex igne Chaldæorũ,in quẽ missus est vt arderet: quia eundẽ ignem superstitione Chaldæorũ colere noluit:liberatus inde,etsi in Scripturis non legitur, Iudaica tamẽ narratione traditur. Potest & sic solui:quoniam Scriptura quæ dixit, Cùm esset Thare annorum septuaginta, genuit Abram,& Nachor,& Aram:non vtique hoc intelligi voluit,quia eodem anno septuagesimo ætatis suæ omnes tres genuit: sed ex quo anno generare cœpit, eum annum cõmemorauit Scriptura. Fieri autem potuit, vt posterior sit generatus Abraham: sed merito excellẽtiæ,qua in Scripturis valde cõmendatur, prior fuerit nominatus: sicut Propheta priorẽ nominauit minorẽ, Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Et in Paralipomenõn,cũ sit quartus nascẽdi ordine Iudas,prior est nominatus, à quo Iudaicæ genti nomen est datum propter tribum regiã. Cõmodius autẽ plures exitus inueniuntur,quibus quæstiones difficiles dissoluuntur. Consyderanda est sanè narratio Stephani de hac re, cui magis harũ expositionum non repugnet. Et illud quidem cogit, vt non sicut narrari videtur in Genesi,post mortẽ Thare locutus sit Deus ad Abraham,vt exiret de cognatione sua & de domo patris sui: sed cùm esset in Mesopotamia priusquam habitaret in Charram,iam vtique egressus est de terra Chaldæorum, vt in illo itinere intelligatur ei locutus Deus. Sed quod Stephanus postea sic narrat, Tunc egressus Abraham de terra Chaldæorum,habitauit in Charram: & inde postquam mortuus est pater eius, collocauit eum in terra hac:non paruas affert angustias huic expositioni,quæ fit per recapitulationem. Videtur enim habuisse imperium Domini,quod ei fuerat locutus in itinere Meso-

Malach.1 Paral.4

Gene.12.

Actuũ.7.

po-

potamiæ, egresso de terra Chaldæorum, & etiunti in Charram: & hoc imperium post mortem patris sui obedienter implesse, cùm dicitur, Et habitauit in Charram, & inde postquã mortuus est pater eius, collocauit illum in terra hac. Ac per hoc manet quæstio, si septuagintaquinq; annorũ, sicut euidẽter scriptura Geneseos loquitur, fuit quãdo egressus est de Charram: quomodo esse possit hoc verum, nisi fortè quod ait Stephanus, Tunc Abrahã egressus est de terra Chaldæorum, & habitauit in Charram: non sic accipiatur, tunc egressus est posteaquam ei locutus est Dominꝰ. Iam enim erat in Mesopotamia, sicut suprà dictum est, quando illud audiuit à Domino. Sed ipsam regulã recapitulationis contexere voluit Stephanus, & simul dicere vnde egressus, vbi habitauerit, cùm ait, Tunc Abraham egressus est de terra Chaldæorũ, & habitauit in Charram. In medio autem, id est, inter egressum de terra Chaldæorum, & habitationem in Charrã, locutus est ei Deus. Postea verò quod adiungit Stephanus, Et inde postquam mortuus est pater eius, collocauit illum in terra hac: intuendum est, quia non dixit, Et postquam mortuus est pater eius, egressus est de Charram: sed inde collocauit eum Deus in terra hac: vt post habitationem in Charram collocaretur in terra Chanaan, non post mortem patris egressus, sed post mortem patris collocatus in terra Chanaan, vt ordo verborũ sit, Habitauit in Charram, & inde collocauit illum in terra hac, postquam mortuus est pater eius: vt tunc intelligamus collocatum vel constitutum Abraham in terra Chanaan, quando illic eum nepotem suscepit, cuius vniuersum semẽ illic fuerat regnaturũ, ex promisso Dei hæreditate donata. Nã ex ipso Abraham natus est Hismael de Agar, nati & alii ex Cethura, ad quos illius terræ nõ pertinet hæreditas. Et ex Isaac natus est Esau, qui similiter ab illa hæreditate alienatus est. Ex Iacob autẽ filio Isaac quotquot filii nati sunt, id est, vniuersũ semen eius, ad illam hæreditatem pertinuit. Sic ergo collocatus & cõstitutus est in illa terra Abraham, quoniam vixit vsque ad natiuitatem Iacob, si rectè intelligitur. Soluta quæstio est secundum recapitulationem, quanuis & aliæ solutiones non sint contemnendæ.

Act. 7.

Quomodo congruat sancto ac fideli viro quod Abraham fecit, dicendo AEgyptiis Saram esse sororem suam, & occultãdo quòd esset vxor sua. Et quomodo Sara inuiolata probari possit.

26 Erit ergo quum te viderint AEgyptii dicent, quia vxor illius hæc. Factum est autem statim vt intrauit Abraham in AEgyptum, videntes AEgyptii mulierem, quia speciosa erat valde. Quomodo accipiatur, quòd Abraham veniens in AEgyptum, cælare voluit vxorem suam esse Saram, secundum omnia quæ de hac re scripta sunt, vtrùm hoc conuenerit tam sancto viro, an sub defectione fidei eius intelligatur, sicut nonnulli arbitrati sunt. Iam quidem contra Faustum de hac re disputaui, & diligentius à presbytero Hieronymo expositum est, quare non sit consequens, vt quum aliquot dies apud regem AEgypti Sara fuerit, etiam eius concubitu credatur esse polluta: quoniam mos erat regius, vicibus ad se admittere mulieres suas: & nisi fomentis & vnguentis diu prius accurato corpore, nulla intrabat ad regem. Quæ dum fierent, afflictus est Pharao manu Dei, vt viro reddi iuberet intactam, quam ipsi Deo maritus commiserat, tacens quòd vxor esset, & non mentiens quòd soror esset, vt caueret quod cauere quantum homo poterat, & Deo commendaret quod cauere non poterat: ne si & illa quod cauere poterat, Deo tantùm dimitteret, non in Deum credere, sed Deum tentare potius inueniretur.

Cõtra Faustũ li. 22. Cap. 23 & sequens

Gene. 12.

Quomodo de terra Sodomorum & Gomorrhæorum dicitur priusquàm deleretur, quòd esset velut paradisus Dei, & quis sit paradisus ille.

Quòd terra Sodomorũ & Gomorrhæorũ 27
antequam deleretur cõparatur paradiso Dei, eò quòd erat irrigua, vt terra AEgypti quam Nilus irrigat: satis, vt opinor, ostenditur quomodo debeat intelligi ille paradisus, quem plã tauit Deus vbi constituit Adam. Quis enim alius intelligatur paradisus Dei non video. & vtique si arbores fructiferæ in paradiso virtutes animi accipiẽdæ essent, sicut nonnulli existimant, nullo corporali in terra paradiso veris lignorum generibus instituto, non diceretur de ista terra, sicut paradisus Dei.

Gene. 13

Quomodo intelligẽdum sit, quòd semini Abrahæ promittit tantum terræ, quantum acie oculorum posset per quatuor cardines mundi ipse Abraham circunspicere.

Respiciens oculis tuis, vide à loco in quo 28
nunc tu es, ad Aquilonem, & Africum, & Orientem, & mare: quia omnem terrã quam tu vides, tibi dabo eam, & semini tuo vsque in seculum. Quæritur hîc, quomodo intelligatur tantum terræ promissum esse Abrahæ & semini eius, quantum poterat oculis circunspicere per quatuor cardines mundi. Quantum est enim quod ad terram conspiciẽdam acies corporalis visus possit attĩgere? Sed nulla est quæstio, si aduertamus non hoc solùm esse promissum. Non enim dictũ est, Tantum terræ dabo tibi, quantum vides: sed tibi dabo terram, quam vides. Quum enim & vlterior vndique dabatur, profectò hæc præcipuè quæ videbatur, dabatur. Deinde attendendum est quod sequitur. Quoniã ne putaret etiam ipse Abraham hoc solum promitti terrarum quod aspicere vel circunspicere posset: Surge, inquit, & perambula terram in longitudine eius & latitudine, quia tibi dabo eam: vt perambulando perueniret ad eam, quam oculis vno loco stãs videre non posset. Significatur autem ea terra,

Gene. 13.

quam prius populus accepit Israel, semen Abrahæ secundum carnem: non illud latiꝰ semẽ secundum fidem: quod ne taceretur, dictum est ei, futurum sicut arenam maris, secundum hyperbolem quidem: sed tamen tantum quòd numerare nullus posset.

Quapropter Abraham nominetur transfluuialis.

29 Gene. 15. Et nuntiauit Abraham trãsfluuiali. Trãsfluuialem Abraham appellatum etiam Græca exemplaria satis indicant. Sed cur ita appellatus sit, hæc videtur causa, quòd ex Mesopotamia veniens, transito flumine Euphrate sedes constituit in terra Chanaan, & transfluuialis appellatus est, ex ea regione vnde venerat. Vnde Iesus Naue dixit ad Israelitas, Quid vultis seruire diis patrum vestrorum, qui sunt trans flumen? Iosue 24

Quia pauor irruit super Abraham, & ecce timor magnus incidit ei, dubitaturanttimor cæteræque animorum perturbationes cadere in viros sapientes, & adducitur Aulus Gellius de noctibus Atticis vnde sit.

30 Gene. 15. De eo quod scriptum est, Circa solis autem occasum pauor irruit super Abraham, & ecce timor magnus incidit ei: pertractanda est ista quæstio, propter eos qui contendunt perturbationes istas non cadere in animum sapiẽtis: vtrùm tale aliquid sit quale Aulus Gellius cõmemorat in libris noctium Atticarũ, quẽdam Philosophum in magna maris tempestate perturbatum, cùm esset in naui, & animaduersum à quodam luxurioso adolescente: qui cùm ei post transactum periculum insultaret, quòd Philosophus citò perturbatus esset, quũ ipse neque timuerit neque palluerit: respondit ideo illum non perturbatũ, quia nequissimæ animæ suæ nihil timere deberet, quòd nec digna esset, pro qua aliquid timeretur. Cæteris autem studiosis, qui in naui fuerant expectantibus, protulit librum quendam Epicteti Stoici, vbi legebatur, nõ ita placuisse Stoicis, nullam talem perturbationem cadere in animum sapientis, quasi nihil tale in eorũ appareret affectibus: sed perturbationem ab eis diffiniri, cùm ratio talibus cederet: cùm autem non cederet, non dicendam perturbationem. Sed cõsyderandum est quemadmodũ hoc dicat Aulus Gellius, & diligenter differendum.

Aulus Gellius libr. 19 c. 1. Aug. de ciuit. dei li. 9. cap. 4

Quomodo Abrahæ dicatur, Dabo tibi & semini tuo post te terrã, &c. in possessionem æternã: quam ipsa Israelitis temporaliter data sit.

31 Gene. 8 Dabo tibi & semini tuo post te terrã in qua habitas: omnem terram cultam in possessionẽ æternam. Quæstio est, quomodo dixerit AEternam, quum Israelitis temporaliter data sit: vtrùm secundum hoc seculum dicta sit æterna, vt ab eo quod est αἰὼν Græcè, quod seculum significat, dictum sit αἰώνιον, tanquam si Latinè dici posset seculare: an ex hoc aliquid secũdum spiritalem promissionem hîc intelligere cogamur, vt æternum dictum sit, ideo quia hinc æternum aliquid significat? An potius loquutionis est Scripturarum, vt æternum appellent, cuius rei finis non constituitur, aut non ita fit, vt deinceps non sit faciendum quantum pertinet ad curam vel potestatem facientis: sicut ait Horatius, Seruiet æternum, qui paruo nescit vti. Non enim potest in æternum seruire, cuius ipsa vita, qua seruit, æterna esse non potest. Quod testimoniũ non adhiberem, nisi locutionis esset. Verborũ quippe illi sunt nobis auctores, non rerum vel sententiarum. Si autem defenduntur Scripturæ secundum locutiones proprias, quæ idiomata vocantur, quantò magis secundum eas quas cum aliis linguis communes habent? Horatius in epistolis

Quomodo dictum sit Abrahæ de filio eius, Et reges gentium ex illo erunt.

Quæritur quomodo dictum sit ad Abraham de filio eius, Et reges gẽtium ex illo erũt: vtrùm quia non prouenit secundum regna terrena, secundum Ecclesiam accipi debeat: an propter Esau etiam ad literam contigit. 32 gene. 17

Quomodo intelligatur quòd Abraham tres videns, vnum tantùm Dominum appellat.

Et videns procurrit in obuiam illis, ab ostio tabernaculi sui, & adorauit super terram: & dixit, Domine, si inueni gratiam ante te, ne prætereas seruum tuum. Quæritur cùm tres viri essent, qui ei apparuerant, quomodo singulariter Dominum appellat dicens, Domine si inueni gratiam ante te. An intelligebat vnũ ex eis Dominum, & alios Angelos: an potius in Angelis Dominum sentiens, Domino potius quàm Angelis loqui elegit: quia vno ex tribus cum ipso Abraham postea remanente, duo mittuntur in Sodomam, & illis sic loquitur Loth tanquam Domino? 33 gene. 18

Quomodo si Angelos inuellexit esse, ad mortalium refectionẽ inuitauerit dicens, Sumatur aqua, & lauem pedes vestros. &c.

Sumatur aqua, & lauem pedes vestros, & refrigerate sub arbore, & sumã panem, & mãducate. Quæritur si Angelos intelligebat, quomodo potuerit ad hanc humanitatem inuitare, quoniam refectio mortali carni necessaria est, non immortalitati Angelorum. 34 gene. 18

Quomodo quia dicitur quòd Abraham & Sara seniores erant, Apostolus pro miraculo habet corpus Abrahæ emortuum genuisse, cùm Abraham iam mediæ duntaxat secundum illa tempora, esset ætatis, & postea filios de Cethura fecerit.

Abraham autem & Sara seniores progressi in diebus: defecerant autem Saræ fieri mulie bria. Seniorum ætas minor est quàm senum, quanuis & senes appellentur seniores. Vnde si vera sunt, quæ à nonnullis medicis asserũtur, quoniam senior vir cum muliere seniore filios facere non potest, etiam si adhuc fœminæ muliebria veniant: secundum hoc admiratum Abraham de promissione filii, & miraculum posuisse Apostolum accipere possumus, vbi dixit Emortuum corpus Abrahæ. Emortuum quippe corpus non ita intelligendum est, ac si omnino nullam vim generandi habere posset, si mulier iuuenilis ætatis esset: sed secundum hoc emortuum, vt etiam de pro 35 gene. 18. Gene. 17 Roma. 4

uectio-

uectioris ætatis muliere non posset. Nam ideo de Cethura potuit, quia & iuuenem illam inuenit. Sic enim medici tradunt, quoniam cuius corpus viri secundum hoc iam defecit, vt cum fœmina prouectioris ætatis, quanuis menstrua adhuc patiatur, generare non possit, de iuuencula potest. Et rursus mulier, quę iã prouectæ ætatis est, quanuis adhuc mẽstrua fluãt, vt de seniore parere non possit, de iuuene potest. Illud itaque ideo miraculum fuit, quia secundum id quod diximus, emortuo corpore viri, fœmina quoque prouectę ætatis fuit, vt ei
Rom.4 destitissent fieri muliebria. Nam quòd ait Apostolus, Corpus emortuum: verbo quis premat, quod dixit emortuum? Iam ergo nec animam habuisse, sed cadauer fuisse intelligi debet: quod absurdissimæ falsitatis est. Sic itaque soluitur ista quęstio. Alioquin meritò mouet, quomodo cùm esset Abraham propè mediç ætatis, secundum quam homines tunc viuebant, & postea filios de Cethura fecerit, dicatur ab Apostolo, Corpore emortuo, & pro miraculo, quia genuit prædicetur.

Cùm ambo tam Abraham quam Sara riserint, vt dicitur, cur Dominus tamen Saram redarguit quòd riserat.

36 Et dixit Dominus ad Abraham, Quare ri
Gene.18 sit Sara in semetipsa dicens, Ego verò pariam, ego autem senui? Quæritur quare istam redarguit Dominus, cùm & Abraham riserit, nisi quia illius risus admirationis & letitiæ fuit: Sarę autem dubitationis, & ab illo diiudicari potuit, qui corda hominum nouit?

Quomodo Sara si Deum esse putabat, negabat se risisse, cùm sciret Deum nihil latere posse, cùm scrutator sit etiam cordium.

37 Negauit Sara dicens, Non risi: timuit enim. Quomodo intelligebant Deum esse qui loquebatur, cũ etiã negare ausa sit Sara quòd riserit, tanquam hoc ille posset ignorare: nisi fortè Sara homines eos putabat, Abraham verò Deum intelligebat? Sed etiam ipse illa humanitatis officia præbendo, de quibus suprà dixi, quæ necessaria nisi infirmæ carni esse nõ possent, mirũ nisi homines prius esse arbitratus est. Sed fortassis in aliquibus Deum loqui intellexit, quibusdam Diuinæ maiestatis existentibus & apparentibus signis, sicut in hominibus Deum sæpe apparuisse Scriptura testatur. Sed rursus quæritur, si ita est, vnde Angelos fuisse postea cognouerũt, nisi fortè cùm eis videntibus in cælum issent?

Quomodo Dominus promittat Abrahæ, non solùm præmia, sed etiam obedientiam iustitiæ filiorũ eius.

38 Scio enim quia constituet filiis suis, &
Gen.18 domui suę post se, vt custodiant vias Domini, & faciant iustitiam & iudiciũ, vt adducat Dominus in Abraham omnia quæ locutus est ad illum. Ecce vbi promittit Dominus Abrahę, non solum pręmia, sed etiam obedientiam iustitiæ filiorum eius, vt circa eos etiam pręmia promissa compleantur.

Quomodo Deus, qui cuncta scit, voluit experiri descendendo, an clamorem illum, de quo fit mentio, opere complerent.

Descendens ergo, videbo si secundũ cla- 39
Gen.18 morem ipsorum venientem ad me consummãtur: si autem non, vt sciam. Verba hæc si nõ dubitantis quid duorum potius euẽturum sit, sed irascentis & minantis accipiamus, nulla quæstio est. More quippe humano Deus in Scripturis ad homines loquitur, & eius irã nouerunt sine perturbatione eius intelligere, qui nouerunt. Solemus autem etiam sic minaciter loqui, Videamus si nõ tibi facio, aut, Videamus si non illi facio. Et si non potuero tibi facere, vel sciam, id est, hoc ipsum experibor, vtrùm non possim: quod comminando, non ignorando dicitur. Irati apparet affectus: sed perturbatio non cadit in Deum. Mos autem humanæ locutionis & vsitatus est, vt humanæ infirmitati congruat, cui Deus coaptat locutionem suam.

Quia de Sodomis dixit Deus, non se perdere locum si inuenirẽtur illic vel decem iusti, quæritur an special i quadã sententia de illa ciuitate, an de omnibus intelligendum sit, generaliter parcere Dominum loco, in quocũque vel decem iusti fuerint.

Quæri solet, vtrùm quod de Sodomis di 40
Gene.18 xit Deus, non se perdere locum si inuenirentur illic decem iusti, speciali quadam sententia de illa ciuitate, an de omnibus intelligendum sit, generaliter parcere Deũ loco, in quocunque vel decem iusti fuerint. In qua quæstione nõ est quidem necesse, vt hoc de omni loco accipere compellamur. Veruntamen de Sodomis potuit & sic dici, quia sciebat Deus ibi non esse vel decem: & ideo sic respondebatur Abrahę, vt significaretur, nec tot ibi posse inueniri, ad exaggerationem iniquitatis illorum. Non enim necesse erat Deo tam sceleratis hominibus parcere, ne cũ illis perderet iustos, cùm posset iustis inde liberatis, reddere impiis digna supplicia. Sed vt dixi, ad ostendẽ
Gene.18 dam malignitatem multitudinis illius dixit, Si decem ibi inuenero, parcam vniuersæ ciuitati: tanquam si diceret, Certè possum nec pios cũ impiis perdere, nec tamẽ propterea impiis parcere: quia liberatis & separatis inde piis, possum impiis digna rependere. & tamen si ibi
Hierem.5 inueniãtur, parco: hoc est, quia nec tot ibi possent inueniri. Tale aliquid est apud Hieremiã vbi ait, Circumite vias Hierusalẽ, & videte, & querite in plateis eius, & cognoscite si inuenietis hominem facientẽ iustitiam, & quærentem fidem: & propitius ero peccatis eorum: id est, Inuenite vel vnũ, & parco cæteris, ad exaggerandum & demonstrãdum, quòd nec vnus ibi posset inueniri.

Quomodo Loth, quos obuiã habuit, adorauerit Angelos, et in

uitauit adrefectionem corporalem vt homines, cùm alterum inceptum esse videatur ac indecens.

41 Quòd occurit Loth Angelis, & adorauit in faciem, videtur intellexisse quòd Angeli essent. Sed rursus cùm eos ad refectionem corporis inuitat, quæ mortalibus necessaria est, videtur putasse quòd homines essẽt. Ergo quæstio similiter soluitur, vt soluta est de tribus, qui venerunt ad Abraham, vt aliquibus signis appareret eos Diuinitus missos, qui tamen homines crederentur. Nam & hoc in Epistola, quæ est ad Hebræos, cùm de hospitalitatis bono Scriptura loqueretur, ait, Per hanc enim quidam nescientes, hospitio receperunt Angelos.

Quia Loth obtulit filias suas, vt incorruptos seruaret hospites suos, quæritur an licita sit compensatio flagitiorum.

42 Quòd ait Sodomitis Loth, Sunt mihi duæ filiæ, quæ nondũ nouerũt viros. producã illas ad vos: vtimini illis quomodo placuerit vobis: tãtùm in viros istos ne faciatis iniquũ. Quoniã prostituere volebat filias suas hac cõpensatione, vt viri hospites eius nihil à Sodomitis tale paterentur: vtrùm admittenda sit compensatio flagitiorum, vel quoruncunque peccatorum, vt nos faciamus mali aliquid, ne alius grauius malum faciat: an potius perturbationi Loth, non consilio tribuendum sit, quia hoc dixerit, meritò quæritur: & nimirum periculosissimè admittitur hæc compensatio. Si autem perturbationi humanæ tribuitur, & menti tanto malo permotæ, nullo modo imitanda est.

Si cæcitate percussi erant viri Sodomitæ, quomodo deficere poterant quærendo ostium, cùm ne quærere quidem illud cæci possent. quaergo cæcitate dicantur percussi.

43 Viros verò qui erãt ad ostium domus percusserunt cæcitate. Græci habẽt ἀωρεσίαν, quod magis significat, si dici potest, auidentia, quæ faciat non videri non omnia, sed quod non opus est. Nam meritò mouet quomodo potuerunt deficere quærẽdo ostium, si tali erant cæcitate percussi, vt omnino nihil viderent. Hoc enim modo sua calamitate turbati hac, vlterius ostium non requirerent. ἀωρεσίαν & illi percussi sunt qui quærebant Helisæum. Hanc & illi habuerunt, qui Dominum post Resurrectionem cum illo ambulantes in via nõ cognouerunt: quanuis non sit ibi hoc verbum positum, sed res ipsa intelligatur.

Quid significet quòd Loth Deo non credebat, sed diffidebat.

44 Dixit autem Loth ad illos, Oro Domine, quia inuenit puer tuus misericordiam ante te, & magnificasti iustitiam tuam, quam facis in me, vt viuat anima mea. Ego autẽ nec possum saluus fieri in monte, ne fortè comprehendãt me mala: & moriar. Hac perturbatione timoris non credebat ipsi Domino, quem in Angelis cognoscebat, qua etiã illud de filiabus suis prostituendis dixerat: vt intelligamus non pro auctoritate habendum quod dixit de turpitudine filiarum. Non enim & hoc pro auctoritate habendum est, Deo non esse credendum.

Quid significet quòd dicatur liberatus ob meritum Abrahæ.

45 Et recordatus Deus Abraham, & exemit Loth de medio euersionis. Commendat Scriptura meritis magis Abrahæ liberatum, esse Loth, vt intelligamus iustum Loth dictum secundum quendam modum, maximè quòd vnum verum Deum colebat, & propter comparationem scelerum Sodomorum, inter quos viuens ad vitam similem non potuit inclinari.

Quis sit mons in quem Loth fonte ascendisse dicitur, cùm admonente Domino ascendere prius in montem noluerit.

46 Ascendit autem Loth de Segor, & sedebat in monte. Mirum vbi ipse mons est, in quẽ sponte ascendit, quò admonente Domino ascendere noluit: aut enim nullus est alius, aut non apparet.

Quid significet timor Loth, qui vt dicitur, in Segor habitare timuit.

47 Timuit enim habitare in Segor. Infirmiti eius Dominus & timori concesserat ciuitatem, quam Loth ipse delegerat, & in ea promiserat ei securitatem, quòd propter illum parceret ciuitati: tamen ibi etiam esse timuit. fides ita eius non magni roboris fuit.

Quomodo Abraham adhuc in illa ætate in qua erat, cùm de eo dicitur quòd timuit dicere de Sara, quòd vxor sua esset, pro Saræ pulchritudine periclitari metuebat.

48 Dixit autẽ Abraham de Sara vxore sua, Soror mea est. Timuit enim dicere Vxor mea est ne fortè occiderent eũ viri ciuitatis propter illam. Quæri solet quomodo adhuc in illa æta te pro Saræ pulchritudine Abraham periclitari metuebat. Sed magis formæ illius vis miranda est, quæ adhuc adamari poterat, quàm quæstio difficilis putanda.

Quid significet quòd Deus de peccato quod Abimelech potuisset committere in Sara, dixit, Peperci tibi vt nõ peccares in me. Et quomodo eidem admonendo dictum sit tanquam sine dubio prædiceret, Tu morieris.

49 Quòd ait Deus ad Abimelech, Propter Saram peperci tibi vt non peccares in me, quãdo eum admonuit, vxorem Abrahę esse, quam putabat sororem: aduertendum est & notandum in Deum peccari, quando talia committuntur, quæ putant homines leuiter habenda, tanquam in carne peccata. Quod autem dixit ei, Ecce tu morieris: etiam hoc notandum est, quomodo dicat Deus, tanquam prædicens sine dubio futurum, quod admonendo dicit, vt à peccato abstinendo caueatur.

Cur Abraham nec die quo natus est ei filius, nec die quo circumcisus est, sed die quo ablactatus est, epulum fecerit.

50 Meritò quæritur, cur Abrahã nec die quo natus est filius, nec die quo circũcisus est, sed die quo ablactatus est, epulũ fecerit. Quòd nisi ad ad aliquam spiritualem significationem referatur, nulla solutio quæstionis est: tunc scilicet esse debere magnum gaudiũ spiritalis ętatis, quãdo fuerit factus homo nouus spiritalis,

id est

id est, non talis qualibus dixit Apostolus, Lac
1.Cor.3. vobis potum dedi non escam: nondum enim poteratis, sed nec adhuc potestis: adhuc enim estis carnales.

Quomodo Abraham contristatus esse dicatur, dicente Sara, Eiice ancillam & filium eius, &c. cùm fuerit Prophetia, quam vtique magis debuit nosse ipse, quàm Sara.

51
Gene.21 Quæritur, Sara dicente, Eiice ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac: quare contristatus sit Abraham, cùm fuerit Prophetia, quam vtique magis debuit nosse ipse, quàm Sara. Sed intelligendum est, vel ex reuelatione hoc dixisse Saram, quia prius illi fuerat reuelatum: illum verò, quem de hoc postea Dominus instruit, paterno affectu pro filio fuisse commotum: vel ambos prius nescisse, quidnam illud esset, & per Saram nescientem hoc Propheticè dictum esse: cùm illa mota esset muliebri animo propter ancillæ superbiam.

Quomodo Hismael quoque dictus sit à Deo semen Abrahæ, & quid significet.

52
Gene.21 Notandum quòd & Hismael dictus sit à Deo semen Abrahæ, propter illud, quod sic accipiendum docet Apostolus, quod dictum
Roma.9 est, In Isaac vocabitur tibi semen. Nõ filii carnis, sed filii promissionis deputantur in semine: vt hoc propriè pertineat ad Isaac, qui non filius carnis, sed filius promissionis fuit, vbi promissio fit de omnibus gentibus.

Quomodo Abraham dicatur imposuisse humeris Agar puerum tam grandem.

53
Gene.21. Surrexit autem Abraham manè, & sumpsit panes & vtrem aquæ, & dedit Agar, & imposuit in humeros & puerum, & dimisit illam. Fieri solet quæstio, quomodo imposuerit in humeros puerum tam grandem. Nam qui fuerat antea quàm natus esset Isaac tredecim annorum circumcisus, cùm esset Abraham nonaginta nouem, & natus sit Isaac centenario patre (ludebat autem Hismael cũ Isaac, quando Sara commota est: vtique cum grandiusculo, qui iam fuerat ablactatus) profectò annorum fuit Hismael, quando cum matre sua de domo patris expulsus est, amplius sexdecim. Sed vt hoc quòd cum paruulo lusit, per recapitulationem accipiamus dictum, tanquam ablactaretur Isaac, profectò etiam sic amplius quàm tredecim annorum puer in humero matris, cum vtre & panibus, nimis absurdum est, vt impositus esse credatur. Quàm facilè autem soluitur quæstio, si non subaudiamus, Imposuit, sed, Dedit? Dedit enim Abraham, sicut scriptum est, matri eius panes & vtrem, quæ illa imposuit in humeros suos. Cùm autẽ adiunctum & dictũ esset, Puerum, subaudiamus Dedit, qui panes & vtrem dederat, non in humeros imposuit.

Quomodo Agar dicatur proiecisse puerum tam grandem sub arborem, tanquam infans esset, & reliqua quomodo ætati illius congruant.

Defecit autem aqua de vtre, & proiecit 54
puerum sub vnam abietem, & discessit, & se- gene.21
dere cœpit contra illum longè, quantum arcus mittit. Dixit enim, Non videbo mortem filii mei. & sedit contra eum. Exclamans autem puer, plorauit. Et exaudiuit Deus vocem pueri de loco, vbi erat. Et vocauit Angelus Domini Agar de cælo, & dixit ei, Quid est Agar? Noli timere: exaudiuit enim Deus vocem filii tui de loco, in quo est. Surge, accipe puerum, & tene illum in manu tua. In magnam enim gentem faciam illum. Solet quæri quomodo cùm puer esset annorum amplius quindecim, proiecerit eum mater sub arborem, & ierit longè, quantum arcus mittit, ne videret eum morientem: quasi eum quem portabat proiecerit: ita videtur sonare quod dicitur, maximè quia sequitur, Fleuit puer. Sed intelligendum est proiectum esse, non à portante, sed vt fit ab animo tanquam moriturum. Ne-
Psal.30 que enim quod scriptum est, Proiectus sum à facie oculorum tuorum, portabatur qui hoc dixit. Et est in quotidiano loquendi vsu, cùm proiicitur aliquis ab aliquo, cum quo erat, ne ab aliquo videatur, aut cum illo maneat. Intelligendum est autem quod Scriptura tacuit, ita discessisse matrem à filio, vt puer ignoraret, quò mater abierit, & eam in syluestribus stirpibus latuisse, ne filium siti deficientem videret. Ille autem etiam illa ætate, quid mirum, si matre diutius non visa, & tanquam perdita, eo loco vbi solus remanserat, fleuit? Quòd ergo postea dicitur, Accipe puerum, non vt eum de terra velut iacentem tolleret dictum est, sed vt ei coniungeretur, & eum manu teneret deinceps comitem, sicut erat: quod plerunque faciunt simul ambulantes cuiuslibet ætatis.

Quomodo Agar dicatur errasse iuxta puteum iurationis, qui non tunc, sed multò post dictus videtur hoc nomine.

Factum est autem in tempore illo, & di- 55
xit Abimelech, &c. Quæri potest, quando gene.21.
cum isto Abimelech pactum fecit Abraham, & appellatus est puteus quem fodit puteus iurationis, quomodo congruat veritati. Agar enim de Abrahæ domo expulsa cum filio iuxta puteũ, sicuti dictũ est, iurationis, errabat: qui valde postea dicitur factus ab Abraham. Ibi enim Abimelech & Abraham iurauerũt: quod nondum vtique factum fuerat, cùm de domo Abrahæ Agar cum filio suo fuisset expulsa. Quomodo ergo errabat iuxta puteum iurationis? An factum iam fuisse intelligendum est, & per recapitulationem postea commemoratum, quod egit Abraham cum Abimelech? Sed fortè qui longè postea librum scripsit, ex nomine putei iurationis appellauit regionem, in qua cum filio mater errabat: tanquàm diceret, Errabat in illa regione, vbi puteus iurationis factus est: quanuis pu-

teus postea sit factus, sed longè ante ætatem scriptoris? Sic autem appellabatur puteus cùm liber scriberetur, nomen tenens antiquum, quod imposuerat Abraham. Si autem ipse est puteus, quē apertis oculis vidit Agar, nihil restat nisi vt per recapitulationem quæstio dissoluatur. Nec mouere debet quomodo puteū quē foderat Abraham, nesciebat Agar, si antè est ille fossus quàm illa expulsa. Valde enim fieri potuit, vt pecorum suorum causa longe à domo, in qua cum suis habitabat, puteum foderet quem illa nesciret.

Quomodo ad puteum iuramenti agrum dicatur plantasse Abraham, cùm beatus Stephanus dicat, quod Abraham in terra illa nec hæreditatem acceperat, nec spatium pedis.

56 genes. 21 Acto. 7

Quæri potest quomodo ad puteum iuramenti agrum plantauerit Abraham, si in terra illa (quemadmodum Stephanus dicit) nec acceperat hæreditatem, nec spatium pedis. Sed ea est intelligenda hæreditas, quā Deus munere suo fuerat daturus, non empta pretio. Intelligitur autē spatium circa puteum ad illud emptionis pactum pertinere, in quo fuerant agnę septem datæ, quādo Abimelech & Abraham sibi etiam iurauerunt.

Quomodo dicatur quòd tentauit Deus Abraham, cùm beatus Iacobus in epistola sua dicat, quòd Deus nemine tentet.

57 genes. 22 Iacob. 1. 1. Thess. 3 Deut. 13

Et tentauit Deus Abraham. Quæri solet quomodo hoc verum sit, cùm dicat in epistola sua Iacobus, quòd Deus neminem tentet: nisi quia locutione Scripturarum solet dici, tentat pro eo, quod est probat. Tentatio verò illa, de qua Iacobus dicit, non intelligitur, nisi qua quisque peccato implicatur. Vnde Apostolus dicit, Ne fortè tētauerit vos is qui tētat. Nam & alibi scriptū est, Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat, si diligitis eum: etiam hoc genere locutionis Vt sciat, dictū est, ac si diceretur, vt scire vos faciat: quoniam vires dilectionis suæ hominem latent, nisi Diuino experimēto etiam eidem innotescat.

Quomodo dicat Dominus, Modò enim cognoui, &c. cùm prius norit.

58 genes. 22 genes. 12

Vox Angeli de cælo ad Abrahā, Ne iniicias manum in puerum, neque facias ei quicquam. Modò enim cognoui, quoniam times Deum tu. Etiam ista quæstio simili locutione soluitur, hoc est enim, Nūc cognoui, quoniā times Deū tu: quod significat, nunc te feci cognoscere. In consequentibus autem hoc genus locutionis euidenter apparet, vbi dicitur, Et vocauit nomen Abrahā loci illius, Dominus vidit, vt dicatur hodie, In mōte Dominus apparuit: vidit pro eo quod est apparuit, hoc est vidit, pro eo quod est videri fecit, significans per efficientem id quod efficitur, sicut frigus pigrum, quod pigros facit.

De quo dictum intelligemus illud, Et non pepercisti filio tuo dilecto propter me: an propter Angelum, an propter Deum.

59 genes. 22 Esa. 9 genes. 28 Psalme 2 Ioan. 10 Psalme 109

Et non pepercisti filio tuo dilecto propter me. Nunquid Abraham propter Angelum nō pepercit filio suo, aut propter Deum? Aut ergo Angeli nomine Dominus Christus significatus est, qui sine dubio Deus est, & manifestè à Propheta dictus magni cōsilii Angelus. Aut quòd Deus erat in Angelo, & ex persona Dei Angelus loquebatur: sicut in Prophetis etiam solet. Nam in cōsequentibus hoc magis videtur apparere, vbi legitur, Et vocauit Angelus Domini Abraham iterum de cælo, Per memetipsum iuraui dicit Dominus. Non facilè enim inuenitur Dominus Christus Patrē Dominum dicere, tāquam suum Dominum, illo præsertim tempore antequam sumeret carnē. Nam secundum id quòd formam serui accepit, non incongruenter hoc dici videtur. Nam secundum huius rei futuræ Prophetiam illud est in Psal. Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Nam neque in ipso Euangelio facilè inuenimus à Christo Deū Patrem Dominum appellatum, quòd eius Dominus esset: quāuis Deum inueniamus in illo loco, vbi ait, Vado ad Patrē meum & Patrē vestrum, Deum meum & Deum vestrum. Quòd autem scriptum est, Dixit Dominus Domino meo, ad ipsum qui loquebatur refertur, id est, dixit Dominus meus Domino meo, Pater scilicet Filio. Et, Pluit Dominus à Domino, qui scribebat dixit, vt Dominus eius à Domino eius, id est, Dominus noster à Domino nostro pluisse intelligatur, Filius à Patre.

Quomodo Chamuel nominatus, inter filios Melchæ dicatur pater Syrorum, cùm hinc Syrorum genus nondum fuerit.

60 genes. 22

Quòd in iis qui nuntiauerunt Abrahæ natos esse filios Melchæ, nominatur & Chamuel, pater Syrorum: non vtique qui nuntiauerunt, annuntiare patrem Syrorum potuerunt: ex origine quippe illius Syrorum genus longè postea propagatum est. Sed dictum est à persona scribentis, qui post omnia illa tempora hæc scribendo narrauit, quemadmodum suprà diximus de puteo iurationis.

Quomodo dictum sit, Exurgens autem Abraham, adorauit populum terræ, cùm scriptum sit, Dominum Deū tuum adorabis &c.

61 genes. 23 Deut. 6 Luc. 4

Exurgēs autē Abraham, adorauit populū terræ. Quæritur quomodo scriptū sit, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: cùm Abraham sic honorauerit populum quendam gentium, vt etiam adoraret. Sed animaduertēdum est in eodem præcepto, nō dictum, Dominum Deum tuum solum adorabis, sicut dictum est, & illi soli seruies: quod est Græcè λατρεύσεις. Talis enim seruitus nōnisi Deo debe

tur

tur. Vnde damnãtur idololatræ, id est, eiusmodi seruitutem exhibentes idolis, quæ debetur
Apoc. 19 Deo. Nec moueat quòd alio loco in quadam scriptura prohibet Angelus hominem adorare se, & admonet vt Dominus potius adoretur: talis enim apparuerat Angelus vt pro Deo posset adorari: & ideo fuerat corrigendus adorator.

Quid sit, quòd Abraham iubet puero suo, vt manum suam ponat sub eius femore.

62 Quòd Abraham iubet puero suo, vt ma-
Genesis 24 num suã ponat sub eius femore, & sic eum adiurat per Dominũ Deum cæli, & Dominum terræ, solet imperitos mouere, non attendentes magnam de Christo extitisse Prophetiam, quod ipse Dominus cæli & Dominus terræ in ea carne venturus esset, quæ de illo femore propagata est.

Quid differant auguriationes illicitæ ab illa petitione signi, qua petiuit seruus Abrahæ, vt ei Deus ostenderet futuram vxorem domini sui Isaac.

63 Quærendum quid differant auguriationes
Gene. 34 illicitæ ab illa petitione signi, qua petiuit seruus Abrahæ, vt ei Deus ostenderet ipsam esse futuram vxorem domini sui Isaac, à qua cùm petiuisset vt biberet, diceretur illi, Bibe & tu, & adaquabo camelos tuos, quoadusque bibere desinent. Aliud est enim mirum aliquid petere, quod ipso miraculo signum sit, aliud hæc obseruare quæ ita fiunt, vt mira non sint, sed à coniectoribus superstitiosa vanitate interpretantur. Sed hoc ipsum etiam quod mirum aliquid postulatur, quo significetur quod quisque vult nosse, vtrùm audiendum sit, non parua quæstio est. Eò nãque pertinet, quòd dicuntur qui hoc non rectè faciunt, tentare Dominum. Nam ipse Dominus cùm à diabolo tentaretur, testimonium de Scripturis adhibuit,
Deut. 6 Matt. 4 Non tẽtabis Dominum Deum tuum. Suggerebatur enim tãquam homini, vt signo aliquo exploraret ipse quantus esset, id est, quàm multum apud Deum posset: quod vitiosè fit, cùm fit. Ab hoc autẽ discernitur quod Gedeon fecit pugnæ imminẽte periculo. Cõsultatio quippe illa magis quàm tentatio Dei fuit. Vnde &
Esaiæ 7 Achaz apud Esaiam timet signum petere, ne Deum tentare videatur, cùm hoc eum Dominus admoneat per Prophetã: credo existimãs, quòd ab ipso Propheta exploraretur, vtrùm præcepti memor esset, quo tentare Deum prohibemur.

Quid nobis significetur in eo, quòd seruus Abrahæ referẽs mandata eius, non eisdem verbis, sed idem significantibus vsus sit.

64 Seruus Abrahæ narrans quæ sibi mãdata
Genes. 24 fuerant à domino suo, dicit eũ sibi dixisse, Nõ sumes vxorẽ filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos ego habito in terra eorum: sed in domum patris mei ibis, & in tribum meam, & sumes vxorem filio meo inde, &c. Si legãtur quomodo illi mandata sint, sententia eadem reperitur, verba verò non omnia, vel ipsa, vel ita dicta sunt. Quod admonẽdum putaui propter stultos & indoctos homines, qui Euangelistas hinc calumniantur, quòd in aliquibus verbis non omnino cõueniunt, quanuis rebus atque sententiis omnino non diserepent. Certè enim istum librum vnus homo scripsit, qui ea, quæ suprà dixit cùm mandaret Abraham, vel relecta sic ponere potuit, si ad rem pertinere iudicaret: cùm veritas narrationis nõ exigitur, nisi vt rerum sententiarumque sit, quibus voluntas, propter quam intimandam verba fiunt, satis appareat.

Quomodo, vt in Græcis codicibus reperitur, iuratio serui Abrahæ maledictum dicatur.

Quod habent Latini codices, narrante ser- 65
Genes. 24 uo Abrahæ quæ sibi mandauerat dominus eius, Tunc innocens eris à iuramento meo vel iuratione mea, Græci habẽt à maledicto meo. ὅρκος enim dicitur iuratio, κατάρα maledictum: vnde & κατάρατος maledictus, vel ὁπλοκατάρατος dicitur. Proinde oritur quæstio, quomodo ista iuratio maledictum posset intelligi, nisi quia maledictus est, qui contra iurationem fecerit.

Vnde hæc duo, Misericordia & iustitia, seu misericordia & veritas, in Psalmis & aliis sanctis Scripturis vsus sit originem duxere.

Si ergo facitis misericordiam & iustitiam 66
Genes. 24 ad dominum meum, renuntiate mihi. Duo illa quæ assiduè ponuntur in aliis sanctis Scripturis, & maximè in Psalmis, Misericordia & iustitia (tantundem enim valet, misericordia & veritas) hinc iam apparere cœperunt,

Cui dicitur, Rebecca sit vxor filii domini tui, quemadmodum locutus est Dominus, quæritur quando id locutus sit Dominus.

Ecce Rebecca in conspectu tuo. Accipiẽs 67
Genes. 24 eam recurre, & sit vxor filii domini tui, quemadmodũ locutus est Dominus. Quæritur quã do locutus sit Domin⁹, nisi quia vel Prophetã esse Abraham nouerãt, & Propheticè à Domino dictum, quod per illum dictũ fuerat, agnoscebant: aut signum illud quod sibi dictum seruus eius narrauit, locutionem Domini appellauerũt: hoc enim magis de Rebecca expressum est. Nam quod Abraham dixerat, non de Rebecca dixerat, sed de aliqua fœmina ex tribu vel cognatione sua: & hoc ad vtrunque, vt immunis esset à iuramento seruus, si non impetrasset: quod vtique non dicitur, quum aliquid prophetatur. Certã enim decet esse Prophetiam.

Vtrùm fratres Rebeccæ ipsi tam magna cè precantes prophetæ erant, an vani.

Quòd Rebeccæ dixerunt fratres eius pro- 68
Genes. 24 ficiscenti, Soror nostra es, esto in millia millium, & hæreditatẽ obtineat semen tuũ ciuitates aduersariorũ tuorum: nõ Prophetæ fuerãt, aut vanitate tam magna optauerunt, sed eos quod promiserat Deus Abrahæ latere non potuit.

Qualis fuerit exercitatio Isaac in campo.

69 Quod scriptum est, Exiit Isaac exerceri in
Genes.24 cãpo meridie: qui verbum de hac re Græcum nesciunt, exercitationem corporis putant. Scriptum est autem Græcè ἀδολεσχεῖσθαι. ἀδολεσχεῖν verò ad animi exercitationem pertinet, & sæpe vitio deputatur. More autẽ Scripturarum plerunque in bono ponitur. Pro isto verbo quidam Interpretes nostri exercitationem, quidã garrulitatem, quasi verbositatem, quæ in bonum, quãtum ad Latinum eloquium pertinet, vix aut nũquã inuenitur. Sed vt dixi, in Scripturis plerunque in bono dicitur, & videtur mihi significare animi affectum studiosissimè aliquid cogitãtis, cum delectatione cogitationis: nisi aliud sentiũt, qui hæc verba Græca melius intelligunt.

Cùm dictum sit, Adiiciens autem Abraham, sumpsit vxorem nomine Cethuram, dubitatur an incontinentia in eo suspicanda sit, & quomodo ex ea filios genuerit, quæ priusquàm senior esset, pro miraculo ex Sara habetur genuisse.

70 Adiiciens autem Abraham, sumpsit vxo-
Genes.25. rem nomine Cethuram. Quæstio & hic esset, si peccatum est, maximè in antiquis dãtibus operã propagãdæ proli. Quidlibet enim hic quàm incontinentia suspicanda est tanti viri, in illa præsertim iam ætate. Cur autẽ in hac filios fecerit, qui cum miraculo de Sara fecerat, suprà dictum est: quanquam nonnulli donum quod accepit Abraham, vt relut reuiuiscentis corporis ad filios procreãdos, diu permansisse asserant, ita vt posset & alios procreare. Sed multò est absolutius, de adolescẽtula potuisse seniorem, quod senior de seniore non posset, nisi Deus illic miraculum præstitisset: maximè propter Saræ, non solùm ætatem, verumetiam sterilitatem. Sanè etiam grandioris ætatis, & sicut Scriptura loquitur, plenum dierum posse dici senioré, hoc est, presbyterũ, hinc intelligi potest, quia hoc Abraham appellatus est, quãdo mortuus est. Proinde omnis senex etiã presbyter, non omnis presbyter etiam senex: quia plerunque hoc est nomen ætatis, quæ infra senectutẽ senectuti vicina est, & ex hoc etiam ipsa à senectute nomẽ accepit. In Latina autẽ lingua, presbyter senior appellatur: apud Græcos autem, maximè, sicut Scriptura loquitur, πρεσβύτερος & πάππος dicẽtur, etiam si ætates iuuenũ comparentur: quod dicimus nos maiorem atque minorem. Veruntamẽ hoc factum Abrahæ, quòd post mortem Saræ de Cethura filios procreauit, non sic accipiendum est, quasi humana cõsuetudine & cogitatione tantummodo substituendæ numerosioris prolis hoc factum sit. Sic enim possent accipere homines etiam quod de Agar factum est, nisi Apostolus admoneret illa fuisse facta Propheticè, vt in vtrisque personis mulierum earùmque filiorum, duo Testamenta, ad futurorum pronuntiationem allegorica significatio figuraret. Vnde in isto quoque Abrahæ facto tale aliquid quærẽdum est.
Gala.4.

Si non facilè occurrat, ego interim quod occurrit, munera quæ acceperunt filii cõcubinarum, videntur mihi significare quædam dona Dei, vel in sacramentis, vel in quibusque signis, etiã carnali populo Iudæorum, & hæreticis data, velut filius concubinarũ: cùm hæreditatis munus, quod est charitas & vita æterna, non nisi ad Isaac pertineat, hoc est, ad filios promissionis.

Quid sibi velit quod scriptum est, Hæc sunt nomina filiorum Hismael secundum nomina generationum eorum.

Quid sibi vult quod scriptũ est, Hæc sunt nomina filiorum Hismael secundum nomina 71
generationum eorum? Non enim satis elucet *Genes.25.*
cur additum sit, Secũdum nomina generationum eorum, cùm ii soli nominentur quos ille genuit, non etiam qui ab ipsis geniti sunt. Nisi fortè quia nationes ex illis propagatæ, eorum nominibus appellantur, & hoc significatum sit cùm dictum est, Secũdum nomina generationum eorum: quanuis hoc modo illæ nationes sint potius secũdum nomina istorum, non ista nomina secundum illas nationes, quia illæ posterius extiterunt. Vnde notanda locutio est, quia & postea de illis dicitur, Duodecim principes secundum gentes eorum.

Quò Rebecca ierit interrogare Dominum, quum prægnans esset.

Quòd de Rebecca scriptũ est, Quia venit interrogare Dominum, cùm gestirẽt puerperia 72
in vtero eius: quæritur quò ierit. Non enim e- *Genes.25.*
rant tunc Prophetæ aut sacerdotes secundum ordinẽ tabernaculi vel templi Domini. Quò ergo ierit meritò mouet, nisi fortè ad locum vbi aram constituerat Abraham. Sed illic quo modo responsa dentur, omnino tacet Scriptura: vtrùm per aliquem sacerdotem, quod incredibile est, si erat, non fuisse nominatum, & nullam omnino sacerdotum aliquorum factam esse mentionem. An fortè ibi cùm orando allegassent desyderia sua, dormiebant in loco, vt per somnium monerentur? An adhuc viuebat Melchisedec, cuius tanta fuit excellentia, vt à *Quidam existimant Rebeccam consuluisse Dominum, per Sem.*
nõnullis dubitetur, vtrũ homo, an Angelus fuerit? An erãt aliqui tales etiam illo tempore homines Dei, in quibus posset Deus interrogari? Quidquid horum est, & si quid aliud quod me fortè ne commemorarem præterierit, mentiri tamen Scriptura non potest, quæ dixit Rebeccam iisse ad interrogandum Dominum, eique Dominum respondisse.

Quid significent duo populi, quos Dominus dixit esse in vtero Rebeccæ.

In eo quòd Dominus respõdit Rebeccæ, Duæ gẽtes in vtero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo separabuntur: & populus populum 73
superabit, & maior seruiet minori: spiritali in- *Genes.25.*
telligẽtia carnales in populo Dei significantur per maiorẽ filiũ, & spiritales per minorẽ: quia sicut dicit Apostolus, Nõ prius quod spirituale

sed

sed quod animale, postea spiritale. Solet & sic intelligi hoc quod dictum est, vt in Esau figuratus sit maior populus Dei, hoc est Israeliticus secundum carnẽ. per Iacob autem figuratus sit ipse Iacob secundum spiritalem progeniem. Sed etiam historica proprietate hoc responsum inuenitur esse completum, vbi populus Israel, hoc est, Iacob minor filius, superauit Idumæos, hoc est, gentem quam propagauit Esau, eósque fecit tributarios per Dauid: quod diu fuerunt vsque ad regẽ scilicet Ioram, sub quo Idumæi rebellauerunt, & iugum Israelitarum Idumæi à ceruice sua deposuerunt, secundum Prophetiam ipsius Isaac, quãdo minorem pro maiore benedixit. Hoc enim dixit & de maiori, quum & ipsum postea benediceret.

Quomodo Iacob, qui vir simplex, & vt Græcum sonat, non fictus dicitur, per dolum acceperit benedictionem fratris sui.

74 Iacob autem erat homo simplex, habitans
Gene. 25 domum. Quod Græcè dicitur ἄπλαστος, hoc Latini simplicem interpretati sunt. Propriè autẽ ἄπλαστος, non fictus. vnde aliqui Latini interpretes, sine dolo interpretati sunt, dicẽtes, Erat Iacob sine dolo, habitans in domo: vt magna sit quæstio, quomodo per dolum acceperit benedictionem, qui erat sine dolo. Sed ad significãdum magnum aliquid quod Scriptura prætermisit. Hinc enim maximè cogimur ad intelligẽda illo loco spiritalia, quia sine dolo erat, qui dolum fecit. Vnde quid sentiremus, in sermone quodam, in populo habito, satis diximus.

Quando & quomodo factum sit, quòd tempore famis abiit Isaac ad Abimelech regem Philisthinorum in Gerara.

75 In eo quod scriptum est, Facta est autem fa-
Gene. 26 mes super terram, præter famem quæ antè facta est in tempore Abraham. Abiit autem Isaac ad Abimelech regem Philisthinorum in Gerara: quæritur hoc quãdo sit factum, vtrùm posteaquam Esau vendidit primogenita sua cibo lenticulæ (post illam quippe narrationem hoc narrari incipit) an vt fieri solet per recapitulationem narrator ad ea reuersus sit, quum progressus de filiis eius ad eum locum peruenisset, qui de lenticula commemoratur. Mouet autẽ, quia ipse inuenitur Abimelech, qui etiam Saram cõcupiuerat. Ipsius enim paranymphus & princeps militiæ, qui ibi commemorati sunt, etiam hic commemorantur: vtrùm vel viuere potuerint. Quando enim factus est amicus Abrahæ, nondum natus erat Isaac, sed iam promissus. Ponamus antequam nasceretur Isaac illud fuisse factum. Deinde Isaac suscepit filios, quum esset annorum sexaginta. Illi autem iuuenes erant, quum vendidit Esau primogenita sua. Ponamus etiam ipsos circa viginti annos fuisse: fiunt anni ætatis Isaac vsque ad illud factum filiorum eius, circiter octoginta. Adolescentẽ accipiamus fuisse Abimelech, quãdo matrem ipsius concupiuit, & Abrahæ amicus est factus. Potuit ergo iam esse quasi centenarius, si post illud factum filiorum suorum perrexit in eam terram famis necessitate Isaac.

Non ergo ex hoc cogit vlla necessitas per recapitulationem putare narratam profectionem Isaac in Gerara: sed quia ibi diuturno tempore fuisse Isaac scribitur, & puteos fodisse, & de iis contendisse, & ditatum fuisse pecunia: mirum nisi recapitulando ista commemorantur, quæ ideo fuerant prætermissa, vt primum de filiis eius vsque ad illum locum de lenticula narratio perueniret.

Secundum quid Isaac dicitur magnus factus valde, & quomodo significentur in hoc temporalia dona etiam à Deo speranda.

Ideo quod scriptum est de Isaac, Benedixit 76
eum autem Dominus, & exaltatus est homo, & Gene. 26
procedens maior fiebat, quoadusque magnus factus est valde: secundum terrenam felicitatem dictum, sequentia docent. Exequitur enim narrator easdem eius diuitias, quibus magnus factus est, & hinc motus Abimelech, timuit illum ibi esse, ne potentia eius sibi esset infesta. Quanquam ergo spiritale aliquid ista significent, tamen secundum id quòd ita cõtigerunt, ideo præmissum est, Benedixit eum Dominus: vt sana fide intelligamus, etiam ista temporalia dona nec dari posse, nec sperari debere, etiam quum ab infirmioribus appetuntur, nisi ab vno Deo: vt qui in minimis fidelis est, etiam in Luc. 16
magnis fidelis sit, & qui in mammona iniquo fidelis inuentus est, etiam verum accipere meretur, sicut Dominus in Euangelio loquitur. Talia etiam de Abraham dicta sunt, quòd ei munera Dei prouenerint. Vnde non parum ædificat sanam fidem piè intelligentibus ista narratio, etiam si de his rebus allegorica significatio nulla posset exculpi.

Quid sit execratio illa de qua dicitur, Fiat execratio inter nos.

Fiat execratio inter nos & inter te, id est, iu- 77
ratio, quæ maledictis obstringit quæ accidant Gene. 26
ei qui peierauerit: secundum quam consyderandum est, quòd & seruus Abrahæ commemorauit, narrans eis à quibus accepit vxorem domino suo Isaac.

Quare Isaac puteum, in quo non inuenta est aqua, vocauit iuramentum.

Quid est quòd scriptum est, quòd quum 78
veniissent pueri Isaac & dixissent, Fodimus Gene 26
puteum, & non inuenimus aquam, appellauit eundem puteum Isaac Iuramentum? An quanuis factum sit, in aliquam significationem sine dubio ducendum est spiritalem, quoniam nihil habet cõuenientiæ secundum literam, vt ideo Iuramentum appellauerit puteum, quòd ibi aqua non sit inuẽta? Quãquam alii interpretes pueros Isaac inuentam potius aquam nuntiasse dixerunt: sed etiam sic quare Iuramentum appellatum est, vbi nulla facta fuerunt iuramenta?

Quam significationem moralem habeat, quòd Isaac tantus patriarcha, antequam moriatur, à filio suo venationem quærit.

Quoniam tantus Patriarcha Isaac, ante- 79
quã moriatur, quærit à filio suo venationem & Gene. 27

escā, qualē amat, pro magno beneficio, & promittit benedictionē, nullo modo vacare arbitramur significatione Prophetica: maximè quoniā festinat vxor eius, vt illā benedictionē minor accipiat, quem ipsa diligebat: & cætera in eadem narratione multum mouent ad maiora intelligenda vel requirenda.

Quam significationem habeat ecstasis Isaac.

80 Quòd habent Latini codices, Expauit autem Isaac pauore magno valde, Græci habent ἐξέστη ὁ Ἰσαὰκ ἔκστασιν μεγάλην σφόδρα, vbi tāta commutatio intelligitur, vt quædam mentis alienatio sequeretur. Ipsa enim propriè dicitur ecstasis. Et quia solet in magnarum rerum reuelationibus fieri, in hac intelligēdum est factam esse spiritalem admonitionem, vt confirmaret benedictionem suam filio suo minori, cui potius irascendum fuit quòd fefellerit patrem. Sic & de Adam quum prophetatur hoc Sacramētum magnū, quod dicit Apostolus in Christo & in Ecclesia, Erunt duo in carne vna, dicitur quòd ecstasis præcesserit.

Gene.27

Ephe.5

Quomodo annuntiata sint verba Esau Rebeccæ, quibus comminatus est occidere fratrem suum, quum Scriptura dicat, hoc eum in sua cogitatione dixisse.

81 Quomodo annuntiata vel renuntiata sunt verba Esau Rebeccæ, quibus comminatus est occidere fratrem suum, quum Scriptura dicat, hoc eum in sua cogitatione dixisse: nisi quia hinc nobis datur intelligere, quod diuinitus ei reuelabantur omnia? Vnde ad magnum mysterium pertinet, quòd filium suum minorem pro maiore voluit benedici.

Gene.27

Quid significationis habeat quod in Græcis codicibus legitur Isaac dixisse, Fuge in Mesopotamiam: vbi Latini habent, Vade, &c.

82 Quòd habent Latini codices, Isaac dicente filio suo, Vade in Mesopotamiā in domum Bathuel patris matris tuæ, & sume inde tibi vxorem: Græci codices non habent Vade, sed Fuge, hoc est, ἀπόδρα θι. Vnde intelligitur etiam Isaac cognouisse quòd filius eius Esau de fratre suo in cogitatione sua dixerit.

gene.28

Quomodo intelligenda sint verba Iacob, Dominus est in loco hoc, ego autem nesciebam.

83 Et surrexit Iacob de somno suo, & dixit, Quia est Dominus in loco hoc, ego autem nesciebam. Et timuit, & dixit, Quàm terribilis locus hic: hîc non est nisi domus Dei, & hæc est porta cæli. Hæc verba ad Prophetiam pertinēt, quia ibi futurum erat tabernaculum, quod cōstituit Dominus in hominibus in primo populo suo. Portam autem cæli sic intelligere debemus, tanquam inde fiat aditus credentibus ad capessendum regnum cælorum.

gene.28

Vtrùm in lapide, quem Iacob in titulum constituit, & oleo perfudit, idololatriam fecit.

84 Quòd statuit lapidem Iacob, quem sibi ad caput posuerat, & constituit eum titulum, & perfudit illum oleo, non aliquid idololatriæ simile fecit. Non enim vel tunc vel postea frequentauit lapidem adorando, vel ei sacrificando: sed signum fuerat in Prophetia euidentissima constitutum, quæ pertinet ad vnctionem.

gene.28

Vnde Christi nomen à chrismate est.

Quomodo vocauerit nomen loci illius domum Dei, & quid votum eius significet.

Et vocauit Iacob nomen loci illius Domus 85
Dei: & Vlamaus erat nomen ciuitati anté. Iux- gene.28
ta ciuitatem dormisse si intelligatur, nulla quæstio est. Si autem in ciuitate, mirū videtur quo modo potuerit illū titulum cōstituere. Quòd autem vouit votum, si prosperaretur eundo & redeundo, decimásque promisit domui Dei futuræ in loco illo, Prophetia est domus Dei, vbi & ipse rediens Deo sacrauit, nō illum lapidem Deum appellans, sed domum Dei, id est, quia in illo loco futura erat domus Dei.

Quomodo Iacob agnouit Rachel esse filiam Laban, &c.

Quòd venit Rachel cum ouibus patris sui, 86
& dicit Scriptura, quòd quum vidisset Iacob gene.29
Rachel filiam Laban fratris matris suæ, accessit & reuoluit lapidem ab ore putei: magis notandum est, aliquid Scripturam prætermittere, quod intelligere debemus, quàm vllā quæstionem esse mouendā. Intelligitur enim, quòd illi, cum quibus primò loquebatur Iacob, interrogati quæ esset quæ veniebat cum ouibus, ipsi dixerunt filiam esse Laban, quam vtique Iacob non nouerat: sed illius interrogationem responsionémque illorū Scriptura prætermittens, intelligi voluit.

Quomodo Rachel osculum ab incognito receperit, & quæ fit ratio osculandi.

Quòd scriptum est, Osculatus est Iacob 87
Rachel, & exclamans voce sua fleuit: & indica- gene.2
uit ei, quia frater est eius, & quia filius Rebeccæ est: consuetudinis quidem fuit, maximè in illa simplicitate antiquorū, vt propinqui propinquos oscularentur, & hoc hodie fit in multis locis. Sed quæri potest quomodo ab incognito illa osculum acceperit, si postea indicauit Iacob propinquitatem suam. Ergo intelligēdum est, aut illum qui iam audierat, quæ illa esset, fidenter in eius osculum irruisse, aut postea Scripturam narrasse per recapitulationē, quod primò factū erat, id est, quòd indicauerit Iacob quis esset. Sicut de paradiso postea gene.2
dicitur, quomodo Deus eum instituerit, quum iam dictum esset, quòd plantauit Deus paradisum, & posuerit illic hominem quem finxerat: & multa alia per recapitulationem dicta intelliguntur.

Quomodo anni septem, quibus Iacob seruiuit pro Rachel, erant in conspectu eius velut pauci dies, eo quòd diligebat eam, quum etiam breue tempus longum esse soleat amantibus.

Quòd scriptum est, Seruiuit Iacob pro Ra 88
chel annis septem, & erant in conspectu eius ve- gene.29
lut pauci dies, eo quòd diligebat illam: quærēdum quomodo dictum sit, quum magis etiam breue tēpus longum esse soleat amantibus. Dictum est ergo propter laborem seruitutis, quē facilem & leuem amor faciebat.

Vtrùm Iacob postquam Liam duxerat, adhuc septem annos seruiuit pro Rachel priusquam eam duceret, an paulò pòst eam quoque duxerit.

Si

89 Si parum aduertatur rei huius narratio, putabitur quòd posteaquam Liam Iacob duxit vxorem, deinde seruiuit alios septẽ annos pro Rachel, & tunc eam duxit. Veruntamen non ita est: sed Laban ei dixit, Consumma itaque septimanam istius, & dabo tibi & hanc pro opere, quod operaberis apud me adhuc septem annos alios. Quod itaque ait, Consumma septimanam istius, ad nuptiarum celebrationẽ pertinet, quæ septem diebus celebrari solent. Hoc itaque ait, Imple dies nuptiarum septem pertinentes ad istã quam duxisti: & dabo tibi & hãc pro eo quod operaberis apud me adhuc septẽ annos alios. Deinde sequitur, Fecit autem Iacob sic, & impleuit septimanam eius, id est, septem dies nuptiarum Liæ, & dedit illi Laban Rachel filiam suam ipsi vxorem. Dedit autem Laban Rachel filiæ suæ Balam ancillam suam ei ancillam: & intrauit ad Rachel. Dilexit autem Rachel magis quàm Liam, & seruiuit illi septem annos alios. Vtique apparet, quia posteaquam duxit Rachel, tunc seruiuit pro ea septem annos alios. Nimis enim durum & valde iniquũ fuit, vt deceptum adhuc differret alios annos septem, & tunc eam traderet, quam primò debuit. Septem diebus solere nuptias celebrari, etiã liber Iudicum ostendit in Samsone, quãdo fecit potum septem diebus. Et addidit Scriptura, quòd sic solerent facere iuuenes: fecit autem hoc propter nuptias suas.

Gene.29

Iudic.14

Quæ sit discretio in Scriptura, inter vxorẽ & cõcubinam.

90 Non facilè dignoscitur, quas concubinas appellet Scriptura, quas vxores: quãdoquidem & Agar dicta est vxor, quæ postea dicitur concubina, & Cethura, & ancillæ, quas dederunt Rachel & Lia viro suo: nisi fortè omnis concubina vxor, non autem omnis vxor concubina more loquẽdi Scripturarum appelletur, id est, vt Sara & Rebecca, & Lia & Rachel concubinæ dici non possint: Agar verò & Cethura, & Bala & Zelfa, & vxores & concubinæ.

Gene.16
Gene.25
Gene.30

Quomodo se Lia sentiu Græcis exemplaribus sonat, fortunatam, si bene fortunatam dixeris, hoc est, quid per fortunam intellexerit.

91 Quòd Latini habent, nato filio Liæ de Zelfa, quòd dixerit, Beata facta, vel felix facta sum, Græci habent ἀπὸ τύχης, quod magis bonam fortunam significat. Vnde videtur occasio nõ bene intelligentibus dari, tanquam illi homines fortunam coluerint, aut hoc verbum diuinarum Scripturarum auctoritas in vsu receperit. Sed fortuna intelligenda est pro iis rebus, quæ fortuitu videntur accidere, non quia numen aliquod sit, cùm hæc ipsa tamen, quæque fortuita vidẽtur, causis occultis diuinitus dentur. Vnde etiam verba, quę nemo potest auferre à consuetudine loquendi parata sunt, id est, fortè, & fortassè, & forsitan, & fortuitu. Vnde videtur in Græca lingua resonare, quod dicunt τύχαι, velut ab eo quod est τύχη. Aut certè Lia propterea sic locuta est, quòd adhuc gentilitatis consuetudinem retinebat. Non enim hoc Iacob dixit, vt ex hoc data huic verbo putetur auctoritas.

Gene.30

Quid significet Iacob dicens, Benedixit te Dominus in pede meo.

Quòd Iacob dixit, Et benedixit te Dominus in pede meo, satis aduertendum est, & notandus Scripturarum sensus, ne quum ita quisque locutus fuerit, quasi augurari videatur. Multum enim interest quod adiecit, Benedixit te Dominꝰ in pede meo. In ingressu enim meo voluit intelligi, hinc gratias agens Deo. 92 *Gene.30*

Quid veri similitudine naturalis, & quid æquitatis habeat factum Iacob, de virgis versicoloribus in fœtandis ouibus.

In facto Iacob quum virgas excorticauit, detrahens viride, vt album variè appareret, & sic in conspectu fœtus pecorum variarentur, cùm matres in alueis aquarum biberent, & visis virgis illam varietatem conciperent: multa dicuntur similiter fieri in animalium fœtibus: sed & mulieri accidisse traditur, & scriptum reperitur in libris antiquissimi & peritissimi medici Hippocratis: quòd suspicione adulterii fuerat punienda, cùm puerum pulcherrimum peperisset, vtrique parenti generique dissimilem: nisi memoratus medicus soluisset quæstionem, illis admonitis quærere, ne fortè aliqua talis pictura esset in cubiculo. qua inuenta mulier à suspicione liberata est. Sed ad hanc rem quam fecit Iacob, virgarum ex diuersis arboribus trium copulatio quid cõtulerit vtilitatis, quòd attinet ad varias pecudes multiplicãdas, nõ apparet omnino: nec aliquid ad hoc cõmodum interest, vtrùm ex vnius generis ligno varientur virgæ, an plura sint lignorum genera, quum sola quæratur lignorum varietas: ac per hoc cogit inquiri prophetiam, & aliquam figuratam significationem resistat, quam sine dubio vt Propheta fecit Iacob, & ideo nec fraudis arguendus est. Non enim tale aliquid, nisi reuelatione spiritali cum fecisse credendum est. Quòd autem ad iustitiam pertinebat, sicut alii interpretes apertius hoc narrant, non ponebat virgas in secundo cõceptu ouium: quod tantò obscurius, quantò breuius à Septuaginta dictum est, Quæ quum peperissent non ponebat. quod intelligitur quum primùm peperissent, vt iam non solere ponere intelligatur, quum secundò parituræ essent, ne ipse auferret omnes fœtus: quod iniquum fuit. 93 *Gene.30*

Quid significet quod Lia dixit, Quare furatus es deos meos, vtens plurali numero, cùm antea singulariter tantùm reperiatur.

Quòd Laban dicit, Quare furatus es deos meos? hinc est illud fortassè, quòd & augurari se dixerat, & eiꝰ filia se bonã fortunã nominauerat. Et notandum est quòd à principio libri nũc primũ inuenimus deos gentiũ. Superioribus quippe Scripturæ locis Deũ nominabãt. 94 *Gene.31*

Quid sit quod dicit Iacob socero suo, Decepisti mercedem meam decem agnabus.

Quid est quòd dicit Iacob socero suo, Et decepisti mercedem meam decem agnabus? Hoc enim quomodo & quãdo factum sit, Scriptura nõ narrat: sed vtiq; factũ est, quod iste cõmemorat. Nã dixit hoc & vxoribꝰ suis, quãdo eas vo 95 *Gene 31*

cauit in cãpũ. Conquerẽs enim de patre illarũ, ait inter cætera, Et mutauit mercedẽ meã decẽ agnorum. Intelligitur ergò per ſingula tẽpora partus ouium, quum Laban videret tales fœtus eſſe natos, quales placuerat vt ad Iacob pertinerent, pactum fraude mutaſſe, & dixiſſe vt futuro fœtu alios pecudum colores haberet in mercede Iacob. Tunc autem ille virgas varias non ſupponebat, & non naſcebantur varii, ſed vnius coloris: quæ Iacob ex nouo pacto auferebat. Quod cùm vidiſſet Laban, rurſus pactum fraude mutabat, vt ad Iacob varia pertinerent: tunc illarum ſuppoſitione virgarum varia naſcebantur. Ergo quòd ait Iacob vxoribus ſuis, Mutauit mercedẽ meam decem agnorum: & poſtea ipſi Laban, Decepiſti mercedem meam decẽ agnabus: non ita dixit quaſi prouenerit ſocero eius ipſa fraus: vt enim nõ ei proueniret, Deum ſibi dixit aduerſus illum fuiſſe. Decem verò agnos vel decem agnas, pro decem temporibus poſuit, quibus oues, quas paſcebat, per ſexennium pepererunt. Bis quippe pariebãt in anno. Contigerat autem vt primo anno, quo inter ſe pacti ſunt, & ad eas paſcendas placito huius mercedis acceſsit, quòd ſemel parerent in fine anni: quia cùm acceſsiſſet, iam ſemel pepererant. Rurſúsque ſexto anno, id eſt, vltimo, cùm ſemel peperiſſent, exorta neceſsitate profectionis, prius recederet, quã iterum parerẽt: ac per hoc cùm primus annus atque vltimus, duos ouium partus ſub illo haberẽt, hoc eſt, ſingulos: medii verò quatuor anni binos, fiũt omnes decem. Nec mirum quòd hæc decem tempora nomine agnorum appellauit, qui eiſdem temporibus naſcebantur, velut ſi quiſquam dicat per tot vindemias, aut per tot meſſes, quibus numerus intelligatur annorum. Vnde ait quidã, Poſt aliquot ariſtas: per ariſtas videlicet meſſes, & per meſſes annos ſignificans. Pecudum autem illius regionis fœcunditas, ſicut Italarum, tanta fertur, vt bis in anno pariant.

Virgil. in Buc. Eglog. 1

Quæ fuerit titulos inſtituendi ratio, de qua dicitur, Sumpſit autem Iacob lapidem, & conſtituit eum titulum.

96 Sumpſit autem Iacob lapidem, & conſtituit eum titulum. Diligenter animaduertẽdum eſt, quomodo iſtos titulos in rei cuiuſque teſtimonio conſtituebãt, non vt eos pro diis colerent, ſed vt eis aliquid ſignificarent.

Gene. 31

Quid ſignificet varietas ſermonis Laban & Iacob, quorum alter aceruum lapidum appellauit aceruum teſtimonii, alter verò aceruum teſtem.

97 Quòd aceruum lapidum, quem inter ſe cõſtituerant Laban & Iacob, aliquanta diuerſitate appellauerunt, vt eum vocaret Laban Aceruum teſtimonii, Iacob Aceruum teſtẽ. Traditur ab eis, qui & Syram & Hebræam linguam nouerunt, propter proprietatem ſuæ cuiuſque linguæ factum. Fieri enim ſolet, vt alia lingua non dicatur vno verbo, quod alia dicitur, & vicinitate ſignificationis quidque appelletur. Nam poſtea dicitur, Propter hoc appellatum eſt nomen, Aceruus teſtatur. Hoc enim mediè poſitum eſt, quod vtrique conueniret, & ei qui dixerat Aceruus teſtimonii, & ei qui dixerat Aceruus teſtis.

Gene. 31

Quid ſit quòd loquendo Laban ad Iacob dicit, Teſtatur aceruus hic, & teſtatur titulus hic: & viſio quam dixit, Reſpiciat Deus inter me & te.

Quid eſt quòd loquendo Laban ad Iacob dicit, Teſtatur aceruus hic, & teſtatur titulus hic: propter hoc appellatur nomen, Aceruus teſtatur: & viſio quam dixit, Reſpiciat Deus inter me & te: niſi fortè ordo eſt, & viſio quam dixit, Deus reſpiciat inter me & te? Deus quippe illi dixerat in viſione, ne læderet & deleret Iacob. 98 *Gene. 31*

Quid eſt quod dicit in conſequentibus Laban, Vide, nemo nobiſcum eſt.

Quid eſt quod dicit in conſequentibus Laban, Vide, nemo nobiſcum eſt: niſi fortè nemo extraneorum, aut propter teſtificationem Dei, quam ita habere deberent, tanquam nemo cum eis eſſet, quem teſtimonio eius adiungerent? 99 *Gene. 31*

Quis ſit timor Iſaac, per quem dicitur Iacob iuraſſe.

Et iurauit Iacob per timorem patris ſui Iſaac. Per timorem vtique, quo timebat Deum: quem timorem etiam ſuperius commendauit, quum diceret, Deus patris mei Abrahæ, & timor patris mei Iſaac eſt. 100 *Gene. 31*

Quæ ſint caſtra Dei, quæ Iacob dicitur in itinere vidiſſe.

Caſtra Dei quæ vidit Iacob in itinere, nulla dubitatio eſt, quòd Angelorum fuerit multitudo. Ea quippe in Scripturis militia cæli nominatur. 101 *Gene. 32*

Quomodo Iacob de multitudine copiarum fratris ſui turbatus, habuerit fidem Deo ſalutem promittenti.

Nuntiato ſibi fratre ſuo Iacob, veniente obuiam ei cum quadringẽtis, turbatus eſt quidem & mente confuſus, quoniam timuit valde: & viſum eſt homini perturbato diuiſam multitudinem ſuam in duo caſtra diſponere. Vbi quæri poteſt, quomodo habuerit fidem promiſsis Dei, quandoquidem dixit, Si venerit ad caſtra prima frater meus, & exciderit ea, erunt ſecunda in ſalutem. Sed etiam hoc fieri potuit, vt euerteret caſtra eius Eſau, & tamen Deus poſt illam afflictionem adeſſet & liberaret eum, & quæ promiſit impleret. Et admonendi fuimus hoc exemplo, vt quanuis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda ſunt ab hominibus in præſidium ſalutis, ne prætermittentes ea, Deum tentare videamur. Denique poſt hæc, quæ verba dicat idem Iacob, conſyderandum eſt. Deus, inquit, patris mei Abraham, & Deus patris Iſaac, Domine, qui dixiſti mihi Recurre in terram generationis tuæ, & benefaciam tibi: idoneus es mihi ab omni iuſtitia & ab omni veritate, quæ feciſti puero tuo. In virga enim mea tranſiui Iordanem hunc: nunc autem factus ſum in duo caſtra. Erue me de manu fratris mei, de manu Eſau, quia ego timeo illũ: ne cùm venerit, feriat 102 *Gene. 32*

me

me,& matres ſuper filios. Tu autem dixiſti,Benefaciam tibi, & ponam ſemen tuum tanquam arenam maris, quæ nõ dinumerabitur præ multitudine.Satis in his verbis & humana infirmitas,& fides pietatis apparet.

Cuius ſint illa verba,In muneribus præcedentibus eum.

103 Quòd Latini codices habent de Iacob,Dixit enim, Placabo vultum eius in muneribus
Gene 32. præcedentibus eum: ſcriptor libri,qui narrans ait de Iacob,Dixit enim,Placabo vultum eius, hucuſque verba Iacob dixiſſe intelligitur: cætera verò ſua intuliſſe quod ait, In muneribus præcedentibus eum: tanquam diceret,In muneribus quæ præcedebant Iacob,placabo vultum fratris mei. Ordo eſt ergo verborum Iacob, Placabo vultum eius, & poſt hoc videbo faciem eius: forſitã enim ſuſcipiet faciẽ meam. Interpoſita autem ſunt verba ſcriptoris, In muneribus præcedentibus eum.

Quid ſit, quòd ab illo Angelo deſyderat Iacob benedici, cui luctando prævaluit.

104 Quòd ab illo Angelo deſyderat benedici,
Gene.32. cui luctando prævaluit, magna eſt de Chriſto prophetia. Nam eoipſo admonet myſticum aliquid ſapere, quo omnis homo à maiore vult benedici. Quomodo ergo ab eo benedici iſte voluit,quem luctando ſuperauit? Prævaluit enim Iacob Chriſto, vel potius prævalere viſus eſt per eos Iſraelitas, à quibus crucifixus eſt Chriſtus: & ab eo tamen benedicitur in eis Iſraelitis, qui crediderunt in Chriſtum: ex quibus erat, qui dicebat, Nã & ego Iſraelita ſum,
Roman.11. ex genere Abraham,de tribu Beniamin. Vnus ergo atque idem Iacob, & claudus, & benedictus. Claudus in latitudine femoris tanquam in multitudine generis, de quibus dictum eſt, Et claudicauerunt à ſemitis ſuis. Benedictus autẽ in eis,de quibus dictum eſt, Reliquiæ per
Pſal.17. Roman.11 electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt.

Quid ſibi vult quòd Iacob ait fratri ſuo, Propter hoc vidi faciem tuam, quemadmodum quum aliquis faciem Dei.

105 Quid ſibi vult quod Iacob ait fratri ſuo,
Gene.33 Propter hoc vidi faciem tuam, quemadmodum quum videt aliquis faciem Dei? vtrùm pauentis & perturbati animi verba vſque in hanc adulationem proruperunt, an ſecundum aliquem intellectum ſine peccato dicta accipi poſſunt? Fortaſsis enim,quia dicti ſunt & gentium dii, quæ ſunt dæmonia, non præiudicetur ex his verbis homini Dei. Non enim dixit, Quemadmodum ſi viderem faciem Dei, ſed quum videt aliquis. Ipſe enim aliquis,quem ſignificare poſsit, incertum eſt atque ita fortaſſe temperata ſunt verba, vt & ipſe Eſau ſibi delatum tantum honorem gratè acciperet, & qui hæc etiam aliter intelligere poſſunt,eum à quo dicta ſunt nullo crimine impietatis arguerẽt. Quòd & ſi benigno animo dicta hæc verba fraterna ſunt, quoniam & poſt bonam ſuſceptionem metus ipſe trãſierat: potuit ſic dici, quem-
Exod.7. admodum & Moſes Pharaonis deus dictus eſt,
1.Cor.8. ſecundum quod dicit Apoſtolus, Etſi ſunt qui dicuntur dii, ſiue in cælo, ſiue in terra, quemadmodum ſunt dii multi, & domini multi: maximè quia ſine articulo in Græco dictum eſt, quo articulo euidentiſsimè ſolet Dei veri vnius fieri ſignificatio. Non enim dixit θεὸς παντὸς θεοῦ, ſed dixit θεὸς παντὸς θεός, facilè autẽ hoc intelligunt,qua diſtantia dicatur,qui Græcum eloquium audire atque intelligere ſolent.

Vtrùm mẽdaciter promiſerit Iacob fratri ſuo quòd ſequens pedes ſuorũ in itinere, propter quos moraretur, venturus eſſet ad eum in Seir.

Quæritur vtrùm mendaciter promiſerit 106
Iacob fratri ſuo, quòd ſequens pedes ſuorum Gene.33.
in itinere,propter quos ſic moraretur,vẽturus eſſet ad eum in Seir. Hoc enim, ſicut Scriptura deinde narrat, non fecit: ſed eò perrexit ex itinere, quò dirigebat ad ſuos. An fortè veraci animo promiſerat, ſed aliud poſtea cogitando delegit?

Quomodo Scriptura Dinam humiliatam & pollutam à Sichem, virginem vocat.

Quomodo Scriptura dicit,quòd vidit Si- 107
chem, filius Emor Euæi, princeps terræ, Di- Gene.34.
nã filiam Iacob, &accepit eã,& dormiuit cum ea, & humiliauit eam, & intendit animo Dinæ filiæ Iacob, & amauit virginem, & locutus eſt ſecundum ſenſum virginis ipſius. Quomodo virgo appellatur, ſi iam cum illa dormierat, eámque humiliauerat? Niſi fortè virgo nomen ætatis eſt ſecundum Hebræum eloquium: an potius per recapitulationem poſtea commemoratur, quod primo factum eſt? Prius enim potuit intendere animæ ipſius, & amare virginem,& loqui ſecundum ſenſum virginis,deinde cum illa dormire,eámque humiliare.

Quomodo filii Iacob, quos paulò ante loquens cum fratre ſuo, infantes eſſe ſignificauit, potuerint tãtam ſtragem facere.

Quum paulò antè loquens Iacob cum fra 108
tre ſuo Eſau, infantes filios ſuos eſſe ſignificet, Gene.33.
qui Græcè dicuntur παιδία, quæri poteſt,quo- Gene.34.
modo potuerunt facere tantam ſtragem direptionémque ciuitatis, interfectis quamuis in dolore circunciſionis conſtitutis, pro ſorore ſua Dina. Sed intelligendum eſt diu illic habitaſſe Iacob, donec & filia eius virgo fieret, & filii iuuenes. Nam ita ſcriptum eſt, Et venit Gene.33.
Iacob in Salem, in ciuitatẽ Sichimorum, quæ eſt in terra Chanaan, quum aduenit de Meſcpotamia Syriæ, & applicuit ad faciem ciuitatis, & emit partem agri, in quo ſtatuit illic tabernaculum ſuum ab Emor patre Sichem cen- Gene.34.
tum agnis,& ſtatuit ibi aram,& inuocauit Deum Iſrael. Exiit autem Dina filia Liæ, quam peperit ipſi Iacob, vt condiſceret filias regionis eius, & cætera. Apparet ergo his verbis, non tranſeunter, ſicut viator ſolet, illic manſiſſe Iacob, ſed agrum emiſiſſe, & tabernaculum conſtituiſſe, aram inſtruxiſſe, ac per hoc diutius habitaſſe: filiã verò eius, quum ad eam veniſſet ætatem, vt amicas iam habere poſſet,condiſcere voluiſſe filias ciuium loci,atque ita factã eſſe pro illa cruẽtiſsimã cædẽ & depræ

dationem,quæ iam,vt puto,quæstionẽ non habet. Multitudo enim non parua erat cũ Iacob, qui plurimum ditatus fuit: sed filii eius in hoc facto nominãtur, quia eiusdem facti principes atque auctores fuerunt.

Quomodo Iacob timens bella finitimorum, dixit se exiguum numero.

109 Quòd ait Iacob, timens bella finitimorum
Gene.34. apud ciuitatem Sichem, quam expugnauerunt eius filii, Ego autem exiguus sum numero, & conuenientes super me, occident me: propter bella plurium, qui consurgere poterant, se dixit numero exiguum, non quòd minus multos haberet, quã possent sufficere ad expugnationem illius ciuitatis, quum suos in itinere in bina castra diuiserit.

Quare Deus loquens ad Iacob potius dixit, Fac ibi aram Deo, qui apparuit tibi quum fugeres à facie Esau fratris tui, quàm Fac ibi aram mihi.

110 Dixit autem Deus ad Iacob, Surge, & ascẽ-
Gene.35. de in locum Bethel, & habita ibi, & fac ibi arã Deo, qui apparuit tibi quum fugeres à facie Esau fratris tui. Quid est quod non dixit, Et fac ibi aram mihi, qui apparui tibi: sed Deus dicit, Fac ibi aram Deo qui apparuit tibi? Vtrùm Filius ibi apparuit, & Deus Pater hoc dicit, an in aliquo genere locutionis annumerandum sit?

Quare quum Iacob deos alienos asserendos diceret, eiũ inaures abstulerunt, quam ad idololatriam non pertineant.

111 Quòd Iacob ascensurus Bethel, vbi iussus
Gene.35. est arã facere, dicit domui suæ, & omnibus qui cum illo erant, Tollite deos alienos, qui vobiscum sunt de medio vestri, &c. Deinde dicitur, Et dederũt Iacob deos alienos, qui erãt in manibus eorum, & inaures qui erant in auribus eorum. Quæritur quare & inaures: quæ si ornamenta erant, ad idololatriã non pertinebãt, nisi quia intelligendum est phylacteria fuisse deorum alienorum. Nam Rebeccam à seruo Abrahæ inaures accepisse Scriptura testatur. Quod non fieret, si eis inaures habere ornamẽti gratia nõ liceret. Ergo illæ inaures, quæ cum idolis datæ sunt, vt dictum est, idolorum phylacteria fuerunt.

Quomodo factus dicatur timor Dei in ciuitatibus, quæ circa illos erant.

112 Et factus est timor Dei in ciuitatibus, quę
Gene.35. circa illos erant, & non sunt secuti post filios Israel. Incipiamus enim aduertere, quemadmodum Deus operetur in hominum mẽtibus. A quo enim timor Dei factus est in illis ciuitatibus, nisi ab illo, qui sua promissa in Iacob filiisque tuebatur?

Quid significet ciuitatis vnius nominum diuersitas, hoc est cur vna ciuitas tribus nominata reperiatur nominibus, vt Vllamaus, Bethel & Luza.

113 Venit autem Iacob in Luzam, quæ est in ter-
Gene.35. ra Chanaan, quæ est Bethel. Animaduertẽdum est tria iam nomina huius ciuitatis commemorata. Vllamaus, quod dictum est eam prius vocatam, quum illuc prius pergens in Mesopotamiam venisset Iacob: & Bethel, quod nomen ipse imposuit, & interpretatur domus Dei, & Luza, quod modò commemoratum est. Nec mirum debet videri: multis enim locis hoc accidit in ciuitatibus, & in fluminibus, & in quibusque terrarum, vt ex aliis atque aliis causis vel adderentur vel mutarentur vocabula, sicut etiam ipsis hominibus.

Cur Iacob, postquam Israel dictus est à Domino, iterum ab eodem Iacob appellatur, cùm cæteri quibus nomina mutata sunt, duntaxat posteriori nomine nuncupari in sacra Scriptura soleant.

Iterum in Luza apparuit Deus Iacob, & di- 114
xit ei, Nomen tuum iam non vocabitur Iacob: Gene.35.
sed Israel erit nomen tuum. Hoc ei dicit ecce iterum Deus in benedictione, quæ repetitio cõ firmat magnum promissum hoc nomine. Nam hoc mirum est: quibus tãtum semel dictum est, amplius eos non vocari quod vocabantur: sed quod eis nomen nouum imponebatur, omnino amplius aliquid non vocatos, nisi quod eis impositum sit: istum autem per vitam suam, & deinceps post vitam suam appellatum esse Iacob, cui nõ semel Deus dixerat, Non iam vocaberis Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Nimirum ergo nomen hoc ad illam rectè intelligitur pertinere promissionem, vbi sic videbitur Deus quomodo non est antea patribus visus, vbi non erit nomen vetus: quia nihil remanebit vel in ipso corpore vetustatis, & Dei visio summum erit præmium.

Quid discriminis habeant in promissis, Iacob, gẽtes, & cõgregationes gentium, quum dicitur quòd erunt ex eo.

In promissis Iacob dicitur, Gentes & con- 115
gregationes gentium erunt ex te. Quæritur, v- Gene.35.
trùm gentes secundum carnem, congregationes autem gentium secundum fidem, an vtrunque propter fidem gentium dictum est: si gentes appellari nõ possunt vna gens Israel secundum carnem.

Cur iterum dicatur, Statuit Iacob titulum, &c. an hoc bis factum sit.

Ascendit autem Deus ab eo loco vbi locu- 116
tus est cum eo, & statuit Iacob titulum in loco Gene.35.
in quo locutus est cum eo, titulum lapideum, & libauit super eum libamen, & infudit super eum oleum, & vocauit Iacob nomen loci, in quo locutus est cum eo illic Deus, Bethel. Iterum factum est hoc loco quod factum fuerat, an iterum commemoratum est? Sed quodlibet horum sit, super lapidem libauit Iacob, non lapidi libauit. Nõ ergo sicut idololatræ solent aras ante lapides constituere, & tanquam diis libare lapidibus.

Quomodo duodecim filii Israel dicantur nati aut facti in Mesopotamia, quum Beniamin longè postea natus sit & alibi.

Quòd duodecim filii computantur Israel, 117
qui nati sunt, vt dicitur, Hi sunt filii Israel qui Gene.35.
nati sunt ei in Mesopotamia: quum Beniamin longè postea natus sit, quum iam transisset Bethel, & appropinquarent Beth-lehem. Frustra quidam conantes istam soluere quæstionem, dixerunt non legendum, Nati sunt, sicuti Latini plerique codices habent, sed Facti sunt. Græcè enim scriptum est, γενόμενοι,

ita volentes intelligi etiam Beniamin, quanuis ibi natus non fuerit, ibi factum tamẽ: quia iam fuerat in vtero seminatus, vt prægnans inde Rachel exisse credatur. Hoc autem modo etiam si Nati sũt legeretur, possent dicere iam in vtero natum, quia conceptus erat, sicut de Matth.2 sãcta Maria dictum est ad Ioseph. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Sed aliud est quod impedit hanc solutionem quæstionis huius: quia si iam ibi Beniamin cõceptus erat, qui filii Iacob grãdes inde exierunt, vix annorum duodecim esse potuerunt. Viginti nãque annos illic expleuit, quorum primis septem sine coniugio fuit, donec seruiẽdo Liæ desponsaretur. Vt ergo primo anno, quo duxit vxorẽ, ei filius nasceretur, duodecim annorum esse potuit primitiuus, quum inde profectus est. Proinde si iam conceptus fuerat Beniamin, intra decem menses illa omnis via peracta est, & quidquid in itinere scriptum est de Iacob. Vnde sequitur, vt filii eius tam paruuli pro sorore sua Dina tãtam stragem fecerint, tot homines trucidauerint, ita expugnauerint ciuitatem, in quibus Simeon & Leui, qui primi gladiis accincti intrauerint ad illos homines, cõsque peremerint: vndecim vnus, alter decem annorum fuisse reperiatur, etiam si per singulos annos sine intermissione illa pepererat. Quod vtique incredibile est ab illius ætatis pueris illa omnia fieri potuisse, quando & ipsa Dina vix adhuc sex annorũ fuit. Proinde aliter soluẽda quæstio est, vt ideo intelligatur dictum commemoratis duodecim filiis, Hi sunt filii Iacob, qui facti sunt ei in Mesopotamia Syriæ: quia inter omnes, qui tam multi erant, vnus tantùm erat nõ ibi natus, qui tamen inde habuit nascendi causam, quòd ibi mater eius patri copulata est. Sed solutio ista quæstionis aliquo exemplo similis locutionis firmãda est. Nulla tamen est facilior solutio quęstionis huius, quàm vt per Synecdochen dictum accipiatur. Vbi enim pars maior est aut potior, solet eius nomine etiam illud comprehẽdi, quod ad ipsum nomen non pertinet. Sicut ad duodecim Apostolos iam non pertinebat Iudas, qui etiam mortuus fuit, cùm Dominus resurrexit à mortuis, & tamen ipsius duodenarii numeri nomẽ Apostolus in Epistola sua tenuit, vbi ait 1.Corinth.15 cum apparuisse illis Duodecim. Cum articulo enim hoc Græci codices habẽt, vt non possent intelligi quicunque Duodecim, sed illi in illo numero insignes. Eo modo locutionis puto & illud à Domino dictum, Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? vt non ad electionem etiam ipse pertinere videatur. Non enim facilè inuenitur electorum nomen in malo, nisi quando mali eliguntur à malis. Quòd si putauerimus & illum electũ, vt per eius traditionem Domini passio cõpleretur, id est, malitiam eius ad aliquid electam, bene vtente Deo etiã malis, illud attendamus vbi ait, Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegi: vbi declarat ad electionem non pertinere nisi bonos. Ac per hoc illud quod dictum est, Ego vos duodecim elegi, per Synecdochen dictum est, vt nomine maioris melioríque partis Genes.34 etiã illud cõplecteretur, quod ad ipsum nomẽ non pertinet. Hic modus est in hoc eodem loco, vbi Emor pro filio suo Sichẽ, vt acciperet Dinam filiam Iacob, exiit loqui cum eodem Iacob: & venerũt etiam filii eius, qui absentes erant, & ad omnes dicit Emor, Sichẽ filius meus elegit animo filiam vestram. date ergo illi eam vxorẽ. Quia enim potior erat patris persona, per Synecdochen Filiam vestram dicẽs, etiam fratres tenuit hoc nomine, quorum non erat filia. Hinc est & illud, Curre ad oues, & accipe Genes.27 mihi inde duos hœdos. Simul enim pascebantur oues & hœdi. Et quia potiores sunt oues, earum nomine etiã caprinum pecus cõplexus est. Sic quia potior erat numerus vndecim filiorũ Iacob, qui nati fuerãt in Mesopotamia, ipsorum commemoratione Scriptura complexa est etiam Beniamin, qui non erat ibi natus, & dictum est, Hi sunt filii Iacob, qui facti sunt ei in Mesopotamia Syriæ.

Vtrùm debito ordine post narrationem mortis Isaac, narrentur quas vxores Esau acceperit, & quos filios habuerit.

Quòd post narrationem mortis Isaac narra 118
tur quas vxores Esau acceperit, & quos creauerit, recapitulatio intelligenda est. Neque enim post mortem Isaac fieri cœpit, quum iam essent Esau & Iacob centum viginti annorum. Nam eos sexagenarius suscepit: & vixit omnes annos vitæ suæ centum octoginta. Genes.36

Quomodo Scriptura dicat post mortem Isaac patris sui Esau abscessisse de terra Chanaan, & habitasse in monte Seir, quum veniente de Mesopotamia Iacob fratre eius, legatur quòd iam illic habitabat.

Quæstio est, quomodo Scriptura dicat, post 119
mortem Isaac patris sui Esau abscessisse de terra Chanaan, & habitasse in monte Seir, quum veniente de Mepotamia Iacob fratre eius, legatur quòd iam illic habitabat. Proinde quid fieri potuerit, vt Scriptura fallere vel falli non credatur, in prõptu est cogitare, quòd scilicet Esau post eaquã in Mesopotamiam frater eius abscesisit, noluit habitare cum parentibus suis, siue ex illa cõmotione, qua dolebat se benedictione fraudatũ, siue aliqua causa vel vxorum suarũ, quas odiosas videbat esse parẽtibus, vel qualibet alia: & cœperit habitare in mõte Seir. Deinde post reditũ Iacob fratris sui facta inter eos concordia, reuersus est & ipse ad parentes, & cùm mortuum patrem simul sepelissent, quia eos plurimum ditatos, terra illa, sicut scriptum est, minimè capiebat, abscesit rursus in Seir, & ibi propagauit gentem Idumæorum. Genes.36

Quomodo pro eo tempore quo recitatur appellata sit terra Edom.

Quòd scriptum, Hi principes Horrei filii 120
Seir in terra Edom: secundum tempus quo viuebat scriptor commemorat. Cùm autem Seir habitaret qui istos genuit, nõdum veniente in illam terram Esau, nondum vtique appellaba- Genes.36

tur terra Edō. Non enim nomē nisi ab ipso Esau inditum est terræ: quoniam idem ipse Esau & Edom vocabatur, de quo propagati sunt Idumæi, hoc est, gens Edom.

Quomodo intelligendum sit quod scriptum est, Et hi reges qui regnauerūt in Edo antequam regnaret rex in Israel.

121 Genes. 36

Quod scriptum est, Et hi reges qui regnauerūt in Edom antequā regnaret rex in Israel, non sic accipiendum est tanquam omnes reges nominati sint vsque ad ea tempora, quibus cœperunt reges in Israel, quorū primus fuit Saul. Multi enim fuerunt in Edom vsque ad tempora Saul, temporibus etiam Iudicum, quorum tēpora fuerunt ante reges: sed ex his multis eos solos potuit comemorare Moses, qui fuerunt antequā ipse moreretur. Nec mirum est, quòd numerantibus ab Abraham per Esau patrem gentis Edom, atque per Rahuelem filium Esau, & Zaram filium Rahuelis, & Iobab filium Zara, cui Iobab successit in regno Balach, qui primus in terra Edom rex fuisse commemoratur, vsque ad vltimum regem, quem potuit nominare Moyses, plures generationes inueniūtur quàm numerentur ab Abraham per Iacob vsque ad Mosen. Nam illic inueniuntur ferè duodecim: hīc autem vsque ad Mosen fermè septē. Fieri enim potuit, vt ideo ibi plures nominarentur, quia citius moriendo plures alter alteri successerunt. Sic etiam contigit, vt alium ordinem sequens Matthæus, ab Abraham vsque ad Ioseph quadragintaduas generationes numeret. Lucas autem in ordine alio numerās generationes, nō per Salomonem, sicut ille, sed per Nathan ab Abrahā vsque ad Ioseph quinquagintaquinque cōmemoret. In illo quippe ordine, vbi plures nominantur citius mortui sunt, quàm vbi pauciores. Ne fortè autē moueat aliquem, quòd inter reges Edom commemoratur Balach filius Beor, & de similitudine nominis existimet illum esse Balach, qui restitit Mosi ducenti populum Israel, illud sciat Balach Moabitam fuisse non Idumæum, cúmque filium fuisse Sephor, non filium Beor: sed fuisse etiam ibi tunc filium Beor, Balaam, non Balach, quem Balaam cōduxerat idem Balach ad maledicendum populum Israel.

Numer. 22

Numer. 22

Quomodo potuerit mors Isaac decem & septem annorum inuenire Ioseph eius nepotem, sicut videtur tāquam ex ordine Scriptura narrare.

122 Genes. 35

Quomodo potuerit mors Isaac decem & septem annorum inuenire Ioseph eius nepotē, sicut videtur tāquam ex ordine Scriptura narrare, quocunque se quisque conuertat, inuenire difficile est. Nolo enim dicere non posse inueniri, ne fortè me fugiat, quod alium non fugit. Si enim post mortem aui sui Isaac, decem & septem annorum fuit Ioseph, quando eum fratres in AEgypto vendiderunt, proculdubio & pater eius Iacob decimoseptimo anno filii sui Ioseph centum viginti annorum fuit. Genuit eum autem Isaac, cùm esset annorum sexaginta, sicut scriptū est, Vixit ergo Isaac postea cē-tum viginti annis, quia centesimo octogesimo mortuus est: idcirco dimisit filios cētum viginti annos habentes, & Ioseph decem & septem. Ioseph autem quoniam triginta annorū fuit, quando apparuit in cōspectu Pharaonis: secuti sunt autem septem anni vbertatis, & duo famis, donec ad eum pater cum fratribus venit, triginta nouem profectò annos agebat Ioseph, quando Iacob intrauit in AEgyptum. Tunc autem idem Iacob, quod ore suo Pharaoni dicit, centesimum & trigesimū annum agebat ætatis: centum autem & viginti Iacob, quando erat decem & septem Ioseph, quod verum esse nullo modo potest. Si enim decimoseptimo anno vitæ Ioseph, Iacob centū viginti ageret, pro culdubio trigesimo & nono anno Ioseph, non centū triginta, sed cētum quadraginta & duos annos agere inueniretur Iacob. Si autem die mortis Isaac nondū erat annorū decē & septē Ioseph, sed aliquantulo tempore post mortem aui sui ad decimumseptimum peruenit annū, quo anno, Scriptura testante, in AEgyptum est à fratribus venditus, plurium etiam quàm centum quadragintaduorum annorum esse debuit pater eius, quādo est filium in AEgyptum cōsecutus. Scriptura quippe posteaquā narrauit annum vitæ vltimum Isaac centesimū & octogesimum, & eius mortē ac sepulturam: deinde commemorauit, quemadmodum digressus esset Esau à fratre suo de terra Chanaan in montem Seir: & contexuit commemorationem regum & principum gentis ipsius, in qua se constituit, vel quam propagauit Esau. Post hęc narrationem de Ioseph sic intulit, Habitabat autē Iacob in terra Chanaan. Hæ autem procreaturę Iacob. Ioseph autem decem & septem annorum erat, pascens cum fratribus oues. Deinde narratur causa somniorum, quemadmodum odiosus fratribus sit factus & venditus. Autergo eodē anno decimoseptimo, aut etiā aliquātò maior venit in AEgyptum, ac per hoc vtrolibet modo permanet quæstio. Si enim decē & septem annorū fuit post mortē aui sui, quādo pater eius centum viginti fuit, profectò anno eius trigesimo & nono, quando Iacob venit in AEgyptum, centum quadragintaduos annos idem Iacob agere debuit. Fuit autem tunc Iacob centum triginta: ac per hoc si decem & septem annorum Ioseph in AEgyptum est venditus, antè duodecim annos quàm moreretur auus eius: venditus inuenitur. Decem enim & septem annorum esse nō potuit, nisi ante duodecim annos mortis Isaac centesimo & octauo anno vitæ patris sui Iacob. His enim quum adiecerimus vigintiduos annos, quibus Ioseph vsque ad aduentum patris sui fuit in AEgypto, fient ætatis anni Ioseph triginta nouem, & Iacob centū triginta: & nulla erit quæstio. Sed queniam Scriptura post mortē Isaac ista narrauit, putatur Ioseph post eiusdem aui sui mortem, decem & septem annorum fuisse.

Quapropter

Quapropter intelligam⁹ de vita Isaac, tanquã multum decrepiti senis tacuisse Scripturam, quum iam de Iacob & eius filiis loqueretur, viuo tamen Isaac, decem & septem annorum esse cœpit Ioseph.

Quomodo de matre Ioseph locum habeat, Nunquid venientes veniemus ego & mater tua & fratres tui, adorare te super terram? quæ iam erat mortua.

123 Quòd dicit Iacob ad Ioseph, Quod est somnium hoc quod somniasti? Nunquid venientes veniemus ego & mater tua & fratres tui, adorare te super terram? nisi in aliquo mysterio dictum accipatur, quomodo intelligitur de matre Ioseph, quæ iam erat mortua? Vnde nec in AEgypto cùm sublimaretur, putãdum est hoc esse completum, quia nec pater eum adorauit, quãdo ad eum venit in AEgyptum, nec mater olim defuncta potuit. In Christi ergo persona facilè intelligi potest etiam de mortuis, secundum illud quod dicit Apostolus, Quia donauit ei nomen quod est super omne nomẽ, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.

Quare Scriptura Hismaelitas, quibus à fratribus vẽditus est Ioseph, etiam Madianitas vocet, quum Hismael sit de Agar filius Abrahæ, Madianitæ verò de Cethura.

124 Quæritur quare Hismaelitas Scriptura, quibus à fratribus venditus est Ioseph, etiam Madianitas vocet, cùm Hismael sit de Agar filius Abrahæ, Madianitę verò de Cethura. An quia Scriptura dixerat de Abraham, quòd munera dederit filiis concubinarum suarum, Agar scilicet & Cethuræ, & dimiserit eos ab Isaac filio suo in terram Orientis, vnam gentem fecisse, intelligendi sunt?

De quibus filiabus, cùm sola Dina sit, dicatur cùm lugeret Ioseph, Congregati sunt autem omnes filii eius & filiæ.

125 De Iacob scriptum est cùm lugeret Ioseph, Cõgregati sunt autem omnes filii eius & filiæ, & venerunt consolari eum. Quæ filiæ præter Dinam? An filios & filias dicit cõnumeratis nepotibus & neptibus? Iam enim maiores filii eius filios habere potuerunt.

Quis sit infernus, de quo dictum est, Descendam ad filium meum lugens in infernũ, & qui ad infernum descẽdant.

126 Et noluit cõsolari dicẽs, Quoniam descẽdam ad filium meum lugens in infernum. Solet esse magna quæstio, quomodo intelligatur infernus, vtrùm illuc mali tantùm, an etiam boni mortui descẽdere soleant. Si ergo tantùm mali, quomodo iste ad filium suum se dicit lugentem velle descendere? Non enim in pœnis inferni eum esse credit. An perturbati & dolentis verba sunt, mala sua etiam hinc exaggerantis?

Vtrùm spado, cui traditus est Ioseph, rectè Archimagirus, id est præpositus coquorum dicatur, an rectius præpositus militiæ.

127 Et vendiderunt Ioseph in AEgyptum Phutiphari Spadoni, præposito coquorum. Nolũt quidam præposito coquorũ interpretari, qui Græcè ἀρχιμάγειρος dicitur, sed præpositũ militię, cui esset potestas occidendi. Nam sic appellatus etiam est ille, quem Nabuchodonosor misit, penes quem potius inuenitur primatus fuisse militiæ.

Quo tempore fieri potuit, quod dicitur, Factum est autem in tempore illo, descendit Iudas à fratribus suis ad hominem quendam Adollamitam, cui nomen Hiras. Et vidit illic Iudas filiã hominis Chananæi, nomine Sue, & accepit eam, & introiuit ad eam, & peperit filium.

128 Factum est autem in tempore illo, descendit Iudas à fratribus suis ad hominem quendam Adollamitam, cui nomen Hiras. Et vidit illic Iudas filiam hominis Chananæi, nomine Sue: & accepit eam, & introiuit ad eam, & concepit & peperit filium, &c. Quæritur quando ista fieri potuerũt. Si enim posteaquam Ioseph deuenit in AEgyptum, quomodo intra viginti fermè & duos annos (nam post tantum temporis colligitur eos venisse ad eundem Ioseph fratrem suum in AEgyptũ cum patre suo) fieri potuerit, vt Iudę filii eius ætatis omnes possent ducere vxores? Nam Thamar nurum suã, mortuo primogenito suo, alteri filio suo dedit: quo etiam mortuo, expectauit vt crescerent tertius. Et quum creuissent, nec illi eam dedit, timẽs ne & ipse moreretur. Vnde factũ est, vt eidem socero suo se illa supponeret. Quomodo ergo hęc omnia inter tam paucos annos fieri potuerint, meritò mouet, nisi, vt fortè solet Scriptura, per recapitulationẽ aliquot annos ante vẽditum Ioseph hoc fieri cœpisse intelligi velit: quoniam sic positum est, vt diceretur, Factum est autem in illo tempore. Vbi tamen quęritur, si decem & septem annorum erat Ioseph, quãdo venditus est, quot annorum esse Iudas potuerit quartus filius Iacob, quando idem ipse primogenitus Ruben, vt plurimum, fratrem suum Ioseph quinque aut sex annos potuerit ætate præcedere. Euidenter autem Scriptura dicit, triginta annorum fuisse Ioseph, quando innotuit Pharaoni. Quum ergo ipse anno decimoseptimo ætatis suę venditus fuisse credatur, tredecim annos peregerat in AEgypto ignotus Pharaoni. Ad hos autẽ tredecim annos accesserunt septem anni vbertatis, & facti sunt anni viginti. His adduntur duo, quia secundo anno famis intrauit Iacob in AEgyptum cum filiis suis: & inueniũtur vigintiduo anni, quib⁹ abfuit Ioseph à patre & à fratribus suis. Quo medio tẽpore quomodo fieri potuerit de vxore & filiis & nuru Iudæ omnia quæ narrantur, indagari difficile est: nisi fortè vt credamus (& hoc enim fieri potuit) mox vt adolescere Iudas cœpit, eum incidisse in amorem eius quã duxit vxorẽ, nondum vendito Ioseph in AEgyptum.

Quid significatum est verbis illis, Et depositis vestimẽtis viduitatis suæ.

129 Et depositis vestimentis viduitatis suæ à se. Hic insinuatur etiam temporibus Patriarcharum certa & sua fuisse vestimenta viduarũ, non vtique talia, qualia coniugatarum.

Quomodo iterum dicendo, Ioseph autem depositus est in AEgyptum, &c. ad ordinem redeat Scriptura vnde discesserat.

130 Quòd iterum dicitur, Ioseph autem depositus est in AEgyptum, & possedit eum Phutiphar spado Pharaonis: ad ordinem redit Scri-

ptura vnde receſſerat, vt illa narraret, quæ ſuprà digeſta ſunt.

Quomodo iuxta Græcos codices, quis tria caniſtra chondritôn, id eſt, panum cibariorum habent, Pharao potuerit in eſcis ſuis habere panes cibarios.

131 Quòd aliqui codices Latini habent, Tria caniſtra alicæ, quum Græci habeant, χονδρίτης
Geneſ. 40 quod interpretatur, qui vſum eiuſdem linguæ habent, panes eſſe cibarios. Sed illud mouet, quomodo panē cibarium potuerit Pharao habere in eſcis. Dicit enim in ſuperiore caniſtro fuiſſe omnia, ex quibus edebat Pharao, opus piſtorum. Sed intelligendū eſt etiam ipſum caniſtrum habuiſſe panes cibarios: quia dictum eſt, tria caniſtra χονδρίτης, & deſuper fuiſſe illa ex omni genere operis piſtoris in eodem caniſtro ſuperiore.

Quomodo Pharao putabat ſe ſtare ſuper flumen.

132 Quòd putabat ſe ſtare Pharao ſuper flumē,
Geneſ. 41 quemadmodum ſeruus Abrahę dixit, Ecce ego ſto ſuper fontē aquę. Nam & ibi Græcus ὧδε τῆς πηγῆς dixit, quemadmodū hīc ὧδε τῆ ποταμοῦ. Hęc loquutio ſic intelligatur in Pſalmo, vbi ſcriptū
Pſalm. 23 eſt, Qui fundauit terram ſuper aquam: non coguntur homines putare ſicut nauem natare terram ſuper aquam. Secundum enim hanc locutionem rectè intelligitur, quòd altior ſit terra quàm aqua: altius quippe ab aquis ſuſtollitur, vbi habitent terrena animalia.

Quomodo dictum ſit, Obliuiſcentur vbertatis futuræ in tota terra AEgypti, quum obliuio ſit præteritorum.

133 Quòd ſcriptū eſt, Obliuiſcentur vbertatis
Geneſ. 41 futuræ in tota terra AEgypti, non futuræ illis qui famem patientur, tāquam poſtea veniat illis vbertas: ſed futura erat tunc quando loquebatur, tanquam diceret, Vbertatis huius, quam futuram ſignificauerunt boues bonæ, & ſpicæ bonæ, obliuiſcentur homines in ea fame, quam ſignificauerunt boues & ſpicæ malæ.

Quomodo iam tertio ſignificetur Spiritus ſanctus in Scriptura ſancta, quum dicitur, Nunquid inueniemus hominem talem, qui habeat Spiritum Dei in ſe?

Nunquid inueniemus hominem talem, qui
134 habeat Spiritum Dei in ſe? Ecce iam, niſi fallor,
Geneſ. 41 tertiò inſinuatur in hoc libro Spiritus ſanctus, id eſt, Spiritꝰ Dei. Primò enim dictum eſt, Spi-
Geneſ. 1 ritus Dei ferebatur ſuper aquam. Secundò vbi
geneſ. 6 dicit Deus, Non permanebit Spiritus meus in hominibus iſtis, propter quod caro ſunt. Et tertiò nunc quod Pharao dicit de Ioſeph, eſſe in illo Spiritum Dei. Nondum tamen legimus Spiritum ſanctum.

Quid interpretetur nomen Ioſeph ei datum, ſcilicet Pſotonphanech.

135 Et impoſuit Pharao nomen Ioſeph Pſo-
geneſ. 41 tonphanech: hoc nomen interpretari dicitur, occulta reuelauit: ex illo vtique quòd ſomnia regi aperuit. AEgyptia verò lingua, Saluatorē mundi perhibent appellatum iſto nomine.

Cuius Phutipharis ſacerdotis filia data ſit Ioſeph.

136 Et dedit ei Aſſenech filiam Phutipharis ſa-
geneſ. 41 cerdotis Solis ciuitatis ipſi vxorem. Quæri ſolet cuius Phutipharis, vtrùm illius cuius ſeruus fuit, an alterius. Sed credibilius ęſtimatur alterius. Nam de illo cur non credatur, multa ſunt quæ moueāt. Primùm, quia Scriptura non cōmemorauit, quum videatur hoc non potuiſſe præterire, quod ad illius iuuenis nō paruā gloriā pertinebat, vt eius filiā duceret, cuius famulus fuit. Deinde quomodo ſpado filiam habere potuerit? Sed reſpondetur, quomodo vxorem. Poſtea quippe creditur abſciſſus, vel caſu vulneris, vel propria voluntate. Et quòd honor eius non ipſe commemoratur qui ſolet, id eſt, quòd ἀρχιμάγειρος fuerit, quē principem coquorum Latini interpretes poſuerunt: principem autem militiæ, quidam intelligi volunt. Sed etiam hīc reſpondetur, duos illum honores habuiſſe, & ſacerdotium Solis, & militiæ principatum. Congruenter autem alibi ille honor eius commemoratus eſt, qui talibus actibus cōgruebat: hīc verò poſteaquam in Ioſeph apparuit nō paruaDiuinitas, ipſe honor debuit nominari ſoceri eius, qui pertineret ad diuinitatem non paruam, ſecūdum opinionem AEgyptiorū, in ſacerdote Solis. Verùm in his omnibus, quia & præpoſitus fuit cuſtodiarum carceris, nimis incredibile eſt hunc fuiſſe præpoſitum officio ſacerdotum. Deinde non ſimpliciter dictū eſt, quòd ſacerdos Solis eſſet, ſed de ciuitate Solis, quæ vocatur Heliopolis. Abeſſe autem dicitur amplius quàm viginti millibus à ciuitate Memphi, vbi Pharaones, id eſt, reges maximè commanebāt. Quomodo ergo deſerto officio ſacerdotii ſui, potuit ſtrenuè regi ſeruire militiæ principatu? Accedit etiam quòd AEgyptii ſacerdotes perhibētur non ſeruiſſe ſemper, niſi templo deorum ſuorū, nec aliquid aliud officio egiſſe. Sed ſi fortè tūc aliter fuit, credat quiſque quod placet: nō tamen eſt quæſtio, cuius exitus clauſus ſit, ſiue vnus fuerit Phutiphar, ſiue duo. Quodlibet enim horum quiſque exiſtimet, non eſt fidei periculoſum, nec contrarium veritati Scripturarum Dei.

Quomodo dictum ſit quod tritici quod congregauit Ioſeph ſicut arenam, non erat numerus, quum cuiuſtibet rei finita moneris ſit.

Et congregauit Ioſeph triticum ſicut are-
137 nam maris multum valde, quoadu ſque non po-
geneſ. 41 tuit numerari: non enim erat numerus: pro eo dictum eſt, Non enim erat numerus, quòd nomen numeri omnis vſitati excederet copia illa, & quomodo appellaretur, non inueniebatur. Nam vnde fieri poteſt, vt quantunlibet magnæ, finitæ tamen multitudinis, numerus non ſit? Quanuis hoc potuerit etiam ſecundum hyperbolen dici.

Quomodo dicitur, quòd commemoratus ſit Ioſeph ſomniorum ſuorum quæ viderat, adorātibus eum fratribus ſuis, quum non compleantur eo modo de patre & matre eius, quum mater mortua eſſet.

Et commemoratus eſt Ioſeph ſomniorum 138
ſuorum, quę vidit ipſe. Adorauerāt enim eum geneſ. 42
fratres ſui. Sed aliquid in illis ſomniis excelſi⁹ inquirēdum eſt. Non enim poteſt eo modo de patre eius ac matre compleri, quæ iam mortua fuerat, quod de Sole & Luna quum vidiſſet, à

patrę

patre increpante audierat qui viuebat.

Quid est quòd Ioseph vir tam sapiens, atque ita non solùm hominum, inter quos viuebat, testimonio, sed etiam Scriptura teste laudatus, ita iurat per salutem Pharaonis.

139 Genes. 41 Quid est quòd Ioseph vir tam sapiens, atque ita non solùm hominum, inter quos viuebat, testimonio, sed ipsa etiam Scriptura teste laudatus, ita iurat per salutem Pharaonis, non exituros de Aegypto fratres suos, nisi frater eorum minor venerit? An etiam bono & fideli viro vilis fuerat salus Pharaonis, cui fidem sicut primitus domino suo seruabat in omnib⁹? Quantò enim magis ipsi, qui eum in tanto honore locauerat, si illi seruauit fidem, qui eum seruum emptitium possidebat? Quòd si non curabat Pharaonis salutem, nunquid & periurium pro cuiuslibet hominis salute vitare non debuit? An non est periurium? Tenuit enim vnum eorum donec veniret Beniamin. & verum factum est quod dixerat, Non exibitis hinc, nisi venerit frater vester. Ad omnes enim nō potuit pertinere quod dictum est. Nam quomodo esset ille venturus, nisi ad eum ducendum aliqui rediissent? Sed quod sequitur magis vrget quæstionem, vbi iterū iurauit, dicens, Mittite ex vobis vnum, & adducite fratrem vestrū: vos autem non educemini, quoadusque manifesta sint verba vestra, si vera dicitis an non. sin autem per salutem Pharaonis exploratores estis, id est, si non vera dicitis, exploratores estis. Huic sententię interposuit iurationem, quia si vera nō dixissent, exploratores essent, id est, exploratorum pœna digni essent, quos tamen vera dicere sciebat. Neq; enim periurus est quisque, si ei, quem castissimum nouit, dicat, Si hoc adulterium, de quo argueris, cōmisisti, damnate Deus: & his verbis adhibeat iurationem, verum omnino iurat. Ibi est enim conditio, qua dixit, Si fecisti, quem tamē non fecisse certum habet. Sed ait aliquis, Verum est, quia si fecit adulterium, damnat illum Deus: hoc autē quomodo verum est, Si non verum dicitis, exploratores estis: quum etiam si mentiantur, non sint exploratores? Sed hoc est quod dixi, ita dictum esse, Exploratores estis, tanquā si dictum esset, Exploratorum pœna digni estis, hoc est, exploratores deputabimini merito mendacii vestri. Estis autē potuisse dici, pro habebimini & deputabimini, innumeræ similes locutiones docent. Vnde est illa Helię, Quicunque exaudierit in igne, ipse erit Deus. Non enim tunc erit, sed tunc habebitur.

g.18

Quid est quòd cùm inter se pœnitē tes filii Israel loquerētur de fratre suo Ioseph, quod cum illo male egerint, & hoc eis diuino iudicio redderetur, quòd se periclitari videbant, adiungit Scriptura & dicit, Ipsi ignorabant quòd audiebat Ioseph: interpretes enim inter illos erat.

140 f.42 Quid est, quòd quum inter se pœnitentes filii Israel loquerentur de fratre suo Ioseph, quòd cum illo malè egerint, & hoc eis diuino iudicio redderetur, quòd se periclitari videbant: adiungit Scriptura & dicit, Ipsi ignorabant quòd audiebat Ioseph: interpres enim inter illos erat. Hoc scilicet intelligendum est, ideo eos putasse quia ille non audierit, quòd vidēbāt interpretem, qui inter illos erat, nihil ei dicere eorum quæ loquebantur: nec ob aliud adhibitum putabāt interpretem, nisi quòd eorum linguam ille nesciret, nec cura erat interpretis ea dicere illi, à quo positus fuerat, quæ non ad illum, sed inter se loquebantur.

Quid intelligendum sit Ioseph dixisse ad fratres, cùm dicitur, Et iterum accessit ad eos, & dixit illis: nec adiungitur quid illis dixerit iterum.

141 genes. 42 Et iterum accessit ad eos, & dixit illis: nec adiūgit quid illis dixerit. Vnde intelligitur hęc eadem dixisse, quæ dixerat.

Quomodo intelligatur illud, Et deducetis senectam meam cum tristitia ad infernum: an ideo ad infernum, quia cum tristitia?

142 genes. 42 Et deducetis senectam meam cum tristitia ad infernum. Vtrùm ideo ad infernum, quia cum tristitia? An etiam si abesset tristitia, tanquam ad infernum moriendo descensurus hæc loquitur? De inferno enim magna quæstio est: & quid inde Scriptura sentiat locis omnibus, vbi fortè hoc commemoratum fuerit, obseruandum est.

Quomodo verum sit quod dicitur, quòd à præposito domus audierūt, Deus vester & Deus patrum vestrorum dedit vobis thesauros in saccis vestris. argentum autem vestrum probatum habeo, &c.

143 genes. 43 Quòd à præposito domus audiunt, Deus vester & Deus patrum vestrorum dedit vobis thesauros in saccis vestris: argētum autem vestrum probatum habeo: mendacium videtur, sed aliquid significare credendum est. Argentum enim quod & datur & non minuitur, quia & probatum appellatum est, nimirum illud intelligitur, de quo alibi legimus, Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum, id est, perfectē. Psalm.11

An & Ioseph ebrius fuerit, & quomodo, quum dicitur, Et biberunt autem, & inebriati sunt cum eo.

144 genes. 43 Biberunt autem, & inebriati sunt cum eo. Solēt hinc ebriosi adhibere testimonii patrocinium, non propter illos filios Israel, sed propter Ioseph, qui valde sapiens commendatur: sed hoc verbum & pro satietate solere poni in Scripturis, qui diligenter aduerterit, multis in locis inueniet. Vnde est illud, Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti ditare eam: eò quòd in laude benedictionis hoc positum est, & donum Dei commemoratur, apparet hanc ebrietatem saturitatem significare. Nam ita inebriari, vt inebriantur ebriosi, nec ipsi terræ vtile est: quoniam maiore quàm satietati sufficit, humore corrūpitur, sicut vita inebriosorū, qui nō satietate se replēt, sed mergūt diluuio. Psalm.64

An mendacium dixerit Ioseph, dicendo fratribus suis, Nesciebatis, quia augurio auguratur homo qualis ego?

145 genes. 44 Quòd ait fratribus suis Ioseph, Nesciebatis quia augurio auguratur homo qualis ego? de hoc augurio etiam mandauit eis dicendum per hominem suum: quid sibi velit quæri solet, an quia nō serio, sed ioco dictum est, vt exi-

tus docuit,non est habendũ mẽdacium. Mendacia enim à mendacibus serio aguntur, non ioco. Cùm autem quæ non sunt,tanquam ioco dicuntur,non deputantur mendacia. Sed magis mouet quid sibi velit ista actio Ioseph, qua fratres suos,donec eis aperiret quis esset,toties ludificauit, & tanta expectatione suspendit. quod licet tantò sit suauius cùm legitur,quantò illis fit inopinatius cum quibus agitur,tamẽ sapientiæ illius grauitate,nisi magnum aliquid isto quasi ludo significaretur,nec ab illo fieret, nec ea Scriptura contineretur, in qua est tanta sanctitatis auctoritas,& prophetandorum tanta intentio futurorum,quam modò exequi exponendo non suscepimus: sed admonere tantùm voluimus,quid hìc oporteat inquiri. Nã nec illud vacare arbitror,quòd non ait, Auguror ego,sed auguratur homo qualis ego. Quòd si locutionis genus est,in Scripturæ corpore simile aliquid reperiendum est.

Quo animo, & quamobrem Ioseph fratres suos in tanta animorum perturbatione, in quãta fuisse legũtur, detinuerit.

146 Non negligenter consyderandum puto, *genes.44* tantam miseriam in hac perturbatione fratrum suorum, quos Ioseph quandiu voluit tenuit,& quanta voluit mora protraxit, non eos vtique faciens calamitosos, quando tantæ etiã ipsorum futuræ lætitiæ exitum cogitabat,& totum hoc quod agebat, vt eorum gaudium differretur,ob hoc agebat,vt eadem dilatione cumularetur: tanquam non essent condignæ passiones eorum in toto illo tempore, quo turbabantur, ad futuram gloriam exultationis, quæ in eis fuerat reuelanda fratre cognito, quem à se perditum esse arbitrabantur.

Quo pacto euenit vt multa aliter quàm acta sint narrentur, &c.

147 Multa in narratione Iudæ aliter dicta sunt *genes.44* quàm cum illis egerat Ioseph, quanuis apud eum loqueretur, vt omnino de illa insinuatione, quòd exploratores essent, nihil diceretur. Quod vtrùm consultò tacitum sit, an & id fecerit perturbationis obliuio,non apparet. Nã & illud quod dixerunt se ab ipso Ioseph interrogatos de patre & fratre suo: se autem illa interroganti indicasse, mirum si vel ad sententiã potest ista peruenire narratio, vt eam constet esse veracem: quanquam & si aliqua falsa in ea sunt, falli potius per obliuionem potuit,quàm auderet mentiri, apud eum præsertim, cui non sicut nescienti,sed etiam illa quæ nouerat eum scire, ad flectendam eius misericordiam narrationi suæ inserebat.

Quid sit quod dicit Ioseph, Misit enim me Deus ante vos remanere vestrùm reliquias super terram.

148 Quid est quod dicit Ioseph, Misit enim *genes.45* me Deus ante vos remanere vestrùm reliquias super terram, & enutrire vestrùm reliquias: mirum est: hoc enim non vsquequaque consonat, vt reliquias accipiamus Iacob & filios eius, quum omnes sint incolumes. An fortè illud significat alto secretóque mysterio, *Roman.11* quod ait Apostolus, Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factę sunt? Quia Propheta prędixerat, Et si fuerit numerus filiorum Israel sicut *Esaiæ 1* arena maris, reliquiæ saluæ fient. Ad hoc enim occisus est Christus à Iudęis,& traditꝰ gẽtibus tãquam Ioseph A Egyptiis à fratribus, vt & reliquiæ Israel saluæ fierent. Vnde dicit Apostolus, Nam & ego Israelita sum: vt & plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, id est, ex reliquiis Israel secundum carnem, & plenitudine gentium, quæ in fide Christi secundum spiritum sunt Israel. Aut si & genti illi Israelitę restat fidei plenitudo, ex qua erant reliquiæ, in quibus reliquiis tũc & Apostoli salui facti sunt, hoc significatur ea plenitudine liberationis Israel, qua per Mosen ex A Egypto liberati sunt. *Roman.11*

Quomodo dicitur, Intrauerunt in A Egyptum Iacob & omne semen eius, filii & filii filiorũ eius, filiæ & filiæ filiarũ eius, cùm filiã vnam tantũ habuisse legatur.

Intrauit in A Egyptum Iacob & omne semẽ 149 eius, filii & filii filiorum eius, filiæ & filiæ filiarũ *genes.46* eius cum eo. Quærẽdum quomodo dicat filias & filias filiarum eius, cùm filiam vnam legatur habuisse. Superius autem filias eius dixeramus accipi posse neptes eius, sicut filii Israel omnes dicuntur etiam vniuersus populus ab illo propagatꝰ. Sed nunc cùm dicit, filias filiarum, propter vnam Dinam pluralis numerus pro singulari positus est, sicut etiam pro plurali singularis solet, nisi nurus eius quisque asserat filias eius potuisse appellari.

Quomodo Scriptura intelligenda sit, quæ dicit tot animas periisse Liam, vel tot aut tot animas exiisse de femoribus Iacob: quòd si à parte totũ significare dicatur, quomodo stat quod tot homines ex illius femore exisse testatur.

Quòd dicit Scriptura tot animas periisse 150 Liam, vel tot aut tot animas exiisse de femori- *genes.46* bus Iacob, videndum est quid hinc respondeatur eis, qui hoc testimonio confirmare nituntur, à parẽtibus simul animas cum corporibus propagari. Animas enim dictas pro hominibꝰ, à parte totum significãte locutione, nullus ambigit. Sed quomodo ipsam partem, ex qua totum commemoratum est, hoc est, animã, cuius nomine totus homo significatus est, alienemus ab eo quod dictũ est, Exierũt de femoribꝰ eius, vt carnes tãtùm ex illo natas, quanuis solæ animę nominentur, accipiamus, quęrendi sunt loquutionum modi secundum Scripturas.

Quũ dicitur, Hi filii Liæ quos peperit ipsi Iacob in Mesopotamia Syriæ, & Dinã filiã eius, omnes animæ filii & filiæ eius trigintatres: nunquid omnes istæ trigintatres animæ ex Lia in Mesopotamia Syriæ natæ sunt?

Hi filii Liæ, quos peperit ipsi Iacob in Me- 151 sopotamia Syriæ, & Dinam filiam eius, omnes *genes.46* animæ filii & filiæ eius trigintatres. Nunquid istæ omnes trigĩtatres animæ ex Lia in Mesopotamia Syriæ natæ sunt? Sed vtique filii, & vna filia, ex quibus neptes commemoratę sunt. Si ergo de vno Beniamin quæstio nata fuerat, quãdo numeratis duodecim filiis Iacob, & nominatim commemoratis dictum est, Hi filii Iacob, qui facti sunt ei in Mesopotamia Syriæ:

quantò

quantò maior quæstio est, quomodo triginta tres animæ ex Lia in Mesopotamia Syriæ natæ sunt, nisi quia illa loquutio confirmatur, tãquam ibi omnes ortæ sint, quorum parẽtes ibi orti sunt. Deinde & illud iam non dubium est, in vna filia filias nominari, plurali numero pro singulari posito.

Quomodo constet ratio numeri, quum dicitur tot animas intrasse cum Iacob in AEgyptum.

152 Quòd legitur sexaginta sex animas intrasse cum Iacob in AEgyptum, exceptis videlicet filiis Ioseph, & deinde annumeratis infertur, Septuagintaquinque animæ erãt, cum quibus Iacob intrauit in AEgyptum: sic accipiendum est, qui erant in domo Iacob, quando intrauit in AEgyptum. Nam vtique quos ibi inuenit, non cum eis intrauit. Sed quoniam diligentius discussa veritate reperiuntur duo nati iam fuisse, quum intrauit, Ephrem & Manasses: quod non solùm hoc loco Hebræi codices habere dicuntur, verumetiam ipsa Septuaginta interpretatio in Exodo declarat. Nec Septuaginta interpretes mihi in hoc videntur errasse, qui propter aliquam mysticam significationem, quadam velut Prophetica libertate hunc numerum complere voluerunt, si adhuc viuente Iacob, illi ex duobus filiis Manasse & Ephrem propagati sunt, quos eidem numero domus Iacob aggregandos iudicauerunt. Sed quia inuenitur Iacob decem & septem annos vixisse in AEgypto: quomodo potuerunt filii Ioseph illo viuo etiam nepotes habere, non inuenitur. Ingressus est enim AEgyptum Iacob secundo anno famis: nati sunt autem filii Ioseph in annis abundantiæ. Quibuslibet annis vbertatis nati existimentur, à primo anno vbertatis vsque ad secundum annum famis, quo ingressus est Iacob in AEgyptum, nouem anni sunt: huc additis decem & septem, quibus ibi vixit Iacob, viginti sex anni reperiuntur. Quomodo ergo minus quàm viginti & sex annorum iuuenes etiam nepotes habere potuerunt? Sed neque vlla Hebraica veritate ista soluitur quæstio. Quemadmodum autem impleri potuit, vt tot nepotes susciperet Iacob, antequam intraret in AEgyptum, etiam de Beniamin, qui illa ætate venit ad fratrem? Non solùm Scriptura filios eum habuisse commemorat, sed & nepotes & pronepotem, qui omnes adnumerantur sexaginta sex hominibus, cum quibus Iacob in AEgyptum, etiam secundum Hebraicam veritatem perhibetur intrasse. Videndum est etiam, quid sibi velit, quòd quum Ioseph & filii eius non amplius quàm octo commemorantur, Beniamin verò & eius filii simul vndecim reperiantur: non decem & nouem omnes, sicut sunt octo & vndecim, sed decem & octo referantur in summam & postea Ioseph cum filiis suis, nõ animæ octo, sed nouẽ fuisse dicantur, cùm octo inueniantur. Hæc omnia, quæ indissolubilia videntur, magnam continẽt sine dubitatione rationem: sed nescio vtrùm possint cuncta ad literam conuenire, præcipuè in numeris, quos in Scripturis esse sacratissimos, & mysteriorum plenissimos, ex quibusdam quos inde nosse potuimus, dignissimè credimus.

Quo modo meritò commendatur in patriarchis, quòd pecorum nutritores erant à pueritia, & quorum sit homini iusta dominatio.

Commendatur in Patriarchis, quòd pecorum nutritores erant à pueritia sua, & à parentibus suis. Et meritó. Nam hæc est sine vlla dubitatione iusta seruitus, & iusta dominatio, quum pecora homini seruiunt, & homo pecoribus dominatur. Sic enim dictũ est cùm crearetur, Faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostrã, & habeat potestatem piscium maris, & volatilium cæli, & omnium pecorum, quæ sunt super terram. Vbi insinuatur rationem debere dominari irrationabili vitæ. Seruum autem hominem homini, vel iniquitas, vel aduersitas dominari fecit. Iniquitas quidẽ, sicut dictum est, Maledictus Chanaan: erit seruus fratribus suis. Aduersitas verò, sicut accidit ipsi Ioseph, vt venditus à fratribus, seruus alienigenę fieret. Itaque primos seruos, quibus hoc nomen in Latina lingua inditum est, bella fecerunt. Qui enim homo ab homine superatus, iure belli posset occidi, quia seruatus, est seruus appellatus: inde & mancipia, quia manu capta sunt. Est enim ordo naturalis in hominibus, vt seruiant fœminæ viris, & filii parentibus: quia & illic iustitia est hæc, vt infirmior ratio seruiat fortiori. Hæc igitur in dominationibus & seruitutibus clara iustitia est, vt qui excellunt ratione, excellãt dominatione, quod cùm in hoc seculo per iniquitatem hominum perturbatur, vel per naturarum carnalium diuersitatem, ferunt iusti temporalem peruersitatem, in finẽ habituri ordinatissimam & sempiternam felicitatem. 153 *genes. 46*

Quomodo consonat veritati, Abominatio est enim AEgyptiis omnis pastor ouium.

Abominatio est enim AEgyptiis omnis pastor ouium. Meritò AEgyptiis, in quibus figura est præsentis seculi, in quo abundat iniquitas, abominatio est omnis pastor pecorum. Abominatio est enim iniquo vir iustus. 154 *genes. 46*

Ad quid facta sit illa repetitio, Venerunt autem in AEgyptum ad Ioseph Iacob, &c.

Venerunt autem in AEgyptum ad Ioseph Iacob & filii eius. & audiuit Pharao rex AEgypti: & ait Pharao Ioseph dicens, Pater tuus & fratres tui venerunt ad te: ecce terra AEgypti ante te est, in terra optima colloca patrem tuum & fratres tuos. Hæc repetitio non potest miscri, ad quam sæpe obscurè per recapitulationem reditur, sed omnino aperta est. Iam enim dixerat Scriptura, quomodo venerint ad Pharaonem fratres Ioseph, & quid eis dixerit, vel ab eis audierit: sed hoc nunc velut ab initio repetiuit, vt inde contexeret narra- 155 *genes. 47*

tionem ab his verbis, quæ soli Ioseph Pharao dixit: quorum omnium in codicibus Græcis, qui à diligentioribus conscripti sunt, quædam obeliscos habent, & significant ea quæ in Hebræo nō inueniuntur, & in Septuaginta inueniūtur: quædā astericos, quib⁹ ea significātur, quæ habent Hebræi, nec habent Septuaginta.

Quid est quod dicit Iacob secundum Græcos codices, Pharaoni illud, Dies annorum vitæ meæ, quos incolo, &c. quare sciliced dixit incolo.

156 Quid est quòd dicit Iacob Pharaoni, *Genes.47* Dies annorum vitæ meæ, quos incolo? sic enim habent Græci, quod Latini habent Ago vel habeo, vel si quid aliud. Vtrùm ergo ideo dixit quos incolo, quia in terra natus est, quam nondum populus Diuina promissione hæreditatis acceperat, & vbi vitam ducens, vtique in aliena terra erat, non solùm quando peregrinabatur sicut in Mesopotamia, verumetiam quādo ibi erat vbi natus est? An potius secundum
2. Corinth. 5 id accipiendum est, quod ait Apostolus, Quādiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino? Secundum hoc & illud in Psalmo dictum
Psalm.38 intelligitur, Inquilinus ego sum in terra, & peregrinus, sicut omnes patres mei. Nam iterum dicit de ipsis diebus vitæ suæ, Non peruenerunt in dies annorum vitæ patrum meorum, quos dies incoluerunt. Non enim hic aliud voluit intelligi, quàm id quod Latini codices habent, Vixerunt: ac per hoc significauit hanc vitam incolatum esse super terram, id est, peregrinationis habitationem. Sed credo Sanctis hoc conuenire, quibus aliam patriam æternam Dominus pollicetur. Vnde videndum est,
Psalm.55 quemadmodum dictum est de impiis, Incolent & abscondent, ipsi calcaneum meum obseruabunt. De his enim cōuenientius accipitur, qui vt abscondant incolunt, id est, vt insidientur filiis, non manent in domo in æternum.

Quum dictum sit, Dedit eis possessionem in terra optima, & in terra Rameſſem, sicut præcepit Pharao, quæritur nonne terra Rameſſem sit terra Gessen, quam eis Pharao dari præceperat, & ipsi sibi dari petierant.

157 Et dedit eis possessionem in terra optima, *Genes.47* & in terra Rameſſem, sicut præcepit Pharao: quærendum est vtrùm terra Rameſſem, ipsa sit Gessen. Ipsam enim petierant, & ipsam eis Pharao dari præceperat.

Quomodo somnium Ioseph impletum putabimus, quandoquidem vbi dicitur, Et metiebatur triticum patri suo Ioseph, eum pater non adorauerat, sicut futurum somniauerat.

158 Et metiebatur triticum patri suo Ioseph: *genes.47* & tamen eum pater nec quādo vidit, adorauit, nec quando ab illo triticum accipiebat. Quomodo ergo somnium Ioseph modò impletum putabimus, & non potius maioris rei contineri Prophetiam?

Ad quid dicatur, Intulit Ioseph omnem pecuniam in domum Pharaonis.

159 Et intulit Ioseph omnem pecuniam in do- *genes.47* mum Pharaonis: pertinuit ad Scripturam, in hac etiam re commendare fidem famuli Dei.

Quomodo AEgyptii in tanta fame, & pecora & pecorum pascua habuisse dicantur, quum in terra Chanaan defecerint.

Dixit autem illis Ioseph, Adducite pecora 160
vestra, & dabo vobis panes pro pecoribus ve- *genes.47*
stris, si deficit argentum. Quæri potest, cùm Ioseph frumenta collegerit, vnde homines viuerent, pecora vnde viuebant, cùm tāta fames inualesceret, maximè quia fratres Ioseph Pharaoni dixerant, Non sunt enim pascua pecoribus puerorum tuorum: inualuit enim fames in terra Chanan: & propter hanc etiam inopiam pascuorum se venisse commemorauerant. Proin de si ea fame pascua defecerant in terra Chanaan, cur in AEgypto non defecerant, eadem tunc fame vbique inualescente? An sicut perhibetur ab eis qui loca sciunt, in multis AEgypti paludibus poterant pascua non deesse, etiā cùm fames esset frumentorum, quæ solent Nili fluminis inūdatione prouenire? Magis enim dicuntur paludes illæ feracia pascua gignere, quando aqua Nili minus excrescit.

Quomodo notanter illa duo iunguntur, Misericordia & veritas, cùm moriturus Iacob filio suo Ioseph dicit, Si inueni gratiā in conspectu tuo, subiice manū tuam sub femore meo, & facies in me misericordiam & veritatem, &c. Circa quæ verba diligendū quid sibi velit in tanto viro tam solicita corporis cōmendatio, vt non in AEgypto sepeliatur, sed in terra Chanaan iuxta patres suos.

Moriturus Iacob filio suo Ioseph dicit, Si 161
inueni gratiam in conspectu tuo, subiice manū *genes.47*
tuam sub femore meo, & facies in me misericordiam & veritatem. Ea filium iuratione con- *genes.24*
stringit, qua seruum constrinxit Abraham. Ille mandās vnde vxor ducatur filio suo, iste sepulturam commēdans corporis sui. In vtraque tamen causa nominata sunt duo illa, quæ magni habēda atque pendenda sunt in Scripturis omnibus, quacunque dispersa leguntur, Misericordia & iustitia, vel misericordia & iudicium, vel misericordia & veritas: quandoquidem in
quodam loco scriptum est, Vniuersæ viæ Do- *Psalm.24*
mini misericordia & veritas. Ita hæc duo multum commendata, multum consyderāda sunt. Seruus autem Abraham dixerat, Si facitis in dominum meum misericordiam & iustitiam, sicut & iste filio suo dicit, Vt facias in me misericordiam & veritatem. Quid sibi autem velit à tanto viro tam solicita corporis commendatio, vt non in AEgypto sepeliatur, sed in terra Chanaā iuxa patres suos, mirū videtur, & quasi absurdum, nec cōueniens tātæ excellentię mētis Prophetiæ, si hoc ex hominū cōsuetudine metiamur. Si autē in his omnibus sacramenta quęrātur, maioris admirationis gaudiū ipsi qui inuenerit, orietur. Cadaueribus quippe mortuorum peccata significari in Lege, non dubiū est, cùm iubētur homines post eorum cōtrectationem, siue qualēcunque contactum, tāquam ab immunditia purificari. Et hinc illa sententia ducta est, Qui baptizatur à mortuo, & ite- *Eccle.34*
rum tangit illum, quid proficit lauatio eius? Sic & qui ieiunat super peccata sua, & iterum

rum ambulans,hæc eadem facit. Sepultura ergo mortuorum, remissionem significat peccatorum,eò pertinens quod dictũ est, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Vbi ergo sepelienda erant hoc significantia cadauera Patriarcharum, nisi in ea terra, vbi ille crucifixus est, cuius sanguine facta est remissio peccatorum? Mortibus enim Patriarcharum peccata hominũ figurata sunt. Dicunt autem ab eo loco, quod Abrahemium vocatur, vbi sunt ista corpora, abesse locum, vbi crucifixus est Dominus, ferè triginta millibus, vt etiam ipse numerus significare intelligatur, qui in Baptismo apparuit ferè triginta annorum, & si quid aliud de re tanta, vel hoc modo, vel sublimius intelligi potest: dũ tamen non frustra arbitremur tales ac tantos homines Dei tantam gessisse curam pro sepeliendis corporibus suis, quum sit atque esse debeat fidelium ista securitas, quòd vbicunque corpora eorum sepeliantur, vel insepulta etiam inimicorum rabie relinquãtur, aut pro eorum libidine dilacerata absumãtur, non ideo vel minus integra, vel minus glorioſa in eorum resurrectione futura.

Psalm.31

Vtrùm legendum sit, Adorauit super caput virgæ eius, an virgæ suæ, & quid significationis habeat verba illa.

162 Quòd habent Latini codices, Et adorauit super caput virgę eius, nonnulli codices emendatius habẽt, Adorauit super caput virgæ suæ, vel in capite virgæ suę, siue in cacumine, vel super cacumen. Fallit enim eos verbum Græcum, quod eisdem literis scribitur, siue eius, siue suæ: sed accentus dispares sunt, & ab eis qui ista nouerunt, in codicibus non contemnuntur. Valẽt enim ad magnam discretionem, quanuis & vnam plus literam habere posset, si esset suæ, vt non esset αὐτῆς, sed ἑαυτῆς. Ac per hoc meritò quæritur, quid sit quod dictum est. Nam facilè intelligeretur senem, qui virgam ferebat eo more, quo illa ætas baculum solet, vt se inclinauit ad Deum adorandum, id vtique fecerit super cacumen virgæ suæ, quam sic ferebat, vt super eam caput inclinando adoraret Deum. Quid est ergo, Adorauit super cacumen virgæ eius, id est, filii sui Ioseph? An fortè tulerat ab eo virgam, quando ei iurabat idem filius, & dum eam tenet post verba iurantis, nondum illa reddita, mox adorauit Deum? Non enim pudebat eum ferre tãtisper insigne potestatis filii sui, vbi figura magnæ rei futuræ prę signabatur. quãuis in Hebrẽo facillima huiꝰ quęstionis absolutio esse dicatur, vbi scriptum perhibent, Et adorauit Israel ad caput lecti, in quovtiq; senex iacebat, & sic positũ habebat, vt in eo sine labore, quãdo vellet, oraret: nec ideo tamen quod Septuaginta interpretati sunt, nullum vel leuem sensum habere putandum est.

Genes.48

An facta sit illa promissio, Faciam te in congregationes gentium.

163 Etiam hic commemorans Iacob promissiones Dei erga se factas, dicit sibi dictum, Faciam te in cõgregationes gentium: quibus verbis magis fidelium vocationem significat, quã carnalis generis propagationem.

Genes.48

Quam sententiam habeant, & quo ordine adstruenda sint illa verba, Nunc ergo filii tui duo, qui facti sunt tibi in AEgypto.

Quòd scriptum est dicente Iacob de Ephraim & Manasse, Nunc ergo filii tui duo, qui facti sunt tibi in terra AEgypti, priusquam ad te venirem in AEgyptũ, mei sunt: Ephraim & Manasses, tanquã Ruben & Simeon erunt mihi: natos autem si genueris postea, tibi erunt: in nomine fratrum suorum, appellabuntur in sortibus eorum: fallit legentes aliquando, vt existiment ita dictum, tanquam si alios genuisset Ioseph, istorum nominibus eos Iacob appellari præciperet: quod nõ ita est. Verborũ quippe ordo contexitur, Nunc ergo filii tui duo, qui facti sunt tibi in terra AEgypti, priusquam ad te venirem in AEgyptũ, mei sunt: Ephraim & Manasses, tanquam Ruben & Simeon erunt mihi: in nomine fratrum suorum appellabuntur in sortibus eorum, hoc est, simul hæreditatem capient cum fratribus suis, vt simul vocentur filii Israel. Duæ quippe ipsæ tribus adiunctæ sunt, vt excepta tribu Leui, quæ sacerdotalis fuit, duodecim essent, quæ terram diuiderẽt, & decimas præberent. Illud autem interpositum est, quod de aliis filiis Ioseph, si nascerentur, dixit. 16 *genes.49*

Cùm Ioseph interfuerit sepulturæ matris suæ, cur tanquam nescienti Iacob ipsi voluit indicare, vbi & quando ipsam sepelierat.

Quòd Iacob filio suo Ioseph tanquam nescienti voluit indicare, vbi & quando sepelierit matrem eius, cùm & ipse simul fuerit cum fratribus suis: sed & si erat tam paruus ætate, vt illud vel curare, vel omnino retinere non posset, quæ res compulit modò dici? Nisi fortè ad rem pertinuit commemorare ibi sepultam matrem Ioseph, vbi Christus fuerat nasciturus. 165 *Genes.48*

Quid significet quòd Iacob ita benedicit nepotes, vt dexterã manum minori imponat, maiori autem sinistram, &c.

Quod ita benedicit nepotes suos Israel, vt dexteram manum minori imponat, maiori autem sinistram: & hoc filio suo Ioseph volenti corrigere, quasi errantem atque atque nescientem, ita respondit, Scio fili mi, scio, & hic erit in populum, & hic exaltabitur: sed frater eius iunior maior illo erit, & semen eius erit in multitudine gentium. Hactenus de Christo accipiendum est, quatenus etiam de ipso Iacob & fratre eius dictum est, Quia maior seruiet minori. Secundum hoc enim significauit aliquid Prophetice hoc faciendo Israel, quod populus posterior per Christum futurus regeneratione spiritali, superaturus erat populum priorem, de carnali patrum generatione gloriantem. 166 *genes.48* *Genes.25*

Quomodo valeat ad literam conuenire, quòd Sichimam dicit Iacob præcipuam dare filio suo Ioseph: & addit quod eam possederit in gladio suo & arcu. Emit enim centum agnis possessionem illam, & non cepit iure victoriæ belli.

167 Quòd Sichimam dicit Iacob præcipuam
genes.33.&34 dare filio suo Ioseph, & addit, quòd eam possederit in gladio suo & arcu: quęri potest, quęadmodum valeat ad literam conuenire. Emit enim centum agnis possessionem illam, non cepit iure victoriæ bellicæ. An quia Salem ciuitatem Sichimorum filii eius expugnauerũt, vt iure belli potuit eius fieri, & iustum bellum cum eis gestũ videatur, quia tãtam priores iniuriã fecerunt in eius filia contaminanda? Cur non ergo illis illam terram dedit, qui hoc perpetrauerũt, hoc est, maioribus filiis suis? Deinde si modò ex illa victoria glorians, dat eam terram filio suo Ioseph, cur ei displicuerunt tunc filii, qui hoc commiserunt? Cur denique etiam nunc quum eos benediceret, exprobrando id commemorauit in factis eorum? Proculdubio ergo aliquod hîc latet Propheticum sacramentum: quia & Ioseph quadam præcipua significatione Christum præfigurauit, & ei datur illa terra, vbi dispersiderat obruendo deos alienos Iacob, vt Christ⁹ intelligatur possessurus gentes, diis patrum suorum renuntiantes, & credentes in eum.

Quomodo dicant Scripturæ quòd assiduè dicunt de mortuis, Et appositus est ad patres suos.

168 Videndum quomodo dicant Scripturæ,
genes.49 quod assiduè dicunt de mortuis, Et appositus est ad patres suos, vel appositus est ad populum suum. Ecce enim de Iacob dicitur, iam quidem mortuo, sed nondum sepulto, & ad quem populum apponatur, non in promptu est videre. Ex illo enim populus prior nascitur, qui dictus est populus Israel: qui verò eum præcesserunt, tam pauci iusti nominantur, vt eos populum appellare cunctemur. Nam si dictum esset, Appositus est ad patres suos, nulla quæstio fieret. An fortè populus est, non solùm hominum sanctorum, verùm & Angelorum populus ciuitatis illius: vnde dicitur ad Hebræos. Sed accessistis ad mõtem Sion, & ad ciuitatem Dei Hierusalem, & ad millia Angelorum exultantium? Huic populo apponuntur, qui post hanc vitam placentes Deo fiunt. Tunc enim dicuntur apponi, quando nulla iam remanet solicitudo
Hebr.12 tẽtationum, & periculum peccatorum. Quod
Eccles.11 intuens ait Scriptura, Ante mortem ne laudes hominem quenquam.

Quid significent quadraginta dies sepulturæ, quos commemorat Scriptura. Et quid quadragenarius numerus sacramenti habeat.

169 Quadraginta dies sepulturæ, quos com-
Exod.34 3.Reg.19 Matth.4 memorat Scriptura, fortè significant aliquid pœnitentiæ, qua peccata sepeliuntur. Non enim frustra etiam quadragẽta dies ieiuniorum sunt constituti, quibus Moses & Helias, & ipse Dominus ieiunauit, & Ecclesia præcipua obseruatione ieiuniorum quadragesimam vocat.
Ionæ 3 Vnde & in Hebræo de Niniuitis apud Ionam Prophetam scriptum perhibent, Quadraginta dies & Niniue euertetur: vt per tot dies accommodatos videlicet humiliationi pœnitentium, intelligatur in ieiuniis sua defleuisse peccata, & impetrasse misericordiam Dei. Nec tamen putandum est istum numerum luctui pœnitentium tantummodo conuenire, alioquin nõ quadraginta dies feciſſet Dominus cum discipulis suis post resurrectionem, intrans cum eis & exiens, manducans & bibens: qui dies vtique magnæ lætitiæ fuerunt. Nec septuaginta Interpretes, quos legere consueuit Ecclesia, errasse credendi sunt, vt non dicerent quadraginta dies, sed triduum & Niniue euertetur. Maiore quippe auctoritate præditi, quàm interpretum officiũ est, Prophetico spiritu, quo etiã ore vno in suis interpretationibus, quod magnum miraculum fuit, consonuisse firmantur, triduum posuerunt, quanuis non ignorarent quòd dies quadraginta in Hebræis codicibus legerẽtur, vt in Domini nostri Iesu Christi clarificatione intelligerentur dissolui abolerique peccata, de quo dictum est, Qui tradi- Roman.4
tus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Clarificatio au- Ioanno 12 Actorum 2
tem Domini, in resurrectione & in cælũ ascensione cognoscitur. Vnde & bis numero, quanuis vnum & eundem Spiritum sanctum dedit: primò postquam resurrexit, iterum posteaquã ascendit in cælum. Et quoniam post triduum resurrexit, post quadraginta autem dies ascendit, vnum horum quod posterius factũ est, per numerum dierum codices Hebræi significant: alterum autem de triduo, quòd ad eandem etiam rem pertineret, Septuagita commemorare, non interpretationis seruitute, sed Prophetiæ auctoritate valuerunt. Non ergo dicamus vnum horum falsum esse, & pro aliis interpretibus aduersus alios litigemus, quum & illi qui ex Hebræo interpretantur, probent nobis hoc scriptum esse, quod interpretantur, & septuaginta interpretum auctoritas, quæ tanto etiam Diuinitus facto miraculo commendatur, tanta in Ecclesiis vetustate firmetur.

Quomodo Ioseph iusserit nomine suo dicere Pharaoni, Pater meus adiurauit me, dicens, In monumento quod ego fodi mihi in terra Chanaan, ibi me sepelies, &c. quum tamen hæc verba patris eius non legantur.

Quod mandauit Ioseph ad potentes AE- 170
gypti, vt dicerẽt Pharaoni nomine eius, Pater Genes.50
meus adiurauit me, dicẽs, In monumẽto quod ego fodi mihi in terra Chanaã, ibi me sepelies: quęri potest, quomodo verũ sit, cùm hęc verba patris eius, quando de sua sepultura mãdauit, non legantur. Sed ad sententiam verba referre debemus, sicut in aliis suprà similiter iteratis verbis vel narrationibus admonuimus. Voluntati enim enuntiandæ, & in notitiam perferendæ, oportet verba seruire: fodisse autẽ sibi Iacob sepulchrum, nusquam superius in Scripturis legitur. Sed nisi fieret, quum in eisdem terris esset, modò non diceretur.

Quid sibi vult, quòd cùm pergerent ad sepeliendum Iacob, Scriptura dicit, Et aduenerũt ad aream Achad quæ est trans Iordanem, cùm prætergressi sint locum, in quo erat sepeliendus p'ùsquam quingenta milliaria.

Quid sibi vult quòd cùm pergerẽt ad sepe- 171
liendum Genes.50

liendum Iacob, Scriptura dicit, Et aduenerunt ad aream Achad, quæ est trans Iordanem. Prætergressi sunt enim locum, in quo erat mortuus sepeliendus, milliaria sicut perhibēt qui nouerunt, plusquam quinquaginta: tātum quippe spatii est plus minus ab eo loco, vbi sepulti sunt Patriarchæ, in quibus & Iacob, vsque ad hunc locum, quò eos aduenisse narratur. Nam post factum ibi luctum & planctum magnum, redierunt ad locum quem præterierant, rursus Iordane traiecto. Nisi fortè quis dicat, aliquorum hostium vitandorum causa per eremum eos venisse cum corpore, qua via etiam populus Israel ductus est per Mosen ab AEgypto liberatus. Illo quippe itinere vt plurimum circumitur, & per Iordanem venitur ad Mambram, vbi sunt corpora Patriarcharum, id est, ad terram Chanaan. Sed quomodo factū sit, vt trans illa loca ad Orientem versus tātùm iretur, & inde ad ea per Iordanem veniretur, significationis causa factum esse credēdum est, quòd per Iordanem venturus erat ad eas terras postea Israel in filiis suis.

Vtrùm luctus septem dies, an nouem debeat fieri defunctis, eò quod dicitur, Et fecit luctum patri suo septem dies.

172 Genes. 50 Et fecit luctum patri suo septem dies. Nescio vtrùm inueniatur alicui Sanctorum in Scripturis celebratum esse luctum nouē dies, quod apud Latinos Nouendiale appellant. Vnde mihi videntur ab hac consuetudine prohibendi, si qui Christianorum istum in mortuis suis numerum seruant, qui magis est in gentilium consuetudine. Septimus verò dies auctoritatem in Scripturis habet. Vnde alio loco scriptum est, Luctus mortui septem dierum, fatui autem omnes dies vitæ eius. Septenarius autem numerus propter sabbati sacramentum, præcipuæ quietis indicium est: vnde meritò mortuis tanquam requiescentibus exhibetur. Quē tamen numerum in luctu Iacob decuplauerunt AEgyptii, qui eum septuaginta diebus luxerunt. Eccles. 22

Quum Scriptura dicat, Ioseph filios filiorum, vel nepotes filiorum vidisse, quomodo eos iungit illis septuaginta quinque hominibus, cum quibus Iacob AEgyptum dicit intrasse, &c.

Et vixit Ioseph annos centum & decem, 173 Genes. 50 & vidit Ioseph Ephraim filios vsque ad tertiā generationem, & filii Machir filii Manasse nati sunt super femora Ioseph. Quum hos filios filiorum, vel nepotes filiorum dicat Scriptura Ioseph viuendo vidisse, quomodo eos iungit illis septuagintaquinque hominibus, cum quibus Iacob AEgyptum dicit intrasse? Quādoquidem Ioseph senescendo peruenit, vt eos natos videret. Iacob autem quum ingressus est in AEgyptum, iuuenis erat Ioseph, & eum pater moriens quinquagesimum & sextum ferè ætatis annum agentem reliquit. Vnde constat certi mysterii causa illum numerum, id est, septuagenarium, & quinarium Scripturam commendare voluisse. Si autem quisquam exigit, quomodo etiam secūdum historiæ fidem verum sit, Iacob cum septuagintaquinque animabus in AEgyptū intrasse, non illo vno die, quo venit, eius ingressum oportet intelligi: sed quia in filiis suis plerunque appellatur Iacob, hoc est, in posteris suis, & per Ioseph eum constat in AEgyptum intrasse: introitus eius accipiendus est, quandiu vixit Ioseph, per quem factum est vt intraret. Toto quippe illo tempore nasci & viuere potuerunt omnes, qui commemorantur, vt septuagintaquinque animæ compleantur vsque ad nepotes Beniamin. Sicut enim dicit, Hi filii Liæ, quos peperit ipsi Iacob in Mesopotamia Syriæ, loquens etiam de his qui non erant nati: quia illic parentes eorum, ex quibus nati sunt, pepererat, ibi eos perhibens natos, quoniam causa qua nascerentur, ibi nata est, id est, parētes eorum, quos Lia ibi pepererat: ita quoniam causa intrandi in AEgyptum Iacob in Ioseph habuit, totum tempus quo in AEgypto vixit Ioseph, ingressio erat Iacob in AEgyptum per suam progeniem, quæ illo viuo propagabatur, per quem factum est vt ingrederetur. Genes. 35

DIVI AVRELII AVGVstini, Hipponensis Episcopi, liber secundus Quæstionum super Exodum.

Vtrùm mendacia, qualia fuerunt obstetricum, quibus Deus benefecit, approbata sint auctoritate Diuina.

DE obstetricum mendacio, quo fefellerunt Pharaonem, ne occiderent masculos Israelitas, quando nascebantur, dicentes non ita parere mulieres Hebræas, sicut pariebāt AEgyptiæ, quæri solet vtrùm talia mendacia approbata sint auctoritate Diuina, quandoquidem scriptum est, Deum benefecisse obstetricib⁹: sed vtrùm pro misericordia ignoscebat mendacio, an & ipsum mēdacium dignum præmio iudicabat, incertum est. Aliud enim faciebant obstetrices, viuificando infantes paruulos, aliud Pharaoni mentiendo. Nam in illis viuificandis, opus misericordiæ fuit: mendacio verò illo pro se vtebantur, ne noceret illis Pharao: quod potuit non ad laudem, sed ad veniam pertinere. Neque hinc auctoritatē ad mentiendum esse propositam mihi videtur eis, de quibus dictum est, Et non est inuentum in ore eorum mendacium. Quorundam enim vita longè inferior à professione Sanctorum, si habeat ista mendaciorum peccata, prouectu ipso & indole feruntur, præsertim si beneficia nondum norunt expectare cælestia, sed circa terrena occupantur. Qui autem ita viuunt, vt eorum conuersatio, sicut dicit Apostolus, in cælis sit, non eos existimo linguæ suæ modum, quantùm ad veritatem promendam attinet, falsitatémque vitandam, exemplo illo ob- 1 Exod. 1 Apocal. 14 Philip. 3

ſtetricum debere formare. Sed diligentius de hac quæſtione diſſerẽdum eſt propter alia exempla, quæ in Scripturis reperiuntur.

Verum factum Moſi, qui AEgyptium occidit ad defendẽdos fratres ſuos, commendabile ſit, an tantùm indoles Moſi.

2 De facto Moſi cùm occidit AEgyptium ad defendẽdos fratres ſuos, ſatis diſputauimus in illo opere, quod de vita Patriarcharum aduerſus Fauſtũ ſcripſimus, vtrùm indoles in eo laudabilis fuerit, qua hoc peccatum admiſerit, ſicut ſolet vbertas terræ etiam ante vtilia ſemina quadam herbarum, quanuis inutilium, feracitate laudari, an omnino ipſum factum iuſtificandum ſit. Quod ideo non videtur, quia nullam adhuc legitimam poteſtatem gerebat, nec acceptam Diuinitus, nec humana ſocietate ordinatam. Tamen ſicut Stephanus dicit in Actibus Apoſtolorũ, putabat intelligere fratres ſuos, quòd per eum Deus daret illis ſalutem, vt per hoc teſtimonium videatur Moſes iam Diuinitus admonitus, quod Scriptura eo loco tacet, hoc audere potuiſſe.

Exod. 2 Contra Faustum, libro 22. cap. 60

Actorum 6

Quis apparuit Moſi, an Dominus in Angelo, an Angelus Dominus.

3 Clamauit ad eũ Dominus de rubo. Dominꝰ in Angelo, an Dominus Angelus, ille qui dictꝰ eſt magni cõſilii Angelus, & intelligitur Chriſtus? Suprà enim dixit, Apparuit illi Angelus Domini in flamma ignis in rubo.

Exod. 3

Esaiæ 9

Quomodo accipiendum ſit quòd educendus dicatur populus Iſrael in terram fluentem lac & mel, in quam ſecundũ literam ductus non eſt.

4 Educere illos de terra illa in terram bonam & multam, in terram fluentẽ lac & mel: vtrùm terram fluentem lac & mel ſpiritaliter accipere debemus, quia ſecundum proprietatem non hoc erat illa, quæ data eſt populo Iſrael, an loquutionis eſt, qua id ad laudem vbertatis & ſuauitatis referatur?

Exod 3

Quomodo clamor filiorum Iſrael dicatur veniſſe ad Deũ.

5 Et nunc ecce clamor filiorũ Iſrael venit ad me, non ſicut clamor Sodomorũ, quo iniquitas ſine timore & ſine verecundia ſignificatur.

Exod. 3

Quid de mandato Domini ſentiendum ſit, quo mandat vt prædemur AEgyptios.

6 Quòd mandauit Dominus Hebræis per Moſen, vt acciperẽt ab AEgyptiis vaſa aurea, & argentea, & veſtem: atque addidit, Et prædabimini eos: mandati huius non poteſt iniuſtum eſſe iudicium. Mandatum enim Dei eſt, de quo non iudicandum, ſed ei obtemperandum fuit. Ille enim nouit quàm iuſtè mandauerit: ad ſeruum autem pertinet obedièter facere quod mandauit.

Exod. 3

Quid vult Moſes dicendo, Non ſum eloquens, neque ex quo cœpiſti loqui famulo tuo.

7 Quòd ait Moſes ad Dominum, Precor Domine, non ſum eloquens ante heſternum, neque ante nudiuſtertianum diem, neque ex quo cœpiſti loqui famulo tuo, intelligitur credere, poſſe fieri Dei voluntate ſubitò eloquentem, quum dicit, Neq; ex quo cœpiſti loqui famulo tuo: tanquam oſtendens fieri potuiſſe, vt ante heſternum & nudiuſtertianum diem, qui eloquens non fuiſſet, repentè fieret, ex quo cum illo Dominus loqui cœpit.

Exod. 4

Quomodo accipiendum ſit illud, Quis fecit mutum & audientem? &c.

Quis fecit mutum & audientem, videntem & cęcum? Nonne ego Dominus Deus? Sũt qui Deo calumniantur, vel Scripturæ potius veteris Teſtamenti, quia dixerat Deus, quòd ipſe fecerat cæcum & mutum. Quid ergo dicunt de Domino Chriſto, apertè in Euangelio dicente, Ego veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant? Quis autem, niſi inſipiens, crediderit aliquid homini ſecundum vitia corporalia poſſe accidere, quod Deus nolit? Sed eum iuſtè totum velle nemo ambigit.

8 Exod. 4

Ioannis 9

Quid ſignificet quod Dominus ait ad Moſen, Sed nunc vade tu, & ego aperiam os tuum, & inſtruam te quæ loquuturus es.

Quòd Dominus dicit ad Moſen, Sed nunc vade tu, & ego aperiam os tuum, & inſtruam te quæ loquuturus es: ſatis hìc appareat, non tantùm inſtructionem oris, ſed ipſam etiam apertionem, ad Dei voluntatem & gratiam pertinere. Non enim ait, Tu aperi os tuum, & ego inſtruam te: ſed vtrunque ipſe promiſit, aperiam & inſtruam. Alibi autem dicit in Pſalmo, Dilata os tuum, & adimplebo illud: vbi ſignificat in homine voluntatem accipiendi quod Deus donat volenti, vt ad voluntatis exordium pertineat, Dilata os tuum: ad Dei autẽ gratiam, Et adimplebo illud. Hìc verò Et aperiam os tuum, & inſtruam te.

9 exod. 4

Pſalm. 80

Quomodo Dominus dicatur iratus.

Et iratus iracundia Dominus dixit, Quẽadmodum poſsit intelligi iraſcens Deus, quia non ſicut homo per irrationabilem perturbationem: per omnia tenendum eſt, vbi tale aliquid Scriptura dicit, ne de hoc eadem ſæpe dicenda ſint. Sed meritò quæritur, cur hìc iratus de fratre Moſi dixerit, quòd illi ipſe loqueretur ad populum. Videtur enim tanquam diffidenti non dediſſe pleniſsimam facultatem, quam daturus erat, & per duos agi voluiſſe, quod etiam per vnum poſſet, ſi credidiſſet. Veruntamen eadem verba omnia diligentius cõſyderata, non ſignificãt iratum Dominum pro vĩdicta dediſſe Aaron. Sic enim dicit, Nõne ecce Aarõ frater tuus Leuites, ſcio quia eloquẽs eſt, loquetur ipſe? Quibus verbis oſtenditur Deus increpaſſe potius eum, qui timeret ire, quòd ipſe eſſet minus idoneus, cùm haberet fratrem, per quem poſſet ad populum loqui quod vellet: quoniam erat ipſe gracilis vocis & linguæ tardioris, quãquam de Deo totum ſperare deberet. Deinde eadẽ ipſa, quę paulò antè ꝓmiſerat, & poſteaquã iratus eſt, dicit. Dixerat enim, Aperiã os tuũ, & inſtruam te: nunc autẽ dicit, Aperiam os tuũ, & os eius, & inſtruã vos quę faciatis. Sed quoniã addidit, & loquetur ipſe tibi ad populum, videtur oris apertio præſtita, propter quod dicit Moſes linguæ ſe tardioris.

10 exod. 4

dioris. De vocis autem gracilitate, nihil ei Dominus præstare voluit: sed propter hoc adiutoriũ fratris adiunxit, qui posset ea vti voce, quæ populo docẽdo sufficeret. Quod autem ait, Et dabis verba mea in os eius: ostendit quòd ea loquendo esset daturus. Nam si tantummodo audiendo, sicut populo In aures diceret. Deinde quod paulò pòst ait, Et loquetur ipse tibi ad populum, & ipse erit tuum os: & sic subauditur ad populum. Et quum dicit, Tibi loquetur ad populum, satis indicat in Mose principatum, in Aaron ministerium. Deinde quòd ait, Tu autem illi eris in iis, quæ ad Deum, magnum hìc fortasis perscrutandum est sacramentum, cuius figuram gerat velut medius Moses inter Dominum & Aaron, & medius Aaron inter Mosen & populum.

Vtrùm volebat Angelus occidere Mosen, an puerum incircumcisũ. Et quid significet quòd dicitur sãguis circumcisionis stetisse.

11 In eo quod scriptum, Et factum est in via ad refectionem, obuiauit ei Angelus, & quærebat eum occidere, & assumpto Sephora calculo circuncidit præputium filii sui, & procidit ad pedes eius, & dixit, Stetit sanguis circuncisionis infantis mei. Et recessit ab eo, propter quod dixit, Desiit sanguis circuncisionis. Primùm quæritur, quem volebat Angelus occidere, vtrùm Mosen, quia dictũ est, Occurrit ei Angelus, & quærebat eum occidere. Nã cui putabitur occurrisse, nisi illi qui vniuerso suorum comitatui præfuit, & à quo cæteri ducebãtur? An puerum quærebat occidere, cui mater circũcidendo subuenit, vt ob hoc intelligatur occidere voluisse infantem, quia non erat circunciſus: atque ita sancire præceptum circũcisionis seueritate vindictæ? Quod si ita est, incertum est prius, de quo dixerit, Quærebat eum occidere quia ignoratur quem, nisi ex cõsequentibus reperiatur. Mira sanè locutione & inusitata, vt prius diceret, Occurrit ei, & quærebat eum occidere, de quo nihil antè dixerat. Sed talis est in Psalmo, Fundamenta eius in mõtibus sanctis, diligit Dominus portas Sion. Inde enim Psalmus incipit, nec aliquid de illo, vel de illa dixerat, cuius fundamenta voluit intelligi, dicens, Fundamenta eius in mõtibus sanctis. Sed quia sequitur, Diligit Dominus portas Sion, fundamenta vel Domini, vel Sion, & ad faciliorem sensum magis Sion, vt fundamẽta ciuitatis accipiãtur. Sed quia in hoc pronomine, quod est Eius gen° ambiguũ est: omnis generis est hoc pronomẽ, id est, masculini, & fœminini, & neutri, in Græco autẽ in fœminino genere dicitur αὐτῆς, & habet codex Græcus αὐτῶ, cogit intelligere non fundamenta Sion, sed fundamenta Domini, id est, quæ constituit Dominus, de quo dictum est, A Edificans Hierusalẽ Dominus. Nec Sion tamen, nec Dominum antea nominauerat, quum diceret, Fundamenta eius in montibus sanctis. Sic & hic nõdum nominato infante dictum est, Occurrit ei, & quærebat eum occidere: vt de quo dixerit, in cõsequẽtibus agnoscamus. Quãquam & si de Mose accipere quisquam voluerit, non est magnopere resistendum. Illud potius quod sequitur, si fieri potest, intelligatur quid sibi velit, ideo recessisse Angelum ab interfectione cuiuslibet eorum, quia dixit mulier, Stetit sãguis circuncisionis infantis. Non enim ait, Recessit ab eo, propter quod circũcidit infantem: sed quia stetit sanguis circũcisionis, non quia cucurrit, sed quia stetit, magno, nisi fallor, sacramento.

Quum Moses dicatur vxorem & infantes suos imposuisse vehiculis, vt cum eis in AEgyptum pergeret, postea verò Iethro socer eius illi cum eis occurrisse postquam eduxit populum, quæritur quomodo vtrunque probetur esse verum.

Quòd superius dictum est, quòd Moses vxorem & infantes suos imposuit vehiculis, vt cum eis in AEgyptum pergeret, postea verò Iethro socer eius illi cum eis occurrit, posteaquã eduxit populũ ex AEgypto, quæri potest, quomodo vtrunque sit verum. Sed intelligendum est, post illam, quæ ab Angelo futura erat interfectionẽ Mosi vel infantis, reuersam fuisse cum paruulis. Nam quidã putauerunt propter hoc Angelum terruisse, ne ad impedimẽtum ministerii, quod diuinitus impositum Moses gerebat, fœmineus sexus comitaretur. 12 Exod. 4 Exod. 3

Quomodo populo dicatur quòd mandauit Deus iecturum se eos de AEgypto in terram Chanaan, Pharaoni autem dicatur, quod triũm dierum iter exire vellent in desertum immolare Deo suo.

Quæritur quomodo populo dicatur, quòd mandauit Deus iecturum se eos de AEgypto in terram Chanaan: Pharaoni autem dicatur, quòd trium dierum iter exire vellent in desertum, & immolare Deo suo ex mãdato eius. Sed intelligendum est, quãuis Deus sciret quid esset facturus: quoniam præsciebat non consensurum Pharaonem ad populum dimittẽdum, illud primò dictum esse, quod etiam primitus fieret si ille dimitteret. Vt enĩ sic fierẽt omnia, quemadmodum consequẽs Scriptura testatur, Pharaonis contumacia meruit & suorum. Neq; enim mẽdaciter Deus iubet, quod scit nõ facturũ, cui iubetur, vt iustũ iudiciũ cõsequatur. 13 Exod. 5

Quidnam sint verba Mosi ad Dominum, hoc est, quo animo dicta quibus dicit, Quare afflixisti populi hunc &c.

Verba quæ dicit Moses ad Dominũ, Quare afflixisti populum hunc, & vt quid me misisti? ex quo enim intraui ad Pharaonẽ loqui in tuo nomine in hunc populum, nõ liberasti populum tuum: non contumaciæ verba sunt vel indignationis, sed inquisitionis & orationis. Quod ex iis apparet, quæ illi Dominus respõdit: nõ enim arguit infidelitatem eius, sed quid sit facturus aperuit. 14 Exod. 5

Quid sacramenti habeat origines Mosi demonstratio.

Sacramenti locum esse dubium nõ est, quòd Scriptura volens originem Mosi demonstrare, quod eius actio iam expetebat, à primogenito Iacob, id est, Ruben, progenies cœpit: inde à Simeon, inde à Leui. Vltrà progressa non est, quoniam ex Leui Moses. Ii autem commemorantur, qui iam commemorati fuerãt in illis se- 15 Exod. 6

ptuagintaquinque, in quibus Israel intrauit in AEgyptum: nō enim primā neque secundam, sed tertiā tribum, id est, Leuiticam, Deus esse voluit sacerdotalem.

Quomodo Moses se excusauit, quòd gracili voce esset, ne ad vnum videlicet Pharaonem loqueretur, quum etiam gracillima ab vno posset capi.

16 Quòd Moses dicit, Ecce ego gracili voce
Exod.6 sum, & quomodo exaudiet me Pharao? non videtur tantùm propter magnitudinem populi excusare de vocis gracilitate, verumetiā propter vnum hominem. Mirum si tam gracilis vocis fuit, vt nec ab vno homine posset audiri. An fortè regius fastus non eos permittebat de proximo loqui? Dicitur autem illi, Ecce dedi te
Exod.7 Deum Pharaoni, & Aaron frater tuus erit tuus Propheta.

Quare annotanter Scriptura loquitur de Mose, dum ad populum mitteretur.

17 Notandum, quòd quum ad populum mit-
Exod.7 teretur, non ei dictum est, Ecce dedi te Deum populo, & frater tuus erit tuus Propheta: sed frater tuus, inquit, loquetur tibi ad populum. Dictum est etiā, Erit os tuum, & tu illi, quæ ad Deum: non dictum est, Tu illi Deus. Pharaoni autem dicitur Moses datus Deus. & secundum analogiam Propheta Mosi Aaron: sed ad Pharaonem. Hic insinuatur nobis ea loqui Prophetas Dei, quæ audiunt ab eo, nihilque aliud esse Prophetam Dei, nisi enuntiatorem verborum Dei hominibus, qui Deum vel nō possunt, vel non merentur audire.

Quomodo dictum sit, Indurabo cor Pharaonis, & an necesse fuerit ipsum indurari.

18 Assiduè Deus dicit, Indurabo cor Pharao-
Exod.7 nis, & velut causam infert cur hoc faciat, Et implebo signa mea, & portenta mea in AEgypto, tanquam necessaria fuerit obduratio cordis Pharaonis, vt signa Dei multiplicarentur vel implerētur in AEgypto. Vtitur ergo Deus bene cordibus malis, ad id quod vult oftēdere bonis, vel quid facturus est bonis. Et quanuis vniuscuiusque cordis in malitia qualitas, id est, quale cor habeat ad malum, suo fiat vitio, quod inoleuit ex arbitrio voluntatis, & tamen qualitate mala, vt huc vel illuc moueatur, quum siue huc, siue illuc malè moueatur, causis fit, quibus animus propellitur: quæ causæ vt existant, non est in hominis potestate, sed veniunt ex occulta prouidentia, iustissima planè & sapientissima, vniuersum quod creauit disponētis & administrātis Dei. Vt ergo tale cor haberet Pharao, quod patientia Dei non moueretur ad pietatem, sed potius ad impietatem, vitii proprii fuit. Quòd verò facta sunt ea, quibus cor suo vitiotam malignum resisteret iussionibus Dei (hoc est enim quod dicitur induratū, quia nō flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat) dispēsationis fuit diuinæ, qua tali cordi non solùm iusta, sed euidēter iusta pœna parabatur, qua timētes Deum corrigerētur. Proposito quippe lucro, verbi gratia, ppter quod homicidium committatur, aliter auarus, aliter pecuniæ contemptor mouentur, ille scilicet ad facinus perpetrandum, ille ad cauēdum: ipsius tamen lucri propositio in alicuius illorum non fuit potestate. Ita causæ veniunt hominibus malis, quæ non sunt quidem in eorum potestate, sed hoc de illis faciūt, quales eos inuenerint iam factos propriis vitiis ex præterita voluntate. Videndum sanè est, vtrùm etiam sic accipi possit, Ego indurabo, tanquam diceret, quàm durum sit demonstrabo.

Cur Aaron sumere iubetur virgam, quum id Moses, quamuis gracili voce, per se posset.

Si loquetur vobis Pharao dicens, Date no- 19
bis signum aut portentum, & dices Aaron fra- Exod.7
tri tuo, Sume virgā, & proiice illā palam Pharaone, & palam seruis eius, & erit draco. Hic certè non ministerio vocis erat opus, quum videbatur velut ex necessitate datus Aaron propter gracilitatē vocis Mosi: sed virga erat proiicienda, vt draco fieret. Cur ergo Moses ipse non fecit, nisi quia ista meditatio ipsius Aaron inter Mosen & Pharaonem, alicui⁹ magnæ rei figuram gerit?

Quomodo Aaron eam virgam suam appellet.

Etiam hoc notandum est, quòd cùm signum 20
palam Pharaone fieret, scriptum est, Et proie- Exod.7
cit Aaron virgam suam. Si fortè dixisset, Proiecit virgā, nulla esset quæstio. Quod verò addidit, Suam, quum eam Moses dederit: nō frustra forsitā dictum est. An erat vtrique illa virga communis, vt cuiuslibet eorum diceretur, verum diceretur?

Quomodo dictum sit, Absorbuit virga Aaron virgas illorum, non autem draco Aaron.

Et absorbuit virga Aaron, virgas illorum. 21
Si dictum esset, absorbuit draco Aaron, virgas Exod.7
illorum, intelligeretur verus draco Aaron phā tastica illa figmēta non absorbuisse, sed virgas. Hoc enim potuit absorbere quod erant, non quod esse videbantur, & non erant. Sed quoniam dixit, Absorbuit virga Aaron virgas illorum: draco vtique potuit virgas absorbere, non virga. Sed eo nomine appellata res, vnde versa est, non in quo versa est, quia in id etiā reuersa est: ideo hoc vocari debebat, quod principaliter erat. Quid ergo dicendum est de virgis magorum, vtrùm & ipse veri dracones factæ fuerāt, sed ea ratione virgæ appellatæ sunt, qua & virga Aaron, an potius videbantur esse quod non erant, ludificatione venefica? Cur ergo ex vtraque parte & virgæ dicūtur & dracones, vt de figmentis illis nihil differat loquendi modus? Sed demōstrare difficile est, quomodo etiamsi veri dracones facti sunt è virgis magorum, non fuerint tamen creatores draconum, nec magi, nec angeli mali, quibus ministris illa operabantur. Insunt enim corporeis rebus per omnia elementa mundi quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cùm data fuerit opportunitas tēporalis atque causalis, prorumpunt in species debitas suis modis & finibus. Et sic non dicuntur Angeli, qui ista faciunt animaliū creatores, sicut nec agricolæ segetum, vel arbo

rum

rum, vel quoruncunque in terra gignentium creatores dicendi sunt, quanuis nouerint præbere quasdam visibiles opportunitates & causas, vt illa nascantur. Quod autem isti faciunt visibiliter, hoc Angeli inuisibiliter. Deus verò solus verus Creator est, qui causas ipsas & rationes seminarias rebus ipsis inseruit. Res breuiter dicta est, quæ si exemplis & copiosa disputatione explicetur, vt facilius intelligatur, longo sermone opus esset, à quo se ratio nostræ festinationis excusat.

Numquid ideo obduratum dicitur cor Pharaonis, quòd incantatores similiter fecerint.

22 Fecerunt autem similiter & incantatores
Exod.7 AEgyptiorũ veneficiis suis: & induratum est cor Pharaonis, & nõ exaudiuit eos, sicut dixit Dominus. Quum hæc dicuntur, videtur propterea cor Pharaonis induratum fuisse, quia & incãtatores AEgyptiorum similia fecerunt. Sed consequentia docebunt quanta fuerit illa obduratio, etiam cùm incantatores deficerent.

Vnde incantatores dicantur ranas eduxisse, & quam aquam in sanguinẽ vertisse, cùm iã tota in sanguinẽ versa esset.

23 Fecerunt autem similiter & incantatores
Exod.8 AEgyptiorum veneficiis suis, & eduxerunt ranas super terram AEgypti. Quæritur vnde, si iam vbique factum erat. Sed similis quæstio est, vnde & aquam in sanguinem verterunt, si tota aqua AEgypti in sanguinem conuersa iam fuerat. Vnde intelligendum est regionem, vbi filii Israel habitabant, plagis talibus non fuisse percussam: & inde potuerunt incãtatores vel aquã haurire, quam in sanguinem verterent, vel aliquas ranas educere ad solam demõstrationem magicæ potentiæ: quanquam potuerunt etiam posteaquam illa cõpressa sunt facere: sed Scriptura citò narrando coniunxit, quod etiam postea fieri potuit.

Quomodo ex alia causa ostenditur cor Pharaonis indura-tum esse, quàm ex magorum facto.

24 Et vidit Pharao, quoniam facta refrigera-
Exod.8 tio, & ingrauatum est cor eius, & nõ exaudiuit eos, sicut dixerat Dominus. Hic apparet nõ illas tantùm fuisse causas obdurationis cordis Pharaonis, quòd incantatores eius similia faciebant: verumetiam ipsam Dei patientiã, qua parcebat. Patiẽtia Dei secundum corda hominum, quibusdã vtilis ad pœnitendum, quibusdam inutilis ad resistendũ Deo, & in malo perseuerandum: non tamẽ per seipsam inutilis est, sed secũdum cor malum, sicut iã diximus. Hoc
Roman.2 & Apostolus dicit, Ignoras, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam cordis tui, & impœnitens cor, thesaurizas tibi irã in die iræ & reuelationis iusti iudicii Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius. Nam & alibi quum diceret, Christi bonus odor sumus in omni loco, etiã illud adi-
2.Cor.2 unxit, Et in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt. Nõ dixit Christi bonum se odorem esse iis qui salui fiunt, malum autem iis qui pereũt: sed tantùm bonum odorem se dixit. Illi verò tales sunt, vt & bono odore pereant, secundum sui cordis, vt sæpe dictum est, qualitatem, quæ mundanda est bona voluntate in Dei gratiam, vt incipiant ei prodesse iudicia Dei, quæ malis cordibus nocẽt. Vnde ille immutato in melius corde cãtabat, Viuet anima mea, & laudabit te, Psal.118 & iudicia tua adiuuabunt me. Non dixit munera tua, vel præmia tua, sed iudicia tua. Multum est autem, vt syncera fiducia dici possit, Proba me Domine, & tẽta me, vre renes meos Psal.25 & cor meum. Et ne sibi aliquid ex suis viribus tribuisse videretur, continuò addidit, Quoniã Psal.25 misericordia tua ante oculos meos est, & complacui in veritate tua. Factam erga se cõmemorat misericordiam, vt complacere posset in veritate, quoniam vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas.

Cur dixerunt magi ad Pharaonem, Digitus Dei est hic.

Quòd dixerunt magi ad Pharaonem, Di- 25
gitus Dei est hic, quoniam non potuerunt edu Exod.8
cere cyniphes: senserunt profectò, cùm artium suarum nefariarum scirent potentiam, non talibus artibus, velut potẽtior in eis esset Moses, suos conatus fuisse frustratos, vt non possent educere cyniphes: sed digito Dei, qui vtique operabatur per Mosen. Digitus autem Dei, sicut Euangelium manifestissimè loquitur, Spiritus sanctus intelligitur. Nanque vno Euan- Luc.11
gelista ita narrante verba Domini vt diceret, Si ego in digito Dei eiicio dæmonia: alius E- Matth.12
uangelista idipsum narrans, exponere voluit, quid sit digit⁹ Dei, & ait, Si ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia. Quum itaque Magi faterentur, quorum Pharao potentia præfidebat, digitum Dei esse in Mose, in quo superabantur, & eorum veneficia frustrabantur: tamen induratum est cor Pharaonis, nunc mirabili omnino duritia. Cur autem in tertia ista plaga Magi defecerunt (nam plagæ cœperunt, ex quo aqua in sanguinẽ versa est) & sentire & explicare difficile est. Poterãt enim & in primo signo desicere, vbi in serpentem virga cõuersa est, & in prima plaga, vbi aqua in sanguinem cõmutata est: & in secunda de ranis, si hoc voluisset digitus Dei, id est Spiritus sanctus. Quis enim dementissimus dixerit, digitum Dei in hoc signo potuisse conatus Magorum impedire, & in superioribus nequiuisse? Omnino ergo certa causa est, quare illa facere hucusque permissi sunt. Commẽdatur enim fortasse Trinitas, & quod verum est summi Philosophi gentiũ, quantum in eorum literis indagatur, sine Spiritu sancto philosophati sunt, quãuis de Patre & Filio nõ tacuerint, quod etiã Didymus in libro suo meminit, quem scripsit de Spiritu sancto.

Quid de terra, in qua Israelitæ, & in qua AEgyptii habitabant, segregatione sentiendum sit, & cur eius primùm mentio fiat.

Ecce ego mitto in te, & in seruos tuos, & in 26
populum tuum, & in domos tuas, cynomyiã, & Exod.8
implebũtur domus AEgyptiorum cynomyia, vt scias, quoniam ego sum Dominus Deus omnis terræ: & dabo interuallum inter populũ meum, & inter populum tuum. Quod hîc Scri

ptura aperuit ne vbicunque diceret, intelligere debemus & in posterioribus & in prioribus signis factum esse, vt terra, in qua habitabat populus Dei, nullis plagis talib⁹ vexaretur. Oportunum autem fuit, vt ibi hoc apertè poneretur, vnde iam incipiunt signa, quibus magi similia nec conati sũt facere. Proculdubio enim, quia vbique fuerant cyniphes in regno Pharaonis, non autem fuerant in terra Gessen, vbi conati sunt magi similiter facere, & minimè potuerunt. Quousque ergo deficerent, nihil de eius terræ segregatione dictum est: sed ex quo cœperunt ea fieri, vbi iam illi similia facere nec conari auderent.

Vtrùm dicendum sit vt Latini, Euntes immolate Domino, an vt Græcus habet, Venientes.

27 Quòd Latini codices habent, Euntes immolate Domino Deo vestro in terra hac, Græcus habet, Venientes immolate Domino Deo vestro in terra hac. Nolebat enim eos ire quo dicebant: sed vt illic in AEgypto immolarent volebat. Hoc ostendunt verba Mosi quæ sequuntur, vbi dicit, non posse fieri propter abominationes AEgyptiorum. Exod.8

Quomodo dixit Moses, Abominationes AEgyptiorum immolabimus Domino Deo nostro.

28 Quòd ait Moses, Non potest fieri sic: abominationes enim AEgyptiorum immolabim⁹ Domino Deo nostro, id est, Hæc immolaturi sum⁹, quæ abominãtur AEgyptii, & propterea in AEgypto non possumus. Hoc manifestãt verba quæ adiungit, & dicit, Si immolauerim⁹ abominationes AEgyptiorum palam ipsis, lapidabimur. Hoc enim non intelligentes quidã interpretes nostri, sic interpretati sunt, vt dicerent, Nõ potest fieri sic. Nunquid abominationes AEgyptiorũ immolabimus Domino Deo nostro? cùm magis hoc Scriptura dixerit, quia AEgyptiorũ abominationes immolaturi sũt. Alii verò Latini sic habent, Nõ potest fieri sic: quoniam abominationes AEgyptiorum non immolabimus Domino Deo nostro. Contrarium sensum facit addita particula negatiua, quum Moses dixerit, Non potest fieri sic: abominationes AEgyptiorum immolabimus Domino Deo nostro: & ideo in eremum dicebant se ire velle, vbi AEgyptii non viderent abominationes suas. Hoc autẽ intelligendum est mysticè significari, quod etiam de pastoribus diximus, qui erãt AEgyptiis abominabiles: & ideo separatam terram Israelitæ acceperunt, quum venerunt in AEgyptum. Sic enim & sacrificia Israelitarum abominationes sunt AEgyptiis, sicut iniquis vita iustorum. Exod.8 Genes.46

Quomodo dicatur, Et ingrauauit Pharao cor suum, non autem, & ingrauatum est, &c.

29 Quum ablata esset locusta, dictum est de Pharaone, Et ingrauauit Pharao cor suum, etiam in hoc tempore, & noluit dimittere populum. Certè nunc non dictum est, Ingrauatum est cor Pharaonis, sed, Ingrauauit Pharao cor suum: sic vtique in omnibus plagis. In voluntate quippe hominis est origo vitiorum, moEXOD.8

uentur autem causis corda hominum: alia sic, alia verò sic, etiã non diuersis causis, sæpe diuerso modo secũdum proprias qualitates, quæ ex voluntatibus veniunt.

Quomodo ingrauatum est cor Pharaonis ex contrariis causis, vtpote quia vidit quia non est mortuum de pecoribus filiorum Israel.

30 Videns autem Pharao, quia non est mortuum de pecoribus filiorũ Israel vllum, ingrauatum est cor Pharaonis. Quomodo ex cõtrariis causis facta est hæc ingrauatio cordis Pharaonis? Si enim & pecora Israelitarum morerentur, tunc videretur causa cõpetens, qua cor eius ingrauaretur ad contemnendum Deum, tanquam si magi eius pecora Israelitarum fecissent mori. Nunc verò vnde debuit ad timẽdum vel credendum moueri, videns nullum pecus mortuum ex pecoribus Hebræorum, hîc ingrauatum est, id est, illa ingrauatio etiã hucusque progressa est. Exod.9

Quid est quòd dicit Deus ad Aaron & Mosen, Sumite vobis plenas manus fauillæ, & aspergat Moses in cælum. &c.

31 Quid est quòd dicit Deus ad Aaron & Mosen, Sumite vobis plenas manus fauillæ de fornace, & aspergat Moses in cælum coram Pharaone, & coram seruis eius, & fiat puluis in tota terra AEgypti? Signa enim superiora, virga fiebant, quam non Moses, sed Aaron, vel extẽbat super aquã, vel ad terrã percutiebat: nunc verò interpositis duobus signis de cynomyia & pecorum mortibus, vbi nec Aaron nec Moses aliquid operati sunt manu, dicitur vt Moses fauillã spargat in cælum de fornace, & hanc ambo sumere iubentur, sed ille spargere non in terram, sed in cælum: tãquam Aaron, qui datus erat ad populũ, terram percutere deberet, vel in terram siue in aquam manum extẽdere: Moses verò de quo dictum est, Erítque tibi in iis quæ ad Deum, in cælum iubetur fauillam spargere. Quid duo illa superiora signa, vbi nec Moses nec Aaron manu aliquid operantur? Quid sibi vult ista diuersitas? Neque enim nihil. Exod.9 Exod.4

Quid momenti habeãt illa verba, quorum sententiam etiam Apostolus habet, Propter hoc ipsum conseruatus es, vt ostendam in te virtutem meam.

32 Et propter hoc ipsum conseruatus es, vt ostẽdam in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra. Hæc Scripturæ verba & Apostolus posuit, quum in eodem loco perdifficili versaretur. Ibi autẽ & hoc ait, Si autem volens Deus ostendere irã, & demonstrare patiẽtiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ parcendo vtique iis, quos malos futuros esse præscierat, quæ vasa dicit perfecta in perditionẽ: Et vt notas, inquit, faceret diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ. Vnde vasorũ misericordiæ vox est in Psalmis, Deus me⁹, mi sericordia eius præueniet me, Deus meus demõstrauit mihi inimicis meis. Nouit ergo De⁹ bene vti malis, in quibus tamen humanam naturam, non ad malitiã creat, sed eos perfert patiẽter quousque scit oportere, nõ inaniter sed vtendo eis ad admonitionem vel exercitationem Exod.9 Romã.9 Psalm.85

nem bonorũ. Ecce enim, vt annuntiaretur nomen Dei in vniuersa terra, vasis misericordiæ vtique prodest. Ad eorum itaq; vtilitatẽ Pharao seruatus est, sicut & Scriptura testatur, & exitus docet.

Quid est quòd mandauit Deus Pharaoni, quum se facturum magnam grandinem minaretur, vt festinet congregare pecora sua.

Exod.7 33 Quid est quòd mandauit Deus Pharaoni, quum se facturum magnam grandinem minaretur, vt festinet cõgregare pecora sua, & quæcunque illi essent in campo, ne grandine intereant? Hoc enim non tam indignanter, quã misericorditer videtur admonere. Sed hoc nõ facit quæstionem, quòd Deus etiam irascẽs temperat pœnã. Illud est quod meritò mouet, quibus nunc pecoribus consulatur, si omnia mortua fuerant plaga superiore, vbi scriptum est, quòd discreuit Deus inter pecora Hebræorũ & AEgyptiorum, ita vt illic nullum moreretur, omnia verò AEgyptiorum pecora morerentur. An eò soluitur quæstio, quòd prædixerat ea moritura, quæ in campo fuissent, vt hæc accipiantur omnia: intelligantur autem euasisse, quæ in domibus erant, quæ potuerunt etiã à dubitãtibus colligi, & in domo teneri: ne fortè verum esset, quod Moses dominum facturũ esse prædixerat, & ex iis esse in campis iterum poterãt, quæ modò admonet cõgregari in domos, ne grandine pereant? Maximè quia sequitur Scriptura, & dicit, Qui timuit verbũ Domini, seruorum Pharaonis, congregauit pecora sua in domos. Qui autem non intẽdit mente in verbũ Domini, dimisit pecora sua in cãpo. Hoc ergo fieri potuit, quando etiam mortem pecorum minatus est Deus: quanquam id Scriptura tacuerit.

Quomodo Moses iubetur extendere manum in cælum, non in terram.

Exod.9 34 Et dixit Dominus ad Mosen, Extende manum tuam in cælum, & erit grando in omni terra AEgypti. Ecce iterum Moses non in terram, sed in cælum manum iubetur extendere, sicut superius de fauilla.

Quando Moses Pharaoni dixit, quòd nondum timeret Dominum, qualem timorem quæsiuit.

Exod 9 35 Cùm fragore cæli, qui vehemens erat in grãdine, Pharao territus rogaret Mosen, vt oraret pro illo confitente iniquitatem suam, & populi sui: Moses ei dixit, Et tu, & serui tui scio, quòd nondum timetis Dominum. Qualẽ timorem quærebat, cui timori iste nõdum erat ei Domini timor? Facile est enim pœnam timere: sed nõ hoc est Deũ timere, illo scilicet Domini timore pietatis, quem cõmemorat Iacob, vbi dicit, Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac adesset mihi, nunc me inanem dimisisses.

Iene.31

Cur dicat Deus ad Mosen, Intra ad Pharaonem: ego enim grauaui cor eius & seruorum eius, vt ordine superuenĩãt signa mea, &c. Numquid Deus opus habebat cuiusquam malitia?

Exod.10 36 Dominus inquit ad Mosen, Intra ad Pharaonẽ: ego enim grauaui cor eius, & seruorum eius, vt ordine superueniant signa mea hæc super eos: tanquam opus habeat cuiusquam malitia. Sed sic intelligẽdum est, ac si diceret, Ego enim patiẽs fui super eum, & seruos eius, vt nõ eos auferrem, vt ordine superueniãt signa mea super eos. Quia cùm patiẽtia Dei obstinatior fiebat malus animus, ideo pro eo quod est, Patiens fui, dicitur, Grauaui cor eius.

Quomodo post locustarum ablationem, Scriptura induratum dicat cor Pharaonis.

Exod.10 Et non est relicta locusta vna in omni terra 37 AEgypti. Et indurauit Dominus cor Pharaonis. Beneficium certè Dei cõmemorauit Scriptura, quo abstulit locustas, & secutã, dixit induratum esse Dominum cor Pharaonis, beneficio vtique suo, & patientia sua, qua illa fiebat obstinatio, dum ei parceretur: sicut omnia mala corda hominũ patiẽtia Dei malè vtẽdo durescũt.

Quomodo ad Mosen tertiò dictum sit, Extẽde manum tuã in cælum, & nunquam ad Aaron, quum etiam ad Mosen dictum sit aliquando, Extende manũ tuam super terram AEgypti.

Exod.10 Tertiò dicitur ad Mosen, Extende manum 38 tuam in cælum, vt fieret etiã plaga tenebrarũ. Nunquã autem dictum est ad fratrem eius Aaron, vt extenderet manum in cælum. Quòd ergo dictum est ad Mosen, Extẽde manum tuam super terram AEgypti, & ascendat locusta super terram, credo id significatum etiam minus posse, qui plus potest, non autem continuò cui minora conceduntur, posse maiora.

An in exemplum sumi possit furtum quod Dominus mandauit filiis Israel.

Exod.11 Deus ad Mosen dicit, Loquere ergo secretò in aures populi, vt petat vnusquisque à proximo, & mulier à proxima, vasa aurea & argentea, & vestẽ. Non hinc quisq; sumẽdum exẽplũ putare debet ad expoliandum isto modo proximũ. Hoc enim Deus iusserit, qui nouerat quid quenque pati oporteret. nec Israelitæ furtum fecerunt: sed Deo iubẽti ministerium præbuerunt. Quemadmodum quum minister iudicis occidit eum, quem iudex iusserit occidi, profectò si id sponte faciat, homicida est, etiã si eum occidat, quem scit occidi à iudice debuisse. Est etiam ista nonnulla quæstio, Si seorsum habitabant Hebræi in terra Gessen, vbi nec plagæ fiebãt, quibus regnum Pharaonis affligebatur, quomodo quisque petit à proximo, vel à proxima aurum, argentum & vestẽ: præsertim quia vbi primùm hoc mandatur per Mosen, sic positum est, Et mulier à vicina sua, & concellaria (si ita dicendum est) vel cohabitatrice sua? Vnde intelligendum est etiam in terra Gessen nõ solos Hebræos habitasse: sed eis aliquos AEgyptios in illa terra cohabitatores fuisse, ad quos potuerũt merito Hebræorum etiam illa Diuina beneficia peruenire, vt hinc eos & diligerẽt iidem AEgyptii cohabitatores, ac quod petebant, facilè commodarent: nec tamen Deus iudicauit ita illos alienos fuisse ab iniuriis & cõtritionibus, quas populus Dei pertulit, vt nec isto damno ferirentur, qui plagis illis, propterea quòd terræ illi parcebatur, percussi nõ erãt.

Nunquid opus fuerat Deo inobedientia Pharaonis ad multiplicanda signa sua, quum dixit, Non exaudiet vos Pharao, vt multiplicem signa mea, & portenta mea in terra AEgypti.

40 Dicit autem Dominus ad Mosen, Non exaudiet vos Pharao, vt multiplicem signa mea
Exod.12 & portenta mea in terra AEgypti: tanquam opus fuerit eius inobedientia, vt signa illa multiplicarentur, quæ vtiliter fiebant ad terrēdum populum Dei, atque ipsa discretione ad pietatē informādum. Sed hoc Dei fuit, malitia cordis illius bene vtentis, non Pharaonis Dei patientia malè abutentis.

Quid superaturam, & igni comburēdum Dominus innuit, qui totum agnum consumendum præceperat.

Quæ autem superauerint ab eo in manè, i-
41 gni cōcremabitis. Quæri potest quomodo a-
Exod.12 liquid superauit, cùm hoc præmoniti fuerint, vt si domus nō habuerit cōsumēdo pecori idoneā multitudinē, vicini assumātur. Sed intelligitur quoniā dictū est, Os nō cōteretis ab eo, remāsura vtiq; fuisse ossa, quæ igni cremarentur.

Quomodo dicatur Agnus masculus, &c. quum omnis agnus masculus sit.

Agnus perfect⁹, masculus, anniculus erit vo
42 bis. Mouere potest ista locutio, quasi agn⁹ possit esse nō masculus, nescientem qua necessitate ita sit translatum. Ouis enim trāsferri debuit,
Exod.12 quia Græc⁹ πρόβατον habet. sed πρόβατον in Græca lingua generis neutri est: & potuerunt quæ sequuntur omnia conuenire, tanquam si diceret, Pecus perfectum, masculum, anniculum erit vobis. Potuit enim dici Latinè masculū pecus, quomodo dicuntur mascula thura genere neutro. Ouis autem masculus dici non posset, quia fœminini generis est ouis. Item ouis mascula si diceretur, esset absurdius: pecus verò si poneretur, etiam aliud intelligeretur, nec seruaretur sacramentum: quòd quum Scriptura de oue loquatur, post dicit, Ab agnis & hœdis accipietis illud. Qua in re Christus significari meritò accipitur. Quid enim opus erat ouem vel agnum ab agnis & hœdis accipiēdum moneri, nisi ille figuraretur, cuius caro non solùm ex iustis, verumetiā ex peccatoribus propagata est? Quanquam conentur Iudæi etiam hœdum intelligere accipiendum ad celebrandum Pascha: & hoc etiam dictum esse putant ab agnis & hœdis accipi, tanquam diceret, vel ab agnis agnum, vel ab hœdis hœdum, si illud desit, sumi oportere: apparet tamen in Christo rebus impletis, quid illo præcepto fuerit figuratum.

Quomodo dicatur, Facietis diem hunc æternum, quum nullus æternus sit.

Quòd scriptum est, Et facietis diem hunc in
43 progenies vestras legitimum æternum vel æternalem, quod Græce dicitur αἰώνιον, non sic
Exod.12 accipiendum est, tanquam possit istorum prætereuntium dies esse vllus æternus: sed illud æternum est, quod iste significat dies, velut quum dicimus ipsum Deum æternum, non vtique istas duas syllabas æternas dicimus, sed quod significant: quanquam diligenter scrutādum sit quomodo appellare Scriptura soleat æternum: ne fortè ita dixerit solēniter æternum, quē nefas habeant prætermittere, aut sua sponte mutare. Aliud est enim quod præcipitur quousq; fiat: sicut præceptum est, vt septies muros Hie- Iosue 6
richo circumiret arca: aliud quum præcipitur sic obseruari aliquid, vt nullus terminus præfiniatur obseruationis, siue quotidie, siue per menses, siue per annos solenniter, siue per multorum vel aliquorum annorum certa interualla. Aut ergo sic appellauit æternum, quod non sua sponte audeāt desinere celebrare, aut sicut dixi, vt non ipsa signa rerum: sed res quæ his significantur æternæ intelligantur.

Si soli primogeniti perimebantur, nec quælibet domus primogenitū habebat, quomodo dicebatur, Non erat domus, in qua non erat mortuus.

Et factus est clamor magnus in terra AE- 44
gypti. Non enim erat domus, in qua non erat Exod.12
in ea mortuus. Nonne potuit esse aliqua domus, quæ primogenitum non haberet? Quum ergo primogeniti tantummodo morerentur, quomodo nulla erat, quæ non haberet mortuum? An & hoc Diuinitus præsciētia Dei fuerat procuratum, vt in omnibus omnino essent domibus primogeniti, in quibus percuterentur AEgyptii? Ab hac sanè plaga non sunt putandi immunes fuisse AEgyptii, qui habitabant in terra Gessen. Hominum quippe erant vel animalium, nō terræ, id est, homines & animalia primogenita moriebantur, occulto & Angelico percussu, non aliquid in terra vel in cælo factum erat, sicut rana, vel locusta, vel tenebræ, vnde qui habitabant, affligerentur. A talibus enim plagis quum terra Gessen fuisset aliena, proculdubio perueniebat beneficium ad eos AEgyptios, qui in eadem terra cum Hebræis morabantur: hac verò primogeniti eorum omnes percussi sunt.

Quomodo post tantum luctum primogenitorum, AEgyptiis dicuntur præstitisse vasa sua Iudæi.

Filii autem Israel fecerunt sicuti præcepe- 45
rat illis Moses, & petierunt ab AEgyptiis vasa Exod.12
aurea & argētea & vestem: & Dominus dedit gratiā populo suo corā AEgyptiis, & commodauerunt illis: & prædati sunt AEgyptios. Iam hoc factum fuerat ante mortes primogenitorum AEgyptiorum: sed nunc per recapitulationem repetitur. Nam narratum est quando factum est. Modò enim fieri quomodo posset, vt in tanto luctu ex mortibus suorum accōmodarent ista filiis Israel? Nisi fortè quis dicat, etiam ista plaga nō fuisse percussos AEgyptios, qui cum Hebræis inhabitabant terrā Gessen.

Quem sanguinem significet Scriptura, quum dicit, Sanguine agni liniendos esse postes.

Quid est quod ait, Accipietis autē fasciculum hyssopi, & tingentes ex sanguine, qui est 46
Exod.12
iuxta ostium, linietis super limen, & super ambos postes? Quæritur enim quē sanguinē dicat iuxta ostiū, cùm illius agni vtiq; velit intelligi sanguinē, cuius immolatione fit Pascha: vtrùm ne eo modo cōsequenter præcepit, quāuis hoc tacuerit,

tacuerit, vt idé agnus iuxta ostiũ occidatur? An quod est credibilius, ideo dixit Ex sãguine, qui est iuxta ostiũ, quia vtique ille, qui liniturus est super limẽ & postes, vas ipsum in quo sanguinẽ excepit, iuxta ostiũ positurus est, vt ad manum habeat quando tingat?

Quomodo ad tantum numerum peruenire poterant Hebræi in AEgypto, ad quantum peruenisse scribuntur, & quæ sit illorum verborum sententia.

47

Exod.12 Sustulerunt autem filii Israel de Rameſſe in Socoth, in sexcẽta millia peditum viri, præter instructum vel censum. Si isto modo potest rectè interpretari quod Græcus habet ἀποσκευὴ, quo verbo non solùm mobilia, verumetiam mouentia significari indicat Scriptura, vbi Iudas loquens ad patrem suum dicit, Mitte puerum mecum, & surgentes ibimus, vt viuamus & non moriamur & nos & tu, & substantia nostra. Ibi enim Græcus ἀποσκευὴ habet, vbi substãtiam Latinus interpretatus est, quod aliquando censum interpretãtur nostri, sicut nunc instructum dicere voluimus, dum tamen eo nomine, & homines & iumenta, vel omnia pecora intelligantur: vbi etiam viri & vxores possent intelligi, nescio. Sexcenta tamen millia peditum quum Scriptura commemoret, addens & dicẽs, Excepto instructu, vel censu, vel substantia, vel si quo alio verbo melius interpretatur ἀποσκευὴ, manifestum est & homines significatos, siue in seruis, siue in mulieribus, siue in iis ætatibus, quæ militiæ non essent idoneæ, vt sexcenta millia peditum in eis solis intelligamus, qui possent militari agmine armari. Quæri autem solet, vtrùm ad tantum numerum Hebræi peruenire potuerint per eos annos in AEgypto, quos ostendere consyderatus in Scripturis numerus potest, qui primũ anni quot fuerint, nõ parua est quæstio. Dicit enim Deus ad Abraham, quum factum esset illud sacrificium de vacca trima, & capra, & ariete, & turture, & columba, antequam non so-
Gene.15 lùm Isaac, sed nec Hismael quidem natus esset, Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria, & in seruitutem redigent eos, & nocebunt illis quadringentis annis. Si ergo quadringentos annos sic acceperimus, vt in seruitute sub AEgyptiis intelligantur, nõ paruum spatium temporis fuit, quo ita populus multiplicaretur. Sed tot annos nõ fuisse, apertissimo indicio Scriptura testatur. Quidam enim putant quadringentos triginta annos accipi debere, ex quo Iacob intrauit in
Exod.12 AEgyptum, donec inde populus per Mosen liberatus est, quoniam in Exodo scriptum est, Incolatus autem filiorum Israel, quem incoluerunt in terra AEgypti, & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, anni quadringenti triginta. Seruitutis autem eorum volunt esse annos quadringentos, propterea quòd scriptum est in Genesi, Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non sua, & in seruitutem redigent eos, & nocebunt illis quadringentis annis. Sed quoniam seruitutis anni post mortem Ioseph computantur (illo enim viuo, non solùm ibi non seruierunt, verumetiã regnauerunt) nõ est quemadmodum computẽtur quadringenti triginta in AEgypto. Ingressus est enim Iacob ãno filii sui trigesimo & nono: quoniã triginta annorũ erat Ioseph, cùm apparuit in conspectu Pharaonis, & regnare cœpit sub illo. Transactis autem septem annis vbertatis, secũdo anno famis ingressus est Iacob in AEgyptum cum aliis filiis suis, ac per hoc tunc agebat Ioseph triginta & nouem annos, qui impletis vitæ suæ annis centum & decem mortuus est. Vixit enim in AEgypto post ingressum ad se patris sui, septuaginta & vnum annos. Quos si retraxerimus à quadringentis triginta annis, remanebũt seruitutis anni, id est, post mortem Ioseph, non quadringenti, sed trecenti & quinquagintanouem anni. Quòd si ex illo putabimus nos computare debere, ex quo Ioseph sub Pharaone regnare cœpit, vt tunc quodammodo intelligatur intrasse Israel in AEgyptum, quando ibi filius eius tanta potestate sublimatus est, etiam sic trecenti quinquaginta erunt, quos Tichonius vult accipi quadringentos, vt à toto pars intelligatur, id est, à toto centenario pas quinquagenaria: & probat hac loquendi regula solere vti Scripturam. Si autem, quod aliquantò probabilius dici potest, tunc habeamus intrasse Israel in AEgyptum, quando illic Ioseph esse venditus cœpit, detracturi sumus adhuc annos tredecim, vt trecentos triginta septem annos pro quadringentis accipiamus. Sed quum Scriptura commemoret Caath filium Leui auum Mosi, cum auo suo Iacob intrasse in AEgyptum, dicat autem eum vixisse annos centum triginta, filium verò eius patrem Mosi Amram centum triginta septem, Mosen verò dicat octoginta annorum fuisse, quum de AEgypto populum liberauit, etiam si tunc genuisset Caath patrẽ Mosi, quo anno mortuꝰ est, ille quoque Amram vltimo vitæ suæ anno genuisse Mosen, computet annos centum triginta, & centum triginta septem, & octoginta trecentos & quadraginta septem annos faciunt, nõ quadringentos triginta. Quòd siquis dicat extremo anno vitæ Iacob natum esse Caath filium Leui, septuaginta fermè anni possunt accedere illi summæ, quia septuaginta vnum annos vixit in AEgypto Ioseph, post ingressum patris sui. Quapropter etiam si septuaginta anni vitæ Ioseph, ab ingressu Iacob in AEgyptum, vsque ad natiuitatem Caath: si tunc natus asseratur, & centum triginta anni ipsius Caath, & cẽtum triginta septẽ filii eius Amram patris Mosi, & octoginta ipsius Mosi, quadringentos & decem & septem annos faciunt, non quadringentos triginta. Proinde illa nimirum computatio, quam sequutus est Eusebius in historia sua Chronica, perspicua veritate subdd.

nixa est. Ab illa enim promissione computat quadringentos triginta annos, qua vocauit Deus Abraham, vt exiret de terra sua in terram Chanaan: quia & Apostolus quum Abrahæ laudaret & commendaret fidem, in ea promissione, qua Christum vult intelligi prophetatum, id est, qua promisit Deus Abrahæ, quòd benedicerentur in eo omnes tribus terræ, Hoc autem dico, inquit, quia Testamẽtum confirmatum à Deo post quadringentos & triginta annos, facta Lex non infirmat ad euacuandas promissiones. Ex illa ergo promissione, qua vocat⁹ est Abraham, & credidit Deo, post quadringentos & triginta annos factam Legem dicit Apostolus, non ex tempore, quo Iacob intrauit in AEgyptum. Deinde etiam ipsa Scriptura Exodi satis hoc significauit. Non enim dixit, Incolatus filiorum Israel, quem incoluerunt in terra AEgypti, anni quadringenti triginta: sed apertè dixit, Quem incoluerunt in terra AEgypti, & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum. Ac per hoc manifestum est computandum esse tempus etiam Patriarcharum Abrahæ, Isaac, & Iacob, ex quo peregrinari cœpit Abraham de terra Chanaan, id est, ex illa promissione, in qua eius fidem laudat Apostolus, vsque ad illud tempus, quo ingressus est Israel in AEgyptum. Toto quippe isto tempore peregrinati sunt patres in terra Chanaan, & deinde semen Israel in AEgypto, ac sic completi sunt quadringẽti triginta anni à promissione vsque ad exitum Israel ex AEgypto, quando facta est Lex in monte Sina, quæ non infirmat Testamentum ad euacuãdas promissiones. Septuagesimo & quinto anno vitæ suæ Abraham, sicut Scriptura dicit, egressus est in terram Chanaan, & genuit Isaac cùm esset annorum centum. Fiunt itaque anni vigintiquinque ex promissione vsque ad natum Isaac. His adduntur omnes anni vitæ suæ Isaac, id est, cẽtum octoginta, fiunt ducenti quinque: tunc erat Iacob annorum centum viginti. Nati sunt enim sexagenario patre gemini, ipse & Esau. Post decem autẽ annos intrauit Iacob in AEgyptum, cùm esset annorũ cẽtum triginta: Ioseph autem quum esset trigintanouem. Fiunt proinde anni à promissione vsque ad ingressum Iacob in AEgyptum, ducenti quindecim. Ioseph autem ab illo tricesimo & nono anno ætatis suæ, in quo eum pater in AEgypto inuenit, vixit septuaginta & vnum annos, quia omnes ætatis eius anni cẽtum decẽ fuerunt. Cùm itaque ad ducentos quindecim annos accesserint septuaginta vnus, fiunt anni ducenti octogintasex. Restant centum quadraginta quatuor vel quinque, quibus intelligitur seruisse in AEgypto populus Israel post mortẽ Ioseph. His annis, quantum multiplicari potuerint, si fœcunditas hominis consyderetur, adiuuante illo qui eos voluit valde multiplicari, reperitur non esse mirum, quòd in sexcentis millibus peditum egressus est populus ex AEgypto, excepto cætero apparatu, vbi & seruitia erant, & sexus muliebris & imbellis ætas. Quod ergo dixit Deus ad Abraham, Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria, & in seruitutem redigẽt eos, & nocebunt illis quadringentis annis, non sic accipiendum est tãquam in illa durissima seruitute quadringentos annos Dei populus fuerit: sed quia scriptum est, In Isaac vocabitur tibi semen, ex anno natiuitatis Isaac vsque ad annum egressionis ex AEgypto, cõputantur anni quadringẽti quinque. Cùm ergo de quadringentis triginta detraxeris vigintiquinque, qui sunt à promissione vsq; ad natũ Isaac: non mirum est si quadringẽtos & quinq; annos summa solida quadringẽtos voluit appellare Scriptura: quæ solet tempora ita nũcupare, vt quod de summa perfectionis numeri paululum excreuit, aut infrà est, non cõputetur. Non itaque quod ait, In seruitutem redigẽt eos & nocebunt illis, ad quadringẽtos annos referẽdum est, tanquã per tot annos eos habuerint in seruitute: sed referẽdi sũt quadringẽti anni ad id quod dictũ est, Peregrinum erit semẽ tuũ in terra nõ propria: quia siue in terra Chanaã, siue in AEgypto peregrinum erat illud semẽ, antequã hæreditatẽ sumerẽt terrã ex promissione Dei, quod factum est posteaquã ex AEgypto liberati sũt, vt hyperbatõ hìc intelligatur, & ordo verborũ sit, Sciẽdo scias, quia peregrinũ erit semẽ tuum in terra nõ propria quadringẽtis annis: illud autẽ interpositum intelligatur, Et in seruitutẽ redigent eos, & nocebunt illis: ita vt ad quadringẽtos annos ista interpositio nõ pertineat. In extrema enim parte annorum summæ huius, hoc est, post mortem Ioseph factum est vt in AEgypto populus Dei duram perageret seruitutem.

Quid est quod ait, quum de pascha præciperet, Erit tibi in signo super manum tuam.

Quid est quod ait, cùm de Pascha præciperet, Erit tibi in signo super manum tuã? An intelligitur super opera tua, id est, quod præferre debeas operibus tuis? Pertinet enim Pascha propter occisionẽ ouis ad fidem Christi & sanguinem quo redempti sumus. Hæc autem fides operibus præponenda est, vt sit quodammodo super manũ aduersus illos, qui in operibus Legis gloriabãtur, de qua re Apostolus loquitur, & nullũ ait posse Deo placere sine fide: qui fidem operibus sic anteponit, vt ex illa pendeant bona opera, atque ab ea præueniantur, non vt ipsa velut meritis bonorum operum retribui videatur. Illa enim ad gratiam pertinet: si autẽ gratia, iam nõ ex operibus. alioquin gratia iam non esset gratia.

Quid est quod Deus non duxit populũ suum per viam terræ Philisthiim, quæ propè erat, Dixit enim Deus, &c.

Quum autem emisit Pharao populum, non deduxit eos Deus per viam terræ Philisthiim, quæ propè erat. Dixit enim Deus, Nequando pœniteat populum cùm viderit prælium, & reuertatur in AEgyptum. Hìc ostenditur omnia fieri

fieri debere, quæ consilio rectè fieri possunt, ad euitanda quæ aduersa sunt, etiam quum Deus apertissimè adiutor est.

Quid sit quod dicitur secundum aliam literam, Quinta autem progenie ascenderunt filii Israel.

50 Quinta autem progenie ascenderunt filii Israel de terra AEgypti. Vtrùm progeniē in centum annis vult cōputari, & ideo quinta progenie, quia post quadringētos & triginta annos, an per hominum generationes hoc potius intelligendum est ab ipso Iacob, qui intrauit in AEgyptum vsque ad Mosen, qui cum populo egressus est? Iacob enim primus, secundus Leui, tertius Caath, quartus Amrā, quintus Moses inuenitur. Has autem dicit progenies Latinus interpres, quas γενεὰς Græci vocant, quæ in Euangelio generationes appellātur, nec numerantur nisi per successiones hominum, non per numerum annorum.

Quomodo verum sit quod dicit Dominus Israelitis, Nō apponetis amplius videre AEgyptios in æternum tempus, quum eos postea viderint.

51 Dixit autem Moses, Confidite, & state, & videte salutem, quæ est à Domino, quam faciet vobis hodie. Sicut enim vidistis AEgyptios hodie, non apponetis amplius videre eos in æternum tempus. Quomodo accipienda sunt hæc verba, cùm viderint postea Israelitæ AEgyptios? An quia isti qui tunc videbāt, non eos vlterius viderint, quia & illi sunt mortui qui consequebantur, & isti omnes quique die mortis suæ? Nam posteri eorum viderunt posteros illorum. An Nō eos videbitis sicut hodie, intelligendum est, non sicut hodie persequentes & inimicos, & tanto post vos agmine venientes, vt omnino nulla sit quæstio, nec de æterno tēpore, quod hīc posuit quia & si videbunt se vtique tempore resurrectionis, nō sic vtique videbunt vt hodie. Exod.14

Quid est quod dicit Dominus ad Mosen, Quid tu clamas ad me: cùm Scriptura nō dixerit aliquid de Mosi vocibus.

52 Quid est quòd dicit Dominus ad Mosen, Quid tu clamas ad me, cùm Scriptura nō dixerit aliquid de Mosi vocibus, nec eum orantem commemorauerit, nisi quia intelligi voluit hoc eum egisse vocis silentio, vt corde clamaret? Exod.14

Quomodo virga Mosi dicta sit, quæ prius dicebatur esse virga Aaron.

53 Et tu eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare. Hæc est virga illa in qua fiebāt mirabilia, quæ modò dicitur esse Mosi, tūc autem fratris eius fuisse dicebatur, quādo per illam ipse operabatur. Exod.14

Quum dicitur, Transuorauit eos terra, pro quo terra sit accipienda.

54 Extendisti manum tuam, & transuorauit eos terra. Terra pro aqua non mirum est posita. Tota quippe pars ista extrema vel infima mundi, terræ nomine censetur, secundum id quod sæpe dicitur, Deus qui fecit cælum & terram. Et in illius Psalmi distributione commemoratis cælestibus, Laudate, inquit, Dominū de terra: & ea exequitur in laude, quæ etiam ad aquas pertinebant. Exod 15 Psal.148

Quomodo Spiritus Diuinus quinto memoretur.

Misisti Spiritum tuum, & cooperuit eos mare. Ecce iam quinto commemoratur Spiritus Dei, vt in hoc numero accipiamus & quod dictum est, Digitus Dei est hic. Primò vbi scriptum est, Spiritus Dei ferebatur super aquas. Secundò vbi dicitur, Non permanebit in istis hominibus Spiritus meus, quoniam caro sunt. Tertiò vbi Pharao dicit ad Ioseph, Quoniam Spiritus Dei est in te. Quartò vbi incantatores AEgyptiorum dicunt, Digitus Dei est hic. Quintò in hoc cantico, Misisti Spiritum tuum, & cooperuit eos mare. Meminerimus autem Spiritum Dei non solùm ad beneficia, verumetiam ad vindictam commemorari. Nam quid aliud etiam suprà dixit, Per Spiritum iræ tuæ diuisa est aqua? Iste itaq; Spiritus iræ Dei in AEgyptios: nam Spiritus iræ eius, quibus nocuit aquarum diuisio, vt intrantes possent aquis redeuntibus obrui: filiis verò Israel quibus profuit, quòd aqua diuisa est: non fuit ille Spiritus iræ Dei. Vnde significatur propter diuersas operationes & effectᵒ Spiritus Dei dissimiliter appellari, cùm sit vnus atque idem ille duntaxat, qui etiam Spiritus sanctus in vnitate Trinitatis accipitur. Proinde non arbitror alium quàm eundem significari, vbi dicit Apostolus, Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis Spiritū adoptionis, in quo clamamᵒ, Abba, Pater: quia eodem Spiritu Dei, id est, digito Dei, quo Lex in tabulis lapideis conscripta est, timor incussus est eis, qui gratiam nondum intelligebant, vt de sua infirmitate atque peccatis per Legem conuincerentur, & Lex illis fieret pædagogus, quo perducerentur ad gratiam, quæ est in fide Iesu Christi. De hoc autē Spiritu adoptionis & gratiæ, id est, de hoc opere Spiritus Dei, quo impertitur gratia & regeneratio in vitam æternam dicitur, Spiritus autem viuificat: quum suprà diceretur, Litera occidit, id est Lex cōscripta, tantūmodo iubēs sine adiutorio gratię. 55 Exod 15 Exod.8 Gene.1 Gene.6 Gene.41 Exod.8 Rom.8 2.Cor.3

Silocus dictus est Mesra, seu Marath à populo Israel, quomodo ergo dicitur, quòd venerunt in Mesra, seu secūdum aliam literam in Marath.

Venerunt autem in Mesra, & non poterant bibere aquam de Mesra: amara enim erat. Si propter hoc appellatum est nomen loci eius Amaritudo, quia non poterant ibi aquam bibere, eo quòd amara esset (Mara enim interpretatur amaritudo) quomodo venerunt in Mesra: nisi quia eo nomine locum Scriptura appellauit, in quem venerūt, quo iam appellabatur quum hæc scribebātur? Posterius enim vtique scripta sunt, quàm illa contigerunt. 56 Exod.15

Vtrùm lignum quod Dominus Mosi ostendisse dicitur, speciale fuerit, quod dulcorandæ aquæ virtutem haberet, an in omni ligno Moses id facere potuerit.

Et ostendit ei Dominus lignum, & misit illud in aquam, & facta est aqua dulcis. Genus ligni erat istam habens vim, an quolibet ligno id facere potuerat Deus, qui tāta mirabilia facie- 57 Exod.15

bat? Hoc tamen videtur significare quod dictū est, Ostendit ei: tāquam tale iam lignum esset, quo posset hoc fieri. Nisi fortè locus erat, vbi ligna omnino non inueniebātur, vt hoc ipsum esset Diuini adiutorii, quòd ei Dominus lignū ostēdit, vbi nullū erat, & per lignū aquas dulces fecit, præfigurās gloriam & gratiam crucis. Sed in tali etiā natūra ligni quis nisi Creator & demonstrator laudandus est?

Quali tentatione dicit se Dominus tentaturum populum Israel, quum dicat, Vt tentem illos si ambulabunt in Lege mea, an non.

58 Dixit Dominus ad Mosen, Ecce ego pluam vobis panes de cælo, & exiet populus, & colligēt vnius diei in diem, vt tentem illos, si ambulent in Lege mea, an nō. Tētatio ista probatio est, non ad peccatum seductio: nec ideo probatio vt Deus nouerit, sed vt ipse ipsis hominib⁹ ostendat, quo humiliores fiant ad petendum adiutorium, & agnoscendam Dei gratiam.

Exod.16

Quomodo accipiendum sit illud verbum Mosi ad populum murmurātem, Non enim aduersum nos murmur vestrū, sed aduersus Dominum. Et quid cōgruentiæ habeat cū illo verbo Petri ad Ananiam, Non es mentitus hominibus, sed Deo.

59 Moses & Aaron dicunt ad populum inter cætera, Propter quod exaudiuit Domin⁹ murmurationem vestram, qua vos murmuratis aduersum nos. Nos autem quid sumus? Nō enim aduersum nos murmur vestrum est, sed aduersus Dominum. Non enim tantum se valere voluerunt, quātum Deum. Dixerūt enim, Quid sumus nos? Vt illi aduersus illum se scirēt murmurasse, qui istos miserat, & qui per istos operabatur. Nec talis est illa sententia, vbi Petrus dicit Ananiæ, Cur ausus es mētiri Spiritui sancto? nō hominibus mētitus es, sed Deo. Quod simile fuisset, si dixisset, Nō Spiritui sancto mētitus es, sed Deo. Ita enim loquēs, negaret Deum esse Spiritum sanctum. Nunc verò quum dixisset, Ausus es mentiri Spiritui sancto, cùm ille se putaret hominibus fuisse mentitum, ipsum Spiritum sanctum Deum esse monstrauit, subiungens, Non hominibus mentitus es, sed Deo.

Exod.16

Act.5

Quid nomine panum significetur, Ad vesperam edetis carnes, & mane replebimini panibus. Et an simile quid in Helia significetur.

60 Deus mandauit per Mosen populo, Ad vesperam edetis carnes, & manè replebimini panibus. Ecce non pro omni alimento panes nominantur. Nā isto nomine carnes cōplecterentur, quia & ipsæ alimēta sūt: nec tamē panes eo modo dicit, qui fiunt ex frumento: ipsos enim propriè panes appellare cōsueuimus. Māna autē panū nomine appellat. Nō autē vacat, quod dicit, Ad vesperā carnes, & manè panes se datū. Tale quippe aliquid etiā in Helia significatū est, cùm ei alimēta coruus afferret. An fortè carnibus ad vesperā, & manè panibus, ille significatur, qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationē nostrā? Ad vesperā quippe mortuus, ex infirmitate sepultus est, manè autem apparuit discipulis, quia resurrexerat ex virtute.

Exod.16

3.Reg.17

Roma.4

Cùm dicat Dominus ad Aaron, Accipe vas aureum, &c. & repone illud ante Deum: dubitatur vbi Aaron poneret ante Deum, cuius nō vllum quidem simulachrum fuerit, nec arca Testamenti adhuc instituta.

Et dixit Moses ad Aaron, Accipe vas aureum vnum, & mitte illud plenū gomor Mannæ, & repone illud ante Deum, & seruetur in progenies, quēadmodum præcepit Dominus. Quęri potest, vbi Aaron poneret ante Deum, quando nec vllum simulachrum fuit, nec arca Testamāti iam fuerat instituta. An fortè ideo de futuro dixit, Repones, vt intelligeretur tūc ante Deum reponi posse, quando futura erat arca: an potius ante Deum dictum est, quod fit ipsa deuotione offerendi, in quocunque loco poneretur? Ibi enim est Deus. Sed illud quod adiungit, Et reposuit Aarō ante testimonium ad reseruādum, priorem magis sensum asserit. Hoc enī modo Scriptura dixit per Prolepsim, quod postea factum est, quum esse cœpit tabernaculum testimonii.

61 Exod.16

Quid sit illud, Filii autē Israel ederunt Manna annis quadraginta, quoadusque venirent in terram quæ habitatur.

Filii autē Israel ederunt Manna annis quadraginta, quoadusque venirent in terram quæ inhabitatur. Manna ederunt quoadusque venirent in partem Phœnicis. Significauit Scriptura per Prolepsim, id est, hoc loco cōmemorando, quod etiam postea factum est, nō edisse filios Israel in eremo nisi Manna. hoc est enim quod ait, Vsque ad terram quæ inhabitatur, id est, quæ iam non est eremus: non quia cōtinuò vt venerunt ad terram habitabilem desistiterunt vesci Manna, sed quia nō antè. Traiecto enim Iordane significatur Manna cessasse, vbi panes terræ manducauerunt. Quando ergo egressi sunt habitabilem terram, antequam trāsierunt Iordanem, vel tantùm Manna vesci, vel vtroque cibo potuerunt. Hoc quippe intelligi potest, quando cessasse Manna non dicitur, nisi Iordane traiecto. Cur autem in illa eremi inopia etiam carnes desyderauerunt, quando de AEgypto cum suis valde multis pecoribus exierunt, magna quæstio est. Nisi fortè dicatur, quum per eremum pascua tanta non essent, & ex eo minor futura videretur fœcunditas pecorum, peperciſſe illos pecoribus, ne omnibus deficientibus etiam sacrificiis necessaria defuissent, vel siquid aliud dici potest, vnde quæstio ista soluatur. Congruentius tamen creditur non eos carnes desyderasse, quas de pecoribus habere poterant: sed eas quæ deerant, ex aquis videlicet. Ipsas quippe in illa eremo non inueniebant, vnde & illis ortygometra data est, id est, aues, quas coturnices multi Latini interpretati sunt, quum sit aliud genus auium ortygometra: quanuis coturnicibus non vsquequaq; dissimile. Nouerat enim De⁹ quid desyderarēt, & desyderiū eorū quo carnis genere satiaret. Sed quia Scriptura cōcupiuisse illos

Exod.16

carnes

carnes dixerat, nec expresserat cuiusmodi carnes, ideo quæstio facta est.

Quid sit, Manna ederunt quoadusque venirent in partem Phœnicis.

63 Manna ederunt quoadusque venirent in
Exod.16 partẽ Phœnicis. Iam dixerat, Quoadusq; venirent ad terram quæ inhabitatur. Sed quia non expresserat propriè quam diceret, repetitione videtur quandam proprietatem expressisse, dicendo, In partem Phœnicis. Sed tunc illam terram sic credendum est appellatam: modò enim hoc non vocatur nomine. Alia quippe est quæ Phœnice appellatur regio Tyri & Sidonis, qua illos transisse non legitur. Quãquam Scriptura fortassè potuerit terrã Phœnicis appellare, vbi palmarum arbores iam esse cœperant post eremi vastitatem: quoniam palma Græcè sic appellatur. In initio enim profectionis suæ inuenerant locum, vbi septuaginta palmarum arbores fuerant, & duodecim fontes: sed postea eos excepit eremi prolixitas, vbi tale aliquid non fuit, quousque venirent ad loca, quæ colebantur. Verùm ille sensus est probabilior, vt credamus sic appellatã tunc fuisse terram. Multarum enim terrarum & locorum, sicut fluminum & vrbium nomina, certis existẽtibus causis, antiquitate mutata sunt.

Quomodo dicatur Mosi, Accipe virgam qua percussisti flumen, &c. cùm Moses mare percusserit, non flumen, quod Aaron percussisse dicitur.

64 Et dixit Dominus ad Mosen, Antecede po-
Exod.17 pulum. Sume autem tecum de senioribus populi, & virgam, in qua percussisti flumen, accipe in manu tua. Flumen Aaron legitur nõ Moses virga percussisse: nam Moses eadem virga mare diuisit, non flumen. Quid sibi ergo vult, Accipe virgam, in qua percussisti flumen? An fortè mare appellauit flumen? Quærẽdum exemplũ locutionis huius, si ita est. An quod Aaron fecit Mosi potius tributum est, quia per Mosen Deus iubebat, quæ faceret Aaron, &in
Exod.4 Mose auctoritas, in illo autẽ ministerium fuit? quandoquidem & primis suis verbis Deus hoc illi ait de fratre suo, Erit tibi ad populum, tu illi in iis quæ ad Deum.

Quomodo dicatur virga Dei, quæ prius dicta est virga Mosi & Aaron.

65 Et ecce ego sto super cacumen collis, &
Exod.17 virga Dei in manu mea: dicit Moses ad Iesum Naue, quum præciperet pugnare aduersus Amalech. Nunc ergo virga Dei dicitur, quæ primùm dicta est virga Aaron, postea verò virga
Luc.1 Mosi: sicut dicitur spiritus Heliæ, qui est Spiritus Dei, cuius particeps factus est Helias: sic illa potuit dici. Dicitur etiam Dei iustitia, quę
Roman.10 nostra est, sed donata à Deo: de qua loquens Apostolus, Iudæos arguit dicens, Ignorantes Dei iustitiam, & suam iustitiam volentes constituere, id est, tanquam à se sibi paratam. Con-
1.Cor.4 tra quales dicit, Quid enim habes, quod non accepisti?

Vbi ante Deum, vel coram Deo manducasse dicuntur patrem cum Iethro socero Mosi.

Venit autẽ Aaron & omnes seniores Israel 66
mãducare panẽ cum socero Mosi ante Deũ, vel Exod.18
sicut alii codices habent, Corã Deo, quod Græcè scriptum est ἐναντίον τοῦ θεοῦ. Quæritur vbi ante Deum, quãdo nec tabernaculum fuit, nec arca Testamẽti, quæ postea sunt instituta. Neque enim & hìc de futuro dictum accipere possumus, sicut dictum est de Mãna, quod positum est in vase aureo. Ergo ante Deum id accipere debemus factum, quod in honorẽ Dei factum est. Vbi enim non Deus?

De qua Lege dicat Moses, Moneo eos præcepta Dei & Legem eius: quum Lex Dei adhuc nulla scripta esset.

Moses socero suo dixit, Quia venit ad me 67
populus inquirere iudicium à Deo, quum eis Exod.18
contigerit disceptatio: & cùm venerint ad me, iudico vnunquenque, & moneo eos præcepta Dei & Legem eius. Quæri potest, quomodo ista Moses dixerit, quum Lex Dei adhuc nulla conscripta esset, nisi quia Lex Dei sempiterna est, quam consulunt omnes piæ mẽtes, vt quod in ea inuenerint, vel faciant, vel iubeant, vel vetent, secundum quod illa incommutabili veritate perceperint. Nunquid enim Moses, quanuis cum illo Deus loqueretur, per singula credendum est, quòd consulere soleret Deum, si quid esset in disceptationibus tantæ multitudinis, quæ illum in hoc iudicãdi negotio à manè vsque ad vesperam detinebat? Et tamen nisi suæ menti præsidentem Dominum cõsuleret, Legémque eius æternam sapienter attenderet, quid iustissimũ iudicare inter disceptãtes posset, non inueniret.

Cur Deus permiserit Mosen ab alienigena doceri, & quid significet quòd Iethro dixit, Nunc itaque audi me, & consilium dabo tibi.

In eo quòd Iethro consilium dat genero suo 68
Mosi, ne occupatus iudiciis populi, & ipse & Exod.18
populus consumeretur consumptione intolerabili: prima quæstio est, cur hoc Deus famulum suum, cum quo ipse tanta & talia loquebatur, ab alienigena pati⁹ est admoneri. In quo Scriptura nos admonet, per quenlibet hominem detur consilium veritatis, non debere contemni. Videndum est etiam, ne fortè ibi voluerit Deus ab alienigena admoneri Mosen, vbi & ipsum posset tẽtare superbia. Sedebat enim iudiciaria sublimitate solus, vniuerso populo stãte. Nam hunc sensum indicat, cùm ipse Iethro eos eligi iussit ad iudicandas causas populi, qui odissent superbiã. Deinde quàm sit obseruandum, quod alibi Scriptura dicit, Fili, ne in multis sint act⁹ tui: satis & hìc apparet. Deinde verba Iethro dantis consilium Mosi, consyderanda sunt. Dicit enim, Nunc itaque audi me, & Exod.8
consilium dabo tibi, & erit Deus tecum. Vbi mihi videtur significari nimis intentum humanis actionibus animum, Deo quodammodo vacuari, quo fit tantò plenior, quantò in superna atque æterna liberius extenditur.

Quomodo intelligatur, Esto tu populo in iis quæ ad Deum, & reliqua ibidem posita.

Quòd verò adiungit, & dicit, Esto tu popu- 69
Exod.18

lo in iis quæ ad Deum, & referes verba eorum ad Deum, & testaberis illis præcepta Dei, & Legem eius, & demonstrabis illius vias, in quibus ambulabunt in eis, & opera quæ faciant. Cum populo vniuerso hoc agendum esse demõstrat. Non enim ait, Vniuscuiusque verba referes ad Deum, sed verba eorum: quum suprà dixisset, Esto tu populo in iis quæ ad Deum sunt. Post hæc admonet, ne singulorum negotia, quæ inter se habent, deserantur, electis videlicet potentibus viris, Deum colentibus, iustis, & qui oderint superbiam, quos constituat super millenos, alios super centenos, alios super quinquagenos, alios super denos. Sic & ab ipso Mose remouit graues & periculosas occupationes, nec istos grauauit. Quandoquidem ipsi mille haberent vnum super se, & sub illo haberent alios decem, & sub eis alios viginti, & sub his alios centum, vt vix aliquid ad singulos quosque præpositos perueniret, quod iudicare necesse haberent. Insinuatur hîc etiam humilitatis exemplum, quòd Moses cum quo loquebatur Deus, non fastidiuit, neque contempsit alienigenæ soceri sui consilium: quanquam & ipse Iethro quum Israelita non fuisset, vtrùm inter viros Deum verum colentes, religiosèque sapientes habendus sit, quemadmodum & Iob, quum ex ipso populo non fuisset, meritò quæritur, imò credibili" habetur. Ambiguè quippe posita sunt verba, vel vtrùm sacrificauerit Deo vero in populo eius, quando vidit generum suum, vel vtrùm adorauerit eum ipse Moses. Quãquam de adoratione, etiam si expressè positum esset, honor videretur socero redditus, eo modo quo solet hominibus honorificentiæ causa exhiberi à paribus. Sicut de Abraham scriptum est, quòd adorauerit filios Heth. Quos autem dicat γραμμάτων εἰσαγωγεῖς, post decuriones, non facilè sciri potest: quoniam hoc nomen in nullo vsu habemus, vel officiorum, vel magisteriorum. Nam quidã, Doctores interpretati sunt, vt intelligantur vtique literarum, qui introducant in literas, sicut resonat Græcum vocabulũ. Hîc sanè significatur, quòd ante Legem datam habuerunt Hebræi literas: quæ quãdo cœperint esse, nescio vtrùm valeat indagari. Nonnullis enim videtur à primis hominibus eas cœpisse, & perductas esse ad Noe: atque inde ad parentes Abrahæ, & inde ad populum Israel: sed vnde hoc probari possit ignoro.

Quomodo significetur quinquagesimo die ab exitu Israel de AEgypto, data Lex scripta digito Dei, in figuram digiti Dei, id est, Spiritus sancti mittendi quinquagesimo die ab exitu Christi a sepulchro, id est, resurrectione sua.

Exod.18 70 Mensis autem tertii exitus filiorum Israel de terra AEgypti, hac die venerunt in eremum Sinai, & profecti sunt ex Raphidim, & venerũt in eremum Sinai: & applicuit Israel ibi contra montem, & Moses ascendit in montem Dei. Et vocauit eum Dominus de monte, dicens, Hæc dices domui Iacob, & nuntiabis filiis Israel. Vosipsi vidistis quæ fecerim AEgyptiis, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium, & cætera. Deinde paulò pòst, Descende, & testare populo, & purifica illos hodie & cras, & lauent vestimenta sua, & sint parati in diẽ tertium. Tertia enim die descendet Dominus in montem Sinai coram omni populo. Hoc die reperitur data Lex, quæ in tabulis lapideis scripta est digito Dei, sicut consequentia docent. Dies autem iste tertius apparet tertii mensis ab exitu Israel ab AEgypto. Ex die ergo quo Pascha fecerunt, id est, agnum immolauerunt, & ederunt, qui fuit quartusdecimus primi mensis, vsque ad istum, quo Lex datur, dies quinquaginta numerantur, decem & septem scilicet primi mensis, reliqui ab ipso quartodecimo: deinde omnes triginta secundi mensis, qui fiunt quadraginta septem, & tertius tertii mensis, qui est à solennitate occisi agni quinquagesimus. Ac per hoc fit in ista vmbra futuri, secundum agni immolati diem festum, sicut quinquagesimo die Lex data est, quæ conscripta est digito Dei: ita in ipsa veritate noui Testamenti à festiuitate agni immaculati Christi Iesu, quinquaginta dies numerantur, quando Spiritus sanctus de altissimis datus est. Digitum autem Dei esse Spiritum sanctum, suprà iam diximus, teste Euangelio. Exod.31 Exod.12 Act.2

Quomodo decem præcepta Legis diuidenda sint, circa quod multa mouentur & soluuntur diserti ssimè dubia.

Quæritur decem præcepta Legis quemadmodum diuidenda sint: vtrùm quatuor sint vsque ad præceptum de sabbato, quæ ad ipsum Deum pertinent: sex autem reliqua, quorum primum, Honora patrem & matrem, quæ ad hominem pertinent: an potius illa tria sint, & ista septem. Qui enim dicunt illa quatuor esse, separant quod dictum est, Non erunt tibi dii alii præter me, vt aliud præceptum sit, Non facies tibi idolum & cætera, vbi figmenta colenda prohibentur. Vnum autem volunt esse, Non concupisces vxorem proximi tui, & Non concupisces domum proximi tui, & omnia vsque in finem. Qui verò illa tria esse dicunt, & ista septem, vnum volunt esse quidquid de vno colendo Deo præcipitur, ne aliquid aliud præter illum pro Deo colatur. Hæc autem extrema præcepta in duo diuidunt, vt aliud sit præceptum, Non concupisces vxorem proximi tui: & aliud, Non cõcupisces domum proximi tui, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæcunque illius sunt. Decem tamen esse præcepta neutri ambigunt: quoniam hoc Scriptura testatur. Mihi tamen videntur congruentius accipi tria illa & ista septem: quoniam Trinitatem videntur illa quæ ad Deum pertinent insinuare diligentius intuentibus. Et reuera quod dictum est, 71 Exod.20

Non erunt tibi dii alii præter me, hoc ipsum perfectius explicatur, quum prohibentur colenda figmenta. Concupiscentia porrò vxoris alienæ, & concupiscentia domus alienæ, tãtum in peccando differunt, vt illi quod dictum est, Non concupisces domum proximi tui, adiuncta sint & alia, dicente Scriptura, Neque agrum eius, neque seruum eius, neque ancillam eius, neque boues eius, neque subiugalem eius, neque omne pecus eius, neque quæcunque proximi tui sunt. Discreuisse autem videtur concupiscentiam vxoris alienæ à concupiscentia cuiuslibet rei alienæ, quando vtrunque sic cœpit, Non concupisces vxorem proximi tui: &, Non concupisces domum proximi tui: & hinc cœpit cætera adiungere. Non autem quum dixisset, Non concupisces vxorẽ proximi tui, huic connexuit alia dicẽs, Neque domum eius, neque agrum eius, neque seruum eius, &c. Sed omnino apparent hæc esse cõiuncta, quę in vno præcepto videntur contineri, & discreta ab illo, vbi vxor nominata est. Illud autem vbi dictum est, Non erunt tibi dii alii præter me, apparet huius rei diligentiorem executionem esse in iis, quę subiecta sunt. Quò enim pertinet, Non facies tibi idôlum, neque vllum simulachrum, quæcunque in cælo sunt sursum, & quæcunque in terra deorsum, & quęcunque in aqua sub terra: nõ adorabis ea, neque seruies illis: nisi ad id quod dictum est, Non erunt tibi dii alii præter me? Sed rursum quæritur quid differat, Non furtum facies, ab eo quod paulò pòst de nõ concupiscendis proximi rebus præcipitur. Non quidem omnis qui rem proximi sui concupiscit, furatur: sed quia omnis qui furatur rem proximi concupiscit, poterat in illa generalitate, vbi de non concupiscenda re proximi præcipitur, etiam illud quod ad furtũ pertinet contineri. Similiter etiam quæritur, quid differat quod dictum est, Non mœchaberis, ab eo quod paulò pòst dicitur, Non concupisces vxorẽ proximi tui. In eo quippe quod dictum est, Non mœchaberis, poterat & illud intelligi, nisi forsitan in illis duobus præceptis non mœchandi, & non furandi, ipsa opera notata sunt: in his verò extremis ipsa concupiscentia, quæ tantum differunt, vt aliquando mœchetur, qui non concupiscit vxorem proximi, cùm alia aliqua causa illi miscetur: aliquando autem concupiscat, nec ei misceatur, pœnã timens. Et hoc fortasse Lex ostendere voluit, quòd vtraque peccata sint. Item quæri solet, vtrùm mœchiæ nomine etiam fornicatio teneatur. Hoc enim Græcum verbum est, quo iam Scriptura vtitur pro Latino. Mœchos tamen Græci nonnisi adulteros dicũt. Sed vtique ista Lex non solis viris in populo, verumetiam fœminis data est. Neque enim quia dictum est, Non cõcupisces vxorem proximi tui, nihil sibi hic præceptum debet putare fœmina, tanquã licitè posset cõcupiscere virum proximæ suæ. Si ergo hoc ex illo quod viro dictum est, intelligitur, quanuis non dictum sit quod etiam ad fœminam pertineat: quantò magis ex eo quod dictũ est, Non mœchaberis, vterque sexus constringitur, cùm & ipsum pręceptum potest referri ad vtrũque, sicut Non occides, Non furaberis, & alia quæ similiter non expresso vno sexu vtrique videntur sonare communiter? Tamen vbi vnus exprimitur, honoratior vtique exprimitur, id est masculinus, vt ex hoc intelligat etiam fœmina, quid sibi præceptum sit. Ac per hoc si fœmina mœchata est habens virum, concumbendo cum eo qui vir eius non est, etiam si ille non habeat vxorem, etiam vir mœchatus est habens vxorem concumbendo cum ea, quæ vxor eius non est, etiam si illa non habeat virum. Sed vtrùm si faciat qui vxorem non habet cum fœmina quæ virum nõ habet, ambo præcepti huius transgressione teneantur, meritò quęritur. Si enim non tenetur, non est prohibita in Decalogo fornicatio, sed sola mœchia, id est, adulterium: quanuis omnis mœchia etiam fornicatio esse intelligitur, sicut loquuntur Scripturę. Dominus enim dicit in Euangelio, Quicunque dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari. Hoc vtique fornicationem appellauit, si cum alio peccet, quæ virum habet, quod est mœchia, id est, adulterium. Omnis ergo mœchia etiam fornicatio in Scripturis dicitur. Sed vtrùm etiam omnis fornicatio mœchia dici possit in eisdem Scripturis, non mihi interim occurrit loquutionis exemplum. Sed si non omnis fornicatio etiã mœchia dici potest, vbi sit in Decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt viri, qui vxores non habent, cum fœminis quæ maritos non habent, vtrùm inueniri possit, ignoro. Sed si furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ: non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit: sed vtique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur: profectò & nomine mœchię omnis illicitus cõcubitus, atque illorum membrorum non legitimus vsus, prohibitus debet intelligi. Et quod dictum est, Non occides: nõ putandum est fieri contra hoc pręceptũ, quando Lex occidit, vel occidi aliquem Deus iubet. Ille enim facit qui iubet, quando ministerium negare non licet. In eo etiam quod dictum est, Falsum testimonium non dices aduersus proximum tuum, quæri solet, vtrùm prohibitũ sit omne mendacium, ne fortè nõ sit hoc pręceptũ aduersus eos qui dicunt tunc esse mẽtiendum, quando istud mendacium prodest alicui, & nihil obest ei cui mentiris. Tale quippe non est aduersus proximum tuũ, vt ideo videatur hoc addidisse Scriptura, quæ posset breuiter dicere, Falsum testimonium non dices, sicut dixit, Nõ occides, Nõ mœchaberis, Non furaberis. Sed hinc magna quæstio est, nec à festinãtibus commodè explicari potest, quomodo accipiẽdum sit, Perdes omnes qui loquuntur mendacium. &, Noli velle mentiri omne mẽdacium,

Matth. 5

Psalm. 5
Eccles. 7

& cętera huiuſmodi.

Quomodo populus dicatur vidiſſe vocem.

72 Et omnis populus videbat vocem,& lam-
Exod.20 pades, & vocem tubæ, & montem fumantem. Solet quæri quomodo populus videbat vocē, cùm vox non ad viſum,ſed potius ad auditum pertinere videatur. Sed ſicut dicitur,ſicut modò dixi, Videatur de omnibus,quæ à me dicta ſunt: ſic Videre ſolet pro generali ſenſu poni, non ſolùm corporis,verumetiam animi. Vnde
Geneſ.42 eſt illud, Cùm vidiſſet Iacob, quia eſcæ ſunt in AEgypto: vnde vtique abſens erat. Quanquā nonnulli Videre vocem , nihil aliud arbitrati ſunt eſſe,quàm intelligere,qui viſus mentis eſt. Cùm verò hìc breuiter dicendum eſſet , quòd populus videbat vocem,& lampades,& vocem tubæ,ac montem fumantem: quæſtio maior oritur,quomodo audiebat lampades & montem fumantem, quod pertinet ad ſenſum videndi. Niſi quis dicat , nec tam breuiter dicendum fuiſſe: ſed vt totum diceretur , Audiebat vocem, & videbat lampades , & audiebat vocem tubę,& videbat mōtem fumantem. Duo quippe genera vocis erant, & de nubibus, ſicut tonitrua,& tuba: ſi tamen ipſam dixit vocem, quę de nubibus edebatur. Ac per hoc melius in his quæ ad ſenſum audiendi pertinebāt, generalis ſenſus eſt poſitus,hoc eſt videndi,quum breuiter totum vellet Scriptura complecti,quàm vt in iis quæ pertinent ad videndi ſenſum, ſubintelligeretur auditus, quo more loqui nos ſolemus. Nā Vide quid ſonet,ſolemus dicere, Audi quid luceat,non ſolemus.

Quomodo timor ad vetus Teſtamentum pertinere ſignificatur in hoc quod dicitur, Loquere tu nobis,& non loquatur ad nos Deus,&c.

Loquere tu nobis,& non loquatur ad nos
Exod.20 73 Deus,ne quando moriamur. Multum & ſolidè ſignificatur , ad vetus Teſtamentum timorem potius pertinere, ſicut ad nouum dilectionem: quanquā & in vetere nouum lateat,& in nouo vetus pateat. Quomodo autem tali populo tribuatur videre vocem Dei, ſi hoc accipiendum eſt intelligere,quum ſibi loqui Deum timeant, ne moriantur,non ſatis elucet.

Quomodo ob eandem ferè ſignificationem Dominus eos tētare dicatur,& quomodo Deus tentet.

Et dixit eis Moſes,Conſtantes eſtote: pro-
Exod.20 74 pterea enim venit Deus ad vos, tentare vos,vt ſit timor eius in vobis,ne peccetis. Sic illi cohibendi fuerant à peccatis,vtiq; timendo,ne pœnas ſenſibiles paterentur, quia nondum poterant amare iuſtitiam: & in hoc erat eis tentatio à Domino , qua probabantur , vt apparerent cuiuſmodi eſſent,non vt Deo noti fierent,quē non latebat qualeſcunque eſſent , ſed vt inter ſe ac ſibimet . Multum tamen iſtis terroribus Teſtamenti veteris differentia commendatur,
Hebr.12 quod etiam in Epiſtola ad Hebræos apertiſsimè dictum eſt.

Quomodo dicatur Moſes intraſſe nebulam,in qua Deus erat,quum Deum cæli capere non poſſint.

Moſes autem intrauit in nebulam,vbi erat
Exod.20 75 Deus,id eſt, vbi expreſsiora fiebant ſigna,quibus cognoſceretur Deus. Nam quomodo in nebula erat,quum cæli cælorum non ſufficiāt, niſi quemadmodum nuſquam non eſt , qui in loco nullo deeſt?

Quomodo repetendo, Deos aureos & argenteos non facietis, omne ſimulachrum prohibetur.

Non facietis vobis deos argenteos,& deos 76
aureos non facietis vobiſipſis. Repetitur quod Exod.20
in primo præcepto inculcatum eſt: & ex diis argenteis & aureis vtique omnia ſimulachra intelliguntur , ſicut in illo etiam Pſalmo , Idôla Pſalm.113
gentium argentum & aurum.

Quomodo ex libertate ſerui Hebræi poſt ſexennium, non debeat ſibi Chriſtianus libertatem vendicare, vetitus ab Apoſtolo: præſertim cùm illa libertas myſtica fuerit.

Quæ de ſeruo Hebræo præcipiuntur,vt ſex 77
annos ſeruiat & dimittatur liber gratis: ne ſer- Exod.21
ui Chriſtiani hoc flagitarent à dominis ſuis, A- Epheſ.6
poſtolica auctoritas iubet ſeruos dominis ſuis eſſe ſubiectos,ne doctrina & nomē Dei blaſphemetur. Illud enim ex hoc ſatis conſtat in myſterio præceptum , quia & pertundi ſubula eius aurem ad poſtem præcepit Deus , qui libertatem illam recuſaret.

Quomodo ſequentia verba quæ de ancilla ſubduntur, obſcura ſint,& explanari debeant.

Si quis autem vendiderit filiam ſuam in fa 78
mulā,non abibit ita vt ancillæ recedūt. Quòd Exod.21
ſi non placuerit domino ſuo, quam non adnominauit eam, remunerabit eam. Genti autem exteræ non eſt dominus vendere illam , quoniam ſpreuit in ea. Quòd ſi filio adnominauerit eam,ſecūdum iuſtificationes filiarum faciet ei. Quòd ſi aliam accipiet ei, quæ opus ſunt & veſtem & conuerſationem eius non fraudabit ei. Si autem tria hæc non fecerit ei, exibit gratis ſine pretio. Obſcuriſsimum locum inuitatæ loquutiones fecerunt,ita vt interpretes noſtri quemadmodum eum explicarēt, penè non inuenirent. In ipſo quoque Græco eloquio multum obſcurum eſt,quod hìc dicitur. Tamē quid videatur vt potero aperiam. Si quis autē inquit,vendiderit filiam ſuam in famulā,id eſt, vt ſit famula,quam οἰκέτιν Græci vocant,non abibit ita vt recedunt ancillæ,intelligendū eſt, non ſic recedet quomodo recedunt ancillę Hebrææ poſt ſex annos. Eam quippe oportet etiā in fœminam Hebræam legem datam intelligi, quæ ſeruatur in maribus. Cur ergo iſta non ita recedet , niſi quia in illo famulatu intelligitur humiliata,quòd ei ſe dominus miſcuerit? Hoc enim in conſequentibus vtcunque clareſcit. Sequitur enim & dicit , Quòd ſi non placuerit domino ſuo quam non adnominauit eam, id eſt,nō eam fecit vxorem , remunerabit eam, hoc eſt, quod ſuprà dixit, non abibit ita vt recedunt ancillæ. Iuſtum eſt quippe eam aliquid accipere pro eo quòd humiliata eſt,quia nō ei ſe ita commiſcuit vt faceret vxorem, id eſt, vt adnominaret eam ſibi. Hoc autem quod dixim⁹, Remunerabit eam,quidā interpretes dixerunt, Redimet eam. Quòd ſi in Græco dictum eſſet

esset, ἀπολυβώσεται scriptum esset, sicut scriptum
Psalm.129 est, Et ipse redimet Israel: nã ἀπολυβώσεται scriptũ est. In hoc autem loco vocabulũ ἀπολυβώσει legitur, vbi intelligitur quòd accipit magis aliquid, quàm pretio datur vt redimatur. Quomodo enim dabit dominꝰ eius vt redimat, quã ipse famulam possidet? Genti autem exterę nõ est dominus vendere illam, quoniam spreuit in ea, id est, non quia spreuit in ea, ideo dominus est vendere illam, id est, non tãtum ei dominabitur, vt etiam exteræ genti eam licitè vendat. Hoc est autem spreuit in ea, quod est spreuit eam. Spreuit autẽ eam, hoc est, humiliauit eam, id est, concumbendo, nec vxorem faciendo. Dixit autem Græcè ἐξουθένησεν, quod nos diximus, spreuit. quo verbo Scriptura vtitur apud Hieremiam, Sicut spernit mulier eum cui commiscetur. Deinde sequitur & dicit, Quòd si filio adnominauerit eam, secũdum iustificationem filiarum faciet ei. Hic iam aperire incipit quẽadmodũ suprà dixerit, Quã nõ adnominauit. Nam quid est aliud, Si filio adnominauerit eã, nisi filio cõiunxerit eam vxorem: quandoquidem dicit, Secũdum iustificationem filiarũ faciet ei, id est, vt sic tradat tanquam filiam, dotẽ scilicet apponẽs ei. Deinde adiungit, Quòd si aliam accipiet ei, id est, non istam deputauerit vxorẽ filio suo, sed ei aliam accipiat, quæ opus sunt, & vestem & conuersationem eius nõ fraudabit ei. Simili lege quæ competunt, quoniam non mansit vxor filio eius, quemadmodum ei daret, si eam sibi non adnominasset, & tamen concumbendo humiliasset. Quòd autem nos diximus, conuersationem non fraudabit, Græcus habet ὁμιλίαν, id est, loquutionem, quo nomine intelligitur Scriptura honestius appellare concubitum. Quid est autem concubitum nõ fraudabit, nisi pro concubitu mercedẽ dabit? Nanque apud Danielem cõtra Susannam
niel.13 falsum testimonium dicentes seniores, Venit, inquiunt, ad eam adolescẽs, qui erat in latenti absconditus, & concubuit cum ea. Daniel autẽ de hoc ipso interrogans, ait, Sub qua arbore vidisti eos loquẽtes? quod illi dixerãt, Cõcubuit cum ea. Deinde alterum arguens atque cõuincens dixit, Semen Chanaan & nõ Iuda, species delectauit te, & concupiscentia euertit cor tuũ. Sic enim faciebatis filiabus Israel: sed illæ timentes acquiescebant vobis. Græcus autẽ habet ὁμίλησεν ὑμῖν, quod posset Latinè verbum ex verbo dici, Loquebantur vobis: quo significaretur cõcubitus. Nam vbi dicitur, Sub qua arbore comprehendistis eos, Græcus habet, Cõprendistis eos colloquentes inuicem, & illic significatur cõcubitꝰ. Quòd ergo de hac de qua agitur, adiungit Scriptura & dicit, Si autẽ tria hæc nõ fecerit ei, exibit gratis: hoc intelligitur, si eam ipse concubitu non humiliauerit, neque filio suo coniunxerit, neque alia filio suo ducta istã eiecerit: abibit gratis, id est, sufficiet ei non teneri in seruitute. Abibit enim, nihil accipiẽs vt seruus Hebręus. Nõ enim licet domino eius copulari illã viro nõ Hebræo, quã nõ licet exteræ gẽti tradi. Si autẽ seruo Hæbræo eam copulauerit, hoc vtiq; intelligitur, quòd cum eo gratis exibit, nequaquã à marito suo separata.

Quomodo Deus dicatur tradere occidendum in manus nocentis, & quomodo idem factum à Deo iustè, & ab homine fiat iniustè.

Si quis percusserit aliquẽ, & mortuus fuerit, 79
morte moriatur. Qui autẽ nolẽs, sed Deus tra- Exod.21
didit in manus eius, dabo tibi locum in quem fugiat. Quæritur hoc quomodo dictum sit, Si autem nolẽs, sed Deus tradidit in manus eius, quasi & si volẽs occiderit, posset occidere, nisi Deus traderet in manus eius. Intelligitur ergo tantummodo Deum fecisse quum quisque occiditur à nolẽte, & pro hoc tantummodo quia Deus id fecit, dictum est, Sed Deus tradidit in manus eius. Quum verò volens & ipse occidit, & Deus tradidit in manus eius. Hoc ergo interest, quòd illic tantũ Deus fecit, hic autem & Deus & homo, propter voluntatem facientis, sed non fecit Deus vt homo. Deus enim nonnisi iustè: homo autem pœna dignus, non quia illum occidit quẽ Deus nolet occidi, sed quia per iniquitatem. Non enim ministerium Deo iubenti præbuit, sed suæ malignæ cupiditati seruiuit. In vno igitur eodémque facto, & Deus de occulta æquitate laudatur, & homo de propria iniquitate punitur. Nõ enim quia Deꝰ Roman.8
proprio Filio non pepercit, sed pro nobis om- Matth.26
nibus tradidit illum, ideo Iudas excusatus est, qui eundem ad mortem tradidit Christum.

Quomodo intelligendum sit, Si autem litigauerint duo viri, &c. Et vtrum quod in vtero formatum adhuc non est, animatum possit intelligi.

Si autem litigabunt duo viri, & percusserit 80
quis mulierem fœtum in vtero habentem, & Exod.21
exierit infans eius nondum formatus, detrimentũ patietur quantum indixerit vir mulieris, & dabit cum postulatione. Mihi videtur significationis alicuiꝰ causa dici hęc, magis quã Scripturam circa huiusmodi facta occupatam. Nã si illud attenderet, ne prægnans mulier percussa in abortum compelleretur, non poneret duos litigantes viros cùm possit & ab vno hoc admitti, qui cum ipsa mulierẽ litigauerit, vel etiam non litigauerit, sed alienæ posteritati nocere volẽdo id fecerit. Quòd verò non formatum puerperium noluit ad homicidiũ pertinere, profectò nec hominem deputauit quod tale in vtero geritur. Hic de anima quæstio solet agitari, vtrùm quod formatum non est, nec animatum quidem possit intelligi: & ideo non sit homicidium, quia nec exanimatum dici potest, si adhuc animam non habebat. Sequitur enim, & dicit, Si autem formatum fuerit, dabit animam pro anima. Vbi quid aliud intelligitur, nisi & ipse morietur? Nam hoc & in cæteris ex hac occasione iam præcepit, Oculum pro
oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, combustionem pro combustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore, talionis videlicet æquitate. Quæ lex ideo con-

stituit,vt demõstraret quæ vindicta debeatur. Nisi enim per Legẽ sciretur quid vindictæ deberetur,vnde sciretur quid venia relaxaret, vt
Matth.6 dici posset, Dimitte nobis debita nostra,sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? Debitores igitur Lege monstrantur, vt appareat quid dimittatur quando ignoscitur. Neque enim debita dimitteremus,nisi quid nobis deberetur Lege indice discceremus. Si ergo illud informe puerperiũ iam quidem fuerit,sed adhuc quodammodo informiter animatum, quoniã magna de anima quæstio non est præcipitanda indiscussa temeritate sententiæ: ideo Lex noluit ad homicidium pertinere,quia nõdum dici potest anima viua in eo corpore quod sensu caret,si talis est in carne nondum formata,& ideo nondum sensibus prædita. Quòd autem dixit, Et dabit cum postulatione quod maritus mulieris informi excluso dandum constituerit:nõ est in promptu intelligere. Ad animam quippe quod Græcus habet,pluribus modis intelligitur, & tolerabilius cum postulatione dictũ est, quã si aliud diceretur. Fortassis enim postulabit,vt de eo modo Deo satisfaciat,etiam si maritus mulieris non expetat.

Quomodo intelligendum sit illud quod sequitur, Si autem cornu percusserit taurus, &c.

81 Si autem cornu percusserit taurus virum
exod.21 aut mulierem, & mortuus fuerit,lapidibus lapidabitur taurus,& nõ mãducabuntur carnes eius:dominus autem innocens erit. Ad iustitiã pertinet,vt animal hominibus noxium perimatur. Et quod de tauro positum est, à parte totum intelligendum est, quidquid de pecoribus vsui humano subditum infestum est hominibus. Sed si necesse est occidi,nunquid lapidari? Quid interest enim animal,quod auferendum est,qua morte auferatur? Deinde quod addidit carnibus eius non esse vescẽdum,quô pertinet,nisi omnia ista significẽt aliud, quod Scriptura maximè solet intueri?

Quomodo similiter accipiendum sit quod dicitur de tauro percutiendo,an simile sit in alio quoque pecore.

82 Si autem cornu percusserit alicuius taurus
exod.21 taurum proximi, & mortuus fuerit: vendent taurum viuum, & partientur pretium eius,& taurus qui mortuus fuerit dispertietur. Nunquid in solo tauro hæc iustificatio seruãda est, & non de omni pecore in tali casu? Proinde à parte totum in hoc intelligendum est: sed hoc de carnibus occisi pecoris fieri non potest,quę non vescuntur.

Quæ iustificatio sit quòd pro vitulo vno quinque reddantur, & pro oue quatuor.

83 Quę iustificatio est,vt pro vitulo vno quin-
exod.22 que reddantur,pro oue autem quatuor, nisi aliquid significare intelligatur?

Quando fur nocturnus occidi permittatur.

84 Si autem perfodiens inuentus fuerit fur,
Exod.22 & percussus mortuus fuerit, non est illi homicidium. Si autem orietur sol super eum, reus est,& morte morietur. Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur:si autem diurnus,pertinere. Hoc est enim quod ait, Si orietur super eũ sol. Poterat quippe discerni,quòd ad furandum, non ad occidendum venisset: & ideo non deberet occidi. Hoc & in legibus antiquis secularibus (quibus tamẽ ista est antiquior)inuenitur,impunè occidi nocturnum furem quoquomodo: diurnum autem si se cum telo defenderit: iam enim plus est quàm fur.

Quomodo quis per Deum conuictus dicatur.

Quid est,Qui periurio còuictus fuerit per 85
Deum,restituet duplo,nisi quia vult Deus ali- exod.22
quando signo dato prodere peierantem?

De quibus dicatur, Deos non maledices.

Deos non maledices. Quæritur quos dixe- 86
rit deos, vtrùm principes qui iudicant popu- exod.22
lum,sicut dictum est de Mose, quòd datus fuerat Deus Pharaoni, vt per expositionem dictũ exod.7
sit quod sequitur, velut ostendẽdo quos dixerit deos, vbi ait, Et principem populi tui non maledices:quod Grçcus habet, Non dices malé. An secundum illud accipiendum, quod Apostolus ait,Nam etsi sunt qui dicũtur dii, siue 1.Corinth.8
in cælo,siue in terra,sicuti sunt dii multi,& domini multi. Addẽdo enim,Sicutisunt,deos intelligi voluit, qui dignè etiam dicuntur,ita sanè vt Latria quæ dicitur Græcè,& interpretatur Latinè seruitus: sed ea quæ ad religionem pertinere intelligitur, non debeatur nisi vni Deo vero,qui nobis est Deus. Illi autem qui dicuntur dii,etiam si qui sunt qui meritò dicũtur, prohibiti sunt maledici, non iussi sunt sacrificiis vel vllis Latriæ obsequiis honorari.

Quid significationis habeat quod dicitur, Non eris cum pluribus in malitia.

Non eris cum pluribus in malitia. Ne se 87
inde quisquam defendat,quia cum pluribus fe exod.23
cit,aut ideo non putet esse peccatum.

Quomodo signanter post illa verba, Et pauperis nõ misereberis, addatur, In iudicio. Et postea, Si autem obuiaueris, &c.

Et pauperis non misereberis in iudicio. 88
Nisi addidisset, In iudicio, magna esset quæ- exod.23
stio: sed intelligendum esset etiam si scriptum non esset. Suprà enim dixerat,Non apponeris cum multitudine cum pluribus vt declines iudicium: ac per hoc & pauperis non misereberis:posset intelligi,In iudicio. Sed quum additum est,nulla quæstio est hoc esse præceptũ, ne fortè quum iudicamus, videamus iustitiam esse pro diuite contra pauperem,& nobis rectè facere videamur,si contra iustitiam pauperi faueamus causa misericordiæ. Bona est ergo misericordia: sed non debet esse contra iudicium. Iudiciũ sanè illud appellat Scriptura,quod iustum est. Ne quis autẽ propter istam sententiam Deum putaret misericordiã prohibere,quod sequitur opportunissimè sequitur, Si autẽ obuiau eris boui inimici tui,aut subiugali eiº errãtibus, reducẽs reddes ei,vt scias nõ te prohibitũ facere misericordiã. Fac eã erga inimicos tuos,cùm potestas est à iudicãdo libera: non enim cùm reducis errantem bouem inimici tui,& reddis,inter aliquos iudex residēs.

Quid

Quid significetur nobis quum dicitur, Sex annis seminabis, &c. & quomodo bestiis præcipitur cura impendi, & cætera quomodo intelligenda.

89 Sex annis seminabis terram tuam,& colli-
Exod.23 ges fructum eius : septimo autem anno remissionem facies,& requiẽ dabis illi,& edent pauperes gentis tuæ : quæ autem superabunt edent feræ bestiæ. Sic facies vineam tuam & oliuetum tuum. Quæri potest quid colligant pauperes,si septimo anno ita parcit terrę,vt nec seminetur quidem. Non enim ad vineam & oliuetum pertinet quod dictum est, Edent pauperes gentis tuæ : quia de terra non seminata nihil possunt sumere,vbi segetes nasci nõ possunt. De vinea enim & oliueto postea dicit similiter esse faciendum,ac per hoc illud de aruis intelligitur,quę frumentis seruiunt. An sic accipiendum, Sex annis seminabis terram tuam, & colliges fructum eius,hoc est,sex annis seminabis & colliges: septimo verò non colliges,vt intelligatur seminabis,etiam si dictum non est, vt ad sex annos seminare & colligere pertineat: ad septimum verò dimittere quod fuerit seminatum. Nam quid inde habebunt pauperes, quorum residuum etiam feris bestiis dedit, eis videlicet quæ illis frugibus vesci possint,sicut sunt apri & cerui, & si quid huiusmodi? Quod tamen non diceretur,nisi alicuius significationis gratia. Nam si quòd attinet ad præcepta, quæ hominibus data sunt, de bobus cura non est Deo, quod non sic intelligitur, tanquam non ipse pascat ea,quæ nec seminant,
Matth.6 nec metunt, neque congregant in horreum: sed quia ei curæ non est præcepto monere hominem, quomodo boui suo consulat: quantò minus ei cura est de feris bestiis pręcipere, quo modo illis ab hominibus consulatur, cùm eas ipse pascat diuitiis naturæ vsquequaq; fructiferæ, qui eas etiam per alios sex annos pascit, quum colliguntur quæ seminantur?

Quomodo intelligatur illud, Non coques agnum seu hœdum in lacte matris suæ.

Non coques agnum in lacte matris suæ.
Exod.23 90 Quomodo intelligatur ad verborum proprietatem nescio vtrùm possit reperiri. Si enim alicuius significationis causa prohibitum accipiamus, agnum in lacte coqui, nullus vsus est ita coquendi. Si autem in diebus quibus lactatur,quis hoc habuit vnquam Iudęorum in obseruatione,vt agnum non coqueret,nisi quum desisteret fugere? Quid est autem in lacte matris suæ, quasi posset etiam si hoc intelligeretur, sine huius præcepti transgressione coqui, si eo nato mortua matre eius ab oue alia lactaretur? quum alicuius profectò rei significãdæ causa esse præceptum nemo ambigat. Sed etiam illa quæ possunt obseruantia factitari, non sine causa ita præcepta sunt: significant enim aliquid. Hoc verò quomodo obseruetur, ad proprietatem verborum, aut non est, aut non elucet, intellectum tamen de Christo approbo,quòd hac Prophetia prædictus est, non
Matth.2 occidendus à Iudæis infans, quando Herodes quærens eum,vt occideret,nõ inuenit: vt Coques,quod dictum est,pertineat ad ignem passionis,hoc est, tribulationem. Vnde dicitur, Vasa figuli probat fornax, & homines iustos Eccles.27 tentatio tribulationis. Quia ergo non est tunc infans passus, quum quærente Herode huiusmodi periculum imminere videretur, prædictum est his verbis, Non coques agnum in lacte matris suæ. Illud quoque forsitan non absurdum est,quod alii dicũt id esse præceptum per Prophetam, ne se boni Israelitæ sociarent malis Iudæis,à quibus Christus passus est,tanquam agnus in lacte matris suæ,id est, eo tempore quo conceptus est. Dicuntur enim fœminæ ex quo conceperint lac colligere. Illo nanque mense passum esse Christum, & Paschæ obseruatio, & dies Ecclesiæ notissimus natiuitatis eius ostendit. Qui enim mense nono natus est octauo Calendas Ianuarias,profectò mense primo conceptus est circa octauum Calendas Aprilis : quod tempus etiam pasionis eius fuit in lacte matris suæ, hoc est, in diebus matris suæ.

Quomodo, & de quo dictũ sit, Ecce ego mitto Angelũ meũ, &c.

Ecce ego mitto Angelum meum ante fa- 91
ciem tuam, vt seruet te in via, & inducat te in Exod.23
terram quam paraui tibi. Attẽde tibi,& exaudi eum,ne non credas illi,nihil enim subtrahet tibi:nomen enim meum est super eum. Hoc de illo nimirum intelligitur,cui nomen mutatum est,vt Israel vocaretur. Ipse quippe introduxit populum in terram promissionis.

Quomodo accipienda sint promissiones, Seruies Domino Deo tuo, vt benedicam, &c.

Et seruies Domino Deo tuo, vt benedicam 92
panem tuum & vinum tuum, & aquam tuam, Exod.23
& auertam infirmitatem à vobis. Non erit qui non generet,neque sterilis super terram tuam. Numerum dierum tuorũ replebo,& timorem mittam qui te antecedat,& amẽtes faciã omnes gẽtes,ad quas tu intrabis,&c. Quãuis istę promissiones possint & spiritaliter intelligi, tamẽ quum secundum temporalem hominum felicitatem intelliguntur, ad vetus Testamentum pertinẽt,vbi quanquam præcepta, exceptis his quæ in sacramẽto aliquid significant,eadem ad mores bonos pertinentia reperiantur: promissiones tamen carnales atque terrenæ sunt. Vn-
Psalm.72 de in Psalmo 72. penè lapsos & effusos gressus suos homo Dei dicit, cùm zelaret in peccatoribus pacem peccatorum intuens. Ea quippe cernebat abundare impiis,quæ ipse secundum Testamentũ vetus expectabat à Domino Deo, cui hac mercede seruiebat. Et cùm hinc ei subrepere cœpisset sensus impius,quòd Deum nõ curare existimaret humana, correptum se dicit, dum auctoritatem Sãctorum non est ausus improbare,& incœpit cognoscere, & ait, Hoc labor est ante me, donec introeã in sanctuariũ Dei,& intelligã in nouissima. Ibi enim prẽmia dabũtur ad nouũ pertinẽtia Testamentũ, quæ impii non accipient: & pœnæ tunc futuræ sunt impiorum,quas nullus piorum sensurus est.

Quid intelligendum sit per crabrones seu vespas, Et mittam vespas, &c.

93 Et mittam vespas ante te, & eiiciã Amor-
Exod.23 rhæos,& Euęos,Chananęos & Ethæos. Quæ-
ritur de istis bestiis quid intelligendum sit.
Sapient.12 Nam & promittit hoc Deus, & liber Sapientiæ dixit impletum,vbi ait, Et misit antecessores exercitus sui vespas. Non autem legimus factum,neque Mosi temporibus, neque sub Iesu Naue, neque sub Iudicibus, neque sub Regibus. Ac per hoc vespæ istę aculei timoris intelligendæ sunt, fortasse quibus agitabantur memoratæ gentes,vt cederent filiis Israel. Deus enim loquitur in ei⁹ sermone si figuratè aliquid dicatur, quod ad proprietatem non sit impletum,non impedit historiæ fidem, in qua perspicitur veritas narrationis. Sicut nec Euangelistarum narratio secundum proprietatem impeditur,si aliquid à Christo dicitur figuratè.

Quid Græcè habeatur, vbi Latinè dicitur, Si seruieris diis,&c.

94 Si seruieris diis eorum,erunt tibi offendi-
Exod.23 culum. Hìc Græcus δουλεύσῃς habet,non λατρεύσῃς. Vnde intelligitur, quia Dulia debetur Deo tanquã Domino, Latria verò nõnisi Deo tanquam Deo.

Quomodo iustificationes intelligantur, & vbi incœperint haberi, & quomodo Græcè dicantur, &c.

95 Et Mosi dixit, Ascende ad Dominum tu
Exod.24 & Aaron, & Nadab, & Abiud, & septuaginta seniorum Israel, & adorabunt à longè Dominum, & accedet Moses solus ad Dominum, ipsi autem non accedent, populus autem non ascendet cum illis. Introiuit ergo Moses, & narrauit populo omnia verba Dei,& iustificationes. Respondit autem omnis populus voce vna dicentes, Omnia verba,quæ loquutus est Dominus, faciemus & audiemus. Vsque ad hunc locum Scripturæ, iustificationes intelliguntur, quæ datæ sunt populo ad obseruandum. Incipiunt autem,quantùm ipsa Scripturæ verba indicant: vnde hoc nomen iustificationum exortum est ab illo seruo Hebræo cui auris ad postem pertunditur. In quibus omnibus iustificationibus consyderandum est, quæ inde ad agendam vitam & morum bonorum conseruationem duci possint. Multa quippe in eis sacramenta sunt significantia potius aliquid,quàm vitam nostram instruentia. Iustificationes sanè Latini interpretes eas esse dixerunt, quæ Græci δικαιώματα appellant.

Quæ sit ratio ordinis, quum dicitur, Omnia verba quæ loquutus est Deus faciemus & audiemus, quum potius econtrario dicendum sit, Audiemus & faciemus.

96 Notandum est, quòd iterum populus ita
Exod.24 respondet, Omnia verba quæ loquutus est Dominus faciemus & audiemus: quum videatur ordo postulare vt diceretur, Audiem⁹ & faciemus. Sed mirum nisi aliquis sensus hìclatet. Nã si Audiemus pro eo positũ est, quod est intelligem⁹, prius oportet verbis Dei reddere faciẽdi seruitutem, vt ad intelligentiam earum rerum, quæ ipso prȩcipiente fiunt,merito deuotionis, qua non contemptæ,sed factæ sunt,ipse perducat. Sed videndum est vtrùm iste populus illi filio similis inueniatur,qui patri iubenti dixit, Ibo in vineam,& non iit. Gentes enim quæ Dominum penitus contempserunt, postea per vnius obedientiam iustificatæ, quæ non sectabantur iustitiam,apprehenderunt iustitiam.

Quomodo populus Israel significetur esse altare Dei, quum dicitur, Aedificauit altare sub monte, & duodecim lapides, & duodecim tribus Israel.

Notandum ergo quòd Moses ædificauit 97
altare sub monte, & duodecim lapides, & in Exod.24
duodecim tribus Israel. Intelligitur enim ex duodecim lapidibus altare ædificatum, significasse ipsum populum esse altare Dei, sicut est 2.Corinth.6
templum Dei.

Quomodo dicatur, Et immolauerunt hostiam salutaris, non autem Hostiam salutarem.

Et immolauerunt hostiam salutaris Deo. 98
Non dixit hostiam salutarem, sed hostiam sa- Exod.24
lutaris,quòd Græcus habet σωτηρίου, vel σωτηρίας. Vnde in Psalmo, Calicem, inquit, salu- Psalm.115
taris accipiam: non dixit Calicem salutarem. Vbi videndum est, ne fortè ille significetur, de quo dixit Simeon, Quoniam viderunt oculi Luce 2
mei Salutare tuum. Hũc enim & Psalmus commendat,vbi legitur, Bene nuntiate diem ex die Psalm.95
Salutare eius. Quid est enim aliud si diligentius attendamus, quòd ait diem ex die, nisi lumen ex lumine,hoc est, Deum ex Deo, quòd est vnigenitus Filius?

Quomodo Moses primùm sacrificasse legatur Deo post exitum de AEgypto.

Sumens autem Moses dimidiam partem 99
sanguinis, infudit in craterem, & partem reli- Exod.24
quam sanguinis infudit ad altare, & accipiens librum Testamenti recitauit in aures populi. Notandum est nunc primùm sacrificasse Mosen euidenter Scripturam dicere, ex quo ex AEgypto eductus est populus. Primò enim de Iethro dictum erat socero eius,quanuis cum aliqua ambiguitate,quòd immolauerit Deo. Et aduertendum librum Testamenti cum sanguine hostiæ recitari, in quo libro istas iustificationes conscriptas debeamus accipere. Nam Decalogum Legis in tabulis lapideis fuisse cõscriptum postea manifestum est.

Quomodo iam tertiò populus respondeat sub eodem verborum ordine, Omnia faciemus & audiemus.

Et dixerunt, Omnia quęcunque loquutus 100
est Dominus,faciemus & audiemus. Non ali- Exod.24
ter respondent,ecce iam tertió.

Cùm Deus (Spiritus enim est) nulli loco contineatur, quomodo subditur, Viderunt locum vbi steterat ibi Deus.

Et ascendit Moses & Aaron, & Nadab 101
& Abiud, & septuaginta seniorum Israel, & Exod.24
viderunt locum vbi steterat ibi Deus Israel. Constat inter eos qui rectè intelligunt, nullo Deum contineri loco, nec aliquo velut situ corporis membra ponere, sicuti est nostri corporis situs, sedere, iacere, stare, & si quid huiusmodi est. Hæc enim sunt nisi corporum: Deus au- Ioannis 4
tem Spiritus est. Quòd autem se ostendit specie corporali, vel signis corporaliter expressis,

non

non substantia eius apparet, qua est ipse quod est, sed assumptio formarum visibilium eius omnipotentiæ subiacet.

Qui sint electi de quibus dicitur. De electis Israel non dissonuit nec vnus, vbi de prædestinatione quædam inseruntur. Item quomodo quaternarius numerus significati aliorum eiusdem numeri figuram gerant.

102 exod. 24 Et de electis Israel nō dissonuit nec vnus: & apparuerunt in loco Dei, & manducauerūt & biberunt. Quis dubitet illos quos nominatim expressit, & septuaginta seniores nunc appellatos Electos Israel, qui proculdubio persona gerebant eorum qui electi sunt in populo Dei? Non enim omnium est fides: &, Nouit 2. Thes. 3 Dominus qui sunt eius. In magna autem domo sunt 2. Thimot. 2 alia vasa in honorem, alia in contumeliam. Romano. 8 Quoniam ergo quos antè præsciuit & prædestinauit, illos & vocauit: quos autem vocauit ipsos & iustificauit: quos autem iustificauit & glorificauit, profectò de electis Israel non dissonuit nec vnus. Significatur autem in quaternario numero in Mose & Aarō, & Nadab & Abiud, propter quatuor Euangelistas, & totius orbis, qui in quatuor partes diuiditur, promissionem, & septuaginta de senioribus Israel, numero scilicet septenario decuplato, qui pertinent ad significandum Spiritū sanctum. Sapphiro autem significatur vita cęlestis, maximè quia dictum est, Sicut aspectus firmamenti. Firmamentum autem cælum appellari, quis nesciat? Et forma lateris in eodē sapphiro quadraturā ipsam, vel stabilitatem, vel eiusdem quaternarii numeri sacramentum figurat. Quòd autē manducāt & bibunt in loco Dei, suauitatē saturitatēque præfigurat vel significat in illo regno æternitatis. Beati enim Matth. 5 qui esuriunt & sitiunt iustitiā, quoniā ipsi saturabuntur. Matth. 8 Vnde & Dominus dicit venturos multos (quos vtiq; nisi electos, præscitos, prædestinatos, vocatos, iustificatos, glorificatos?) & recubituros cum Abrahā & Isaac & Iacob in regno cælorum. Nam & alio loco ipse hoc Lucæ 12 promittit fidelibus suis, quòd faciat eos recūbere, & transeat & ministret eis.

Quid sibi vult quod Iesus Naue non commemoratus in illis quatuor, de quibus fit mentio, subitò cum Mose apparet, &c.

103 exod. 24 Quid sibi vult ꝙ Iesus Naue non cōmemoratus in illis quatuor, subitò cum Mose apparet, & cum illo ascēdit in montē ad accipiēdas tabulas Legis, & subitò rursus idem Iesus abscōditur, id est, tacetur, & Moses accepit Legē in duabus tabulis, & cum eo iterum apparet? An fortè significat nouum Testamentum nomine Iesu, & absconditum esse in Lege, & aliquando apparere intelligentibus? Quòd verò Iesus iam vocatur, cùm in libro Numerorum Numer. 14 quando id nomen acceperit, Scriptura testatur, quòd iam propè esset vt terram promissio nisintraret per Prolepsim, hoc est, per præoccupationem anticipat Scriptura, quod postea factum est. Omnia quippe ista posteaquā facta sunt, scripta sūt: ac per hoc quādo factū est quo modo cōmemoratur, nondū vocabatur Iesus: sed quando scriptum est, iam hoc vocabatur.

Quæ sint cymacia aurea versatilia in circuitu. 104

Et facies in ea cymacia aurea versatilia in Exod. 25 circuitu. Cymacia dixit quæ in quadratura extāt per quatuor partes, sicut mensæ quadræ fieri solēt, Nec quod ait versatilia, mobilia debem⁹ accipere. Fixa sunt enim, sicut dixi mensas habere solitas: sed versatilia dixit tortilia, quę Græcè vocātur σπεῖρα, vel canalibus sicut sunt columnæ tortiles, aut implicatis duab⁹ virgulis in modum restis, sicut etiā torques fieri solēt. Quòd autē ait, Et fabricabis illi quatuor annulos aureos, & impones super quatuor latera arcæ, duos annulos in latere vno, & duos annulos in latere altero, ad quatuor angulos occurrunt quatuor annuli, singuli in singulis, & per angulorū numerū fit, vt quod in duob⁹ lateribus ponitur, etiā in omnib⁹ quatuor ponatur. Vnus enim angulus duob⁹ lateribus cōmunis est. Alioquin nō occurrit, vt bini annuli ponantur per quatuor latera, cùm sint quatuor ānuli: octo quippe esse debuerūt, si aliter intelligimus q̄ quod dixi fieri numero angulorū. Ad hoc enim annuli in angulis ponūtur, ꝙ inducātur supportatoria vel gestatoria, quib⁹ arca quatuor hominib⁹ hīc atq; inde portetur.

Quæ sit ratio propitiatorii sic instituendi, & quid auri, & arcæ.

Propitiatoriū ad quid dicat superimponē- 105 dū super arcā quæri solet. Sed cùm aureū fieri exod. 25. iubeat, eiúsque lōgitudinē & latitudinē tantā exprimat, quāta & ipsius arcæ dicta est, proculdubio velut tabulā aurea tātę formæ fieri præcepit qua tegeretur arca, ita vt in ipso propitiatorio essent duo Cherubim, hinc atque inde alterutrum attēdentes, ita vt vultus eorum in propitiatoriū esset, & pēnis suis obūbrarēt propitiatoriū, quod magnū est sacramētum. Aurū quippe significat sapientiā, arca significat secretū Dei. In arca iussa sunt poni Lex, & māna, & virga Aarō. In Lege præceptasūt: virga potestatē significat, māna gratiā: quia nisi Iean. 3 cū gratia nō est potestas præcepta faciēdi. Veruntamē quia Lex à quouis ꝓficiēte nō ex omni parte cōpletur, propitiatoriū est desuper, Ad hoc enim opus est vt ꝓpitius sit Deus, & ideo desuper ponitur quia supexaltat misericordia iudicio. Duo verò Cherubī pēnis suis obūbrāt propitiatorium. i. honorāt velādo, quoniā mysteria ista ibi sunt, & inuicem se attēdunt, quia cōsonāt: duo quippe ibi testamētā figurātur. Et vultus eorū sunt in propitiatoriū, quia misericordiā Domini, in quavna spes est, valde cōmendāt. Deniq; hinc se ꝓmisit locuturū Deus ad Mosen de medio Cherubī de sursum propitiatorii. Porrò si creatura rationalis in multitudine sciētię, quoniā hāc interpretationē habēt Cherubim, duob⁹ ipsis animalib⁹ significatur, ideo duo sunt, vt societatē charitatis cōmendēt: ideo pēnis suis propitiatoriū obūbrant, quia Deo nō sibi tribuunt pēnas suas, id est, Deū honorāt virtutib⁹ quibus præstāt, & vult⁹ corū nō sūt nisi in propitiato

ec.

rium, quia cuicũq; prouectui ad multitudinẽ
scientiæ spes non erit, nisi in Dei misericordia.

Quomodo accipiendum sit illud, Erunt annuli in thecis suppor-
tatoriis ad tollendam mensam.

106 *exod.25.* Quòd ait, Erunt annuli in thecis supportatoriis ad tollendam mensam, hoc intelligendũ est, quòd annuli essent veluti thecæ supportatoriæ, id est, quo supportatoria tanquã in thecas inducantur. Erunt quippe in thecis, ita dictum est, tanquam diceretur, erunt pro thecis.

Quæ sit ratio, quòd tabernaculum fieri iubeatur decẽ aulæorũ,
quid sibi velit quòd tam sæpe dicit, Cherubim facies opere
textoris.

107 *Exod.26* Decẽ aulęorũ iubet fieri tabernaculũ, cùm sit Decalogus Legis. Aulęa verò significãt lati
Rom.13 tudinẽ propter facilitatẽ. Charitas quippe plenitudo Legis est, & nõnisi charitati sunt prẽcepta facilia: vnde ipsa dilatatio cõmendatur cũ
psal.17 dicitur, Dilatasti gressus meos subtus me, &
Roma.5 nõ sunt infirmata vestigia mea. Sed quoniã ista dilatatio per gratiã fit Dei (charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, nõ per nos ipsos, sed per Spiritũ sanctum qui datus est nobis) ideo hicmysticè ipse numerus etiã cõmẽdatur, qui pertinet etiã ad Spiritum sanctũ, per quẽ Lex posset impleri. Dicitur enim aulæũ lõgitudinem debere habere in cubitis vigintiocto. Iste autẽ numerus, quia per septenarium diuidendus est, significauit, cùm dicit latitudinẽ aulææ in cubitis quatuor. Quater enim septẽ, fiunt vigintiocto. Et est etiã iste numerus perfectus, quia sicut senarius suis partibus cõstat. Quòd verò tam sæpe dicit, Cherubim facies ea opere textoris, quid aliud quàm in his omnibus multitudinem scientiæ commendat, quod interpretatur Cherubim?

Quomodo & in qua significatione morali præcipiuntur fieri
sub tabernaculum vndecim vela capillacia, seu saga cili-
cina vt alia litera habet.

108 *Exod.26* Et facies vela capillacia operire super tabernaculũ: vndecim facies ea. Quę capillacia vela sunt, id est, cilicina, vndecim dicũtur esse. In peccatis quippe transgressio est. Transgressio verò vndenario numero significatur: quoniã transgreditur denarium, id est, Legẽ. Ideo ipsa vndecim per septenarium multiplicata, faciũt septuagintaseptem. Vbi significauit Dominũ
Matth.18 vniuersam remissionẽ peccatorum dicẽs, Nõ solùm septies, verumetiam septuagiessepties: quot generationes reperiuntur, cùm Lucas à Baptismo Domini enumerans sursum versus ascendit, & peruenit per Adã vsque ad Deum. Ad hoc enim fit significatio peccatorum in his velis, vt per confessionẽ exprimãtur, & per gratiam quæ data est Ecclesiæ aboleãtur, hoc est,
psal.31 tegãtur. Vnde dicitur, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Deinde iubet ea vela cooperiri pellibus arietinis rubricatis. Aries autẽ rubricatus, cui nõ occurrat Christus passione cruentatus? Significãtur his etiã Martyres sancti, quorum orationibus propitiatur Dominus peccatis populi sui. Ipsis deniq; superiaciuntur pelles hiacynthinæ, vt significetur vita æterna viriditate tanquam vigore perpetuo.

Quid significationis habeat quòd Græce dicitur, Facies duos
anconiscos.

Facies duos anconicos colũnæ vni cõsistentes ex aduerso, hoc est, vnũ hinc, & vnũ inde de 109 *Exod.26* lateribus colũnæ. Anconicos autẽ dicit quos vulgò vocamus ancones, sicut sunt in colũnis cellarũ vinariarũ, quibus incũbunt ligna quæ cupas ferũt. Ducta est autẽ similitudo verbi à cubitis, vbi flectũtur manus, quibus incũbunt recũbentes, qui Græcè ἀγκῶνες vocantur.

Quid sit illud, Basescolumnarum duas vni, &c.

Bases colũnarũ duas vni. Bases non eas tã 110 tũ videtur dicere Scriptura, quibus colũnæ ab *Exod.26* imo fulciũtur, sed etiã superiores quę capitella nos dicimus. Ideo dicit, Duas bases colũnæ vni in ambas partes eius. Nam quæ sunt ambæ partes, nisi inferior & superior?

Quomodo columnas octo & bases sedecim fieri præcipitur.

Quòd octo colũnas & bases earũ sedecim 111 secundum suprà dictam rationem à posterio- *Exod.26* ribus tabernaculi Scriptura dicit, cùm superius sex dixerit: intelligitur annumeratis duabus angularibus octo fieri.

Quæ sit differentia inter Sanctum, & Sanctum sanctorum, vt
bi dicitur, Et diuidet vobis velamen inter medium Sanctum
& inter medium Sanctum sanctorum.

Et diuidet vobis velamem inter medium 112 *Exod.26* Sanctum, & inter mediũ Sanctum sanctorum, id est, vt inter Sanctum, & Sanctum sanctorum sit hoc velamen, de quo nunc loquitur in quatuor columnis extentum. De hac differentia inter Sanctum & Sanctum sãctorum, ad Hebr. Epist. loquitur: quia vbi arca testimonii, ibi *Hebra.9* Sanctum sanctorum, hoc est, intrã intra velum: foris autẽ mensa & candelabrũ, & cætera quæ paulò antè dixit, quemadmodũ fierent, Sãcta dicta sunt, & nõ Sancta sanctorum. Et significatur foris vetus Testamẽtum, intus autẽ & nouum, cùm sit vtrunq; in lectione veteris testamẽti, & expressum operibus, & significatione figuratum. Ac per hoc in Sãctis figura figuræ, quia figura est veteris testamẽti: in Sãctis autẽ sanctorum figura est ipsius veritatis, quia figura est noui testamẽti. Totum quippe vetus testamentũ in his rebus & celebrationibus, quæ ita obseruanda præcipiuntur, figura est.

Cur præcipitur altare fieri trium cubitorum in altitudine, cùm
homo vix longior sit. Item quomodo sit per altare lignеum
sarcicium quod præcipitur possetinscdi.

113 De altari quæritur quomodo tribus cubi- *exod.27* tis altum esse voluerit, cùm tanta ferè sit statura hominis altitudo. Quomodo ergo ministrabatur altari, cùm gradus habere altare alio loco prohibeat? Ne pudenda, inquit, tua reueles *Exod 20* super illud. Sed illud dicebat de altari quod terra vel lapidibus construendum esset, vbi gradus ipsi coædificati ad corpus altaris vtique pertinerent: nunc verò de tabulis fieri altare præcepit, quò si apponeretur ad horam administrationis aliquid vbi staret minister altaris, & peracto ministerio tolleretur, ad

corpus

corpus altaris non vtiq; pertineret. Itē quæritur quomodo super altare ligneum sacrificiū quod inferebatur posset incendi: præsertim quia concauū fieri iubet, & craticulam deponi vsq; ad medium eius, id est, medium concauitatis eius, opere factum reticulato. An quoniam dixit, Et facies cornua in quatuor angulos: ex seipso erunt cornua, & teges illa æramento: non ad sola cornua referendum est quod ait, Teges illa æramento: sed ad omnia de quib⁹ loquebatur de altari fabricando præcipiens?

Quid per spiritum intellectus, & per stolas cum cornibus intelligatur.

114 *Exod. 28* Et tu loquere omnibus sapientibus mente, quos repleui spiritu intellectus. ἀιδήσεως quidem Græcus habet, quem Latinè sensum, non intellectum dicere solemus. Sed Scriptura de sensu interiore quem intellectum vocamus, sic loqui solet, sicuti est ad Hebræos, Perfectorum est autem solidus cibus, eorum qui per habitum exercitatos habent sensus ad discernendū bonum & malum. Ibi enim quod posuit sensus, Græcus habet αἰσθητηρια. Quem ergo istum spiritum, nisi Spiritum sanctum debemus accipere? Et stolas quas faciet, pectoralem, humerale, & tunicam talarem, & tunicam cum cornibus. Has appellatas stolas esse & cętera, cùm superius vnam stolam faciendā proposuisset, notandum est. Tunicam verò cum cornibus, honestius putarunt Latini interpretes dici, quàm si dicerent cum cirrhis, qui bene dispositi ornamento esse vestibus solent. *Hebræ. 5*

Quæ sint aspidiscæ, de quibus in alia translatione, quam Augustinus tenet, mentio fit & quid spithamus, & qui lapides in quibus nomina filiorum Israel inscripta dicuntur secundum natiuitates eorum.

115 *Exod. 28* Aspidiscas in veste sacerdotali quas dicat, vtrùm scutulas, quæ à scuto Latinè appellantur, quia & Græci scutum ἀσπὶς dicunt appellant. An verò aspidiscas propter diligentem colligantiam dicit ab aspide serpente, sicut etiam murenulæ appellantur. Spithamus autem longitudo, & spithamus latitudo, Latini quidam interpretati sunt mensuram extentæ palmę, à fine pollicis vsque ad finem digiti minimi. Item quod dicitur, Sumes duos lapides onichynos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel: sex nomina in lapide vno, & sex reliqua in altero, iuxta ordinem natiuitatis eorum: an intelligēdum sit vt lapides sint de nominibus filiorum Israel, secundum natiuitates eorum, id est, secundum ordinem quo nati sunt.

Quomodo rationale vocetur propter inopiam linguæ, quod Græcè non sic dicitur.

116 *Exod. 28* Et facies super rationale fimbrias complectētes opus cathenarū de auro puro, quod Latini rationale interpretati sunt, inopia linguę fecit. Græcus habet enim λόγιον non λογικὸν. Rationale autē illud solemus appellare, quod Græci dicunt λογικόν. Sed quoniam λόγος in Græca lingua ambiguum est, vtrùm verbum significet, an rationem, quia vtriusque rei nomen est vbi putatum est à verbo ductum λόγιον eloquium nostri interpretati sunt. Nam quod habem⁹, Eloquia Domini, eloquia casta, Græci habent λόγια. Hic verò in veste sacerdotali, quod ex auro, & hiacyntho, & purpura, & cocco duplici torto, & byssō duplici torta fieri præceptū: est quadratum duplex quod esset in pectore sacerdotis & λόγιον vocaretur: incertum, vtrùm à ratione, an à verbo ductū fuerit. Interpretes nostri à ratione dictum putantes, rationale appellauerunt. *Psalm. 18*

Quomodo præcipitur, Impones super rationale demonstrationem & veritatem.

Et impones super rationale iudicii demōstrationem & veritatem. Quid sibi hoc velit, vel in quali re vel metallo poneretur super rationale demōstratio & veritas, quoniam talia dicit fieri in veste sacerdotis, quæ corporaliter fiunt, inuenire difficile est. Fabulantur tamen quidam lapidem fuisse, cuius color, siue ad aduersa siue ad prospera mutaretur, quādo sacerdos intrabat in Sancta, & hoc esse quod ait, Et afferet Aaron iudicia filiorum Israel super pectus suum: ostendens videlicet in illa demonstratione, & veritate, quid de illis iudicauerit Dominus: quāquam possit intelligi demōstrationē & veritatē literis impositā super λόγιον. 117 *Exod. 28*

De tunicæ talaris, & peristomii cōfectione, secundū aliā literā.

Et facies tunicam talarem hiacynthinam, id est, vsque ad talos dependentem: & erit peristomiū ex ea mediū, id est, qua caput eiiciatur. Hoc est enim quod Græci dicunt περιστόμιον. Oram habens in circuitu peristomii, opus textoris cōtextum, id est, ne ipsa ora exrinsecus assuatur: hoc videtur dicere commissurā contextam. Vnde etiam addidit, Ex ipsa ne rūpatur, id est, vt ex seipsa sit ipsa ora contexta cū veste. 118 *exod. 28*

Quid significationis habeat, quòd Aaron intrantis & exeuntis in Sancta, vox stricte præcipitur audiri sub pœna mortis.

Et erit, Aaron, cùm cœperit fūgi sacerdotio audietur vox eius intranti in Sanctuariū in cōspectu Domini, & exeūti vt nō moriatur. Intrātis & exeuntis vocē de tintinnabulis dicit audiri, tantúmque ibi pondus obseruationis posuit vt diceret, Ne moriatur. Testimonia quæ dā significari voluit veste sacerdotali, qua vtiq; significatur Ecclesia, per hæc tintinabula, vt nota sit cōuersatio sacerdotis, sicut Apostolus dicit, Circa omnes teipsum bonorū operū præbens exemplū. Aut illud, Quę audisti à me per multos testes, hęc eadē cōmenda fidelibus & iis qui idonei sunt alios docere. An quid aliud? magnū tamē est quidquid illud est. Intrāti autē & exeunti, pro intrantis & exeuntis locutio est. Vox pro sonitu: nā tintinnabulorū magis sonus quàm vox est. 119 *exod. 28* *Titum 2* *2. Timoth. 2*

Quomodo sanctitas Domini formari iubeatur in Lamina aurea, & reliqua eiusdem loci.

120 *exod. 28.* Et facies laminam auream puram, & formabis in eadem formatione sanctitatem Domini, & impones illud super hiacynthum duplicem tortam, & erit super mitram secūdum aspectum mitræ erit, & erit supra frontem Aaron, vt auferat peccata Sanctorum, quæcun-

que sanctificabunt filii Israel, omnis datus sanctorum eorum. Quomodo formetur in lamina sanctitas Domini, non video, nisi aliquibus literis, quas quidam quatuor esse dicunt Hebræas, quòd vt Græci appellãt τετραγράμματον, nomẽ Dei ineffabile credũt fuisse vel esse adhucusque. Sed quælibet sint, vel quomodo libet se habeãt illæ literæ, vt dixi, sanctitatem Domini vel sanctificationem, si hoc magis dicendum est, quod Græcus habet ἁγίασμα, non nisi in auro literis formari potuisse crediderim. Ibi autem dicit sacerdotem Sanctorum auferre peccata, Quæcunque sanctificabũt, inquit, filii Israel, omnis datus sanctorum eorũ. Quod arbitror dictũ in eis sacrificiis, quę offerunt pro peccatis suis, vt non sanctorum hominum intelligamus, sed sanctorum ab eo quod sunt sancta, quæ offeruntur pro peccatis. Cùm ergo de lamina dixisset, adiunxit atque ait, Et auferet Aaron peccata eorum, quæcunque sanctificabunt filii Israel, omnis datus sanctorũ eorum, id est, sacerdos auferet quęcũque offerunt pro peccatis suis, quæ dicuntur & sancta, quia iustificantur: & peccata, quia pro peccatis offeruntur, sicut multis locis hoc ipsum euidẽter Scriptura cõmemorat. Quòd autem adiungit & dicit. Et erit super frontem Aaron semper acceptum illis in cõspectu Domini, ad laminam illam reuertitur. In quo aduertendum, si inueniri potest qui non habeat necessitatem pro suis offerre peccatis præter Christum, qui solus potest omnium auferre peccata, intelligitur frontis ornamẽtum, fiducia bonæ vitæ, quàm qui verè perfecteque, non significatione, sed veritate sacerdos habet, solus potest auferre peccata, nec habet necessitatem offerre pro suis.

Quomodo præcipiatur, vt manus Aaron & filiorum eius impleantur.

121 exod. 28. De Aaron & filiis Aaron cùm præciperet loquens ad Mosen, quomodo vestirentur & vngerentur, quid est quod ait, Et implebis manus eorum vt sacerdotio fungantur mihi? An fortè muneribus quę offerenda sunt Deo?

Quomodo femoralia linea præcipiuntur tegere turpitudinem sacerdotum.

122 exod. 28 Et facies eis femoralia linea, tegere turpitudinem corporis eorum: à lumbis vsque ad femora erunt. Cùm vestis tanta cooperiat totum corpus, quid est quod ait, Femoralia facies linea tegere turpitudinem corporis eorum, quasi apparere posset tanta desuper veste adhibita? Nisi quia signum esse voluit in hoc castitatis vel continentiæ, quæ ideo per indumentum significatur, vt non ex seipso habita, sed data intelligatur.

Quid significetur per cidaras,

123 exod. 28. Cùm de filiis Aaron loqueretur, Et indues eos, inquit, tunicas, & cinges eos zonis, & circundabis eis cidaras. Quam dicit cidarim vel cidaras, quoniam non est interpretatum, nec in vsu modò est, ignoratur. Puto tamẽ nõ esse capitis tegimen, vt nonnulli putauerunt. Neque enim diceret, Circũdabis eis, nisi tale aliquid esset, quod non capiti, sed corpori vsui est.

Quomodo sacerdotium filiorum Aaron dicatur sempiternum, cùm iam non sit.

Et erit illis sacerdotium mihi in sempiternum. Quomodo dicat in sempiternum, de his significatiuis rebus superius sæpe diximus. Nã vtique mutatum est hoc sacerdotiũ, vt ille esset inæternum secundum ordinem Melchisedech, non secundum ordinem Aaron. Ibi enim & iuratio, & nulla Dei pœnitudo, qua significetur mutatio. Iurauit enim Dominus, & nõ pœnitebit eum, tu es, inquit, Sacerdos inæternum secundum ordinem Melchisedech. De ordine autem Aaron dictum est quidem, In sempiternum, vel propter tempus non præceptum, quousque obseruaretur, vel quo res significaret æternas: nusquam est tamen dictũ de sacerdotio Aaron, Quia iurauit Dominus & non pœnitebit eum. Et ideo dictum est in illo sacerdotio secundum ordinem Melchisedech, Non pœnitebit eum, vt significaretur, quia de sacerdotio Aaron pœnituit eum, id est, mutauit illud. 124 Exod. 28 Psalmo 109

Quid per manus Aaron significetur, cùm dicitur, Et consummabis manus Aaron.

Quid est, Et consummabis manus Aaron, & manum filiorum eius? An per manus potestatem significauit, vt aliquid etiam ipsi conferre possent? Potestas autem sanctificatione consummabatur, qua præcepti sunt sanctificari à Mose. 125 exod. 28

Quomodo dicendo, Et superimponent Aaron & filii eius manus suas, &c. significetur, vnde suprà dictum sit, consummandas esse manus eorum.

126 exod. 29 Et adduces vitulum ad ostium tabernaculi, & superimponent Aaron & filii eius manus suas super caput vituli in conspectu Domini. Ecce vnde suprà dictum est, consummandas esse manus eorum, id est, perficiendam potestatem, vt etiam ipsi sanctificarent, quomodo fit, cùm ponunt manus suas super vitulum immolandum.

Quid odor Dei vocetur.

Quòd odor suauitatis sæpe Domino dicitur sacrificium de victimis pecorũ in Scripturis sacris, nõ vtique Deus odore fumi delectatur, sed tantùm illud quod hîc significatur spiritaliter Deum delectat, cùm spiritaliter exhibetur: quoniam ipse odor Dei spiritaliter intelligitur. Non enim sicut nos odorem corporeis naribus ducit. Sicut ergo ille olfacit, sic ista significant. 127 exod. 29

Quomodo pectusculum dicatur Aaron.

Et sumens pectusculum de ariete consummationis, quod est Aarõ, id est, ipsius Aaron. Hoc enim pertinere voluit ad summum Sacerdotem. 128 Exod. 29

Quomodo multa alia intelligantur, videlicet, Et erit Aaron & filiis eius legitimum æternum, Et stola Sancti, & reliqua sequentia

Et erit Aaron & filiis eius legitimũ æternũ à filiis Israel: cùm diceret de pectusculo & brachio 129 exod. 29

chio victimarum. More illo ergo æternum dixit, quem sæpe suprà commemorauimus. Et stola Sancti, quæ est Aaron, erit filiis eius post eum, vngere eos in ipsis & consummare manus eorum. Septem diebus vestiet se ea sacerdos, qui successerit ei de filiis eius, qui intrabit in tabernaculum testimonii, deseruire in Sanctis. Hæc verba multas quæstiones habent. Nam primùm hîc notandum est quomodo cum stolam dixerit Sancti, postea pluraliter dicit, Vngere eos in ipsis, tāquam in stolis. Nam & suprà multas stolas eas dixerat, quibus vna constaret: quanquam ambiguum sit, vtrū In ipsis ab eo quod sunt Ipsa genere neutro, quæcunque sunt, quibus illa stola complet ur, id est, vestis sacerdotalis: quod magis putandum est, eò quòd in consequentibus dicit, Septem diebus vestiet se ea sacerdos qui successerit ei. Ea scilicet omnia quæ commemorauit, quum vestē sacerdotalem describeret. Repetiuit sanè quod suprà dixerat, Consummare manus eorū. Vnde quid mihi videretur exposui. Quod verò ait, Septē diebus vestiet se ea sacerdos, nunquid aliis diebus se non vestiet? Sed illis septem cōtinuis intelligi voluit, quibus eius sacerdotium quodammodo dedicatur, atque hebdomadis est in eius inchoatione festiuitas. Successorem autem Aaron cū dicit, qui intrat tabernaculum testimonii, deseruire in Sanctis, eum scilicet significans, qui non poterat esse nisi vnus, non quales erant filii Aaron cum viuo patre suo, sed qualis successor ipsius Aaron. Quomodo ergo propriū dicit huius vnius esse, intrare tabernaculum testimonii, deseruire in Sanctis, cùm & illa quæ sunt extra velū quo velantur Sancta sanctorū, Sancta appellentur, & tabernaculum testimonii etiam illud vocetur vbi sunt Sancta, id est, mensa & candelabrum, vbi cùm deseruiant etiam sequentes sacerdotes ad mensam & candelabrum & ipsum altare, quomodo vnum dicit successorem Aaron, qui intret in tabernaculū testimonii deseruire in Sanctis? Si dixisset Deseruire in Sanctis sanctorū, nulla esset quæstio. Ad hæc enim vbi est arca testimonii solus vnus intrabat summus sacerdos, quod etiam in Epistola ad Hebræos diligentissimè cō mēdatur, Nisi fortè eoipso, quòd vnum dicit intrare in tabernaculum testimonii, deseruire in Sanctis, non vult vtique intelligi, nisi in Sāctis sanctorū: quia & ipsa vtique sancta appellantur. Nec enim omnia quæ Sancta sunt, etiā Sancta sanctorum dici possunt, quanuis econtrariò, quæ Sancta sanctorum sunt, proculdubio vtique Sancta sunt. Vnus autem iste qui semel in anno intrabat in Sancta sanctorum, quoniam Christum Iesum significabat, apertissimè suprà dicta ad Hebr. Epistola commēdatur. Quod autem præfiguratū est in Sancta sāctorum, vt super arcam quæ Legē habebat, esset Propitiatorium, vbi Dei misericodia significatur, intelligendum est quàm propitius sit peccatis eorum qui Legem non implent. Hoc mihi videtur etiam ipsa veste sacerdotis significari. Nam & ipsa quid aliud quàm Ecclesię Sacraměta significat, quòd in λογίῳ, id est rationali in pectore sacerdotis posito iudicia constituit: in lamina verò sanctificationem & oblationem peccatorum? tanquam rationale sit in pectore simile arcæ in qua Lex erat, & lamina illa in fronte similis Propitiatorio, quod super arcam erat, & vtrobique seruaretur quod scriptum est, Superexaltat misericordiam iudicio. Iacob. 2.

Quid præterea sit, quod purificatum & sanctificatum altare septem diebus dicit quod Sanctum sanctificerit.

Quid est, quòd purificatum & sanctificatum altare septem diebus dicit, quòd Sanctū sancti erit altare? Non quidem dicit Sanctum sanctorum, sicut est illud quod velo separatur vbi est arca testimonii. Veruntamen & hoc altare extra velum positum, per sanctificationem septem dierum dicit potius, quā per vnctionem fieri Sanctum sancti. 130 Exod. 29

Quomodo intelligatur, Omnis qui tetigerit altare sanctificabitur. Et quod dictum est, Subtortili corona eius in duobus lateribus, & quædam alia.

Et addit, Omnis qui tetigerit altare sanctificabitur, cum de annulis loqueretur altaris incensi, quod altare non inærari, sed inaurari iussit. Et duos annulos aureos puros facies, inquit, sub tortili corona eius, in duo latera facies in duobus lateribus. Quoniā Græcus habet ita, εἰς τὰ δύο κλίτη ποιήσεις ἐν τοῖς δυσὶν πλευραῖς: nē clitæ latera sunt, & pleuræ latera sunt. Vnde quidā Latini sic interpretati sunt, In duas partes facies in duobus lateribus. Non autē ait Græcus μέρη, quod est partes: sed κλίτη, quod latera. Nam hoc verbum est in illo Psalmo vbi scriptum est, Vxor tua sicut vinea fertilis in lateribus domus tuæ. Ac per hoc tantùm casus interest, quia prius accusatiuum, pòst verò ablatiuum posuit, In duo latera facies, in duobus lateribus. Quis autem sit sensus, difficilè est assequi, nisi fortè vt solet Scriptura amare eclipsim, vt aliquid desit & subaudiatur, etiam hîc subaudiatur Erūt: vt iste sit sensus, In duo latera facies, in duobus lateribus erunt, id est, ad duo latera facies annulos, quoniam in duobus lateribus erunt. 131 Exod. 29 Exod. 30. Psalmo. 127

Quid sit, Et arcus amitibus, Et vtrùm arcus antheca debeant dici.

Et erunt arcus amitibus, ita vt tollatur illud in eis. Quos annulos dixerat, arcus dicit. Annulos quippe pro rotundis ansis posuit. Et quid est aliud annulus vel circulus, nisi vndique arcus? Ideo quidam nolentes arcus 132 exod. 30

dicere, Thecas interpretati sunt, quibus amites inducerentur, dicentes, Et erunt Thecæ amitibus, quasi Græcum hoc non posset dicere, cùm etiam Thecę Græcum verbum sit. Dixit autem ψαλίδας, quod arcus interpretatur.

Quomodo intelligendum sit incensum continuationis, Et quomodo tantùm semel in anno exorabit Aaron de sanguine purificationis, & quædam alia.

133

Exod.30 Incendet super illud incensum continuationis in conspectu Domini, in progenies eorum. Continuationis incensum dicit, quod cõtinuatim fieret, id est, nullo die prętermitteretur. Cùm de altari pręciperet incensi, id est, in quo incensum tantùm poneretur, non holocaustum, non sacrificium, nõ libatio, predixerat idipsum incensum quotidie poni debere. Nũc autem dicit, Et depropitiabit Aaron vel exorabit super cornua eius semel in anno de sanguine purificationis delictorum. Depropitiabit, ab eo quod est depropitiatio, quæ Græcè dicitur ἐξιλασμός. Vnde etiam intelligendum est hoc quod semel in anno iubet fieri ad propitiandum Deum super cornua altaris incensi, id est, vt de sanguine purificationis delictorũ, victimarũ scilicet quę offeruntur ꝓ delictis semel in anno, tangãtur cornua altaris incensi, non pertinere ad illam appositionem incensi, quam quotidie fieri iusserat. Illa enim fiebat aromatibus, non sanguine, & quotidie, nõ semel in anno. Non ergo simus intellecturi semel in anno intrare sacerdotem solere in Sãcta sanctorum, sed semel in anno cum sanguine: & quotidie quidem solere intrarè sine sanguine causa incensi imponendi: cum sanguine autem semel in anno: maximè quia sequitur & dicit, Semel in anno purificabit illud, Sanctũ sanctorum est Domino. Non ergo semel in anno ponet illic incensum, quod quotidie fieri iussum est. sed semel in anno purificabit illud, quod cũ sanguine fieri debere pręceptum est. Et post hoc adiungit, Sãctũ sanctorum est Domino: ac per hoc Sãctum sanctorũ non extra, sed intra velum erat, etiã illud profectò altare de quo nunc agitur, quod poni cõtra velum intrin secus iussit.

Quid sit quod ait, Si acceperis computationem filiorum Israel in visitationem eorum.

134

Exod.30 Quid est quod ait, Si acceperis computationem filiorum Israel visitationem eorum, nisi quia iubet eos aliquando visitari & computari, id est, numerari? Quod in Dauid propterea vindicatũ intelligẽdum est, quia Deus non iusserat.

2.reg.24

Quomodo præcipiuntur vt omnia vnguantur vnguento chrismatis, & quædam alia subsequentia.

135

Exo.30 Aduertendum est etiam & notandũ quẽadmodum vnguento chrismatis omnia iussit vngi, tabernaculum scilicet, & ea quæ in illo erant: & deinde erunt Sancta sanctorũ. Omnia scilicet cùm fuerint vncta, erunt Sancta sanctorum. Quid igitur distabit iam inter illa interiora, quę velo teguntur, & cæ si omnia cum vncta fuerint erunt Sãcta sanctorum, diligentius requirendum. Hæc tamen notanda crediderimus, vbi etiam meminerimus, quòd sicut de illo altari sacrificiorum, quod post vnctionem appellari voluit Sãctum sancti, continuò dictum est, Omnis qui tangit illud sanctificabitur: ita de omnibus postea quæ de illo vnguento vncta dicta sunt Sancta sanctorum, eadem sententia subsecuta est, vt diceretur, Omnis qui tangit ea sanctificabitur. Quod duobus modis intelligi potest, siue tangendo sanctificabitur, siue sanctificabitur vt ei liceat tangere, si tamen non licebat tangere populo tabernaculum, quando offerebat hostias, vel quæcunque ab eis oblata offerebantur Deo. Nam cõsequenter nõ solis Sacerdotibus, neque solis Leuitis dicendũ admonet quod ait ad Mosen, Et filiis Israel loquere dicens, Vtique filii Israel totus ille populus erat. Iubet autem illis dici, Oleum, linitio vnctionis, sanctũ erit hoc vobis in progenies vestras. Super carnem hominis non linietur, & secundum compositionem hanc non facietis aliud: quia similiter sãctum est, & sanctificatio erit vobis. Quicunque fecerit similiter, & quicunque dabit de eo exteræ nationi, interibit de populo suo. Iubet igitur nõ solis Sacerdotibus, sed vniuerso populo Israel, vt non faciant tale vnguẽtum in vsus humanos. Hoc est enim quod ait, Super carnem hominis non linietur. Prohibet ergo simile fieri in vsus suos, & interitũ minatur si quisquã similiter fecerit, id est, vnguentũ ad vsus suos. Similiter si simile cõfecerit, vel cuiquã hinc dederit exterę nationi. Ac per hoc quod ait, Sanctificatio erit vobis, cùm hoc populo Israel vniuerso dici iubet, non video quid intelligã, nisi quia licebat eis quãdo veniebant cũ suis quisque muneribus tangere tabernaculum, & tangendo sanctificabantur propter illud oleum quo cuncta perũcta sunt, & hinc dictũ, Omnis qui tangit sãctificabitur. Nõ tamẽ sic quemadmodum Sacerdotes, qui vt æterno sacerdotio fungerẽtur, vngebantur ex illo.

Quid sit opus vnguentarii.

136

Exo.30 Quòd præcepit quibus aromatibus fiat thymiama, id est, incensum, & dicit vnguentario more coctum opus vnguentarii, non ideo putare debemus vnguẽtum fieri, id est, vnde aliquid vngatur, sed vt dictum est thymiama, vel incensum quod imponatur illi altari incensi, vbi non licebat sacrificari: & erat intra Sancta sanctorum.

De discrimine inter altare incensi & tabernaculum testimonii.

137

Exod.30 Et cõcides de illis minutim: & pones cõtra testimonia in tabernaculo testimonii, vnde in notescã tibi inde, in Sanctũ sanctorũ erit tibi incẽsum. Ecce iterũ hoc incensũ quia intus ponebatur ad altare incẽsi quod intus erat, Sanctum sanctorum dicitur, & tabernaculum testimonii

ſtimonii propriè dicitur illud ipſum interius vbi arca erat, adhibita ſanè differentia, cùm ait, Vnde innoteſcã tibi inde. Sic enim dixerat primùm de propitiatorio, quod vtique intus eſt, id eſt, intra velum ſupra arcam.

Quis ſpiritu Beſeleel architectus repletus dicitur, & quomodo Spiritus ſanctus necdum nominatus ſub proprio vocabulo reperiatur.

138 Exod. 31 Quid eſt quòd Beſeleel cùm iuberet adhiberi operibus tabernaculi faciẽdis, dixit eum ſe repleuiſſe Spiritu diuino ſapientiæ & intellectus & ſcientiæ, in omni opere excogitare & architectonari? &c. Vtrùm Spiritus ſancti muneri etiam iſta opera tribuenda ſunt, quæ pertinere ad opificium videntur, an & hoc ſignificatiuè dictũ eſt, vt ea pertineant ad Diuinũ Spiritum ſapientiæ & intellectus & ſcientiæ, quæ his rebus ſignificantur? Tamen etiam hîc cùm Spiritu repletus dicatur iſte Diuino ſapientiæ & ſciẽtiæ, nondum legitur Spiritus ſanctus.

Quid ſibi velit, quòd cùm de Sabbato obſeruando præciperet ait, Teſtamentum æternum in me & filiis Iſrael: & non ait inter me & filios Iſrael.

139 Exod. 31 Quid ſibi vult quòd cùm de Sabbato obſeruando præciperet ait, Teſtamentũ æternũ in me & filiis Iſrael: non ait, Inter me & filios Iſrael? An quia Sabbatum requiem ſignificat, & requies nobis non eſt niſi in illo? Nam profectò filios Iſrael vniuerſum populum ſuum dicit, id eſt, ſemen Abraham, & eſt Iſrael ſecundum carnem & ſecundum ſpiritum. Nam ſi Iſrael non eſſet dicendus, niſi ex genere carnis, non diceret Apoſtolus, Videte Iſrael ſecundum carnẽ: vbi profectò ſignificat eſſe Iſrael ſecundum ſpiritum, qui in abſcõdito Iudæus eſt & circunciſus corde. Sic ergo melius fortaſſe diſtinguitur, teſtamentum æternum in me, vt inde alius ſit ſenſus, Et filiis Iſrael ſignum æternum, id eſt, æternæ rei ſignũ: quomodo Petra erat Chriſtus, quia Petra ſignificabat Chriſtum. Non ergo ita intelligendum eſt teſtamentum æternum in me & in filiis Iſrael, tanquam in Deo & filiis Iſrael ſit hoc teſtamentum æternum: in me, quia in illo promiſſa eſt requies æterna: & filiis Iſrael ſignum æternum, quia filii Iſrael acceperũt obſeruãdum ſignum, quo requies ſignificatur æterna veris Iſraelitis, hoc eſt, filiis promiſſionis & viſuris Deum facie ad faciem ſicuti eſt.

2. Cor. 10 Rom. 2 1. Cor. 10

Quomodo in ſine poſt tantum fermonem dantur Moyſi tãtùm duæ tabulæ lapideæ

140 Exod. 31 Et dedit Moſi ſtatim vt ceſſauit loqui ad eum in monte Sina duas tabulas teſtimonii, tabulas lapideas ſcriptas digito Dei. Quum tam multa locutus ſit Deus, duæ tantũ tabulæ dantur Moſi lapideæ, quæ dicuntur tabulæ teſtimonii, futuræ in arca. Nimirum omnia cætera quæ præcepit Deus ex illis decem præceptis quæ duabus tabulis conſcripta ſunt, pendere intelliguntur, ſi diligenter quærantur & bene intelligantur, quomodo hæc ipſa rurſus decẽ præcepta ex duobus illis, dilectione ſcilicet Dei & proximi, in quibus tota Lex pendet & Prophetæ.

Qua de cauſa Aaron iuſſit inaures tolli vxorum & filiarum, vnde Deos faceret.

Quòd iubet Aaron inaures demi ab auribus vxorum atque filiarum, vnde illis faceret deos: non abſurdè intelligitur difficilia præcipere voluiſſe, vt hoc modo eos ab illa intentione reuocaret. Factum tamen illud ipſum difficile vt eſſet aurum ad faciendum idolum, propter eos notandum putaui, qui contriſtantur ſi quid tale propter vitam æternã Diuinitus fieri, vel æquo animo tolerari iubeatur. 141 Exo. 32

Quomodo Moſi dictũ ſit, Hi Dii tui Iſrael &c. cùm hoc populus non dixerit.

Dominus indicans Moſi quid fecerit de vitulo populus, hoc eſt, de idolo quod ex auro ſuo fecerant, dicit eos dixiſſe, Hi dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Quod eos dixiſſe non legitur, ſed animum eorum hunc fuiſſe Deus oſtendit. Horum quippe verborũ gerebant in corde ſententiam, quæ Deum latere non poterat. 142 Exo. 32

Quid per malitiam intelligatur, cùm dicitur, Et propitiatus eſt Dominus de malitia, quã dixit facere populo ſuo.

Et propitiatus eſt Dominus de malitia quam dixit facere populo ſuo. Malitiam hic pœnã intelligi voluit, ſicuti eſt, A Eſtimata eſt malitia exitus illorum. Secundum hanc dicitur bonum & malum à Deo, non ſecundum malitiam qua homines mali ſunt. Malus enim Deus non eſt, ſed malis ingerit mala, quia iuſtus eſt. 143 Exod. 32 Sapien. 3

Quid myſticæ ſignificationis habeat quòd Moſes tabulas fregit terrãdas & quomodo tam ſua ſupplicatione pro populo ad Deum laborauerit, qui tam ſeuerus in vindicando poſtea extitit.

Iratus quidem Moſes videtur tabulas teſtimonii, digito Dei ſcriptas colliſiſſe atque fregiſſe. Magno tamen myſterio figurata eſt iteratio Teſtamẽti noui, quoniam vetus fuerat abolendum & conſtituendum nouum. Notandum ſanè quanta pro populo ad Deum ſuppli catione laborauerit, qui tã ſeuerus in eos vindicãdo extitit. Quòd autem in ignem miſſum vitulum fuſilem contriuit & in aquam ſparſit, quam populo potum dedit, quid nobis videatur ſignificare, iam alibi ſcripſimus in opere contra Fauſtum Manichæum. 144 Exod. 32 Cõtra Fauſtũ li. 22. Cap. 93

Quomodo Aaron dicat, Et dederunt mihi, & miſi in ignem, & exiit vitulus hic.

Et dederunt mihi, & miſi in ignem, & exiit vitulus hic. Compendio locutus eſt, non dicens quòd ipſe formauerit vt exiret vitulus fuſilis. An excuſationis cauſa timendo mentitus eſt, tanquam ipſe in ignem periturum aurum proiecerit, atque ipſo non id agente forma vituli exierit? Quod ideo non eſt credendum hoc eum animo dixiſſe, quia nec latere Moſen poſſet quid eſſet in viro, cũ quo Deus loquebatur, & fratrem de mendacio non redarguit. 145 Exod 9 3

Quomodo Aaron dicatur populum dissipasse, quum ipsi petierint.

146 Exod. 32 Et cùm vidisset Moses populum, quia dissipatus est: dissipauit enim eos Aaron, vt in gaudium venirēt aduersariis suis. Notandum est quemadmodum illud totum malum quod populus fecit, ipsi Aaron tribuatur, quòd eis consenserit ad faciendum quod malè petiuerant. Magis enim dictum est, Dissipauit eos Aaron, quoniā cessit eis, quàm dissipauerunt se ipsi qui tantum malum flagitauerunt.

Quo pacto Moses dixerit, Dimitte populo, aut dele me de libro tuo quem scripsisti, &c.

147 Exod. 32 Cū Moses dicit ad Deū, Precor, peccauit populus iste peccatum magnum, & fecerūt sibi deos aureos. Et nunc siquidem remittis illis peccatum illorum, remitte: sinautem, dele me de libro tuo quem scripsisti. Securus quidem hoc dixit, vt in consequentibus ratiocinatio concludatur, id est, vt quia Deus Mosen non deleret de libro suo, populo peccatū illud remitteret. Verum tamen aduertendum est quantum malum in illo peccato perspexerit Moses, quod tanta cæde crediderit expiandū, qui eos sic diligebat, vt pro eis illa verba Deo funderet.

Cur nulla vindicta in Aaron processerit, quum tamen dictus sit dissipasse populum, & fac. mam vitulificisse.

148 Exod. 32 Meritò quæritur, quum superius populū dissipasse dictus sit Aarō, cur in ipsum vindicta nulla processerit, neque quum Moses interfici iussit omnem qui Leuitis euntibus ad portam & redeuntibus occurrisset armatis, neque cùm postea factum est quod Scriptura dicit, Et percussit Dominꝰ populum propter facturam vituli, quem fecit Aaron: maximè quia & hic hoc idem repetendo inculcatū est. Non enim dictum est, Et percussit Dominus populum propter facturam vituli quem fecerunt: sed quem fecit Aaron. Et tamen non est percussus Aaron. Quinetiam illud quod de sacerdotio eius ante peccatum eius Deus præcipiebat, impletū est: sed iussit & ipsum & filios ablui, & sic ordinati sunt in sacerdotio. Ita nouit ille cui parcat vsque ad cōmutationem in melius, & cui parcat ad tempus, quāuis eum præscierit in melius non mutari: & cui non parcat vt mutetur in melius, & cui non parcat ita vt vitæ mutationem eius expectet. Et hoc totum ad id redit quod Apostolus dicit exclamās, Quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Roma. 11

Quomodo & quare irascendo dicat Deus, Vade ascende hinc tu & populus tuus quem eduxisti de terra AEgypti. Et quomodo Deus dixerit eidem Mosi, Sine me, & ira tua conteram eos. An iubendo, an petendo, quum neutrum maiestati Diuinæ conueniat, & quid nobis in hoc significetur.

149 Exod. 33 Vade & ascende hinc tu & populus tuus quē eduxisti de terra AEgypti. Deus iratus dicere videtur, Tu & populꝰ tuꝰ quē eduxisti de terra AEgypti. Alioquin dixisset, Tu & populꝰ meꝰ, quē eduxisti de terra AEgypti: sed illi quādo idolū poposcerūt ita locuti sunt, Mosi enim, hic homo qui eduxit nos de terra AEgypti, non scimus quid factum sit ei. Liberationē suam in hominem constituendo defecerant. Hoc eis modò replicatur cùm dicitur, Tu & populus tuus, quem eduxisti de terra AEgypti, quod illis est criminis, & non Mosi. Non enim aliud volebat Moses, nisi vt non in illo, sed in Domino spem ponerent: & Domini misericordia se cum gratiarum actione crederēt ab illa seruitute liberatos, cuius tamen apud Deum tanquam fidelissimi famuli tantum erat meritum per illius gratiam, vt ei diceret Deus, Sine me, & iratus conteram eos. Quod vtrum iubētis sit cùm ait, Sine me: an quasi petentis sit, vtrunque videtur absurdum. Nam etsi iubebat Deus, inobedienter famulus non parebat: & Deum hoc à seruo velut pro beneficio petere non decebat, cùm præsertim posset eos etiam illo nolente conterere. Ille itaq; ibi sēsus in promptu est, quòd iis verbis significat Deus plurimùm apud se prodesse illi populo, quia sic ab illo viro diligebantur, quem sic Dominus diligebat, vt eo modo admoneremur, cùm merita nostra nos grauassēt ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorū meritis posse quos Deus diligit. Nam cùm ab Omnipotēte dicitur homini, Sine me & conteram eos, quid aliud dicitur, quàm Cōterem eos, nisi diligerentur abste? Ita ergo dictū est Sine me, ac si diceretur, Noli eos diligere, & cōteram eos: quia ne id faciam dilectio tua in illos intercedit mihi. Obtemperandum autem esset Domino dicenti, Noli eos diligere, si hoc iubendo dixisset, & non potius admonēdo & exprimendo quid illum ab eorum supplicio reuocaret: nec tamen etiam illo interce dente sine flagello disciplinæ populum dereliquit. Nescio quo enim modo vt sic eos diligeret ipse Moses Deus illos occultius diligebat, qui manifesta voce terrebat.

Quomodo Dominus quasi per apostrophen conuertens sermonē ad populum plus misericordiæ in Angelo qui populum ducat, quàm in se esse significet.

Vbi dicit Deus ad Mosen, Vade & ascē- 150
de hinc tu & populus tuus, quem eduxisti de Exod. 3
terra Aegypti, in terram quam iuraui Abraham, Isaac & Iacob dicens, Semini vestro dabo eam: continuò tanquam ad ipsum Mosen adhuc loquatur, occulta cōuersione, quæ Græcè ἀποστροφὴ dicitur, iam ad ipsum populum loquitur dicēs, Et simul mittam Angelum meū ante te, & eiicet Chananæum & Amorrhæum & Hethæū & Pherezæū & Gergesæum & Euæum & Hiebusæum: & introducet te in terram fluentem lac & mel. Non enim ascendam tecum, quia populus dura ceruice es, vt nō deleam te in via. Magna sacramēti & mira profunditas, tanquam misericordiā maiorem posset Angelus habere quàm Deus, qui populo

duræ

dure ceruicis parceret, cui Deus, si cum illis esset, ipse non parceret: & tamen etiam per Angelum suum se quodammodo ab eis absente, qui nusquam esse absens potest, implere se dicit quod patribus eorum iurauit, tanquam & hic ostẽdens hoc se ideo facere, quia illis patrib⁹ iustis promisit, non quòd isti digni essent. Quid ergo significat, nisi fortè ideo se non esse cum eis, quia dura ceruice sunt: quia non eum propitium sed salubrem, nisi humilitas & pietas capit? Esse autem Deũ cum duræ ceruicis hominibus, nihil est aliud quàm vindicando adesse atque puniendo. Vn
Psal.50 de cùm eo modo malis non adest parcẽdo, facit quod pertinet ad illud quod dicitur, Auer
Psal.67 te faciem tuam à peccatis meis: quia nisi auertit, aduertit. Sicut enim fluit cera à facie ignis, sic pereunt peccatores à facie Dei.

Quomodo Moses volens manifeste seu sciẽter videre Deũ, duplicem se habere dilectionem significet, &c.

151 Et dixit Moses ad Dominũ, Ecce tu mihi
Exod. 33 dicis, Deduc populũ hunc: tu autẽ non demõstrasti mihi quẽ simul mittas mecũ. Tu autẽ dixisti mihi, Scio te prę omnib⁹, & gratiã habes apud me. Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo: ostende mihi temetipsum manifestè, vt videam te, vt sim inueniens gratiam ante te, & vt sciam, quia populus tuus est gẽs hæc. Quod habet Græcus γνωστῶς, hoc quidem Latini interpretati sunt manifestè, quum Scriptura nõ dixerit φανερῶς. Potuit ergo fortasse poti⁹ dici, Si inueni gratiã in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum, vt scienter videam te. Quibus verbis satis ostendit Moses, quòd non ita videbat Deum in illa tanta familiaritate conspectus, vt desyderabat videre: quoniam illæ omnes visiones Dei quæcunq; mortalium præbebantur aspectibus, & ex quibus fiebat sonus quo mortalis attĩgeretur audit⁹, sic exhibebãtur, assũpta sicut Deus volebat specie qua volebat, vt non in eis ipsa vllo sẽsu corporis sentiretur Diuina natura, quæ inuisibilis vbiq; tota est, & nullo cõtinetur loco. Et quia in duo-
Math. 22 bus præceptis, hoc est, dilectionis Dei & proximi tota Lex pendet: ideo Moses in vtroque suum desyderium demonstrabat: in dilectione scilicet Dei, vbi ait, Si inueni gratiã in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifestè, vt videam te, vt sim inueniens gratiam in cõspectu tuo. In dilectione autẽ proximi vbi ait, Et vt sciã quia populus tuus est gẽs hęc.

Quid sit quod dicit Deus, Quoniã scio te præ omnibus ex nomine.

152 Quid est quòd dicit Deus ad Mosẽ, Quo-
Exod.33 niã scio te præ omnibus? Nunquid ergo Deus nouit plus aliqua, & aliqua min⁹? An secundũ
Math 25 quod dicitur quibusdã in Euãgelio, Non noui vos? Secundũ hanc enim scientiã qua Deus dicitur scire quæ illi placẽt, nescire quæ displicẽt, nõ quia ignorat ea, sed quia nõ approbat, sicut ars rectè dicitur nescire vitia cùm improbat vitia. Præ omnibus Deus Mosen sciebat, quia Deo præ omnibus Moses placebat.

Quomodo dicat Moses dixisse Deum, Scio te præ omnibus, prius quam hoc alicubi legatur.

153 Notandum est, quòd prius ipse Moses di
Exod.33 xerat Deo, Dixisti mihi, Scio te præ omnibus: quod illi Deus posteaquam hoc ipse dixit legitur dixisse, ante autem non legitur: vt intelligamus non omnia esse scripta quæ cum illo Deus locut⁹ est: sed diligentius inquirẽdũ est in priorib⁹ Scripturæ partib⁹, an vero ita sit.

Quid significationis habeant illa verba, Ego vocabo nomine Domini, vel nomen Domini: non enim scriptum est, Vocabor, &c.

154 Cùm autẽ dixisset Moses ad Dominum,
Exod.33 Ostende mihi gloriam tuam, respõdit ei Dominus, Ego transibo ante te in gloria mea, & vocabo nomine Domini in conspectu tuo, & miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero: cùm paulò antè dixisset ipse, Antecedam te, & requiem tibi dabo. Quod Moses sic videtur accepisse, Antecedam te, tanquam non ei popu-
Iob 33 lo, qui presens in itinere futurus esset: & ideo ait, Si non tuipse simul veneris nobiscum, ne me educas hinc, &c. Deus autem neque ei hoc negauit dicens, Et hoc tibi verbum quod dixisti faciam. Quomodo ergo cùm dixisset ei Moses, Ostende mihi gloriam, rursus tanquã præcessur⁹, & non cum eis simul futur⁹ videtur dicere, Ego trãsibo ante te: nisi quia hoc aliud est? Ille quippe intelligitur loqui & dicere, Transibo ante te: de quo dicit Euangelium, Cùm veniisset hora vt transiret Iesus de hoc mundo ad Patrem: qui transitus etiam pascha interpretari perhibetur. Hæc itaque magna omnino prophetia est. Ipse enim ante om nes Sãctos trãsit ad Patrem de hoc seculo, parare illis mansiones regni cælorum, quas dabit eis in resurrectione mortuorum: quoniam trãsiturus ante omnes primogenitus à mortuis factus est. Gratiam verò suam in eipso valde cõmendat, cùm dicit, Et vocabo nomine Domini in conspectu tuo, tanquam in conspectu populi Israel, cuius Moses cùm hæc audiret typum gerebat. In conspectu enim gentis ipsius vbique dispersæ vocatur Dominus Christus in omnibus gentibus. Vocabo autem dixit, non vocabor, actiuũ verbũ ꝓ passiuo ponens genere locutionis inusitato, in quo nimirum magnus sensus latet. Sic enim fortasse significare voluit seipsum hoc facere, id est, gratia sua fieri, vt vocetur Dominus in omnibus gẽtibus. Quòd verò addidit, Et miserebor cui misert⁹ ero, & misericordiã prestabo cui misericordiã prestitero, ibi planè expressi⁹ ostẽdit vocationẽ qua nos vocauit in suũ regnũ & gloriã, non ꝓ meritis nostris, sed ꝓ misericordia sua. Quoniã enim se gẽtes introducturũ pollicebatur dicens, Vocabo nomine Domini in cõ spectu tuo: commendauit se hoc misericorditer facere, sicut Apostolus dicit, Dico enim *Rom.15* Christum ministrum fuisse circuncisionis ꝓpter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum: gẽtes autem super misericordia

glorificare Deum. Hoc ergo prædictum est, Miserebor cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero. Quibus verbis prohibuit hominem velut de propriarum virtutum meritis gloriari, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim ait, Miserebor talibus vel talibus, sed cui misericors fuero: vt neminem præcedentibus bonis operibus suis misericordiam tantæ vocationis meruisse demonstraret. Etenim Christus pro impiis mortuus est. Sed vtrùm hoc idem repetere voluerit cùm addidit, Misericordiã præstabo cui misericordiam præstitero, vel sicut alii interpretati sunt, Cui misericors fuero: an aliquid interfit, nescio. Quod enim Græca lingua duobus verbis dictũ est ἐλεήσω & οἰκτειρήσω, quod vnum atque idem videtur significare, nõ potuit Latinꝰ diuersis verbis dicere: sed diuersis modis eandẽ misericordiã repetiuit. Si autẽ diceretur, Miserebor cui misereor, aut miserebor cui misertꝰ ero: nõ satis cõmodè dici videretur, & tamẽ fortius illeipse ibi sensus est, quòd aut ipsius misericordiæ suæ firmitatẽ Deus ista repetitione monstrauit, sicut Amẽ amen, sicut Fiat fiat, sicut repetitio sõnii Pharaonis, pluraque similia. aut in vtrisque populis, id est, gentibus & Hebræis, hoc modo Deus prænuntiauit misericordiam se esse facturum. Quod Apostolus ita dicit, Sicut enim vos aliquando nõ credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis in illorum incredulitate: sic & ipsi nunc qui non crediderunt in vestra misericordia, vt & ipsi misericordiã consequantur. Conclusit enim Deus omnes in incredulitate, vt omnium misereatur. Deinde post hanc suæ misericordiæ commẽdationem, respondet ad illud quod ei dictũ fuerat, Ostende mihi gloriam tuam, vel quod suprà petiuerat Moses dicens, Ostende mihi temetipsũ manifestè, vt videam te, Non poteris (inquit) videre faciem meam: non enim videbit homo faciem meã & viuet: ostendẽs huic vitæ quæ agitur in sensibus mortalibus corruptibilis carnis, Deum sicuti est apparere non posse, id est, sicuti est videri in illa vita potest, vbi vt viuatur huic vitæ moriendum est. Item interposito articulo dicente Scriptura, Et ait Dominus, sequitur & loquitur, Ecce locus penes me. Quis enim locus nõ penes Deum est, qui nusquam est absens? Sed Ecclesiam significat dicendo, Ecce locus penes me: tanquam templum suum commendans. Et stabis (inquit) supra petram: quia super hanc petram, ait Dominus, ædificabo Ecclesiam meam. Statim vt transiet gloria mea, id est, statim vt transiet gloria mea, stabis supra petram: quia post trãsitũ Christi, id est, post passionem & resurrectionẽ Christi, stetit populus fidelis supra petram. Et ponam te (inquit) in cauerna petræ. Munimen firmissimum significat. Alii autem interpretati sunt, In spelunca petræ. Sed Græcus habet ὀπὴν. hoc enim foramẽ vel cauernã rectiꝰ interpretamur. Et tegam manu mea super te, donec trãseam: & auferam manum meã, & tunc videbis posteriora mea, facies autem mea non videbitur tibi. Cùm iam dixisset, Stabis super petrã, statim vt transiet gloria mea: vbi intelligitur post trãsitum suum promisisse super petram stabilitatẽ. Quomodo accipiendum est quod ait, Ponã te in cauernam petræ, & tegã manum meam super te, donec, &c. quasi iam illo in petra cõstituto, tegat manum suam super eum, & deinde transeat: cùm esse in petra non possit nisi post eius transitum? Sed recapitulatio intelligenda est rei prætermissæ, quali solet vti Scriptura in multis locis. Postea quippe dixit quod ordine temporis prius est. Qui ordo ita se habet, Tegam manum meam super te, donec transeam, & tunc videbis posteriora mea: nam facies mea nõ videbitur tibi. Et stabis super petram, statim vt transiet gloria mea: & ponam te in cauerna petræ. Hoc enim factum est in eis quos tunc significabat persona Mosi, id est, Israelitis, qui in Dominum Iesum sicut Actus Apostolorum indicant, postea crediderunt, id est, statim vt trãsiet eius gloria. Nam postea quam resurrexit à mortuis, & ascendit in cælum, misso de cælo Spiritu sancto, cùm linguis omnium gentium loquerẽtur Apostoli, compuncti sunt corde multi ex eis qui crucifixerãt Christum, quem si cognouissent, nũquam Dominum gloriæ crucifixissent. Cæcitas ex parte Israel facta est, sicut dictum fuerat, Tegam manum meam super te, donec transeam. Vnde Psalmus dicit, Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: diem appellãs, quãdo Christus Diuina miracula faciebat, nocte, quando sicut homo moriebatur, quando & illi titubauerũt qui in die crediderãt. Hoc est ergo Cùm trãsiero, tũc videbis posteriora mea: cùm transiero de hoc mundo ad Patrem, posterius in me credituri sunt, quorum typũ geris. Tunc enim compuncti corde dixerunt, Quid faciemus? Et iussi sunt ab Apostolis agere pœnitentiam & baptizari in nomine Iesu Christi, vt dimitterentur illis peccata eorum. Quod in Psalmo illo sequitur, cũ dictũ esset, Die ac nocte grauata est super me manus tua, id est, vt cognoscerem. Si enim cognouissent, nunquam Dominũ gloriæ crucifixissent. Sequitur & iungit, Conuersus sum in ærumna mea dum cõfigitur spina, id est, cùm essem corde cõpunctus. Deinde addidit, Peccatũ meũ cognoui & facinꝰ meum non operui: postquã viderunt quanto scelere Christum crucifixerunt. Et quia receperunt cõsilium vt agerẽt pœnitentiã, & in Baptismo remissionem acciperent peccatorũ, Dixi, inquit, pronuntiabo aduersum me delictum meum Domino, & tu remisisti impietatẽ cordis mei. Hãc autẽ prophetiã potius fuisse quã locutus est Dominus ad Mosen, satis res ipsa indicat: quandoquidem de petra vel cauerna eius & de manu eius superpositione, de visione posteriorũ eius nihil postea visibili opere

1.Cor. 10 — Romano 5 — Romano. 11 — Math. 16 — Actu. 2 — 1.Cor. 2 Roma. 11 — Psal. 31 é — Actu. 2 — 1.Corin. 2

pere subsecutum legitur. Mox enim adiungit interposito articulo Scriptura, Et dixit Dominus ad Mosen: quum ipse Dominus vtique etiam illa quæ suprà sunt loqueretur, atque inde contexit quid deinceps Dominus dicat, Excide tibi duas tabulas lapideas, sicut & primas, &c.

Quid est quod dictum est de Domino, Et reum non purificabit secundum aliam literam.

155 Exod.34 Quid est quod dictum est de Domino, Et reum non purificabit, nisi non dicet eum innocentem?

Quomodo Deus loquens Mosi de populo Israel, dicit, populus tuus, &c.

156 Exod.34 Deus in mõte duas rursũ lapideas tabulas cõscripturo dicit Mosi inter cætera, Corã omni populo tuo faciam glorioſa. Nondum dignatur dicere, Coram omni populo meo. An ita dixit Populo tuo, quomodo cuilibet homini eiusdẽ populi diceretur, Ex quo populo es? Quomodo Ciuitati tuæ dicimus, non cui dominaris, vel quã constituisti, sed vnde ciuis es. Sic enim & paulò pòst dixit, Omnis populus in quib⁹ es. Alio modo quid dictum est, nisi populus tuus? Quòd autẽ non dixit In quo es, consuetudo locutionis est.

Quid sit quod dicitur ad Mosen, Attende tibi ne quando ponas testamentum, &c.

157 Exod.34 Quid est quòd dicitur ad Mosen, Attende tibi nequãdo ponas Testamentum iis qui sedent super terram? non enim habet Græcus, Nequando ponas, sed Nequando ponat. An fortè de populo ei dicere voluit, cuius ipse dux fuit? Sed non ipse introduxit populum in eam terram, vbi prohibet poni testamentum cum eis qui in illa habitabant. Mirũ itaque locutionis genus est, & adhuc inexpertum, vel non animaduersum: si tamen locutio est, ac nõ sensus aliquis.

Quomodo Deus zelator dicatur.

158 Exod.34 Cùm præciperet Deus loquens ad Mosen, vt data terra in potestate, omnis idololatria euerteretur, nec adorarentur dii alieni ait, Dominus enim Deus zelans, nomẽ Deus zelator est, id est, ipsum nomẽ quod Domin⁹ Deus dicitur, zelans est, quia Deus zelator est. Quod non humanæ perturbationis vitio facit Deus, semper atque omnimodo incõmutabilis atque tranquillus: sed hoc verbo indicat non impunè plebem suam per alienos deos fornicaturam. Ductum est enim verbum à tropo metaphora à zelo maritali, quòd castitatem custodit vxoris: quod nobis prodest, nõ Deo. Quis enim tali genere fornicationis Deo nocuerit? sed sibi plurimum vt pereat. Quod Deus ꝓhibet, terrore grauissimo Zelantem se appellans. Cui dicitur in Psalmo, Psalm.72 Perdidisti omnem qui fornicatur abs te: mihi autem adhærere Deo bonum est. Denique sequitur, Ne fortè ponas testamẽtum iis qui sedẽt super terrã, & fornicẽtur post deos corũ.

Quid est quòd dicitur, Non videberis in conspectu meo inanis.

159 Quòd ait, Nõ videberis in cõspectu meo inanis, sicut indicant circunstantia, de quibus loquitur, In cõspectu suo dicit Domin⁹, in tabernaculo suo. Hoc est autem non ibi videberis inanis, nũquam intrabis sine aliquo munere. Quod spiritaliter intellectum, magnum sacramentum est, Verùm hæc dicebantur in vmbris significationum.

Quid sit quod dicit de Sabbato loquens, De satione & messe requiesces.

106 Exod.34 Cùm de Sabbato præcepisset, quid est quòd addidit, De satione & messe requiesces? Videtur enim dicere, tempore sationis & messis. An fortè ita obseruandam requiem Sabbati præcepit, vt nec illa tempora habeant excusationem, quæ agricolis valde sunt necessaria propter victum atque vitã? Iussum est ergo, vt etiam tempore sationis & messis, quando multum vrget operatio, requiescatur in Sabbato: ac sic per hęc tempora, quę opus plurimum flagitant, significatum est omni tempore Sabbato debere cessari.

Quid sit, Non concupiscet quisquam de terra tua cùm ascendes videri in conspectu Dei.

161 Exod.34 Quòd dixit, Non concupiscet quisquam de terra tua, cùm ascẽdes videri in conspectu Dei tui per tria tempora anni: hoc vult intelligi, vt securus quisque ascenderet, nec de terra sua solicitus esset, Deo promittente custodiam, quòd nemo inde aliquid concupisceret, propter illum qui ascendit, nec suam inde timeret absentiam. Et hìc satis ostẽdit quid suprà dixerit, Non apparebis in conspectu Domini Dei tui inanis: quia in illo loco dixit, vbi tabernaculũ vel tẽplũ Deus fuerat habitatur⁹.

Quid sit, Non occides super fermentum sanguinem immolatorum meorum.

162 Exod.34 Quid est quòd ait, Non occides super fermentum sanguinem immolatorum meorum? An illa hoc loco dicit immolata sua quæ per Pascha occidũtur: & præcepit ne tunc sit in domo fermentum, quoniam dies sunt azymorũ?

Quid illud, Nõ dormiet in mane immolatio solẽnitatis Paschæ.

163 Exod.34 Quid est quòd ait, Et non dormiet in manè immolatio solẽnitatis Paschæ, nisi quod superius apertè præcepit, ne aliquid ex pecore quod immolatur carnium, relinquatur in manè. Sed locutio fecit obscuritatem: dormiet enim dixit pro manebit.

Quid illud, Non coques agnum in lacte matris suæ, de quo etiam prius disquisitum est.

164 Exod.34 Non coques agnum in lacte matris suæ. Ecce dixit iterum: quod quemadmodum intelligi possit ignoro. Magna tamẽ est de Christo Prophetia, etsi fieri ad literam possit, quantò magis si non potest? In sermonibus enim Dei non sunt ad proprietatẽ operum omnia reuocanda, sicut nec illud de petra & cauerna ei⁹ & manus superpositione. Sed planè de fide narrationis hoc exigendum est, vt quæ dicit facta esse, verè facta sint, & quæ dicit dicta esse, verè dicta sint. Quod exigitur etiam à narratorib⁹ Euãgelii. Cum enim Christũ narrẽt quædã dixisse quę in parabolis dixit: tamẽ hæc eũ dixisse non parabolica, sed historica narratio est.

Quomodo Moses significatur ieiunasse iterum quadraginta dies.

165 Exod.34 Et erat ibi Moses in cõspectu Domini quadraginta diebus & quadraginta noctibus: panem non manducauit & aquam non bibit. Quod & antè dixerat quando tabulas accepit quas fregit, hoc etiã modò repetit, nõ recapitulãdo quod factũ est, sed iterum faciũ esse cõmendãs. Repetitio quippe Legis iam quid significet diximus. Quòd autem ait, Panem non manducauit, & aquam non bibit, intelligitur ieiunauit, à parte totũ, id est, nomine panis omnem cibum, & nomine aquæ omnem potum significante Scriptura.

Quomodo dicatur Moses scripsisse decẽ verba Legis, quum prius Deus dictasset illud fecisse.

167 Exod.34 Et scripsit in tabulis testamenti decem verba. De Mose dictum est quòd ipse scripserit, cui etiam Deus paulò antè dixerat, Scribe tibi verba hæc. Cùm verò primùm Legem accepit, cuius tabulas abiecit & fregit, nec ipse excidisse dictus est tabulas lapideas, & modò dictum est, Excide tibi duas tabulas lapideas. Nec ei dictũ est vt scriberet, sicut ei modò dicitur, nec eas ipse scripsisse narratur, sicut modò narrat Scriptura, & dicit, Scripsit in tabulis testamenti decem verba: sed tunc dictũ est, Exod.31 Et dedit Mosi statim vt cessauit loqui ad eum in monte Sina duas tabulas testimonii, tabulas lapideas scriptas digito Dei. Deinde paulò pòst, Cõuersus, inquit, Moses descendit de mõte, & duæ tabulæ testimonii in manu eius, tabulæ lapideæ scriptæ ex vtraque parte earũ, hinc atque hinc erant scriptæ, & tabulæ opus Dei erant, & scriptura, scriptura Dei, & sculpta in tabulis. Proíde magna oritur quæstio, quomodo illæ tabulæ, quas erat Moses Deo vtique præscięte fracturus, nõ hominis opus dicantur esse, sed Dei, nec ab homine scriptæ, sed scriptæ digito Dei. Posteriores verò tabulæ tandiu manserunt, ac in tabernaculo ac templo Dei futuræ, iubente quidem Deo, tam ab homine excisæ sint, quàm ab homine scriptæ. An fortè in illis prioribus gratia Dei significabatur, non hominis opus: qua gratia indigni facti sunt reuertentes corde in AEgyptũ, & facientes idolum, vnde illo beneficio priuati sunt, & propterea Moses tabulas fregit, istis verò tabulis posterioribus significati sũt qui de suis operibus gloriantur? Vnde dicit Apostolus, Ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Et ideo tabulæ humano opere exculptæ, & humano opere conscriptæ, datæ sunt, quæ cum ipsis manerẽt, ad eos significandos de suis operibus gloriaturos, non de digito Dei, hoc est, de Spiritu Dei. Certè ergo repetitio Legis nouũ Testamẽtũ significat, illud autẽ vet° significãbat: vnde confractũ & abolitũ est, maximè quoniam cùm secũdò Lex datur, nullo terrore datur, sicut illa in tanto strepitu ignium, nubium, & tubarum: vnde tremefact° Roma.10 populus dixit, Non loquatur Deus ad nos, ne moriamur. Vnde significatur timor esse in veteri testamẽto, in nouo dilectio. Quomodo igitur hic soluitur quæstio, quare illæ op° Dei, istę op° hominis, & illæ conscriptæ digito Dei, istæ scriptæ ab homine? an fortè ideo magis in illis prioribus vetus significatum est testamentum, quia Deus ibi præcepit, sed homo nõ fecit? Lex enim posita est in veteri testamento quæ conuinceret transgressores, quæ subintrauit vt abundaret delictum. Non enim implebatur timore, quæ nõ impletur nisi charitate. Rom.5 Et ideo dicitur opus Dei, quia Deus Legem constituit, Deus conscripsit, nullum opus hominis: quia homo Deo non obtemperauit, & cum potius reum Lex fecit. In secundis autem tabulis homo per adiutorium Dei tabulas fecit atque conscripsit, quia noui Testamenti charitas legem fecit. Vnde dicit Dominus, Non veni Legem soluere, sed adimplere. Dicit autem Apostolus, Plenitudo legis charitas: &, Fides quę per dilectionem operatur. Factum est itaque homini facile in nouo Testamento, quod in vetere difficile fuit, habenti fidem quæ per dilectionem operatur, atque illo digito Dei, hoc est, Spiritu Dei intus eam in corde scribente, non foris in lapide. Vnde dicit Apostolus, Non in tabulis lapideis, sed in 2.Cor.3 tabulis cordis carnalibus: quoniam charitas Dei, qua veraciter impletur præceptum, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctũ Roma.5 qui datus est in nobis. Hoc est ergo, prima data est Lex vbi significatur vetus testamentum, quod est opus tantummodo Dei, & cõscriptio digito Dei. Quod Apostolus dicit, Itaq; Lex Roma.7 quidem sancta, & mandatum sanctum & iustũ & bonum. Lex ergo sancta & bona, Dei opus est, vbi homo nihil agit, quia non obtemperat, sed reatu potius premitur Lege minante atq; damnãte. Peccãtum enim, inquit, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem. Beatus autem homo est cùm hoc mandatum sanctum & iustum & bonum facit: hoc etiam opus eius, sed per gratiam Dei.

Quomodo & quare ambiguè dicatur, Hæc verba quæ dixit Dominus facere ea.

Moses ad filios Israel posteaquam de mõte descendit, habens alias tabulas Legis, circumpositio sibi velamine propter gloriam vultus eius, quam filii Israel nõ poterant intueri, Hęc, inquit, verba quæ dixit Dominus facere ea: ambiguè positum est, vtrùm ea facere ipse Dominus, an illi, sed vtique manifestum est, quòd illi: iussit quippe ille quæ fierent. Sed fortè ideo sic positum est, vt ex vtroque accipiatur: quia & Dominus facit cùm facientes adiuuat, secũdum illud Apostoli, In timore & tremore Philipp.2 vestram ipsorum salutem operamini: Deus enim est qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.

167 Exod.34

Quid

Quid sit, Omnis offerens demptionem.

168 Exod. 35 Omnis offerens dēptionem, argentū & æs attulerunt demptionem Domino, tanquam diceret, Omnis qui attulit, attulit illud atque illud: inter cætera quæ dicebat, & argentum & æs cōmemorans. Demptionem sanè interpretati sunt Latini, quod Græcus habet ἀφαίρεμα. Appellata est autem demptio, eò quòd sibi demeret qui Domino offerret.

Quomodo Beseleel iterum dicatur Spiritu Diuino plenus, & quæ sit Architectonica.

169 Exod. 35 Narrante Mose cōmemoratum est quod ei dixit Deus de Beseleel eisdem verbis ac totidem, quòd eum impleuerit Spiritu Diuino sapientiæ & intellectus & sciētiæ, ad tabernaculi opera facienda, quæ pertinent ad artes opificum. Vnde quid nobis videretur iam diximus. Sed ideo nunc hoc idem cōmemorandū putaui, quia non frustra eisdē omnino verbis repetitū est, quibus antea Mosi à Domino fuerat intimatum. Sanè nouo more hęc ars Architectonica perhibetur opificum ex auro & argento & quocunque metallo: quum illa dici soleat Architectonica, quæ pertinet ad fabricas ædificiorum.

Quomodo multi ædificandi peritia donati fuisse significentur.

170 Exod. 36 Et omnes qui sponte vellent ire ad opera vt consummarēt ea, & acceperunt à Mose omnes demptum æs. In notitiam tantùm Moses pertulit quæ Dominus opera fieri præcepit, tabernaculum scilicet cum omnibus quæ in eo essēt, & vestes sacerdotales. Cōmemorauit autem quosdam, quibus dixit spiritum Diuinitus datum, quòd illa efficere possent: & tamen multi intelliguntur sponte ad eadē opera veniſſe, quib⁹ nec imperatum est, nec eorum nomina cōmemorata sunt à Domino dicta Mosi. Non ergo illi soli hoc munus Diuinitus habuerunt, qui nominatim cōmemorantur, sed fortasse præcipuè atque excellentius. Laudandus est autem in his omnibus, nō attractus ad opus seruiliter animus, sed liberaliter & sponte deuotus.

Quomodo signanda sit iustitia Architectorum, qui plus offerri quàm opus esset prohibuerunt.

171 Exod. 36 Notandum quòd illi qui sapientes appellātur effectores operum sancti, etiam moribus tales erant, vt cùm ipsi susciperēt omnia quæ populus offerebat, existimans necessaria ex quibus omnia illa complerentur, viderunt plus offerri quàm erat necesse, & dixerūt Mosi: atque ille per præconem vltrà populum offerre prohibuit. Poterant autem si vellēt multa auferre, sed modestia prohibuit, vel religio terruit.

Quomodo Moses postquam descenderat de monte cum decem præceptis, tantum loquitur de Sabbato.

172 Exod. 36 Posteaquā descendit de monte, opera cōmendantur tabernaculi construendi, & vestis sacerdotalis, de quibus faciēdis antequā aliud præciperet, locutus est ad populum de Sabbati obseruatione. Vbi non immeritò mouet, cùm decem verba Legis accepit in tabulis lapideis iterum, quas ipse excidit, ipse conscripsit: quare de Sabbato solo, posteaquam descendit populum admonuit. Si enim propterea decem præcepta Legis superfluum fuit vt populus iterū audierit: cur & hoc non fuit superfluum vt de Sabbato audiret, cùm & hoc in eisdem præceptis decem legatur? An & hoc simile est velamēto, quo faciem obtexit, quia splendorē vultus eius filii Israel non poterāt intueri? Nā ex decem præceptis hoc solùm populo præcepit, quod figuratè ibi dictum est. Alia quippe nouem sicut præcepta sunt, etiam in nouo Testamento obseruanda minimè dubitamus. Illud autem vnum de Sabbato vsqueadeo figurata diei septimi obseruatione apud Israelitas velatum fuit, & in mysterio præceptum fuit, & quodam sacramento figurabatur, vt hodie à nobis non obseruetur, sed solùm quod significabat intueamur. In illa autem requie, vbi opera seruilia iubentur cessare, magna est altitudo gratiæ Dei. Tunc enim fiunt cum requie opera bona, cùm fides per dilectionem operatur: timor autem tormentum habet: & in tormento quæ requies? Vnde timor non est in charitate: charitas autem diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ideo Sabbatum requies sancta Domino dicitur, Dei scilicet gratię tribuenda, nō nobis velut ex nobis. Alioquin nostra opera sicerunt, vt sint humana, aut cum peccato, aut cum timore, non cum dilectione & ideo seruilia sine requie. Plenitudo autem Sabbati erit in requie sempiterna. Non enim frustra institutum est & Sabbatum sabbatorum. Superius quando prius locutus est Deus de tabernaculo vngendo, dixit eadem vnctione sanctificari illa omnia, & fieri Sācta sanctorum. Altare autem holocaustomatum eadē vnctione sanctificatum, dixit Sanctum sancti, & hoc interesse videbatur, quòd nihil eorū dixisset Sanctū sanctorum, nisi quòd tantum velo separabatur à Sancto, id est, vbi erat arca testamenti & altare incensi. Nunc autem cùm eadem repeteret, dixit de tabernaculo vncto, & his quæ in illo essent, quòd eadem vnctione sanctificarentur & fierent sancta: illud autem altare holocaustomatum, de quo prius dixerat, quòd fieret Sācta sancti, eadem vnctione nunc dixit fieri Sanctū sanctorum. Vnde datur intelligi tantundem valere quod dictum fuerat Sanctum sancti, quantum valet quod dictum est Sanctum sanctorum: ac per hoc & illa omnia vncta, id est, totum tabernaculum & quæcunque in eo essent, quæ prius appellauerat Sancta sanctorum, tantundem valere quod nunc ait Sancta: nec vnunquodque eorum dici tātūmodo post istam vnctionē Sanctū sancti: verumetiam Sanctum sanctorum, sicut altare holocaustomatum: vt iam nihil intersit, quantùm ad hanc appellationem attinet, inter illa quæ interius intra velum fuerant, id est, vbi erat arca testimonii, & cætera foris, nisi quòd

Gal. 5 1. Ioan. 4

Rom. 5

illa interius ita dicebãtur Sancta ſanctorũ, vel Sanctum ſancti, vt etiam ante vnctionẽ ſic appellarentur: cætera verò vnctione ſanctificata ſunt, vt hoc nomẽ acciperent. Quod otio diſcutiendum eſt quid iſta ſignificent.

Quomodo dicatur quòd Moſes extenderit aulæa ſupra tabernaculum. & quædam alia, quæ concernunt tabernaculũ

173 Exod. xlv. Cùm Scriptura narraret quomodo Moſes cõſtituerit tabernaculũ, Extẽdit (inquit) aulęa ſuper tabernaculũ, nõ vtiq; deſuper tectũ, ſed cingẽs colũnas, quia de colũnis dixerat, quòd ſtatuerit tabernaculum. Item cùm dicit, Et ſuper atrium in circumitu tabernaculi & altaris: manifeſtat altare holocauſtomatũ ad oſtium tabernaculi forinſecus fuiſſe, vt atrio totum ambiretur, & altare eſſet infra atriũ inter portam atrii & oſtium tabernaculi. Notanda eſt quoque res multum mirabilis, quòd nube deſcẽdente & implẽte tabernaculum, quæ tamẽ gloria Domini dicitur, non poterat Moſes intrare tabernaculum, qui in mõte Sina, quãdo primũ Legem accepit, intrauit in nubem, vbi erat Deus. Proculdubio ergo aliam perſonã tunc figurabat, aliam nunc. Et tunc eorum qui participes fiunt intimæ veritatis Dei, nunc autẽ Iudæorum, quib⁹ gloria Domini, quæ in tabernaculo eſt, quod eſt gratia Chriſti, tanquã nubes opponitur non eam intelligentibus: & ideo non intrauit in tabernaculũ teſtimonii. Et hoc credendũ eſt ſemel factum, mox vt conſtitutum eſt tabernaculum, ſignificationis huius cauſa vel alicuius alterius. Neque enim ſẽper ſic erat nubes ſuper tabernaculum, vt illuc Moſes intrare non poſſet: quandoquidem nõ remouebatur, niſi cùm eis hoc ſignũ dabatur diſiungendi, hoc eſt, caſtra mouẽdi ex eo loco vbi erant, & accedẽdi quò nubes ducebat per diem, & flãma per noctem. Quæ duo viciſsim etiam ſuper tabernaculũ manebant, vbi caſtra poſuiſſent, nubes per diem, flãma per noctem.

TOPOGRAPHIA
Tabernaculi.

Quoniã liber, qui Exodus dicitur, in cõſtitutione tabernaculi ſumit terminum, de quo tabernaculo etiam per ſuperiora eiuſdem libri multa dicta fuerant, quę faciebant difficultatem intelligẽdi, ſicut ſolet omnis τοπογραφία, id eſt, loci alicuius deſcriptio in omni hiſtoria facere: viſum eſt mihi de toto ipſo tabernaculo ſeparatim dicere, quò intelligatur, ſi fieri poteſt, quale illud & quid fuerit: interim proprietate narrationis inſpecta, & in aliud tempus dilata figurata ſignificatione. Neque enim ibi aliquid fuiſſe putãdum eſt, quod iubente Deo conſtitueretur, ſine alicuius magnæ rei ſacramento, cuius cognitio fidem formámque pietatis ædificet. Iubet ergo Deus Moſi facere tabernaculũ decẽ aulæorum de hiacyntho & purpura & cocco torto & byſſo torta, Cherubim opere textoris, αὐλαίας, quas Gręci appellãt, Latini aulæa perhibent, quas cortinas vulgò vocant. Non ergo decem atria fieri iuſsit, ſicut quidam negligentes interpretati ſunt. Non enim aulas, ſed aulæas dixit. Opere ergo textili Cherubim iuſsit in aulæis fieri, quorum aulæorum longitudinem eſſe præcepit cubitorum viginti octo, & latitudinem cubitorum quatuor. Cohærere autem inuicem aulæa & coniungi inter ſe quinque hinc, & quinque inde, vt ſpatium quod eis cingeretur, hoc eſſet tabernaculi ſpatium. Quomodo autem inter ſe connecterentur eadem quina aulæa, ita præcepit, Facies illis, inquit, anſas hiacynthinas, ora ſũma aulęi vni⁹ ex vna parte in commiſſuram, & ſic facies ſummã ad cõmiſſuram ſecundã, id eſt, vbi cõmittitur aulæũ aulæo, tertiũ ſcilicet ſecundo, quod ſecundũ iam cũ primo cõmiſſum eſt, id eſt, coniunctũ atque connexũ, faciem eõtra faciem conſiſtẽtia ex aduerſo ſingula: quoniam inter ſe iuſsit ea coniungi, vt ex aduerſo conſtituerẽtur. Vtrùm autem quadrum ſpatiũ his concluderetur, an rotundum, nondum apparet: ſed apparebit cùm de columnis cœperit dicere, quibus protenduntur aulæa. Non ergo amplius quàm de trium connexione dicere voluit, quæ fit in duab⁹ commiſſuris, ſecundi ad primum, & tertii ad ſecundum, vt ex hac veluti regula cætera iungerentur. Anſas ergo præcepit fieri primo aulæo, qui nquaginta ex vna parte, qua illi fuerat committendum ſecundũ, & anſas quinquaginta tertio aulæo ex ea parte, qua ſecundo coniungebatur: ipſum autem ſecundum, id eſt, inter vtraſque anſas quinquagenas medium circulos habere voluit quinquaginta aureos, vtiq; ex vna parte, per quos coniungeretur quinquaginta anſis aulæi primi: ac per hoc conſequens erat vt ex alia quoque parte circulos totidem haberet, per quos coniungeretur anſis aulæi tertii. Quod breuiter Scriptura ita dixit. Et facies circulos quinquaginta aureos, & coniunges aulæum ad aulæum circulis, & erit tabernaculum vnum. Circuli ergo quinquaginta aurei ſecũdi aulæi inſerebantur quinquaginta anſis tertii aulæi, & deinceps ita cętera connectebantur, vt quinque complecterentur, atque ex aduerſa parte alia ſimiliter quinque. Deinde dicit, Et facies vela capillacia operire ſuper tabernaculum, id eſt, quæ venirent ſuper, non à parte tecti, ſed ſupercingendo. Dicimus enim & ſic aliquid ſuperponi, non quemadmodum tectum domus, ſed quemadmodum tectorium parietis, tanquam ſuper lineam faſciam. Vndecim, inquit, vela facies ea. Longitudo vnius veli erit triginta cubitorum, & quatuor cubitorum latitudo veli vnius. Menſura eadem erit vndecim velorum: & coniunges quinque vela in ſe, & ſex vela in ſe. Quomodo ergo aulæa voluit quina coniungi, ſic iſta vela quinque & ſex, quæ vndecim erant & non decẽ. Et duplicabis, inquit, velũ ſextũ ſecũdum faciem

taberna-

tabernaculi ne moueretur, quia impariliter alterutrum incurrebant sex & quinque. Deinde dicit etiam ista vela capillacia quemadmodum sibimet iungerentur. Et idem dicit, & fortasse planius, Et facies (inquit) ansas quinquaginta in ora veli vnius, quod contra medium est, id est, contra secundum, quia ipsum erit medium inter primum & tertium secundum cõmissuram, id est, iuncturam, & quinquaginta ansas facies super oram veli, quod coniunctum est ad secundum velum, id est, super orã tertii veli, quod coniungitur secundo. Et facies circulos æreos quinquaginta, & coniunges circulos ansis & coniunges vela, & erit vnũ. Circulos ergo medio velo voluit apponi, id est, secundo, quibus quinquagenis ansis iũgeretur primo & tertio. Nihil ibi aliud est, nisi quòd circulos non aureos, sed æreos fieri nunc præcepit. Ansas autem in aulæis hiacynthinas dixerat, in velis autem capillaciis quoniam tacuit cuiusmodi essent ansæ, quid nisi capillacias eas credibilius accipimus? Quod deinde sequitur ita est ad intelligendum difficile, vt verear ne exponendo fiat obscurius. Dicit enim, Et suppones in velis tabernaculi dimidium veli, quod superauerit, subteges quod abundat de velis tabernaculi, subteges post tabernaculum cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi, erit contegens super latera tabernaculi, hinc atque hinc vt operiat, quũ sextum velum iusserit duplicari secundum faciem tabernaculi, quid dicat Superare in velis dimidium veli, & quid dicat Cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc, cùm dimidium veli quindecim cubita sint, quoniam triginta cubitorũ iussit esse vnum velum, quis facilè intelligat? Aut si propterea superat de longitudine velorum, quia prima aulæa de byssо & cocco & purpura & hiacyntho viginti octo cubitis lõga esse præcepit: ista vero capillacia triginta cubitorum esse voluit, duobus cubitis superantur singula aulæa à singulis velis capillaciis, quæ in summa inducta, excepto vndecimo quod duplicari iussit, viginti cubita excrescunt, quibus superatur ambitus aulæorum ambitu capillaciorum. Decem quippe velorum cubita bina, quibus longiora erant, viginti faciunt, quorum ex vtroque latere decem hinc, & decẽ inde poterant superare, non cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc, sicut Scriptura loquitur. Quapropter differenda mihi videtur huius loci expositio, donec tabernaculum columnis omnib⁹ cũatrio, quod circũponitur, omni ex parte consistat. Fortasis enim per anticipationẽ aliquid dicit de his velis capillaciis, quod ad illa proficiat de quibus nondũ locutus est. Quod enim dicit, Et facies vela capillacia operire super tabernaculum, vtrùm vniuersum tabernaculum his velis cooperiri velit, cumatrio scilicet, de quo circumponẽdo postea loquitur, an hoc interius tabernaculũ, quod decẽ aulæis fieri iussit, incertũ est. Sequitur ergo & dicit. Et facies operimentum tabernaculo pelles arietum rubricatas. Etiam hoc operimentum vtrùm vniuersо tabernaculo fieri iusserit in circuitu, an interiori tantùm, similiter habetur incertum. Quòd verò adiungit, Et operimenta pelles hiacynthinas desuper, hoc non in circũitu, sed à tecto velut camera accipiendum est. Et facies, inquit, columnas tabernaculo de lignis imputribilibus, decem cubitorum columnam vnam & cubiti vnius, & dimidii latitudinem columnæ vnius, duos anconiscos columnæ vni consistentes ex aduersо. Sic facies omnes columnas tabernaculi. Quare iusserit fieri hos anconiscos, de quibus antea dixi quid essẽt, nõ satis mihi apparet. Si enim ad colũnas portãdas fierẽt quatuor, vt in vnũ fierẽt: si autẽ vbi ferræ incũberent, etiã plures fierẽt. Nã quinas ferras singulis columnis distribuit. Nisi fortè in his anconiscis nõ aliquis vsus, sed sola significatio sit: sicut in velo vndecimo capillacio. Nam columna duos anconiscos velut brachia hinc atque hinc extendens, figuram crucis reddit. Nunc iam videamus numerum columnarum, in quibus & forma tabernaculi possit aduerti, vtrùm quadra, an rotũda sit: an oblongam habeat quadraturam lateribus lõgioribus, breuioribus frontibus, sicut pleræq; basilicæ construuntur. hoc enim potius hîc euidenter exprimitur. Nam ita dicit, Et facies columnas tabernaculorum, viginti columnas ab latere isto quod respicit ad Aquilonem: quadraginta bases argenteas facies viginti columnis, duas bases columnæ vni in ambas partes eius. Et latus secundum cõtra Austrum viginti columnas, & quadraginta earum bases argenteas, duas bases columnæ vni in ambas partes eius, & duas bases columnæ vni in ambas partes eius. Repetitio nõ moueat, quia genus locutionis est, vt omnes ita intelligantur de quibus nõ dicit. De basibus autem iam antea diximus, cur vna colũna duas habeat, quia & capita hoc loco bases vocat. Videm⁹ igitur vicenis columnis porrecta duo latera tabernaculi Aquilonis & Austri. Duo sunt reliqua, Orientale & Occidentale· quæ si totidem columnas habuissent, proculdubio quadratum esset. Quòd autem habent de Occidentali, non tacetur, de Orientali tacetur. Vtrùm quia nõ habuit, & sola illic sine columnis extendebantur aulæa, ab extrema columna vnius lateris vsque ad alterius alteram extremã, an & aliqua causa taceatur, vt etiam tacitè intelligantur, nescio. Postea quippe ex ipsa parte Orientis, decem columnæ commemorãtur: sed atrii de quo postea loquitur, quod huic tabernaculo circumponi iubet. Commemoratis ergo lateribus tabernaculi Aquilonio & Australi, & vicenis columnis, deinde sequitur & adiungit dicens, Et retro tabernaculum per partem quæ est

contra mare,facies sex columnas & duas colũnas facies in angulis tabernaculi à posterioribus, & æquales deorsum versus,& in se conuenientes erunt,ac æquales de capitibus in cõmissuram vnam. Sic facies angulos,duobus angulis æquales sint: & erunt octo columnæ,& bases earum argenteæ sedecim, & duæ bases columnæ vni, & duæ bases columnæ alteri in ambas partes eius. De basibus similis est ratio & similis locutio est. Latus itaque Occidẽtis, nam hoc est ad mare,colũnis octo extenditur, sex mediis & duabus angularibus,quas æquales ad vnam cõmissuram dicit esse debere. Credo quòd angulus duo in se latera cõmittat, & sic colũna angularis lateri vtrique communis, ista Occidẽtali & Aquilonari,& ista Occidentali & Australi. Quòd autẽ dicit etiam æquales deorsum versus,hoc vtique dicit vt ad perpendiculum libraretur,ne robustiores essent infrà quàm suprà,sicut pleræque colũnæ sunt. Deinde dicit,Et facies serras de lignis imputribilibus quinque vni columnæ ex vna parte tabernaculi, & quinque serras columnæ lateri tabernaculi secundo,& quinque serras columnæ posteriori lateri tabernaculi, quod est ad mare. Mirum si dubitari potest latus Orientale columnas non habuisse in hoc interiore tabernaculo, cui postea circumponitur atrium. Singulas quasque igitur colũnas omnium trium laterũ habere serras quinas iubet. Et serra(inquit)media inter medias columnas pertranseat ab vno latere in aliud latus. Hoc videtur dicere,vt de columna in columnam serra perueniret, & per interuallum columnarũ porrigeretur à latere vnius vsque in latus alterius: ac per hoc vna ex his omnibus columna non erat habitura proprias quinque serras,ad quam extremam quinque perueniebant à columna sibi proxima venientes. Et columnas (inquit)inaurabis auro, & annulos facies æreos,in quos induces serras,& inaurabis auro serras, ne columnæ foraminibus cauernarentur: quò intrarẽt serræ ānulos fieri iussit,quibus ex vtraque parte continerentur fines serrarum. Proinde intelliguntur hi annuli fixi à ligno ansulis pependisse, vt extremas partes serrarum possent capere & continere. Et erige(inquit)tabernaculũ secundum speciẽ,quę monstrata est tibi in monte. Et facies velamen de hiacyntho & purpura & cocco torto & byssoneta: opus textile facies illud super Cherubim: & superimpones illud super quatuor colũnas imputribiles inauratas auro, & capita earum aurea, & bases earum quatuor argenteæ: & pones velamen super columnas, & induces illud interius vbi velamen est, arcam testimonii, & diuidet vobis velamen inter medium Sancti & medium Sanctum sanctorum, & cooperies de velamine arcam testimonii in Sanctis sanctorũ. Hæc omnia manifesta sunt,interius intra velamen hoc quatuor columnis impositam fuisse arcam testimonii, quam non sic operiri iussit velamine, vt super arcæ cooperculum iaceret velamen, sed vt cõtra mensam statueretur. Deinde dicit, Et pones mẽsam foris extra velamen, & candelabrũ contra mensam in parte tabernaculi,quæ respicit ad Austrum, & mensam pones in parte tabernaculi quæ respicit ad Aquilonem. Etiam hoc planum est. Quod autem sequitur, Et facies adductorium de hiacyntho & purpura & cocco torto & byssotorta, opus variatoris:& facies velamini quinque columnas, & inaurabis illas auro,& capita earum aurea,& conflabis eis quinque bases æreas: cui vsui velamen hoc fiat quinque columnis extentum, pòst apparebit:nam hîc non apparet. Vult enim illud esse velamen ostii tabernaculi huius, videlicet interioris cui circumponitur atrium. Deinde iubet altare fieri sacrificiorum & holocausto matum, & dicit quemadmodum fiat: nondum autem dicit vbi ponatur, sed hoc quoque pòst apparebit. Hîc iam de atrio loquitur vsque ad finem,quod circumponendum est tabernaculo illi, de quo prius constituendo locutus est. Et facies inquit atrium, quod dicitur Græcè αὐλὴν, non αὐλαῖαν. Quod quidam interpretes nostri non discernentes, & hoc illa aulæa, quas aulęas nõ aulas Greci dicunt: atria interpretati sunt dicentes, Et facies tabernaculum decem atriorum: vbi decem aulæorum dicere debuerunt. Nõnulli autem multò imperitiores ianuas interpretati sunt, & aulas & aulæas. Sicut autem in lingua Latina inuenimꝰ aulæa, quas Græci aulęas vocant, ita quam illi appellant αὐλὴν, nostri aulam vocauerunt. Sed iam non atrium isto nomine,sed domus regia significatur in Latina lingua: apud Græcos autem atrium. Ergo Et facies,inquit,atrium tabernaculo in latere quod respicit ad Austrum, & tẽtoria atrii ex byssotorta: lõgitudo sit centum cubitorum vni lateri, columnæ earum viginti & bases earum æreæ viginti,& circuli earum, & arcus earum argentei. Sic & lateri quod ad Aquilonem,tentoria centum cubitorum longitudinis, & columnæ earum viginti, & bases earum æreæ viginti,& circuli earum, & arcus columnarum,& bases inargẽtatæ argento. Latitudo autem atrii quæ est ad mare,tentoria eius quinquaginta cubitorum,columnę earum decem,& bases earum decem, & latitudo atrii quod est ad Orientem, quinquaginta cubitorum,columnæ eius decem, & bases earum decem. Hîc iam videmus commemorari columnas ab Oriente, cùm loquitur de atrio, & eas decem dicens,cum basibus æreis sicut dixit etiam de Occidentalibus, vbi difficillima oritur quæstio. Nam facile est quidem vt accipiamus ab Oriente vnum ordinem columnarum ad atrium pertinentium, quo tabernaculum interius per omnes quatuor partes cingitur: quia non habebat ex ea parte columnas

taberna-

tabernaculum interius. Ab Occidente autẽ, vbi iam erant interioris tabernaculi columnæ octo, quomodo etiam istas decem, quas exterioris atrii commemorat, accepturi sum⁹, tãquam ab Occidente duo sint ordines columnarum, interiorum octo & exteriorum decẽ? Quod si ita est, longiora erant etiam latera atrii exterioris, quàm tabernaculi interioris, vt sit vnde ab extremo in extremum alius columnarum ordo dirigatur, & non incurrat in ordinem priorem, ad interius tabernaculũ pertinentem. Et si hoc est, cõsequens erit, vt vicenę illæ columnæ, duorum laterum tabernaculi interioris Austri & Aquilonis interuallis breuiorib⁹ dirimãtur, quàm illæ vicenæ, quas habet atrium exterius ex eisdẽ laterib⁹. Et quia illi exteriores ordines vicenarum columnarum, sicut Scriptura loquitur, centena cubita tenẽt, isti interiores totidem colũnarum quãlibet minus cubita teneant, quoniã hoc Scriptura nõ expresit, cõsequens erit, vt octo columnæ illæ tabernaculi interioris in latere Occidentali rariores sint, quàm vicenæ illæ eiusdẽ tabernaculi Australes & Aquilonię, vt possit cõprehendi spatium quantum sufficit decem illis aulæis circuntendendis, quibus primit⁹ dixit hoc tabernaculum fieri. Habent enim cubita vicena & octona, quæ fiunt simul ducenta octoginta. Quorum si centena essent in lateribus duobus Austri & Aquilonis, vbi vicenarum columnarum ordines sunt, quadragena vtique cubita tenderentur, per alia duo latera Orientis & Occidentis, & proportione occurrerent in octo columnis cubita quadraginta, sicut in viginti columnis cubita centum: sed non essent longiora latera exterioris atrii, quoniam centenis cubitis definita sunt: & ideo non essent quẽadmodum ille ordo decem columnarum ab angulo Australi in angulum Aquilonium includeret ordinẽ interiorum octo columnarum. Proinde vt atrio vndique circundaretur interius tabernaculũ, oportet illud esse etiam longitudinis breuioris, atque ita necesse sit vicenas eius columnas in duob⁹ lateribus, quib⁹ in longũ porrigitur densius constitui, quàm sunt atrii exterioris etiam ipsę vicenæ, & rarius octo colũnas tabernaculi interioris à parte Occidẽtis, quàm decẽ exeadẽ parte atrii exterioris: quoniã quicquid minus cubitorũ ex illis aulęis extenditur in colũnis vicenis duorum laterũ ad Austrũ & ad Aquilonẽ, cõpensandũ est latitudini Orientalis & Occidẽtalis lateris, vt ducenta octoginta cubita consummentur aulęorum. Non enim sicut de velis capillaciis, vbi vnum plus est, ita & de his aulæis iussit aliquid duplicari. Quapropter si tantum breuiatur longitudo tabernaculi interioris, quòd ab atrio exteriore posset includi, vt in vicenis ei⁹ colũnis non centena cubita tendantur aulæorum: sed (verbi gratia) vt minimum nonagena & sena, vt quaternis cubitis breuiora sint, hæc ipsa quaterna cubita, id est, octo cubita in duobus aliis lateribus vtique tendenda sũt, Oriẽtali & Occidentali: ac sic in illis octo columnis Occidentalib⁹ tabernaculi interioris non extẽduntur cubita quadraginta, sed quadraginta quatuor, & alia quadraginta quatuor ab Oriente. Cùm ergo in decem columnis exterioris atrii tenduntur cubita quinquaginta, in octo autem interioris tabernaculi tenduntur cubita quadraginta quatuor: rariora inueniuntur interualla interiorum octo columnarum quàm exteriorum decem: quia si paria essent, ita in columnis octo quadraginta cubita tenderentur, sicut quinquaginta tendebantur in decẽ: quoniam quod sunt proportione octo ad decem, hoc sunt quadraginta ad quinquaginta. Quinarium quippe numerum quadraginta octies habent quinquaginta decies. Nec nos mouerẽt columnarum interualla disparia, quòd densiores in lateribus longitudinis ponerentur vbi vicinæ sunt: rariores autẽ in latere latitudinis vbi octo sunt, nisi aliud existeret, quod vrgeret mutare sentẽtiam. Cùm enim commemorasset longitudinem atrii ad mare habere tentoria quinquaginta cubitorum, & columnas decem, & bases earum decem, & latitudinem atrii ad Orientem: item quinquaginta cubitorum & columnas decem & bases decem, atque iis dictis perfecta videretur forma tabernaculi cum atrio suo vndique ambiente, iniecit aliud, quod vbi & quomodo intelligendum sit difficile reperitur. Et quindecim, inquit, cubitorum tentoriorum altitudo lateri vni, colũnæ eorum tres, & bases earũ tres, & lateri secundo quindecim cubitorũ tẽtoriorũ altitudo, colũnę eorũ tres, & bases earũ tres, & portæ atrii tegimẽ viginti cubitorũ altitudo ex hiacyntho & purpura & cocconeto & byssо torta, varietate acu picta, columnæ earum quatuor & bases earum quatuor. Hęc vbi cõstituantur perfecta illa forma tabernaculi non video: sed planè video eundẽ esse numerum colũnarum decẽ in tribus & tribus & quatuor, ternis scilicet à lateribus, & quatuor in medio. Ac per hoc tentoria illa quinquaginta cubitorum non cõtexta erunt, ne aditus in atrio nullus sit: sed quindenis cubitis media viginti cubita separabuntur, vt faciant portæ tabernaculi tegimen, hoc est, velũ quod ornamento velamentóque dependeat, vt teneat spatium quatuor columnarum, quod portæ atrii deputatum atque separatum est. Ideo velamen ipsum à laterib⁹ quindenorum cubitorum diuisum atque separatum etiam specie distĩgui voluit, vt opere acu picto quatuor illis coloribus variaretur. Sed latera illa quindenorum cubitorum hinc atque hinc ternas columnas habentium, si ad eandem lineæ rectitudinẽ portæ atrii coniungãtur, non erit spatium inter decem columnas exterioris atrii & octo interioris tabernaculi, vbi sit altare quinq; cubitorũ, quadrum occupãs spatium:

& ante ipsum altare vbi seruiatur altari,& inter ipsum & ostium tabernaculi interioris vbi sit labrum æneum. Sic enim poni iussum est, vnde manus & pedes sacerdotes lauent, quando intrant tabernaculum, vel quando accedunt vt altari deseruiant. Quòd nisi foris à tabernaculo in atrio intellexerimus, quomodo possent prius lauare manus & pedes,& sic tabernaculum introire? Foris autem ab atrio non possumus altare statuere, quia & tabernaculum & altare circundari atrio præcepit. Restat igitur vt illa latera quindenorum cubitorum hinc atque hinc,& columnarum ternarum sic accipiamus à lateribus, vt ipsa faciant interuallum aliquot cubitorum inter portam atrii & ostium tabernaculi interioris, portam quidem patentem viginti cubitis & quatuor columnis,& habentem velum acupicto opere variatum viginti cubitorum, ostium verò tabernaculi interius,vbi ponatur velamen illud in quinque columnis extentũ. Quod vtique non intra illum ordinem octo columnarum, sed extrà foris ad atrium positum intelligere debemus. Nunc enim erit velum ostii tabernaculi, quod ostium tanquam valuis aperiebatur: vbi aulæa inter se circulis & ansis non coniungebantur. Aut si fortè intra illum ordinem octo columnarum tabernaculi interioris opponebatur hoc velamen in quinque columnis ostio tabernaculi, vt quando aperiebatur interiora non nudarentur, ne à prospicientibus viderentur: quod tamen velamen siue interiꝰ ab illo ordine columnarum,siue exterius poneretur (quod non satis elucet) proculdubio distabat moderato interuallo ab eodẽ ordine columnarum, ne quinque columnæ ad quatuor columnas densius constipatæ intercluderent potius aditum quàm velarent. Secundum istum itaque modum, & secundũ hanc formam tabernaculi, nihil iam opus est vicenas illas colũnas laterum interioris tabernaculi ad Austrum & Aquilonẽ cõstituere dẽsiores,& rariores illas octo facere, quæ ab Occidente fuerant. Decem quippe illæ atrii exterioris ab eadem parte Occidentis,non lõgum ordinem faciunt colũnarum, quo includãtur octo interiores: sed ternis ab vtroque latere cõstitutis, & quatuor in portam spatium concludũt, vbi & altare sit holocaustomatum intra portam atrii ante ostium tabernaculi,& labrum inter ostium tabernaculi,& altare & interuallum necessarium ministerio inter altare & portã atrii: & sic illud totum spatium atrii concluditur colũnis decem: tribus ab Aquilone, & tribus ab Austro, & quatuor ab Occidente, tanquam si ת Græcam literam facias. Et sic adiungebatur idẽ spatiũ longiori ordini columnarũ tabernaculi interioris, tanquã si literam memoratam ex ea parte, qua non habet,adiungas literæ productionem,quæ iota dicitur, vt eius parte, quæ in medio est,ab eo latere cõcludatur,& restẽt hinc atq; inde ex ipso iota reliquæ partes. Poterant ergo numerari decem columnæ in illo longo ordine partis Occidẽtalis tabernaculi interioris, si cum illis octo adderẽtur duæ quæ fuerant vltimę in ordinibuꝰ laterum atrii Aquilonis & Austri. Nam & illę decem,quę propriè ad atrium pertinerent à parte Occidentis,vnde & intrabatur ad tabernaculum,ternas habebant in lateribus & quatuor in fronte, vbi porta erat: atque ita spatium vsui sacrificiorum necessariũ intra atrium ante tabernaculum amplectebantur. Internis autem columnis,quæ fuerant à lateribus, tentoria erant de bysso quindenorum cubitorum: in quatuor autem vbi porta erat, velum erat viginti cubitorum acupicto opere variatum. Nec moueat quod dicit Scriptura, Quindecim cubitorũ tẽtoriorum altitudo: columnæ eorum tres, & bases earum tres, & latus secundum quindecim cubitorum tentoriorum altitudo: colũnę eorum tres, & bases earum tres, & portæ atrii tegimen viginti cubitorum altitudo. Altitudinem quippe eandem dicit, quæ fuerat longitudo tẽtoriorum. Eadem quippe altitudo est cùm texuntur,quæ longitudo est cùm tẽduntur. Quod ne suspicari videamur,alio loco idipsum Scriptura cõmemorans ait,Et fecerunt atrium,quod est ad Austrum, tentoria atrii de bysso torta, centum per centum, id est, centum cubita tẽtoriorum per centum cubita,spatium quod tenebant viginti columnæ. Deinde sequitur,Et columnæ eorum viginti, & bases earum viginti æreæ, & latus quod est ad Aquilonem centum per centum, & columnæ earum viginti æreæ, & bases earum viginti æreæ, & latus quod est ad mare, aulæa quinquaginta cubitorum, & columnæ eorum decem,& bases earum decem. Eadem dicit aulæa quæ tentoria, & latus quod est ad Oriẽtem quinquaginta cubitorum tentoria. Post hæc redit ad posteriora tabernaculi, vt ostendat quemadmodum illæ decem columnæ spatium de quo loquebatur atrii complectebantur. Quindecim cubitorum, inquit: quod est à dorso. Dorsum appellat quia posteriora tabernaculi erãt,id est, à parte Occidentis. Et colũnę,inquit,eorum tres,& bases earum tres, & à dorso secundo hinc & hinc secundũ partẽ atrii aulęa quindecim cubitorum,& columnæ eorum tres, & bases earum tres. Manifestum est certè eadem duo dorsa dici hoc loco, cùm commemorantur omnia quemadmodum facta sunt,quæ latera dicebãtur,quãdo præcipiebatur vt fierẽt latera,scilicet quia hinc atque inde coniunctæ portæ Occidẽtalis atrii spatium concludebant. Dorsum verò quod à tergo tabernaculi erat: hæc pars atrii à parte Occidentali. Sequitur autem & dicit, Omnia aulæa atrii de bysso torta, & bases columnarum æreæ, & ansæ earum argenteæ, & capita inargentata argento, omnes columnæ atrii. Deinde adiungit, quod nondum istic commemorauerat. Et erat memorati

atrii

atrii opus variatoris de hiacyntho & purpura & cocco neto,& byſſo torta,viginti cubitorum longitudinem & latitudinem. Ecce vbi apparet eandem dictam ſuperius altitudinem, quæ aulæorum extentorum fuerat longitudo. Deinde addidit,Et latitudinem quinque cubitorum. Tot enim cubitis latitudinis erigebantur tentoria exterioris atrii,ſicut interioris cubitis quatuor. Sic autem & ſuperius dixerat,Longitudo autẽ atrii centum per centum, & latitudo quinquaginta per quinquaginta, & altitudo quinque cubitorum ex byſſo torta. Hanc latitudinem dicens quam poſtea altitudinem dixit, quoniam quæ iacentium latitudo eſt, eadẽ erectorum altitudo. Sicut quod paulò antè commemoraui, Quæ cùm texũtur altitudo eſt,eadem cùm tenduntur longitudo eſt. Nunc iam quod diſtuleram videamus,quo modo ex hac forma vniuerſi tabernaculi, quã ſicut potui ante oculos collocaui, difficultas illa ſoluatur de capillaciis velis. Quæ fortaſſe ideo erat obſtruſior,quia per anticipationem ibi aliquid dictum eſt quod profecerit operi, de quo poſtea fuerat locuturus,cùm atrium tabernaculo circumponendum deſcriberet.

Nunc itaque verba ipſa videamus. Et ſupponES,inquit,quod ſuperabit in velis tabernaculi,dimidiũ veli quod ſuperabit ſubteges,quod abundat in velis tabernaculi ſubtegas poſt tabernaculũ. Hoc totũ quod dictum eſt vnũ ſenſũ habet,quia dimidiũ veli quod ſuperauerit, hoc eſt,id quod ſuperabũdauit de velis tabernaculi, ſubtegendum eſt poſt tabernaculum. Quomodo ergo ſuperet, id eſt abundet & reſtet dimidium veli,ex illa ſerie cõnexorum velorum,oportet inquirere: quoniam quinque in ſe,& ſex in ſe connecti voluit,ſicut ſuperius loquens dixerat, ſextum velum à facie tabernaculi duplicandum,id eſt,ab Oriẽte. Toties enim poſteriora tabernaculi à parte Occidentis eſſe ſignificauit,id eſt,ad mare. Quid igitur facies tabernaculi, niſi pars illa intelligenda eſt,quæ eſt ad Orientem? Pars ergo illa quæ vela quinque connexa ſunt,habet cubitorum centum quinquaginta,hoc eſt, quinquies tricena. Tricenorum enim cubitorum erãt ſingula,ſicut ea Deus fieri iuſſerat. Illa verò pars in qua non erant quinque, ſed ſex vela, ſibimet ſimiliter cõnexa cubita habebat, cẽtum octoginta,id eſt,ſexies tricena. Ac per hoc duplicato ex eis vno velo, ſicut iuſſum eſt, ſecundum faciem tabernaculi minuebãtur in ea duplicatione cubita quindecim. Quibus detractis,cẽtum ſexagintaquinque remanebant. Et ideo poſt centum quinquaginta cubita,quibus illi parti quinque velorum etiam iſta pars ſex velorum æquabatur,ſuperabant atque abundabant cubita quindecim. Illinc enim erãt à parte quinque velorum,cubita centum quinquaginta: hinc autem à parte ſex velorum duplicato vno velo ſecundum faciem tabernaculi, erant cubita centum ſexagintaquinque. Plus ergo habebat pars iſta cubita quindecim. Hoc dicit dimidium veli,quod iubet ſubtegi poſt tabernaculum,vt quia illud à facie duplicatũ eſt,hoc dimidium redundans à poſteriore parte tabernaculi non duplicaretur, ſed ſubtegeretur, id eſt, omnia ipſa quindecim cubita ſubtermiſſa tegerentur, ac ſi & ipſa illi longitudini detraherentur: ſicut illa itidem quindecim à facie tabernaculi vnius veli duplicatione detracta ſunt. Eóque modo centum quinquaginta cubitis quinque velorum, occurrerent ex alia parte centum quinquaginta cubita ſex velorum,triginta ſcilicet cubitis à centum octoginta detractis, à facie tabernaculi velo duplicato, & à poſterioribus tabernaculi dimidio velo ſubtecto. Iam illud quod ſequitur aliud eſt, & aliam quæſtionem infert,propter quam maximè huius loci expoſitionem differendam putaui, vt prius & formã conſtituendi tabernaculi, & de atrio circumponendo, quod ſcriptum eſt videremus.

Sequitur ergo,Cubitum ex hoc & ex hoc, ex eo quod ſuperat velis de lõgitudine velorum tabernaculi,erit contegens, & ſuper latera tabernaculi, hinc atque hinc vt operiat. Aliud eſt quod ſuperauit vna pars ſex velorum aliã partem quinque velorum,propter ampliorem velorum numerum, vnde iam diximus, aliud quod ſuperauit de longitudine velorum,vnde nunc dictum eſt. Ita enim non pars parti comparatur,& altera alteram ſuperare inuenitur, illa ſcilicet quæ vela ſex habet, illam quæ vela quinque habet. Quæ ambæ vt ſibimet æquarentur à facie tabernaculi, facta eſt vnius veli duplicatio, à tergo dimidii ſubtectio. Sed ipſa vela capillacia comparata aulæis,ex quibus decem iuſſit fieri interius tabernaculum quatuor coloribus textis,longiora reperiuntur cubitis binis. Ea enim erant aulæa ſingula cubitorum 38. iſta 30. Ideo hic nunc ait, Ex eo quod ſuperat velis de longitudine velorum. Quid eſt ergo,Cubitum ex hoc,& cubitum ex hoc erit contegens ſuper latera tabernaculi, niſi quia illa longitudo, in qua binis cubitis vela capillacia longiora fiunt aulæis,his ſingulis ſingula,non tota in vnam partem cogenda, id eſt,vtquidquid ſuperat ad poſteriora tabernaculi colligatur: ſed diſtribuatur ex æquo,tãtúmque eius ad priora tabernaculi quantum ad poſteriora tribuatur, id eſt, quoniam duo cubita in ſingulis velis eandem quæ ſuperat lõgitudinem faciunt, vt cubitum inde auferat pars iſta,& cubitum illa: ita de ſingulis cubitis ſuis habeat pars iſta cubita decem,& illa de ſingulis decem,quoniam decem vela binis cubitis lõgiora: viginti cubitorũ longitudinem faciunt, qua videntur ſuperare ſerie ſua ſeriem aulæorum? Deinceps videndum eſt hæc viginti cubita,quæ ſuperãt à longitudine velorum, cui ſpatio cingendo proficiãt. Si enim velis ca

pillaciis interius tabernaculum circuntegitur, ita ſuperant vt quid ex eis cooperiatur nō ſit omnino. Vnde reſtat etiam ipſa ſubtegi & ſubtegendo detrahi, quod Scriptura non dicit. Aulæa quippe decem, quæ habent cubita vigena & octona, quibus interius tenditur tabernaculum, circumplectūtur ſpatium quantum poſſunt circumplecti cubita ducenta octoginta. Vnde latera illa longiora Auſtrale & Aquilonium habentia vigenas columnas, auferunt ex his cubitis ducēta cubita: reſtant octoginta, quæ duobus reliquis lateribus breuiori bus, Orientali quod nō habet ordinem columnarum, & Occidētali, vbi erant columnę octo, quadragena diſtribuantur. Proinde in capillaciis velis, quoniam detractis triginta cubitis trecenta reſtabant, ſi trecentis cubitis capillaciorum velorum ducenta octoginta cooperiebātur aulæorū, ita ſupererunt viginti, vt nō ſit quod ex eis tegatur. Proinde duo illa cubita quæ ſingula capillacia plus habent, ex quibus ſumma viginti cubitorum collecta eſt, ſic diſtribuenda ſunt, cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc, id eſt, ne omnia in vnam partem cogantur, vt proficiant operiendis lateribus tabernaculi, ſed exterioris atrii, id eſt, omnia illa trecenta cubita velorum capillaciorum extrinſecus tabernaculum cingant. Adiunctis quippe lateribus atrii exterioris centum cubitorum, id eſt, Auſtri & Aquilonis, quinquaginta cubita ſuperſunt Orientis & Occidentis, quæ omnia fiunt trecenta: quibus cooperiendis capillaciorum trecenta ſufficiūt, hoc eſt quod ait, Cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc, id eſt, diſtributio duorum cubitorum, quibus vnunquodque velum capillaciū longius eſt, hoc eſt, ex eo quod ſuperat velis de longitudine velorum erit contegens ſuper latera tabernaculi, illa ſcilicet exteriora quæ ad atriū pertinent hinc atque hinc vt operiat, nec illa ipſius atrii quę centenis cubitis & vigenis columnis tenduntur. Ipſa enim nō ſunt facta longiora quàm illa interioris tabernaculi, quæ decem aulæis tēduntur, & vigenas etiam ipſa columnas habent. Nam ſicut interioris tabernaculi duo latera ab Aquilone & Auſtro centenis cubitis porrigūtur, ita & exterioris atrii. Non ergo ad ipſa exteriora totidē columnarum latera tegenda capillaciorum velorum profuit longitudo, quia longitudinem ſuperant aulæorum. Tantum enim dant exterioribus lateribus, quātum & interioribus darent, id eſt, cubita centena, quę fiūt ducēta: ſed quia lateribus Orientis & Occidentis ſufficerent, latera quadragena, ſi tantummodo interius tabernaculū velis capillaciis cingeretur: additis autem lateribus atrii creuit tabernaculi latitudo, vt tegendis lateribus Orientali & Occidentali iā nō quadragena, ſed quinquagena cubita ſint neceſſaria: ad ea tegenda proficere potuit capillaciorum velorum longitudo amplior quàm aulæorum, vt non ambo cubita quibus binis longiora ſunt quinque ex vna parte impenderentur, ſed cubitum ex hoc & cubitum ex hoc: ac ſi haberet ex ipſa ſuperabūdātia latus Orientale cubita decem, & Occidentale alia decem, Viginti enim fiunt bina decem, quia velis vndecim cubita triginta duplicatione & ſubtectione ab hoc ambitu detrahuntur. Sed quoniā id quod Latinè interpretatū eſt, Cubitum ex hoc, & cubitū ex hoc, ex eo quod ſuperat velis de longitudine velorum tabernaculi erit contegens ſuper latera tabernaculi: Græcus habet πλάγια, quæ Latini nonnulli nō latera ſed obliqua interpretati ſunt: meritò mouet, quia & ſi nihil hîc videatur obliquum, vbi omnes anguli quatuor laterum recti ſunt, πλάγια tamen dici latera illa non poſſunt, quorum vnum eſt in facie, alterum retro, id eſt, Oriētale & Occidentale: ſed πλάγια dici poſſunt à dextro & à ſiniſtro, id eſt, Aquilonio, & Auſtrali. Cùm ergo nō ſunt ea πλάγια quę habent cubita quinquagena, quibus lateribus tegendis potuiſſe diximus ſuperare longitudinem capillaciorum velorum, quomodo erit verum, Cubitum ex hoc, & cubitum ex hoc, ex eo quod ſuperat velis de longitudine velorum tabernaculi erit contegens ſuper latera tabernaculi? Sed nimirum de illis lateribus tegendis loquitur, quæ etiam dorſa appellat quindenorum cubitorū columnarúmque ternarum, quæ cum porta atrii habente cubita viginti & columnas quatuor, quinquaginta complent cubita & columnas decem. Hæc latera exiſtis ſuis finibus in medium poſuerunt atrii portam, ex illis autem oſtium tabernaculi inter portam atrii & oſtium tabernaculi ſpatium iacet, quantū cūbita illa concludūt viginti à porta & dextra leuáq; quīdena. In eo ſpatio eſt altare tabernaculi, & inter altare tabernaculi labrū ęreū, vbi ſacerdotes manus & pedes lauabāt. Diligenter autē mēſuris examinatis, fortaſſe in iſtis lateribꝰ ternarū colūnarū, quæ πλάγια Græcè dicta ſunt, nonnulla etiā obliquitas inuenitur, vt non fruſtra quidam interpretes noſtri obliqua interpretarentur, quæ in Græco πλάγια repererunt. Non enim vela capillacia quindenis cubitis ſuis poſſunt tegere quindena cubita tentoriorum in illis lateribus, niſi poſterioribus partibus tabernaculi, antequam ad illa latera deflectantur, non amplius quàm dena cubita dependerint ex linea recta poſterioris tabernaculi, id eſt, à parte Occidentis, quæ linea cùm habuiſſet octo columnas pertinētes ad interius tabernaculum, decem habere cœpit additis lateribus atrii exterioris, & cùm habuiſſet cubita quadraginta ad octo columnas pertinentia, quinquaginta habere cœpit in columnis decem. Ex hac ergo linea cùm tecta fuerint velis capillaciis, dena cubita ab vtroque angulo venientia, reſtabunt in medio triginta non tecta velis capillaciis, ſed illis tantummodo aulæis, in quorum triginta cubitorum medio per quotlibet cubita

bita tenderentur, erat ostium tabernaculi. Proinde illa latera trinarum columnarum & quindenorum cubitorum, si ex illis finibus suis, quibus sibi iungebantur portæ atrii, patebant inter se cubitis viginti, quia tantum habebat porta quæ illa latera dirimebat: ex aliis autem finibus quibus hærebant posteriori illi lineæ tabernaculi, de qua locuti sumus, habebant inter se cubita triginta: proculdubio erant obliqua, quoniam plus inter se patebant ex hac parte vbi habebant media cubita triginta, quàm ex illa parte vbi habebant media cubita viginti. Ita illa decẽ cubita capillaciorum velorum, quod erat dimidium abundantis lõgitudinis, quæ proficiebant posteriori parti tabernaculi, hoc est, Occidentali, sicut alia decẽ proficiebant priori parti, id est, Orientali quinis cubitis, complebant tecturam laterum illorum, quæ Græcè πλάγια dicta sunt, inde quinque & hinc quinque. Quæ si defuissent, dena cubita tegerentur in eisdem lateribus, & quina nuda essent. Itaque quantùm mihi videtur, melius intelligitur hinc esset dictũ, Cubitum ex hoc, & cubitũ ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi, non quia erant cùm hinc & inde quina essent, sed quia ex illa lõgitudine redũdabant, in qua binis cubitis erãt aulæis capillacia longiora, ex quibus duobus cubitis vniuscuiusq; veli cubitum profecerat parti Orientali, restabat vtique alterum cubitum parti Occidentali, vt cubitum ex hoc esset cõtegens super πλάγια tabernaculi. Vnde dictũ est, Hinc atque hinc, vt operiat: quia non operiebat totum, si eadem quina cubita defuissent. Nunc iam quoniam satis disputatum est, quomodo illa omnia intelligenda sint, quæ in tabernaculi constitutione videbantur obscura, breuiter si possumus enitamur ostendere, quid sit eadem disputatione confectum. Ab Occidente igitur trahebatur, & prima erat ingrediendi porta atrii, quæ patebat viginti cubitis, & habebat quatuor columnas, quibus depẽdebat velum viginti cubitis extentum, erectum autem cubitis quinque, quatuor illis sæpe commemoratis coloribus acu picto opere variato. Hac porta ingrediens excipiebatur atrio, cuius latera dextra læuáque quindenis cubitis & ternis columnis porrigebantur introrsus, vt in medio ponerent ostium tabernaculi interioris in ea parte qua perueniebant, sicut in medio ponebant portam atrii ab ea parte vnde incipiebant. Hoc itaque atrium latius erat quàm longius. Nam longitudo eius erat à porta ipsius vsque ad ostium tabernaculi interioris in cubitis fermè quindecim, latitudo autem circa portam in cubitis viginti, circa ostium verò in cubitis triginta. Vnde obliqua illa latera fuisse intelliguntur, quæ dextera læuáque in columnis ternis & quindenis cubitis erant. In hoc atrio erat altare sacrificiorum quadratum, quinque scilicet cubitis longum & totidem latum. Inter portam & altare spatium erat, vbi versabãtur qui sacrificia imponebant altari. Introrsus verò inter altare & ostium tabernaculi, locus erat cineris ante altare, & deinde labrum æreum vbi manus & pedes sacerdotes lauabant, vel altari in atrio seruituri, vel tabernaculum interius ingressuri. Tẽtoria porrò huius atrii in lateribus ternarum columnarum byssina erant, extenta cubitis quindenis, erecta cubitis quinis. Ab hoc ergo atrio intrabatur ostiũ tabernaculi, cùm trãsisset altare & labrum æneum. Intrabatur autem apertis aulæis, quibus decem, quinque hinc & quinque inde ex aduerso sibimet constitutis, totum ipsum interius tabernaculum cĩgebatur. Quo ostio ingresso, occurrebat velum, quod ad ostium fuerat oppositũ, in quinque columnis extentum, variatum illis quatuor coloribus. Quod velum cùm faciendum præciperet, adductorium vocauit: credo quòd curreret ducendo & reducendo, cùm operiret atque aperiret ingressum. Transito isto velo, excipiebat pars tabernaculi media inter hoc velũ & illud alterum interius, quod columnis quatuor fuerat impositum ex illis quatuor coloribus factum: & separabat inter Sancta quæ forinsecus erant, & Sancta sanctorum interius posita. In hoc itaque medio spatio inter ista duo vela, mensa erat aurea, quę habebat panes ꝓpositionis in parte Aquilonis, & contra eam cãdelabrum aureum septem lucernarum in parte Austri. Hucusque secundis sacerdotibus licebat intrare. Interius autem, id est, in Sanctum sanctorum intra velum quatuor columnarum, arca erat testimonii deaurata, in qua erant tabulæ lapideæ Legis, & virga Aaron, & vrna aurea cum manna, & propitiatoriũ desuper aureũ, vbi stabant duo Cherubim alis obumbrantes propitiatorium, & intuentes inuicem ad ipsum. Ante arcam verò, id est, inter arcam & velum, positum erat altare incensi, quod aliquando aureum dicit Scriptura, aliquando deauratum: aureum vtique appellans quod erat inauratum, Ad hæc Sancta sanctorum nisi summo sacerdoti non licebat intrare quotidie, propter inferendum incensum. Semel autem in anno cum sanguine ad purificandum altare, & si quando fortè exigebat necessitas pro peccato sacerdotis, aut vniuersæ synagogæ, sicut in Leuitico scriptum est. Sic intrabatur in tabernaculum ab Occidente, id est, à porta Austri vsque ad latus Orientale introrsus, vbi erat arca testimonii. Hoc autem interius tabernaculum, quod incipiebat non à porta atrii, sed ab ostio, quod appellabatur ostium tabernaculi, & finiebatur in longum latere Orientis, vbi erat arca testimonii, decem aulæis concludebatur, quorum erant singula vigintiocto cubitorum, quinque hinc, & quinque inde sibimet connexa ansulis & cir

culis ex aduerſo ſibimet conſtituta, & columnis vicenis in lateribus lõgioribus Aquilonis atque Auſtri,& columnis octo à latere Occidentis: à latere autem Orientis nullis columnis,ſed ſolis aulæis. Quæ aulæa decem erigebantur in cubitis quatuor, & per totum circũitum tendebantur in cubitis ducentis octoginta, quorum centena in lateribus erant longioribus Auſtri & Aquilonis per vicenas colũnas: quadragena verò cubita in reliquis duobus lateribus breuioribus, vno Occidentis per columnas octo,altero Orientis vbi columnæ non erant, ſed ſola tendebantur aulæa, de ſolis duabus angularibus columnis, mediis autem nullis. Et erant hæc aulæa decem de quatuor coloribus texta, hoc eſt,interius tabernaculum circundabatur atrio ab Auſtro viginti columnis, & ab Aquilone viginti. Quæ duo atrii latera æqualem habebant longitudinem cum lateribus interioris tabernaculi: quia & ipſa vicenis columnis porrigebantur in cubitis totidem,id eſt,centenis. A latere autem Orientis atrium concludebatur columnis decem, cubitis quinquaginta. Qui ordo columnarum rectus erat,& incurrebat in illas duas angulares interioris tabernaculi,quas ſolas Orientis pars habebat. Proinde cum ipſis complebantur decem. A latere autem Occidentis habebat quidem atrium decem columnas,non tamen recto ordine: ſed ſicut iam oſtẽdimus tanquam triporticum, quatuor à porta & ternis à lateribus. Vniuerſũ autẽ atriũ in circũitu tabernaculi tẽtoriis byſſinis cĩgebatur, quę erigebãtur cubitis quinq;,his ſuperueniẽbãt vela capillacia vndecĩ ex vna parte ſibimet quinque connexa, ex alia ſex. In connexione ergo quinque velorum, cubita erant centum quinquaginta, ex alia verò parte in connexione ſex velorum, cubita erant centum octoginta: quoniam vela ſingula tricenorum fuerant cubitorum. Sed vt alia pars alteri coæquaretur,duplicatum eſt vnum velum à facie tabernaculi,id eſt, ab Oriente,& ſubtectum eſt dimidium velum à parte poſteriore,id eſt,ab Occidente:atque ita ſubtracta ſunt cubita triginta,quãta erat veli vnius lõgitudo: & remanſerunt centum quinquaginta, quanta etiam ex parte altera fuerunt. Circumitus itaque velorum capillaciorum,quo cingebatur atrium tabernaculi,trecentis cubitis tendebatur, ſicut circũitus decem aulæorum interioris tabernaculi,cubitis octoginta. Aulæa quippe ſingula habebant cubita vicena & octona in longitudine: capillacia verò vela tricenis cubitis longa erant. Quapropter ex ambitu aulæorum interioris tabernaculi,qui erant in cubitis ducentis octoginta, centena cubita in lateribus longioribus erant, Auſtri & Aquilonis,& quadragena in duobus breuioribus, Orientis & Occidentis. Ex ambitu autem capillaciorum velorum,quo atrium exterius tegebatur,quia ambitus erat in cubitis tricenis,centena erant in lateribus longioribus Auſtri & Aquilonis: quoniam æqualia erant lateribus tabernaculi interioris: quinquagena autem in reliquis duabus partibus Orientis & Occidentis. Ac per hoc duo illa cubita,quibus longius erat aulæo velum capillacium, non lateribus Auſtri & Aquilonis,quæ paria erant atrii exterioris & tabernaculi interioris, ſed lateribus Orientis & Occidentis proficiebant. In eis enim lateribus creuerat tabernaculi latitudo, circumpoſito extrinſecus atrio: ſed quinquagena cubita velorum capillaciorum à parte Orientis per decem columnarum recto ordine tendebantur, eíſque proficiebat vnum cubitum ex duobus illis, quibus eorundẽ velorum maior fuerat longitudo. Alia verò cubita quinquaginta,quæ Occidentali lateri debebãtur,quibus alterum ex duobus illis cubitum proficiebat,non tendebantur per columnarum ordinem rectum. Ibi enim erat illa tanquam triporticus,quę concludebat ſpatiũ atrii,vbi eſſet altare ſacrificiorum,quatuor columnis à porta & lateribus ternis. ac per hoc non poterant etiã cingere illa cubita quinquaginta, ſed vſq; ad cooperienda illa obliqua latera tendebantur,quæ in columnis ternis & quindenis cubitis erant. Erigebantur autem capillacia vela cubitis quatuor, eíſque tegebantur atrii tentoria byſſina, quorum erat erectio in cubitis quinque, pelles verò rubricatæ ſuper capillacia vela veniebant. Deſuper autem, id eſt,à parte tecti vice cameræ,tabernaculum pellib⁹ hiacynthinis tegebatur: vtrùm cum atrio & ſpatiũ illud interius non apparet: ſed credibilius eſt,atrii ſpatia,quæ inter exteriores & interiores columnas erant, velum apertum habuiſſe,maximè illud Occidentis, vbi erat altare ſacrificiorum.

DIVI AVRELII AVGVSTIni Hipponenſis Epiſcopi, Liber tertius Quæſtionum ſuper Leuiticum.

Quomodo intelligẽdũ ſit illud, Qui non nuntiauerit volẽtẽ peierare, accipiet peccatum. An hoc vitium per proditionẽ ſit fugiendum.

SI autem anima peccauerit, aut audierit vocem iurationis, & ipſe teſtis fuerit, aut viderit aut conſcius fuerit, ſi non vtique nuntiauerit, & accipiet peccatum. Quid hoc eſt,ſi non nuntiauerit, accipiet peccatum? Quod enim additum eſt,Et locutionis eſt vſitatæ in Scripturis. Verùm iſte ſenſus quia obſcurus eſt,exponendus videtur. Hoc enim videtur dicere, peccare hominem, quo audiente iurat aliquis falſum,& ſcit eum falſum iurare,& tacet. Tunc autẽ ſcit,ſi ei rei, de qua iuratur teſtis fuerit, aut vidit aut conſcius fuit, id eſt, aliquo modo cognouit, aut oculis ſuis conſpexit, aut ipſe qui iurat illi indica- Leuit. 5

dicauit. Ita enim potuit esse conscius. Sed inter timorem huius peccati, & timorem proditionis hominum, non parua extitit plerunque tentatio. Possumus enim paratum ad periurium admonendo vel prohibendo à tam graui peccato reuocare. Sed si non audierit, & coram nobis de re, quam nouimus falsum iurauerit, vtrùm prodendus sit, si proditus etiam in periculum mortis incurrat, difficillima quæstio est. Sed quia non expressit cui hoc indicandum sit, vtrùm illi cui iuratur, an sacerdoti vel cuipiam, qui non solùm eum persequi non potest, irrogando supplicium, sed etiam orare pro illo potest. Videtur mihi quòd se hoc soluat à peccati vinculo, etiam si indicet talibus, qui magis possunt prodesse, quàm obesse periuro, siue ad corrigendũ eum, siue ad Deũ pro illo placandum, si & ipse confessionis adhibeat medicinam.

Quid sit vult quòd pro tacito cuiusquam periurio, & pro eo quod tangitur morticinum, vel aliquid immundum, nullum sacrificium commemoratur. pro eo verò vbi quid falsum quisque nescienssiurauit, dixit offerre agnam vel capram.

2 *Leuitic.5* Post hoc autem peccati genus, quod de periurio alicuius non indicato commemorauit, nullum pro eo sacrificium iussit offerri, sed deinde subiunxit, Anima quæcunque tetigerit omnem rem immundam, aut morticinum iumentorum, aut à fera capti immundi, aut eorum quę sunt morticina abominationum immundarum, morticinum iumentorum immundorum, aut tetigerit immunditiam hominis, ab omni immunditia cuiusquam si tetigerit, inquinabitur, & si latuerit eum, post hoc autẽ cognouerit, etiam deliquerit. Neque hoc sacrificiũ ꝓ isto genere peccati, quod offeratur cõmemorauit: sed adhuc adiecit, & ait, Anima quæcunq; iurauerit, distinguens labiis malefacere aut benefacere, secundum omnia quæcunque distinxerit homo iureiurando: & latuerit eum, & id cognouerit, & peccauerit vnum ex his, & confessus fuerit peccatum pro quo peccauit aduersus ipsum. His omnibus sine aliqua interpositione sacrificii connexis & explicatis, adiungit & dicit, Et offeret pro his quæ deliquit Domino pro peccato quo peccauit, fœminam ab ouibus agnam, aut capram de capris pro peccato: & exorabit pro eo sacerdos pro peccato, & remittetur illi peccatum. Quid est ergo quòd pro tacito cuiusquam periurio, & pro eo quòd tangitur morticinum vel aliquid immundum, nullum sacrificium commemorauit: pro eo verò peccato vbi quid falsum quisque nesciens iurauit, dixit offerri agnã vel capram? An pro omnibus suprà dictis hoc sacrificium oportet intelligi? Voluit enim prius omnia enumerare, & sic inferre quo sacrificio possint expiari. Sed in eis omnibus suprà dictis generibus peccatorum, sunt quædam propter locutionum modos subobscurè posita, sicuti est quod ait, Morticinum iumentorum. Ea enim quæ Græcè κτήνη appellãtur, plerique nostrorũ iumenta interpretati sunt: quod nomen in Latina consuetudine eorũ animalium est, quorum laboribus adiuuamur, maximè in portandis oneribus, sicut sunt equi, asini, muli, cameli, & si quid huiusmodi. Quæ vero Græci κτήνη vocant, tam latè intelligũtur, vt omnia aut prope omnia pecora isto nomine concludantur. Et ideo non genere locutionis velut πλουνασμῷ additum est in Græco immundorum, cùm diceretur, iumentorum: quoniã sunt etiam munda pecora quæ κτήνη appellantur. Quæ autem iumenta vsus Latinus, appellat secundum Legis dictionem non nisi immunda sunt.

Quid sit Distinguere, quo Scriptura frequenter vtitur. Item quid sit agna fœmina, & quid quod dicitur, Post hoc autẽ cognouerit & deliquerit.

Item quod ait, Anima quæcunque iurauerit, distinguens labiis malefacere aut benefacere, quæritur quid dixerit, Distinguens. Assiduè quippe hoc verbum ponit Scriptura. Vnde est & illud, Reddam vota mea quæ distinxerunt labia mea. Item dicitur ad Ezechielem, Cùm dicam iniquo morte morieris, & tu non distinxisti, neque locutus es. Item scriptum est, Si qua in domo patris sui constituta vouerit votum, distinguens labiis suis aduersus animam suam. Videtur ergo ista distinctio quasi definitio esse, qua secernitur aliquid à cæteris, quæ solo dicto nõ tenentur. Sic ergo accipiatur tanquam dictum sit, Anima quæ iurauerit diffiniens labiis malefacere, aut benefacere, secundum omnia quæ diffinierit homo cum iureiurando, & latuerit eum, id est, nesciens faciendum esse vel non faciendum, iurauit facere. Et id cognouerit, & peccauerit vnũ ex his: siue quia iurauit, antequam cognosceret, siue quia fecit iurauit, & cognouit postea, quia non fuit faciendum neque iurandum. Et confessus fuerit peccatum quod peccauit, id est, peccatum quod peccauit: locutio est enim. Quod autẽ addidit Aduersus ipsum, quid intelligitur, nisi aduersus ipsum peccatum confessus fuerit, id est, confitendo peccatum accusauerit? Et offeret pro his quæ deliquit Domino pro peccato quo peccauit, fœminam ab ouibus agnam. Vsitata locutione agnam fœminam dicit, quasi possit esse aut agna nisi de ouibus, aut capra nisi de capris. Nonnulla autem quæstio est, imò non parua, quid sit quòd assiduè dicit, Post hoc autem cognouerit & deliquerit, quasi tunc fiat delictum, cùm fuerit cognitum. An potius quia nisi pro cognito satis fieri non potest. Sed non ait, Post hoc autẽ cognouerit & pœnituerit eum. Quid ergo est, Post hoc cognouerit & deliquerit, nisi post cognitionem deliquerit, vt si sciens fecerit quod faciendum non esset, tunc delicto purgatio debeatur? Sed ita non prælocutus est. Ea quippe videtur exequi peccata, quæ ab ignorantibus, & per hoc à nolentibus committuntur. For- 3 *Leuitic.5*

Psalmo 65 *Ezechie.3* *Num.30*

tassis,ergo aliquo genere locutionis Deliquerit dictum est, delictũ esse didicerit. An potius conuerso ordine dictum est, quia alia genera locutionis habet Scriptura,quòd per alia loca similia recto ordine dicebantur? Nam cùm alibi toties scriptum sit, Et deliquerit & cognitum fuerit ei,hîc tantùm commutato(vt dixi) ordine,prius dictũ est,Cognouerit,deinde Deliquerit. Ordine autem suo ita dici posset, Anima quæcunque tetigerit omnem rem immũdam aut morticinum, aut à fera capti immundi,aut eorum quæ sunt morticina abominationum immundarum,morticinum iumentorum immundorum, aut tetigerit immunditiam hominis,ab omni immunditia eius: si tetigerit inquinetur: & si latuerit eũ cùm deliquerit, post hoc autem cognouerit.

Quomodo iuxta sturturum offerebatur pro peccato, alter in holocaustum.

4 Leuit. 5 Si autem non valet manus eius quod satis est in ouem,offeret pro peccato suo,quod peccauit,duos turtures aut duos pullos columbinos Domino,vnum pro peccato,& vnũ pro holocausto mate. Certè hîc aperit quæstionem, de qua superius cùm loqueretur ambigebamus. Ideo quippe videtur dicere vnũ pro peccato, alterum pro holocausto mate, quoniam non offerebatur sacrificium pro peccato,nisi cum holocausto. Denique cùm prius seorsum de holocaustis loqueretur, commemorauit turturem,& non dixit Duos: nunc verò ideo duos dixit, quia sacrificium pro peccato sine holocausto mate non offerebatur. Quòd ergo superius dicebat,Et impones super holocaustoma: non est dubium quòd prius holocaustoma, deinde illud superimponebatur. Nunc verò de auibus aliter dicit, vt prius offeratur pro peccato vna auis, deinde altera pro holocausto mate.

Quomodo intelligendum, Anima si latuerit cùm oblitus est ei.

5 Leuit. 5 Quòd autem ait,Anima si latuerit, cùm obliuio est ei,id est,si obliuione factũ fuerit, vt lateat eum, vel eam,si ad animam refers: quoniam eum dicendo,ad hominem retulit. Animam quippe hîc hominem dicit.

Quid sit A Sanctis obliuione peccare.

6 Et si 5 Et si peccauerit nolens à sanctis Dominum, &c. Videtur obscurè positum hoc peccati genus: sed in consequentibus aperitur, vbi dicit,quòd post oblatum de ariete sacrificium restituet illud,& quintas adiiciet. Ibi enim intelligitur hoc esse à sanctis obliuione peccare, aliquid per obliuionem vsurpare,quod debetur Sanctis,siue sacerdotibus,siue oblationib⁹ vel primitiarum, vel quidquid huiusmodi.

Quid sit Delinquere faciendo vnum ab omnibus præceptis Domini, quæ non oportet fieri.

7 Leuit. 5 Et anima quæcunque peccauerit,& fecerit vnum ab omnibus præceptis Domini,quæ non oportet fieri, & non cognouerit & deliquerit,& non cognouerit peccatum suum,offeret arietẽ sine macula de ouibus pretio argẽti in delictum ad sacerdotem: & exorabit pro eo sacerdos,propter ignorantiam eius qua ignorauit, & ipse non sciuit: & remittetur illi. Deliquit enim delictum ante Deum. Excepta locutionũ inusitata dẽsitate,quæ iam propter assiduam repetitionem debent esse notissimæ, totus iste sensus obscurus est: quoniam quæritur quomodo discernatur hoc genus delicti ab eis quæ superius quadam generalitate complexus est. Videtur enim hoc ratio poscere, vt certis generibus peccatorum,certa quibus expiẽtur sacrificiorum adhibenda sint. Hoc autem quod modò commemoraui, non specialiter exprimit peccatum, sed in ea generalitate videtur versari, de qua antè cùm diceret, constituit sacrificium sacerdoti vitulum,& vniuersæ synagogę similiter vitulum,principi caprũ, & cuicunque animæ,hoc est,cuicunque homini,capram,vel si voluerit ouem, tamen fœmineum pecus. Deinde cœpit excepta facere quędam genera peccatorum,& nominatim exprimere pro quibus quid offerẽdum sit: velut de audito & tacito cuiusquam periurio,& de tactu morticinio & immundo,& iuratione falsa per ignorantiam: & de ouibus agnam aut capram de capris,aut par turturum,aut duos pullos columbinos, aut decimam partem ephi similaginis pro eo autem peccante,qui per obliuionem aliquid sanctorum vsurpauit,arietem & eiusdem rei restitutionem quintis adiectis. Nunc verò non expressa specie peccati, generaliter addit,Anima quæcũque deliquerit,& fecerit vnum ab omnibus præceptis Domini quæ non oportet fieri: sic in illa generalitate vbi dicebat, Vnũ ex præceptis Domini quod non fiet, & non cognouerit & deliquerit, id est,per ignorantiam nolens peccauerit, arietẽ iubet offerri, non capram aut fœminam ex ouibus, sicut superius in tali peccatorum generalitate constituerat. Quid sibi ergo vult ista permistio: nisi fortè quod hîc dixit, Deliquit enim delicto delictum ante Dominum? Hoc quod ait,Ante Dominũ: in his voluit delictũ intelligi,quæ fiunt ante Dominum,id est,à quibus Domino in tabernaculo deseruitur: vnde aliquid paulò antè dixerat cùm ait, Peccauit à Sanctis,& intelleximus,& vsurpauit aliquid Sanctorum,quod etiam restitui præceperat. Ac per hoc non sic tantũ peccari potest in his rebus,si aliquid inde per obliuionem vsurpetur: sed etiam multis aliis modis potest quisq; per ignorantiam delinquere in iis quę seruituti Domini exhibentur. Hoc voluit postea genus delictorum generaliter commemorare, & ideo & illic & hîc arietem iussit offerri. Plenæ sunt autẽ Scripturæ cùm dicitur, Ante Dominum,& non intelligitur,nisi illud quod Domino exhibetur,sicut sacrificiũ,vel primitiæ, vel aliqua in Sacris seruitus.

Vtrùm vbique accipiendum sit, Si non valet manus eius quod satis ad ouem, offerre eum debere par turturum aut duos pullos.

8 Quæritur etiam, vtrùm vbique sit accipiendum quod dictum est, Si non valet manus eius quod satis est ad ouem, offerre eum debere par turturum, aut duos pullos columbinos: & si hoc quoque non valet, certam similaginis quantitatem: quoniam si vbique ita licere intelligitur, non potest quidem dici sacerdotem non habere vitulum, aut vniuersam synagogam, aut principem non habere caprum vel ouem. Et si ita est, quid opus erat postea dicere, tacitum cuiusq; iam periurium, aut tactum immundum, & periurium per ignoratiam factum, purgari sacrificio agnæ & capræ, quum eadem sacrificia præcepta sint, etiam in ista generalitate peccati, ad quam generalitatem etiam ista potuerant pertinere? Si autē hinc ista discernuntur, quo licebat pro eo turtures & columbas, vel etiam si hoc non esset, similaginem offerri, ibi autem vbi non dictum est non licebat: non videtur subuentum esse pauperibus: quoniam multa possunt esse delicta non specialiter expressa, quæ ad illam generalitatem referuntur, vbi grauarētur inopes, si tantummodo capram fœminam & agnam ex ouibus, & illas aniculas, & similaginem licebat offerri. Nisi fortè quis dicat, hoc discerni ista excepta & nominatim expressa peccata, ab illis quæ generaliter commemorata sunt: quia hic agnam dixit, ibi ouem, vt ætas pecorum aliquam differentiam faciat: dum tamen intelligatur pauperibus peræquè subuentum, vt si non haberent vlla animalia quadrupedia, aut memoratas aues aut similaginem offerrent pro peccatis ignorantiæ suæ. Si autem mouet, quare quum generaliter omnia ignorantiæ peccata cōcluserit, & sacrificia, non pro distātia peccatorum, quam non fecerat, sed pro distantia personarum distinxerit, postea voluerit etiam peccata distinguere, & pro eorū diuersitate sacrificia diuersa præcipere, quasi non ad illam generalitatem omnia pertinerent. sic factā posteriùs exceptionem oportet intelligi, vt quæcunque remanserint his exceptis, quę nominatim & speciatim commemorauit, dicta in illa generalitate intelligamus. Quem modum locutionis alibi reperiri certum non est, sed esse in Scripturis sanctis. Tale est illud vbi Apostolus ait, Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est. Hinc enim nihil videtur intermisisse peccati, quandoquidem ait, Omne peccatum quodcunque fecerit homo: postea tamen excepit fornicationem, quum intulit, Qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat. Quod secundum cōsuetudinem nostrę locutionis ita diceretur, Omne peccatū quodcūque fecerit homo excepta fornicatione, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat. Ita & hîc, quum prius generaliter omnia ignorantiæ peccata diceret illis quæ commemorauit sacrificiis expianda: postea tamē excepit illa, quibus expresse & distinctè positis, certam sacrificiorum purgationem adhiberet, vt his exceptis quæcunque reliqua essent, ad illam generalitatem pertinerent.

Leuitic. 5

1. Corinth. 6

Quid sibi vult, Offeret ab ouibus sine macula pretio in quod deliquit, &c.

Offeret arietem ab ouibus sine macula 9
pretio in quod deliquit. Non ita distinguendū Leuitic. 5
est, quasi pretio, in quod pretiū deliquit: sed si offeret arietē, pretio offerat, id est, emptum. Etiam hoc videtur ad sacramentū alicui⁹ significationis pertinere voluisse: quoniā pretium ipsum nō definiuit. Nā si definisset, posset videri hoc præcepisse, ne vile pecus offerretur, vt etiam si non emeret qui offerret, tale tamē offerret quod tanti valeret. Addito autem, vt nō solùm pretio emptus aries offerretur, verumetiam siclorum sanctorū. Ita enim dicit, Pretio argenti siclorum sanctorum, aliquot siclis vt ematur aries, nō vno siclo voluit. Quid sibi autem velit siclum sanctū, iam vbi visum est disseruim⁹. Quòd verò cùm dixisset, Et delicti sui offeret Domino arietem ab ouibus sine macula pretio: dein de addidit, In quod deliquit: intelligēdum est in id offeret, in quod deliquit, id est, in eam rem, propter eam rem. Et auferet holocarpoma quod consumpserit ignis, illā holocaustosim ab altari. Quid auferet quod consumptum est? Iussit enim sacerdotem auferre post totius noctis ignē holocarpoma, id est, holocaustū, quod ignis cōsumpserit. Vel quid sibi vult etiā illud quod addidit, Illam holocaustosim, cùm hoc intelligatur holocarpoma, quod holocaustosis: nisi fortè illud est verum, quod in quodam Græco inuenimus. Non enim ait, Auferet holocarposim: sed Auferet catacarposim, hoc est, reliquias holocausti quod ignis cōsumpsit. Has autem reliquias, veluti est cinis & carbo, appellauit illam holocaustosim, eius rei nomine quæ consumpta est, reliquias ipsius consumptionis appellans.

Quis ordo & sensus illorum verborum, Ista holocaustosis super incensionem eius &c.

Quod autem suprà dixit, Ista lex holo- 10
causti: & deinde exponens, quæ sit eadem lex Leuitic. 6
dicit, Ista holocaustosis super incēsionem eius super altare totam noctem vsque in manè, & ignis altaris ardebit super illud, non extinguetur, planius etiam secundum nostræ consuetudinis locutionem si non haberet ET. Nam ista coniunctione detracta, ita sensus cōtexitur, Ista holocaustosis super incensionem eius super altare totam noctem vsque in manè ignis altaris ardebit super illud, id est, super altare. Deinde ad cumulum exprimendæ sententiæ intulit, Non extinguetur. Nam hoc iam erat dictum, Tota nocte.

Quid est, Abiciet holocarpoma, seu holocaustomata extra castra.

Et induet stolam aliam, & abiiciet holocar- 11
poma extra castra in locū mundū. hoc appellat Leuitic. 6
holocarpoma, quod iam concrematum est, hoc

autem in illo Græco catacarpoſis legitur. Quidam verò Latini addid erunt, Quòd conſecratum eſt: & ita interpretati ſunt, Et abiiciet holocarpoma quod conſecratum eſt, extra caſtra in locum mundum.

Quid ſit, Ignis altaris ſemper ardebit ab eo & nō extinguetur.

12 Et ignis altaris ſemper ardebit ab eo, & nō
Leuit.6 extinguetur, id eſt, ab illo igne, in quo arſit holocauſtum vſque in manè. Non vult enim ignē prorſus extingui: ſed cùm vſq; in mane arſerit holocauſtū, ablatis inde reliquiis cōſumptionis, nec ſic extingui ignem: ſed inde iterum renouari, quo ardeant alia quæ imponuntur.

An quum dicit, Et ſuper illud exuret ſacerdos ligna mane, quotidie intelligatur fieri.

13 Quòd autem ſequitur & dicit, Et exuret ſu-
Leuit.6 per illud ſacerdos ligna manè, & ſtipabit ſuper illud holocauſtum, & ſuperponet ſuper illud adipem ſalutaris, & ignis ſemper ardebit ſuper illud, & non extinguetur: videndum eſt vtrùm manè quotidie voluerit intelligi, vt nullus dies prætermitteretur quo non inueniretur holocauſtum & adeps ſalutaris: an manè ideo, vt quocunque die imponeretur, nonniſi manè imponeretur? Si enim quotidie intelleximus, quid ſi nullus offerret? Si autē tanquā de publico, vel de ſuo ſacerdotes quotidiana holocauſta procurabāt, ſuper ipſa imponebātur ea quæ iuſſit à populo oblata pro peccatis ſuper holocauſta imponi: & nō erat neceſſe offerenti ſacrificia pro peccato etiam holocauſtum offerre, ſuper quod illud imponeretur, niſi quando par turturum offerebatur, aut duo pulli columbini. Nam ibi omnino definitū eſt vnum pro peccato, alterum in holocauſtum offerri oportere, & prius pro peccato, deinde holocauſtum. Deinde quæri poteſt, vtrùm holocauſtum, quod manè iuſſit imponi, ipſum etiam per totam noctem arderet vſque ad alterum manè, an illud quod ait, tota nocte ardere debere, holocauſtum fuerit veſpertinum, & deinde cœperit de lege holocauſti dicere, vt à veſpertino holocauſto inciperet, quod mirum eſt ſi taceret, nec admoneret talia veſpere offerre oportere.

Quid eſt quod dicitur, Illud donū Aaron & filiorū eius, &c.

14 Et loquutus eſt Dominus ad Moſen dicēs,
Leuit.6 Iſtud donum Aaron & filiorum eius, quod offerunt Domino in die quacūque vnxeris eum.
Exod.29 Alia ſunt ſacrificia quæ cōmemorauit in Exodo, quibus per ſeptem dies ſanctificantur ſacerdotes, vt ſacerdotio ſuo fungi incipiant, & aliud eſt quod modò commemorat quid offerat ſummus ſacerdos, quando conſtituitur, id eſt, quando vngitur. Hoc enim ſequitur & dicit, In die quacunque vnxeris eum. Non dixit Vnxeris eos, quum etiam ſecundos ſacerdotes vngi præcipiat. Deinde dicit ipſum ſacrificium decimam partem ephi ſimilaginis in ſacrificium ſempiternum. Quæritur quomodo ſempiternum, ſi illud eo die offertur quo vngitur ſummus ſacerdos ab illo qui vnctus eſt, niſi vt ſēper hoc offeratur in die quo vngitur ſummº ſacerdos, hoc eſt, per ſucceſsiones ſacerdotum? quanuis & illo modo ſempiternum poſſit intelligi, non hoc, ſed quod ſignificat.

Quid eſt, Dimidium eius mane, & dimidium poſt meridiem. Et quid ſit freſa.

Dimidium eius, inquit, manè, & dimidium 15
eius poſt meridiem: quod Græcus habet δεκτὸν. *Leuitic.6*
In ſartagine, inquit, in oleo fiet conſperſa: offerat eam freſam, id eſt, eam ſimilaginem. Deinde dicit freſa, ſi tamē hoc rectè interpretatū eſt ex illo, quod Græcus habet ἐλαικτὰ, & pluraliter hoc poſuit genere neutro. Nō enim ait freſam, tanquā eandem ſimilaginem quam dixerat conſperſam. Hęc autem freſa ſacrificium de fragmentis eſſe dicitur. Vtrùm ergo freſa dicat ipſa fragmenta, id eſt, comminuta, an ipſa minutiſsima ſimilaginis freſa dixerit, non eſt euidens.

Quid ſit, Sacerdos vnctus, qui pro illo eſt ex filiis eius, faciet illud, &c.

Sequitur autem & dicit, Sacrificium in o- 16
dorem ſuauitatis Domino ſacerdos vnctus qui *Leuitic.6*
pro illo eſt ex filiis eius faciet illud. Propter hoc fortaſsis dixerat ſempiternum, vt hoc faciat omnis ſummus ſacerdos, quando ſuccedit mortuo, eo die quo vnctº fuerit. Adiunxit enim, & ait, Lex æterna, quum poſſet æternum ſecundum id intelligi quod ſignificat.

Quid, Omne conſummabitur.

Sequitur autem, Omne conſummabitur. 17
Quod ergo Græcus ὁλοτελεσθήσεται, & aliqui in- *Leuitic.6*
terpretes dixerunt, Omne imponetur: vbi vult intelligi eſſe holocauſtum, quia nihil exinde remanet. Denique adiūgit, Et omne ſacrificium ſacerdoti holocauſtum erit, & non edetur. Hoc ergo dixerat, Omne conſummabitur.

Et quid illud, Sacerdos qui imponet mādu cabit illud, &c.

De ſacrificio pro peccato cùm diceret, Sa- 18
cerdos qui imponet illud, manducabit. Non *Leuitic.6*
hoc quod imponit, māducabit: nam illud igni conſumetur, ſed quod inde remāſerit. Non enim holocauſtū eſt vt totū ardeat in altari. Dicit autē poſtea, Omnia quæ pro peccato ſunt, ex quibus illatum fuerit à ſanguine eorū in tabernaculum teſtimonii, exorari in Sancto, non edetur, ſed igni cremabitur. Quomodo ergo ad ſacerdotes pertinent manducanda, quæ remanent de ſacrificiis pro peccatis? Quod intelligendum eſt, hęc excepta eſſe, de quorum ſanguine tangitur illud altare incenſi in tabernaculo teſtimonii. Hoc enim iuſsit fieri ſuperius de vitulo, quē pro peccato ſuo ſacerdos offerret, & de vitulo quem pro peccato vniuerſæ ſynagogæ, vt carnes que remanſerint foris extra caſtra comburantur: hoc eſt quod modò breuiter commemorauit.

Quid illud, Iſta lex eſt arietis, qui pro delicto eſt, Sancta ſanctorum ſunt.

Et iſta lex eſt arietis, qui pro delicto eſt: 19
Sancta ſāctorum ſunt, id eſt, ad ſacerdotes per- *Leuitic.7*
tinent manducanda.

Quæ differentia inuatur inter peccatum & delictum, & quid Græca lingua ad hoc conferat.

Quid

20 Quid est, quòd de ariete pro delicto cùm
Leuit.7 dixisset, legémque sacrificii exposuisset, ait, Quomodo quod est pro peccato, ita & id quod pro delicto: lex vna est eorum. Quæritur inter peccatum & delictum quæ sit differentia: quoniam si nulla esset, nullo modo diceretur, Quo modo quod est pro peccato, & quod pro delicto. Quanuis enim lex eiúsque sacrificiũ nihil distet, quia lex vna est eorum: tamen ipsa duo, quorum vnum est sacrificium, id est, peccatum & delictum, si inter se nihil differrẽt, & si vnius rei duo nomina essent, non curaret Scriptura tam diligenter commendare vnum esse vtriusque sacrificium. Fortassis ergo peccatum est perpetratio mali: delictum autẽ desertio boni, vt quemadmodum in laudabili vita, aliud est declinare à malo, aliud facere bonũ, quod ad-
Psalm.36 monemur dicente Scriptura, Declina à malo, & fac bonum: ita in damnabili, aliud sit declinare à bono, aliud facere mala: & illud delictũ, hoc peccatum sit. Nam & ipsum vocabulum si discutiatur, quid aliud sonat delictum, nisi derelictum, & qui delinquit, quid derelinquit nisi bonum? Græci autẽ duo nomina vsitata huic pesti imposuerunt. Nam delictum apud eos παράπτωμα dicitur, & πλημμέλεια. Istoipso quip-
Galat.6 pe loco Leuitici πλημμέλεια est. Apostolus autem vbi dicit, Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, παράπτωματι Græcus habet, quorum quidem nominum si origo discutiatur in παράπτωματι tanquam decidere intelligitur qui delinquit. Vnde cadauer quod Latini à cadendo dixerunt, Græcè πῶμα ἀπὸ τοῦ πίπτειν dicitur, id est, ab eo quod est cadere.

Qui ergo peccando malum facit, prius delinquendo à bono cadit. Et πλημμέλεια simile nomen est negligentiæ: nam Græcè negligentia ἀμέλεια dicitur, quia curæ nõ est quod negligitur. Sic enim Græcus dicit, Non curo ἐμέλησε. Particula ergo quæ additur πλὴ, vt dicatur πλημμέλεια præter significat, vt πλημμέλεια quod vocatur negligentia, videatur sonare sine cura. πλὴ μέλειαν, præter curam penè tantundem est. Hinc etiam quidam nostri πλημμέλειαν non delictum, sed negligentiam interpretari maluerunt. In Latina autem lingua quid aliud negligitur, nisi quod non legitur, id est, non eligitur? Vnde etiã legere à legẽdo Latini auctores appellatum esse dixerunt. His quodammodo vestigiis colligitur, quòd ille delinquit, qui bonum derelinquit, & relinquẽdo à bono cadit, quia negligit, id est, non legit. Peccatum verò vnde sit dictum, quod Græcè ἁμαρτία dicitur, in neutra lingua mihi interim occurrit. Potest etiam videri illud esse delictum, quod imprudenter, id est, ignoranter: illud peccatum quod ab sciente committitur. Huic differentiæ vidẽ-
Psal.18.ℭ.68 tur ista testimonia consonare Diuina, Delicta quis intelligit? Et illud, Quoniam tu scisti imprudentiam meam. Continuò quippe sequutus adiunxit, Et delicta mea à te non sunt abscondita: velut alio modo repetens eandem sententiam. Nec ab eadem ratione discordat, quod paulò ante commemorauit Apo- Galat.6
stoli dictum, Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto. hinc enim quòd præoccupatum dicit, imprudenter lapsum esse significat:. Peccatum verò ad scientem pertinere Aposto
lus Iacobus tanquam definiẽs, ait, Scienti igi- Iacobi 4
tur bonum facere, & nõ facienti, peccatum est illi. Sed siue illa, siue ista, siue alia aliqua differentia sit peccati & delicti, nisi aliqua esset, non Scriptura ita loqueretur, vt diceret, Quomodo quod pro peccato, ita & quod pro delicto. Lex vnã est eorum. Indifferenter autem plerunque dicuntur, vt & peccatum nomine delicti, & delictum nomine peccati appelletur. Neque enim cùm dicitur in Baptismo fieri re- Luc.3
missio peccatorum, mentio fit etiam delictorũ: & tamen vtrunque intelligitur. Sic & Dominus ait, pro multis effundi sanguinem in re- Matth.26
missionem peccatorum. Nunquid quoniam non ait, & delictorum, ideo quisquam dicere audebit in sanguine ipsius delictorum non fieri remissionem? Item quod scriptum est apud A- Roman.5
postolũ. Nam iudicium quidem ex vno in cõdemnationem: gratiam verò ex multis delictis in iustificationem: quid aliud quàm nomine delictorum etiam peccata comprehensa sunt? In hac quoque ipsa scriptura Leuitici, qua cogimur aliquã inter delictum peccatúmque distantiam vel inuenire, vel credere, ita legitur, quum de his ipsis, quæ pro peccatis offerenda iubebantur, sacrificiis Deus loqueretur, Si autem omnis, inquit, synagoga filiorum Israel ignorauerit, & latuerit verbum ab oculis synagogæ, & fecerit vnum ab omnibus mandatis Domini, quod non fiet, & deliquerit, & cognitum illis fuerit peccatum quod peccauerunt in eo. Ecce vbi dixit, Et deliquerit, ibi continuò Peccatum quod peccauerunt addidit: hoc ipsum vtique quod deliquerunt. Et paulò pòst, Si autem princeps, inquit, peccauerit, & fece- Leuitic.4
rit vnum ab omnibus præceptis Domini Dei sui, quod non fecit volens, & deliquerit. Item in consequentibus, Si autem anima, inquit, vna peccauerit nolens, de populo terræ, in eo quod facit ab omnibus præceptis Domini, quod nõ fiet, & deliquerit, & cognitum fuerit ei peccatum quod peccauit in ipso. Item alibi, Anima quæcunque iurauerit distinguens la- Leuitic.5
biis malefacere aut benefacere, secũdũ omnia quæcunque distinxerit homo cum iureiurãdo, & latuerit eum: & hic cognouerit & peccauerit vnum ex his, & confessus fuerit peccatum, pro quo peccauit aduersus ipsum, offeret pro eis quæ deliquit Domino pro eo peccato quod peccauit. Et paulò pòst, Et loquutus est Dominus ad Mosen, dicens, Anima si latuerit eum obliuione, & peccauerit nolens in Sanctis Domini, offerat delicti Domino arietem sine macula de ouibus, pretio argenti siclorum sanctorum, pro quo deliquit, & pro quo peccauit à Sanctis restituet, & quintas adiiciet super

illud,& dabit illud ſacerdoti, & ſacerdos exorabit pro eo in ariete delicti, & remittetur illi. Sequitur adhuc & dicit, Anima quæcunque peccauerit, & fecerit vnum ab omnibus præceptis Domini, quæ non oportet fieri, & cognouerit, & dereliquerit,& acceperit peccatum ſuum,offeret arietem de ouibus pretio argenti in delictum ad ſacerdotem, exorabítque pro eo ſacerdos pro ignorantia eius,qua ignorauit,& ipſe non ſciuit,& remittetur illi. Deliquit enim delicto delictum ante Dominum. Et adhuc ita dicit, Et locutus eſt Dominus ad Moſen,dicens, Anima quæcunque peccauerit,deſpiciens deſpexerit præcepta Domini, & mentitus fuerit quæ ſunt ad proximum de commendatione, aut de ſocietate,aut de rapina,aut iniuriã fecerit aliquã proximo, aut inuenerit perditionem,& mentitus fuerit de eo, & iurauerit iniuſtè de vno ab omnibus quęcũq; fecerit homo,itavt peccet in his.Et erit cùm peccauerit & deliquerit,reddet rapinã quã rapuit,aut iniuriam quã nocuit, aut cõmendatũ quod depoſitum eſt apud eum, aut perditionẽ quam inuenit ab omni re illi quam iurauit pro ea iniuſtè:& reſtituet ipſam,& quintas eius adiiciet ad illud, cuius eſt ipſi reddet, & qua die conuictus fuerit delicti ſui,offeret Domino arietem ab ouibus ſine macula pretio in quo deliquit:& exorabit pro eo ſacerdos ante Dominum,& remittetur illi de vno ab omnibus quę fecit,& deliquit in eo. Penè ergo in omnibus factis quæ dicit eſſe peccata,eadem etiam delicta dicit.Quapropter & indifferẽter ea dici manifeſtum eſt multis Scripturarũ locis,&habere aliquid differẽtię Scriptura teſtatur,quę dicit, Sicut quod pro peccato,ita & quod ꝓ delicto.

Quid ſit, Omnem adipem boum & ouium & caprarũ non edetis, &c.

21 Omnem adipem boum & ouium & caprarum non edetis: & adeps morticinorum, & à fera captorum fiet in omne opus, & cibo non edetur. Omnis qui ederit adipem de pecoribus quæ auferetis ab eis hoſtiam Domino,peribit anima illa de populo ſuo. Dixerat ſuperius de adipe, Omnis adeps Domino: & quęſieram⁹ vtrùm omnis omnino pecoris mũdi duntaxat (nam de immundis nulla quæſtio eſt) & quid de adipe fieret, quem vetuit in eſcam venire: nunc autem dixit quid fieret de adipe morticini, & à fera capti, vt ſit in omne opus.Omne opus vtique illud opus,cui tale aliquid neceſſarium eſt. Vnde remanſit quæſtio, quid fieret de adipe cæterorum animalium, quæ immunda ſunt ad veſcendum. Sed quum dicit, omnem animam perire de populo ſuo,qui ederit adipem eorum pecorum, ex quibus Domino offeretur,videtur definiſſe illum tantum adipem de pecoribus mũdis prohibitum manducari, ex quibus fit ſacrificium: quanuis Iudæos audierimus nullum omnino adipẽ in eſcam ſumere.Sed quid Scriptura voluerit,non quid illi opinati fuerint,requirendum. Denique non inueniunt quid rectè de adipe faciant vnde ſe abſtinent, & quomodo eum proiiciant,cùm dictum ſit, Omnis adeps Domino:ſi non adipem ſacrificiorum tantùm, ſed etiam eorũ animalium,de quibus nõ ſacrificatur,quãuis immundorũ hîcvoluit intelligi.

Quid ſibi vult quòd de ſacrificio ſalutaris iterum admonet.

Quid ſibi vult quòd de ſacrificiis ſalutaris iterum admonet & dicit,eum qui offert donum ſacrificii ſalutaris ſui,pectuſculum & brachium ſacerdotibus dare debere : ita tamen vt adeps pectuſculi offeratur Domino cum penna iecoris : quum ſuperius loquens de ſacrificiis ſalutaris, pennam iecoris cum adipe ventris & renum & lumborum offerri Domino præceperit : tacuerit autem de adipepectuſculi? An quod ibi prætermiſit, hîc commemorat? Quare ergo de penna iecoris & ibi & hîc? An fortè aliquid intereſt, quòd ſuperi⁹ de ſacrificio ſalutaris præcepit: hîc autem addidit Sui,tanquam aliud ſit ſalutaris, aliud ſalutaris ſui? 22 *Leuit.7*

Quæ ſit ratio ſacrificii pro delicto ſeu peccato ſacerdotis.

Quum ſacrificia pro peccatis prius commemoret, vitulum dixit offerendum pro peccato ſacerdotis, qui feciſſet populum peccare: poſtea etiam narrauit Scriptura, quemadmodum ea quæ præcepit Dominus geſta ſunt. Ergo pro Aaron & filiis eius dicitur oblatus vitulus pro peccato:ſed ſuperius de ſanguine vituli cornua tangi præcepit altaris incenſi, ad ſpargendum etiam ex ipſo ſanguine contra velum ſanctum : reliquum verò ſanguinem fundendum ad baſim altaris holocauſtomatum. Poſtea verò quando ſacrificatur Aaron de aſperſione ſanguinis contra velum, nihil dictum eſt : de cornibus autem altaris dictum eſt, ſed non additum eſt incenſi : additum eſt autem, effundendum ſanguinem ad baſim altaris : non dixit ad baſes eius,tanquam neceſſe fuiſſet illud altare accipere, cui⁹ cornua ſãguine tetigiſſet.Proinde quanuis ambiguè ſit poſitum, liberum eſt tamen ita intelligere factum, vt factum fuerat ante præceptum de vitulo pro peccato, vt non eius altaris cornua tacta intelligamus,ad cuius baſim fuſus eſt ſãguis, ſed tacta cornua altaris incenſi : fuſum autem ſanguinem ad baſim altaris ſacrificiorum ſuperius : quia generaliter præcipiebat, ſi ſacerdos peccaſſet ipſum ſacerdotem vnctum & conſummatum, quem vult intelligi ſummum ſacerdotẽ,ſacrificia iſta offerre.Nũcverò cùm ſanctificatur Aaron,Moſes offert,& ipſe accipit pectuſculum impoſitionis,quod antea prælocutus eſt ſacerdoti eſſe dandum. Inde autem puto pectuſculum impoſitionis dictum, quia imponebatur inde adeps,ſicut commemorauit ſuperius de ſacrificio ſalutaris.Quum ergo videatur ab Aaron cœpiſſe ſummum ſacerdotium,quid putamus fuiſſe Moſen?Si ergo ſacerdos nõ fuit,quomodo per illũ omnia illa gerebantur: 23 *Leuitic.7*

Leuitic.7

bantur: si autem fuit, quomodo summum sacerdotium ab eius fratre cœpisse definimus? Quanquam etiam Psalmus ille vbi dictum est,
Psalm.98 Moses & Aaron in sacerdotibus eius, auferat dubitationem, quòd sacerdos fuerit & Moses: vestem tamen illam sacerdotalem, quæ magnũ continet sacramentum, Aaron iubetur accipere & successores eius summi sacerdotis in Exodo, antequam omnino aliquid de sanctificãdis & quodammodo ordinãdis sacerdotibus præcipiatur: quando Mose ascendente in mõtem, iubentur non ascendere sacerdotes, quos intelligere alios nõ possumus, nisi filios Aaron, nõ quia iam erant, sed quia futuri erant, hoc eos iam tunc Scriptura appellauit per anticipationem, sicut sunt pleraque talium locutionum. Nam & filius Naue Iesus appellatus est, cùm longè postea hoc nomen ei Scriptura narret impositum. Ambo ergo tunc summi sacerdotes erant, Moses & Aaron. An potius Moses, Aarõ verò sub illo: an & ipse summus propter vestem pontificalem, ille verò propter excellentius ministerium? Nam à principio ei dicitur, Ipse tibi quæ ad populum, tu illi quæ ad Deum. Quæri etiam potest post mortem Mosi quis vngebat successorem summi sacerdotis, qui succedere nisi defuncto non vtique poterat. An quia iam vnctus erat inter secundos sacerdotes? Idem quippe fuit oleum, & quo summus, & quo secundi vngebantur, vestem tantùm sumebat ille pontifex: qua eius summitas appareret. Et si ita est, vtrùm ipse sumebat, an eum alius induebat, sicut & post eius mortem Moses filium fratris sui? Si ergo ab alio vestiebatur, nunquidnam poterat à secundo summus, præsertim, quia talis erat vestis, vt eum ab alio indui necesse fuerit? An sic induebatur prius, vt etiam postea? Non enim semel indutus non eam ponebat, aut quum posuisset, non eam resumebat. Fieri ergo fortasse poterat, vt secundi vestirẽt primum, obsequendo non excellendo. Vnde autem appareret quisnam filiorum summo sacerdoti succedere deberet? Non enim primogenitum, aut maiorem Scriptura definiuit, nisi intelligamus aliquo Diuino indicio fieri solere, siue per Prophetam, siue quolibet alio modo, quo consuli Deus solet, quanquam ex contentione res peruenisse videatur, vt postea propterea fuerint plures summi sacerdotes, quia contendentibus excellentioribus, litis finiendæ causa, pluribus honor ipse tribuebatur.

Quid sibi vult quòd dicitur ad Aaron & filios eius, Ad ostium tabernaculi testimonii sedebitis septem dies, die ac nocte, ne moriamini.

Exod.4

24 Quid est quòd dicit Moses ad Aaron &
Leuit.8 filios eius, cùm sanctificantur ad ineundum sacerdotium, Ad ostium tabernaculi testimonii sedebitis septem dies die ac nocte, ne moriamini. Nunquidnam credibile est situ corporis vno loco sedere præceptos per dies septem, die ac nocte, vnde se omnino nõ cõmouerent? Nec tamẽ hinc tanquã allegoricè aliquid significatum, quod non fieret, cogendi sumus accipere: sed potius agnoscere locutionem Scripturarũ, vbi sessionẽ, pro habitatione & commoratione posuit. Nõ enim quia dictum est de Semei, 2.reg.2
quòd sederit in Hierusalẽ annos tres, ideo putandum est per totũ illud tẽpus in sella sedisse & nõ surrexisse. Hinc & sedes dicuntur, vbi habent commorationem quorum sedes sunt: habitatio quippe hoc nomen accepit.

Quid sit, Vocauit senatum.

Et factum est die octauo, Vocauit Moses 25
Aaron & filios eius, & senatum Israel. Quem Leuit 9
quidam nostri senatum interpretati sunt, γερουσίαν Græcus habet. Hoc est ergo secutus interpres: quia & senatus à senio videtur dictus. Non autem aptè in Latino diceretur, Vocauit senectutem Israel, pro senibus vel senioribus, quanuis eadem locutio esset si diceretur, Vocauit iuuẽtutem Israel, pro iuuenibus. Sed hoc vsitatum est in Latina lingua, illud autem non est. Nam hoc propriè diceretur, si diceretur, Vocauit senectutem Israel. Vnde quidam insolenter putantes etiam senatum dici, interpretati sunt ordinem seniorum. Compendio tamen forsitan melius diceretur, Vocauit seniores Israel.

Quomodo præcipiuntur offerri tria genera sacrificiorum, & quomodo quatuor sint eorum genera.

Moses dicit ad Aaron, Senatui Israel lo- 26
quere, dicens, Accipite hircum ex capris, vnum pro peccato, & arietem, & vitulum, & agnum anniculum, in holocarposim sine macula, & vitulum à bobus, & arietem in sacrificium salutaris ante Dominum, & similam cõspersam in oleo: quoniam hodie videbitur Dominus in vobis. Quatuor genera sacrificiorum de animalibus superius commendauit, holocausti pro peccatis, salutaris, & consummationis: sed cõsummationis ad sacerdotis sanctificationem pertinet. Tria ergo genera reliqua hîc præcipiuntur offerri, & dicitur hoc senioribus Israel, vt pertineat ad vniuersum populum. Sed hoc loco sacrificium pro peccato habet tria pecora, hircum & arietem & vitulum: ad holocaustum verò agnus pertinet, & ad sacrificium salutaris, hircus & aries. Quapropter non est sic distinguendum, vt pro peccato non intelligatur nisi hircus, tria verò reliqua in holocaustum, id est, aries & vitulus & agnus: sed potius prima tria pro peccato, id est, quod dictum est, Accipite hircum ex capris vnum pro peccato, & arietem & vitulum, subaudiatur pro peccato, & reliquus, id est, agnus in holocarposim, id est, in holocaustum. Quod ideo commonendum à nobis fuit, quoniam posset etiam ita distingui, vt quum dictum esset, Accipite hircum ex capris vnum pro peccato: reliqua iam ad holocarposim pertinere dicerentur. Quòd verò adiungit, Sine macula, ad omnia referri potest. Cùm ergo ambiguum sit, quomodo aptius distinguatur, illa res adducit, vt tria superiora pro peccato intelligantur, quoniã superius pro Leuit.9

peccato principis hircum iussit offerri, & pro peccato cuiusq; proprio, cùm peccat ante Dominum, faciendo vnum ex iis quæ nõ oportet, præcepit arietẽ. Pro peccato verò vniuersæ synagogæ vitulum: oportebat ergo vt senatui loqueretur quid vniuersus populus debeat vt hircus iubeatur propter principes, & aries propter proprium vniuscuiusque peccatum, & vitulus propter peccatũ vniuersæ synagogæ. Aliud est enim quod in populo habet quisque peccatum suum proprium, & possunt habere omnes propria, aliud quãdo cõmune peccatum est, quod vno animo fit, & vna volũtate aliquid multitudine comparata committitur. Quòd verò sacrificia salutaris, vitulum & arietem iubet, quæ præcipua sunt, vniuersi enim populi causa est. Præcipiens autem antea de sacrificiis salutaribus, vndelibet iussit offerri, siue masculũ, siue fœminam, dum tamen nonnisi de bobus & de ouibus & capris offerãtur. Si autem quæritur, quare dũo præcepit, vitulum & arietem, difficile est inuenire, nisi fortè vitulũ voluit sacrificiũ salutaris vniuersi populi: arietẽ autem pro vnoquoque tanquam pro singulis quibusque, quia videtur etiam superius quasi duo genera salutaris sacrificii præcepisse: vnum quod velut vniuersorum esset, appellauit sacrificium salutaris: alterum autem vbi dixit, Si quisque obtulerit sacrificium salutaris sui. Vbi etiam differentiam reperiebamus, quia in illo quod appellauit Salutaris, non commemorauit adipem pectusculi offerendum Domino, atque ipsum pectusculum & brachium dextrum danda sacerdoti: sed in illo hoc fieri iussit quod postea dicit sacrificium salutaris sui. Quod fortè intelligitur singulorum queruncũque priuatũ, non publicum vniuersorum. Nam & Moses obtulit sacrificia salutaris, nec dictũ est ibi, Salutaris sui. credo pro populo vniuerso obtulit. Vbi autem vniuersi, ibi & singuli, non autem vbi singuli, continuò ibi vniuersi. Singula enim possunt esse sine vniuerso: vniuersi autem non possunt nisi ex singulis quibusque constare. Nam singuli quique congregati vel in summam reputati, faciunt vniuersos. Notãdum est sanè cùm pro populo offeruntur sacrificia, & pro peccato sacrificia iussa esse offerri, & holocaustum & sacrificia salutaris: pro sacerdote autem oblatum fuisse pro peccato & holocaustum & consummationis. Non autem salutaris, sed consummationis tunc oblatum est, quando sacerdotes sanctificati sunt, vt sacerdotio fungerentur: & hæc obtulit Moses pro Aarõ & filiis eius: ipse iam sãctificat⁹, & sacerdotio fungens, offerre pro se iussus est vitulum pro peccato, & arietẽ in holocaustum. Nõ autẽ iussus est ꝓ se offerre cõsummationis, quod tunc ideo oblatum est, vt consummaretur sanctificatione, & sacerdotio fũgi posset, quo iam quoniam fungebatur, non opus erat eum iterum consummari.

Quæ sit ratio ordinis seruandi in oblationibus positis & præceptis.

Et ait Moses ad Aaron, Accede ad altare, & fac quod pro peccato tuo & holocaustum tuum, & exora pro te & domo tua. Mirum est quomodo prius dicat faciendum quod pro peccato, deinde holocaustum, quum sacrificia pro peccatis super holocausta superius iubeat imponi, excepto quod de auibus præcepit. An fortè hîc quod prius fiebat, id est, holocaustum, posterius commemorauit? Non enim quemadmodũ de auibus dixit, Fac prius illud & postea illud: sed fac illud atque illud. Quid autem prius faciẽdum sit, indicat superius exposita instructione, vbi dicit, super holocaustum imponi sacrificium pro peccatis: quanquam valde moueat, quod etiã ita narrat Scriptura feciſſe Aaron quod audiuit, & prius commemorat eum facere pro peccato, deinde holocaustum. Quod vtrùm & ipse prius fecerit, an prius hoc Scriptura narrauerit quod postea factum est, sicut in multis facere solet, habetur incertum, nisi quod dixi superius legeretur, quum ageret de sacrificio pro peccato. Ita enim legitur, Et superponet illud sacerdos super altare super holocaustum Domini, & exorabit pro eo sacerdos pro peccato quod peccauit, & dimittetur illi. Quomodo ergo posset hoc super holocaustomata imponi, nisi holocaustoma pri⁹ imponeretur? Præcepit autem hoc & de sacrificio salutaris, vt super holocaustoma imponeretur: sed quia non hoc vbique dicit, non per omnia sacrificia salutaris, nec per omnia sacrificia pro peccato, potest forsitan dici non hoc regulariter fuisse præceptum: sed illic tantummodo vt fieret dictum est, id est, in sacrificio salutaris, quum sit de bobus. Ibi enim præcepit & in sacrificio pro peccato, quum sit de fœmina ex ouibus: cætera verò siue sint salutaris, siue pro peccato, non esse necesse vt super holocausta imponantur. Mouet etiam quòd quum faceret Aaron dona populi, quę supra commemorauit, non omnia commemorata sunt immolata quæ fuerant prædicta: sed tantùm hircus pro peccato & holocaustum. Vbi tamen illum agnum non expressit: duo verò alia quæ ad sacrificia pro peccato potius quàm ad holocaustum pertinere diximus, tacuit, id est, ad arietem & vitulum, nisi fortè à parte totum intelligi voluit, vt solo capro cõmemorato etiam illa subsecuta acciperemus. Quum de sacrificiis salutaris populi narraret, quemadmodum ea fecerat Aaron de vitulo & ariete, ait, Et occidit vitulum & arietem sacrificii salutaris populi, & obtulerunt filii Aaron sanguinem ad eum, & effudit ad altare in circuitu, & adipẽ, &c quomodo præcepit Dominus Mosi. Nunc singulariter, nunc pluraliter loquitur, quum de duobus animalibus loquatur, vitulo & ariete. Quòd ergo dicit duos renes, ab vtroque animante intelligendum est: atque ita quatuor fiunt, ita & cætera. Quod verò ait, Et 27 Leuit. 9

posuit

posuit adipes super pectuscula, cùm ipsa pectuscula non imposuerit altari (sacerdoti enim debebantur cum brachiis dextris) quid sibi vult? An intelligendum est, & imposuit adipes qui sunt super pectuscula? ipsos enim posuit, quos imponeret altari à pectusculis demptos. Nam ita & superius præceperat. Denique sequitur, Et imposuit adipes altari, & pectusculũ & brachium dextrum abstulit Aaron oblationẽ ante Dominum: modò singulariter inferens, & pectusculum dicens, vtique vtrunque ex vtroque animante, quæ pectuscula dixerat.

Vnde Aaron descendisse dicatur.

Leuit.9 28 Quid est quòd ait, Quum extulisset Aaron manus super populum, benedixit eos, & descẽdit quum feciset quod pro peccato & holocaustomata & quæ salutaris? Vbi autem ista fecit, nisi super altare, id est, ad altare stans eíque deseruiens? Inde ergo descẽdit vbi stabat. Nimirum illius solutio quæstionis adiuuari hoc testimonio videtur, vbi quæsieramus in Exodo quomodo seruiri potuerit ad altare, quod erat altum cubitis tribus. Gradum quippe illic intelligere prohibebam⁹, quia id Deus vetuerat, ne super altare pudenda virilia ministrantis reuelarẽtur: quod vtique fieret, si pars altaris gradus esset, id est, si compactus adhæreret. Denique ibi hoc vetuit, vbi de altari structili loquebatur: vnum enim esset altare cum gradu cuius pars esset gradus, & ideo vetitum est. Hic verò vbi altaristanta fuerit altitudo, vt nisi sacerdos super aliquid staret, aptè ministrare nõ posset, intelligendum est, quidquid illud erat quod ad horam ministrationis ponebatur & auferebatur, non fuisse altaris partem, & ideo non fuisse contra præceptum, quod gradum habere prohibitum est. Hoc autem qualecunque fuerit, tacuit Scriptura, & ideo quæstio facta est. Sed nũc quum dicit Scriptura, sacerdotem, quum feciset sacrificia descendisse, hoc est, quum immolata imposuisset altari: vtiq; manifestat alicubi eum stetisse vnde descenderet. Et quia ibi steterat, ideo trium cubitorum altari ministrando deseruire potuisse.

Supra libro 2. quæstionum super Exod. q. 113

Quomodo in ecstasim ceciderit populus.

Leuit.9 29 Et vidit omnis populus, & amens factus est. Quod alii intepretes dixerunt expauit, conantes transferre de Græco, quod dictum est ἐξέστη, vnde ἔκστασις dicitur, qui sæpe in Scripturis Latinis legitur, mentis excessus.

Quomodo ignis exisse dicatur à Domino.

Leuit.9 30 Et exiit ignis à Domino, & deuorauit quę erant super altare, holocaustomata & adipes. Quid dixerit A Domino, quæri potest, vtrùm quia nutu & voluntate Domini factum est, an ab eo loco ignis exiit vbi erat arca testimonii? Nõ enim in loco aliquo ita est Dominus, quasi alibi non sit.

Qui dicantur appropinquare Domino.

Leuit.10 31 Postquam exeunte igne à Domino, incensi & mortui sunt filii Aaron, qui ausi sunt in batillis suis adhibito igne alieno incẽsum imponere Domino: quod ideo non licebat, quia ex illo igne qui Diuinitus ad altare venerat deinceps custodito, omnia erant accẽdenda, quæ in tabernaculo accendi oportebat. Mortuis ergo illis ait Moses, Hoc est quod dixit Dominus dicens, In eis qui mihi appropinquant sanctificabor, & in omni synagoga glorificabor: eos appropinquare Domino volens intelligi, qui in tabernaculo sacerdotio fungebantur: sanctificari autem in eis etiam vindicãdo, sicut factum est. Vtrùm vt hinc sciretur, quàm minus aliis parcat, si illis non parcit, quo sensu dictum est, Si iustus vix saluus erit, peccator & impius vbi parebunt? An potius secundum illud, Cui plus datur, plus exigitur ab eo? Et illud, Seruus qui non cognouit voluntatem domini sui, & facit digna plagis, vapulabit paucis: seruus autẽ qui cognouit voluntatem domini sui, & facit digna plagis, vapulabit multis. Et illud, Exiguo quum conceditur misericordia, potentes autẽ potentiora tormenta patientur. Sed vbi hoc dixerit Dominus, quod eum dixisse Moses commemorauit, in Scriptura, quæ retrò est, non inuenitur. Tale est hoc, quale in Exodo, vbi dicit Domino, Tu dixisti, Scio te præomnib⁹. Quod inuenitur quidẽ Dominus ei dixisse, sed postea. Sed quoniã mendaciter nunquam hoc Moses diceret, intelligitur idem etiam antè dixisse, quanuis scriptum non fuerit. Ita & hoc. Vnde apparet non omnia scripta esse quæ Deus locutus est eis, per quos nobis sancta Scriptura eius ministrata est.

1. Petri 4 Luc. 16 Sapien. 6 Exod 33

Quid sit quòd Aaron & duos filios eius mortem reliquorũ duorum lugere prohibens dicit, Caput vestrum cidara non denudabitis.

Leuit.10 32 Quid est quòd Aaron & reliquos filios eius mortem illorum duorum lugere prohibens dicit, Caput vestrum cidara non denudabitis? Vbi certè ostendit cidaras tegmina capitũ fuisse, nisi quia illud faciebant lugentes, quæ consuetudini ornatus essent contraria. Sicut enim in nostra consuetudine, qui caput apertum magis habemus, operitur in luctu: sic quia illi operimento capitis ornabantur, nudandũ erat lugentibus. Quod ideo prohibet, ne lugerẽt eos in quorum pœna sanctificatus est Dominus, id est, commẽdatus est timor eius. Nec ideo quia lugendi non erãt, non permittit alios lugere illos: sed quia illi lugere tunc non debebant cùm dies sanctificationis eorum agerentur, nõdum completis septẽ, quibus eos præcepit de tabernaculo non abscedere. Quãquam possit videri, qui illo oleo fuerant sanctificati, hoc dictum esse, quòd nunquam quenquã lugere deberẽt. Ita enim dicit, Fratres autem vestri omnis domus Israel plorabunt incendium, quo incensi sũt à Domino, & ab ostio tabernaculi testimonii nõ exibitis, ne moriamini: oleum enim vnctionis quod est à Domino, super vos est.

Si Aaron & filii eius vinum & siceram bibere non poterant, quãdo in tabernaculum in quod intrare debebant, intraturi erant, quando ergo hoc potuerunt?

Et loquutus est Dominus ad Aaron, di- 33

cens, Vinum & siceram non bibetis tu & filii tui tecum, cùm intrabitis tabernaculum testimonii, aut cùm accedetis ad altare, & non moriemini. Quando ergo eis bibere licebat, quãdoquidem in tabernaculum eis quotidie necesse erat introire & accedere ad altare, propter continuam seruitutem? Quòd si quisquam dicit, non omni die sacrificia imponi solere, quid dicet de ingressu in tabernaculum, qui quotidianus erat propter candelabrum & panes propositionis super mensam ponendos? Si autem respondetur, tabernaculũ testimonii nunc quod ait, illud esse intelligendum vbi erat arca testimonii, etiam illuc necesse erat intrare summũ sacerdotem propter incensum continuationis. Non enim semel in anno intrabat: sed cum sãguine purificationis semel in anno, propter incensum autem quotidie. An intelligendum est Deum præcepisse, vt vinum omnino non biberent? Cur ergo non ita præcepit potius vt breuiter diceret, Vinum nõ bibetis: sed addidit, Quum intrabitis in tabernaculum, aut cùm accedetis ad altare? An quia causa non bibendi tacenda non erat, maximè quia Deus præcius erat futuros postea tam multos etiam summos sacerdotes vno tempore, id est, non per successionem, qui tabernaculo & sacrificiis, & incenso, & vniuerso illi ministerio vicibus deseruirent, quando vtique illi non bibebãt, quorum locus erat deseruiẽdi, alii autem bibebant? An quid aliud hoc loco intelligendum est: quoniã cùm vinum & siceram sacerdotes bibere prohiberet, secutus ait, Legitimũ æternum in progenies vestras. Ambiguum est vtrùm superiori sensui connectatur, id est, ad vinum non bibẽdũ pertineat: an inferiori vbi sequitur, Distinguere inter medium sanctorum & contaminatorum, & inter medium mundorum & immundorũ, & instruere filios Israel omnia legitima quæ locutus est Dominus ad eos per manum Mosi: vt hoc sit officium sacerdotum legitimum in progenies eorum. Quomodo autem dicat A Eternum, iam sæpe diximus. Hoc quoque ambiguè positum est quod ait, Distinguere inter medium sanctorum & contaminatorum, & inter medium mũdorum & immundorum, vtrùm ab eo quòd sunt sancta & munda, vel inquinata & immunda: an ab eo quod sunt sancti & mundi, vel inquinati & immundi, id est, vtrùm inter illa sacra quæ ritè vel nõ ritè fierent distinguere voluit sacerdotes, an inter ipsos homines probandos vel improbandos, an potius ad vtrũque referendum est, siue homines, siue sacra.

Quando appellat pectusculum segregationis, an etiam brachium segregationis posset dici.

34 Pectusculum segregationis, & brachium oblationis manducabitis in loco sancto. Quanuis singula singulis data sint, nimirum tamẽ vtrunque posset dici Segregationis: quia vtrunque sacerdoti separatur, & vtrunque oblationis siue dẽptionis, quòd Græcè dicitur ἀφαίρεμα, quia vtrunque demitur & aufertur eis pro quibus offertur, vt detur sacerdoti. Pectusculũ sanè impositionis superius legimus, & brachiũ oblationis, quia de brachio nihil imponebatur altari: adeps autem de pectusculo imponebatur.

Leuit.10

Quid sit de sacrificiis salutarium, &c.

Quid est quod dicit, De sacrificiis salutarium, quum ea dicat quæ alibi dixit Sacrificia salutaris singulari numero, id dixerit sacrificiũ salutaris, cùm de eadem re diceretur. An fortè hoc loco vbi ait, A sacrificiis salutarium, sanitatum dici debuit? Nam in illo Psalmo vbi dictum est, Exaudi nos Deus sanitatum nostrarum: hoc verbum habet Græcus quòd etiã hoc loco, id est, σωτηρίων, qui Genitiuus pluralis in Græca lingua ambiguus est, vtrùm à salute, an à salutari nomẽ declinatum sit, quoniam σωτηρία dicitur salus vel sanitas, vnde fit genitiuus pluralis σωτηρίων. Salutare autem σωτήριον dicitur, & inde genitiuus pluralis idem ipse est. Si ergo rectè potest intelligi etiam sacrificiũ salutis, quod est sacrificium salutaris, quoniam salutaris salus datur, & illud est salutare, vnde salus accipitur: non est necesse vt tanquam multorum salutarium sacrificia hîc intelligamus, vbi dictum est de sacrificiis salutariũ, sed multarum forsitã sanitatum, quæ tamen ab vno salutari accipiũtur. Quod sit autem salutare Dei de quo dictum est, Calicem salutaris accipiã: & de quo Simeon dicit in Euangelio, Quoniam viderunt oculi mei Salutare tuum: fides Christiana nouit. Possunt sanè nõ absurdè intelligi vel dici etiam sacrificia salutaria, quæ sunt salutaris. 35 Leuit.19 Psal.115 Luc.2

Quare addatur, Et filiabus tuis, &c.

Et erit tibi & filiis tuis & filiabus tuis legitimum sempiternum. Non frustra est additum Filiabus, quoniam quædã ad escas pertinẽtia sacerdotũ prohibet à fœminis accipi, sed à masculis iubet. Quum quæsisset Moses caprum ablatum pro populi peccatis, & non inuenisset, quoniam fuerat incensus: & iratus est quòd ea quæ pro peccato à populo offerrentur constituit Dominus sacerdotibus edenda, ablatis inde adipibus à renibus. Iratus autem est, non fratri suo, sed filiis eius: credo quòd ad eos sug gerendi ministerium pertineret. respondit illi Aaron & ait, Si hodie obtulerunt ea quæ pro peccato illorũ sunt, & holocausta sua ante Dominum, & contigerint mihi talia, vt comedam quod est pro peccato hodie, nunquid placitum erit Domino? Et audiuit Moses & placuit illi. Hoc videtur dixisse Aaron, quòd ipso die quo primùm obtulerãt filii Israel pro peccato suo, non debuit à sacerdotibus manducari, sed totum incendi, non inde regulam faciẽs, &c. Nã deinceps sacrificia pro peccatis ipsi edebant. Sed quia hoc primùm fuit ipso primo die primitus oblatum, credendum est Aaron sacerdotem hoc Diuina inspiratione dixisse, vt & illud circa sacerdotes deinceps seruaretur, quod præ 36 Leuit.10

ceperat

ceperat Dominus Mosi, & hoc quod Aaron dixit tanquam Diuinitus dictum Moses approbaret. Quid ergo de cæteris eiusdem diei sacrificiis, id est, de ariete & vitulo, quę diximus etiã ipsa pro peccato oblata debere intelligi? an de vitulo nulla quæstio est, quoniã oportebat sic fieri, vt de eius sanguine, quemadmodum præceptum fuerat intromitteretur, vnde & tangerentur cornua altaris incensi, & consequens erat vt totus arderet? Quid ergo de ariete? An quoniã primum caprum quæsiuit Moses, quod de capro illi responsum est, hoc & de ariete intelligendum est, quem ex ordine fuerat quæsiturus, nisi illud responsum sacerdotis ei placuisset? De vitulo autem quid quæreret, quum ea lege fieri potuerit, quam de vitulo pro peccato vniuersæ synagogæ præceperat Deus, sicut de vitulo pro peccato sacerdotis, id est, vt totus arderet extra castra? Hæc enim sunt verba irascentis Mosi ad filios fratris sui, cùm hircum pro peccato quæsitũ non inuenisset, quia fuerat totus incensus, Quare non comedistis illud quòd fuit pro peccato, in loco sancto? Quoniam enim Sãcta sanctorum sunt, hoc vobis dedit edere vt auferatis peccatum synagogæ, & exoretis pro eo ad Dominum. Non enim illatum est à sanguine eius in Sanctum ante faciem intus. Edetis illud in loco sancto, quomodo mihi constituit Dominus. Vtique quum dicit, Non enim illatum est à sãguine eius in Sanctum ante faciem intus, proculdubio discernit illud quod ita fit pro peccato sacerdotis, siue pro peccato vniuersæ synagogæ, non de hirco de quo sanguis, quoniam non erat iussus inferri ad tangẽda cornua intus altaris incensi, non debuit totus incendi, sed à sacerdotibus manducari. Hoc autem quare sit factum, id est, vt etiam ipse totus incenderetur, respondit Aaron & placuit Mosi. Sanè quoniam sex pecora præcepta fuerunt senioribus populi vt offerrentur pro populo, quorum prius quatuor commemorauit, hircum, & arietem, & vitulum, & agnum anniculum: quorum manifestũ est hircum pro peccato, manifestum est etiam agnum anniculum in holocaustum, duo verò media arietem & vitulum ambiguè posita: videamus vtrùm ad sacrificium pro peccato pertinerent, vt hirco adiungerẽtur, an potius agno vt in holocaustum offerrentur: vnde quid nobis videretur, suo loco exposuimus. Postea verò vt sex animalia complerentur, vitulum & arietẽ commemorauit in sacrificium salutaris, nec tamen in consequentibus quum immolata sunt, & identidem commemorata, fit mentio pecorum ipsorum arietis & vituli, quæ inter caprum & agnum posuerat: sed tantùm ille vitulus, & ille aries commemorantur, quos in sacrificium salutaris offerri iusserat: vt iã non sex pecora, sed potius quatuor fuisse credantur. Potest fortassis intelligi quòd duo illa, quę prius inter hircũ & agnum posuerat, iterũ nominauit, & non est alius vitulus & alius aries in sacrificium salutaris, vt quum dixisset hircum pro peccato, & arietem & vitulum, non dicens in quid, id est, in quam rem: agnum verò anniculum in holocaustum postea dicere voluerit, quid de vitulo & ariete faciendum esset, id est, quia neque pro peccato sicut hircus, neque in holocaustum sicut agnus, sed in sacrificium salutaris iubebantur inferri. Sed si hoc intellexerimus, manebit quæstio, quare pro peccato synagogæ hircus oblatus sit, quum de sacrificiis quæ pro peccatis offerenda essent, ab initio Domin⁹ loquẽs, vitulum offerri iusserit pro peccato synagogę, sicut pro peccato sacerdotis, non caprum, sed vitulum: de quo vitulo etiam sanguinem similiter vt pro peccato sacerdotis, ad tangẽda cornua altaris incensi præcepit inferri. Et quæ causa fuerit, vt pro peccato Aaron Moses vitulum offerret, vt ipse Aaron alterũ vitulum, sicut pro peccato sacerdotis secundum Dei præceptum offerri oportebat, pro peccato autẽ populi non vitulus, sicut præceptum fuerat, sed hircus potius offerretur? Quod cõmonere visum est nobis, vt suprà dixim⁹, quòd non solus hircus pro peccato populi, sed & aries & vitulus offerri iussus est: vt ad ista tria subaudiatur pro peccato: quia & principes erant in populo, pro quibus hircus fuerat offerendus, & singuli quique habere propria peccata potuerunt, pro quibus aries, & vnum aliquod peccatũ omnes, pro quo vitulus sicut ab initio præceptum fuerat, pro peccato vniuersæ synagogæ vitulũ offerri oportebat. Ideo autem cùm immolata sunt, hircus tantummodo nominatur, vt alia etiam tacita intelligerentur, locutione à parte totum, quia omnia fuerant pro peccatis.

Quomodo aqua immundum faciat, an & ipsa immunda sit dicenda secundum aliam literam.

Quum ageret de morticinis immundorum animalium, Et omne vas fictile, inquit, in quo ceciderit ex eis quæcunque sunt intus, immũda erunt, & illud conteratur, id est, ipsum vas. Et omnis cibus qui manducatur in quẽcunque venerit super illum aqua, immund⁹ erit vobis. Non quæcunque aqua intelligenda est quę superueniret cibo, facit eum immundum, sed ex illo vase quod factum est immundum de morticinis immundis, si fortè ipsũ vas habuit aquã. 37 *Leuit.11*

Quæ sint animalia viuificantia.

Instrue filios Israel inter viuificantia quæ manducantur, & inter viuificãtia quæ non mãducãtur. Quæ Græcus habet ζωογονοῦντα, nostri quidã viuificantia interpretari maluerũt: quia vtcunque hoc verbũ noster vsus recepit, quàm facere nouum insolitũ si dici posset viuigignẽtia. Non enim quæ viuificant, id est, viuere faciunt: sed quæ viuos fœtus gignunt, id est, non oua, sed pullos, dicuntur ζωογονοῦντα. 38 *Leuit.14*

Quid est quod ait de muliere quæ peperit, Omne sanctum non tanget, &c.

Quid est quòd ait de muliere quæ peperit, Omne sanctum non tanget, & sanctuarium nõ introibit? Quod sanctuariũ vult intelligi, cùm legatur in tabernaculum nõ nisi sacerdotes so- 39 *Leuit.12*

lere ingredi,& vsque ad velum interius secundum,vltrà velum autem ipsum vbi erat arca, non nisi vnum summum sacerdotē. An & ante tabernaculum vbi erat altare sacrificiorū sanctuarium dici potuit? Nam sæpe appellatur locus sanctus etiam ipsum atrium,quum dicitur, In loco sancto edent ea. Illuc fortassis solebant intrare mulieres, quando offerebant dona sua quæ imponerentur altari.

Quid est quòd ait, Si masculum peperit, immunda erit septem diebus, &c.

Leuit. 12 40 Quid est quòd dicit, Si masculum peperit mulier, immunda erit septem dies, secundum dies secessionis purgationis eius immūda erit: & in die octauo circuncidet carnem præputii eiꝰ,& triginta tres dies sedebit in sanguine suo mundo? Omne quod sanctum est non continget, & sanctuarium nō intrabit. Quæ differentia est inter septem dies illos, quibus dicit eam immundā, & triginta tres dies in quibꝰ in sanguine suo mūdo sedebit. Si enim iam immūda non est per trigintatres dies, quare non tangit quod sanctum est? An hoc ad hoc interest, quia in sanguine est, licet mundo, vt hoc distet, quia quum immunda est, vbicunque etiam sederit, immundum facit: quum verò iam in sanguine mundo sedet, tantùm quod sanctū est non ei licet tangere, & in sanctuarium intrare? Hoc est enim quod ait, Secundum dies secessionis purgationis suæ. Quòd dicit alio loco, immunditiam fœminæ, quæ menstruis purgatur, septem dierum esse, quando omne super quod sederit immundum erit. Secessionis autem dicit, quoniam secedebat aliquantum, ne omnia coinquinaret, quum perageret illos dies. Hos dies immunditiæ eius, si fœminam pareret, lex duplicabat, & quatuordecim fiebant: reliquos autē quibus sedebat in sanguine mundo suo, etiam ipses duplices iussit seruari, id est, sexaginta sex, vt omnes essent in partu masculi quadraginta,& fœminæ octoginta. Aliqui autem codices Græci non habent, In sanguine mundo suo: sed In sanguine immundo suo. Et quum impleti fuerint dies purgationis eius super filio aut super filia, offeret agnum anniculum sine macula in holocaustum,& pullum columbinū & turturē pro peccato ad ostiū tabernaculi testimonii & sacerdotē: & offeret eum ante Dominum,& exorabit pro eo sacerdos,& purgabit eam à fonte sanguinis eius. Ista lex eius quæ peperit masculum aut fœminam. Si autem non inuenerit manus eiꝰ quod satis est in agnū, accipiet duos turtures, aut duos pullos columbinos, vnum in holocaustum, & vnum pro peccato,& exorabit pro ea sacerdos,& purgabitur. Rectè ergo superius non legēdum est, Offeret agnum anniculum sine macula in holocaustū, aut pullum columbinum, aut turturem pro peccato, sicut nonnulli codices habent: sed sicut dictum est, & pullum columbinum & turturem pro peccato: quādoquidem postea dicit, Si nō inuenerit manus eius quod satis est ad agnum, & accipiet duos turtures: vbi & plus videtur habere. Nam ea cōiunctione detracta, integrè sequitur, Accipiet duos turtures, aut duos pullos columbinos, vnum scilicet in holocaustū, alterum pro peccato. Sed quo peccato? nūquid peperisse peccatum est? An hīc ostenditur illa propago ex Adam, vnde Apostolus dicit, Ex vno in cōdemnationem: & Quia per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit? Et hīc satis apparet quēadmodum dictum sit, Ego in iniquitatibus cōceptus sum,& in peccatis mater mea in vtero me aluit. Cur ergo nō illud quod natū est purgari dicit Scriptura per hoc sacrificiū, sed ipsā quæ peperit? An ad ipsā quidē, vnde illa origo trahebatur relata purgatio est propter sanguinis fontē? Non poterat tamē sine ipsius fœtus purgatione fieri, qui ex ipso sanguine exortꝰ est. Nam quo pertinet quod superius ait, Super filio, aut super filia offeret agnum anniculum sine macula in holocaustum,& pullum columbinum, aut turturē pro peccato: si nihil per hoc sacrificium fiebat pro eis qui nascebantur? Quòd si quisquā ita distinguere conabitur, vt dicat nō esse iungendum super filio, aut super filia offerre agnū anniculum sine macula in holocaustum,& pullum columbinū pro peccato: sed ita potius legendum, Quum adimpleti fuerint dies purgationis eius super filio aut super filia, id est, dies purgationis impleti fuerint super illo aut super illa, filio scilicet vel filia: deinde ab alio sēsu sequatur, Offeret agnum anniculū sine macula in holocaustū, & pullum columbinum p peccato, id est, pro peccato suo, quum cōpleti fuerint dies purgationis eius super filio aut super filia. Quisquis ergo ita distinguendum putauerit, ex Euangelio conuincetur, vbi quum tale aliquid nato ex virgine Domino facerent, magis propter cōsuetudinem Legis, quàm propter necessitatem alicuius in eo expiandi purgādíque peccati, sic legitur, Et quum inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum cōsuetudinem Legis pro eo. Nō dictum est pro matre eius, sed pro eo: quanuis ea fierent quæ hoc loco præcepta sunt de duobus turturibus, aut de duobus pullis colūbinis. Sic enim baptizari ipse etiam dignatus est baptismo Ioannis, qui erat baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum, quanuis nullum haberet ille peccatum. Meritò ergo quidam nostri ita interpretati sunt etiam istum in Leuitico locum, vt non dicerent super filio aut super filia, sed pro filio aut pro filia. Hanc enim vim huius propositionis esse intellexerūt hoc loco, vbi Græcus ait, ἐφ' υἱῷ ἢ θυγατρί. Sanè aduertendum est, quàm pauper Dominus nasci voluerit, vt nō pro illo offerretur agnus & pullus columbinus aut turtur, sed par turturum aut duo pulli columbini, sicut in Euangelio legitur: quod Scriptura Leuitici tunc iussit offerri, si non habuerit manus offerentis, quod satis

Rom. 5

Psalm. 50

Luc. 2

Matth. 3

est

est magnum.

Quomodo alterum alterius sit expositiuum, cùm dicitur, Homini si cui facta fuerit in cute corporis eius cicatrix, &c.

41 Homini si cui facta fuerit in cute corporis
Leuit.13 cicatrix signi lucida, & fuerit in cute coloris eius tactus lepræ, &c. Velut exponendo dixerit posterius, vnde quod primum dixerat intelligeretur. Quoniam dixerat, Homini si cui facta fuerit in cute corporis ei⁹ cicatrix signi lucida: ne cicatricẽ sic intelligeremus quomodo solet esse vestigiũ sanati vulneris, aperuit hoc se de colore dicere, quum adiunxit, Et fuerit in cute coloris eius tactus lepræ. Quidquid ergo illud coloris vitium est, quod nomine cicatricis appellat. Quòd verò ait, Tactus lepræ: non quòd tactu color sẽtiatur, sed ita dicit tactum lepræ, tanquam ipse homo vel corpus eius lepra sit tactum, hoc est, maculatum atque vitiatum, sicut dici solet, Tetigit eũ vel non tetigit eũ febris. Denique ipsam maculam tactum vocat, & eam semper isto nomine appellat. Vnde nonnulli nostri nõ tactum, sed maculã interpretati sunt: quo nomine quidem planius videretur sonare quod legitur: sed potuit & Græcus non dicere ἁφλὸν, id est, tactum, sed μῶμον, id est, maculam, vnde ἄμωμον dicit immaculatum: quanquam non ab illo solo quod in colore contingit, sed ab omni vitio purum solet Scriptura ἄμωμον dicere. Vnde non maculam coloris, sed omnis vitii notam vult intelligi, quod μῶμον appellat. Posset ergo quod ad solum colorem attinet σπῖλον dicere. Quo verbo vsus est A-
Ephes.5 postolus vbi ait de Ecclesia, Nõ habentem maculam aut rugam. nec μῶμον aut σπῖλον dixit sed ἁφλὸν, id est, tactum, quod in Græca lingua inusitatè dicitur in coloribus, & tamẽ hoc Septuaginta interpretes non piguit Græcè dicere: cur ergo Latinos piguerit? Quod autem dicitur cicatrix signi, vel ideo dicitur, quòd significet aliquid, vel ideo poti⁹, quòd ipsum hominem signo quodam discernit à cæteris, hoc est, notabilem reddit.

Quid est quòd ait, Et videbit sacerdos & inquinabit eum ad quem venierit.

42 Quid est quòd ait, Et videbit sacerdos &
Leuit 13 inquinabit eum ad quem veniet vt mundetur? Sed inquinabit dictum est, id est, inquinatum pronuntiabit, si hæc in eo viderit quæ Scriptura dicit de macula lepræ.

Quid est lucidus albus color, &c.

43 Si autem lucidus albus erit in cute color e-
Leuit.13 ius, & humilis non fuerit aspectus eius à cute. Lucidus alb⁹, subauditur tactus, id est, illa macula coloris, non pilus. Quòd postea dicit, Si autem cõuersa mutata fuerit significatio in cute, hanc dicit significationem, quod superius signũ in Latino legitur. Nam Græcus & suprà & hoc vno eodẽq; verbo vsus est, σημασίαν dicẽs.

Quid est, Et segregabit illum sacerdos septem diebus secundò, & videbit.

44 Et segregabit illum sacerdos septem diebus
Leuit.13 secundò, & videbit illum sacerdos die septimo secundo, & obscurus tactus non est conuersus in cute, & purgabit eum sacerdos: signum enim est, hoc est, purgatum eum pronuntiabit. Non enim est lepra, sed signum.

Quomodo iterum dicatur, Inquinabit eum, &c.

Si autem conuersa mutata fuerit significa- 45
tio in cute, posteaquam vidit illum sacerdos vt Leuit.13
purget, & visus fuerit denuò sacerdoti, & viderit eum sacerdos, & ecce commutata fuerit significatio in cute, coinquinabit eum sacerdos: lepra enim est. Etiam hic Inquinabit dixit, inquinatum pronuntiabit, aut amplius habet ex more locutionis Scripturæ. Hoc itaque videtur admonuisse, vt quum visus fuerit solus color albus & lucid⁹ discolor sano colori, adhuc probetur à sacerdote: vt si viderit etiam pilum mutatum in album colorem, & humiliorem factum cutis locum, in quo est albus color, tunc pronuntiet lepram, id est, inquinet hominem pronuntiãdo leprosum. Si autem, inquit, lucidus albus fuerit in cute color eius, id est, lucidus albus fuerit ille tactus, quo nomine eãdem maculam appellat, & humilis non fuerit aspectus eius à cute, & pilus nõ fuerit cõuersus in albũ, ipse autẽ est obscur⁹, id est, ipse pilus, quia non est albus: segregabit sacerdos tactum septẽ dies, & videbit sacerdos tactum die septimo, id est, illam maculam: & ecce tactus manet ante eum. Non commutatus est tactus in cute, id est, non est discolor & dissimilis inuentus à cute. Ergo sanatũ est quod vitiosum erat. Sed adhuc iubet probari eandem sanitatem per alios septem dies: atque ideo sequitur & dicit, Et segregabit illum sacerdos septem dies secundò, id est, septem alios dies: & videbit illum sacerdos die septimo secundo, & ecce obscurus tactus, id est, quia nõ albus & lucidus, ac per hoc concolor sano colori, non est mutatus tactus in cute, sicut & paulò antè dixit, hoc est, non est dissimilis à cætera cute. & purgabit eum sacerdos, id est, purgatum pronuntiabit à suspicione lepræ. non quoniam habuerit lepram quam iam non habet: sed quoniã lepra non fuit quod in illo lucido & albo colore tactus, id est, maculæ illi⁹ apparuerat, cùm expectaretur vtrùm humilior fieret locus, & pilus illic in album cõuerteretur, non contigit: sed potius ille tactus, qui fuit ante lucidus & albus, obscurus inuentus est, id est, similis cætero colori, nõ lucidus. Non erat ergo lepra: signum est enim non lepra quòd sic apparuerit. Tamen etiam propter hoc purgatus à suspicione lepræ, lauabit vestimenta sua: quia & in illo signo aliquid fuit propter quod lauanda fuerant vestimenta, & mundus erit. Deinde sequitur,

Quomodo mutata dicetur significatio lepræ.

Si autem conuersa mutata fuerit significa- 46
tio in cute, posteaquam vidit illum sacerdos vt Leuit.13
purgaret illum, id est, posteaquã vidit eum sacerdos septimo die prius sanum vt purgaret illum, mutata est illa significatio, id est, illud signum in cute: & visus fuerit secundo sacerdoti, id est, post alios septem dies: & viderit eum

sacerdos, & ecce commutata est significatio in cute, id est, non stetit in illa sanitate, in qua eũ viderat post primos septem dies. Et inquinabit illum sacerdos: lepra est enim. Iam hîc quoniã illud quod visum fuerat post primos septem dies sanum non stetit in suo, sed mutatum est in pristinum vitium, lepra pronuntiatur: ita vt non hîc expectetur vel locus humilior, vel pilus in album conuersus. Quum enim lepra non sit notabilis atque vitiosa, nisi varietas, hoc ipsum de vitioso colore redire ad sanum, & de sano redire ad vitiosum, ita notabile est, vt nõ ibi fuerit expectandum, quòd in primo expectari præceperat, de humiliori loco & pili candore: sed iam etiam ista varietate sine dubitatione sit lepra.

De ea lem fere te.

47 Deinde sequitur, Et tactus lepræ si fuerit *Leuit.13* in homine, veniet ad sacerdotem & videbit sacerdos, & ecce cicatrix alba in cute, & hæc mutabit capillum album, & à sano carnis viuæ in cicatrice. Hinc si subtrahamus Et (more enim locutionis Scripturarum positum est) iste erit sensus, Et videbit sacerdos, & ecce cicatrix alba in cute, & hæc mutauit capillum album à sano carnis viuæ in cicatrice. Ordo est, Mutauit capillum album in cicatrice à sano carnis viuæ, id est, quum caro viua & sana habebat capillum obscurum vel nigrum, hæc cicatrix album habet: lepra veterascens est in cute coloris eius, & inquinabit eum sacerdos, id est, inquinatum pronuntiabit. Non segregabit eum, quia immundus est, hoc videtur dicere, quia vbi inuentus fuerit pilus in album mutatus, cõcolor albo vitio cutis, iam non segregatur, vt probetur, nec expectatur vtrùm etiam humilior fiat locus: sed ex hoc tantum quòd alba est cutis discolor à cætera, & album habet pilum discolorem cæteris, qui sunt in carne viua & sana, lepra veterascens pronuntiatur: ideo veterascens, quia iam non est probanda illis bis septem diebus. Si autem restitutus fuerit color sanus, & conuersus fuerit albus, quoniam dixerat totum album factum per totam cutem, eoipso iam mundum esse, quia varietas ibi iam non esset. Deinde ait, Et quacunque die visus fuerit in eo color, visus inquinabitur: vbi satis ostendit varietatem improbari. Ac per hoc quod modò dixit, Si autem restitutus fuerit color sanus, & cõuersus fuerit albus, veniet ad sacerdotem, & videbit sacerdos, & ecce conuersus tactus in album, & purgabit sacerdos tactum: mundus est. Restitutum colorem sanum, non debemus accipere vt color sanus esset: etenim ipse erat per quem tamen fiebat immundus propter varietatem. Restitutum ergo dixit colorem sanum, vt illud esset quod fuerat, id est, albus sano pereunte. Tunc enim rursus mundus erit, quum totus albus fuerit: quia nulla ibi varietas erit. Sed restitutum pro pereunte accipere, nimis inusitata locutio est. Magis enim videtur dicere debuisse, Si autem restitutus fuerit color albus. Nunc verò ait, Restitutus sanus, & conuersus fuerit albus: tãquam diceret, Sanus color, si restitutus fuerit in album.

Quid sit quòd quum de lepra capitis loqueretur, eam etiam quassationem appellauit.

Quid est quòd cùm de lepra capitis loque- 48 retur, eam etiã quassationem appellauit, cùm *Leuit.13* in solo colore fiat, vel cutis vel capillorum, & quòd humilior aspectus eius à cætera cute appareat, sine dolore tamen & sine vlla vexatione? An hoc quod immũdum est per quassationem voluit appellare plagã, velut hac immunditia homo percussus sit?

Quid sibi vult quòd quum diceret de lepra vestimentorum aliarumque rerum, &c. ait, Aut in vestimẽto laneo, aut stupeo & stamine, &c.

Quid sibi vult, quòd quum diceret de lepra 49 vestimentorum aliarúmque rerum ad vsus ho- *Leuit.13* minum pertinentiũ, ait, Aut in vestimento laneo, aut in vestimẽto stuppeo, aut stamine, aut in lana, aut in lineis, aut in laneis, cùm iã suprà dixisset, In vestimẽto laneo aut vestimẽto stuppeo? Nã stuppeũ est vtique lineũ. An illic vestimẽta intelligi voluit, hîc autẽ quodlibet laneũ, & quodlibet lineum? Non enim vestimẽta sunt stramina iumẽtorũ, cùm sint lanea, aut vestimẽta sunt retia, quum sint linea. Prius ergo specialiter de vestimentis, deinde generaliter de omnibus rebus laneis & lineis dicere voluit.

Quid dixerit In omni operaria pelle.

Quæritur quid dixerit, In omni operaria 50 pelle, quod nonnulli interpretati sunt, in om- *Leuit.13* ni confecta pelle. Sed non ait Græcus εἰργασμένῳ δέρματι: ait autem ἐργασίμῳ. Quod verbum etiã in Regnorum libro positum est, vbi Iona tha loquitur ad Dauid, Esto in agro in die operaria, id est, in die qua fit opus. Ac per hoc etiam hîc pellem operariam, in qua fit opus debemus accipere, id est, alicui operi accommodatã. Sunt enim pelles, quę tãtummodo ad ornamentum habentur, non ad opus.

Quid sit, In omni vase operario pellis, & quomodo Græce dicatur.

Quid est quod ait, In omni vase operario 51 pellis, nisi quod est ex pelle factum, hoc est, in *Leuit.14* omni vase pellitio? Hoc autem isto loco vas dicit, quod Græci appellant ξέστους: hoc enim nomen generale est omnium vtẽsilium. Aliud est autem quod appellatur ἀγγεῖον. Nam & hoc Latina lingua vas dicitur: sed ἀγγεῖον illud magis intelligitur vas quod liquorem capit.

Quid sit quòd ait, Quicunque tetigerit qui fluorem seminis patitur, &c.

Quid est quòd ait, Et quicunque tetigerit 52 qui fluorem seminis patitur, & manus suas nõ *Leuit.15* lauit aqua, lauabit vestimẽta & lauabit corpus suũ aqua, & immũd⁹erit vsq; ad vesperã? Ambiguè quippe positũ est quod ait, Manus suas nõlauit aqua, velut posteaquã tetigerit. Sed intelligẽdum est, quicunque nõ lotis manibus tetigerit, ipse quem tetigerit, lauabit vestimenta.

Quomodo Aaron orare iubetur pro sanctis ab immunditiis filiorum Israel.

Quid est quòd cùm præciperet quomodo 53 intra *Leuit.16*

Leuit.16 intrare deberet sacerdos summus in Sanctum, quod est intra velum, ait inter cætera, Et exorabit pro sanctis ac immunditiis filiorũ Israel, & ab iniustitiis eorũ, & de omnib⁹ peccatis eorũ. Quomodo ergo pro sãctis si ab immũditiis filiorũ Israel, & ab iniustitiis eorũ de omnibus peccatis eorũ? An quia nõ ait, Pro immũditiis filiorum Israel, sed ab immunditiis, hoc intelligendum est, Exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorũ Israel, id est, pro eis qui sancti sunt ab immunditiis filiorum Israel, non consentientes immunditiis eorum: non quia pro ipsis tantum exorandum erat, sed quia etiam pro ipsis, ne quisquam putaret ita fuisse sanctos, vt nihil esset vnde pro eis exoraretur, quanuis essent ab immunditiis filiorum Israel, & ab iniustitiis eorum alieni? De omnibus peccatis eorum, id est, quæ iniustitiæ veniebant de omnibus peccatis eorum. Potest & iste esse sensus, Exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum Israel, id est, vt hoc pro illis exorari intelligatur, vt ab immunditiis filiorũ Israel tuti essent. Sed exorabit, non potest accipi, nisi quod alio verbo dicitur, Propitiabit. Vnde propitiatorium vocatur, quod alii exoratorium interpretati sunt. Græcè autẽ dicitur ἱλαστήριον. Et quod hoc loco Latinus ait, Exorabit pro sãctis, Græcus habet ἐξιλάσεται, quòd non intelligitur nisi
Psal.102 pro peccatis. Vnde scriptũ est in Psalmo, Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis. Hic ergo aptior sensus est vt intelligatur sacerdos etiam pro iis propitiare Dominum, qui sancti sũt ab immũditiis filiorũ Israel: & quia licet ita sãcti sint vt immũditiis filiorũ Israel & iniustitiis nõ cõsentiant, habẽt aliquid propter quod eis necessaria sit propitiatio Dei. Sanè in quodam Græco inuenimus, Et exorabit sanctum, non pro sanctis, & illud quidem sanctum genere neutro, id est, τὸ ἅγιον. Nam posset intelligi, Exorabit sanctũ Deum: & nulla esset quæstio. Quomodo autẽ posset intelligi, Exorabit hoc sanctum, difficile est dicere: nisi fortè illud Sanctum quidquid est quod Deus est, quia & Spiritus sanctus, qui vtiq; Deus est, neutro genere Græcè dicitur τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. Et fortè hoc est, si tamen ille codex verior est, qui emendatior videbatur, ἐξιλάσεται τὸ ἅγιον, hoc est, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, quod Latinè genere neutro dici nõ potest: quãuis & in trib⁹ aliis codicibus vno Græco & duobus Latinis, non inuenimus, nisi quod suprà dixim⁹, Exorabit pro sãctis. Quod potest & sic accipi, vt non pro sanctis hominibus, sed pro iis quæ sancta sunt intelligatur, id est, tabernaculo ipso, & quæcunque in eis essent sanctificata Domino: vt hoc sit, Exorabit pro sanctis ab immũditiis filiorum Israel, propitiabit Deũ pro iis quæ sanctificata sunt Domino ab immunditiis filiorum Israel: quia in medio eorum erat tabernaculum. Sic enim sequitur. Nam quum dixisset, Exorabit pro sanctis & ab immunditiis filiorum Israel, & ab iniustitiis eorum de omnibus peccatis eorum, cõtinuò subiecit, Et ita faciet tabernaculo testimonii, quod creatũ est in eis in medio immunditiæ eorum, vt adhuc necessaria videatur illa propitiatio pro sanctis, id est, pro tabernaculo & omnibus quæ in eo sancta dicuntur. Nam & paulò pòst hoc dicit de altari, quòd aspersione sanguinis mundaret illud sacerdos, & sanctificaret ab immunditiis filiorum Israel.

Quid vocetur Sanctum, quum dicitur, Et perficiet exorans sanctum.

Et perficiet exorans sanctum. Vtrùm perficiet sanctum, an, Exorans sanctum, secundum 54 Leuit.16
id quòd suprà diximus? Nam & hîc neutro genere Græcè dictum est τὸ ἅγιον. Vtrùm ergo exorans Dominum perficiet sanctum, id est, perfectè sanctificat quod sanctificat, an perficiet quod ait Exorans sãctum, id est, illud sanctum quòd τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον dictum est?

De duobus hircis immolandis, de quibus solet esse disceptatio, & quid sit Sanctum.

De duobus hircis, vno immolando, & alio 55
in deserto dimittẽdo, quem ἀποπομπαῖον vocãt, Leuit.16
solet esse disceptatio, & à quibusdam ille immolandus in bono accipitur, ille autem dimittendus in malo. Non tamẽ iste sensus ideo cõfirmandus est, quia homo in cuius manu in eremum hircus dimittitur, quum rediret lauare iussus est vestimenta sua & corpus suum aqua, & sic ingredi in castra, tanquam & hoc sit indicium cur in malo sit ille hircus accipiendus, à cuius contagione homo abluendus est. Sic enim dicit abluendum, & eum qui alterius hirci, quo in loco acceperit carnes extra castra cõbusserit: quia ita de illo & de vitulo fieri iubet, de quorum immolatorum sanguine fit aspersio, & sunt pro peccatis: ac per hoc non negligenter istorum duorum hircorum distinctio in allegorica significatione tractanda est. Item quum constituisset diem decimumseptimum mensis sabbato sabbatorum, quo fieret suprà dicta purgatio à sacerdote illo vno qui patri succedit, loquens de eodẽ sacerdote ait, Exorabit Sanctum sancti. Quod iam nescio vtrùm aliter accipiẽdum sit, quàm exorabit in Sancto sancti, quodam genere locutionis, in illo scilicet sancto, quò solus ipse summus sacerdos intrabat, quod est intra velum, vbi arca erat testimonii & altare incensi. Non enim eundem locum tanquam Deum exorabit: sed quia ibi exorabit Deum, ita positum est, Exorabit Sanctũ sancti. Nam & hoc genere neutro in Græco positum est, τὸ ἅγιον, τῶν ἁγίων. An fortè Spiritum sanctum sancti Dei, hoc est, τὸ ἅγιον πνεῦμα, τῶν ἁγίων θεοῦ? An potius exorabit dictum est exorando purgabit? Nam sic verba contexit, Et exorabit Sanctum sancti, & tabernaculum testimoniorum & altare exorabit, & pro sacerdotibus & pro omni synagoga exorabit. Quomodo ergo exorabit tabernaculum & altare, nisi vt dictum est intelligamus exorando purgabit?

De quibus pecoribus occisis minatur Lex.

Illud quod dicit, Quicunque occiderit vitu- 56 Leuit.17

lum, aut ouem aut capram in castris, & quicũque occiderit extra castra, & ad ostium tabernaculi testimonii non attulerit: & in hoc constituit peccatum, & cõminatur facienti, nõ de iis dicit quæ occiduntur ad vsum vescendi vel si quid aliud, sed de sacrificiis. Prohibuit enim priuata sacrificia, ne sibi quisque quodam modo sacerdos esse audeat: sed illuc afferat vbi per sacerdotem offerantur Deo. Ista enim nec vanis sacrificabant: nam & hoc in ea consuetudine cauendum præmonuit. Quum ergo non liceret offerri sacrificia nisi in tabernaculo, cui templũ postea successit, vnde & rex Israel Hieroboam vaccas facere ausus est, quibus populus sacrificaret, ne hui⁹ Legis necessitate seducerentur, ab eo qui sub regno eius erant, dum pergerent Hierusalem, vt in templo Dei offerrent sacrificia sua: in quo facto à Domino condemnatus est: meritò quæritur, quomodo licitè sacrificauerit Helias extra templũ Dei, quãdo & ignem de cælo impetrauit, & prophetas dæmoniorum conuicit. Quod mihi non videtur alia ratione defendi, quã illa qua defenditur & Abrahę factum, quòd filium Deo iussus voluit immolare. Cùm enim iubet ille qui Legẽ cõstituit, aliquid fieri quod in Lege prohibuit, iussio illa pro Lege habetur, quoniã auctor est Legis. Nõ enĩ deesse posset miracula alia prẽter sacrificiũ, quib⁹ superarẽtur & cõuincerẽtur prophetę lucorũ: sed Spiritus Dei qui fuerat in Helia, quidquid de hac re fecit, cõtra Legem esse non potest, quia dator est Legis.

3. Reg. 13

3. Reg. 18

Gene. 22

Quomodo dicatur, Anima omnis carnis sanguis eius est, & quæ sequuntur.

Leuit. 17

57 Quid est quòd prohibens edendum sanguinem dicit, Anima omnis carnis sanguis eius est? Quem totum locum sic explicat, Homo filiorũ Israel aut de proselytis qui appositi sunt in vobis, quicunque ederit omnem sanguinẽ, & statuam faciem meam super animam quæ manducat sanguinem, & perdam illam de populo suo. Anima enim omnis carnis sanguis eius est. Et ego dedi illud vobis exorari pro animabus vestris: sanguis enim eius pro anima exorabit. Propterea dixi filiis Israel, Omnis anima ex vobis non edet sanguinem, & proselytus qui appositus est in vobis non edet sanguinem. Nunquidnam si animam pecoris sanguinem dicimus, etiam anima hominis sanguis putanda est? Absit. Quomodo ergo ait, Non anima omnis carnis pecoris sanguis eius est, sed anima, inquit, omnis carnis sanguis eius est? In omni vtique carne etiam hominis caro deputatur. An quia & tale aliquid est in sãguine, quia per ipsum maximè in hac carne viuitur, qui in omnibus venis & corporis iunctura diffunditur, ipsam vitam corporis vocauit animam, non vitã quæ migrat ex corpore, sed quę morte finitur? Qua locutione dicimus istam vitam temporalem esse non æternam, mortalem non immortalem, quum sit immortalis animæ natura, quæ allata est ab Angelis in sinum Abrahæ, & cui dicitur, Hodie mecum eris in paradiso, & quæ in tormentis ardebat inferni. Secundum istam ergo significationẽ, qua perhibetur anima etiam hæc temporalis vita, dixit Apostolus Paulus, Non enim facio animam meam pretiosiorem quàm me: vbi se ostendere voluit & mori paratum pro Euangelio. Nam secundum significationem, qua anima dicitur illa quæ migrat ex corpore, magis eam pretiosam faciebat, cui tantum meritum conquirebat. Sunt & aliæ huiusmodi locutiones. Vita itaque ista temporalis, maximè sanguine continetur in corpore. Sed quid est quod ait, Dedi vobis eum ad altare Dei, vt exoret pro anima vestra, tanquam anima pro anima exoret? Nunquid sanguis pro sanguine quasi de nostro sanguine soliciti simus, quum pro anima nostra volumus exorari? Absurdum est hoc: sed multò est absurdius vt sanguis pecoris exoret pro anima hominis, quę mori non potest, quum manifestè Scriptura testetur in Epistola ad Hebræos, illum sanguinem victimarum nihil profuisse ad exorandum Deum pro peccatis hominum: sed significasse aliquid quod prodesset. Impossibile est enim, inquit, sanguinem hircorum & taurorum auferre peccata. Restat itaque vt quoniam pro anima nostra exorat Mediator ille, qui omnibus illis sacrificiis quæ pro peccatis offerebantur, præfigurabatur, illud appelletur anima quod significat animam. Solet autem res quæ significat, eius rei nomine quam significat nuncupari, sicut scriptum est, Septem spicæ septẽ anni sunt. Non enim dixit, Septem annos significant. Et septem boues septem anni sunt: & multa huiusmodi. Hinc est quod dictum est, Petra erat Christus. Nõ enim dixit Petra significat Christum: sed tanquam hoc esset quod vtique per substantiam non hoc erat, sed per significationem. Sic & sanguis, quoniam propter vitalem quandam corpulentiam animam significat, in sacramentis anima dictus est. Verùm si quisquam putat animam pecoris esse sanguinem, non est in ista quæstione laborãdum. Tantùm ne anima hominis quę carnem humanam viuificat, & est rationalis, sanguis putetur, valde cauendum est, & hic error modis omnibus refutandus. Quærẽdæ etiã locutiones per id quod continet id quod continetur, vt quoniam anima sanguine tenetur in corpore (nam si fuerit effusus abscedit) per ipsum aptius significata sit anima, & eius nomen sanguis acceperit. Sicut Ecclesia dicitur locus quo Ecclesia congregatur. Nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur, Vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam. Hanc tamen vocari etiam ipsam domum orationum idem Apostolus testis est, vbi ait, Nũquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? an Ecclesiam Dei contemnitis? Et hoc quotidianus loquendi vsus obtinuit, vt ad Ecclesiam prodire, aut ad Ecclesiam cõfugere non dicatur, nisi quòd ad locũ ipsum parietésque

Luc. 16
Luc. 23

Act. 20

Hebr. 10

Augustinus lib. 12. contra Genesi.

1. Cor. 10

Ephe. 5

1. Cor. 11

que prodierit vel confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur. Scriptum est etiam,
Ecclesi.34 Et effundit sanguinem qui fraudat mercedem mercenarii. Mercedem sanguinem dixit, quoniam in ea sustentatur vita, quæ nomine Sanguinis appellatur. Sed quum Dominus dicat, Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam in vobis: quid sibi vult quòd à sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis vnũ hoc sacrificium significabatur, in quo vera sit remissio peccatorum: à cuius tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortãtur qui volunt habere vitã? Quærẽdum igitur quid significet, quòd homo prohibetur in Lege sanguinẽ manducare, cúmque Deo fundere iubetur. Nam de animæ natura cur per sanguinem significata sit, quantum in præsentia satis visum est, diximus.

Quid sit turpitudo matris.

58 Turpitudinem patris tui, & turpitudinem
Leuit.18 matris tuæ non reuelabis: turpitudo enim eorum est. Prohibet cum matre concumbere: ibi est enim turpitudo patris & matris. Nam postea prohibet & nouercæ, vbi dicit, Turpitudinem vxoris patris tui non reuelabis: turpitudo enim patris tui est. Vbi exposuit quomodo in matre vtriusque sit turpitudo, id est, patris & matris, in nouerca autem tantùm patris.

Quid turpitudo sororis domi aut foris natæ.

59 Turpitudinẽ sororis tuæ ex patre tuo aut ex
Leuit.18 matre tua, quę domi est nata, vel quę foris nata est nõ reuelabis: turpitudo enim earũ est. Quæ domi nata est intelligitur ex patre, quę foris nata est, intelligitur ex matre, si fortè de priore viro eã mater susceperat, & cũ illa in domũ venerat, quãdo patri eius nupsit. Quoniã monet Scriptura, ne reuelet turpitudinem sororis suæ: hìc videtur non prohibuisse, & quasi prætermisisse cõcubitũ cũ sorore de vtroq; parente nata. Nõ enim dixit, Turpitudinẽ non reuelabis sororis tuę ex patre & matre, sed ex patre aut ex matre. Verùm quis nõ videat etiã illud esse prohibitũ multò maximé? Si enim nõ licet sororis turpitudinẽ reuelare ex quolibet parente natæ, quantò magis ex vtroque? Quid est autem quòd interposita prohibitione concubitus etiam cum suis neptibus, siue de filio, siue de filia, sequitur & dicit, Turpitudinem filiæ vxoris patris tui nõ reuelabis? Si enim hucusque dixisset, intelligeremus etiam cum filia nouercæ prohibitum fuisse concubitum, quem ex priore viro nouerca peperisset, nec huius qui prohibetur soror esset, vel ex patre vel ex matre. Quum verò addidit, Quæ ex eodem patre soror tua est, nõ reuelabis turpitudinem eius: manifestat de sorore factam esse istam prohibitionem, cùm fuerit ex patre & ex nouerca, de qua iam superius dixerat. An ideo iterum hoc apertius voluit prohibere, quia superius subobscurũ fuit? Sæpe enim hoc facit Scriptura.

Quid turpitudo patrui &c.

Turpitudinem fratris patris tui non reue- 60
labis, & ad vxorem eius nõ introibis. Exposuit Leuit.18
quid dixerit, Turpitudinem fratris patris tui, id est, patrui tui non reuelabis, hoc est enim, ad vxorem eius non introibis. In vxore quippe patrui, voluit intelligi turpitudinem patrui, sicut in vxore patris, turpitudinem patris.

Quid turpitudo vxoris fratris.

Turpitudinem vxoris fratris tui non reue- 61
labis: turpitudo enim fratris tui est. Quæritur Leuit.18
vtrùm hoc viuo fratre, an mortuo sit prohibitum: & non parua quæstio. Si enim dixerimus de viui fratris vxore locutam Scripturam, vno generali præcepto, quo prohibetur homo ad vxorem accedere alienam, etiam hoc vtique
Exod.20 continetur. Quid est ergo quòd tam diligenter has psonas, quas appellat domesticas, propriis prohibitionibus distinguit à cæteris? Num enim & quod prohibet de vxore patris, hoc est, de nouerca, viuo patre accipiendum esset, & non potius mortuo? Nam viuo patre quis non videat multò maximè prohibitum, si cuiuslibet hominis vxor aliena prohibita est maculari adulterio? De iis personis ergo videtur loqui, quæ possent non habentes vires in matrimonium conuenire, nisi lege prohiberentur, sicut fertur esse consuetudo Persarum. Sed rursus si fratre mortuo intellexerimus prohibitum esse ducere fratris vxorem, occurrit illud quod excitandi feminis causa, si ille sine filiis defunctus esset, iubet Scriptura esse faciendum: ac per hoc collata ista prohibitione cum illa iussione, ne inuicem aduersentur intelligenda est exceptio, id est, non licere cuiquam defuncti fratris ducere vxorem, si defunctos posteros dereliquit, aut etiam illud esse prohibitum ne liceret ducere fratris vxorem, etiam si à fratre viuo per repudium recessisset.
Matth.19 Tunc enim sicut Dominus dicit, ad duritiam Iudæorum Moses permiserat dari libellum repudii, & per hanc dimissionem potuit putari quod licitè quisquam sibi vxorem copularet fratris, vbi adulterium non timeret, quoniam repudio discessisset.

Quid turpitudo mulieris & filiæ eius.

Turpitudinem mulieris & filiæ eius non re- 62
uelabis, id est, ne putet quisquam licere sibi du Leuit.18
cere filiam vxoris suæ. Simul enim mulieris & filiæ eius non licet reuelare turpitudinẽ, id est, ambabus misceri, & matri & filiæ.

Quymodo non liceat accedere ad filiam filii, aut filiæ coniugis, nec eam ducere.

Filiam filii eius, & filiam filiæ eius non ac- 63
cipies. Etiam neptem vxoris de filio vel de filia Leuit.18.
duci prohibuit. Super vxorem sororem eius nõ accipies in zelum. Hìc non prohibuit superducere, quod licebat antiquis propter abundantiam propagationis: sed sororem sorori noluit superduci, quod videtur fecisse Iacob, Gene.30
siue quia nõdum fuerat Lege prohibitum, siue quia suppositа alteri fraude decepta est, & illa

magis de placito veniebat quam posterius accepit: sed iniustum erat priorem dimitti, ne faceret eam mœchari. Hoc autem quod ait in zelum, vtrùm ideo positum est, ne sit zelus inter sorores, qui inter illas quæ sorores non essent contemnendus fuit, an ideo potius ne propter hoc fiat, id est, ne hoc animo fiat, vt in zelũ sororis soror superducatur?

Quomodo nec menstruatam attingere.

64 Et ad mulierem in segregatione immunditiæ eius non accedes reuelare turpitudinem eius, id est, ad menstruatam mulierem non accedes. Segregabatur enim secundum Legem, propter immunditiam. Hoc cùm superius satis sufficienter prohibuisset, quid sibi vult quòd etiam hîc hoc eisdem præceptis voluit adiungere? An fortè ne in superioribus quod dictum est, figuratè accipiendum putaretur, etiam hîc positũ est, vbi talia prohibita sunt, quæ etiam tempore noui Testamenti remota vmbrarum veterum obseruatione, sine dubio custodienda sunt? Quod videtur etiam per Prophetam Ezechielẽ significasse, qui inter illa peccata quæ non figuratè, sed manifestè iniquitatis sunt, etiam hoc cõmemorat, ad mulierem menstruatam si quis accedat, & inter iustitiæ merita si nõ accedat. Qua in re non natura damnatur, sed concipiendæ prolis noxium prohibetur. *Levit.18*

Quomodo nec coniugem proximi.

65 Et ad vxorem proximi tui non dabis concubitum seminis tui inquinari ad eam. Ecce vbi rursus prohibet adulterium, quod cũ aliena vxore committitur, quod etiam in Decalogo prohibetur. Vnde apparet illa ita prohibita vt etiã mortuis viris suis non ducant vxores, quarum prohibet turpitudinem reuelare. *Levit.18* *Exod.20*

Quomodo vetetur idololatria.

66 Et à semine tuo non dabis seruire principi. Hîc non video quid intelligatur, nisi principi qui pro Deo colitur. Non enim ait δουλεύειν, sed λατρεύειν in Græco, quod Latinus non solet interpretari, nisi vt dicat seruire, Plurimum autem distat: nam seruire hominibus quo serui seruiunt, quod non est λατρεύειν, sed δουλεύειν Scriptura non prohibet, seruire autem secundum id quod est λατρεύειν, non iubetur hominibus, nisi vni vero Deo, sicut scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Non solùm autem hoc verbo quod ait λατρεύειν, satis significat quem principem dicat, id est, cui cultus tanquam Deo exhibeatur, verumetiam eo quòd adiungit, Et non prophanabis nomẽ sanctum, siue Dei, cui populo datur illo modo seruire principi: siue nomen sanctum ipsius populi Israel, propter quod dicitur, Sancti estote, quoniã ego sanctus sum. Opportunissimè etiam hîc adiungit, Ego Dominus, hoc vtique admonens, quia illi soli debetur λατρεία, id est, seruitus, qua seruitur Deo. *Levit.18* *Deut.6*

Quomodo terra dicatur exhorrere.

67 Quòd dicit, Et exhorrebit terra eos qui inhident super eam, propter mala facta eorum, quæ superius commemorauit: nõ ideo dictum putandum est quòd habeat terra sensum quo ista sentiat & exhorreat, sed nomine Terræ homines significat qui sunt super terram. Proinde quum hęc mala faciunt homines, inquinant terram, quia inquinantur homines qui hæc imitantur, & exhorret terra, quia exhorrent homines, qui nec faciunt nec imitantur. *Levit.18*

Quomodo dictum sit, Non mentiemini, neque calumniam faciet vnusquisque proximo suo.

68 Non furtum facietis, neque mentiemini, neque calumniã faciet vnusquisque proximo suo. Illud de furto positum est in Decalogo. Quod autem dicit, Neque mentiemini, neque calumniam faciet vnusquisque proximo: mirum si non eo præcepto continetur quod ibi positum est, Neque falsum testimoniũ dices aduersus proximum tuum: quoniam neque calũnia sine mendacio fieri potest, quod falsi testimonii generalitate cõcluditur. Sed vtrùm hæc aliqua compensatione admittenda sint, magna quæstio est, sicut de mendacio penè omnibus videtur, quod vbi nemo læditur, pro salute mẽtiendum est. Vtrùm ergo ita & de furto, an furtum fieri potest vbi nullus læditur? Quinimo fieri potest etiam quando ei cui fit cõsulitur, tanquam si quisquam hominum volenti se occidere, gladium furetur. Nam calumnia nescio vtrùm cuiquam ad eius vtilitatem fieri possit, nisi fortè quod ad maius gaudium fiebat quo postea fruerentur, quod Ioseph de cypho calumniabatur fratribus suis, quibus etiam exploprationis falsum crimen intẽderat. Quanquam si definitionibus ita determinare tẽtemus, fortasse furtum non est, nisi quando alieno occultè ablato proximus læditur: & calumnia nõ est, nisi quãdo falsi criminis obiectione proximus læditur: mendacium autem non presumus dicere tunc tantummodo esse, quando proximus læditur. Quum enim falsum ab sciente dicitur, proculdubio mendacium est, siue illo quisquã siue nemo lædatur. Proinde magna quæstio de mendacio, vtrùm possit aliquando iustum esse mendacium, facilè solueretur, si sola præcepta intueremur non exẽpla. Nam quid isto præcepto absolutius, Non mentiemini? Sic enim dictum est, quomodo, Nõ facies tibi idolũ, quod factum non potest aliquãdo iustũ esse: & quomodo dictum est, Non mœchaberis. Quis autem dicat aliquãdo mœchiam iustam esse posse? &, Non furaberis, secundum definitionem illam furti, iustum esse furtũ nunquam potest. Et, Nõ occides: quoniam cùm homo iustè occiditur, Lex eum occidit, non tu: nunquid ita dici potest cùm homo iustè mẽtitur Lex mẽtitur? Sed exempla faciunt difficillimã quæstionẽ. Mẽtitæ sũt obstetrices Aegyptiæ, & bona illis Deus retribuit. Mẽtita est Raab pro exploratoribus terræ, & ideo liberata est. An ex quo dictum est in Lege, Non mentiemini, ex illo intelligendum est, nec in tali causa licere mendacium, in quali causa legitur Raab esse mentitã? *Levit.19* *Exod.20* *Gen.44* *Exod.1* *Ios.2*

tita? Sed magis credibile est, quia iniustum erat mendacium, ideo prohibitum, non quia prohibitum, ideo factum iniustum. Fortassis ergo sicut de obstetricibus diximus, non hoc in eis remuneratum quòd mentitæ sunt, sed quòd infantes Hebræos liberauerunt, vt propter hanc misericordiam illud peccatum veniale sit factum, non tamen existimetur non fuisse peccatum. Sic etiam de Raab intelligendum est, remuneratam in illa liberatione exploratorum, vt propter eandem liberationem venia sit data mendacio. Vbi autem venia datur, manifestum est esse peccatum. Sed illud cauendum est, ne ita quisque existimet etiam de cæteris peccatis, si propter liberationes hominum fiant, ita veniam posse concedi. Multa enim mala intolerabilia & nimium detestanda istum sequuntur errorem.

Quomodo, Non nocebis proximo.

69 Non nocebis proximo. Si quid sit nocere & non nocere pateret hominibus, hoc generale præceptum ad innocentiam retinendam fortasse sufficeret. Omnia enim quæ prohibentur committi in proximum, ad hoc vnum referenda sunt quod dictum est, Nõ nocebis proximo. Nam quod sequitur, Nõ rapies: nisi ad hoc referatur, ne rapiendo noceatur, aliquando euenit vt non rapiendo quisque noceat. Nam gladius insanienti rapiendus est: & si non fecerit quis, vt oportuerit, magis nocuerit. Leuit.19

Quomodo addat, Non vindicatur manus tua.

70 Quid est quòd cùm suprà dixisset, Non odio habebis fratrẽ tuum in animo tuo: arguendo argues proximum tuum, & nõ accipies propter istum peccatum: consequenter adiunxit, Et non vindicatur manus tua? vtrùm pro eo quod est, Non punitur? Animo enim bono facies quum disciplinam peccati proximo imponis, ne accipias peccatum eius negligendo. Ad hoc enim pertinet quod antè posuit, Nõ odio habebis proximum tuum in animo tuo. Videri enim potest ei qui arguitur, quòd oderis eum, cùm nõ sit in animo tuo. An nõ vindicatur manus tua, hoc potius admonet ne quæras vindicari manum tuã, nec vlciscendi libidine rapiaris? Nam quid est aliud vindicari velle, nisi lætari & cõsolari de alieno malo? Et ideo dictum est, Non irascaris filiis populi tui. Sic enim rectè ira definita est, quòd sit vlciscendi libido. Quidam verò codices habent, Nec vindicabitur manus tua, id est, ne arguendo vindicare te velis: sed potius consulere illi quem arguis. Leuit.19

Quid illud, Et incisiones super animam non facietis in corpore vestro.

71 Et incisiones super animam non facietis in corpore vestro. Super animam dixit, super funus mortui: de anima quippe dolor est quæ recessit. Ad hũc autem dolorem pertinet luctus, in quo luctu nonnullæ gentes habent consuetudinem secare seu incidere corpora sua. Hoc autem fieri à Iudæis Deus prohibet. Leuit.19

Quomodo illud accipiendum, Ita vt fornicentur principes de populo suo.

Ita vt fornicentur principes de populo suo. 72
Non de populo suo principes, sed de populo suo fornicentur. Eos quippe principes vult hîc intelligi, qui pro diis colebãtur: sicut Apostolus dicit, Secũdum principem potestatis aeris. Et in Euangelio Dominus, Nunc princeps huius mundi missus est foras: &, Ecce venit princeps mundi huius, & in me nihil inueniet. Leuit.19 Ephe.2 Ioan.12

Quomodo illud, Homo quicũque adulterauerit vxorem viri, &c. accipiendum sit.

Homo quicunque adulterauerit vxorem 73
viri, aut quicunque adulterauerit vxorẽ proximi sui, morte moriãtur. Pluraliter dixit, Morte moriantur, hoc est, qui adulterauerit & quæ adulterata est. Hîc aliquid distare voluit inter quenlibet virum & proximum: quanuis multis locis proximum pro omni homine ponat. Sed quæ est ista locutio, vt quum iam dixisset de viro, hoc idem repetierit de proximo, quum sit consequens, vt multò magis ab vxore proximi abstinendum sit, si ab vxore cuiuslibet viri abstinendum est? Nam si prius de proximo dixisset, ne putaretur vxorem licere adulterare non proximi addendum fuit, sed de quolibet viro. Nunc verò si quod minus est non licet, quantò minus licet quod maius malũ est? Nam si non licet adulterare vxorem cuiuslibet viri, quantò magis proximi? An fortè ista repetitio tanquam exponit quid prius dictum sit, vt ideo intelligat homo quantum malum sit adulterare vxorem viri, quia si hoc fecerit, vxorem proximi adulterat? Proximus est enim omnis homo homini. Leuit.20

Quomodo illud, Mulier quæ accesserit ad omne pecus ascendi ab eo, &c.

Et mulier quæ accesserit ad omne pecus a- 74
scendi ab eo, interficietis mulierem & pecus: morte moriantur: rei sunt. Quæritur quomodo sit reum pecus, quum sit irrationale, nec vllo modo legis capax. An quemadmodum trãsferuntur verba modo locutionis, quæ Græcè appellatur Metaphora, ab animali ad inanimale, sicut dicitur improbus æstus, vel iratum mare, ita & hîc translatum est à rationali ad irrationale? Nam pecora inde credendum est iussa interfici, quia tali flagitio cõtaminata indignã refricant facti memoriam. Leuit.20

Quid significet videre, quum dicitur, Qui viderit turpitudinem sororis suæ.

Quicunque acceperit sororẽ suam ex patre 75
suo, aut ex matre sua, & viderit turpitudinem eius: improperium est: exterminabũtur in conspectu generis sui. Turpitudinem sororis suæ reuelauit, peccatum suum accipiet. Quid ait in hoc loco, Viderit, nisi concumbendo cognouerit? sicut in Lege dicitur, Cognouit vxorem suam, pro eo quòd est, mixtus ei est. Et quid ait, Peccatum suum accipient, quum de pœna eorum loqueretur, nisi quia & ipsam pœnam peccati peccatum voluit appellare? Leuit.20

Quo gradu cognationis prohibeatur cognata.

Quicunque dormierit cum cognata sua, 76
turpitudinem cognationis suæ reuelauit, sine Leuit.20

filiis morientur. Quæritur quousque sit intelligenda ista cognatio, quum ex longo gradu liceat vtique accipere vxorem, semperque licuerit. Sed intelligendum est ex iis gradibus, quos prohibuit nō licere, & secūdum ipsos dictum, Quicunque dormierit cum cognata sua: vbi & aliqua non commemorata intelligenda dimisit: sicut sororem de vtroque parente, sicut vxorem fratris matris, id est, auunculi. Nā de vxore patrui primùm prohibuit: quāuis hæc nō cognatio, sed affinitas perhibetur. Sed quid est, Sine filiis moriētur, quum filii ex huiusmodi coniūctionibus & antè nati sint, hodiéq; nascantur? An hoc intelligendum est Lege Dei constitutum, vt quicunque ex eis nati fuerint non deputētur filii, id est, nullo parentibus iure succedant? Et non execrabiles facietis & animas in pecoribus & in volucribus, & in omnibus serpentibus terræ, quę ego segregaui vobis in immunditiam. Videtur hīc significare non hæc natura immūda esse, sed aliquo sacramenti signo: quando quidem dicit, Quæ ego segregaui vobis in immunditiam, tanquam immunda eis non essent, si eis segregata non essent.

Vter obrui præcipiatur, an ventriloquus tantùm, an & mulier habitus eum.

77 Et vir aut mulier si fortè fuerit illi ventriloquus, aut incantator, morte moriantur ambo: lapidibus lapidabitis eos, rei sunt. Vtrùm vir & mulier, an vir & vētriloquus, aut mulier & ventriloquus siue incantator? Sed hoc magis & qui habet & quæ habet. Leuit 20

Quomodo mutato numero dicatur, Mulierem fornicariam non accipient, quia sanctus est.

78 Mulierem fornicariam & prophanam non accipient, & mulierem ciectam à viro suo: quoniam sanctus est Domino Deo suo. Superius Non accipiēt, dixerat, nunc autem Quoniam sanctus est, non quoniam sancti sunt: de pluribus qui vno sunt tempore sacerdotibus loquebatur, sed de vnoquoque eorum dixit, Quoniam sanctus est, locutione qua solet vti Scriptura. Nam vnum illum summum postea commemorat, qui intrabat Sancta sanctorū. Nam & pluraliter conclusit dicens, Et sanctificabis eum, dona Domini Dei vestri iste offeret: sanctus est, quoniam sanctus & ego Dominus qui sanctifico eos. Quantùm autem pertinet ad dona, quoniā dixit, Dona Domini Dei vestri ipse offeret, non solùm summus ille offerebat, sed etiam secundi sacerdotes. Ac per hoc quod ait, Mulierem fornicariā & prophanam & ciectam à viro suo non accipiet, hoc & secundi sacerdotes prohibiti sunt. Nam & de summo postea dicit, qui etiam non nisi virginem accipere iussus est. Leuit. 21

Quis sit sacerdos magnus à fratribus suis.

79 Et sacerdos magnus coram fratribus suis, id est, qui inter fratres suos magnus est, ille scilicet vnus magn⁹ sacerdos, cui fusum est super caput ex oleo Christo. Ipsum oleum appellat Scriptura Christum. Leuit 21

Quæ consummatus induere vestimenta dicatur.

Et consummatus manus induere vestimenta, illa vtique quę in veste sacerdotali operosissimè describuntur. 80 Leuit. 21

Quidsit, Caput non retegetcidari.

Caput non reteget cidari, & vestimenta sua non scinder, & super omnem animā mortuam non introibit. Intelligitur ea quę suprà dixit in luctu facere eum prohibitum, id est, caput nudare cidari & vestimenta scindere. Vestimenta enim scindere lugentium erat antiquorum, sicut de Iob scriptum est, cùm ei filii eius ruina nuntiarentur oppressi. Nudare autem caput cidari, propterea lugentis esse potuit, quia detractio est ornamenti. Quòd verò ait, Super omnem animā mortuam nō introibit, quomodo dicat animā mortuam corpus mortuum, difficile est intelligere, & tamē Scripturarū est vsitata locutio, quæ nobis inusitatissima est. Nomen ergo rectricis suæ etiam corpus accepit anima destitutum: quoniam reddendum illi est in resurrectione, sicut ædificium quod appellatur Ecclesia, etiā cùm inde Ecclesia exiret, qui homines sunt, nihilomin⁹ Ecclesia dicitur. Sed cùm corpus nō accipiat animæ nomē in homine viuente, quomodo tūc vocetur anima cùm caruerit anima, mirū est. Porrò si animā mortuam intellexerimus à corpore separatā, vt ipsam separationem mortem dixisse videatur, id est, vt anima mortua sit dirempta à corpore, nō natura sua perdita. Non enim & quum dicimur mortui peccato, natura dicimur interiisse: sed quòd iam peccato non vtimur, vt sic intelligatur anima mortua, id est, corpori mortua, quòd vti eo desierit, cùm in sua natura viuat: quomodo potest quisquam intrare super animā mortuā, quod sacerdos iste prohibetur, cùm quisquis intrat super mortuum corpus intret, non super animā quæ discessit à corpore? An ipsam vitam temporalē animæ vocabulo appellauit, quæ vtique mortua est in defuncto corpore, anima illa emigrante quæ mori non potest? Nō quòd ipsa vita anima fuerit, sed quòd per animæ præsentiam, qua subsistebat, nomē eius acceperit: sicut distinximus cùm de sanguine loqueremur, quid dictum sit, Anima omnis carnis sanguis eius est. Est enim & ipse sanguis mortuus in corpore mortui: non enim cum abscedente anima abscessit. Vetuit ergo Scriptura summum sacerdotem etiam super patris vel matris funus intrare: quod secundum non prohibuit. Sequitur enim, Super patrem suum & super matrem suam non inquinabitur. Ordo est autem verborum, Super patrem suum non inquinabitur, nec super matrem suam. 81 Leuit. 21

Quomodo dicatur, Et de Sanctis non exibit.

Et de Sanctis non exibit: eo proculdubio tempore quo suorum funera celebrantur: sicut eis septē diebus quibus sanctificabatur de Sanctis est exire prohibitus, nō autem semper. Sanè si vxores ducere, vel filios gignere non vetabantur summi tunc sacerdotes, magna oritur quæstio, quum Lex etiam coniugali concubitu 82 Leuit. 21 Li. 2. Retract. Cap. 55

cubitu immundum hominem dicat vsque ad vesperam, etiam quum abluerit corpus suum aqua: & iubeatur summus sacerdos propter incensum continuationis bis in die quotidie intrare intra velum, vbi erat altare incensi, nec quēquam immundum ad Sancta fas esset accedere: quomodo id quotidie summus sacerdos implebat, si filios procreabat? Nam si ægritudo illi accidisset, quis loco eius fūgeretur? Si quis inquirat, responderi potest, quòd gratia Dei non ægrotabat. Nunquid sic etiam de filiorum procreatione responderi potest, vnde sit consequens, vt aut continens esset, aut diebus aliquibus intermitteretur incensum, aut si illud intermitti non posset, quod nō nisi per summū sacerdotem necesse esset imponi, nō fieret immundus coitu coniugali, meritò præcipuè sanctificationis suæ. Aut si etiam ad ipsum pertinet, quod de omnibus filiis Aaron in consequentibus dicit, vt nullus eorum accedat ad Sancta, si cui aliquid acciderit immunditiæ: illud pro peccato restat accipere, quòd nonnullis diebus non imponebatur incensum.

Quomodo super funus patris prohibeatur intrare.

83 Quòd autem super funus patris sui summus sacerdos prohibetur intrare, quæri potest quomodo iam esse poterat summus sacerdos nondum mortuo patre suo, quum eos patribus succedere iubeat. Ideo necesse erat nōdum sepulto summo sacerdote continuò substitui sacerdotem propter continuationis incensum, quod per summum sacerdotē quotidie oportebat imponi. Quanquam & illa quæstio de ægritudine summi sacerdotis manet, si morituram necesse erat diebus aliquibus ęgrotare, nisi fortè & hoc ita soluatur, vt dicatur non solere summos sacerdotes, nisi subitò mori non præcedente ægritudine, sicut de ipso Aaron Scriptura testatur.

Leuit.21

2. Retract. cap. 55

Quomodo Dominus sape dicat, Ego Dominus qui sanctifico eum sacerdotem, quum Mosi dixerit, Et sanctificabis eum.

84 Aduertendum est quoties dicit, Ego Dominus qui sanctifico eum, loqui de sacerdote, quum hoc etiam Mosi dixerit, Et sanctificabis eum. Quomodo ergo & Moses sanctificat, & Dominus? Non enim Moses pro Domino, sed Moses visibilibus sacramētis per ministerium suum: Dominus autem inuisibili gratia per Spiritum sanctum, hoc est totus fructus etiam visibilium sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione inuisibilis gratiæ, visibilia sacramenta quid ꝓsunt? Meritò autē quæritur, vtrùm etiā ista inuisibilis sanctificatio sine visibilibus sacramētis, quibus visibiliter homo sanctificatur, pariter nihil profit. Quod vtique absurdū est. Tolerabilius enim quisque dixerit sine illis istam non esse, quàm si fuerit nō prodesse, cùm in ista sit omnis vtilitas illorum: sed etiam hoc quod sine illis ista esse non possit, quomodo recte dicatur, intuendum est. Nihil quippe profuit Simoni mago visibilis Baptismus, cui sanctificatio inuisibilis defuit: sed quibus ista inuisibilis, quoniam adfuit, profuit, etiam visibilia sacramenta perceperāt similiter baptizati. Nec tamen Moses, qui visibiliter sacerdotes sanctificabat, vbi fuerit ipse ipsis sacrificiis vel oleo sanctificatus ostenditur: inuisibiliter verò sanctificatū negare quis audeat, cuius tāta gratia pręeminebat? Hoc & de Ioāne Baptista dici potest. Prius enim baptizator, quàm baptizatus apparuit. Vnde cum sanctificatū nequaquam negare possumus: id tamen in eo factum visibiliter non inuenimus, antequam ad ministerium baptizandi veniret. Hoc & de latrone illo cui secum crucifixo Dominus ait, Hodie mecum eris in paradiso. Neque enim sine sanctificatione inuisibili tanta felicitate donatus est. Proinde colligitur inuisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse, atq; prosuisse sine visibilibus sacramentis, quæ pro temporum diuersitate mutata sunt, vt alia tunc fuerint, & alia modò sint: visibilem verò sanctificationē, quæ fieret per visibilia sacramenta, sine ista inuisibili posse adesse, non posse prodesse. Nec tamen ideo sacramētum visibile contemnendum est. Nam contēptor eius inuisibiliter sanctificari nullo modo potest. Hinc est quòd Cornelius & qui cum eo erant, quum iam visibiliter infuso sancto Spiritu sanctificati apparerent, baptizati sunt tamen: nec superflua iudicata est visibilis sanctificatio, quam inuisibilis iam præcesserat.

Luce 23

2. Retract. cap. 55

Actorum 10

Quomodo iubetur sacerdotem mundum esse oportere, quicunque ad Sancta accedere volunt.

85 Et loquutus est Dominus ad Mosen, dicens, Dic Aaron & filiis eius, vt attendant à Sanctis filiorum Israel, & non prophanabunt nomen sanctum meum, quando ipsi sanctificāt mihi. Ego Dominus. Et dices illis, In progenies vestras omnis homo quicunque accesserit ab omni semine vestro ad Sancta, quęcunque sanctificauerint filii Israel Domino, & erit immūditia eius in illo, exterminabitur anima illa à me. Ego Dominus Deus vester. Ablata est omnis dubitatio, neminē sacerdotum vel summorum vel secundorum debuisse accedere ad Sancta, si immunditia eius in ipso esset. Erat ergo consequēs continētia sacerdotis, ne propter filiorum procreationem aliquibus diebus non imponeretur continuationis incensum, quod à solis summis sacerdotibus bis in die solebat imponi mane & vespere: quandoquidem post coitum coniugalem, etiam lotus corpore, immundus erat vsque ad vesperum, à quo id necesse erat imponi. Quòd autem ait, Quę sanctificant filii Israel, intelligendum est, offerendo sacerdotibus offerendum per eos Domino. Et notandum sanctificationis genus, quod fit voto & deuotione offerentis. Sed vtrùm sicut isto modo sanctificantur ea quæ offeruntur ab hominibus: ita & homines eodē modo seipsos sanctificare dicantur, cùm in aliqua re seipsos vouent, obseruandum est in Scripturis.

Leuitic. 20, 21, & alijs cap.

Actorum 8

Leuit. 22

Quid sit immunditia animæ.

86 Et quicunque tetigerit omnem immunditiam animæ, id est, aliquid morticinum, cuius secundum Legem tactus inquinauit.
Leuit. 22

Quomodo quis maledicere Deum, aut nominare nomen Domini differenter prohibetur.

87 Homo si maledixerit Deum suum, peccatum accipiet. Nominans autem nomen Domini, morte moriatur. Quasi aliud sit maledicere Deum suum, aliud nominare nomen Domini, atque illud illi sit peccatum: hoc autem peccatum nefas, vt etiam morte sit dignum. Quanuis hoc loco ita intelligẽdum sit quod dictum est, Nomen Domini, vt cum maledicto fiat, id est, maledicendo nominet. Quid ergo distat inter illud peccatum, & hoc tãti sceleris crimen? An fortè hocipsum repetendo mõstrauit non leue illud esse peccatum, sed tantum scelus, quod morte puniendum sit? Sed quia per distinctionem hoc intulit non dicens, Nominans enim, sed nominans autem: subobscurum factum est. Et ideo si hoc rectè intelligitur, notandum est etiam loquutionis genus.
Leuitic. 24

Quomodo anima hominis percuti dicatur.

88 Et homo qui percusserit omnem animam hominis, & mortuus fuerit, morte moriatur. Non ait, Quicunque percusserit hominem, & mortuus fuerit, sed animam hominis: cùm potius corpus hominis à percussore feriatur, sicut & Dominus dicit, Nolite timere eos qui corpus occidũt. Eo more ergo, quo solet Scriptura, appellat animam vitam ipsam corporis, quę fit per animam, & hinc voluit ostendere homicidam, quòd hominis animã percutiat, id est, percutiendo vita hominem priuet. Cur ergo addidit, Et mortuus fuerit, si iam hocipso ostendit homicidium, quòd animam hominis percusserit, id est, vita homo à percutiente priuatus sit? An exponere voluit quomodo accipiendum sit, quod dixerat, Hominis animam percussam: & sic ait, Et mortuus fuerit: tanquã diceret, id est, mortuus fuerit? Hoc est enim, animam hominis fuisse percussam.
Leuit. 24
Matth. 10

Quomodo intelligẽdum sit illud, Quum introieritis in terram quam do vobis, & requieuerit, &c.

89 Cùm introieritis in terram, quam ego do vobis, & requieuerit terra quam ego do vobis Sabbata Domini, sex annis seminabis agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, & congregabis fructum eius: anno autem septimo Sabbata, requies erit terræ Sabbata Domino. Quomodo intelligendum est, Quum introieritis in terrã quam do vobis, & requieuerit terra, sex annis seminabis agrum tuum? &c. Quasi tunc fieri præceptum sit, quãdo terra requieuerit, quum propterea terra requiescat quoniam hoc fit. Requiem enim terræ septimo vtique anno vult intelligi, quo iussit nihil in ea quenquam operari per agriculturam. Sed nimirum lõgum hyperbaton facit obscuritatem huic sensui. Videtur ergo hic esse ordo verborum, Cùm introieritis in terrram quam ego do vobis, & requieuerit terra quam ego do vobis, Sabbata Domini quæ ab se surgunt, agrum tuum non metes, & vineam sanctificationis tuæ nõ vindemiabis: annus requiescendi erit terræ. Et erunt Sabbata terræ sancta tibi, & puero tuo, & puellæ tuæ, & mercenario tuo, & inquilino qui applicatus est ad te, & pecoribus tuis, & bestiis quę sunt in terra tua, omne quod nascetur ex eo in escam. Interposuit autem exponẽdo quomodo terra requiescat, & ait, Sex annis seminabis agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, & congregabis fructum eius: anno autem septimo Sabbata, requies erit terræ Sabbata Domino. Agrum tuum non seminabis, & vineam tuam non putabis. Et per hoc quod ait, Nõ putabis, omnem culturam eo anno prohibitam debemus accipere. Nequeenim si putanda non est, aranda est, aut adminiculis suspendẽda, vel quodlibet aliud, quod ad culturam eius pertineat, adhibẽdum. Sed quomodo solet à parte totũ intelligi, ita per putationẽ omnis cultura significata est. Et per agrum atque vineam, quum & illum seminari, & hanc putari prohibuit, omne agri genus intelligendum est. Neque enim in olueto, vel quolibet alterius generis agro aliquid operandum est, de quibus tacuit. Quòd verò ait, Et erunt Sabbata terræ sãcta tibi, & puero tuo, & puellæ tuæ, &c. satis aperuit nec dominũ agri prohibitum vesci eis, quæ non adhibita cultura illo anno sponte nascantur, sed fructus redigere prohibitum. Sic ergo permissus est aliquid inde in escam sumere, quomodo transiens, vt hoc solùm caperet, quod statim vescẽdo consumeret, non quod in vsus reponeret.

Quomodo illud, Terra non venundabitur, &c.

Et terra non venundabitur in profanationem. Alii codices habent, In confirmationem: quam mendositatem in alterutris prius à Græco accidisse arbitror, propter verbi similem sonum. βεβήλωσις enim profanatio dicitur, βεβαίωσις autem confirmatio. Sed ille sensus apertus est. Et terra non venũdabitur in profanationem, id est, ne quis auderet terram quam accepit à Deo, vendere profanis, qui ea vtuntur ad impietatem cultúmque deorum alienorum atq; falsorum. Illud autem subobscurum est, Nõ venundabitur terra in confirmationẽ. Quod puto non intelligendum, nisi ne ita venditio confirmetur, vt eam non recipiat venditor tempore remissionis, sicut præceptum est. Quod verò sequitur, vtrique sensui potest cõgruere, siue legatur, Et terra non venundabitur in profanationem, siue in confirmationem. Secutus quippe adiunxit, Mea enim est terra: propter quod proselyti & incolæ vos estis ante me.
90 Leuitic. 25

Quomodo illud, Mercedem date terræ.

Et per omnem terram possessionis vestræ mercedem dabitis terræ. Alii autẽ codices habent, Redemptionem dabitis terræ. Sensus ergo hîc est, Non venundabitur terra in profanationem, id est, illis qui ea vtãtur in iniuriam Creatoris, aut in cõfirmationem, id est, vt eam emptor
91 Leuitic. 25

emptor perpetuò possideat, nec certo secundũ Dei præceptum interuallo annorum restituat venditori. Mea est enim, inquit, terra: vnde secundum meum præceptũ ea vti debebitis. Atque vt ostenderet suam esse nõ ipsorum, quid ipsi in ea essent, consequenter adiunxit, dicens, Propter quod proselyti & incolæ vos estis ante me, hoc est, quanuis proselyti, id est, aduenę sint vobis, qui ex alienigenis adiunguntur genti vestræ vt incolæ, non in terra propria manẽtes: tamen etiam vos omnes ante me aduenę estis & incolæ: hoc Deus dicit, Siue Israelitis quòd aliarum gẽtium terram, quas expulit, eis dederit, siue omni homini qui ante Deum semper manet, & sicut scriptum est, Cælum & terram implet, vtiq; præsentia sua. Omnis homo aduena est nascendo, & incola viuendo: quoniam compellitur migrare moriendo.

Hierem. 23

Quomodo quod addit, Tanquam inquilini redemptionem.

92 Deinde adiungit & dicit, Per omnem terram possessionis vestræ mercedem dabitis terræ, tanquam inquilini, vel redemptionem. Illud nisi fallor vult intelligi, quòd inde reddebant quodammodo per cessationes septimorum quoruncunque annorum, & quinquagesimi anni, quem vocat Remissionis, vt ipsa vacatio terræ, velut merces habitationis, aut redemptio esset ab illo cuius est, hoc est, ab eius creatore Deo.

Leuit. 25

Quæ sit anima Dei.

93 Et ponam tabernaculum meum in vobis, & non abominabitur anima mea vos. Animam suam Deus voluntatem suam dicit. Non enim est animal habens corpus & animã, neque substantia eiusmodi est, cuiusmodi creatura eius quæ anima dicitur, quam fecit. Fecit enim sicut per se iam ipse testatur, dicens, Et omnẽ flatum ego feci. Quod eum de anima hominis dicere, consequentia manifestant. Sicut ergo quum dicit oculos suos & labia sua, &c. vocabulo membrorum corporalium, nõ vtique accipimus eum forma corporis esse definitum: sed illa omnia membrorum nomina non intelligimus, nisi effectus operationum atque virtutum: ita & cùm dicit, Anima mea, voluntatem eius debemus accipere. Perfectè quippe simplex illa natura, quæ Deus dicitur, non constat ex corpore & spiritu: nec ipso spiritu mutabilis est sicut anima, sed spiritus est Deus, & semper & idem ipse apud quẽ non est cõmutatio. Hinc autem acceperunt Apollinaristę occasionẽ, qui dicunt animam non habuisse Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Iesum: sed tantùm verbum & carnem fuisse, quum diceret, Tristis est anima mea vsque ad mortem: sed ipso eius actu, qui nobis per Euangelicam declaratur historiam, sic apparent humanæ animæ officia, vt hinc dubitare dementis sit.

Leuitic. 26

Esaiæ 57

Matth. 26

Quomodo dicitur, Quòd trãsgressores Legis gladius consumet, & quòd erunt in terra inimicorum suorum.

94 Quid est quòd quum inobedientiæ pœnas comminaretur Deus, dixit inter cætera, Et cõsumet vos perambulans gladius? Deinde ait, Et erit terra vestra deserta, & ciuitates vestræ erunt desertæ: tunc bene sentiet terra Sabbata sua, omnes dies desolationis suæ, & vos eritis in terra inimicorum vestrorum. Quomodo ergo cõsumet eos gladius, si erunt in terra inimicorum suorum? An in ipsa terra consumet, quoniam strage mortuorum facta non erũt ibi? An consumet vos, sic ait, acsi diceret, Interficiet vos? vt ad istam consumptionem illi pertineãt qui gladio cadant, non omnes: quandoquidem paulò pòst dicit, Et eis qui residui sunt ex vobis, superducam formidinem in cor eorum. An secundum hyperbolen dictum est, Consumet vos, secundum quem loquendi modum de abundãtia eorum dictum est, Et sicut arena maris? Secundum istum modũ etiam dicitur quod deinde sequitur, Et persequetur eos sonus folii volantis, id est, quia nimius in eis timor erit, vt & leuissima quæque formident.

Leuit. 26

DIVI AVRELII AVGVstini Hipponensis Episcopi, liber quartus Quæstionum super Numeros.

Quomodo à numeris appellentur principatus.

1 QVid est quòd singulos de singulis tribub⁹ elegi iubet principes cósque appellat χιλιάρχους, quos quidã Latini interpretes Tribunos appellauerũt? χιλίαρχοι autẽ videtur à mille cognominati. Sed quum consilio Iethro socer Mosi genero suo daret, quod etiam Deus approbauit, de ordinando populo sub principibus, vt non omnes omnium causæ Mosen vltra vires onerarẽt, χιλιάρχους appellauit constituendos super millenos homines, & ἑκατοντάρχους, super centenos, ab ipsis numeris quibus præessent, & πεντηκοντάρχους, super quinquagenos, & δεκαπεντάρχους ἢ δεκάρχους, super denos, ab ipsis numeris quibus præessent cognominatos. Nunquidnam & hic sic accipiendi sunt χιλίαρχοι, quòd singuli essẽt super millenos? Non vtique. Neque enim vniuersus omnium populus Israel duodecim hominũ millia tunc fuerunt. Singulos enim elegit de singulis tribubus, quæ duodecim trib⁹ proculdubio nõ millenos homines, sed multa millia cõtinebant. Nomen ergo cõmune est cum illis qui in Exodo appellãtur χιλίαρχοι, quòd vnusquisque illorum esset mille hominum princeps: istorum autẽ vnusquisque milliũ princeps, quoniam siue à mille, siue a millibus, eadẽ compositio nominis resonat, vt appellentur χιλίαρχοι.

Numer. 1

Exod. 18

Quid mysterii habeat, numerus ille quinarius, secundum propinquitates, populum, domos, numerum & caput.

2 Meritò quæritur, quid sibi velit quòd per omnes trib⁹ vbi computãtur per singulas quasque filii Israel in ætate militari, dicitur, Secundum propinquitates eorum, secundũ populum eorum, secundum domos familiarum eorum, secundum numerum nominum eorum, secun-

Numer. 1

dum caput eorum, & hæc quinque similiter omnino repetuntur, donec tribus omnes compleantur, quasi aliud sit, secundum propinquitates, aliud secundum populos, aliud secundum domos familiarum, aliud secundum numerum nominum, aliud secundum caput eorum: cùm potius videantur aliis verbis eadem significare ista nomina. Intẽtionem autem mouet, quia tam diligenter per omnes tribus eadem repetuntur, vt nõ frustra fieri quiuis iudicet, etiam si non intelligat. Nimirum ergo numerus ipsę aliquid insinuat sacramenti, vt hoc idem quinquies variè repetatur. Nam iste numerus, sicut in ipsis quinque libris Mosi, id est, quinarius, in veteri Testamento maximè commendatur. Illa verò quę deinceps quatuor connectuntur, id est, masculina à viginti annis & suprà, omnis qui procedit in virtute, & recognitio eorum, quanuis & ipsa per omnes tribus eodem prorsus modo repetantur, habent necessariam differentiam. Quum enim ageretur de numero vniuersę multitudinis ad vnam tribum pertinẽtis, discernendus erat sexus: ideo positum est, Omnia masculina. Et ne paruuli etiam cõputarentur, adiunctum est, A viginti annis & suprá. Rursus ne imbellis ætas senectutis annumeraretur, additum est, Omnis qui procedit in virtute. Et omnia concludüntur verbo eius operis, quod fiebat, vt dicatur, Recognitio eorum. Recognitio enim hęc fiebat, vt hominum millia computarẽtur. Quinque igitur illa, propinquitas, populus, domus familiarũ, numerus nominum, & caput: & ista deinde quatuor, sexus, ętas, virtus, recognitio, fortasse in ipso numero aliquid insinuant. Si enim horũ duorum numerorũ, id est, quinarii & quaternarii, alter multiplicetur ex altero, id est, vt quinquies quaterni, aut quaterquini ducantur, viginti fiunt. Quo numero etiam adolescentium ætas illa significatur. Qui numerus commemoratur & quando intratur ad terram promissionis, & dicitur illa ætas viginti annorum, quæ non declinauerit in dextram aut siniſtrã. Vbi mihi videtur significari sancti fideles ex vtroque Testamento fidem verã tenentes. Nam vetus testamẽtum quinque libris Mosi maximè excellit, & nouum quatuor Euangeliis.

Quis sit ali nigena quem vetat accedere tabernaculum dum erigitur, aut leuatur.

3 Quòd ait de tabernaculo distinguendo, leuando, erigendo. Et alienigena qui accesserit morietur: hic alienigena intelligendus est etiam ex illis filiis Israel, qui non de illa tribu fuerant, quam tabernaculo seruire præcepit, id est, qui non fuerit de tribu Leui. Mirum est autẽ quomodo abusiuè alienigena dicitur, quòd magis alterius generis hominem significat, id est, ἀλλογενῆ, & non magis ἀλλόφυλος, quod significat alterius tribus hominem. Quo nomine magis vtitur Scriptura in aliarum gentium nominibus, vt ἀλλόφυλοι appellentur, quasi aliarum tribuum homines. Numer. 3

An ibidem vigiliæ, an custodiæ rectius dicantur.

Et loquutus est Dominus ad Mosen, dicens, Accipe tribum Leui, & constitues eos in conspectu Aaron sacerdotis, & ministrabũt ei, & custodient custodias eius, & custodias filiorum Israel ante tabernaculum testimonii. Quas φυλακὰς Græcus dixit, has nostri interpretes alii custodias, alii excubias interpretati sunt. Sed mirum nisi vigiliæ melius dicantur, quæ solent in castris ternarum horarum obseruationem habere. Vnde scriptũ est, Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare, hoc est, post nonam horam noctis, post tres videlicet vigilias. Et multis locis Scripturarũ nostri vigilias interpretati sunt, quas Græci φυλακὰς vocãt. Vnde nulla dubitatio est spatia nocturni temporis significari. Quod puto & hîc accipiendum. Quomodo enim Leuitæ iubentur obseruare custodias Aaron, & custodias filiorum Israel, id est, φυλακὰς, nisi fortasse dictum est, ne putarent ab obseruandis vigiliis, quæ propriè in castris obseruari solent, propter honorem quo seruiebant tabernaculo, immunes esse debere, cùm & ipsos oporteret propter opera tabernaculi non minus vicissim obseruare vigilias, quę obseruarẽtur in aliis circunquaque castris filiorum Israel? 4 Numer. 3 Matth. 14

Quomodo ex contactu tabernaculi Dominus mortem minetur, quum in Leuitico salutem promiserit.

Alienigena qui tetigerit, morietur. Quærendum quomodo in Leuitico, qui tetigerit tabernaculum, sanctificabitur: quum hîc dicat, Alienigena qui tetigerit, morietur: volens intelligi eos qui non essent de tribu Leui. An fortè hîc, Tetigerit, Morietur, ad obsequiũ dixerit seruitutis, quod à solis Leuitis deberi tabernaculo præcepit? Hoc enim loquebatur. 5 Numer. 3

Quomodo primogenita dicantur Dei.

Quid est quòd Leuitas pro primogenitis filiorum Israel sibi Deus deputat: vt ita numeratis primogenitis populis, qui plures inuenti sunt, quã erat numerus Leuitarum, argẽto redimerẽtur, quinque siclis pro vno datis? Quod pro pecoribus non est factum, quum & pecora Leuitarum pro primogenitis pecorum simul sibi esse voluerit. Quomodo deinceps primogenita eorum vel pecorum eorum pertinebant ad Deum, vbi iussit immunda primogenita vel humana mutari ouibus? Quomodo nõ etiam pro eis deinceps primogenitis computabantur filii Leuitarum? Manebat enim in posteris eadem tribus, quę posset pro primogenitis posterioribus computari, nisi quia illud iustum fuerit, vt qui nascerentur de illis, qui iam ad portionem Domini pertinebant datam pro primogenitis, qui de Aegypto exierunt, iam Deus proprios haberet, tanquam suos de suis, nec possent pro illis iustè computari, qui deinceps primogeniti Deo debebantur. De vniuerso quippe populo & de vniuersis pecoribus populi, data est portio Deo pro primogenitis, & hęc portio erat Leuitę & pecora eorum. Iam 6 Numer. 3

si quid

si quid genuisset, Dei erat. Non poterat hoc tanquam à populo dari, quod iam alienum erat, ac per hoc debita deinceps primogenita Deo reddi oportebat, nec pro his cõputari posteros Leuitarum vel pecorum eorum.

Quomodo panes dicantur semper esse super mensam.

7 Cùm præciperet de tollenda mensa, iussit
Num. 4 cum illa & panes tolli, sic dicens, Et panes qui semper super eam erunt. Non vtique isti semper super eam erunt, sed similes eorum, quia illi auferebantur, & recentes quotidie ponebãtur: dum tamen sine panibus mẽsa non relinqueretur. Ideo dixit, Qui sẽper super eã erunt, hoc est, quia semper panes, nõ quia illi semper.

Quomodo sequentia intelligi debeant.

8 Et super altare aureum adoperient vesti-
Num. 4 mentum hiacynthinum: & adoperient illud operimento pellicio hiacynthino. Posset ista locutio videri, quam velut absurdam & non integram Latini interpretes trãsferre noluerunt, id est, super altare aureum adoperient vestimẽtum hiacynthinum, tanquam debuerit dici, altare aureum adoperient vestimento hiacynthino. Nam & operient vestimentum hiacynthinum, hoc videtur significare quòd ipsum vestimentum aliunde adoperiretur super altare. Sed mihi videtur non tam genus locutionis esse, quàm subobscurus sensus. Hoc quippe intelligi potest, Et super altare aureũ adoperiẽt vestimentum hiacynthinum, vt ipsum vestimentum hiacynthinum alia re operiendũ præciperet, quòd vestimẽtum iam super altare esset: ac si breuiter vtrunque complecteretur, vt vestimento hiacyntino altare operiendum, & vestimentum hiacynthinum alio tegmine operiendum subiunxerit. Denique vnde cooperiri vellet vestimentum hiacynthinum, ostendit quum adiecit, Et adoperient illud operimento pellicio hiacynthino.

Quæ peccata redimi pecunia iubeantur.

9 Vir aut mulier, quicunque fecerit ab omni-
Num. 5 bus peccatis humanis, & despiciens despexerit & deliquerit: anima illa annuntiabit peccatum quod peccauit, & restituet delictum, & quintas eius adiiciet super illud, & reddet cui deliquit ei. Si autem non fuerit homini proximus, ita vt reddat illi delictum, ipsum delictum quod redditur Domino, sacerdotis erit, excepto ariete propitiationis, per quem exorabit in illo pro eo. Hic ea peccata intelligẽda sunt, quorum in his rebus perpetratio est, quæ pecunia restitui possunt. Non enim aliter diceret quomodo restituenda sunt, nisi damna pecuniaria fuissent. Iubet enim restitui caput & quintas, id est, totum illud quidquid est: & quintã eius partem, excepto ariete, qui fuerat offerendus in sacrificium ad expiandum delictum. Iubet autem illud quod restituitur sacerdotis esse, id est, ipsũ caput & quintam, si non est proximus ei in quẽ cõmissum est. Vbi vtique intelligitur tunc Domino reddendum quod sit sacerdotis, si homo iste non supersit, qui damnum passus est, nec proximus eius, quem puto hæredem intelligi voluisse. Sed de ipso homine nihil dixit Scriptura. Veruntamen quum dicit, Si non ei fuerit proximus, sub hac breuitate insinuat tunc quęri proximum eius, si ipse non fuerit. Si autem non proximus erit, Domino restituetur, ne impunitum remaneat quod admissum est. Quod tamen non cedat in sacrificium, sed sit sacerdotis. Sic sane verba Scripturę distinguẽda sunt. Si autem non fuerit homini proximus, ita vt reddat illi delictum ad ipsum: locutionis est enim quod addidit, Ad ipsum: aut fortè ad ipsum dixit, quòd ad ipsum pertineat, id est, ipse possideat. Deinde sequitur, Delictũ quod redditur Domino, sacerdotis erit. Delictum autem dicit quum redditur ea res quæ per delictum ablata est.

Quomodo differenter hic & in Exodo iubeatur restitutio.

Quæri autem potest quomodo in Exodo 10
dicitur, Si quis furatus fuerit vitulum aut ouẽ, *Num. 5*
restituere debere quinque vitulos vel quatuor oues, si occiderit, aut vẽdiderit. Si autem quod abstulerit saluum apud eum reperitur, duplum esse restituendum, quum hic restitui iubeat caput & quintam: quod longè est etiam à duplo, quantò magis à quadruplo vel quinquies tantó? Nisi fortè quia hîc ait, Vir aut mulier quicunque fecerit ab omnibus peccatis humanis peccata ignorãtiæ, voluit intelligi humana peccata. Fieri enim potest vt parum attendendo per negligentiam traiiciat homo rem alienam in rem suam. Quod ideo peccatum est, quia si diligenter attenderetur, non admitteretur. Et hæc voluit capite & quinta restitui, non sicut furta mulctari. Nam si furta & fraudes hîc intellexerimus, quia non per ignorantiam negligentiæ, sed furandi vel fraudandi animo committuntur, & ideo dicta humana, quia in homines fiunt: ille, nisi fallor, erit exitus quæstionis huius, vt ideo qui fecit nõ reddat vel duplum: quia non reprehenditur vel conuincitur, sed ignorãtibus à quo factum sit, vel vtrùm factum sit, ipse annũtiat delictum suum. Quum enim dixisset Scriptura, Vir aut mulier quicũque fecerit ab omnibus peccatis humanis, & despiciens despexerit & deliquerit, id est, contemnendo ista commiserit, adiunxit & ait, Anima illa annuntiabit peccatum quod peccauit, & restituet delictum caput & quintas eius. Fortè ergo propterea tantùm quia ipse annuntiauit: & ideo non eo damno plectendus fuit, quo furem cõprehensum vel conuictum plecti oporteret.

Qualiter accipienda sint verba quæ Scriptura dicit mulieri à sacerdote dicenda.

Verba quæ Scriptura dicit mulieri à sacer- 11
dote dicenda, quando ad suspicionem adul- *Num. 5*
terii eam maritus adducit, Det eam Dominus in maledictum & in execramentum, Græcus habet ἐνόρκιον. Quo verbo videtur significari iuramentum per execrationem, velut si quisquam dicat, Sic non mihi illud & illud contingat, vel certè ita iuret, Illud & illud mihi contingat si fecero, vel non fecero. Ita hoc dictum est, Det te Dominus in maledictum & in exe-

cramentum, tãquam diceretur, vt de te iurent qui per execrationem iurabunt, sic non eis contingat, aut hoc eis contingat, nisi hoc illud de te fecerint.

Quid sit agnum offerri in peccatum.

12 Et offeret munus suum Domino, agnum anniculum sine vitio in holocaustoma, & agnam anniculam sine vitio vnam in peccatum. Hoc quidã nostri interpretes transferre noluerunt, veluti locutionem inusitatam vitantes, & dixerunt Pro peccato, non in peccatum, cùm sit sensus in ea locutione qui non fuerat perturbandus. In peccatum quippe dictum est, quia hoc ipsum quod pro peccato offerebatur, peccatum vocabatur. Vnde illud est apud Apostolum de Domino Christo, Eum qui non nouerat peccatum, peccatum pro nobis fecit, Deus Pater scilicet eum Filium pro nobis fecit peccatum, id est, sacrificium pro peccato. Sicut ergo agn⁹ in holocaustoma, vt ipsum pec⁹ esset holocaustoma, sic & agna in peccatum, vt ipsum pecus esset peccatum, id est, sacrificium fieret pro peccato: sicut de ariete quod sequitur in salutare dicit, tãquam ipsum sit salutare, cùm sit sacrificium salutaris. Quod postea repetẽdo manifestat. Nam & illud pro peccato dicit, quod prius dixerat in peccatum, & hoc sacrificium salutaris, quod prius dixerat in salutare.

Numer.6

2.Corint.5

Quia illud Hoc est de Leuitis.

13 Loquutus est Dominus ad Mosen, dicens, Hoc est de Leuitis. Hoc alii interpretes interpretati sunt, Hæc est lex de Leuitis. Sed quod scriptum est, Hoc est de Leuitis, intelligitur dictum: hæc constitutio de Leuitis.

Numer.8

Quomodo hyperbaton verborum ordinandum.

14 Deinde sequitur, A quinto & vicesimo anno & suprà, introibunt ministrare in ministerium in operibus in tabernaculo testimonii, & à quinquagenario recedat ab hac ministratione, & non operabitur vltrá. Et ministrabit frater eius in tabernaculo testimonii custodire custodias, opera autem non operabitur. Hũc sensum obscurum facit hyperbatõ, quod ita confusum est, tanquam de ipso fratre sit dictum, Custodire custodias, quum dictum sit de illo qui recedit ab operibus, Et remanebit ille in tabernaculo testimonii custodire custodias. Opera autem non operabitur, sed operabitur frater eius, id est, qui nondum peruenit ad ætatem quinquagenariam, à vigintiquinque annis incipiens operari. Ergo ita distinguendum est, Et à quinquagenario recedet ab hac ministratione, & non operabitur vltrà, & ministrabit frater eius. Deinde redit ad illum quinquagenarium de quo loquebatur, & de illo explicat cætera, dicens, In tabernaculo testimonii custodire custodias: opera autem non operabitur. Quòd autem ait, Custodire, subauditur, Incipiat, tanquam id verbo actiuo diceret, Custodiet custodias. Solet enim vsitatè etiam in Latinis loquutionibus infinitum verbum poni pro finito.

Numer.8

Quomodo immundi sub Pascha sint piandi.

15 Quum Paschæ tempore quidam, qui immundi facti erant super animam hominis, id est, super mortuum, quærerent quomodo Pascha facerent, quoniam oportebat eos ab immunditiis septem diebus purificari secundum Legem. consulit Dominum Moses, & responsum accepit, cuicunque tale aliquid accidisset, vel in tam longinquo itinere constitutus esset, vt non posset occurrere, alio mense eum facere debere Pascha, propter diem mensis quartumdecimum, vbi lunæ numerus obseruabatur. Sed si quæratur, quid facerent si fortè talis immunditia etiam ad secundum mensem occurreret: arbitror id quod dictum est de secundo mense, tanquam regulariter fuisse retinendum, vt tertio mense obseruarent, aut certè Pascha non egisse tali necessitate, ad culpam non pertineret.

Numer.9

Quomodo cætera sanè difficilia exponantur.

16 Et die qua statutum est tabernaculum, texit nubes tabernaculum domum testimonii, & vespere erat super tabernaculũ velut species ignis vsque manè: ita fiebat semper. Nubes tegebat illud die, & species ignis nocte. Et quum ascendisset nubes à tabernaculo, & postea promouebant filii Israel, & in loco vbicunque steterat nubes, ibi castra collocabant filii Israel: per præceptum Domini castra collocabant filii Israel, & per præceptum Domini promouebant. Omnes dies in quibus obumbrat nubes super tabernaculum, in castris erũt filii Israel. Et quando protexerit nubes super tabernaculum dies plures, & custodient filii Israel custodiam Domini, & non promouebunt. Et erit quum texerit nubes dies numero super tabernaculum, per vocem Domini in castris erunt, & per præceptum Domini promouebunt. Et erit cùm fuerit nubes à vespera vsq; ad manè, & ascenderit nubes manè, & promouebunt die vel nocte, & quum sic ascenderit nubes, promouebunt die vel mense diei abundante, nube obumbrante super illud, in castris erunt filii Israel, & non promouebunt: quoniam per præceptum Domini promouebũt. Custodiam Domini custodierũt per præceptũ Domini in manu Mosi. Totus hic locus difficilis diligenter exponendus est, quoniam inusitatis generibus locutionum obscuratus est. Et die, inquit, qua statutum est tabernaculum, texit tabernaculum domum testimonii. Idem tabernaculum appellauit, domum testimonii. Et vespere erat super tabernaculum velut species ignis vsque manè: ita fiebat semper. Deinde diligenter exprimit, quid fiebat semper. Nubes, inquit, tegebat illud die, & species ignis nocte. Et cùm ascendisset nubes à tabernaculo, & postea promouebãt filii Israel. Ista sententia obscura non est, nisi propter illam locutionem vbi additur ET. Ordo enim verborum integer sequitur, etiam si desit ipsa cõiunctio, vt sic dicatur, Et cùm ascẽdisset nubes à tabernaculo, postea promouebũt filii Israel: quãuis & ipsum quod dictum

Numer.9

dictum est, postea si deesset, plena posset esse sententia. Deinde sequitur, dicens, Et in loco vbicunque steterat nubes, ibi castra collocabant filii Israel. Hoc autem totum quod faciebant, ad præceptum Domini referens ita complectitur, Per præceptum, inquit, Domini castra collocabũt filii Israel, & per præceptum Domini promouebunt. Præceptum Domini appellat signum ipsum, quod fiebat in nube, siue quum staret obumbrans tabernaculum, vt castra consisterent, siue quum ascendisset, atque vltrà moueretur, vt eam eleuatis castris sequerentur. Mutauit sanè in hac sententia narrantis modum, & tanquam prædicens atque prænuntiãs verba futuri temporis habere cœpit. Neque enim ait, Per præceptum Domini castra collocabant filii Israel: sed collocabunt. nec ait, Per præceptum Domini promouebãt, sed promouebunt. Et hunc modum etiam in consequentibus seruat: qui modus in Scripturis est inusitatissim⁹. Nam per verba præteriti temporis sæpe futura prædicta esse nouimus, sicut est, Foderunt manus meas & pedes meos. Et, Sicut ouis ad immolandum ductus est, ac innumerabilia talia. Vt autem narrator rerum gestarum verbis vtatur temporis futuri, sicut hoc loco, difficillimè in Scripturis inueniri potest. Ergo posteaquam dixit de die ac nocte, quo signo promoueret populus vel maneret, ne putarentur per noctem ambulare, & per diem solere considere, atque hoc diebus omnibus facere, sequutus adiunxit, & ait, Omnes dies, in quibus obumbrat nubes super tabernaculum, in castris erunt filii Israel, & quando texerit nubes super tabernaculũ dies plures. Deinde admonens non hoc ex illorum necessitate fieri, sed Dei voluntate, Et custodient, inquit, filii Israel custodiam Domini, id est, custodiam quam præcepit Dominus, & non promouebunt. Et tanquam diceretur, Quando ergo promouebunt? Et erit, inquit, quum texerit nubes dies numero super tabernaculum, id est, certo numero, qui numerus vtique Deo placet, per vocem Domini in castris erunt, & per præceptum Domini promouebunt. Hanc videtur dicere vocem Domini, signum quod dat de statione & motu nubis, quia & vox loquentis procul dubio signum est voluntatis. Quòd ergo ait, Et per præceptum, hoc idem signum puto intelligendum: quanquam possit vox & præceptum Domini illud etiam accipi, quod locutus est vt solet ad Mosen, Et præcepit hoc fieri. Neque enim scirent illi promouendum esse nube promouente, & standum esse nube stante, nisi hoc eis antè præciperetur. In his autem quæ dicta sunt, nõdum apparuit, vtrùm per diem tantùm ambularent, an etiam per noctem, secundum signum quod nubes motu suo dabat. Fortasis enim, quantis plures dies in castris manerent nube non promouente, potuit tamen putari nubem non solere ascendere de castris, & signum itineris dare, nisi per diem. Sequitur ergo & dicit, Et erit quum fuerit nubes à vespera vsque manè, & ascenderit nubes manè, & promouebunt die. Hîc illa copulatiua Cõiunctio more Scripturæ posita est. Nã ea detracta plenus est sensus hoc modo, Et erit cùm fuerit nubes à vespera vsque manè, & ascẽderit nubes manè, promouebunt die. Deinde quia & nocte si nubes ascẽderet, promouebant, atque iter nocturnũ, si illud signũ acciperẽt, agebãt, adiunxit & ait, Vel nocte etsi ascẽderit nubes promouebunt. Sed locutio est inusitatior. Non enim tãtùm positum est, ET, sed eo more positum est, quo non solet. Vnde mihi videtur præposteratus ordo verborum, sicut sæpe in Latinis locutionib⁹ fieri solet. Quod gen⁹ Antistrophe dicitur. Proïde si ita dicatur, Vel & nocte si ascẽderit nubes promouebũt: aut certè ita, Si & nocte ascẽderit nubes promouebunt: planissimus sensus est. Adhuc autem occurrebat cogitanti, vt scire vellet, vtrùm quomodo cognitũ est solere illos ad nubis signũ diebus & noctibus ambulare, vel diebus & noctibus in castris esse, ita etiã solerent per dies tãtùm manere, etiã quorum noctibus ambularent: quod arbitror Scripturam in consequentibus intimasse quum dicit, Die vel mense diei, abundãte nube obumbrante super illud, in castris erũt filii Israel, & non promouebũt. Quia enim dixerat, Vel nocte & si ascẽderit nubes, promouebunt: tanquã restabat vt diceret, Die autem si nõ ascenderit non promouebunt, quando quasi promouere debere videbantur. Sed quia hoc etiam diebus plurimis fieri poterat, vt noctibus ambularent promouente nube, & ea manente diebus non ambularẽt: ideo posuit Die vel mense diei. Nõ dixit Mense, ne ibi & noctes eiusdem mensis acciperentur: sed Mense diei, id est, mense ex ea parte qua dies illi fuit, nõ ex ea qua nox. Die ergo, vel mẽse diei, abundãte nube obumbrante, id est, abundãte in obumbrando, vel abundantius obumbrante super illud, illud scilicet tabernaculum, in castris erunt filii Israel, & nõ promouebunt. Postremò repetiit Diuina auctoritate factum, cui resisti vtique nõ debebat, adiungens, Quoniam per præceptum Domini promouebunt. Custodiam Domini custodierunt per præceptum Domini in manu Mosi. Rediit ad verbum præteriti temporis, vt diceret Custodierunt. Quòd verò in fine posuit, In manu Mosi, vsitatissima in Scripturis locutio est, quia per Mosen hæc Deus præcipiebat.

Psalm. 21
Esaiæ 53

Cur præciperit tuba canere.

17 Et quum congregaueritis synagogam, tuba canetis, & non in signo. Non ergo ad hoc canendum præcipit, vt congregetur synagoga. Nam si hoc sit, signum est: sed iam congregata synagoga præcepit tuba canere, tanquam ad cantum iam pertineat, non ad dandum signum, quo dato fieri aliquid admoneat. Proinde quum hoc quòd iam congregata synagoga tubis canebãt, quisquam homo noui

Num. 10

Testamenti ad aliquid spiritale interpretatur, illi signum est qui intelligit quare fiat, non illis qui non intelligebant, nisi quando ad hoc fiebat, vt aliquod opus indicetur.

An dicendum sit, Auferam de spiritu tuo, an duntaxat de spiritu qui est in te.

18 Et auferam de spiritu qui est in te, & superponam super eos, & sustinebunt tecum impetum populi, & non portabis illos tu solus. Pleriq; Latini interpretes non vt in Græco est trāstulerunt, sed dixerunt, Auferam de spiritu tuo, qui est in te, & ponam super eos, aut ponam in eis: & fecerunt sensum laboriosum ad intelligendum. Putari enim potest de spiritu ipsius hominis dictum, quo humana natura cōpletur corpore adiuncto, quæ constat ex corpore & spiritu: quem etiam animam dicunt. De quo & Apostolus dicit, Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Sic enim & quæ Dei sunt, nemò scit nisi Spiritus Dei. Et quòd adiungit ac dicit, Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est: ostendit vtique alium esse Spiritum Dei, cuius particeps fit spiritus hominis per gratiam Dei: quanuis posset etiam sicut alii interpretati sunt intelligi Spiritus Dei, in eo quod dicitur, De Spiritu tuo, qui est in te: vt dictum sit, Tuo, quia fit etiam noster qui Dei est, quum accipimus eum, sicut de Ioanne dictum est, In spiritu & virtute Heliæ. Non enim anima Heliæ in eum fuerat reuoluta. Quod si quidam hæretica peruersitate opinantur, quid dicturi sunt in eo quod scriptum est, Spiritus Heliæ requieuit super Helisæum, quum iam ille vtique haberet animam suam, nisi quia dictum est de Spiritu Dei, vt etiam per illum operaretur qualia per Heliam operabatur, non ab illo recedens, vt istum posset implere, aut dispertitus minus esset in illo, vt posset ex aliqua parte & in isto esse? Deus est enim, qui posset esse in omnibus tantus, in quibus per illam gratiam esse voluerit. Nunc autem, quum ita scriptum sit, Et auferam de spiritu qui est super te, nec dictum sit De spiritu tuo: facilior est absolutio quæstionis, quia intelligimus nihil aliud Deum significare voluisse, nisi ex eodem Spiritu gratiæ illos quoq; habituros adiutorium, ex quo habebat Moses, vt & isti haberent quantum Deus vellet, non vt ideo Moses minus haberet.

Numer. 11

1. Corinth. 2

Luce 1

4. Reg. 2

Quo animo Moses dixerit, Nunquid oues & boues occidentur, & sufficient illis? &c.

19 Et dixit Moses, Sexcenta millia sunt peditum, in quibus sum in ipsis, & tu dixisti, Carnes dabo eis, & edent mēse dierum? Nunquid oues & boues occidentur illis, aut omnis piscis congregabitur eis, & sufficiet eis? Quæri solet vtrùm hoc Moses diffidendo dixerit, an quærendo. Sed si putauerimus eum diffidendo dixisse, nascetur quæstio, cur hoc ei non exprobrauerit Dominus, sicut exprobrauit quod ad petram vnde aqua profluxit, videtur de potestate Domini dubitasse. Si autē dixerimus hoc eum dixisse, quærendo modum quo fieret, ipsa Domini respōsio, vbi ad eum dixit, Nunquid manus Domini non sufficiet, quasi redarguentis videtur, quòd iste illa non crediderit. Sed melius arbitror intelligi Dominum ita respōdisse, tanquam modum futuri facti, quem ille requirebat, dicere noluerit: sed potius opere ipso suam potentiam demonstrare. Poterat enim & Mariæ dicenti, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? à calumniantibus obiici, quòd minus crediderit, quum illa modum quæsierit, non de virtute Dei dubitauerit. Quòd autem responsum est illi, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit te, poterat & sic responderi quomodo hìc, Nunquid Spiritui factō impossibile est, qui superueniet in te? ac si idem ipse sensus conseruaretur. Porrò autem talia quædam dicens Zacharias, incredulitatis arguitur, & vocis oppressæ pœna plectitur. Quare, nisi quia Deus non de verbis, sed de cordibus iudicat? Alioquin & ad illam petram vnde aqua profluxit, poterant excusari verba Mosi, nisi in eum clara esset diuina sententia, quòd diffidendo talia dixerit. Nam ita se ea verba habent, Audite me increduli. Nunquid de petra ista educimus vobis aquam? Deinde sequitur, Et eleuata Moses manu sua, percussit petram virga bis: & exiit aqua multa, & bibit synagoga & pecora eorum. Vtique ad hoc congregauit populum, & ad hoc illam virgam, in qua tanta miracula fecerat sumpsit, eaque petram percussit, atque inde solitæ virtutis est consequutus effectus. Verba ergo illa quibus ait, Nunquid ex hac petra educimus vobis aquam? possent sic accipi, tanquam diceretur, Nempe ex hac petra secundum vestram incredulitatem aqua educi non potest. Vt denique percutiendo ostenderetur fieri diuinitus potuisse, quòd illi infidelitate non crediderunt, maximè quia dixerat, Audite me increduli: ita quidem intelligi possent hæc verba, nisi Deus, qui cordis inspector est, quo animo dicta fuerint indicaret. Sequitur enim Scriptura, & dicit, Et dixit Dominus ad Mosen & Aaron, Quoniam non credidistis sanctificare me in conspectu filiorum Israel, propter hoc non inducetis vos synagogam hanc in terram quam dedi eis. Ac per hoc intelligitur illa verba ita dixisse Mosen, tāquam ad incertum percussérit, vt si non sequeretur effectus, hoc prædixisse putaretur, quum ait, Nunquid ex hac petra educim⁹ vobis aquam? quod in animo eius lateret omnino, nisi Dei sententia proderetur. Econtrariò itaq; isto loco debemus intelligere verba Mosi de promissis carnibus, verba quærentis poti⁹ quomodo fieret, quàm diffidētis fuisse, quando sententia Domini non est sequuta quæ vindicaret, sed potius quæ doceret.

Numer. 11

Luce 1

Numer. 20

An vxor illa Mosi, sit filia Iethro.

20 De vxore Mosi Aethiopissa quæri solet, vtrùm

Numer. 12

vtrùm ipsa erat filia Iethro, an alteram duxerit vel superduxerit. Sed ipsam fuisse credibile est. 2.paral.14 De Madianitis quippe erat, qui reperiuntur in Paralipomenôn A Ethiopes dici, quando contra eos pugnauit Iosaphat. Nam in his locis dicitur eos persecutus populus Israel, vbi Madianitæ habitant, qui nunc Saraceni appellantur. Sed nunc eos A Ethiopes nemo ferè appellat, sicut solent locorum & gentium nomina plerunque vetustate mutari.

Quomodo illud, Videbitis populum si fortis est an infirmus, exponatur per illud, Si pauci an multi.

21 Et dixit ad eos, Ascendite ista eremo, & Nume.13 ascendetis in montem, & videbitis terram quæ sit, & populum qui insidet super eam, si fortis est an infirmus, si pauci sunt an multi. Exposuisse intelligitur secundum quid dixerit, Si potens est an infirmus, hoc est, si pauci sunt an multi. Nam quomodo possent de monte prospicientes sentire humanarum virium fortitudinem? Potest & alius sensus esse multò congruentior veritati, quòd ait, Ascendetis in mõtem, in ipsam terram dixit, quam explorare volebant. Non enim possent facilè exploratores intelligi, vbi tanquam peregrinantes omnia perquirebant. Nam si de montis vertice eos putauerimus conspexisse terram, & explorasse, quomodo possint exquirere omnia quę Moses exquirẽda præcepit? Quomodo intrare ciuitates quas eos Scriptura dicit intrasse? Quomodo de illa valle botrũ tollere, propter quem & loco nomen est inditum, vt Vallis botri diceretur? In ipso ergo monte explorabatur terra, quia ipse erat à quo exploraretur, & ibi erat quidam depressior locus, de qua valle botrus ablatus est.

Quid sit pauor terræ.

22 Et protulerunt pauorem terræ, quam ex- Nume.13 plorauerunt. Pauorem terræ dixit, non quòd paueat eadem terra, sed quem ex ea terra conceperant.

Quomodo intelligantur verba Caleb & Iosue, Abscessit tempus ab eis, Dominus autem in nobis.

23 Caleb & Iesus Naue loquentes ad popu- Nume.14 lum Israel, ne timerent ingredi terram promissionis, dixerunt inter cætera, Vos autem ne timueritis populum terræ, quoniam cibus nobis sunt. Abscessit enim tempus ab eis: Dominus autem in nobis: ne timueritis eos. Quòd dictum est, Cibus nobis sunt, intelligi voluerunt, Consumemus eos. Quòd verò adiunxerunt, Abscessit enim tempus ab eis, Dominus autem in nobis: satis diligenter non dixerunt, Abscessit Dominus ab eis. Impii quippe antiquitus fuerunt: sed quoniam & impiis occulta dispensatione Diuinæ prouidentię datur tempus florẽdi atque regnãdi, Abscessit, inquiũt, tempus ab eis: Dominus autem in nobis. Non dixerunt, Abscessit tempus ab eis, & nostrum successit: Dominus autem in nobis, non tẽpus. Illi enim tempus habuerunt, isti Dominũ Deũ temporum creatorem & ordinatorem, & quorunque, vt ei placet, distributorem.

Quid sint peccata nolentum.

Quòd præcipitur quomodo expientur pec- 24 cata quæ non sponte committuntur, meritò Nume.15 quęritur quę sint ipsa peccata nolentiũ, vtrùm quę à nescientibus committũtur: an etiam possit rectè dici peccatũ esse nolentis, quod facere compellitur: nam & hoc contra voluntatem facere dici solet. Sed vtiq; vult propter quod facit, cùm vult viuere, si scilicet quisquã nisi fecerit mortem minetur. Vult ergo facere, quia vult viuere, & ideo non per seipsum appetendo vt falsum iuret, sed vt falsum iurãdo viuat. Quòd si ita est, nescio vtrùm possint dici ista peccata nolentium, qualia hîc dicuntur expiãda. Nam si diligenter consyderaretur, fortè ipsum peccare nemo velit: sed propter aliud fit quod vult qui peccat. Omnes quippe homines, qui scientes faciunt quod non licet, vellent licere. Vsqueadeo ipsum peccare nemo appetit propter hocipsum, sed propter illud quod ex eo consequitur. Hæc si ita se habent, non sunt peccata nolẽtium, nisi nescientium, quę discernuntur à peccatis volentium.

Quæ peccata in manu superbiæ.

Et anima quæcunque peccauerit in manu 25 superbię, ex indigenis aut ex proselytis, Deum Numer.15 hic exacerbat, & exterminabitur anima illa de populo suo: quoniam verbum Domini contempsit, & mandata eius diisperdidit. Contritione conteretur anima illa: peccatum eius in illa. Quę sint peccata quę fiunt in manu superbię, id est, de superbia cõmittuntur, Scriptura ipsa in consequentibus satis exposuit, vbi ait, Quoniam verbum Domini contempsit. Aliud est ergo præcepta contemnere, aliud magnipendere quidem: sed aut ignarum contrà facere, aut victum. Quæ duo fortasse pertineant ad illa peccata, quæ à nolentibus fiunt, de quibus superius quemadmodum Deo propitiato expiarentur admonuit: ac deinde subiecit peccata superbiæ, quum quisque superbiendo, id est, præceptum contemnendo perperam facit. Quod genus peccati non dixit vllo genere sacrificii purgari oportere, tanquam insanabile iudicans, illa duntaxat curatione, quæ per sacrificia gerebatur. Qualia facienda in hac Scriptura præcipiuntur, quæ si per ipsa attendantur, nullo pacto possunt mederi. Si autem res ipsæ quarum hæc sacramenta sunt inquirantur, in eis inueniri poterit purgatio peccatorum. Quod ergo scriptum est, Peccator quum Proverb.18 venerit in profundum malorum contemnit, iste significatus est, quem Scriptura hoc loco dicit, In manu superbiæ delinquere. Hoc igitur sine pœna eius qui committit non potest aboleri, atque ideo non potest, non punitum esse: & quum pœnitendo sanatur ipsa afflictio pœnitẽtis pœna peccati est: quanuis medicinalis & salubris. Meritò quippe magnũ iudicatur peccatum, cùm superbia præceptum contẽnit: sed econtrariò vt sanari possit, cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Veruntamen Psalm.50

quia sine pœna nõ fit: ideo talia hîc dicta sunt,
Iacobi 4 Deum, inquit, hic exacerbat: quia Deꝰ superbis resistit. Et exterminabitur anima illa de populo suo: quoniam talis omnino in numero eorum, qui ad Deum pertinent, non est: quoniam verbum Domini contempsit, & mandata eius disperdidit, contritione conteretur anima illa. Quare autem contritione conteretur, consequenter adiungit, dicens, Peccatum eius in illo: ac per hoc si tali peccato debitam contritionem ipse sibi adhibeat pœnitendo, cor contritum, vt dictum est, Deus non spernet. quanuis in Græco non dictum sit hoc loco, Cõtritione conteretur: sed excontritione exteretur anima illa. Quod ita accipi potest, quasi omnimodo terendo extinguatur, ac si nõ sit: sed prius natura immortalitatis animæ hũc intellectum recusat. Deinde si quod exteritur, omnimodo efficeretur vt non sit, non diceret
Eccles.6 de sapiente, Et gradus ostiorũ eius exterat pes tuus. Verùm illa discretio magis magísque cõsyderãda est, vtrùm nemo peccet nisi aut ignarus, aut victus, aut contemnẽs: vnde nunc longum esset disputare.

Quòd illud, Oculos hominum abscidisset.

26 Quid est quòd Dathan & Abiron cùm in se-
Num.16 ditionẽ cõsurrexissẽt, vocati à Mose, ac superbè & iniuriosè respondentes, Nunquid pusillum hoc, quoniam eduxisti nos in terram fluẽtem lac & mel, interficere nos in eremo, quoniam præes nobis princeps, & tu in terram fluentem lac & mel induxisti nos, & dedisti nobis sortem agri & vineas? post hæc addiderunt, Oculos hominum illorum abscidisses: non ascẽdimus, Quorum hominum oculos dixerũt? Vtrùm populi Israel, tanquam dicentes, Si ista præstitisses, oculos hominum illorum abscidisses, id est, ita te diligerent, vt oculos suos eruerent & darẽt tibi. Quod indicium magnum dilectionis &
Galat.4 Apostolus dicit, Quoniam si fieri posset, oculos vestros eruisses & dedisses mihi. Et deinde plenam cõtumaciam addiderunt, Non ascẽdimus, id est, non veniemus: quia vocauerat eos. An potius oculos hominum illorum dicit hostium, qui nimis acres & terribiles fuerant nuntiati: tanquam dicerent, Et si hoc feciss, non tibi obtemperaremus: nisi quòd modus verbi alius pro alio positus est, vt non dicerent, Non ascenderemus, sed Non ascendimus, quodam genere locutionis?

Quomodo Moses & Aaron iubentur ascendere.

27 Et locutus est Dominus ad Mosen & Aa-
Num.16 ron dicens, Abscedite vos de medio synagogę istius. Notãdum est tunc iubere Dominum separationẽ fieri corporalem, cùm iam vindicta imminet malis. Sic Noe cum domo sua separatur à cæteris diluuio perituris. Sic Loth cum
Genes.7 Gene.19 suis separatur à Sodomis igne cælitus consumendis. Sic ipse populus ab Ægyptiis marinis
Exod.14 fluctibus obruendis. Sic ipsi nunc à synagoga Chore, Abiron & Dathan, qui se primitus per seditionem abrumpere voluerunt, cum quibus tamen Sancti antea viuẽtes & cõuersantes, & cũ cæteris quos reprobat Deus, secundum verba quæ in eos increpãs dicit: contaminari tamẽ ab eis minimè potuerunt, nec separari iussi sunt, quãdo vindictã Dominus, siue differebat, siue talẽ adhibebat, qua innocẽtes periclitari lędíve nõ possent, sicut serpentũ morsibus, sicut strage mortium, qua Deus quẽ volebat sicut volebat alio percutiebat intacto: nõ sicut aqua diluuii, aut ignea pluuia, aut aqua maris, aut hiatu terræ, quæ permixtos poterat pariter absumere: non quia & ibi Deus suos cõseruare nõ posset, sed quia opꝰ erat tẽtatione miraculi, vbi separatio fieri poterat, vt vel aqua, vel ignis, vel hiatꝰ terræ, quos inuenisset auferret. Sic & in fine à
Matth.13 zizaniis separabuntur frumenta, & malos crematibus flammis, iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.

An in visione, aut in hiatu dictum sit.

Quod ait Moses de Chore & Abirõ & Da- 28
than, In visione ostẽdet Deus: & aperiens terra
Num.29 os suũ absorbebit vos: quidã interpretati sunt, In hiatu ostendet Dominus: credo putantes dictum χάσματι, quod Græcè positum est φάσματι, quod pro eo dictum est, ac si diceretur in manifestatione, quòd apertis oculis apparebit. Non enim sic dictum est, In visione, quemadmodum solẽt dici visiones, siue somniorum, siue quarũcunque in ecstasi figurarũ: sed vt dixi in manifestatione. Nonnulli autem aliud opinantes, in phantasmate interpretari voluerunt. Quod omnino sic abhorret à cõsuetudine locutionis nostrę, vt nusquã fere dicatur phãtasma, nisi vbi falsitate visorum intellectus noster illuditur: quanuis & hoc à videdo sit dictũ. Sed vt dixi, aliud loquẽdi cõsuetudo præiudicauit.

Qui dicantur inferi.

Et descenderunt ipsi & omnia quęcunque 29
sunt eis, viuentes ad inferos. Notãdum secun-
Num.16 dum locum terrenum dictos esse inferos, hoc est, in inferioribus terræ partibus. Variè quippe in Scripturis, & sub intellectu multiplici, sicut rerum de quibus agitur sensus exigit, nomen ponitur inferorum: & maximè in mortuis hoc accipi solet. Sed quoniã istos viuentes dictum est ad inferos descendisse, & ipsa narratione quid factum fuerit satis apparet, manifestum est, vt dixi, inferiores partes terræ inferorum vocabulo nũcupatas, in comparatione huius superioris terræ, in cuius facie viuitur, sicut in comparatione cæli superioris, vbi sanctorum demoratio est Angelorum, peccantes Angelos in hũius aeris detrusos caliginẽ, Scriptura dicit, tãquam carceribus inferi puniendos reseruari. Si enim Deus, inquit, Angelis
2.Petri 2 peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferi retrudens tradidit in iudicio puniendos reseruari: quum Apostolus Paulus
Ephes.2 principem potestatis diabolum dicat, qui operatur in filiis diffidentiæ.

Cur Dominus dicatur ad Mosen & Eleazarum, & non ad Mosen & Aaron, sicut solet, loquutus.

Et dixit Dominus ad Mosen & ad Eleaza- 30
Num.16 rum

rum filium Aaron sacerdotem, Tollite thuribula ærea è medio exustorum, & ignē alienum hunc semina ibi: quia sanctificauerunt thuribula peccatorum horum in manibus suis: & fac ea laminas ductiles circūpositionem altari, quoniam oblata sunt ante Dominum, & sanctificata sunt: & factę sunt in signum filiis Israel. Hoc loco cur non ad Mosen & Aaron, sicut in superioribus Dominus loquutus sit, sed ad Mosen & Eleazarum filium Aaron, hæc mihi causa interim occurrit, quoniam quæstio erat de progenie sacerdotum, id est, de quo genere esse deberēt. vnde illi ex alio genere, quia sibi vsurpare sacerdotium ausi sunt, tam horrendo & mirabili supplicio perierunt: non ad Aaron, quia iam summus sacerdos erat, sed ad Eleazarum voluit loqui Deus, qui ei succedere debebat, & secundo in sacerdotio fungebatur, vt eo modo seriem generis commendaret, quæ in successionibus sacerdotum esse deberet. Vnde etiam in consequentibus dicit, Et accepit Eleazar filius Aaron sacerdotis thuribula ærea, quę antè obtulerunt qui exusti sunt, & addidit ea circumpositionem altaris memoriale filiis Israel, vt non accedat quisquam alienigena, qui non est de semine Aaron, imponere incensum ante Dominum, & non erit sicut Chore, & sicut conspiratio eius, sicut loquutus est Dominus in manu Mosi. Hoc ergo modo voluit per Eleazarum Deus non sacerdotium, quod iam erat in Aarō, sed successionis sacerdotalis progeniem cōmendare. Quod verò ait, Et ignem alienum hunc semina, ibi sparge, intelligendum est. Et quod addidit, Quia sanctificauerunt thuribula peccatorum horum in manibus suis, locutione quidem inusitata expressa sententia est. Sed notandū nouo modo dicta sanctificata pœna eorum, à quibus hoc peccatum fuerat perpetratū, quia per eos exēplum datum est cæteris, quò timerent. Circumpositionem autem altari cur ex eis fieri voluit, addidit dicens, Quoniam oblata sunt ante Dominum, & sanctificata facta sunt in signū filiis Israel. Non ergo in eis reprobari voluit, quòd à talibus oblata sunt: sed hoc potius attēdi ante quem oblata sint, id est, quia ante Dominum, vt plus in eis valeret nomen Domini, ante quem oblata sunt, quàm pessimum meritum eorum à quibus oblata sunt. Hoc autem iam & in Exodo commemorauerat Scriptura, quādo altare fabricatum dicit. Vnde intelligitur genera rerum gestarum distributa esse per libros, non temporum ordo contextus. Nam & de virga Aaron quomodo res gesta sit, vt & florens, & germinans electionem sacerdotii eius Diuinitus indicaret, in hoc libro Scriptura narrauit: & tamen de ipsa virga in Exodo dicitur, vt in Sanctis sanctorum cum manna in arca poneretur, quando præcipitur de tabernaculo fabricando, quod vtique longè antè præceptum est, quàm ipsum tabernaculum fabricatum perfectúmque consisteret. Stetit autem primo mense secundi anni, ex quo de AEgypto egressi sunt, & liber iste incipit à secundo mense eiusdē anni secundi primo die mensis. Vnde clarum est, ista, si librorum ordinem consyderemus, per recapitulationem, id est, præteritorum recordationem commemorari, quæ putant qui minus diligenter intendunt, eodem facta ordine quo narrantur.

Quæ dicantur peccata Sanctorum.

Et ait Dominus ad Aarō, dicens, Tu & filii 31
tui, & domus patris tui tecum accipietis pecca- *Exod.28*
ta Sanctorum, & tu & filii tui accipietis peccata sacerdotii vestri. Hæc sunt peccata quæ appellātur sacrificia pro peccatis. Proinde peccata Sanctorum dictum est, nō quæ Sancti cōmittunt, sed ab eo quòd sunt Sancta sanctorum, quia in Sanctis offeruntur. Et peccata dicuntur sacrificia pro peccatis, ideo appellata sunt peccata Sāctorum. Et peccata sacerdotii vestri, id est, eadem ipsa quæ offeruntur pro peccatis, sicut etiam in Leuitico declarat, & pertinere debere dicit ad sacerdotem.

Quæ primogenita offerri præcipiantur.

Primogenita omnia quæcunque fuerint 32
in terra eorum, quantacunque attulerint Do- *Exod.18*
mino, tibi erunt. Hìc primogenita non fœtus primitiuos pecorum dicit. Nam ipsa Græcè πρωτοτοκα nominantur. Hæc autem πρωτογενήματα. Sed Latinè duabus his rebus duo nomina reperta non sunt. Et ideo ista πρωτογενήματα quidā primitias interpretati sunt. Sed primitiæ ἀπαρχαὶ dicuntur, & aliud sunt. Hæc igitur tria ita discernuntur, quia πρωτοτοκα sunt primitiui animalium fœtus etiam hominū: πρωτογενήματα verò, primi fructus de terra sumpti, vel de arbore, vel de vite. Primitiæ autem de fructibus quidem, sed iam redactis ab agro, sicut de massa, de lacu, de dolio, de cupa, quæ primitus sumebantur.

Quomodo in his quæ de iuuenca rufa dicuntur, nouī Testamenti signum præfiguratum sit.

De iuuenca rufa, cuius cinerem ad aquam 33
asperſionis, eorúmq; mundationem, qui mor- *Numer.19*
tuum tetigerint proficere Lex mandauit, nec tangere permittimur. Euidentissimum enim signum in ea nouī Testamenti prefigurabatur, nec satis dignè festinantes dicere de tanto sacramento valemus. Primò enim quòd ita cœpit de hac re loqui Scriptura, quem non moueat, & intentissimam mentem faciat in altitudine sacramenti? Et loquutus est, inquit, Dominus ad Mosen & Aaron, dicens, Ista distinctio Legis quęcūque constituit Dominus: proculdubio nō est distinctio, nisi inter aliqua duo vel plura. Nā distinctionē singularitas non requirit. Nec distinctionem cuiuslibet rei commemorauit, sed addidit Legis, nec cuiuscunque legis. Assiduè quippe in Scriptura dicitur de vnaquaque re, de qua legitimè præcipitur, Hæc est lex illius, vel illius rei, non vniuersalis Lex, quæ continet omnia quæ legitimè præcipiuntur. Hic verò cùm dixisset, Hæc est distin-

ctio Legis,secutus adiunxit,Quæcunque constituit Dominus,præcipiendo vtique non creando. Nam etiam nonnulli interpretes, Quæcunque præcepit Dominus, transtulerunt. Si ergo est distinctio Legis quæcunque præcepit Dominus, proculdubio magna est ista distinctio. Et rectè intelligitur duo Testamenta distinguere. Eadem quippe sunt in veteri & nouo: ibi obumbrata,hîc reuelata,ibi præfigurata,hîc manifestata. Nam non solùm sacramenta diuersa sunt, verumetiam promissa ibi videntur temporalia proponi, quibus spiritale prẽmium occultè significetur. Hîc autem manifestissimè spiritalia promittuntur & æterna. Tẽporalium autem bonorũ atq; carnaliũ & spiritaliũ atq; ẽternorum quæ clarior certiórq; distinctio est,quàm passio Domini nostri Iesu Christi,in cuius morte satis cõstitit nõ istã terrenã tãsitoriámq; felicitatẽ à Domino Deo ꝓ magno munere sperandã & optandã? Quandoquidem in vnigenito Filio suo,quem tanta illa perpeti voluit,longè aliud à se peti expectarísque oportere apertissima distinctione declarauit. Hanc ergo passionem Domini nostri Iesu Christi, velut distinctione duorum Testamentorum hoc quod de iuuencæ rufæ mactatione narratur,satis cõgruè prẽfigurat. Locutꝰ est enim Dominus ad Mosen & Aaron, dicẽs, Ista distinctio Legis quęcũque constituit Dominus:ac deinde mandare incipit,hęc adiungẽs & dicẽs, Loquere filiis Israel. Potest etiam ita distingui, Et locutus est Dominus ad Mosen & Aaron,dicẽs, Ista distinctio Legis quęcunque constituit Dominus dicens,nõ quęcunque cõstituit Dominus creans, sicut cælum & terram & omnia quæ in eis sunt: sed quæcunque constituit Dominus dicẽs, in duobus videlicet Testamentis, vt deinde sequatur, Loquere filiis Israel,& accipiant a te iuuencam rufam sine vitio. Iuuenca rufa carnem Christi significat. Sexus fœmineus est,propter infirmitatem carnis. Rufa est, propter ipsam cruentam passionem. Quòd autem ait, Accipiant à te,in ipso Mose figuram Legis ostendit: quoniam secundum Legem sibi visi sunt occidere Christum, quia soluebat secundum ipsos Sabbatũ, & sicut putabant obseruationes legitimas profanabat. Quod ergo sine vitio dicitur hæc iuuenca,mirum non est. Hanc enim carnem etiam cæteræ hostię figurabant,vbi similiter sine vitio pecora immolari iubentur. Erat quippe illa caro in similitudine carnis peccati, sed non caro peccati. Veruntamen hîc vbi euidentius Legis distinctionem Deus voluit commendare, parum fuit dicere, Sine vitio, nisi diceretur, quæ non in se habet vitium. Quod si repetendi causa dictum est, fortasse non frustra est: quòd eam rem ipsa repetitio firmius commendauit. Quanquam & illud nõ abhorret à vero, vt ideo additũ intelligatur, Quę nõ habet in se vitium,quum iam dictum esset, Iuuencam sine vitio: quia in se non habuit vitium caro Christi: in aliis autem habuit,qui mẽbra sunt eius. Quę enim caro in hac vita sine peccato,nisi illa sola quæ non habet in se vitium? Et non est superpositum super eam iugum. Nõ enim subiugata est iniquitati,cui subiugatos inueniens liberauit,& eorum vĩcula dirupit, vt ei dicatur, Dirupisti vincula mea,tibi sacrificabo hostiam laudis. Super illius quippe carnem nõ est positum iugum,qui potestatem habuit ponẽdi animam suã,& iterum sumẽdi eam. Et dabis eam, inquit,ad Eleazarum sacerdotem. Cur non ad Aaron, nisi fortè ita præfiguratum est, non ad tempus, quod tunc erat, sed ad posteros huius sacerdotii passionem Domini peruẽturam? Et eicient eam extra castra. Sic & eiectus est Dominus,passurus extra ciuitatem. Quòd autem ait, In locum mundum: ita significatum est, quia non habuit causam malam. Et occident eam in conspectu eius, sicut occisa est caro Christi in cõspectu eorum qui futuri erant in nouo Testamento Domini sacerdotes. Et accipiet Eleazar sanguinem eius, & asperget contra faciem tabernaculi testimonii in sanguine eius septies. Hæc testificatio est Christum secundum Scripturas fudisse sanguinem in remissionem peccatorum. Ideo contra faciem tabernaculi testimonii, quia non aliter declaratum est, quàm fuerat Diuino testimonio prænuntiatum. Et ideo septies, quia ipse numerus ad mũdationem pertinet spiritalem. Et cremabunt eam in conspectu eius. Puto quia concrematio ad signum pertinet resurrectionis. Natura est quippe ignis, vt in superna moueatur,& in eum conuertitur quod crematur. Nam & ipsum cremare de Græco in Latinum ductum verbum est à suspensione. Quod verò additum est, In conspectu eius, id est, in conspectu sacerdotis:hoc mihi insinuatum videtur, quia illis apparuit resurrectio Christi, qui futuri erant regale sacerdotium. Iam quod sequitur, Et pellis eius & carnes, & sanguis eius cum stercore eius comburetur: idipsum expositum est quomodo concremabitur, & significatum est, quòd non solùm substantia mortalis corporis Christi, quæ commemoratione pellis & carnium & sanguinis intimata est, verumetiam contumelia & abiectio plebis, quam nomine stercoris significatam puto, conuerteretur in gloriam, quam combustionis flamma significat. Et accipiet sacerdos lignũ cedrinum & hyssopũ, & coccinũ, & immittet in medium combustionis iuuencæ. Lignum cedrinum spes est, quæ debet in supernis firmiter habitare. Hyssopus fides,quæ quum sit herba humilis, radicibus hæret in petra. Coccinum charitas, quòd feruorem spiritus igneo colore testatur. Hæc tria debemus mittere in resurrectionem Christi,tanquam in medium combustionis illius,vt cum illo sit abscondita vita nostra, sicut dicit Apostolus, Et vita nostra abscõdita est cum Christo in Deo. Et lauabit vestimenta sua sacerdos, & lauabit

bit corpus suum aqua, & postea introibit in castra, & immundus erit sacerdos vsque ad vesperam. Lauatio vestimentorum & corporis quid est, nisi mundatio exteriorum & interiorum? Et hæc sacerdos. Deinde sequitur, Et qui comburet eam, lauabit vestimenta sua, & lauabit corpus suum aqua, & immũdus erit vsque ad vesperam. In eo qui comburit, eos figuratos arbitror qui Christi carnem sepelierunt, resurrectioni eam veluti conflagrationi mandantes. Et cõgregabit homo mundus cinerẽ iuuẽcæ, & ponet extra castra in locum mundum. Quid dicimus cinerem iuuẽcæ, reliquias videlicet illius interfectionis & combustionis, nisi famam quæ consecuta est Passionem Resurrectionémque Christi? Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. Nam & cinis erat, quia velut mortuus ab infidelibus condemnabatur, & tamen mundabat, quia & resurrexisse à fidelibus credebatur. Et quia hæc fama apud eos maximè claruit, qui in cæteris gentibus erant, & non erant de consortio Iudæorum, ideo dictum esse existimo, Et congregabit homo mundus cinerem iuuencæ, mundus vtique ab interfectione Christi, quæ Iudæos fecerat reos. Et reponet in locum mundum, id est, honorabiliter tractabit. Tamen extra castra, quia extra celebrationem Iudaicæ consuetudinis honor Euangelicus claruit. Et erit synagogæ filiorum Israel in cõseruationem, Aqua asperſionis, purificatio est. Postea declarat plenius quemadmodum ex isto cinere fiebat aqua asperſionis, vnde mundabantur à contactu mortuorum, quod vtique significatur ab iniquitate moribũdæ vel morticinæ vitæ. Sed mirum est quod sequitur, Et qui congregat, inquit, cinerem iuuencæ lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperam. Quomodo erit ex hoc immundus, qui mundus accesserat, nisi quia & ii qui sibi videntur mundi in fide Christiana se agnoscunt Quia omnes peccauerunt & egent gloria Dei, iustificati gratis per sanguinem ipsius? Hunc tamen vestimenta sua lauare dixit, non etiam corpus suum. Credo quòd illius cineris cõgregatione & repositione in loco mũdo, si hæc spiritaliter intelligãtur, iam intrinsecus vult intelligi fuisse mundatum, sicut Cornelius audiẽs & credens quod prædicauerat Petrus, ita mũdatus est, vt ante visibilem Baptismum cum suis qui aderant acciperet donum Spiritus sancti. Veruntamen nec visibile sacramentum contemni potuit, vt ablutus etiam extrinsecus lauaret quodammodo vestimẽta sua. Et erit, inquit, filiis Israel & proselytis qui apponuntur legitimum æternum. Quid aliud ostenditur, nisi Baptismum Christi, quem significat aqua asperſionis, & Iudæis & Gentibus profuturum, id est, filiis Israel & proselytis tãquam naturalibus ramis, & inserto pinguedini radicis oleastro? Quem autem non faciat intentũ, quòd post ablutionẽ de singulis quibusque dicitur, & immundus erit vsque ad vesperam? Neque hîc tantùm, sed in omnibus, aut penè in omnibus talibus mundationibus hoc dicitur. Vbi nescio vtrùm aliquid aliud possit intelligi, nisi quòd omnis homo post remissionem plenissimam peccatorum, permanendo in hac vita, contrahit aliquid vnde sit immundus vsque ad eiusdem vitæ finem, vbi ei dies iste quodammodo clauditur, quod significat vespera. Deinde incipit Scriptura dicere, & exequitur quemadmodum immundi facti homines, aqua illa asperſionis purificentur. Qui tetigerit, inquit, mortuum, omnis anima hominis immunda erit septem diebus, hic purificabitur die tertio & die septimo, & mundus erit. Et hîc nihil aliud intelligendum video, nisi cõtactum mortui esse hominis iniquitatem. Septem verò dierum immunditiam propter animam & corpus dictam puto, animam in ternario, corpus in quaternario. Quod quare ita sit, longum est disputare. Secundum hoc arbitror dictum per Prophetam, In tribus & quatuor impietatibus non aduersabor. Adiungit autem dicens, Si autem non purificatus fuerit die tertio & die septimo, non erit mundus. Omnis qui tetigerit ab omni anima hominis, & mortuus fuerit & non fuerit purificatus, id est, antè mortuus fuerit tacto mortuo, quàm fuerit purificatus, tabernaculum Domini polluit: exterminabitur anima illa ex Israel. Notandum est quòd difficillimè reperitur in his libris aliquid euidentius de vita animæ post mortem fuisse conscriptum. Die tertio & in die septimo: & purificabitur die septimo, & lauabit vestimenta sua, & lauabit aqua, & immundus erit vsque ad vesperam. Alia est aqua asperſionis, & alia vtique illa qua lauit vestimenta sua. Et lauabitur aqua, quam puto spiritalem intelligendam per significationem, non per proprietatem. Nam sine dubio visibilis erat, sicut illæ omnes vmbræ futurorum. Proinde qui sacramento Baptismi rectè abluitur, quod illa asperſionis aqua figurabatur, mũdatur spiritualiter, id est, inuisibiliter in carne & in anima, vt sit mũdus & corpore & spiritu. Quòd verò hyssopo dixit aqua asperſionis aspergi, qua herba superà diximus fidem significari, quid aliud occurrit, nisi quod scriptum est, Fide mundans corda eorum? Non enim prodest Baptismus, si desit fides. A viro autem mundo dixit hoc fieri, vbi significantur ministri portantes personas Domini sui, qui verè mũdus est. Nam & de iis ministris in cõsequentibus dicit, Et qui circũ asperget aquam asperſionis, lauabit vestimenta sua, id est, obseruabit & corpus. Et qui tetigerit aquam asperſionis, immundus erit vsque ad vesperam. Et omne quodcunque tetigerit immundus, immundum erit. Et anima quæ tetigerit, immunda erit vsque ad vesperam. Iam dixi superius quid mihi significare videatur Vsque ad vesperam.

Psalm. 36

Rom. 3

Act. 10

Rom. 11

Amos 2

Act. 15

Qui vulneratum & mortuum dicatur.

Omnis qui tetigerit super faciem campi 34
Num. 19

vulneratum mortuum, aut os hominis, aut monumentum. Quæri potest quid dictum sit vulneratũ, aut mortuũ. Si enim aliud voluit intelligi vulneratum, aliud mortuũ, cauendũ est ne puteturimmundus esse etiã qui tetigerit vulneratum viuum, quod vtique absurdum est. Sed quia possũt & mortui esse vulnerati, ipsos mortuos intelligitur discreuisse, vt & vulneratum mortuũ intelligam⁹, id est, vulnere peréptum, & mortuum sine vulnere.

Quòd aqua de petra educta.

Num.20 1.Cor.10

35 Quòd de petra aqua educta est, Apostolus Paulus quid esset exposuit vbi ait, Et omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali sequenti eos petra. Petra autem erat Christus. Significata est ergo de Christo profluens gratia spiritalis, qua interior sitis irrigaretur. Sed quòd virga petra percutitur, crux Christi figuratur. Ligno enim accedente ad Petram, gratia manauit: & quòd bis percutitur, euidentius significat crucem. Duo quippe ligna sunt crux.

Quomodo dicatur aqua contradictionis.

Num.20

36 Quòd de aqua illa, quæ de petra profluxit dictum est, Hæc aqua cõtradictionis, quia maledixerant filii Israel ante Dominum, & sanctificatus est in ipsis. Prius maledixerunt quando locuti sunt contra beneficium Domini, quòd educti erant de Aegypto: & postea sanctificatus est in ipsis, cùm illo miraculo profluentis aquæ, eius sanctitas declarata est. An fortè duo genera hominum demonstrauit, & contradicentium gratiæ Christi, & præcipientium gratiam Christi, vt illis sit aqua contradictionis, istis sanctificationis? Nã de ipso Domino in Euãgelio legitur, Et in signum cui cõtradicetur.

Luc.2

Quomodo intelligendum sit quod Mos s dicit ad regem Edom, Neque bibemus aquam de lacu tuo.

Num.20

37 Quòd inter mãdata Moses ad regem Edom dicit inter cætera, Neque bibemus aquã de lacu tuo, intelligẽdum est gratis, id est, quia non gratis bibemus. Quod postea manifestat dicẽs, Si autem de aqua tua bibemus ego & pecora mea, dabo pretium tibi.

Quæ sint dextra & sinistra.

Num.20

38 Non declinabimus in dextra neque in sinistra. Pluraliter dictũ est, in ea quæ dextra sunt, vel quæ sinistra sunt.

Quomodo iam dicatur aqua maledictionis.

Num.20

39 Non introibitis in terrã quam dedi filiis Israel in possessionem, quoniam exacerbastis me super aquam maledictionis. Quam dixit superius aquã contradictionis, iptã dicit hic maledictionis. Non enim ait ἀπλογίας, sed λοιδορίας.

Quomodo dicatur, Anathemabo de voto.

Num.21

40 Et vouit Israel votum Domino, & dixit, Si mihi tradideris populum istum subiectum, id est, si mihi eum tradendo subieceris. Anathemabo illum & ciuitates eius. Hic videndum est quomodo dicatur Anathemabo, quod vouetur, & tamen pro maledicto ponitur, sicut & de

Galat.1

isto populo dicitur. Vnde illud est, Si quis vobis euangelizauerit præterquam quod accepistis, Anathema sit. Hinc vulgò ductum est, vt deuotatio dicatur. Nam deuotare se quẽquam, nemo ferè dicit, nisi maledicens.

Vnde dictum sit Anathema.

Num.21

41 Et anathemauit eum & ciuitatem eius, & vocatum est nomẽ loci illius Anathema. Hinc dictũ est Anathema, quod detestabile aliquid & abominabile videatur. Vt enim nihil inde victor in vsus suos auferret: sed totum in pœnam luendam voueret, hoc erat anathemare, quod vulgò dicitur deuotare. Origo autem huius verbi est in Græca lingua, ab iis rebus quę votæ & persolutæ, hoc est, promissæ & reditæ, sursum ponebantur in templis, ἀπὸ τοῦ ἄνω τίθεσθαι, hoc est sursum ponere, vel figendo, vel suspendendo.

In quo libro dictum intelligatur, Bellum Domini Moab inflammauit, quum non dicatur.

Num.21

42 In itinere filiorum Israel, quo castra promouebant atque ponebant, inter cætera scriptum est, Et inde castra collocauerunt trans Arnon in Hermon, quod extat à limitibus Amorrhæorũ. Est enim Arnon limes inter Moab & inter Amorrhæum. Propterea dicitur in libro, Bellum Domini Moab inflammauit, & torrentes Arnon, & torrentes constituit inhabitare. Et in quo libro hoc scriptum sit, non commemorauit, neque vllus est in iis quos Diuinæ Scripturæ canonicos appellamus. De talibus occasiones reperiunt, qui libros apocryphos incautorum auribus & curiosorum conantur inserere, ad persuadendas fabulosas impietates. Sed hìc dictum est Scriptum in libro, non dictum est in cuius Prophetæ, vel Patriarchæ sancto libro. Neque negandum est fuisse iam libros siue Chaldæorum, vnde egressus est Abraham, siue Aegyptiorum, vbi didicerat Moses omnem illorum sapientiam, siue cuiusque gentis alterius: in quorum librorum aliquo potuit hoc esse scriptum, qui tamen non ideo sit assumẽdus in eas Scripturas, quibus Diuina commendatur auctoritas, sicut nec Propheta ille Cretensis cuius mentionem facit Apostolus, nec Græcorum scriptores vel Philosophi vel Poetæ, quos idẽ ipse Apostolus magnum sanè aliquid & veraciter promptum, apud Athenienses loquens dixisse confirmat, In illo enim viuimus & mouemur & sumus. Licet enim Diuinæ auctoritati, vnde voluerit quod verum inuenerit testimonium sumere: sed non ideo omnia quæ ibi scripta sunt accipienda cõfirmat. Cur autem hoc isto commemoratum sit loco, non euidenter apparet, nisi fortè vt fines illic inter duas gentes constituerentur, bello actum est: quod bellum eiusdem loci homines propter magnitudinem, bellum Domini esse dixerunt, vt scriberetur in aliquo eorum libro, Bellum Domini Moab inflãmauit, quod vel arserit eodem bello ista ciuitas, aut ad pugnandum inflammata sit, hoc est, excitata, vel siquid aliud in obscuritate loci huius latet.

Tit.1

Act.17

Quomodo dicatur, Hic est puteus quem dixit Dominus ad Mosen, quum hoc nusquam dixisse legatur.

Num.21

43 Hic est puteus quem dixit Dominus ad Mo-

sen,

sen, Congrega populum, & dabo eis aquam bibere. Ita hoc commemoratum est, quasi alicubi superius hoc ad Mosen dixisse Dominus legatur. Sed quia nusquam reperitur, hîc intelligẽdum est & illic bibisse populum, qui de siccitate conquerebatur.

Quomodo possederit Israel ciuitates.

44 Et percussit eum Israel nece gladii. Et dominati sunt terræ eius ab Arnõ vsque Oboth, & vsque ad filios Ammon: quoniam Iazer termini filiorum Ammon sunt. Et accepit Israel omnes ciuitates istas. Et habitauit Israel in omnibus ciuitatibus Amorrhæorum in Esebõ. Hîc certè Israel possedit ciuitates Amorrhęorum, quas bello superauit, quia non eas anathematizauit. Nam si eas anathematizasset, possidere illi non liceret, nec inde ad vsus suos aliquid prædæ vsurparet. Notandum est sanè quemadmodum iusta bella gerebantur. Innoxius enim transitus negabatur, qui iure humanæ societatis æquissimo patere debebat. Sed iã vt Deus sua promissa compleret, adiuuit hîc Israelitas, quibus Amorrhæorum terram dari oportebat. Nã Edom cùm similiter eis transitum denegaret, non pugnauerunt cum ipsa gente Israelitæ, id est, filii Iacob cũ filiis Esau duorum germanorum atque geminorum, quia terram illam Israelitis non promiserat: sed declinauerunt ab eis.

Num. 21 *Num.* 20

Qui sint A Enigmatistæ, an Poetæ.

45 Propterea dicent A Enigmatistæ, Venite in Esebon, &c. Qui sint A Enigmatistæ ideo non apparet, quia non sunt in consuetudine literaturæ nostræ, neque in ipsis Diuinis Scripturis ferè alio loco reperitur hoc nomẽ. Sed quia videntur quasi canticum dicere, quo cecinerũt bellum inter Amorrhæos & Moabitas gestum, in quo Seon rex Amorrhæorum Moabitas superauit, nõ incredibiliter putantur isti A Enigmatistæ, sic tunc appellati, quos Poetas nos appellamus: eò quòd Poetarum sit consuetudo atque licẽtia, miscere carminibus suis ænigmata fabularum, quibus aliquid significare intelligantur. Non enim aliter essent ænigmata, nisi illic esset tropica locutio, qua discussa perueniretur ad intellectum, qui in ænigmate latitarat.

Num. 21

Quomodo Moabitæ non omnes in conditionem Seon regis Amorrhæorum venisse probentur.

46 Quòd dicit Scriptura, Posteaquam Israel vicit Amorrhæos, & possedit omnes ciuitates eorum, misisse legatos Balac regem Moabitarum ad cõducendum Balaam, à quo malediceretur Israel: satis ostẽditur nõ omnes Moabitas venisse in conditionem Seon regis Amorrhæorum, quando eos bello superauit. Siquidẽ remansit gens Moabitarum vsque ad illud tẽpus, vbi regnaret Balac rex Moab. Quòd verò Moab dixit senioribus Madian, id est, Moabitæ senioribus Madianitarum, Nunc adiunget synagoga hęc omnes qui in circũitu nostro sũt: non vna gens erat, sed vicini ad vicinos dixerunt, quòd pariter cauẽdum esset. Nam Moab filius fuit Loth ex vna filiarum: Madian verò filius Abrahæ de Cethura. Non itaque vna gẽs erat, sed duæ vicinæ atque conterminæ.

Num. 22

Quomodo dicitur, Et diuinationes in manibus eorum.

Quid est quòd scriptum est, Et diuinationes in manibus eorum: quum de iis diceretur quos miserat Balac ad conducendum Balaam vt malediceret Israel? Nunquid nam ipsi diuinabant, an aliqua ferebãt vnde faceret Balaam quò possit diuinare, tanquam aliqua quę in sacrificiis incenderentur, aut quoquo modo impenderentur: & ideo dictæ sunt diuinationes, quia per hæc ille poterat diuinare? an quid aliud? Obscurè enim dictum est. Notandũ sanè quòd venit Deus ad Balaam, & dixit ei, Quid homines qui penes te? &c. Nec dictũ est, vtrùm in somnis hoc factum sit, quanuis per noctem factum satis eluceat, cùm post hæc dicit Scriptura, Et exurgens Balaam manè. Potest enim mouere quomodo cum homine pessimo Deus locutus sit: quod etiam si in somnis factum esse constaret, non ideo nulla quæstio remaneret, propter ipsam indignitatẽ. Sic & Dominus Iesus Christus ait de diuite illo, qui destruere veteres apothecas, & ampliores nouas disponebat implere, Dixit ad illũ Dominus, Stulte, hac nocte anima tua auferetur à te, quæ parasti cuius erunt? Ne quisquã glorietur quòd ei loquitur Deus eo modo, quo talibus loquẽdum esse nouit, quãdo potest hoc & reprobis fieri, quia & quum per Angelum loquitur, ipse loquitur.

47 *Num.* 22

Luc. 12

In quo Balaam peccauerit.

Quòd ait Balaam iterum ad se missis honoratioribus nuntiis, Si dederit mihi Balac plenã domum suã argẽto & auro, nõ potero præuaricari verbum Domini, nec facere illud pusillũ vel magnum in mente mea: nullum habet omnino peccatum, sed quod sequitur non est sine graui peccato. Iam enim cõstans esse debuit, semel audito quod ei dixerat Dominus, Non ibis cum eis, neque maledices populũ, est enim benedictus: nec eis vllã spem dare, quò posset Dominus, tanquã ipse Balaã, muneribus & honoribus flexus, aduersus populum suum, quem benedictum esse dixerat, suam mutare sententiam. Sed ibi se victum cupiditate monstrauit, vbi loqui sibi Dominũ de hac re iterũ voluit, de qua eius iam cognouerat voluntatem. Quid enim opus erat quæ sequuntur adiungere? Et nunc sustinete ibi & vos nocte hac, & sciã quid adiiciet Domin" loqui ad me. Proinde Dominus videns eius cupiditatem captã deuictámq; muneribus, permisit eum ire, vt per iumentum quo vehebatur, eius auaritiã coerceret. Hoc ipso confundens illam dementiam, quòd prohibitionẽ Domini per Angelum factã trãigredi asina non auderet, quã ille cupiditate transgredi conaretur: quanuis eandẽ cupiditatẽ timore supprimeret. Venit enim Deus ad Balaam nocte, & ait illi, Si vocare te venerũt homines, exurgens sequere eos: sed verbum quodcunque locutus fuero ad te, hoc facies. Et exurgens Balaã manè strauit asinã suam, & abiit cũ prin

48 *Num.* 22

cipibus Moab. Cur post istam permissionē Domini iterum non consuluit, & post illam prohibitionem iterum consulendū putauit, nisi quia eius maligna cupiditas apparebat, quāuis timore Domini premeretur? Denique Scriptura sequitur, Et iratꝰ est animatione Deus, quia ibat ipse: & insurrexit Angelus Dei, vt nō permitteret eum in via: & cætera quæ sequuntur, donec asina loqueretur. Nihil hic sanè mirabilius videtur, quàm quòd loquēte asina territus nō est: sed insuper ei, velut talibus mōstris assuetus, ita perseueranter respondit. Postea illi & Angelus loquebatur, arguēs & improbās eius viam. Quo viso exterritus adorauit. Deinde ire permissus est dicere, vt iam per ipsum Prophetia clarissima proferretur. Nam omnino permissus nō est dicere quod volebat, sed quod virtute Spiritꝰ cogebatur. Et ipse quidē reprobꝰ māsit. Nā posterior de illo sancta Scriptura ita locuta est, vt quidā reprehēsibiles & reprobi viā
2. Petri 2 eius secuti dicerentur. Secuti, inquit, viam Balaam filii Beor, qui mercedē iniquitatis dilexit.

Quomodo iratus dicatur Deus.

49 De Angelo, qui locutus est Balaam in via,
Num. 22 quo viso asina eius progredi non ausa est, Scriptura ita loquitur, Et iratus est animatione Deus, quia ibat ipse: & insurrexit Angelus Dei differre eum in via. Vbi primò notandum est quemadmodum iratus est Deus, & insurrexit Angelus Dei, nec interposuit iratum Deum misisse Angelum: sed tanquam per Angelum iratum Deum significauit: quoniam veritas & iustitia Dei irasci Angelum fecit. Nam Insurrexit quòd dictum est, vtique commotione intelligendum est. Deinde quod ait, Differre eum in via, quod Græcè positum est διαβάλλειν, hoc est, quod in cōsequentibus dicit ipse Angelus. Et ecce ego exii in dilationem tuam, vbi Græcus habet διαβολήν. Vbi fortassis accusatio congruentius intelligitur, vt hīc quod dictum est Differre eum in via, accusare accipiatur. Vnde creditur etiam diabolus appellatus, tanquam accusator Latinè dicendus sit: non quia nemo possit etiam bene rectéque accusare, sed quoniam diabolꝰ amat accusare, vtique inuidentiæ stimulis agitatus, quale illi in Apocalypsi testimoniū perhibetur. Positum est autem hoc verbum & in Comœdia, vnde Latinū esse nō dubium est, sub eadem significatione, vel certè vicina, vbi de patre irato dicitur filio, Rationē sperat inuenisse se, qua differat te. Solet autē hic intelligi, Differat, velut hac atque illac ferat tempestate verborum, quasi discerpat & dissipet, quod vtique ille accusādo videbatur esset facturus. Sed etsi differre eum in via intellexerimus, quia distulit Angelus eius festinationem remorando, vt ei quod opus erat & demonstraret & diceret, non absurda est huius verbi etiam sub ista significatione positio.

Quomodo intelligenda quæ de asina narrantur.

50 Et quum vidisset asina Angelum Dei resi-
Num. 22 stentem in via, & euaginatum gladium in manu eius: & declinauit asina de via, & ibat in cāpum. Campus iste adhuc extra macerias vinearum fuit. Et percussit asinam in virga, vt corrigeret eam in via. Et stetit Angelus Dei in sulcis vinearū, maceria hinc & maceria hinc. Meritò queritur si hinc atque inde macerię in medio ponebant viam, sicut fieri solet, quomodo ibi stans Angelus, dicitur stetisse in sulcis vinarum. Neque enim in via inter macerias potuerunt sulci esse vinearum. Sed ordo verborū est, Vt corrigeret eā in via, maceria hinc & maceria hīc. In hac ergo via corrigere voluit asinā Balaam, vt inter macerias ambularet. Interpositū autē est, Et stetit Angelus Dei in sulcis vinearum: in vna scilicet vinearum, quæ in medio ponebant viam. Et cùm vidisset asina Angelū Dei, compressit se ad parietem, id est, ad maceriam illius vtique vineæ, in qua non erat Angelus: quoniam ab alia parte erat in sulcis vinearum. Et compressit pedem Balaam ad parietem, & adiecit adhuc cædere eam. Et apposuit Angelus Dei, & adiiciens subsistit in loco angusto: iam non in sulcis vinearum, sed inter ipsas macerias, id est, in via, in qua non fuit declinare in dexteram neque in sinistram. Et cùm vidisset asina Angelum Dei, concidit sub Balaam. Cæsa enim in retrò non ibat & in parietē non se premebat: quoniam non ab altera parte terrebatur, sed in media via in angusto Angelus erat. Restat ergo vt subsisteret. Et iratus est Balaam, & percutiebat asinam virga. Et aperuit Deus os asinæ, & ait ad Balaam, Quid feci tibi, quia percussisti me tertiò hoc? Et ait Balaam asinæ, Quia illusisti mihi, & si habuissem gladiū in manu mea iam transfixissem te. Nimirum iste tanta cupiditate ferebatur, vt nec tanti mōstri miraculo terreretur, & respōderet quasi ad hominem loquens, cùm Deus vtique nō asinæ animam in naturam rationalem vertisset, sed quod illi placuerat ex illa sonare fecisset, ad illius vesaniam cohibendam. Illud fortassē præfigurās, quia stulta mundi electurus erat Deus,
1. Cor. 2 vt cōfunderet sapientes, pro illo spiritali & vero Israel, hoc est promissionis filiis.

Quomodo Spiritus Dei factus dicatur super Balaam.

Et factus est Spiritus Domini super illum, 51
Num. 2 id est, super Balaā. Nō factus est Spiritus Dei, tanquam factura sit Spiritus Dei, sed factus est super illum, id est, factum est, vt super illum esset. quomodo, Qui post me venit, ante me fa-
Ioan. 1 ctus est, id est, factū est, vt ante me esset, vt prēponeretur mihi: quia prior me, inquit, erat. Sicut, Dominus factus est adiutor meus. Non e-
Psal. 117 nim Dominus factura est, sed factum est vt me adiuuaret. Et, Factus est Dominus refugium
Psalm. 9 pauperum, id est, factum est vt ad eum refugerent pauperes. Et, Facta est super me manꝰ Do-
Ezech. 1. & 3 mini, id est, factū est, vt super me esset: & multa talia in Scripturis reperiuntur.

Quid sit ostentare Domino ducescontra solem, & quid Græcus illic habeat.

Et dixit Dominus ad Mosen, Accipe duces 52
Num. 25 populi

populi, & oſtenta eos Domino contra ſolẽ:& auferetur ira animationis Domini ab Iſrael. Iratus eſt Deus de fornicationibus Iſrael,& carnalibus & ſpiritalibus. Nam & filiabus Moab ſe impudicè miſcuerant,& idolis fuerant conſecrati. Hoc ad Moſen dixit vt oſtentaret Domino duces populi contra ſolem. In quo verbo intelligitur eos iuſſos eſſe crucifigi, vt hoc ſit, Oſtenta eos Domino contra ſolem, id eſt, palàm in conſpectu lucis huius. Nam Græcus ait, προγδειγμάτισον, quod dici poſſet exemplifica, quia προγδειγμα exemplum dicitur. Nam præter Septuaginta interpretes, Aquila perhibetur dixiſſe, Confige, vel potius ſurſum confige: quod eſt ἀνάπηξον. Symmachus autem verbo euidẽtiore, Suſpẽde. Mirum eſt ſanè, quòd Scriptura narrare deſtiterit, vtrùm hoc fuerit ex præcepto Domini impletum, quod contẽni potuiſſe non video: aut ſi contemptum eſt, impunè cõtemni. Si autem factum eſt & tacitum, cur ex eo quòd Phinees filius Eleazar trãſfixit adulteros, placatum fuiſſe Dominum Scriptura teſtatur, plagámque ceſſaſſe, quaſi crucifixis ducibus, ſicut præceperat Dominus, adhuc indignatio perſeuerãs alio modo placãda videretur? quum proculdubio falſum eſſe non poſſet quod prænuntiauerat & promiſerat Dominus dicens, Accipe duces populi & oſtenta eos Domino contra ſolem,& auertetur ira animationis Domini ab Iſrael. Quid itaque opus erat vt adhuc Phinees ad placandum Deum, ſic in adulteros vindicaret, eíque teſtimoniũ Scriptura phiberet, quòd eo modo placauerit Dominum? Niſi fortè intelligamus quum illud de ducibus populi, Moſes quod præceperat Dominus implere diſponeret, eum voluiſſe etiam ſecundũ Legẽ talia punire flagitia, & ſacrilegã audaciã, vt iuberet vnũquenque interficere proximum ſuum, diis alienis nefariè cõſecratum, atque inter cæteta etiam illud Phinees faceret, ac ſic ira Domini iam placata nõ opus fuiſſe duces populi crucifigi. Hæc ſanè ſeueritas illi tẽpori cõgrua, quantũ malũ ſit fornicationis & idololatrię, prudẽtiũ fidei ſatis euidẽter oſtẽdit.

Quæ eadem ſit cauſa mortis Moſi & Aaron.

Num.17 Num.20 53 Eam cauſam mortis Moſi dicit Dominus, quam etiam fratris eius. Ambobus enim etiam hoc antè prædixerat, quòd ideo non intrarent cum populo Dei in terram promiſſionis, quia non eum ſanctificauerunt coram populo ad aquam cõtradictionis, id eſt, quia dubitauerunt de dono eius, quòd poſſet aqua de petra profluere, ſicut expoſuimus in eo Scripturæ loco. Huius autem rei myſteriũ datur intelligi, quia nec ſacerdotium, quod prius inſtitutum eſt, cuius perſonam gerebat Aaron, nec ipſa Lex, cuius perſonam gerebat Moſes, introducunt populum Dei in terram hæreditatis æternæ: ſed Ieſus, in quo typus erat Domini Ieſu Chriſti, id eſt, gratia per fidem. Et Aaron quidem antè defunctus eſt, quàm Iſrael in aliquam partem terræ promiſſionis intraret. Moſe autẽ adhuc viuente capta eſt terra Amorrhæorum atque poſſeſſa: ſed Iordanem cum eis non eſt tranſire permiſſus. Ex aliqua enim parte Lex obſeruatur in fide Chriſtiana. Ibi enim ſunt etiam præcepta, quæ hodiéque obſeruare iubemur Chriſtiani. Sacerdotium verò illud & ſacrificia nullam partem tenent hodie fidei Chriſtianæ, niſi quòd in vmbris futurorum acta atque tranſacta ſunt. Cùm verò ambobus fratribus, id eſt, Aaron & Moſi dicitur, vt apponantur ad populum ſuum: manifeſtum eſt non eſſe illos in ira Dei, quæ ſeparat à pace ſanctę ſocietatis æternæ. Vnde manifeſtatur nõ ſolùm officia, ſed etiam mortes eorum ſigna fuiſſe futurorum, non ſupplicia indignationis Dei.

Quomodo Ioſue qui habere Spiritum in ſeipſo dicitur, iubetur Moſes manus imponere.

Num.27 54 Et locutus eſt Dominus ad Moſen, dicens, Accipe ad teipſum Ieſum filium Naue, hominem qui habet Spiritum in ſeipſo, & impone manus tuas ſuper eum, & ſtatues eum in conſpectu Eleazari ſacerdotis,& mãdabis ei in cõſpectu omnis ſynagogæ, &c. Notandũ eſt quòd cùm iam haberet Spiritum in ſeipſo Ieſus Naue, ſicut Scriptura teſtatur: vbi quid aliud quã Spiritum ſanctum debemus accipere? Non enim de ſpiritu hominis hoc diceret, quem nullus erat qui non habebat: iuſſus eſt tamen Moſes ei manus imponere, ne quiſquã homo qualibet præpollens gratia, ſacramentum conſecrationis audeat recuſare.

Quid, Et dabis de gloria tua ſuper eum.

Num.27 55 Quid eſt quòd cùm Deus præciperet Moſi de Ieſu Naue, ait inter cætera, Et dabis de gloria tua ſuper eum. Nã Græca locutione τ δόξης habet, quod tantundem valet ac ſi diceret, De gloria, id eſt, ἀπὸ τ δόξης. Latini autem nonnulli interpretati ſunt, Dabis gloriam tuam, non de gloria tua. Sed ſiue illud eſſet, vt gloriam tuam diceret, nõ ideo habiturus erat Moſes, nec quia dixit De gloria, ideo minutum eſt quod habebat. Sic enim accipiendũ eſt, ac ſi diceret, Facies eum ſocium gloriæ tuę. Non autem huiuſmodi res quaſi particulariter diuiſæ minuũtur: ſed totæ ſunt omnib⁹, totæ ſingulis qui earum habent ſocietatem.

De qua iuratione intelligendum ſit quod dicitur, Homo quicunque vouerit aut iurauerit &c.

Num.30 56 Homo quicunque vouerit votum Domino, aut iurauerit iuramentum, aut definierit definitionem de anima ſua, nõ prophanabit verbum ſuum: omnia quæcunque exierint de ore eius faciet. Nõ hoc ad omnẽ iurationẽ pertinet, ſed ad eam vbi quiſque de anima ſua vouerit, alicuius vtique rei abſtinentiã, qua ei licebat vti per Legẽ, ſed per votum ſibi ipſe efficit nõ licere.

De voto mulieris coniugatæ.

Num.30 57 Si autem mulier vouerit votum Domino, aut definierit definitionem in domo patris ſui in iuuentute ſua: & audierit pater eius vota eius,& definitiones eius, quas definiuit aduerſus animam ſuam, & tacuerit pater eius: & ſtabunt omnia vota eius,& omnes definitiones e-

ius quas definiuit aduersus animam suam, manebunt ei. Si autem abnuens abnuerit pater eius, quacunque die audierit omnia vota eius, & definitiones eius quas definiuit aduersus animam suam, non stabunt: & Dominus emundabit eam, quia abnuit pater eius. Quoniã quidem de muliere, quę adhuc in iuuentute sua in domo patris, loquitur, meritò hîc quæritur etiam de voto virginitatis. Mulieres quippe etiam virgines in Scriptura appellari solere notissimum est, & videtur etiam Apostolus de
1.Cor.7 patre loqui quum dicit, Seruet virginem suã, &, Dat nuptum virginem suam: & cætera hoc modo. Vbi nõnulli intellexerunt virginem suam, virginitatem suam. Nulla tamen hoc simili Scripturarum locutione demonstrant, quum sit inusitatissima. Quòd autem ait, Aduersus animam suam, nec sic accipiendum est, quasi animæ noceat talibus votis: sed aduersus animã dicitur, aduersus animalem delectationem, sicut etiam de ieiunio præcipiẽs superius ait, Et
Num.29 affligetis animas vestras.

Quomodo dicatur, Et Dominus emundabit eam.

58 Quòd autem ait, Et Dominus emundabit
Num.30 eam, quia abnuit pater eius: emundabit dixit, à voti non impleti crimine absoluta est: sicut in multis locis dicitur, Et emũdabit eũ sacerdos, id est, mundũ habebit, mundũ iudicabit: sicuti est & illud, Mundatione nõ mundabis reum, id est, non dices mundum qui immundus est.

Quomodo consentiente viro votum vxoris tenetur.

59 Si autem facta fuerit viro, & vota eius super
Num.30 eam, secundum distinctionem labiorum eius, quanta definiuit aduersus animam suam, & audierit vir eius, & tacuerit ei quacunque die audierit: & ista stabunt omnia vota eius, & definitiones eius quas definiuit aduersus animam suam stabunt. Si autem abnuens abnuerit vir eius, in quacunque die audierit omnia vota eius: & definitiones quas definiuit aduersus animam suam, nõ manebunt, quoniam vir abnuit ab ea: & Dominus mundabit eam. Fœminã sub patre antequam nubat, & sub viro nuptam voluit Lex vouere, ita aliquid Deo aduersus animam suam, id est, in aliquarum rerum licitarũ atque concessarum abstinentia, vt in eisdẽ votis fœminea non præualeat auctoritas, sed virilis. Ita etsi adhuc innuptæ iam cõcesserat pater vota persoluere, si antequã persoluerit nupserit, & viro eius hoc cognitum nõ placuerit, nõ persoluat, & sit omnino sine peccato: quia mũdauit eam sicut dicit, id est, mundam iudicauit, neque hoc contra Deum fieri putandũ est, cùm ipse Dꝰ hoc præceperit, hoc voluerit. Sequitur autẽ de viduis vel à viro abiectis, id est, non sub potestate viri constitutis, aut patris: & earum vota ad persoluendũ liberasse dicit hoc modo, Et votum, inquit, viduæ expulsæque quæcunque vouerit aduersus animã suam, manebũt ei. Deinde dicit de nupta si in domo viri sui iam constituta aliquid tale vouerit. De illa enim prius dixerat, quæ in domo patris vouerat, & antequã redderet nupserat. De hac ergo quæ in domo mariti vouit, ita loquitur, Si autẽ in domo viri eiꝰ votũ eiꝰ, aut definitio quę aduersus animam eius cum iureiurando, & audierit vir eius & tacuerit ei, & non abnuerit ei: & stabunt omnia vota eius, & omnes definitiones quas definiuit aduersus animam suam, & stabunt aduersus eam. Si autem circũauferens circumauferat vir eius, quacunque die audierit omnia quæcunque exierint ex labiis eius, secundum vota eius & secundũ definitiones, quę aduersus animam eius, non manent ei, vir eius circumabstulit, & Dominus mundauit eam: omne votum & omne iusiurandum vinculi affligere animam, vir eius statuet ei, & vir eius circumauferet. Si autem tacens tacuerit ei diem ex die, & statuet ei omnia vota eius, & definitiones quæ super ipsam statuet ei, quoniam tacuit ei die qua audiuit. Si autẽ circumauferens circumauferat vir eius post diem quã audiuit, & accipiet peccatum suum. Manifestum est ita voluisse Legem, fœminam esse sub viro, vt nulla vota eius, quę abstinẽtiæ causa vouerit, reddãtur ab ea, nisi auctor vir fuerit permittẽdo. Nã quum ad peccatum eiusdem viri pertinere voluerit, si prius permiserit & postea prohibuerit, etiã hîc tamẽ nõ dixit, vt faciat mulier quod vouerat, quia permissa prius à viro fuerat: viri dixit esse peccatum, qui abnuit quod prius concesserat. Nõ tamen mulieri vel ex hoc permissum dedit, vt cùm prius ei vir cõcesserat, postea si prohibuerit contemnatur. Vtrùm autẽ ista etiã ad vota & à cõcubitu continẽtiæ vel abstinentię pertineant, meritò quæritur: ne fortè ea tantũ intelligenda sint aduersus animã vouerí, quę sunt in cibis & potionibꝰ. Quod videtur & illud significare vbi Dominus ait, Nõne anima Matth.6
plus est quam esca? Et quum de ieiunio præcipitur, ita præcipitur, Affligetis animas ve-
Num.29 stras. Nescio autẽ vtrùm alicubi legi possit aduersus animam dici votum, quod de abstinentia cõcubitus fuerit: maximè quia cùm hîc Lex auctoritatem viro tribuat, non mulieri quę viro subdita est, vt tunc persoluẽda sint vota mulieris, si vir approbauerit: si autem renuerit non debeantur. Apostolus tamen cùm de concubitu coniugatorum loqueretur, non ibi maiorem auctoritatem viro quàm fœminæ dedit. sed, Vxori, inquit, vir debitum reddat, similiter & vxor viro. Vxor non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter autẽ & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Quãdo ergo in hac re parem vtriusque esse voluit potestatem, puto quòd nobis intelligendum insinuet istam de concumbendo vel non concũbendo regulã non pertinere ad ea vota, vbi non habẽt parem vir & mulier potestatem: sed viri maior est, ac propè eius solius est. Non enim ait Lex, virum nõ debere reddere vota sua, si vxor prohibuerit, sed vxorem si vir prohibuerit. Vnde non mihi videtur in huiusmodi votis & definitionibus atque obligationibus, quę aduersus a-
1.Cor.7

nimam fiunt, etiam ista debere accipi, quæ inter se vir & vxor de concúbendo, vel de abstinentia concumbendi placita habuerint. Deinde quia & istæ iustificationes dicuntur, & meminimus in illis iustificationibus, quæ in Exodo sub hoc nomine aliæ cõmemorãtur, multa pręcipi quę accipi ad ꝓprietatẽ nõ posſit, nec in nouo Testamẽto obseruentur, sicut de aure serui pertundenda, & si quid eiusmodi est: nõ absurdè etiam hic aliquid figuratè dictum intelligitur, vt quoniam sunt multæ abstinentiæ ceremoniarum irrationabiles, & aliquando etiam inimicæ veritati, hoc fortasse intelligi voluerit, tũc ratas esse, cùm rationabiles fuerint, hoc est cũ eas approbauerit ratio, quę ad vicẽ viri debet regere omnem animalẽ motionem, quæ fit non tantùm in appetẽdo, verumetiam in abstinendo: vt si mente & ratione decernitur, tunc fiat: si autem improbatur consilio rationis, non fiat. Quòd si ratio quod prius rectè faciendum esse decreuit, pòst improbet, sit peccatum consilii, sic tamen vt non nisi rationi motio illa consentiat.

Exod. 21

Quid sit, Cum virtute eorum, &c.

60 *Nume. 31* Quid est, Et misit eos Moses, mille ex tribu & mille ex tribu, cum virtute eorum? Vtrùm virtutem eorum vult intelligi, Principes eorum, an virtutem à Domino eis datam, vel per ipsum Mosen impetratam: an potius virtutẽ eorum, quia dedit ea, quibus virtus eorum sustentaretur?

Quo tempore Balaam interemptus putetur.

61 *Nume. 31* Potest videri quæstio, quomodo quãdo Israelitæ Madianitas debellauerunt, interfectũ dicat Scriptura Balaam, qui fuerat conductus ad maledicendum populum Israel: cùm superius quando benedicere coactus est, ita eandẽ actionem Scriptura cõcluserit cùm ait, Et surgens Balaam abiit, reuertens in locum suum: Balac abiit ad semetipsum. Si ergo redierat ad locum suum Balaam, quomodo hìc interfectus est, cùm de tam longinquo, id est, de Mesopotamia venerit? An fortè reuersus est ad Balac, & hoc Scriptura non dixit? Quanquam etiam possit in locum suum rediisse intelligi, quòd ab ipso loco vbi sacrificia faciebat, in eũ locũ reuersus est, vnde illuc exierat, id est, vbi tanquam peregrinus habebat hospitium. Nõ enim dictum est In domum suã, aut In patriã suam, sed In locum suum. Habet autem & quisq; peregrinus locum suum, vbi ad tẽpus habitat. De ipso autem Balac, qui eum conduxerat, nõ dictum est Ad locum suum, sed Ad semetipsum, id est, vbi dominans habitabat. Posset ergo dici, Ad locum suum & dominans & peregrinus. Ad semetipsum autem, non video quomodo possit dici peregrinus, cùm ad hospitium suum venisset.

Nu. 24

Quomodo virtutem deprædati dicantur.

62 *Num. 31* Et prædam egerunt mulieres Madian & supellectilem eorum, & pecora eorum, & omnia quæ possederant, & virtutem eorum deprædati sunt. Cùm iam dixisset mulieres, supellectilem & pecora, & omnia quæ possidebant: quid deinde addit, Et virtutem eorum deprædati sunt? Nimirum enim hæc intelligenda est virtus, de qua & suprà dictum est, mississe millenos ex singulis tribubus cum virtute eorum. An fortè cibus quo sustentabantur, virtus eorum appellata fuit, quo subministrato vires suppetunt, & quo subtracto vires deficiunt? Vnde per Prophetã Deus cùm minaretur ait, Auferam virtutẽ eorũ panis, & virtutẽ aquę. Et Moses ergo cũ annona misserat illos millenos, quod dictũ est, Cum virtute eorum. Et isti Madianitis victis etiam hoc eorum inter cætera fuerant deprædati.

Vbi Balaam consilium malignum dederit.

Vt quid viuificastis omne fœmineũ? Hoc enim fecerunt filii Israel secundum verbum Balaam, vt recedere facerent & despicere verbum Domini propter Phogor. Hoc consiliũ malignum, vt ad illecebram fœminæ suppone rentur, per quas non solùm corporaliter, sed etiam spiritualiter in adorando idolo fornicarentur, quando dederit Balaam, Scriptura nõ dixit: & tamen apparet factum esse, cùm hìc cõmemoratur. Sic ergo potuit & redire ipse Balaam, qui iam ierat in locum suum, vt modò locum eius intelligamus peregrinationis hospitium, quanuis hoc Scriptura tacuerit.

63 *Nume. 31*

Vbi sint ciuitates refugiorum.

Quid est quod ait, Et erunt ciuitates vobis refugia à vindicante sanguinem, & non morietur is qui occidit, quoadusque stet in conspectu synagogæ in iudicium? cùm de his loquatur, qui nolentes occiderint, & alibi dicat tũc vnunquenque in tali causa confugientiũ exire liberũ de ciuitate quò cõfugerat, cùm sacerdos maximus fuerit defunctus. Quomodo ergo hìc dicit, Et non morietur is qui occidit, quoadusq; stet in cõspectu synagogæ in iudicium, nisi quia ideo iudicatur, vt tunc ei liceat esse in ciuitate refugii, si manifestum factum fuerit in iudicio, quòd nolens occiderit?

64 *Nume. 35*

Quomodo interfici iubeatur homicida.

Quid est quod ait, Qui vindicat sanguinẽ ipse interficiat homicidam: cùm occurrerit ei iste interficiet eum. Sic enim sonat malè intelligentibus, quasi passim, & sine iudicio datum fuerit vltori mortis propinqui sui ius occidẽdi eius interfectorem. Sed hoc intelligi voluit, quia secundum id quod suprà dictum est, qui occiderit cõfugiat ad vnam de ciuitatibus refugiorum, quousque stet in iudicium: ne ante inuentus à propinquo occidatur: quia etsi nolens occidit, præter illas ciuitates inuentus occiditur. Cum verò ad iudicium steterit in aliqua earum ciuitatũ, & iudicatus fuerit homicida, in aliqua earum in qua fugere cõceditur,

65 *nume. 35*

& esse ibi non sinitur: tum iam demum iudicatum vbicunque compertum, propinquo licet occidere. Neque enim opus est eum ad iudicium deduci, cùm iam fuerit iudicatus homicida, & propterea de istis ciuitatib⁹ pulsus sit.

EIVSDEM DIVI AVRELII Augustini Hipponensis Episcopi, Liber quintus Quæstionum super Deuteronomium.

Quomodo Deus significetur sic esse adiutor hominum, vt tamen ipsi homines cooperentur.

1 Deut. 5 IN eo quòd commemorat Moses dixisse populo timenti hostes inhabitantes terram, quò introducendus fuit, Ne paueatis, neque timeatis ab eis: Dominus Deus noster qui præcedet ante faciem vestrã, ipse simul debellabit eos vobiscum: satis ostẽditur ita esse adiutorem Deum, vt etiam homines agant aliquid.

Quomodo Deus indurat spiritum.

2 Deutero 2 Et noluit Seon rex Esebon transire nos per ipsum, quoniam indurauerat Dominus Deus noster spiritum eius, & confortauit cor eius, vt traderetur in manus tuas, sicut in hac die. Hæc dicens Moses, dum populum alloquitur tale aliquid commemorat, quale dicebatur in Exodo, Ego induraui cor Pharaonis: & Exod. 10 quod in Psalmis legitur, Conuertit cor eorũ Psa. 104 vt odissent populũ eius. Nec tacetur hîc causa indurationis huius, cùm dicitur, Vt traderetur in manus tuas, sicut in hac die, id est, vt vinceretur à te: quod non fieret nisi resisteret, nõ autem resisteret, nisi corde obdurato. Cuius rei iustitiam si quęsierimus, inscrutabilia sunt Romano. 11 iudicia Dei. Iniquitas autem non est apud Rom. 9 Deum. Sanè notandum est confortatum cor posse dici etiam in malo.

Quomodo Og reliquus dicatur ex gigantibus.

3 Deut. 3 Veruntamen Og rex Basan reliquus factus est à Raphaim. Hoc nomine, quod est Raphaim, gigantes significari in Hebræa lingua dicunt qui eam nouerunt. Vnde quod habent pleriq; codices, Derelictus est à Raphaim, planius vtiq; dicitur, reliquus factus est, vt ipse ex illis remansisse intelligatur. Cuius etiam consequẽter lõgitudo & latitudo ferrei lecti cõmemoratur, ad eius magnitudinẽ cõmendandã.

Quæ differentia sit inter similitudinem & imaginem, cùm dicitur, Similitudinem autem omnem aut imaginem.

4 Deut. 4. Ne feceritis iniquitatem, & ne faciatis vobisipsis sculptilem similitudinem, aut omnem imaginem. Quid intersit inter similitudinem & imaginẽ quęri solet. Sed hîc nõ video quid interesse voluerit, nisi aut duobus istis vocabulis vnam rem significauerit, aut similitudinem dixerit. Si verbi gratia fiat statua vel simulachrum habens effigiem humanam, non tamen alicuius hominis exprimantur liniamenta, sicut pictores vel statuarii faciunt, intuentes eos quos pingunt, vel fingũt. Hanc enim imaginem dici nemo dubitauerit, secundum quã distinctionem omnis imago etiam similitudo est, non omnis similitudo etiam imago est. Vnde si gemini inter se similes sint, similitudo dici potest alterius cuiuslibet in altero, non imago. Si autem patri filius similis sit, etiã imago rectè dicitur, vt sit pater prototypus, vnde illa imago expressa videatur, quarũ aliæ sunt eiusdem substantiæ, sicut filius, aliæ non eiusdem, sicut pictura. Vnde illud quod in Genesi scriptum est, Fecit Deus hominem ad imaginem Gene. 1 Dei, manifestum est ita dictum, vt non eiusdẽ substantiæ sit imago quæ facta est. Si enim eiusdem esset, non facta, sed genita diceretur. Sed quòd non addidit, Et similitudinem, cùm superius dictum esset, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, quibusdam visum est, similitudinem aliquid amplius esse, quàm imaginem, quod homini reformando per Christi gratiam postea seruaretur. Miror autem si non propterea postea imaginem solã voluit commemorare: quia vbi imago, continuò & similitudo est. Vnde & hîc Moses similitudinem & imaginem fieri vetat, secũdum eam fortasse rationem quam diximus. In Decalogo autem generaliter dicitur, nullã fieri debere similitudinem: nec imago commemoratur. Cùm enim nulla similitudo sit, proculdubio nec imago fit: quoniam si imago, vtiq; & similitudo. Non autẽ si sit similitudo, continuò sit & imago: tamen si nulla similitudo, sequitur vt nulla imago. Deniq; vbi prohibuit similitudinem & imaginem, homines intelligi voluit, vbi & similitudo fieri potest, non huius aut illius, sed cuiuslibet hominis, & imago, id est, huius propriè vel illius hominis. Cùm verò de pecoribus diceretur, atque irrationabilibus animantibus, solam similitudinem dixit. Quis enim reperiri potest, qui sibi vnum cõstituat canem, vel quid eiusmodi, quem intuens eius imaginẽ pingat aut fingat? Quod de hominibus vsitatissimum est.

Quid significetur per aquam.

Quid est autem quod ait, Similitudinem 5 omnis piscis, & quæcunque sunt in aquis sub Deut. 4 terra. An & aquam propter tractabilem corpulentiam terram intelligi voluit: & secundum Genes. hoc in eo quod scriptum est, Fecit Deus cælũ & terram, & aquas debemus accipere? Assiduè quippe Scriptura his duabus partibus cõmemoratis, vniuersum mundum vult intelligi, secundum illud, Auxilium meum à Domino Psalme 120 qui fecit cælũ & terram: & innumerabilia eiusmodi. An ideo dictum est, Sub terra, quòd terra nisi superior aquis esset, habitari vtique ab hominibus, & animalia terrena haberenõ posset?

An gentilis videatur permissum colere solem, Stellas & omnem ornatum cæli. 6

Et ne suspiciens in cælum, & videns solem Deuteron. 4 & stellas, & omnem ornatum cæli, errans adores ea, & seruias illis quæ distribuit Dominus Deus tuus ea omnibus gentibus, quæ sũt

sub

sub cælo. Non ita dictum est, tanquam Deus præceperit ea coli à gentibus, à solo autem populo suo non coli, sed aut ita dictum est, quòd Deus præscierit gentes culturam exhibituras his cælestibus, & tamen hoc præsciens creauerit eas, cum verò populum suum futurum esse præsciuerit, qui ista non coleret. Aut Distribuit dictum est, vt intelligatur vsus qui com-
Gene.1 mendatur in Genesi, Vt sint in signis & in tẽporibus & in diebus & in annis: quem vsum in eis communem habet populus Dei cum omnibus gentibus, non autem cultum quem habent aliæ gentes.

7 *Quomodo similitudo ibi posita generaliter capitur.*

Deuteron.5 Ne obliuiscamini testamentum Domini Dei vestri, quod disposuit ad vos, & faciatis vobismetipsis sculptilem similitudinem omnium quæcunque constituit tibi Dominus Deus tuus. Hic certè generaliter loquẽs similitudinem posuit, imaginem tacuit, quoniam si nulla sit similitudo, profectò nec imago, quia vbi imago, cõtinuò similitudo, quanuis non vbi similitudo, cõtinuò ibi imago.

Quid sit à summo cæli vsque ad summum cæli, & quid subaudiendum, & qui intelligendum.

8

Deuter. 4 Quærendum quomodo dictum sit, Interrogate dies priores, qui fuerunt priores te, ex die qua creauit Deus hominem super terram à summo cæli, vsque ad summum cæli. Subauditur enim, Interrogate. Videtur autem significare totum orbẽ terrarum. Sed cur à summo cæli vsque ad summum cæli dicat, non à summo terræ, vsque ad summum terræ, non est facilè dignoscere. Talis enim quædã locutio est
Matt.25 & in Euangelio cùm dicit Dominus, quòd cõgregabuntur electi eius à summis cælorum vsque ad terminos eorum. Nisi fortè hoc nec in hominibus, nec in Angelis auditum esse vult intelligi, quod in hoc populo factũ singulariter cõmendat. Hoc enim sequitur, Si factum est secundum verbum magnum hoc, si auditũ est tale quid, si audiuit gens vocem Dei viuentis, loquentis è medio ignis, quemadmodum audisti tu & vidisti. Quòd si ita est, vt nec in hominibus nec in Angelis hoc dicat auditum, quid est ergo illud in Euãgelio, A summis cælorum vsque ad terminos eorum, cùm sine dubio Dominus hoc ait, cùm de nouissima electorum suorum congregatione loqueretur?

Quomodo dicat Moses, Dominus disposuit testamentum ad vos, non patribus vestris.

9

Deuteron.5 Quid est quòd Moses ait, Dominus Deus vester disposuit ad vos testamentum in Oreb. Non patribus vestris disposuit Dominus testamentum hoc, sed ad vos hic omnes viuẽtes hodie facie ad faciem locutus est Dominus ad vos in mõte è medio ignis. An quia illi qui nõ ingrediuntur in terram promissionis (mortui sunt enim omnes) non pertinent ad hoc testamentum, quorum tunc recognitio facta est, cũ à viginti annis ætatis & suprà numerentur, vsque ad quinquaginta annos habiles ad bellum? Quomodo ergo illis locutus est Dominus qui hodie viuunt? An quia ex viginti annis & infrà potuerunt multi tunc esse, qui hoc bene meminissẽt, alieni ab illa pœna, quã Dominus constituit illis, qui tunc numerati sunt non intrare in terram promissionis? & hos vtiq; appellat, qui quanuis viginti annorũ & suprà nõ essent, quãdo Deus in mõte loquebatur, vt numerari tũc possẽt, potuerũt tamen esse annorum decẽ & nouẽ & infrà vsque ad puerilem ætatẽ, qui possent illa quæ facta & dicta sunt, & videre & audire, & memoria retinere. Sed quid est quod ait, Facie ad faciẽ locutus est Dominus ad vos, quos paulò antè maximè admonere curauit, quòd nullã similitudinẽ viderint: sed solã vocẽ de medio ignis auderint? An propter rerum euidentiã & quodammodo præsentiã manifestatæ Diuinitatis, de qua dubitare nemo posset, his verbis vsus est? Quòd si ita est, quid prohibet de ipso Mose hoc intelligi, eò quòd de illo dictũ est, qp facie ad faciem locutus sit cum eo Dominus, vt nec ipse aliquid oculis viderit præter ignẽ? An aliquid amplius vidisse intelligitur, quia scriptũ est, eũ intrasse in nebulã vel nimbũ vbi erat Deꝰ? Sed & si aliquid ãplius vidit quàm illi, non eũ tamẽ mortalibus oculis vidisse Dei substãtiã, ex illis eiꝰ verbis intelligi potest, qui
Exod 33 bus ait Deo, Si inueni gratiam ante te, ostẽde mihi temetipsum vt scienter videam te. Neq; enim arbitrandum est hunc populum, cui Moses loquebatur, sic tunc vidisse Deum facie ad faciem, quando in monte loquebatur è medio ignis, quemadmodum Apostolus dixit in fine nos eum esse visuros, vbi ait, Videmus nunc
1.Cor. 13 per speculum in ænigmate, tunc autẽ facie ad faciem. Quid autem hoc & quantum esset, cõsequenter aperuit dicens, Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum. Quod etiam ipsum cautè accipiendum est, ne tantam putetur habiturus homo cognitionẽ Dei, quantam nunc habet hominis Deus: sed pro suo modo ita perfectam, vt ei nihil adhuc expectetur addendum, vt quem perfectè nunc Deus nouit hominem: sed tamen sicut Deus hominẽ, ita tunc perfectè nouerit homo Deũ, sed tamen sicut homo Deũ. Neque enim quia
Matt.5 dictum est, Estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est, ideo æqualitatem Patris, quam Verbum habet vnigenitum, sperare debemus, quanuis non defuerint qui & hoc futurum putauerint, nisi fortè quid dicant parum intelligimus.

Quomodo Moses stet inter Deum & populum.

10

Deuteron.5 Quid est quod ait, Et ego stabam inter Deum & vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini: tanquam in loco esset Dominus, hoc est, in monte vnde illi voces audiebant? Quod si accipiendum est, vt non ex hoc suspicemur Dei substantiam in vllo aliquo esse corporali loco, qui est vbique totus, nec per locorum interualla propinquat aut recedit:

sed demonstrationes eius in ea creatura quæ non est quod ipse, non aliter humanis sensib⁹ exhibẽtur. Vnde Dominus volens auferre ab huiusmodi suspicionibus mentem nostram,
Ioan.4 quibus putatur De⁹ loco aliquo cõtineri, Veniet, inquit, hora, quãdo neque in monte hoc neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus: quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare. Medium ergo se dixit Moses non inter Dei substãtiam & populum, interuallo aliquo loci: sed quia per eum placuit populum audire cætera Dei verba, posteaquam vehementer est territus, audita de medio ignis voce Dei dicentis Decalogum Legis. Sed meritò quæritur quomodo accipiantur hæc verba Deuteronomii, dicente Mose, Et ego stabam inter Deum & vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini, quoniam timuistis à facie ignis, & non ascẽdistis in montem, dicens, Ego sum Dominus Deus tuus, &c. Quæ iam verba Dei sunt, quæ Decalogus continet. Quid ergo vult quod addit, Dicẽs? Si enim putauerimus hyperbaton, vt ordo verborum sit, Et ego stabã inter Deũ & vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini, dicens, Ego sũ Dominus Deus tuus: non erit verum. Non enim hæc verba per Mosen popul⁹, sed de medio ignis audiuit. Quod cùm sustinere non posset, audito Decalogo postulauit vt per Mosen cætera audiret. Restat ergo vt quod positum est, Dicens, pro eo positũ intelligamus, ac si esset, cùm diceret: vt iste sit sensus, Et ego stabã inter Deum & vos in tẽpore illo, annũtiare vobis verba Domini, quoniam timuistis à facie ignis, & non ascendistis in montem, cùm diceret, Ego sum Dominus Deus tuus: vt subaudiatur, cùm diceret, vtique Dominus. Cùm enim hæc verba diceret Dominus, quæ cõsequenter ex Decalogo cũcta commemorat, tunc timuit populus à facie ignis, & non ascendit in mõtem, & rogauit vt per Mosen potius verba Domini audiret. Quæ verba Moses commemorat in Deuteronomio dicta sibi à populo, cùm audire iam nollent vocem Dei, sed per eum peterent sibi dici quæ dicebat Deus, id est, Ecce ostendit Dominus Deus noster nobis gloriam suam, & vocem eius audiuimus è medio ignis, &c. Non eadem prorsus leguntur in Exodo, vbi primùm narrata sunt quæ modò repetuntur. Vnde intelligamus quod aliquoties iam cõmemoraui, nõ esse in mẽdacio deputãdum, si aliis quibuslibet verbis eadem voluntas manifestatur, propter Euangelistarum etiam verba, quæ ab imperitis & calumniosis tanquã repugnantia reprehẽduntur. Neque enim magnum erat Mosi attendere quæ in Exodo scripserat, & eisdẽ omnino verbis illa repetere, nisi pertineret ad sanctos doctores nostros hoc ipsum insinuare dicentibus, vt nihil aliud in verbis loquentiũ quærant nisi voluntatem, propter quam enuntiandam verba instituta sunt.

Quomodo dictum sit in Hebræo à Domino, Quis dabit esse sic cor eorum in eis vt timeant me?

Quid est quod ait Moses dictum sibi esse 11 Deuteron.5
à Domino de populo Hebræo. Quis dabit esse sic cor eorum in eis, vt timeant me, & custodiant mandata mea? An hîc iam vult intelligi gratia sua concedi hoc beneficium, vt sit in hominibus iustitia Dei ex fide, nõ quasi propria velut ex Lege? Hoc enim per Prophetam significat dicens, Auferam eis cor lapideum, & dabo eis cor carneum. Quod propter sensum dictum est, quem caro habet, & lapis non habet, verbo vtique translato. Hocipsum & alibi dicit, Ecce dies veniunt dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domũ Iuda testamẽtum nouum, non secundum testamẽtum quod disposui ad patres eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti: quoniam hoc est testamentum quod disposui ad eos post dies illos, dans Leges meas in cor eorum, & in mente eorum superscribam eas, & iniquitatum eorum, & peccatorum eorum nõ memor ero amplius. Hic enim discernit nouum Testamentum à veteri, quòd in veteri data est Lex in duabus tabulis lapideis, in nouo autẽ in cordibus, quod fit per gratiam. Vnde & Apostolus dicit, Non 2.Corint 3
in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalib⁹. Et alio loco, Idoneos nos, inquit, fecit ministros noui Testamẽti, non litera sed spiritu.

Ezech.36

Hiere.31

Quomodo de Domino dicatur, Et in nomine eius iurabit, an iurari præcipiatur.

Quod ait de Domino, Et in nomine eius 12
iurabis. Non ita præceptum accipiendum est Deuteron.6
quasi iurari iusserit: sed in alterius alicuius dei nomine iurare prohibuit. Melius autẽ fit, si secundum Euangelium non iuraueris, non quia mala est vera iuratio, sed ne in periurio incidatur facilitate iurandi. Qui enim iurat, non solũ verũ, sed etiã falsũ iurare potest. Qui autẽ omnino non iurat, à periurio longè ambulat.

Quomodo apertè dicatur quod alibi obscurè, Et cognita faceret quæ in corde tuo sunt.

Et recordaberis omnem viam per quam 13 Deute. 8
duxit te Dominus Deus tuus in deserto, vt affligeret te, & tentaret te, & cognita faceret quæ in corde tuo sunt, si obseruabis mandata eius, an non. Hic apertius dictum quod alibi genere locutionis obscurum est, vbi legitur, Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat si Deutero.13
diligitis eum. Intelligitur enim positum esse, Vt sciat, p eo quod est, vt scire faciat, quomodo dilucidè dictu est, Vt tẽtaret te & cognita faceret quæ in corde tuo sunt. Non enim ait, Vt cognosceret, quod quidem si dixisset, intelligendum erat cognita faceret.

Quomodo qui prius laudabãtur, nunc dura cernice esse dicantur in vituperationem eorum.

Et

14 Et scies hodie, quia non propter iustitias
Deuteron. 9 tuas Dominus Deus tuus dat tibi terram bonam istam hæreditare, quoniam populus dura ceruice es. Certè isti sunt qui propterea non meruerunt perire in deserto, quia nescierunt dexteram aut sinistram. Ecce iam dura ceruice appellantur. Vnde videndum est illud in sacramento esse dictum, non quòd istorum merita commendata sint. Nam ne quis existimet subitò istos vituperabiles factos, qui meritò fuissent antè laudati, paulò pòst eis dicitur, Memor eris, ne obliuiscaris quanta exacerbasti Dominum Deum tuum in deserto, ex qua die existi de terra Aegypti, donec venisti in locũ hũc, incredulus perseueraste sque ad Dominũ. Quòd si quidam eorum tales erant, quidã verò fideles & boni, etiam si non vtique illis datur terra promissionis, q nesciunt dexterã aut sinistram, vt hoc sic intelligamus, quasi non offenderint Deum. Nam & patres eorum, qui mortui sunt, nec in eandem terram intrare permissi sũt, tales inueniũtur fuisse, vt in eis essent quidam etiam boni. Propter quod Apostolus non omnes, sed quosdam eorum dicit offendisse, in quibus eorum peccata commemorat. Similes quippe istos parentibus ita euidentius docet & ipsa scriptura Deuteronomii, quòd consequenter adiungit dicens, Et in Oreb exacerbasti Dominum. Vbi certè illi exacerbauerunt, qui propter eadem mala merita sua nõ sunt in terram promissionis inducti.

Cùm in Exodo Moses verba Legis scripsisse dicatur, quomodo id Deo ascribitur.

15 In illo tempore dixit Dominus ad me, Ex-
Deuteron. 10 cide tibi duas tabulas lapideas, quemadmodũ priores, & ascende ad me in montem, & facies tibi arcam ligneam, & scribã in tabulis verba quæ erant in tabulis prioribus, quas contriuisti, & immites eas in arcam. Et feci arcam ex lignis imputribilibus, & excidi duas tabulas lapideas, sicut priores, & ascendi in montem, & duæ tabulæ in duabus manibus meis. Et scripsit in tabulis, secundum scripturam priorem, decem verba quæ locutus est Dominus ad vos in monte è medio ignis: & dedit eas Dominus mihi. Non immeritò quæritur quo modo hæc
Exod. 34 in Deuteronomio dicãtur Mose recolẽte ac repetente quæ gesta sunt, cùm in Exodo, vbi primũ hæc dicta & facta narrãtur, ita sit scriptum, Et dixit Dominꝰ ad Mosen, Scribe tibi verba hæc: etenim in verbis his posui testamentum tibi & Israel. Et erat ibi Moses in conspectu Domini quadraginta diebus & quadraginta noctibus, panem non manducauit, & aquã non bibit, & scripsit in tabulis verba testamẽti, decem verba. Cùm ergo in Exodo ipse Moses in tabulis decem Legis verba scripsisse narretur, quomodo hoc in Deuteronomio, Deus in tabulis eadẽ verba scripsisse recolitur? Deniq; illud quod in Exodo cùm trãseunter tractaremus, & quid nobis in ea differentia visũ fuerit literis mandaremus, cur priores tabulæ, quæ contritæ sunt digito Dei scriptæ referantur, secundas autem tandiu in arca tabernaculóq; mansuras, ipse Moses scripsisse dicatur, ita vt per hanc differentiam duo testamenta significata esse diximus, vt in veteri testamento Lex commendaretur tanquam opus Dei, vbi homo nihil fecerit, eò quòd Lex timore non poset impleri: quoniam cùm verè fit opus Legis, charitate fit, non timore, quæ charitas gratia est Testamẽti noui. Ideo in secũdis tabulis homo legitur scripsisse verba Dei, quia homo potest facere opus Legis per charitatem iustitiæ, quod non potest per timorem pœnæ. Nunc ergo cùm legitur in Deuteronomio de secundis Deuteron. 10
tabulis ita dictum, Et excidi duas tabulas lapideas sicut priores, & ascendi in montẽ & duæ tabulæ in manibus meis, & scripsit in tabulis secundum scripturam priorem decem verba. Non enim ait, Et scripsi, sed Scripsit, hoc est, Deus scripsit, sicut paulò antè dixerat verba Dei sibi dicta, Excide tibi duas tabulas lapideas quemadmodũ priores, & ascẽde ad me in montem, & facies tibi arcam ligneam, & scribam in tabulis verba quæ erãt in tabulis prioribus. Discutienda nascitur quæstio, quòd vtrasque tabulas, id est, & priores & secundas Deus hìc legitur scripsisse, nõ homo. Sed si in ipso quoque Exodo verba Dei legantur, vbi iubet easdem tabulas secundas excidi à Mose, nihil aliud inuenitur, quàm ipsum Deum se easdem promisisse scripturum. Nam ita scriptum est, Et dixit Dominus ad Mosen, Excide Exod. 34
tibi duas tabulas lapideas sicut & priores, & ascende ad me in montem, & scribam in tabulis verba quæ erant in tabulis prioribus, quas tu contriuisti. Excepto itaque libro Deuteronomii, quæstionem istam etiam solus liber Exodi continet, quomodo dixerit Deus, Et scribã in tabulis verba quæ erant in tabulis prioribus, cùm paulò pòst legatur, Scribe tibi verba hæc: etenim in verbis his posui testamentũ
tibi & Israel. Et erat ibi Moses in conspectu Exod. 34
Domini quadraginta diebus & quadraginta noctibus, panem non manducauit & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba testamenti, decem verba. Si enim superius quod dictum est, Scribe tibi verba hæc: etenim in verbis his posui testamentum tibi & Israel: ad superiora pertinet, quæ Deus ita præcipiebat, vt non in duabus lapideis tabulis scriberẽtur, sed in libro Legis, vbi multa cõscripta sunt: certè illud quod sequitur, Et erat ibi Moses in conspectu Domini quadraginta diebus & quadraginta noctibus, panem non manducauit & aquam nõ bibit, & scripsit in tabulis verba testamenti, decem verba: satis manifestat eũdem Mosen in tabulis hæc decem verba scripsisse, non Deũ. Nisi fortè violẽter quidẽ sed certa necessitate cõpellimur, vbi dictũ est, Et scripsit in tabulis verba testamẽti, decẽ verba: nõ Mosẽ subaudire sed Dominũ, Suprà enim

positũ est, Et erat ibi Moses in conspectu Domini, vt à Domino in cuius cõspectu erat Moses quadraginta diebꝰ & quadraginta noctibꝰ, panẽ nõ manducans & aquã non bibens, scripta intelligantur hæc decem verba in tabulis, sicut antè promiserat. Quòd si ita est, nõ quidem illa differentia duorum testamentorum, quæ nobis visa est, in his verbis commendari potest, quando & priores & secundas tabulas scripsit, non homo, sed Deus. Veruntamen illa certè distantia nõ habet dubitationẽ, quòd priores tabulas & Deus fecit, & Deus scripsit, Non enim dictum est tunc ad Mosen, Excide tibi duas tabulas: sed ita potius legitur, Et conuersus Moses descendit de monte, & duæ tabulæ testimonii in manibus eius, tabulæ lapideę, scriptura ex vtraque parte, hinc atque hinc erant scriptæ, & tabulę opus Dei erant, & scriptura scriptura Dei est sculpta in tabulis. Iam enim superius dixerat eaidem tabulas scriptas digito Dei, sic loquens, Et dedit Mosi, statim vt cessauit loqui ad eum in monte Sina, duas tabulas testimonii, tabulas lapideas scriptas digito Dei. Ibi ergo & tabulæ opus Dei erant, & scriptura earum digito Dei facta. Secundas autẽ tabulas ipse Moses iubetur excidere, vt ipsę certò opere humano intelligãtur excisæ, quãuis eas Deus ipse scripserit, sicut promisit cùm iuberet excidi. Porrò autẽ si diligentius attendamus, ideo vtrunque dictum est in secundis tabulis, quia & Deus fecit per gratiam suam opus Legis in homine, & homo per fidem suam suscipiens gratiam Dei, pertinens ad Testamẽtum nouum, cooperator est adiuuantis Dei. Ideo autem in primis solum opus Dei commemoratur, quia Lex spiritalis est Lex sancta, & mandatum sanctum & bonum & iustum. Ideo verò nullũ opus hominis ibi commemoratur, quia infideles non contemperantur adiutorio gratiæ, sed ignorãtes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Vnde illis Lex ad condemnationem valet, quod significat contritio tabularum. Profecto non cogimur violẽto intellectu subaudire quòd Deus scripserit, vbi Scriptura dicit, Et erat ibi Moses in conspectu Domini quadraginta diebus & quadraginta noctibus, panem non manducauit & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba testamẽti. Vbi valde sonat scripsisse Mosen. Sed ideo superius Deus se promisit scripturum, & in Deuteronomio, non solùm ita promisisse, verumetiam ipse scripsisse enarratur, vt significetur quod ait Apostolus, Deus enim est qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate, hoc est, in eis qui ex fide gratiam suscipiunt, & non suam iustitiam volunt statuere, sed iustitiæ Dei subiecti sunt, vt ipsi sint in Christo iustitia Dei. Nã & illic Apostolus vtrunque dicit, & Deũ operari, & ipsos. Nam si non operabantur, quomodo eis dicebat, Cum timore & tremore vestrã ipsorum salutem operamini? Operatur ergo ille, cooperamur nos. Non enim aufert, sed adiuuat bonæ voluntatis arbitrium.

Roma. 7

Roma. 10

philipp. 2

Quid per tribum Leui significetur.

In illo tempore distinxit Dominus tribum Leui portare arcam testamẽti Domini, assistere coram Domino, ministrare & orare in nomine eius vsque in hunc diem. Propter hoc non est Leuitis pars & sors cum fratribus suis: Dominus ipse pars eius est, sicut dixit ei. Nisi per hanc tribum significaretur vniuersum regale sacerdotium, quod ad nouum pertinet Testamentum, nullo modo ausus esset dicere homo qui ex eadem tribu non erat, Pars mea Dominus. Et in alio Psalmo, Dominus pars hæreditatis meæ. 16 Deut. 10 Psal. 72 Psal. 15

Quomodo verba Legis præcipiantur super limina domorum & ianuarum scribi, cùm id factum non sit.

Quid est quòd præcepit Moses commendans verba Domini & ait, Scribetis ea super limina domorũ vestrarum & ianuarum vestrarum, cùm hoc secundum proprietatem nemo fecisse Israelitarum commemoretur vel legatur? quia nec quisquam potest, nisi fortè diuidat ea per multas partes domus suæ? An hyperbolica commẽdatio est, sicut multa dicuntur? 17 Deut. 11

Cur decimas Leuitis alibi dari iussas, iubet manducari in ciuitate vbi erat.

Quærendum quomodo iubeat decimationes omnium fructuum, & primitiua pecorum non mãducari, nisi in ciuitate vbi templum erat, cùm eas Leuitis dari in Lege præceperit. 18 Deut. 12

Quomodo Deus tentare dicatur.

Si autem surrexerit in te Propheta seu somniator somniãs, & dederit tibi signum vel prodigium, & venerit signum siue prodigiũ quod locutus est ad te, dicens, Eamus & seruiamus diis alienis, quos nescitis: non audietis verba Prophetę illius vel somniãtis somnium illud: quoniam tẽtat Dominus Deus vester vos, scire an diligatis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro & ex tota anima vestra. Hoc quidam interpretes Latini nõ ita posuerunt, Scire an diligatis: sed Vt sciat an diligatis: quãuis eadem sententia videatur. Veruntamen illud quod dictum est, Scire, facilius ad illos refertur, vt sic accipiamus, Tentat vos scire, acsi diceretur, tentãdo vos facit scire. Vbi sanè intelligi voluit etiam illa quæ à diuinãtibus nõ secundum Deum dicuntur, si acciderint quæ dicuntur, non accipienda sic vt fiant quæ præcipiuntur ab eis, aut colantur quæ coluntur ab eis. Nec præter suam potestatem Deus ostendit esse, quòd ista contingunt: sed quasi quæreretur cur ea permittat, causam tentationis exposuit, ad cognoscendam eorum dilectionem, vtrùm eam habeant erga Deum suũ: cognoscẽdam verò ab ipsis potius quã ab illo, qui scit omnia antequam fiant. 19 Deut. 13

Quomodo ea quæ de decimis dicuntur, intelligi debeant, & quomodo fiat remissio annorum.

Post tres annos produces omnem decimam fructuũ tuorũ: in illo anno pones illud in ciuitati- 20 Deutro 14

tatibus tuis: & veniet Leuita, quia non est ei pars nec sors tecum, & aduena & pupillus & vidua, qui in ciuitatibus tuis erunt: & manducabunt & saturabuntur, vt benedicat te Dominus Deus tuus in omnibus operibus tuis quæcunque feceris. Ex ista decima non dixit, vt ipse manducet cum suis: ac per hoc Leuitis & aduenis & pupillis & viduis eam iussit impendi. Sed obscurè positum est, quia non est distincta ista decima ab illa quam voluit cũ Leuitis in eo loco mãducari, quem Dominus elegisset tempore suo. Sed in ea interpretatione, quę est ex Hebræo, apertius hoc distinctũ reperimus. Ait enim, Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascentur tibi eo tempore, & repones inter ianuas tuas, veniétque Leuites, qui aliam non habet partẽ nec possessionem tecum, & peregrinus & pupillus & vidua, qui intra portas tuas sunt: & comedent & saturabuntur, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, quæ feceris. Primò hoc ipsum planius est quod ait, Anno tertio: intelligitur enim vno anno interposito. In Septuagĩta autem, quoniam post tres annos dixit, incertum est vtrùm eos medios esse voluerit, vt quinto quoque anno fieret. Deinde cùm ait, Et separabis aliam decimam, satis ostendit extra esse illam quam voluit eumipsum qui offert manducare cum suis & Leuitis, in eo loco quẽ Dominus elegisset. Et hanc enim & aliam decimã intra ianuas suas eum ponere præcepit, non ad eum locum eum deferre, vbi Dominus se voluit inuocari. Et veniet (inquit) Leuites, qui non habet partem nec possessionem tecum, & peregrinus & pupillus & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent. Hinc certè manifestè verum est, nõ istam decimã Deum fieri voluisse communem ei qui offert, & iis quibus impendenda est: sed illis solis erogari eam iussit, qui aliud non haberẽt, in quibus præcipuè Leuitem posuit. Post septem annos facies remissionẽ. Hîc certè manifestatur quomodo & superius dixerit, Post tres annos. Non enim & hos septem annos medios esse voluit. Vnoquoque anno eam fieri præcepit, tanquã Sabbatismum annorum.

Deut.15

21 *Quomodo verbum occultum magnificè dicatur.*

Deut.15 Attende tibiipsi ne fiat verbum occultum in corde tuo iniquitas dicens, Appropiat annus septimus, annus remissionis: & malignetur oculus tuus in fratrem tuum egenum, & non tribuas ei: & exclamabit aduersum te ad Dominum, & erit in te peccatum magnũ. Magnificè occultum verbum hoc dixit, quoniam nemo audet hoc dicere, qui potuerit cogitare, ideo non esse mutuum dandum indigẽti, quoniam appropinquat annus remissionis: quum Deus propter misericordiam vtrunque præceperit, & commodari cùm quisque indiget, & remitti anno remissionis. Quomodo ergo misericorditer remissurus est illo anno, quo remittendum est, si crudeliter cogitat illo tempore dandum non esse, quo dandum est?

Quomodo liberatio seruorum intelligenda.

22 Si autẽ venundatus fuerit tibi frater tuus Hebræus aut Hebræa, seruiet tibi sex annis, & septimo dimittes eum liberũ à te. Hos emptos non anno remissionis remitti voluit, quem septimum quenque obseruari oportebat ab omnibus, sed anno septimo emptionis eius quotocunque anno illorum septimus iste annus occurreret. Deuter.15

Quomodo primogenita offerri iubeat.

23 Omne primogenitum, quod natum fuerit in bobus tuis & in ouibus tuis masculinum, sanctificabis Domino Deo tuo. Quærendum vtrùm quæ Græcè dicuntur πρωτότοκα, nec Latinè dici nisi primogenita potuerunt, in iis tãtùm intelligẽda sint, quæ nascuntur ex matribus: ipsa enim propriè pariũtur, potius quàm gignuntur. Parere quippe est τίκτειν, quod ex fœmina: vnde πρωτότοκον dicitur: gignere autem est γεννᾶν, vnde propriè Latinè Primogenitus dicitur. Ex fœminis autem dabantur primitiua, id est, quæ prima pariebantur, nõ quæ prima gignebantur à viris, si fortè ex viduis, quæ iam pepererant, gignerentur. Non enim aliter essent quæ aperirent vuluam, quod proprium voluit esse Lex eorum, quæ primò nata Domino Deo debebantur. Si ergo est in his verbis certa distinctio, non frustra Dominus non dicitur à Patre μονότοκος, sed μονογενὴς, id est, vnigenitus, quod est vnicus: à mortuis autem primogenitus quidem Latinè dicitur, quia nõ potuit Latinum verbum ita componi secundum loquendi consuetudinem. Græcè autem πρωτότοκος dicitur, non πρωτογενὴς, tanquam pater genuerit æqualem sibi, creatura verò pepererit. Nam & quòd dicitur Primogenitus omnis creaturæ, quod ibi πρωτότοκος Græcè legitur, potest ita intelligi secundum nouã creaturam, de qua dicit Apostolus, Si qua igitur in Christo noua creatura: ex qua ille primitiuus est, quia primitus ita resurrexit, vt iam nõ moriatur, nec ei mors vltrà dominetur, quod nouæ creaturę, quę in illo est, futurum promititur in fine. Sed ista distinctio non temerè affirmanda, sed in Scripturis diligentius perscrutanda est. Mouet enim quemadmodum dici potuit in Prouerbiis, Primogenite, tibi dico, fili: id est, ex cuius persona dictum intelligatur. Si enim ex Dei Patris persona ad Christum: cui sententiæ, vtrùm sequentia consonent, vix est asserere. Eundem dicit primogenitum, quem vnigenitum, quia etiam nos filii Dei sumus. Vnigenitum verò, quoniam solus ille de substantia Patris, & Patri æqualis atq; coæternus est. Mirum est autem, vtrùm inter parere & gignere euidentissimis documentis sacra Scriptura distingat. 2.Cor.5

Quomodo boues offerri iubeantur.

24 Et immolabis Paschа Domino Deo tuo oues & boues. quid sibi vult hoc, quòd addidit Boues, cùm immolationẽ Paschæ de oue tan- Deut.16

tummodo commendauerit, quam iussit accipi ex ouibus & hœdis vel ex capris? Quod mysticè accipitur propter Christũ, cuius ex iustis & peccatoribus est origo carnalis. Non enim ait ex ouibus aut capris, licet propriè non possent intelligi oues ex capris. Sed ne fortè ludçi dicerent subaudiendum caprum si dictum esset Aut ex capris, dictum est Ex ouibus & capris. Quid ergo hic sibi volũt boues? An propter alia sacrificia, quæ ipsis diebus azymorũ sunt immolanda?

Quomodo præcipiatur alia intermissio.

25 Deut.16 Quærendũ quomodo præceperit obseruari quod ait, Septem septimanas integras dinumerabis tibiipsi, inchoare te falcem mittere in messem. Incipies numerare septẽ septimanas, & facies diem festum septimanarum Domino Deo tuo, prout valet manus tua, quæcunque Dominus tibi dederit, secundum quod benedicet te Dominus Deus tuus, & epulaberis ante Dominum Deum tuum. Si enim ab vniuerso populo Lex hæc Pentecoste iussa est obseruari, nunquid omnes vno die credendũ est falcem iussos mittere in messem? Si autem sibi quisque obseruat istã quinquagesimam, dinumerans ab illo die quo falcem mittit, non vna est vniuerso populo: illa verò vna est quæ computatur ab immolatione Paschæ vsque in diem datę Legis in Sina.

Si rex præcipitur cẽ sibi ex fratribus, cur displicuit Deo eò quòd Saul rex eligitur.

26 Deut.17 Si autem intraueris in terram quam Dominus Deus tuus dat tibi in sorte, & hereditaueris eam, & habitaueris in ea, & dices, Cõstituam super me principes, sicut & cæteræ gentes quæ circa me sunt: constituendo constitues super te principem quem elegerit Dominus Deus tuus ipsum. Ex fratribus tuis constitues super te principem. Nõ poteris constituere super te hominem alienum qui non est frater tuus. Quæri potest cur displicuerit populus Deo, quando regem desyderauit, quum hic inueniatur esse permissus. Sed magis hic intelligendum est meritò non fuisse secundum voluntatem Dei: quia hoc fieri non præcepit, sed desyderantibus permisit. Veruntamen præcepit, ne fieret alienus, sed frater, id est ex eodem populo indigena, non alienigena. Quòd autẽ ait, Non poteris, intelligendum est, Non debebis.

Quomodo rex vetetur multiplicare vxores.

27 Deut.17 De rege cùm loqueretur ait, Non multiplicabit sibi vxores, vt non discedat cor eius, & argentũ & aurum non multiplicabit sibi valde. Vnde quæritur, vtrùm Dauid contra hoc præceptum non fecerit. Non enim vnam habuit vxorem. Nam de Salomone manifestum est, quòd transgressus fuerit hoc præceptũ, & in fœminis, & in auro & argento. Sed hinc potius intelligitur permissum fuisse regibus, vt plures haberent quàm vnã: multiplicari enim prohibiti sunt. Quæ prohibitio non haberet transgressionem si paucæ fuerint, sicut Dauid fuerunt: non autem multæ, sicut Salomoni. Quanuis quum addidit, Vt nõ discedat cor eius, hoc magis videtur præcepisse ne multiplicando perueniat ad alias fœminas, per quas factum est in Salomone vt discederet cor eius à Deo. Multiplicatio tamen generaliter ita prohibita est, vt etiam si ex Hebręis solis eas multiplicasset, contra hoc præceptum fecisse meritò argui posset. 1.Reg.11

Quæ sit pars præter venditionem.

28 Deut.18. Si autem superuenerit Leuites ex vna ciuitatum tuarum ex omnibus filiis Israel, vbi ipse incolit, secundum quod cupit anima eius, in locõ quem elegerit Dominus, id est, si desyderauerit ire ad locum vbi Dominus inuocatur, & ministrabit nomini Domini Dei sui, sicut omnes fratres eius Leuitæ, qui astãt ibi coram Domino: partem partitam edet præter venditionem, quæ est secundum familiam. Quam dicat venditionem, obscurum est. Nisi fortè quia decimationes & primogenita præcepit vendi ab eis qui in longinquo habitarẽt, ne multa cogerentur portare ad locum inuocationis Domini, vel pecora ducere vt illic ab eis denuò emerentur ex eodem pretio. Et iusserat habere ibi partem Leuitam, qui maneret in ea ciuitate, vnde illi decimationes & primogenita debebantur. Et ideo dixit secũdum familiam hoc deberi Leuitæ, quoniam ex successione, qua succeditur parentibus. hoc circa eum seruari oportet quod parentibus exhibitum est.

Quomodo portentorum inspectores prohibeantur, quum portenta Ecclesia inspiciat.

29 Deut.18 Quoniam portentorum inspectores prohibet esse in populo Dei: quærendũ est, quomodo ista portenta quæ inspici prohibentur, discernantur ab eis quæ Diuinitus ita dantur, vt quid significent dici debeat: sicut omnia miracula quæ in Scripturis reperiuntur, significantia quod pertineat ad regulam fidei. Sicut dicimus quid significauerit vellus in area cõpluta siccum, vel in ficca area complutum, aut virga Aaron quæ floruit & nuces attulit, & cætera huiusmodi. Sicut autem discernuntur diuinationes quas consequenter prohibet, à prædictionibus vel annuntiationibus Prophetarum, sic illæ inspectiones prodigiorum à significationibus Diuinorum miraculorum discernendæ sunt. Iudic.6 Numer.17

Quomodo Deo cooperemur præcipimur.

30 Deut.20 Quoniam Dominꝰ Deus vester qui præcedet vobiscum, simul debellabit vobiscum inimicos vestros, & saluos faciet vos. Ecce quemadmodum & in spiritalibus conflictibus sperandum & petendum est adiutorium Dei, non vt nos nihil faciamus, sed vt adiuti cooperemur. Sic enim ait, Debellabit vobiscum, vt & ipsos acturos quod agẽdum esset ostẽderet.

Quomodo cui domus non est dedicata id ei cauetur reuertendo ne moriatur in bello, &c.

31 Deut.20 Et loquentur Scribæ ad populum dicentes

tes, Quis est homo qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? Vadat & reuertatur in domum suam, ne moriatur in bello, & homo alius dedicet eam. Et quis est homo qui plantauit vineam, & non epulatus est ex ea? Vadat & reuertatur in domum, ne moriatur in bello, & homo alius epuletur ex ea. Et quis est homo qui sponsauit vxorem & non accepit eã? Vadat & redeat in domum suam, ne moriatur in bello, & homo alius accipiat eam. Possunt mouere ista, quasi meliore conditione moriantur in bello, qui iam dedicauerunt ædificia sua, iámque epulati sunt de nouellis, iámque duxerunt sponsas suas, quàm ii qui nondum. Sed quoniam his rebus tenetur humanus affectus, & magni æstimantur hæc ab hominibus, intelligendum est ad hoc ista dici in bellũ procedentibus, vt quisquis animo his tenetur, appareat cùm reuertitur, ne propter hoc minus fortiter agat, dum timet ne antè moriatur, quàm domum dedicauerit, aut de nouella sua biberit, aut sponsam suam duxerit. Nam vtique, quantùm ad fœminam pertinet, melius alteri nubet intacta quàm vidua. Sed hæc, vt dixi, instituta sunt propter virorum animos explorandos.

Quæ vasa retentur super mulierem.

32 Non erunt vasa viri super mulierem. Deut. 20 Vasa bellica vult intelligi, id est, arma. Nam quidam etiam hoc interpretati sunt.

Quomodo maior pœna significetur in muliere quàm in viro, si vterque deliquerit.

33 Deut. 22 Si autẽ quis acceperit vxorẽ, & habitauerit cum ea, & oderit eã, & imponat ei occasionis verba, & detulerit ei nomen malignum, & dixerit, Mulierem hanc accepi, & accedens ad eam non inueni eius virginalia. Et accipiens pater puellæ & mater, & producent virginalia puellę senioribus dicẽs, Filiam meam hanc dedi homini huic vxorem, & odio habens eam, ipse nunc imponit ei occasionis verba dicens, Non inueni filiæ tuæ virginalia: & ecce virginalia filiæ meę. Et replicabunt pallium coram senioribus ciuitatis illius, & accipient senes ciuitatis hominem illum, & castigabunt eum, & damnificabunt eum centum siclis, & dabũt patri adolescentulæ, quia protulit nomen malũ super virginem Israelitem: & ipsius erit vxor. non poterit dimittere eam perpetuo tempore. Si autem verum factum sit hoc verbum, & nõ inueniantur virginalia puellæ, & producent adolescẽtulam ad ianuam domus patris ipsius, & lapidabunt eam viri ciuitatis eius in lapidibus, & morietur: quoniam fecit impudentiam in filiis Israel, prostituere domum patris sui: & auferes malignum ex vobis ipsis. Satis hinc apparet quemadmodum subditas fœminas viris, & penè famulas Lex esse voluerit vxores, quòd dicens aduersus vxorem vir testimoniũ vnde lapidaretur illa, si hoc verum esse demõstraretur: ipse tamen non vicissim lapidaretur si hoc falsum esse constiterit: sed tantummodo castigatur & damnificatur, eíque perpetuò iubetur adhęrere, qua carere voluerat. In aliis autem causis cum qui testimonio falso cuiquam nocuerit, quod si probaretur iussit occidi, eadémque pœna plecti iubet, qua fuerat, si verũ esset, iste plectendus.

Quomodo violata iubetur retineri.

34 Deuter. 22 Si autem inuenerit aliquis puellam virginem, quæ sponsata nõ est, & vim faciens ei dormierit cum ea, & inuentus fuerit, dabit homo qui dormiuit cum ea patri puellæ quinquaginta didrachmata argẽti, & ipsius erit vxor, quia humiliauit eam, & non poterit dimittere eam per omne tempus. Meritò quæritur, vtrùm ista pœna sit vt non eam possit dimittere per omne tempus, quam inordinatè atque illicitè violauit. Si enim ad hoc intelligere voluerimꝰ eam non posse, id est, non debere dimitti per omne tempus, quia vxor effecta est, occurrit illud quod permisit Moses dare libellum repu- Deuter. 24 dii & dimittere. In iis autem qui illicitè vitiãt, noluit licere, ne ad ludibrium feciſſe videatur, & potius finxisse quòd eam vxorem duxerit, quàm verè placitóque duxisse. Hoc & de illa iussum est, cui vir fuerat calumniatus de virginalibus non inuentis.

Si Moabites vetatur intrare Ecclesiam Domini in æternum, quomodo Ruth intrauit.

35 Deuter. 23 Non intrabit Ammonites & Moabites in Ecclesiam Domini, & vsque ad decimam generationem non intrabit in Ecclesiam Domini, & vsq; in æternum. Quæstio est, quomodo intrauerit Ruth quæ Moabitis fuit, de qua etiam caro Domini originem ducit. Nisi fortè istam mysticè prophetauerit intraturã, quòd ait vsque ad decimam generationem. Computantur enim generationes ex Abraham, quando fuit & Loth, qui genuit Moabitas & Ammonitas ex filiabus, & inueniuntur cum ipso Abraham compleri decem generationes vsq; ad Salmon, qui genuit Booz, qui maritus secũdus fuit Ruth. Sunt enim istæ: Abraham, Isaac, Iacob, Iudas, Phares, Esrom, Aram, Aminadab, Naasson, Salmon. Salmon quippe genuit Booz, qui viduam duxit Ruth. ac per hoc videtur post decimam generationem genus feciſſe in Ecclesiam Domini, pariendo filios ipsi Booz. Sed cur additum sit, Et vsque in æternum, meritò adhuc quæritur. An quia deinceps nulla anima de Ammonitis & Moabitis intrabit in illam Ecclesiam populi Hebræorum, postea quam ista generatione decima Prophetia cõpleta est? An potius ita dictum est, Et vsque ad decimam generationem, vt omnino semper intelligi voluerit per denarii numeri quãdam vniuersitatem, vt hoc exposuerit quodammodo addendo & dicendo, Et vsque in æternum? Quòd si ita est, Ruth contra præceptum vetitum videtur admissa. An Ammonitas prohibuit admitti, non Ammonitidas, id est, viros non fœminas: maximè quia cùm euertissent Israelitæ ipsam gentem, omnes viros occidere iussi sunt: fœminas autem non nisi eas quæ noverant concubitum viri, quoniam ipsæ in for-

nicationem deduxerant populum: virgines autem saluas esse voluerunt, non eis imputantes culpam, qua cuerti illa gens meruit, quam etiã hic cõmemorauit, velut quæreretur cur Moabitas & Ammonitas admitti noluerit in Ecclesiam Domini. Subiũxit enim, Eò quòd non occurrerint vobis cum panibus & aqua in via cùm exiretis de AEgypto, & quia conduxerũt aduersum te Balaam filium Beor de Mesopotamia vt malediceret te. Has culpas nec tũc quãdo illa gens debellata est, fœminis imputarũt, quas saluas conseruare maluerunt.

Quomodo seruum fugitiuum restitui vetet.

36 Deut.23 Non tradas puerum dominò suo, qui appositus est tibi à domino suo. Non intelliges quòd dominus eius eum appositerit, id est, cõmendauerit: potius enim depositum diceret: sed appositum dixit à domino suo, id est, huic adiunctum, cùm ab illo abscessisset. Non ergo susceptus, sed reddi potius prohibuit fugitiuos. Hoc quidem putari potest, nisi intelligamus genti & populo ista dici, non vni homini: sed ex alia gente refugientem ad istam gentem, cui loquebatur hominem, à domino suo, id est à rege suo, reddi prohibuit. Quod etiam alieni 2.Reg.21 gena seruauit Achis rex Geth, quando ad eũ refugit Dauid à facie domini sui, hoc est, regis Saul. Apertissimè autem hoc explanat, cùm dicit de ipso refuga, In vobis habitabit in omni loco vbi placuerit ei.

Quomodo fornicationem omnem proscribat.

37 Deut.23 Non erit meretrix a filiabus Israel, & non erit fornicans à filiis Israel. Ecce vbi manifestè prohibuit fornicari & viros & fœminas, etiam cum non alienis coniugibus, peccatum est se demonstrans misceri non coniugibus suis, quãdo & meretrices esse, & ad meretrices accedere prohibet, quarum publicè venalis est turpitudo. In Decalogo autem Mœchiæ nomine non videtur hoc apertè prohibuisse: quoniam Mœchia non nisi adulterium intelligi solet. Vnde quid nobis videretur, ibi tractauimus. Sup. lib. 2. quæst. super Exodum quæst. 71

Quomodo mercedem meretricis & pretium canis vetat ad niti in domum Domini, & quod sit iumentum.

38 Deut.23 Non offeres mercedem meretricis, neque cõmutationem canis in domum Domini Dei tui ad omne votum: quoniã abhominatio Domino Deo tuo est & vtrunque. Quod ita intelligitur, quoniã abominatio Domino Deo tuo est: & hoc non vnum horum, sed vtrũque. De cane quippe vetat fieri commutationem primogenitorum, quam iubet fieri de aliis immundis animalibus, id est, equis & asinis, & si quid est eorum quæ adiuuant hominem, & Latinè à iuuando iumenta dicuntur. De cane autẽ noluit, & de porco. Et quare noluerit requirendũ est. Et si de omnibus talib⁹ voluit, quare solũ canẽ isto loco exceptũ fecerit. De mercede autẽ meretricis vt diceret, videtur ea esse causa quia superius prohibuerat esse meretricem de filiabus Israel, aut quenquam filiorum Israel vti meretrice. Et ne surriperet cogitationi expiari posse hoc peccatum, si aliquid inde offerretur in templum, dicendum fuit quòd sit abominatio Domino.

Quid sit illud, Et auferetis malignum ex vobis ipsis, an hominem, an vitium intelligat.

39 Deut.24 Morietur fur ille, id est, homo qui furatus est hominẽ: & auferetis malignũ ex vobis ipsis. Assiduè hoc dicit Scriptura, cùm iubet occidi malos. Qua locutione vsus est etiam Apostolus cùm diceret, Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare? Nonne de iis qui intus sunt vos iudicatis? Auferte malum ex vobis ipsis. Nam Græcus habet τὸν πονηρὸν, quod etiam hic scriptum est. Hoc autem potius malignum solet interpretari, quàm malum, Nec ait, τὸ πονηρὸν, id est, hoc malignũ, sed τὸν πονηρὸν, quod est hunc malignum. Ex quo apparet eum voluisse intelligi qui aliquid tale commisit, vt excommunicatione sit dignus. Hoc enim nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. Quanuis & aliter illud Apostolicum possit intelligi, vt vnusquisque malum vel malignum ex seipso sit iussus auferre. Qui sensus acceptabilior esset, si hoc malum vel hoc malignum, nõ autem hunc malignum in Græco inueniretur. Nunc verò credibilius est de homine dictum, quàm de vitio. Quanquam possit eleganter intelligi etiam homo auferre à se malum hominem, quemadmodum dictum est, Exuite vos veterem hominem. Quod exponens ait, Qui furabatur, iam non furetur. 1.Corin.5 Ephe.4

Quid cùm dicitur, Sacerdotes Leuitæ, innuatur.

40 Deut.25 Secundum Legem omnem quam iurauerint vobis Sacerdotes Leuitæ. Hic apparet omnem sacerdotem Leuitam fuisse, quãuis nõ omnis Leuites sacerdos fuerit.

Quomodo vetetur pignus intrare domum eius qui pignus dat, & quomodo restituat pignus debeat.

41 Deut.24 Si debitum fuerit in proximo tuo, debitum quodcunque, non intrabis in domum eius pignerare pignus: foris stabis, & homo apud quem debitum tuum est, proferet tibi pignus foras. Si autem homo eget, non dormies in pignore eius: redditione reddes ei vestimentum suum circa occasum solis, & dormiet in vestimento suo, & benedicet te, & tibi erit misericordia coram Domino Deo tuo. Non immeritò videtur ad opus misericordiæ pertinere, vt non intret pignerator in domum, ne fiat perturbatio debitori: sed ex hoc etiam ipsum debitorem admonet pignus foras proferre creditori. Quòd verò iubet egenti pignus eodem die restitui, vt in eo dormiat qui non habet vbi dormiat, meritò mouet, vt requiratur cur non potius creditori præceperit, vt non auferat pignus, quod eodem die oportet vt restituat. Quòd si ad compellendum debitorem fieri voluerit, quomodo se vrgeat ad reddendum, cùm sciat pignus eodem die se recepturum? An fortè hoc fieri voluerit propter memoriam ne obliuiscatur reddere, & tunc non reddat si verè non habuerit: maximè quia creditoris

creditoris sui misericordia vincitur, cui esse non debet ingratus, si pignus receperit in quo dormiat: simul & creditor quum non reddiderit debet eum credere non habere, quia hac etiã indiget misericordia, vt pignº ei propterea restituatur, quòd aliud nõ habet vbi dormiat?

Quid Non morientur patres pro filiis, &c.

42 Deut.24 Non moriẽtur patres pro filiis, & filii non morientur pro patribus. vnusquisque in suo peccato morietur. Ecce non solùm Prophetæ hoc dixerunt, verumetiam Lex dicit, sua culpa quenque interimendũ: non autem patris sui, aut filii sui. Quid est ergo quòd alibi dicitur, Exod.20 Deus reddens peccata patrum in filios, in tertiam & quartam progeniem? An de filiis nondum natis illud intelligitur propter originale peccatũ, quod etiã ex Adam traxit genus humanum: hìc autem de filiis iam natis est facta distinctio, vt vnusquisque in suo peccato moriatur? Non enim trahit aliquid ex patre, qui iam natus erat, quãdo pater eius peccauit. Sed cùm etiam ibi dicit, Iis qui oderunt me manifestum est etiam illam oditionem posse mutari, si filii parentum suorum facta non fuerint imitati. Nam & illud ex Adam temporaliter redditur: quia omnes propter hoc moriũtur, nõ autẽ inçternum eis qui fuerint per gratiam spiritaliter regenerati, in eáque permanserint vsque in finem. Quãuis & illud meritò quæri possit, si redduntur peccata patrum in filios qui oderunut Deum cur in tertiam & quartã generationem, velut prætermissa prima & secunda, vel non etiam in cæteras permanente impietate & imitatione malorum parentum? An per hunc numerum quoniam septnarius intelligitur, vniuersitatem significare voluit: & ideo nõ ipsum potius septenarium posuit, vt diceret in septimam generationem? Ac sic omnis intelligeretur: quia causam perfectionis huius numeri hoc modo potius intimauit. Ideo nanque perhibetur perfectus, quia ex his duobus constat, ternario scilicet primo impari toto, & quaternario primo pari toto. Vnde esse & illud Propheticum existimo, quod assiduè repetitur, In tribus & quatuor impietatibº nõ aduersabor: per quod voluit impietates vniuersas potius q̃ tres vel quatuor intelligi.

Cur postquam dixit, Non declinabis iudicium aduenæ & orphani & viduæ, adiecit solummodo de vidua, Non pignerabis vestem viduæ.

43 Deut.24 Non declinabis iudicium aduenæ & orphani & viduæ. Nõ pignerabis vestem viduæ. Cur non ait, Et non pignerabis vestimentum eorum? Quæ enim causa est, vt trium istorum iudicium declinare vetuerit, pignus autem auferri vestimentum solius viduæ non & illorũ: nisi quia iudicia omnium facienda propterea cõmendauit, quia nõ habẽt à quibus defendãtur, siue aduena, quia in terra aliena est, siue orphanus, id est, pupillº, quia parẽtibº caret, siue vidua, quia maritũ nõ habet? Pignus verò cùm prohibet vestimẽtum auferre viduç, puto quòd satis eleganter admoneat eas verè dicendas esse viduas, quæ etiam pauperes sunt. Id enim & Apostolus euidenter ostendit vbi ait, Si qua autem vidua filios & nepotes habet, discat primùm domum suam piè tractare: & mutuam vicem parentibus reddere. Hoc enim acceptum est coram Domino. Quæ autem verè vidua est & desolata, sperabit in Dominum, & persistet in orationibus nocte & die. Hanc verè viduam dixit, quæ non habet à quibus sustentetur, quia non solùm viro, sed etiam posteris atque omni ope destituta est. Diuitem quippe non diceret desolatam. Pauperi itaque pignus non est auferendum vestimẽtum. Nam & hoc ipso quòd vestimentum prohibet auferri, pauperem ostendit. Neque enim creditor non potius auferret argentũ, vel si quid aliud, quã vestimentum. Porrò si occurrerit animo, quid si multa habeat vestimenta non necessaria, sed superflua, quomodo intelligitur verè vidua? Hoc est non solùm desolata, verumetiam quæ in delitiis agit, quam subiecit dicẽs, Quæ autẽ 1.Tim.5. in delitiis agit viuens mortua est. Et hanc quippe oppositit tanquam econtrario veræ viduæ, tanquam talis non sit vera vidua. Quæcunque autem diuites alias nuptias experiri noluerũt, continentia in eis laudatur, nõ desolatio commendatur. Hæ quippe maritis tantùm viduatæ sunt, non aliis rebus.

1.Tim.5.

Quæ derelinqui, & quibus præcipiat.

44 Deut.24. Quòd admonet vt in messe oblitum manipulum nemo colligat, & oliuam vel vuam relictam nemo repetat diligentius neglecta colligere, & dicit egentibus dimittenda: occurrit forsitan cogitationi, quid si hæc quæ ab agrorum dominis dimittuntur, non egentes sed improbi colligant? Sed considerandum primò illum misericordiam facere, qui hoc animo dimittit, vt egentes habeant quod dimittitur. Deinde cùm hæc populo præcipiuntur, simul etiam admonentur ii qui non indigẽt, ista nõ quærere. Quòd si verò quæsierint, quid aliud quàm res alienas, & (quod grauius est) pauperũ inuadere iudicandi sunt? Vtrique ergo commonentur his præceptis, & quorum agri sunt, vt misericorditer ea relinquant, & qui indigẽtes non sunt, vt inde se abstineant, quando vtrunque dicitur, & à quibus dimittenda sunt, & quibus dimittenda sunt.

Quis intelligatur iudicare cùm dicitur, Si autem fuerit altercatio inter homines & accesserint ad iudicium, & iudicauerint, &c.

45 Deut.25. Si autem fuerit altercatio inter homines, & accesserint ad iudicium, & iudicauerint, & iustificauerint iustum. Iudices intelligẽdi sunt iudicare, non illi qui dicti sunt altercationem habere. Deinde sequitur, Et reprehenderint impium: & erit si dignus fuerit plagis qui impiè agit, constituent eum in conspectu iudicũ, & flagellabunt eum ante se secundũ impietatem eius Numero quadraginta flagellabunt e-

um,& nõ apponent. Si autem apposuerint flagellare eum super has plagas plures, deturbabitur frater tuus coram te valde. Aduertendum est cùm ea peccata plagis emendãda præceperit,quæ digna non sunt mortis supplicio vindicari & hoc tam paucis plagis:eum tamen qui cæditur appellauit impium vel impiè agẽtem, vt nouerimus non sicut plurimi loquuntur locutas esse Scripturas, quas incuriosius legimus,cùm putamus adulterium non esse impietatem, quia in hominem videtur peccasse qui hoc fecerit, quum illud peccatum morte plecti iubeat Lex, & his peccatis grauiores esse dixim⁹ impietates: quum sint earum quędã quæ per flagella plagis quadraginta puniũtur. Est itaq; leuis impietas,quę verbere digna est: & est grauior quę morte digna. Ita etiã illa peccata quæ non in Deũ,sed in hominem videtur admitti,sũt morte digna. Quædam sunt alia correptione, seu verbere, seu pœna faciliore. Ita enim locutos esse Septuaginta interpretes constat, vt etiã illius qui plagis dignus est, impietatem vocauerint.

Quomodo frater defuncti fratris vxorem ducat.

46 Si autem habuerint fratres in vnum, & mortuus fuerit vnus ex eis, semen autem non fuerit ei:vxor defũcti fratris non alteri nubet appropianti. Frater viri eius intrabit ad eam, & accipiet eam sibi uxorem,& cohabitabit ei. Et erit infãs quicunq; nat⁹ fuerit, cõstituetur ex defuncti nomine, & non delebitur nomen eius ex Israel. Videtur hoc præcepisse Lex de fratris vxore ducẽda non ob aliud nisi vt semẽ suscitet fratri, qui sine liberis defunctus est. Quòd autem ait, Constituetur ex defuncti nomine, & non delebitur nomen eius ex Israel, id est, nomen defuncti:ex hoc videtur dictum, vt ille qui nascitur, hoc nomine appelletur, quo appellabatur defunctus, cui quodãmodo propagatur. Vnde nobis visum est, magis secundum adoptionis morem soluere in Euangelio quæstionẽ de duobus patribus Ioseph, quorũ vnum cõmemorat Matthæus,eum scilicet qui genuit Ioseph, alterum Lucas, cuius filius erat Ioseph:quoniam nullius eorum nomen Ioseph accepit. Nisi fortè hoc dictum est, Constituetur ex defuncti nomine,non vt eius nomen accipiat,sed vt eius nomine, id est,tanquam filius, non eius cuius semine est genitus, sed illius defuncti cui semen suscitatũ est, hæres constituatur. Quòd enim additum, Et nõ delebitur nomen eius ex Israel,potest ita intelligi,non quòd nomen eius puer consequenter accipiat:sed quòd ille nõ sine posteritate mortuus esse videbitur, & ideo permanet eius nomen, hoc est, memoria. Neque enim etiam si ipse filiũ genuisset, nomen suũ ei fuerat impositur⁹, vt nomẽ eius non deleretur ex Israel:sed ex hoc vtique nõ deleretur,quia nõ sine liberis ex hac vita emigraret: & hoc iubetur in eius vxore frater ei⁹ implere, quod ille non potuit. Nam etsi frater non fuisset, & propinquus ducebat vxorem eius qui sine filiis mortuus esset,ad suscitandũ semen fratri suo:sicut fecit Booz ducendo Ruth, vt semen excitaret propinquo suo,cuius fuerat illa vxor, nec de illo pepererat. Et tamen qui de illa natus est,ex nomine quidem defuncti constitutus est, quia filius eius est dictus: atque ita factum est vt nomen defuncti non deleretur ex Israel, nec tamen eius nomine appellatus est. Quæ cùm ita sint, abundantius duobus modis solui potest Euangelica quæstio, vt vnus eorum, quos diuersos commemorant Matthæus & Lucas, ita fuerit propinquus alteri ad ducendam eius vxorem, vt alios etiam sursum versus parentes atque maiores iste, alios ille habere potuerit. Nam si fratrum filii fuissent, vnum habuissent auum:quod non ita est. Nam secundum Matthæum Mathan est auus Ioseph,secundum Lucam verò non Mathan,sed Mathath. Quòd si quisquam putet tantam similitudinem nominis esse,vt ab scriptorib⁹ in vna litera erratum sit, vt fieret tam parua & penè nulla diuersitas: quid de istorum patribus dicturus est? Nam secundum Lucam Mathath filius fuit Leui, secundum Matthæum autem Mathan ex Eleazar genitus inuenitur: atque ita inde sursum versus diuersi sunt patres & aui.& deinde maiores vsque Zorobabel, qui ferè est vigesimus sursum versus ad Ioseph apud Lucã.apud Matthæum autem vndecimus. Qui propterea ideo ipse esse creditur, quia pater eius apud vtrunque Euangelistam Salathiel inuenitur: quanuis fieri potuerit,vt alius fuerit eodem nomine,habens eiusdem nominis patrem, cuius & ille habuit. Nam & inde sursum versus diuersi sunt: alium quippe habet Zorobabel auum apud Lucam, qui est Neri, alium apud Matthæum,qui est Iechonias:atque inde superius nusquam est consonantia,quousque veniatur ad Dauid apud Matthæum per Salomonem, apud Lucam per Nathan. Difficilimum autem videtur,non fuisse aliquem propinquiorem qui duceret vxorem fratris sui, quàm eum qui ex Dauid esset consanguineus tam longinquo gradu, non aliqua infrà propinquitate coniunctus, cùm sit apud Lucam Dauid penè quadragesimus à Ioseph, apud Matthæum autem ferè vigesimusseptimus. Aut si propinqui ad vxores defunctorum ducendas etiam illi quærebãtur, qui ex fœminarum sanguine propinquabant, fieri potuit vt esset aliquis ita propinquans,qui Ioseph genuerit de vxore propinqui sui, qui sine liberis discessit, ac si ei esset alter ex natura pater, alter ex Lege: in quorum patribus & auis & deinde maioribus, ideo nulla propinquitas appareret,quòd non ex maribus,sed ex fœminis propinquarent. Veruntamen si ita esset,vt Dauid aliquando vnus pater occurreret, aut si quisquã potuisse cõtendat,vbi ponimus quòd cõsue-

Ruth 4

Soluit quæstionem Euangelicam de duobus patribus Ioseph

consuetudo Scripturæ non est fœminas in genealogia pro maritis ponere, sicut eas nullus Euangelista interposuit. Vbi enim commemorãtur matres, non ponuntur nisi cum patribus: ac per hoc aut ita propinquior defuit ad vxorem defuncti sibi copulãdam, vt origo cognationis à Dauid repeteretur, aut adoptio fecit alterum patrem, quem posset habere Ioseph.

Quomodo laudetur qui de decimis loquens dicit, Non dedi ex eis mortuo.

47 Quid est quòd inter illa quæ iubet dicere hominem, qui in dandis decimis, & quæcũque dare vel impendere iussus est, omnia mandata compleuit, etiam hoc cum laude & commendatione sui dicere iubetur, Nõ dedi ex eis mortuo. An per hoc prohibet parẽtalia, quæ obseruare gentes solent? Deut.26

Quid sit, Ite in dexteram, &c.

48 Non præteribis ab omnibus verbis quæ ego mando tibi hodie, in dextera aut in sinistra, ire post deos alienos seruire illis. Quæri potest quomodo possit intelligi ire in dextera, qui post deos alienos ierit seruire illis, quum dextera in laude ponatur, illud autem nunquã laudabiliter fieri possit. Nam & quod reprehenditur in via vitæ, quæ declinat in dextera, non ibi ea reprehenduntur quæ dextera sunt: sed ille qui declinat in ea, id est, qui sibi arrogat quæ Dei sunt. Ideo dicitur in Prouerbiis, Nõ declines in dextera aut in sinistra. Vias enim quæ à dextris sunt nouit Dominus, peruersæ autem sunt quæ à sinistris. Ergo bonæ sunt dexteræ quas nouit Dominus. Nouit enim Dominus vias iustorum, sicut in Psalmo legitur. Cur ergo dictum sit, Ne declines in dextera, consequenter ostendit addendo, Ipse enim rectos faciet cursus tuos. Absit autem vt dexteras quas nouit Dominus, negemus esse rectas, sed vt dixi declinare in eas, est non illius gratiæ, sed sibi tribuere velle quod rectum est. Deinde, vt dixi, adiungit & dicit, Ipse enim faciet rectos cursus tuos, & omnia itinera tua in pace producet. Quapropter hoc quod isto loco Deuteronomii, de quo agim⁹, dictum est, Nõ præteribis ab omnibus verbis, quæ ego mãdo tibi hodie, in dextera aut sinistra ire post deos alienos seruire illis, non ideo dictum est, quia dii alii possunt etiam in dextris accipi. sed aut terrena loca significata sunt, quia & in dextera & in sinistra habebãt gentes alios deos colentes, aut hoc de diis alienis separatim pronũtiandum est, vt duo sint sensus, vnus videlicet, Nõ præteribis ab omnibus verbis, quę ego mãdo tibi hodie dextera aut sinistra, secundum illum scilicet intellectum, quem suprà exposui. Alius autẽ sit sensus, Ire post deos alienos, seruire illis, vt & hic subaudiatur, Non præteribis ab omnibus verbis, quę ego mando tibi hodie. Quem totum sensum si dicere velimus, superiora verba, quæ vtrique sensui sunt communia, repetituri sumus: vt quomodo illic dicitur, Nõ præteribis ab omnibus quæ ego mãdo tibi hodie, ire post deos alienos seruire illis. Prætereundo enim à verbis, quæ mãdata sunt, etiam hoc fit vt eatur post deos alienos. Nõ enim hoc solum mandatum est, aut hoc solum præteriri Deus nõ vult quod mãdauit, ne post deos alienos eatur: sed omnia quæ mandauit. Hoc tamen ita præcipuè, vt post generalitatem præcepti, quo admonuit nõ esse prætereũdum ab omnib⁹ verbis mandatorum suorum, etiam hoc seorsum cõmendare voluerit. Potest hoc quod ait, Dextera aut sinistra etiam sic intelligi, vt nec eorum causa, quæ propter felicitatem appetuntur, nec eorum, quę propter infelicitatem fugiuntur, ire mandauerit post deos alios, id est, nec pro iis quæ amãtur, nec cõtra ea quę odio habentur, à diis aliis auxilium esse poscẽdum. Aut certè illo modo veluti consulantur, quò prosint vel placentur ne noceant. Nam & de quibusdam scriptum est in Psalmo, Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis: ideo quia iis rebus opinantur fieri hominem beatum, quas & boni & mali possunt habere. Et ideo dextera est iniquitatis, quia iniqui sunt, quicam dexteram putant. Non enim est rectè vera dextera, sed dextera est eorũ, quorũ os locutũ est vanitatẽ. Beatũ dixerunt populum cui hæc sunt, cùm potius sicut mox adiungit & docet, Beat⁹ populus cuius Dominus Deus ipsius. Hæc est vera dextera equitatis, non iniquitatis. Nõ est ergo eundum post deos alienos, neque in dextera, vt existimet homo ex ipsis se fieri beatum, neque in sinistra, vt existimãdo ipsis aduersantibus se fieri miserum, ad hoc eos colat vt auertat. Aut certè si dextera intelligamus æterna, sinistra verò temporalia bona, nec propter illa, nec propter ista eos colendos sancta Scriptura hoc loco admonuisse credatur.

Deut.28 Prouer.4 Psalm.x Psal.143

Quomodo Deuteronomion inuocatur dictum, quasi secunda Lex, seu secundum testamentum.

Hæc verba testamenti, quod mandauit Dom⁹ Mosi statuere filiis Israel in terra Moab, præter testamẽtum quod testatus est eis in Oreb. Ostendit vnde appellatus sit liber Deuteronomion, quasi secunda Lex, vbi magis illius repetitio est, quàm aliquid aliud. Pauca enim sunt quæ ibi non sunt in eo quod primum datũ est: nec tamẽ appellãtur hæc duo testamẽta, quanuis ita hęc verba sonare videãtur. Vtrunque enim vnum est testamẽtum, quod in Ecclesia dicitur vetus. Nam si propter hæc verba duo testamenta dicenda essent, iam non duo, sed plura essent excepto nouo. Et in multis enim locis Scriptura dicit testamentum, sicut illud quando factum est ad Abraham de circũcisione, vel illud superius ad Noe. 49 Deut.29 Gene.17 Gene.16

Si Dominus negetur dedisse filiis Israel oculos videre, &c. quomodo dicantur ergo vidisse signa, &c.

Et vos vidistis omnia quæcunque fecit Dom⁹ De⁹ vester in terra Aegypti, corã vobis Pharaoni, & omnibus seruis eius, & omni terræ 50 Deut.29

illi⁹, tẽtationes magnas quas viderũt oculi tui, signa & prodigia illa magna, & manum validã: & non dedit Dominus Deus cor scire, & oculos videre, & audire aures vsque in diem istam. Quomodo ergo ait superi⁹, Vos vidistis tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, si non dedit Dominus eis oculos videre, & aures audire? Nisi quia viderunt corpore, & corde non viderunt, quia oculi dicuntur & cordis: propterea inde cœpit, Et nõ dedit Dominus Deus vobis cor scire. Ad hoc pertinent duo quæ sequuntur, & oculos videre, & aures audire, id est, intelligere & obtemperare. Quòd verò dicit, Et non dedit Dominus Deus vobis: nullo modo increpans & arguens hoc diceret, nisi ad eorũ quoque culpam pertinere intelligi vellet, ne quisquã se ex hoc excusabilem putet. Simul enim ostẽdit & sine adiutorio Domini Dei eos intelligere & obedire nõ posse oculis cordis, & auribus cordis. Et tamẽ si adiutoriũ Dei desit, nõ ideo esse excusabile hominis vitiũ, quoniã iudicia Dei quãuis occulta, tamẽ iusta sũt.

An vnum, & quantum secum tulerint Israelitæ.

51 Et adduxit vos quadraginta annis in deserto: non inueterauerunt vestimenta vestra, & calceamenta vestra non sunt attrita à pedibus vestris: panem non manducastis, vinum & siceram non bibistis, vt sciretis, quia iste Dominus Deus vester. Hinc apparet tantum vini in suis impedimentis potuisse portare Israelitas, quando exierunt de Ægypto, quod possent citò consumere. Nam si omnino nihil secũ tulissent, vnde esset illud de quo dictũ est, Sedit populus mãducare & bibere, & surrexerunt ludere? Non enim hoc de aqua diceretur, cùm & ipsius Mosi manifestissima verba sint nõ fuisse illam vocẽ principium belli, sed principiũ vini.

Deut.29

Exod.32

Quomodo intelligenda sint verba illa, Nunquid est aliquis inter vos, vir aut mulier &c.

52 Nunquid est aliquis inter vos vir aut mulier, vel famulus vel tribus, cuius mens declinauit à Domino Deo vestro, ire seruire diis gentium illarum? Nequam est in eo radix, rursum germinans in felle & amaritudine. Et erit cùm audierit verba maledictionis huius, & opinabitur in corde suo dicens, Sancta mihi fiant, quoniam in errore cordis mei incedo, vt non simul perdat peccatorem, & eum qui sine peccato est: nollet Deus propitiari ei, sed tunc incendetur ira Domini Dei, & zelus eius in homine illo, & adhærebunt in eo omnia maledicta testamenti huius, quæ scripta sunt in libro Legis huius. Ita dictum est, Nunquid est in vobis, vt tanquam requirentem intelligamus, ne fortè sit. Si quis autem esset, eum terruit vehementer, ne fortè quisquam diceret in corde suo audiens illa maledicta, Sancta mihi sunt, id est, maledicta sancta mihi sunt, quoniam in errore cordis mei incedo: id est, absit vt mihi ista eueniant, non mihi sint hæc mala, sed sancta, id est, propitia & innoxia, quoniam in errore cordis mei incedo, eundo scilicet post

Deut.29

deos gẽtium, & eis tanquã impunè seruiendo. Non, inquit, erit sic. Non perdat simul peccatorem & eum qui sine peccato est. tãquã diceret, Cauete ne cui vestrũ talia persuadeat, qui talia cogitat. Nollet Deus propitiari ei, siue talia cogitanti, siue illi cui talia fuerint persuasa, sicut ipse opinatus est dicẽdo, Sãcta mihi sint: & quasi hoc modo auertẽdo à se vim illius maledicti. Sed tunc accendetur ira Domini, & zelus eius in homine illo, quando putauit se auertere ista in corde suo dicendo, Et adhærebunt in eo omnia maledicta testamenti huius, quæ scripta sunt in libro Legis huius. Nõ possunt quidem omnia euenire vni homini. Nõ enim etiã totiens mori potest, quot genera mortis hîc dicta sunt: sed Omnia dixit pro quibusli bet, vt non sit immunis ab omnibus, cui euenerint aliqua eorũ quibus pereat. Quod autẽ ait, Vt non simul perdat peccatorẽ, & eum qui sine peccato est: quod Græcus habet ἀνὰ μάρτητον, non sic accipiendum est, tanquã ab omni prorsus peccato mundum & immunem, hoc dixerit ἀνὰ μάρτητον, id est, sine peccato: sed eum qui sine peccato esset, de quo loquebatur Dominus in Euangelio, Si non venissem & eis locutus non fuissem, peccatũ nõ haberẽt: non vtique omne, sed hoc peccatũ quo non crediderunt in eũ. Dicit etiã De⁹ ad Abimelech de Sara vxore Abrahæ, Scio quia mundo corde fecisti hoc: nõ vtique mundũ illius cor ita voluit intelligi, vt similis eis esset de quibus dictũ est, Beati mundo corde, quoniã ipsi Deum videbunt: sed ab illo peccato de quo agebatur, mũdũ cor habebat, quoniã quantũ ad ipsum pertinebat, non concupiuerat coniugem alienam.

Ioan.15

Matth.5

Quomodo gratia euidenter promittatur.

Et circumpurgabit Dominus cor tuũ, & cor seminis tui, diligere Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, vt viuas tu. Euidens pollicitatio gratiæ: promittit enĩ Deus se esse facturum, quod solet iubere vt fiat. 53 Deut.30

Quomodo facilitas Legis suadeatur.

Quia mandatũ est hoc quod ego mando tibi hodie, non est supra modũ, neque longè abs te est. nõ in cælo est, dicens, id est, vt dicas, Quis ascẽdet nobis in cælum, & accipiet nobis illud, & audientes illud faciemus? Neque trans mare est, dicẽs, id est, vt dicas, Quis transfretabit nobis trans mare, & accipiet nobis illud, & audiẽtes illud faciemus? Propè est verbum hoc valde in ore tuo & in corde tuo, & in manib⁹ tuis facere illud. Hoc esse verbum fidei dicit Apostolus, quod ad nouum pertinet Testamẽtum. Sed quæri potest, cur ea superius mãdata dixerit, quæ scripta sunt in libro Legis huius: nisi quia iis omnibus spiritalia significãtur ad nouũ Testamentum pertinentia, si bene intelligantur? Item quæri potest, cur quod hîc positum est, Neq; trãs mare est, vt dicas, Quis trãsfretabit nobis trans mare, & accipiet nobis illud: Apostolus dixerit, Quis descendet in abyssum: atque id exponẽs adiunxerit, Hoc est, Christum

54 Deut.30

Rom.10

Christū à mortuis reducere, nisi quia mare appellauit totā in hoc seculo vitā, quę morte trāsitur, vt quodam modo mare finiatur, & trans mare mors ipsa appelletur, velut trans istam vitam, quæ maris vocabulo significatur. Deinde quod hîc additum est, Et in manibus tuis: non ait Apostolus, nisi In ore tuo, & in corde tuo. Galat.5 Et hoc vsque ad finē executus est, dicens, Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Meritò quod ex Hebræo translatum est, quantum à nobis inspici potuit, non habet In manibus tuis. Nec frustra tamen hoc à Septuaginta interpretibus additum existimo, nisi quia intelligi voluerunt etiam ipsas manus, quibus significantur opera in corde accipi debere, vbi fides, quæ per dilectionem operatur. Nam si forinsecus ea quæ Deus iubet manibus fiant, & in corde non fiant, nemo est tam insulsus qui præcepta arbitretur impleri. Porrò si charitas, quę est plenitudo Legis Dei, habitet in corde, etiā si manibus corporis quisquam nō possit operari, pax illi est vtique cum hominibus bonæ voluntatis.

Qui sint filii vituperabiles seu maculati, & quomodo Græce dicantur.

55 Peccauerunt nō ei filii vituperabiles. Quod Deut.32 in Græco est τέκνα μωμητὰ, quidā interpretati sunt hoc, id est, filii vituperabiles, quidam filii commaculati, quidam filii vitiosi. Vnde non magna quæstio, imò nulla est. Sed illud meritò ad quærendum mouet, si generaliter dictum est, Peccauerunt non ei, quoniam qui peccat non peccat ei, id est, non Deo nocet, sed sibi: quomodo intelligendum sit, quod in Psalmo Psalm.50 legitur, Tibi soli peccaui. Et in Hieremia, Tibi peccauimus, patientia Israel Domine. Et iterum in Psalmo Psal.40, Sana animam meam, quia peccaui tibi. Et vtrùm hoc sit peccare Deo, quod peccare in Deum. Vnde ait Heli sacerdos, 1.Reg.2 Si in Deum peccauerit homo, quis orabit pro eo? Dicam ergo interim, quid mihi in præsentia videatur. Intelligent fortassè aliqui melius qui melius hæc sapiunt, aut etiam nos alio tempore quantum adiuuerit Dominus. Peccare in Deum, est in iis peccare quæ ad Dei cultum pertinent. Nam hoc quod commemoraui nihil aliud indicat. Sic enim peccabāt filii Heli, quibus hoc pater eorum dixit: sic existimandum peccari etiam in homines qui pertinēt ad Deum. Nam hoc Deus legitur dixisse ad Abi- Gene.20 melech de Sara, Propterea peperci tibi ne peccares in me. Peccare autem in Domino, vel potius peccare in Dominū, nisi fortè alicubi scriptum occurrat quod huic sensui resistat, ii mihi videntur nō immeritò dici, qui piam pœnitentiam peccati sui nō agunt, vt glorificetur ignoscens Dominus. Causam quippe reddens Psal.50 Dauid, cur dixerit, Tibi soli peccaui, & malum corā te feci: subiecit & ait, Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Siue cùm Esaiæ 5 dicit Deus, Iudicate inter me & vineā meā: siue de Domino Iesu Christo intelligatur, qui solus veriſſimè dicere potuit, Venit enī princeps huius mundi, & in me nō habet quidquam, id est, quidquā peccati, quod morte sit dignum. Sed vt cognoscat mundus, quia diligo patrē, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio: surgite eamus hinc. tanquam diceret, Etiam si leuissima peccata mortis supplicio persequatur princeps mundi, & in me non habebit quidquam: sed surgite eamus hinc, id est, vt patiar: quia in eo quod patior, volūtatem impleo Patris mei, non pœnam soluo peccati mei. Et quod Hieremias ait, Tibi peccauim⁹, patientia Israel: Domino vtique suppliciter dicitur in pœnitentia cum spe salutis & veniæ. Et quod dictū est, Sana animam meam, quia peccaui tibi, hoc idem agitur, vt Deus ignoscendo glorificetur, quia magna est eius misericordia super confitentes sibi & redeuntes ad se, qui dicit se nolle mortē Ezech.33 peccatoris, sed tantùm vt reuertatur & viuat. Hinc & ipse Dauid, non in Psalmo, verumetiā cùm eum Deus argueret per Prophetam, non sine spe propitiationis Domini respōdit, Pec- 2.Reg.12 caui Domino. Medico enim vulneratus videtur quodam modo, qui vt sanetur se subdit manibus medici, vt in eo medicinæ opus impleatur. In hoc autem cantico præuidebat Prophetа futuros quosdā qui sic fuerāt peccaturi, Deum offendēdo magnis iniquitatib⁹ suis, vt nec pœnitentiam agere vellent, & ad Deum redire vt sanarentur. De quibus etiam alibi dicitur, Quoniam caro sunt, & spiritus ambulans & nō Psalm.77 reuertens. Potest etiam sic intelligi, Peccauerunt, non ei: secundum id quod non ei nocuerunt peccato suo, sed sibi.

Quid significationis habeat benedictio Mosi, qua benedixit Israel.

Et hæc benedictio, qua benedixit Moses ho- 56 Deut.33 mo Dei filios Israel, priusquam defungeretur. Et dixit, Dominus ex Sina venit, & alluxit ex Seir nobis: festinauit ex monte Pharan cū multis millibus Cades. Ad dexterā eius Angeli ei⁹ cum eo, & pepercit populo suo. Et omnes sanctificati sub manus tuas: & ii sub te sunt. Et accepit de verbis ipsius Legem, quam mandauit nobis Moses, hæreditatem congregationis Iacob. Et erit in dilecto princeps, congregatis principibus populorum simul cum tribubus Israel. Non negligenter prætereunda est ista Prophetia. Apparet quippe ista benedictio ad nouum populum pertinere, quem Dominus Christus sanctificauit, ex cuius persona ista dicuntur à Mose, non ex persona ipsius Mosi: quod in consequentibus euidenter apparet. Nam si propterea dictum est, Dominus ex Sina venit, quia in mōte Sina Lex data est, quid sibi vult quod sequitur, Et alluxit ex Seir nobis, cùm Seir mōs Idumææ sit vbi regnauit Esau? Deinde cū Moses filios Israel benedicat his verbis, sicut Scriptura prædicit, quomodo idem dicit, Et accepit de verbis ipsius Legem quam mandauit nobis Moses? Nimirum ergo Prophetia est, vt diximus, populum

nouum Christi gratia sanctificatũ prænũtians: ideo sub nomine filiorum Israel, quia semẽ est Abraham, hoc est, filii sunt promissionis, & interpretatio eius est, videns Deum. Dominus ergo qui ex Sina venit, Christus intelligendus est, quoniam Sina interpretatur tentatio. Venit ergo ex tentatione passionis, crucis, mortis. Et alluxit ex Seir. Seir interpretatur pilosus, quod significat peccatorem. Sic enim natus est
Gene.25 Esau odio habitus: sed quoniam qui sedebant
Esa.9 in tenebris & in vmbra mortis, lux orta est eis: ideo alluxit ex Seir. Simul etiam non absurdè intelligitur esse prædictum, ex gentibus quæ significantur per nomen Seir, quia mons est pertinens ad Esau, vẽturam gratiam Christi popu
Roma.11 lo Israel. Vnde dicit Apostolus, Ita & ii nunc non crediderunt in vestra misericordia, vt & ipsi misericordiam consequantur. Ipsi ergo dicunt, Alluxit ex Seir nobis, & festinauit ex mõte Pharan, id est, ex monte fructifero. Id enim interpretatur Pharan, quo significatur Ecclesia. Cum multis millib⁹ Cades. Et mutata interpretatur Cades, & sanctitudo. Mutata sunt ergo multa millia, & sãctificata per gratiam, cum quibus venit Christus ad Israelitas postea colligendos. Sequitur & dicit, Ad dexteram eius Angeli cum eo. Hoc non indiget expositione. Et pepercit, inquit, populo suo, donans remissionem peccatorum. Inde ad ipsum conuertit sermonem atque ait, Et omnes sanctificati sub manus tuas, & ii sub te sunt. Non vtique superbientes & suam iustitiam volentes constituere, sed agnoscẽtes gratiam, vt iustitiæ Dei subiiciãtur. Et accepit, inquit, de verbis ipsius Le-
Ioel.2 gem: populus vtique de quo ait, Et pepercit populo suo. Accepit ergo de verbis ipsius Legem, quam mãdauit, inquit, nobis Moses, hoc est, populus eius de verbis eius accepit Legem, quia de doctrina eius intellexit Legem, eamipsam quam mandauit nobis Moses. Ipse quip-
Ioan.5 pe ait in Euangelio, Si crederetis Mosi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit. Nõ enim accepit populus ille Legem quam non intellexit, sed tunc accepit quando intellexit de verbis eius, carens velamine veteri, conuersus ad Dominum. Hanc dicit hæreditatem congregationis Iacob, quæ intelligenda est non terrena, sed cælestis, non temporalis, sed æterna. Et erit, inquit, in dilecto princeps, ipse vtique in dilecto populo erit princeps Dominus Iesus cõgregatis principibus populorum, id est, gentium simul cum tribubus Israel, vt impleatur quod suprà dictum est, Lætamini gentes simul
Roma.11 cum populo eius: quia cæcitas ex parte Israel facta est, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret.

Quomodo de Ioseph benedicens dicat, Primogenitus, tauri pulchritudo eius, &c.

Deut.33 57 Quum Ioseph benediceret, ait inter cætera, Primogenit⁹ tauri pulchritudo eius. Quod non ita legendum est, tãquam diceret, Primogenitus tauri: sed quum sit primogenitus, pulchritudo ei⁹ pulchritudo tauri est, propter cru cis cornua de Domino intelligitur figuratum.

EIVSDEM DIVI AVRELII Hipponensis Episcopi, liber sextus quæstionum super Iosue.

Quomodo Moses in gratia probetur defunctus dicendo, Sicut eram cum Mose, &c.

DOMINVS dicit ad Iesũ Naue, Et sicut eram cum Mose, ita ero & tecum. Non solùm autem hoc testimonio, sed etiã in Deuteronomio multis documentis approbatur Moses ita defunctus, vt Dei famulus & Deo placens, quanuis in eo illa vindicta completa sit, ne terram promissionis intraret. Ex quo datur intelligi Dominum etiam bonis seruis suis in aliquo succensentem & tẽporaliter vindicare, & tamen eorum habere numero, qui sunt in domo eius vasa in hono- 2.Tim.2
re vtilia Domino, quibus daturus est promissa Sanctorum. 1 Iosue.1

Quomodo si Dominus erat cum ipso Iosue, seu Iesu Naue, ipse aliter dispositit quàm euenit.

Quæstio est, quomodo posteaquam locu- 2 Iosue.2
tus est Dominus ad Iesum Naue, exhortans & confirmans eum, séque promittens cum illo futurum, mãdauerit idem Iesus populo per Scribas vt præpararent cibaria, quòd post tres dies Iordanem fuerant transituri, quum inueniãtur post multò plures dies transisse Iordanẽ. Cùm enim hæc populo mandasset, misit exploratores in Hiericho, quoniam Iordane traiecto ipsa proxima ciuitas occurrebat. Illi autem diuerterunt ad Raab mulierem fornicariam, & ab illa occultati atque à rege quæsiti & minimè inuenti, eadem dimittente illos per fenestram, & monente vt triduo laterent in montanis, quatuor dies videntur esse consumpti. Inde posteaquam nuntiauerunt quæ circa illos gesta fuerint, promouit Iesus cum populo vniuerso, de loco vbi erat, diluculo. Qui quum venissent ad Iordanem, diuertit & mansit: tunc rursus populus admonetur vt post triduum se præpararet transire Iordanem arca Domini præcedente. Hinc ergo intelligitur humanam fuisse dispositionem quam fecit populo nuntiari, vt cibaria præpararent, tanquam post tres dies memoratum fluuium transituri. Potuit enim hoc sicut homo sperare fieri posse, si exploratores celeriter reuertissent. Quibus tardantibus intelligitur, quanuis Scriptura tacuerit, ex Diuina dispositione cætera impleta, vt iam inciperet apud populum glorificari Iesus & ostendi, quòd cum illo Dominus esset, sicut fuerat cum Mose. Nam & hoc illi dicitur fluuium transituro, sicut scriptum est, Et dixit Dominus ad Iesum, In die isto incipiam exaltare te coram omnibus filiis Israel, vt sciant quoniam sicut eram cum Mose, sic ero & tecum. Nec incredibile debet videri etiam illos

sos cum quibus Deus loquebatur, aliquid ex humana dispositione agere voluisse, in qua sibi Deum tamen fidere̅t esse rectorem, eorumque ex illius à quo regebantur prouidẽtia, consilia fuisse mutata. Nam & Moses ipse vtique tanquam homo putauerat esse faciẽdum, vt causas populi sic audiret, quẽadmodum & sibi & illis onus intolerabile subeundo prodesse non posset, ciúsque dispositio Diuinitus, & hocipsum socero eius suggerente & monente, atque hanc admonitionem Deo approbante mutata est.

Quare de longè iubeantur arcam præcedere, & quomodo columna nubis non amplius præcesserit.

3 Scribæ populo dicunt, Quum videritis arcam testimonii Domini Dei vestri, & sacerdotes vestros & Leuitas tollentes eam, proficiscimini de locis vestris, & ite post eam: sed longum interuallum sit inter vos & illam, quantum duo millia cubitorũ stabitis: ne appropinquetis ei, vt sciatis viã quam ibitis in eam. Non enim abistis viã ab hesterna & nudiustertiana die. De longè iussum est arcam præcedere, vt posset à populo videri. Tam grande quippe agmen, si post eam proximum pergeret, non eam videret preire, nec nosset quà sequeretur. Ex hoc autem facto intelligẽdum est, quòd columna illa nubis, quæ solebat mouendis castris signum dare & iter ostẽdere, iam recesserat, nec eis apparebat. Hinc factum vt etiam triduum illud ex humana dispositione prædiceretur. Nũc ergo duce Iesu arcam Domini sequuntur nube subtracta, tanquam velamine ablato. Iordanis autem plenus erat per totã crepidinem suam, sicut in diebus messis tritici. Hoc incredibile videtur regionibus nostris. Ibi autẽ, sicut perhibent qui nouerunt, initio veris est messis tritici. Tũc autem ille fluuius repletur amplius quàm per hyemem. *iosue 3*

Quomodo lapides dicantur memoriale in æternum cum filiis Israel futuri.

4 Et erunt vobis lapides isti in memoriale filiis Israel vsque in æternum. Quomodo in æternum, cùm cælum & terra transeãt? An quoniam æternũ aliquid significant ii lapides, cùm ipsi æterni esse non possint. Quanquam possit quod in Græco ἰὼς τοῦ αἰῶνος, dici Latinè, Et vsque in seculum: quod non est consequens vt intelligatur æternum. *iosue 4* *Matth. 24*

Quomodo arca dicatur testamenti & testimonii.

5 Et dixit Dominus ad Iesum dicens, Manda sacerdotibus portantibus arcam testamenti testimonii. Solet dici arca testamenti, vel arca testimonii, nunc dicta est arca testamenti testimonii, vt non solùm arca, sed etiam ipsum testamentum, appellaretur testamẽtum testimonii. Hinc enim dicit Apostolus, Nunc autem sine Lege iustitia Dei manifestata est, testimonium habens per Legem & Prophetas. In cuiusdam enim rei alterius vẽturæ testimoniũ datũ fuerat illud quod dicitur testamentũ vetus. *iosue 4* *Rom. 3*

Quomodo filii Israel iubentur circuncidi iterum.

6 Dixit Dominus ad Iesum, Fac tibi ipsi cultros de petra acutos, vel sicut habet Græcus, de petra acuta, & sedens circuncide filios Israel iterum. In hoc præcepto quæritur cur dixerit, Iterum. Non enim vnus homo bis circuncidendus erat: sed quia vnus populus erat in quibusdam circumcisus, in quibusdam non circumcisus, ideo dictum est Iterum, vt circumcisus iterum circumcideretur, non homo, sed populus. Nam & sequentia id ostendunt. Dicit enim Scriptura, Et fecit Iesus cultros petrinos sibiipsi acutos, & circuncidit filios Israel in loco qui vocatur Collis præputiorũ. Hoc autẽ modo circumpurgauit Iesus filios Israel, qui aliquando fuerant in via, & qui aliquando incircuncisi erant, eorum qui exierant ex AEgypto, omnes istos circuncidit Iesus. Quadraginta enim & duobus annis conuersatus est Israel in deserto Mabdarich: & ideo incircuncisi erant illorum plurimi pugnatorum qui exierunt de terra AEgypti, qui inobedientes fuerant mandatis Dei. in quibus & definierat Dominus eis ne viderent illi terram, quam iurauerat Dominus patribus eorum, dare illis terram fluentem lac & mel. Pro iis autem substituit filios eorũ, quos circuncidit Iesus, eò quòd fuissent in itinere incircuncisi. Manifestum est ergo non omnes fuisse, sed quosdam. Quidam enim de AEgypto exeuntium filii in illo populo incircuncisi erant, quos potuit circuncidere Iesus, illorum scilicet filios qui genuerunt in deserto, & contempserunt eos circuncidere, quòd inobedientes erant Legi Dei. Nulla itaque causa est cur ii qui putant rebaptizãdos eos qui habent Christiani Baptismi sacramentum, hoc testimonio Legis adiũuari se putent: quia nullus bis numero vnus homo est circuncisus: sed populus qui iam fuerat in quibusdã circuncisus, in quibusdam verò adhuc incircũcisus erat. Et si aliquo modo fieri posset vt bis Deus circuncidi hominẽ iuberet, nunquid possunt dicere ideo fuisse præceptum, quia illi ab AEgyptiis fuerant circuncisi, aut ab aliquibus hæreticis ab Israelitarum societate segregatis? Cùm verò satis etiam appareat quare sit à Deo dictum, nullũ hîc possunt homines erroris sui patrocinium reperire.

Vtrùm Iosue se Angelo prostrauerit.

Quando Iesus vidit virum contra se stantem euaginato gladio, & eo respondente dicit, quòd esset princeps militiæ virtutis Domini, & prostrat⁹ in terram dixit, Quid præcipis tuo famulo? quæri potest vtrùm Angelo se prostrauerit, eúmque dixerit Dominũ, an potius intelligẽs à quo missus fuerit, ipsũ Dominum dixerit, eíque se prostrauerit. Erat autem, sicut legitur Iesus in Hiericho, non vtique in ipsa ciuitate, cuius muri nõdum ceciderãt, quod mox futurum erat, vt in eam possent intrare, sed in agro ad eam pertinente. Nã interpretatio quæ est ex Hebræo sic habet. 7 *iosue 5*

Quomodo viri propeccato Achan, seu Achar, dicantur cecidisse.

In eo quod factũ est vt Achan de tribu Iuda 8 *iosue 7*

furaretur de anathemate ciuitatis Hiericho cõtra præceptum Domini, & propter eius peccatum tria millia, quæ missa fuerant in Hai, dederunt terga hostibus, & occisi sunt ex eis triginta sex viri, & populo grauiter territo Iesus cum senioribus se prostrauit ad Dominum, eique responsum est, ideo factum esse, quòd peccauerit populus. Minatus est etiam Deus nõ se cum eis futurum, nisi abstulerint anathema de seipsis, & quòd ostensus est qui fecerat, nec solus occisus est, sed cum omnibus suis. Quæri solet quomodo iustè pro alteri⁹ peccatis in aliis vindicetur, maximè quia in Lege Dominus dixit, Deut. 24 Nec patres pro filiorũ, nec filios pro parentum peccatis esse puniendos. An aliud iudicantibus hominibus est præceptum, ne quenquam pro altero puniant, & Dei iudicia non sint eiusmodi qui alto & inuisibili consilio suo nouit, quatenus extendat etiam temporalem hominum pœnam, salubrémque terrorẽ? Non enim aliquid durũ, quãtum attinet ad vniuersi mundi administrationem, cõtingit mortalibus cùm moriuntur, quandoque morituri: & tamẽ apud eos qui talia metuunt disciplina sancitur, vt nõ se solùm quisque curet in populo, sed inuicem sibi adhibeant diligentiam, & tanquam vnius corporis & vnius hominis alia pro aliis sint mẽbra solicita. Nec tamen credẽdum est etiã pœnis, quæ post mortem irrogãtur, alium pro alio posse damnari: sed in iis tantùm rebus hanc irrogari pœnam, quæ finem fuerant habituræ, etiam si non eo modo finirentur. Simul etiam ostenditur, quanta connexa sit in populi societate ipsa vniuersitas, vt non in seipsis singuli, sed etiam tanquam partes in toto æstimentur. Per vnius igitur peccatum mortémque paucorum admonit⁹ est populus vniuersus, tanquã in corpore vniuerso quærere quod amissũ est. Simul etiam significatum est, quantum mali fieret si vniuersa illa congregatio peccasset, quando ne vnus quidem ita potuit iudicari, vt ab eo possent cæteri esse securi. At verò si Achan ab aliquo inuentus atque cõprehensus, & illius criminis reus ad iudiciũ Iesu fuisset adductus, ne quaquã putãdum est hominẽ iudicem, vel pro illo, vel cum illo quenquã alium, qui societate facti eius minimè teneretur, fuisse puniturum. Neq; enim ei mandatũ Legis licebat excedere, quod datũ est hominibus, ne iudicio suo, quod in hominẽ homini iussum siue permissum est, alterum pro alterius peccato arbitretur esse plectendum. Longè autem secretiore iustitia iudicat Deus, qui potens est etiam post mortem (quod homo non potest) liberare vel perdere. Visibiles igitur afflictiones hominũ siue mortes, quoniam iis quibus ingeruntur & obesse & prodesse possunt, nouit Dominus in occulto prouidentiæ suæ, quẽadmodum iustè quibusque dispensaret, etiam quum aliorum peccata in aliis videtur vlcisci. Pœnas verò inuisibiles, quę nõ nisi nocẽt & prodesse nõ possunt, ita nullus Deo iudice pro alienis peccatis luit, sicut homine iudice luere nullus nisi pro sua culpa istas visibiles debet. Hoc enim præcepit homini iudici Deus, in iis quæ ad humanum iudicium pertinent iudicanda, quod in suo iudicio facit ipse, quo potestas nõ aspirat humana.

Si Dominus cremari iussit qui de anathemate furtum fecerat, quomodo lapidatus est.

Meritò quęritur, quum Dominus propter illum qui de anathemate furtum fecerat, præceperit eum qui fuisset ostensus, igni cremari, cur eum ostensum Iesus lapidari potius à populo fecerit. An ita eum mori oportuit, quemadmodum Iesus, qui propius Dominum sequebatur, verba iubentis intelligere potuit? Sic enim alius quisquam nõ facilè potuit. Vnde magis quærendum est, cur lapidationem ignem appellauerit Dominus, quàm credendum Iesum aliud fecisse quàm iusserat Dominus. Nã neque ad intelligendum verba Domini quisquam potuit esse sapientior, neque ad faciendum quisquam obedientior. Proinde Ignis no mine pœnam potuisse significari, Scriptura testis est in Deuteronomio, vbi dicitur ad filios Israel, Et eduxi vos de fornace ferrea ex AE- Deut. 4 gypto: vbi vtique duram tribulationem intelligi voluit. Duæ autem mihi causæ occurrunt, non vt ambæ sint, sed vt altera ex eis, cur nõ ille cum suis omnibus euidẽti igne crematus sit. Si enim peccatum eius Dominus tale esse iudicauit, quod supplicio illo expiatum non puniret in æternum, propter ipsam expiationem & purgationem, congruenter illa pœna ignis nomen accepit. Neque ad hunc intellectum quisquã tendere admoneretur, si eum propriè visibilis ignis exureret, sed in eo quisque remaneret quod apertè videbat impletum, nec aliquid vltrà quæreret. Nunc verò quum propter Dei verba & factum Iesu, à quo præuaricari illa verba nõ possent, rectissimè dicitur etiam lapidationẽ ignẽ fuisse, eleganter agnoscitur illa pœna hominem, ne in posterum peccato illo interiret, fuisse purgatum. Quod significant etiam vasa in Leuitico, quæ iubentur igne purgari. Si autẽ tale fuit illi peccatum, propter quod eum etiam post istam vitam gehenna susciperet, ideo Iesus eum voluit lapidari, vt quod à Domino dictum est, Igni cremabitur, illud admoneret intelligi quod Dominus faceret, nõ quod ab ipsis esset faciendum. Si enim dixisset Dominus, Igni eum cremabitis & omnia eius, huic sensui locus nullus esset. Quum verò ita positum est, vt magis videatur Deus quod ei futurum esset prædixisse, quàm quod ei ab hominibus deberet fieri præcepisse: melius non potuit facere Iesus qui diuina verba sicut tãtus Propheta intellexit, qui etiam hoc ipsum Propheticè fecit, quàm vt illum lapidib⁹ potius quàm flammis interimeret, ne in illis ignibus verba Domini viderentur impleta, quæ ob aliud dicta volebat intelligi. Nec mouere debet, quòd nõ ipsum tantùm, sed etiã omnia quæ sunt ei⁹, Deus cremanda igni prædixerit. Sic enim ait, 9 Ios. 8

Igni

Igni cremabitur, & omnia quæcunque sunt ei. Omnia enim quæcunq; sunt ei, opera eius possunt intelligi, quæ cum illo dicit concremãda: nõ sicut dicit Apost. de quibusdam operibus igne cõsumptis, Ipse autem saluus erit. Si huius peccatum ita intelligendum est, vt etiam æterno igne puniatur: filios eius & filias cum pecoribus & omnibus quæ habebat, populus quidem cùm eum puniret, simul lapidibus obruit· non tamẽ hoc iudicio humano, sed Prophetico spiritu fecit Iesus: siue ita intelligens, omnia quæ sunt ei, vt nec filios censeret exceptos, lapidationis etiam pœnam pro igne ingerens: siue opera eius, quę post mortem Deus in illo fuerat crematurus, non solùm per cętera quę illi erãt, verumetiam per filios eius significãs. Nec ideo sanè credendũ est eos pro peccato patris, à quo innocẽtes erant, etiam post mortem supplicio inferni ignis incensos. Mors quippe ista, quæ omnes manet, quãquam de primo peccato veniat, tamen quia ita nati sumus, vt necessariò moriendum sit, accelerata quibusdam est vtilis. Vnde legitur de quodã, Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius. Quo ergo iudicio Dei, vel misericordia fuerit irrogata, siue filiis eius, siue illis triginta sex viris, cùm omnes ab eius peccato alieni fuerint, latet apud eum apud quem nõ est iniquitas. Verùm illud in promptu est, quòd & populum terribiliter oportebat quærere quod admissum est, & tantò vehementius timuerunt cęteri factum eius imitari, quantò magis humana exhorret infirmitas, & in tam magnum támque iustum populi odium dari, & eis quos ad spem propagãdi generis se relicturum putabat, peccato suo secum consumptis suis posteris, emori.

1. Corinth. 3

Sapient. 4

Quomodo Deus insidias præcipit fieri.

10 Quod Deꝰ iubet loquẽs ad Iesum, vt constituat sibi retrorsus insidias, id est, insidiãtes bellatores ad insidiãdum hostibus: hinc admonemur non iniustè fieri ab iis qui iustum bellum gerunt, vt nihil homo iustus præcipuè cogitare debeat in iis rebus, nisi vt iustum bellum suscipiat, cui bellare fas est. Non enim omnibus fas est. Quum autem iustum bellum susceperit, vtrùm aperta pugna, vtrùm insidiis vincat, nihil ad iustitiam interest. Iusta autem bella definiri solent, quę vlciscuntur iniurias, si qua gens vel ciuitas, quæ bello petẽda est, vel vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per iniurias ablatum est. Sed etiam hoc genus belli sine dubitatione iustũ est quod Deus imperat, apud quem non est iniquitas, & nouit quid cuiq; fieri debeat. In quo bello ductor exercitus vel ipse populus, nõ ipse tam auctor belli, quàm minister iudicãdus est.

Iosue 8

Roman. 9

Vtrùm, quia Iosue fallere voluit & iussit, omnis voluntas fallendi mendacium dicetur.

11 Iesus mittens ad Hai debellandum triginta millia bellatorum, ait illis, Vos insidiabimini post ciuitatem, & non longè eritis à ciuitate, & eritis omnes parati: & ego & omnis populus qui mecum est, accedemus ad ciuitatem: & erit quum exierint qui commorãtur in Hai in obuiam nobis sicut antea, & fugiemus à facie illorum. Et quum exierint post nos, abducemus illos à ciuitate, & dicent, Fugient isti à facie nostra, sicut antea. Vos autem exurgetis de insidiis, & ibitis in ciuitatem. Secundum verbum istud facietis. Ecce præcipio vobis. Quęrẽdum est, vtrùm omnis voluntas fallendi pro mẽdacio deputanda sit: & si ita est, vtrùm possit iustum esse mendacium, quo ille fallitur qui dignus est falli. Et si ne hoc quidem mendacium iustum reperitur, restat vt secundum aliquam significationẽ hoc quod de insidiis factum est, ad veritatem referatur.

Iosue 8

An Gabaonitæ saccos super humeros suos, an super asinos suos accipiebant.

Quòd Gabaonitæ venerunt ad Iesum cum vetustis panibus & saccis, vt putarentur, sicut finxerant, de terra veniſſe longinqua, quò eis parceretur. Cõstitutum enim erat à Domino, ne alicui terras illas inhabitanti parcerent, quò ingrediebantur. Nonnulli codices & Græci & Latini habẽt, Et accipientes saccos veteres super humeros suos. Alii verò, qui veraciores videntur, non habent Super humeros, sed Super asinos suos. Similitudo enim verbi in Græca lingua mendositatem facilem fecit: & ideo Latina quoque exemplaria variata sunt, ὤμων quippe & ὄνων non multum ab inuicem dissonant, quorum prius humerorum nomẽ est, posterius asinorum. Ideo est autem de asinis credibilius, quoniam se à sua gente lõginqua missos esse dixerunt. Vnde apparet eos fuisse legatos, & ideo magis in asinis quàm in humeris necessaria portare potuisse, quum nec multi esse poterant, & non solùm saccos, sed etiam vtres eos portasse Scriptura commemorat.

12 Iosue 9

Quomodo eisdem seruatum dicitur iuramentum.

Quæri potest quomodo iurationem seruandam esse crediderint Hebræi Gabaonitis, quibus ita iurauerant tanquam de longinqua terra venientibus, sicut illi mẽtiti fuerant. Sciebant enim se debellãdos, si cognitum esset Hebræis in ea terra eos habitare, quam promissam fuerant ab habitantibus recepturi. Mentientibus ergo quòd de longinqua terra ad eos venisent, iurauerũt eis Israelitę. Postea verò quàm cognouerint ibi eos habitare, vbi omnes quos inuenerant, secundum Dei præceptum debellare oportebat, nolebant tamen frangere iurationem. Et licet eos mentitos esse didicissent, parcere maluerũt iurationis causa, cùm possent vtique dicere se tantùm illis iurasse, quos eos esse crediderant, id est, de longinquo venientes. Cùm verò aliud cognouerunt, præceptum circa eos Domini implẽdum erat, vt sicuti cæteri expugnarentur. Deus autem hoc approbauit, nec parcentibus succẽsuit, quanuis eum non interrogassent quínam illi essent: & ideo eos illi fallere valuisset. Vnde non importunè vtique credendi sunt, etsi fallere homines pro

13 Iosue 9

sua salute voluerũt, non tamen fallaciter Deũ timuisse in populo eius: propterea nec succensuit Dominus iurãtibus aut parcẽtibus, vt posteà Gabaonitas ipsos tanquã populi sui homines de domo Saul vindicauerit, sicut Regnorũ ostẽdit historia. Et quoniam iuratio sic seruata est, quãuis in hominibus qui mẽtiti sunt, vt ad clemẽtiam sententia flecteretur: non displicuit Deo. Nã si ecõtrariò iurasset aliquos se interfecturos, quos Gabaonitas in terra promissionis esse putauissent, & postea didicisset eos esse ab illa terra extraneos, & de lõginquo ad se venisse: nullo modo arbitrandum est quòd eos essent debellaturi causa iurationis implẽdę, cùm propter ipsam parcẽdi clemẽtiam sanctę Dauid etiã post verba, quibus se Nabal interfecturũ esse iurauerat, vtique sciẽs quem fuerat interfecturus, parcere maluit, nec in re duriore implere iuramentum: magis Deo placere existimans, si quod ira perturbatus ad nocẽdum iurauerat non feciſſet, quàm si perfeciſſet.

Quomodo Dominus inconsultus consulit.

14 Cùm obsessi Gabaonitæ à regibus Amorrhæorum misissent ad Iesum, vt sibi subueniret, ita Scriptura sequitur & dicit, Et ascendit Iesus à Galgala ipse & omnis populus bellatorum cum illo, omnis potens in fortitudine. Et dixit Dominꝰ ad Iesum, Noli timere illos, quia in manus tuas tradidi eos: non subsistet ex illis quisquã coram vobis. Vbi neque cõsultus est Dominus, vtrùm eundum ad eos esset, sed vltrò suis rectè subuenire volentibus futurã victoriam prænũtiauit. Sic ergo posset quãuis nõ consultus de ipsis Gabaonitis admonere qui essent, cùm se longinquos esse mentirentur, nisi ei placuisset illa iuratio, quæ subiectis parcere cogitet. Crediderant enim Deo, quem audierant suo populo promisisse, quòd illas gentes subuerteret, corúmque terram obtineret: & hanc eorum fidem non eos prodendo remunerauit quodam modo. *ioſue 10*

Quomodo iidem dicantur reges Iebusæorum & Amorrhæorum, & reliqua quæ ibidem habentur.

15 Quæritur quemadmodũ rex ciuitatis Hierusalem Adonizedech & cæteri quatuor, cum quibus obsedit Gabaonitas, secũdum Septuaginta interpretes, primò reges Iebusæorũ, cùm ad eos obsidentes conuenerunt: postea verò reges Amorrhæorum dicantur ab ipsis Gabaonitis, quando nuntios miserunt ad Iesum, vt eos de obsidione liberaret. Sicut autem inspicere potuimus in ea interpretatione, quæ ex Hebræo est, vtrobique Amorrhęorum dicuntur, quum constet Iebusęorum fuisse regem ciuitatis Hierusalem, quia ipsa est dicta Hiebus, tanquam illius gentis metropolis, & septem gentes sæpissime Scriptura commemorat, quas promisit Deus exterminaturum se esse à facie populi sui, ex quibus vna perhibetur Amorrhæorum. Nisi fortè hoc nomẽ vniuersale fuerat omnium, aut potius maioris patris, vt non vna, sed plures in his septem hoc nomine tenerentur: quanuis esset etiam vna de septem, quę Amorrhæorũ propriè vocaretur. Sicut est pars quædã, quæ propriè dicitur Lybia, quãuis hoc nomẽ vniuersæ Africæ competat, & pars quædam quæ propriè dicitur Asia, quanuis Asiam vel dimidium terrarum orbem quidã, vel alii tertiam partem orbis posuerunt. Nam constat quòd & Chananęi tãquam vna gens in illis septem commemorantur, & tamen vniuersa illa terra originaliter terra Chanaan vocatur. *ioſue 10*

Quomodo doceatur præceptum Domini etiam si crudele videatur, sine crudelitate perfici.

Non dimisit in ea Iesus quidquam spirans, 16
sicut præcepit Dominus Mosi puero suo, & *ioſue 10*
Moses similiter præcepit Iesu, & sic fecit Iesus, non est trãsgressus quidquam ab omnibus quibus cõstituit Dominus Mosi. Propter hoc nullo modo putanda est ista crudelitas, quòd nullum viuum in ciuitatibꝰ sibi traditis dimittebat Iesus, quia Deus hoc iusserat. Qui autem existimant hîc Deum ipsum fuisse crudelem, & propter hoc veteris testamenti verum Deum fuisse auctorem nolunt credere, tam peruersè de operibus Dei, quàm de peccatis hominum iudicant, nescientes quo quisque dignus sit, & magnum putãtes malum cùm casura deiiciuntur, mortalésque moriuntur.

Quomodo verum sit quod dicitur, Et non erat ciuitas quæ non erat tradita filiis Israel.

Et non erat ciuitas quæ non erat tradita fi- 17
liis Israel. Quæritur quomodo hoc verum sit, *ioſue 11*
cùm nec temporibus postea Iudicum nec Regum, omnes omnino illarum septem gentium ciuitates capere potuerint Hebræi. Sed aut sic intelligendum est, quòd ad nullam ciuitatem bellando accessisset Iesus, quam non ceperit, aut certè nulla nõ capta est, scilicet earum, quę in regionibus suprà commemoratis fuerunt. Enumeratę sunt enim regiones, in quibus fuerunt ciuitates, de quibus facta est ista conclusio, Et omnes cepit in bello.

Quomodo confirmatum dicitur cor inimicorum, vt obuiam irent ad bellum ad Israel.

Quia per Dominum factum est confortari cor eorum, vt obuiam irent ad bellum ad Is- 18
rael, vt exterminarentur ita vt non daretur eis *ioſue 11*
misericordia, sed vt exterminarentur, sicut dixit Dominus ad Mosen. Ita dictum est hoc per Dominum factum confortari cor eorum, hoc est, obdurari cor eorum, sicut de Pharaone, quod Diuino altóque iudicio iustè fieri minimè dubitandum est, cùm deserit Deus, & possidet inimicus: quod sic accipiẽdum est quemadmodum & ibi. Sed hîc aliud mouet, quomodo dictum sit, ad hoc eis confortatum cor, vt exurgerent in bellum aduersus Israel, & ob hoc eis non præberent misericordiam, quasi præbenda esset si non bellarent, quum Deus præceperit nulli eorum esse parcendum, & ob hoc Gabaonitis pepercerint, quia se de longinqua terra venisse fingentes, eorum iurationem tenuerant. Sed quoniam quibusdam vltro

tro præbuerunt Israelitæ misericordiam, quãuis contra Dei mandatum, ad hoc dictum esse intelligendum est istos ita debellasse, vt non eis parceretur, nec ab eisipsis Israelitæ neglecto Dei mandato, ad misericordiam flecterentur. Quod quidem duce Iesu, qui omnia diligenter diuina præcepta seruabat, non est credendum fieri potuisse: veruntamen nec ipse istos tam citò deleuisset, nisi conspiratissimè contrairent, atque ita fieri posset vt eis ab illo minimè debellatis, qui Dei præcepta implere curabant, remansissent ad illud tempus, quando eis possent parcere post mortẽ Iesu, qui nõ tanta cura Dei mandata faciebant. Nam & adhuc eodem viuente quibusdam illi pepercerunt, tantummodo eos ditioni suæ subiugantes: quosdam verò nec vincere potuerunt. Verùm hæc non illo duce facta sunt: sed cùm iam senex vacaret à bello, tãtummodo eis terras diuidens, vt ipsi iam illo non bellante, diuisas sibi terras partim iam hoste vacuas tenerẽt, partim pugnando caperent. Et quòd vincere aliquos minimè potuerunt, prouidẽtiæ Diuinæ fuisse opportunè Scripturarũ certis apparebit locis.

Quomodo quæ alia liteta habet, de ascensu Pharaonis ab AEgypto, tunc temporis narrentur.

19 Et non perdidit Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: & habitabat Chananæus in Ephraim vsque in diem istum, donec ascendit Pharao ex AEgypto, & cepit ciuitatem, & incendit eam igni: & Chananæos & Pherezæos, & qui habitant in Gazer transpunxit: & dedit eam Pharao in dotem filiæ suæ. Quod de Pharaone rege dictum est, miror si Propheticè dictum intelligere debemus, quum hęc historia illis temporibus conscripta credatur, quibus erant gesta illa recentia. Quid autem magnum eligi potuit quòd Propheticè diceretur, quum præterita narrentur taceantúrque futura maiora, & maximè necessaria? Proinde potius existimãdum est Septuaginta interpretes, qui auctoritate Prophetica ex ipsa mirabili consensione interpretati esse perhibentur, hæc addidisse, non tanquam futura prænuntiantes, sed quia illo tempore ipsi erant, quo hæc facta esse meminerant, & in libris Regnorum legerant. Etenim Regum temporibus factum est. Quod ideo credibilius nobis visum est, quoniam inspeximus interpretationem, quæ est ex Hebræo, & hoc ibi non inuenimus, sicut nec illud quod dictum est de Hiericho, quòd Oza qui eam reparasset, incurrerit maledictum, quod dixerat Iesus. Sic enim scriptum est, Et adiurauit Iesus in illa die, Maledictus homo qui resuscitabit & ædificabit ciuitatem illam, in primogenito suo fundabit eam, & in nouissimo suo imponet portas eius. Hucusque inuenitur in interpretatione quæ ex Hebræo. Illud autem quod sequitur, Et ita fecit Oza, qui ex Bethel: in Abiron primogenito fundauit eam, & in Saluato nouissimo imposuit portas eius. hoc illic non legitur. Vnde apparet à Septuaginta interpositum, qui factum esse nouerant.

Ios.16

ioſue 6

Quomodo Amorrhæi tributarii contra præceptum Domini Ephraim facti sunt.

Et Amorrhæus permansit vt habitaret in Helon & in Salanon, & grauata est manus Ephraim super eos, & facti sunt illis tributarii. Hæc iam contra præceptum fiebant, & adhuc viuebat Iesus: sed dux eorum in illis pręliis iam præsenectute non erat. Propter hoc dictum est à Domino, Factum est vt confortaretur cor illorum, qui simul conspirauerant ire in bellum contra Iesum, ne ista illis misericordia præberetur, etiam contra Dei præceptum, si remansissent non expugnati, & senescente, siue defuncto Iesu relinquerentur expugnandi à filiis Israel, qui eis contra præceptum Domini possent parcere: quod ille non faceret. 20 *ioſue 17*

Quomodo dicatur, Et dedit Dominus Israel omnem terram, &c. quum multam non habuerint.

Meritò quæritur, quum Israel non solùm vsque ad diem mortis Iesu, verumetiam postea non eradicauerit gentes, quæ terram promissionis tenebant, quanuis ex parte illis debellatis in eadem promissa hæreditate consisterent, quomodo intelligendum sit quod dictum est, Et dedit Dominus Israel omnem terram, quam iurauerat dare patribus, & hæreditauerunt eam & habitauerunt in ea, & requiem dedit illis Dominus in circũitu, sicut iurauerat patribus eorum. Non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum: omnes inimicos eorum tradidit Dominus eis, & manus eorum non decidit: ex omnibus verbis bonis, quæ loquutus est Dominus filiis Israel, omnia aduenerunt. Diligenter ergo vniuersa consyderanda sunt. Et primùm videndum quot gentium terra promissa sit Israelitis. Septem quidem gentes assiduè videntur commemorari, sicut in Exodo legitur, Et dixit Dominus ad Mosen, Vade & ascende hinc tu & populus tuus, quos eduxisti de terra AEgypti, in terram quam iuraui Abraham & Isaac & Iacob, dicens, Semini vestro dabo eam: & simul mittam Angelum meum, & eiiciet Amorrhęũ & Cethæum & Pheresæum & Gergesæum & Euæum & Iebusæum & Chananæum. Harum ergo septem gentium terram videtur Deus patribus promisisse. Scriptum est etiam in Deuteronomio multò expressius, Si autem accesseris ad ciuitatem expugnare eam, & euocaueris eos cum pace: si quidem pacifica responderint tibi, & aperuerint tibi: omnes populi qui inuenti fuerint in ciuitate, erunt tibi tributarii, & obedientes. Si autem non obedierint tibi, & fecerint ad te bellum, & circunsedebis eam, & tradet eam Dominꝰ Deus tuus in manus tuas, & interficies omne masculinum eius in nece gladii, præter mulieres & supellectilem, & omnia pecora, & omnia quæcunque fuerint in ciuitate, & omnia vtensilia prædaberis tibi, & edes omnem prædationem inimicorum tuo- 21 *ioſue 12* *Exod.33* *Deutero.20*

rum, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Sic facies omnibus ciuitatibus, quæ longè erunt à te valde, quia non sunt de ciuitatibus gentium istarum. Ecce autem in ciuitatibus istis, quas Dominus Deus tuus dat tibi hæreditare terram eorum, non viuificabis omnem viuum, sed anathematizabis eos, Cethæum & Amorrhæum & Chananæum & Pherezæum & Euæum & Iebusæum & Gergesæum, quemadmodum mandauit tibi Dominus Deus tuus. Et hîc istarum septem gentium terram promissam in hæreditatem, quam debellatis vsque ad internetionem eisdem gentibus Israelitæ possederunt, manifestum est. Cæteras enim, quæ longinquius extra istas gentes inuenirentur, voluit fieri tributarias eorum si non resisterét. Si autem resisterent, etiam ipsas interfici & in perditionem dari, exceptis pecoribus, & quæ in prædam possent venire. Item
Deut.7 alio loco in Deuteronomio ita legitur, Et erit quum induxerit te Dominus Deus tuus in terram, in quam intrabis hæreditare eam, & abstulerit gentes magnas & multas à conspectu tuo, Cethæum & Gergesæum & Amorrhæum & Pherezæum & Chananæum & Euæum & Iebusæum, septem gẽtes magnas & multas & fortiores vobis: & tradet eos Dominus Deus tuus in manus tuas, & percuties eos, exterminio exterminabis eos. Non dispones ad eos testamẽtum, neque miserearis eorum, neque matrimoniis iungamini cum eis: filiam tuam non dabis filio eius, & filiam eius non sumes filio tuo, &c. Proinde his atque aliis Scripturarum locis sæpe ostenditur harum septem gentium terras ita accepisse in hæreditatem filios Israel, vt non cum eis, qui eadem terras tenebant, sed pro eis illic habitarent. Veruntamen in Genesi non istæ tantum septem gentes, sed vndecim promittuntur semini Abrahæ. Sic enim
Genes.15 legitur, In die illa disposuit Dominus Deus testamentum ad Abraham, dicens, Semini tuo dabo terram hanc, à flumine AEgypti vsque ad flumen magnum, flumen Euphraten, Cinæos & Cenezæos & Cethmonæos & Cethæos & Pherezæos & Raphaim & Amorrhæos & Chananæos & Euæos & Gergesæos & Iebusæos. Quæ ita soluitur quæstio, vt intelligamus hanc præcessisse Prophetiam, quòd in eos fines regnum fuerat porrecturus & dilaturus Salomon, de quo ita scriptum est, Et omne propositum Salomonis, quo destinauerat ædificare in Hierusalem & Libano, & in omni terra potestatis suæ, omnis populus qui derelictus est à Cethæo & Amorrhæo & Pherezæo & Euæo & Iebusæo, qui non erant ex Israel, ex filiis eorum qui residui erant cum eis in terra quos non consummauerant filii Israel,
4.Reg.9 & subiugauit eos Salomon in tributum vsque in diem hunc. Ecce residua populorum debellandorum, atque omnino ex Dei præcepto perdendorum subiugauit Salomon in tributum, quos vtique secundum Dei præceptum perdere debuit: sed tamen subiugati tanquam tributarii possessi sũt. Paulò pòst autem ita legitur, Et erat dominans in omnibus regibus à flumine vsque ad terram Philisthiim, & vsque ad fines AEgypti. Ecce vbi impletum est quod in Genesi Deus ad Abraham loquens, promittẽnsque prædixerat. A flumine quippe hîc intelligitur ab Euphrate. Magnum enim flumen in illis locis etiam proprio nomine non addito potest intelligi. Neque enim de Iordane hoc accipi potest, quum & citra Iordanem & vltra Iordanem iam terras Israelitæ obtinuerant, & ante regnum Salomonis. Ergo à flumine Euphrate ex partibus Orientis, vsque ad fines AEgypti, quæ pars illis erat ab Occidente, regnum Salomonis scriptura Regnorum dixit fuisse porrectum. Tunc ergo amplius subiugatum est, quàm septem illæ gentes tenebant: ac per hoc tunc in seruitutem redactæ sunt, non septem, sed vndecim gentes. Quòd enim in Regnorum libris scriptum est, Vsq; ad fines AEgypti à flumine, quum Scriptura ab Oriente vsque ad Occidentem quantum porrectum esset regnum vellet ostendere, hoc idem in Genesi, quum ab Occidente vsque ad Orientem præfiniret, dictum est, A flumine AEgypti vsque ad flumen magnum Euphraten. Flumen quippe AEgypti, qui finis est disterminans regnum Israel ab AEgypto, non est Nilus, sed alius & non magnus fluuius, qui fluit per Rhinocoluram ciuitatẽ: vnde iam ad Orientem versus incipit terra promissionis. Sic ergo fuerat constitutum filiis Israel, vt septem gentium terras, exterminatis & perditis illis gentibus ipsi inhabitarent. Aliis autem regnarent subditis atque tributariis vsque ad flumen Euphraten. Et quanuis in hoc Deo non obtemperassent, quia & ex illis quæ exterminare deberent obedientes aliquos fecerant: Deus tamen temporibus Salomonis fidem suæ promissionis impleuit. Nunc itaque in libro Iesu Naue, quod consyderandum suscepimus, quomodo erit verum, Et dedit Deus Israel omnem terram, quam iurauerat dare patribus eorum, & hæreditauerunt eam? Quemodo adhuc viuente Iesu omnem terram dedit, cùm etiam reliquias illarum septem gentium nondum superauissent? Nam quod sequitur, Et hæreditauerunt eam, verum est, quia ibi erant ibíque confederant. Deinde quod adiungit, Et requiem dedit illis Dominus in circũitu, sicut iurauerat patribus eorum, verum est, quia viuo adhuc Iesu, non eis quidem cedebant reliquiæ illarum gentium: sed nulla earum eos in terris vbi confederant bello lacessere audebat. Ideo dictum est & quod deinde adiungitur, Non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum. Quòd verò sequitur, Sed omnes inimicos eorum tradidit Dominus illis in manus eorum: hos intelligi voluit inimicos, qui obuiam ire in bellum ausi sunt. Deinde quod dicit, Non decidit ex omnibus

nibus verbis bonis, quæ loquutus est Dominus filiis Israel, omnia aduenerunt: ita vult intelligi, quia quum iam illi contra præceptum Domini feciſſent, quibuſdam parcendo ex illis ſeptem gentibus, & eos obedientes faciendo, adhuc tamen inter eos ſalui erāt. Ideo cùm dixiſſet, Ex omnibus verbis, addidit Bonis, quia nondum euenerant maledicta contẽptoribus & tranſgreſſoribus conſtituta. Reſtat ergo vt quod ait, Dedit Dominus Iſrael omnem terram, quam iurauerat dare patribus eorum, ſecundum hoc intelligatur, quia etſi adhuc erant ex illis gentibus reliquiæ conterendæ & exterminādæ, vel ex aliis vſque ad flumen Euphraten, aut ſubiugandæ ſi non reſiſterent, aut perdendæ ſi reſiſterent: tamen in vſum eorum relictæ ſunt, in quibus exercerentur, ne carnalibus affectibus & cupiditatibus infirmi, repentinā tanquam rerum temporalium proſperitatem moleſtè ac ſalubriter ſuſtinere non poſſent, ſed elati citius interirent: quod opportunè alio loco demonſtrabitur. Omnis ergo illis terra data eſt: quia & illa pars, quæ nondùm fuerat in poſſeſsionem data, iam data fuerat in quandam exercitationis vtilitatem.

Et quomodo dictum ſit, Non reſtitit quiſquam à facie illorum ab omnibus inimicis eorum.

22 Quòd ait, Non reſtitit quiſquam à facie
Ioſue 21 illorum, ab omnibus inimicis eorum: quæri poteſt quomodo verum ſit, cùm de tribu Dan ſuperius ſcriptum ſit, quòd eos hoſtes eorum nõ permiſerunt deſcendere in vallem, ſed præualuerunt eis in montibus. Sed quod diximus quum duodecim filios Iacob Scriptura in Meſopotamia natos commemoraſſet, vbi non fuerat natus Beniamin, hoc etiam intelligendum eſt, quia pro vniuerſo populo duodecim tribus deputatæ ſunt, ea regula quæ aliis Scripturarum locis ſatis innotuit. Cauſa autem ſi quæritur, cur hæc tribus in ea ſorte, quæ illi obuenit, & non obtinuerit ſufficientes terras, & ab eis à quibus tenebantur afflicta ſit: in Dei quidem ſecreto conſilio eſſe credendum eſt. Veruntamen quum Iacob filios ſuos benediceret, talia dixit de iſto Dan, vt de ipſa tribu exiſtimetur exſurrecturus Antichriſtus. *Genſ.49* Vnde nũc dicere plura non ſuſcepimus, cùm etiam ſic ſolui poſsit hæc quæſtio, Quia nõ reſtitit quiſquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum, quum ſimul ſub vnius ducis imperio bellum gererent, antequam ſingulis tribubus ſua defendenda diuiderentur loca.

Quomodo, In ſacrificiis ſalutarium noſtrorum, dicatur in pluratiuo numero.

23 Et in ſacrificiis ſalutarium noſtrorum. Quia
Ioſue 22 pluraliter dicta ſunt ſacrificia: pluraliter etiã ſalutaria. Vbi aduertẽdũ eſt diligẽtius, quẽadmodũ dici ſoleat ſacrificiũ ſalutaris, quoniã ſi Chriſtum acceperim⁹, quoniã ipſe dict⁹ eſt Salutare Dei, nõ occurrit quẽadmodũ pluraliter poſsit hoc verbũ intelligi. Vnus enim Dominus noſter Ieſus eſt Chriſtus, quanuis dicãtur Chriſti per eius gratiam, ſicut in Pſalmo legitur, Noli *Pſalmo.104* te tangere Chriſtos meos. Sed vtrùm ſalutares dici poſsint vel ſalutaria, non facilè audendum eſt. Solus enim ipſe Saluator corporis.

Quomodo Ioſue mortui vicinus, Ego, inquit, recurro viam ſicut & omnes qui ſunt ſuper terram.

Quòd dicit Ieſus de ſua ꝓpinquãte morte, 24
Ego autẽ recurro viã ſicut & omnes qui ſunt ſu- *Ioſue 23*
per terrã: in ea interpretatione, quæ eſt ex Hebræo inuenimus, Ingredior viam. Ita ergo accipiendũ eſt quod Septuagĩta dixerũt, Recurro, ſicut dictũ eſt homini, Donec reuertaris in terram vnde ſumptus es, vt ſecũdum corpus dictũ intelligatur. Secundum animã verò ſi voluerimus ita accipere, quẽadmodũ in Eccleſiaſte po- *Eccleſ.12*
ſitum eſt, Et ſpiritus reuertetur ad Deũ, qui dedit eum: nõ arbitror de omnibus poſſe dici, ſed de iis qui ſic vixerunt, vt ad Deũ redire mereãtur, tanquã ad auctorẽ à quo creati ſunt. Neq; enim hoc & de illis rectè intelligi poteſt, de quibus dicitur, Spiritus ambulãs & non reuertens. *Pſal.77* Iſte autẽ vir ſanct⁹ Ieſus Naue ſi nõ addidiſſet, Sicut & omnes qui ſunt ſuper terrã, nulla eſſet quæſtio. Neq; enim aliud de illo crederemus, quàm quo eum dignũ eſſe legimus. Cùm verò additũ eſt, Sicut & omnes qui ſunt ſuper terrã, mirũ ſi hoc quod Latin⁹ interpres, Recurro poſuit, non magis percurro vel excurro dicẽdum eſt, ſi hoc poteſt dici quod Græcus habet ὑποδρέχω. Omnes enim percurrũt vel excurrunt huius vitæ viam, cùm ad eius finem peruenerint. Sed quia hoc verbum poſitum eſt vbi parentes Rebeccę dicunt ad ſeruum Abrahę, Ecce Re- *Geneſ.24*
becca, accipiens recurre, & ſit vxor domini tui: ideo & hic ita hoc verbum interpretatum eſt.

An pro eo quod in Hebræo eſt, In terram Chanaan, S. ptuaginta interpretes, in omnem terram dixerint.

Quòd Septuaginta interpretes habẽt, Et aſ- 25
ſumpſi patrẽ veſtrũ Abrahã de trãſflumine, & *Ioſue 24*
deduxi eũ in omnẽ terrã: interpretatio quæ eſt in Hebręo habet, Et induxi eum in terrã Chanaan. Mirum eſt ergo ſi Septuaginta pro terra Chanaan omnem terrã ponere voluerunt, niſi intuentes Prophetiam, vt magis ex promiſsione Dei tãquam factum accipiatur, quod certiſſimè futurum in Chriſto & in Eccleſia prænuntiabatur, quod eſt vetum ſemen Abrahæ, non in filiis carnis, ſed in filiis promiſsionis.

Quomodo qui in Hiericho erant bellaſſe dicantur,

Et bellauerunt aduerſus vos qui habitabant 26
Hiericho. Quæri poteſt quomodo id verũ ſit, *Ioſue 24*
cùm clauſis portis ſe murorum ambitu tãtummodo tuerentur. Sed rectè dictum eſt: quia claudere aduerſus hoſtẽ portas, ad bellum pertinet. Non enim miſerunt legatos, qui poſcerent pacem. Vnde ſi dictum eſſet, Pugnauerunt aduerſum vos, falſum eſſet. Neque enim bellum continuas pugnas habet: ſed aliquãdo crebras, aliquando raras, aliquando nullas. Bellum eſt tamen quando portę hoſtibus claudũtur, & quodammodo armata defenſio.

Quomodo veſpæ miſſæ dicantur, quod non legitur.

Quid eſt quod inter cætera quæ Ieſus Naue 27
Iſraelitis Dominum feciſſe cõmemorat, dicit, *Ioſue 24*
Miſit ante vos veſpas, & eiecit illas: quod etiã

Sapient.12 in libro Sapient.legitur:nec tamẽ vſpiã factum eſſe in iis quę geſta ſũt inuenitur. An fortè trãſlato verbo,veſpas intelligi voluit acerrimos timoris aculeos,quib⁹ quodãmodo volãtibus rumoribus pungebãtur vt fugerẽt,aut aereos occultos ſpiritus,quod in Pſalmo dicitur per angelos malignos. Niſi fortè quis dicat,nõ omnia quæ facta ſunt eſſe cõſcripta,&hoc quoque viſibiliter factum,vt veras veſpas velit intelligi.

psalm.77

Quomodo dicitur,Nõ poteris ſeruire Deo,quia Deus ſanctus eſt.

28 Quid eſt quòd dicit Ieſus ad populum,Non poteris ſeruire Deo,quia Deus ſanctus eſt. An quia illius ſanctitati perfectã ſeruitutẽ quodãmodo contẽperari humanę fragilitati impoſſibile eſt? Quo audito,iſti nõ ſolùm eius eligere ſeruitutẽ,ſed etiã de adiutorio ei⁹ & miſericordia præſumere debuerunt. Quã ille intellexit, qui dicit in Pſalmo,Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo,quoniã non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Iſti autẽ de ſe potius præſumere delegerunt, quòd Deo poſſẽt ſine vlla offenſione ſeruire, vt iam tunc inciperẽt quod de illis expreſsit Apoſtolus, Ignorantes enim Dei iuſtitiam,& ſuam volentes conſtituere,iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Ita eis iã Lex ſubintrabat, vt abundaret delictum, & poſtea ſuperabundaret gratia per Dominum Chriſtum, qui finis eſt Legis, ad iuſtitiam omni credenti.

iosue 24

psalm.142

Roman.10

Quomodo deos alienos auferri iubet.

29 Quid eſt quod ait idem Ieſus loquẽs ad populum, Et nunc circũauferte deos alienos,qui ſunt in vobis,& dirigite corda veſtra ad Dominum Deum Iſrael. Non enim credẽdi ſunt adhuc habuiſſe apud ſe aliqua gentiũ ſimulachra, cũ ſuperius eorũ obediẽtiam prędicauerit. Aut verò ſi haberẽt poſt tantas Legis comminationes,illa eos proſpera ſequerẽtur,cùm ſic in eos vindicatum ſit, quòd vnus eorum de anathemate furtum fecerat. Denique Iacob dixit hoc eis qui cũ illo exierãt de Meſopotamia,vbi ſic idôla colebantur,vt & Rachel paterna furaretur: ſed poſt illã admonitionẽ Iacob dederunt quę habebãt. Vnde apparuit hoc eis ita dictum eſſe , quia ſciebat eos habere ille qui dixerat, Nunc verò poſt hanc admonitionẽ Ieſu Naue, nullus tale aliquid protulit. Nec tamen putandum eſt hoc illum inaniter præcepiſſe. Non enim ait,Et nũc auferte deos alienos,ſi qui ſunt in vobis: ſed omnino tãquam ſciens eſſe,Qui ſunt,inquit, in vobis. Proinde Propheta ſanctus in cordibus eorum eſſe cernebat cogitationes de Deo alienas à Deo,& ipſas admonebat auferri. Quiſquis enim talẽ cogitat Deum,qualis non eſt Deus,alienum deum vtiq; & falſum in cogitatione portat. Quis eſt autẽ qui ſic cogitet Deum,qualẽadmodum ille eſt? Ac per hoc relinquitur fidelibus,quandiu peregrinantur à Domino, auferre à corde ſuo irruentia vana phantaſmata, quæ ſe cogitationibus ingerunt, velut talis aut talis ſit Deus,qualis vtiq; nõ eſt, & dirigere cor ad illum fideliter,vt quẽadmodum & quantum nobis expedire nouit,ipſe inſinuet per Spiritum ſuum,donec abſumatur omne mẽdacium: vnde dictum eſt, Omnis homo mẽdax. Et tranſacta non ſolùm impia falſitate, verumetiam ipſo ſpeculo & ænigmate,facie ad faciem cognoſcamus, ſicut & cogniti ſumus, quẽadmodum Apoſtolus dicit, Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate:tunc autem facie ad faciem. Nunc ſcio ex parte:tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum.

Gene.31,&35

psalm.115

1.Corinth.13

De teſtamento ſtatuto à Ioſue,& de lapide ab ipſo ſub terebintho ſtatuto,& quibuſdam aliis.

Et diſpoſuit Ieſus teſtamẽtum ad populum 30
in illo die,&dedit illi Legẽ & iudicium in Silo ioſue 24
coram tabernaculo Domini Dei Iſrael. Et ſcripſit verba hęc in libro Legis Dei,& accepit lapidem magnũ,& ſtatuit illum Ieſus ſub terebintho ante Dominum. Et dixit Ieſus ad populũ, Ecce lapis iſte erit vobis in teſtimonium,quia hic audiuit omnia quæ dicta ſunt à Domino, quæcunque locutus eſt ad vos hodie,& hic erit vobis in teſtimoniũ in nouiſsimis diebus, cùm mentiti fueritis Domino Deo veſtro. Hæc verba qui non in ſuperficie tantùm audiunt,ſed aliquantò altius perſcrutantur, nequaquam tãtum virum tam inſipientem putare debent, vt verba Dei, quę locutus eſt populo, inanimum lapidem audiſſe crediderit: qui etiam ſi ab artifice in hominis ſimilitudinem effigiatus eſſet, inter illos vtique deputaretur,de quib⁹ in Pſalmo canitur, Aures habent & non audient. Neque enim idola gentium aurum & argẽtum ſola non audiunt, & ſi lapidea ſint , audiunt: ſed per hunc lapidẽ profectò illum ſignificauit,qui fuit Lapis offenſionis non credentibus Iudęis, & Petra ſcandali,qui quum reprobaretur ab ędificantibus , factus eſt in caput anguli: quem præfigurauit & illa petra , quæ potum ſitienti populo ligno percuſſa profudit . De qua dicit Apoſtolus , Bibebant autem de ſpiritali ſequenti eos petra . Petra autem erat Chriſtus. Vnde & cultellis petrinis populum circuncidit iſte doctor egregius,qui cultri petrini cum illo etiam ſepulti ſunt , vt profundum myſterium demonſtrarent poſteris profuturum. Sic ergo & iſtum lapidem , quãquam viſibiliter ſtatutum,ſpiritaliter debemus accipere in teſtimonium futurum Iudæis infidelibus,hoc eſt,mẽtientibus , de quibus dicit Pſalmus , Inimici Domini mentiti ſunt ei. Neque enim fruſtra, cùm iam Dei famulus Moſes,vel potius per eũ Deus diſpoſuiſſet ad populum teſtamentum, quod in arca erat,quæ dicta eſt arca Teſtamenti,& in libris Legis tanta ſacramẽtorum & præceptorum multiplicitate conſcriptis, tamen etiam hîc dictum eſt , Diſpoſuit Ieſus ad populum teſtamentum in die illa. Repetitio quippe teſtamenti , nouum Teſtamentum ſignificat: quod ſignificat & Deuteronomium, quod interpretatur ſecũda Lex,quod ſignificãt & prioribus confractis tabulæ renouatæ. Multis enim modis ſignificandum , quod vno modo implẽdum fuit. Iã verò quod ſub terebintho ſtatutus eſt lapis , hoc ſignificat , quòd virga ad petram vt aqua proflueret: quia neque hic ſine

1.petri 2

psalm.117

1.Cor.10

psalm.80

Geneſ.32

ligno

ligno ſtatutus eſt lapis. Ideo autẽ ſubter, quia non fuiſſet in cruce exaltatus, niſi humilitate ſubiectus, vel quòd illo tempore, quo illud agebat Ieſus Naue, adhuc obumbrandum myſterium fuit. Terebinthi etenim lignũ medicinale lachrymã exudat, quę arbor à Septuaginta interpretibus hoc loco poſita eſt, quãuis ſecundum alios interpretes quercus legatur. Mirum eſt ſanè quòd ſaltẽ in nouiſsimis ſuis verbis, quibus populum allocutus eſt Ieſus homo Dei, nihil eos obiurgat, ex eo quòd his gentibus peperc erunt, quas Dominus vſque ad internetionem cum anathemate perdendas eſſe
Ioſue 17 præcepit. Sic enim ſcriptum eſt, Et factum eſt poſtquam inualuerunt filii Iſrael, & fecerunt Chananæos obedientes, exterminantes autem eos non exterminauerunt. Nam primò id eos non potuiſſe Scriptura teſtata eſt. Sed nunc poſteaquam pręualuerũt, ita vt facerẽt obaudientes, quòd non etiam exterminauerũt, vtique contra præceptum Domini factum eſt, quod non eſt cuiquã factum, cùm Ieſus exercitum duceret. Cur ergo non eos obiurgauit allocutione nouiſsima, quòd in hoc Domini præcepta neglexerint? An fortè quia prius dixit eos Scriptura nõ potuiſſe, vtique antequã prævaluerant, etiam cùm prævaluiſsẽt timuiſſe credẽdi ſunt, ne fortè paratis obedire ſi parcere noluiſſent, acrius eos aduerſum ſe ex ipſa deſperatione pugnare cõpellerent, & eos ſuperare non poſſent? Hunc ergo eis humanum timorem Dominus noluit imputare: etſi appa ret in eo quædam ſubdefectio fidei, quæ ſi fortis in eis eſſet, ea ſequerentur quæ ipſum Ieſũ debellantem ſecuta ſunt. Quia verò nõ in eis tanta fides fuit, etiã cum aduerſariis ſuis prævaluiſſent, pugnare cum eis vſque ad internetionem eorum timore non auſi ſunt. Quem timorem (vt dixi) non de malitia neque de ſuperbia vel contemptu præcepti Dominici, ſed de animi infirmitate venientem, noluit eis Dominus imputare, cùm eis per Ieſum nouiſsima
2 Timoth. 4 loqueretur. Vnde & Apoſtolus, Alexãder (inquit) ærarius multa mala mihi oſtẽdit: reddet illi Dominus ſecundum opera ipſius. De his autem qui eum periclitantem, non malitia ſed timore deſeruerant, ita locutus eſt, In prima mea defenſione nemo mihi affuit, ſed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.

EIVSDEM DIVI AVRELII *Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, Liber ſeptimus quæſtionum ſuper Iudicum.*

1 *De continuatione libri Iudicum cum præcedenti.*

IN fine libri Ieſu Naue breuiter narrator porrexit hiſtoriã, quouſque filii Iſrael ad colẽdos deos alienos declinauerunt. In hoc autem libro ad ordinem reditur, quomodo conſequentia geſta fuerint poſt mortem Ieſu Naue. Non ergo ab illo tempore incipit liber, quo populus ad coléda ſimulachra defluxit: ſed à prioribꝰ interpoſitis temporibus, quibꝰ ea geſta ſunt, poſt quæ ad illa peruenit.

Cùm dicitur, Iudas aſcendet, an Iudas nomen tribus ſit, an proprium ducis alicuius.

Et factum eſt poſtquam defunctꝰ eſt Ieſꝰ, 2 *Iudic. 3.*
interrogabant filii Iſrael Dominum, dicentes, Quis aſcendet nobiſcum ad Chananæum dux ad bellandum eum? Et dixit Dominus, Iudas aſcendet. Ecce dedi terram in manus ipſius. Hic quæritur, vtrùm aliquis homo Iudas vocabatur, an ipſam tribum, ita vt ſolet, ſic appellauit. Sed illi qui interrogauerant Dominũ poſt mortem Ieſu Naue, ducem requirebant: vnde putatur vnius expreſſum hominis nomẽ. Verùm quia non ſolet duces nominare Scriptura cùm conſtituuntur, niſi commemorata etiam origine parentum, & conſtat poſt Ieſum duces habuiſſe populum Iſrael, quorum primus eſt Othoniel filius Cenez, rectius intelligitur nomine Iudæ tribum Iudæ fuiſſe ſignificatam. Ab ipſa enim tribu voluit Dominus incipere conteri Chananæos. Et cùm populus de duce interrogaſſet, ad hoc valuit reſponſio Domini, vt ſcirent Deum voluiſſe ab vniuerſo populo bellari aduerſus Chananæos. Dixit ergo, Iudas aſcendet. Et ſequitur Scriptura narrans, Et dixit Iudas ad Simeon fratrem ſuum, vtique tribus ad tribum. Non enim adhuc viuebant illi filii Iacob, qui dicti ſunt Iudas & Simeon, inter cæteros fratres ſuos propriis nominibus appellati. Sed dicit tribus Iuda ad tribum Simeon, Aſcende mecum in ſorte mea, & bellemus in Chananæos, & ibo etiam ego tecum in ſortem tuam. Manifeſtum eſt auxilium ſibi tribum Iuda alterius tribus poſtulaſſe, quod redderet, cùm & illi in ſua ſorte habere inciperent neceſſarium.

Quo tempore de Caleb promittente filiam factum ſit.

Et dixit Caleb, Quicunque percuſſerit 3 *1 Regu. 1*
ciuitatem literarum, & ceperit eam, dabo ei filiam meam Axam vxorem. Iam hoc & in libro *Ioſue 15*
Ieſu Naue commemoratum eſt: ſed vtrùm Ieſu viuente factum ſit, & nunc per recapitulationem repetitum eſt, an poſt eius mortem, poſteaquam dictum eſt, Iudas aſcendet: & cœpit Iudas debellare Chananæos: in quo bello iſta omnia geſta narrantur, meritò quæritur. Sed credibilius eſt poſt mortem Ieſu factum: tunc autem per Prolepſim, id eſt, præoccupationem commemoratum, quemadmodum & alia. Nũc enim cùm res geſtæ aduerſus Chananæos tribus Iuda exponerentur, ita ſe narrationis ordo continet, inter cætera Iudæ facta bellica, de quo poſt mortem Ieſu dixerat Dominus, Iudas aſcendet. Et poſtea deſcenderunt filii Iuda pugnare ad Chananæum, qui habitabat in mõtana & Auſtrum & campeſtrem. Et abiit Iudas ad Chananæum inhabitantem in Hebron, & exiit Hebron ex aduerſo: nomen autem erat Hebrõ Cariatharbe vel Sepher, & peuſsit Seſi & Acimã & Cholmi filios Enach: & aſcẽderũt

inde ad inhabitantes Dabir. Nomen autẽ Dabir, quod erat antè ciuitas literarũ. Et dixit Caleb, Quicunque percusserit ciuitatem literarum, & acceperit eam, dabo ei filiam meam in vxorem. Constat ergo ex hoc ordine gestarum rerum tam perspicuo, post mortem Iesu hoc esse factum. Tunc verò cùm ciuitates datæ ipsi Caleb cõmemorentur, progressus ex occasione narrator, quod postea factum est præoccupauit. Nec tamen frustra arbitror hoc de filia Caleb data in victoris præmium, bis numero Scripturam commemorare voluisse.

An ea quæ narrantur de petitione facta per filiam Caleb, quadrent cum dictis Iosue.

4 Alia nascitur quæstio de filia Caleb, quòd in libro Iesu Naue sic de illa dicit, Et factũ est cùm ingrederetur ipsa, & consilium habuit cũ eo dicens, Petam patrem meum agrum. Et exclamauit de asino, & cætera vbi agrum petit à patre, atque concessus est. Hic autem, Et factũ est (inquit) cùm ingrederetur ipse, monuit eã Othoniel, vt peteret à patre suo agrum. Sed in eo quod dictũ ibi est, Cùm ingrederetur ipsa, & hic dictum est, Cùm ingrederetur ipse, nihil contrarium est: simul enim ingrediebãtur viã. Quòd verò ibi dictum est, Consilium habuit cum eo, id est, cum viro suo, dicens, Petam patrem meum agrum, & exclamauit de asino, & petiit. In eo quòd habuit consilium, ibi monita est vt peteret. Quorum alterum hic dictum est, alterum ibi. Vtrunque autẽ ita diceretur, Et consilium habuit cum eo dicens, Petam patrem meum agrum. Ille autem monuit eam: & exclamauit de asino. Porrò autem quòd ibi agrum refertur petiisse, & nomen ipsius agri tacitum est: hoc verò cùm agrum petere monita fuerit à viro suo, non agrum petiisse dicitur, clamãs de subiugali, quod ibi dictum est de asino, sed redemptionem aquæ, eò quòd in terrã Austri fuisset tradita, subiecitque Scriptura, Et dedit ei Caleb secundum cor eius, redemptionem excelsorum, & redemptionẽ humilium: quid sibi velit obscurum est: nisi fortè ager ille ideo petebatur vt haberet de fructib⁹ eius vnde aquam redimeret, cuius inopia in illis regionibus erat, quò nupta ducebatur. Sed dedit ei Caleb redemptionem excelsorum, & redemptionem humiliũ: non video quid subaudiamus, nisi fluentorum excelsorum, videlicet in montanis, & humilium, in campestribus siue in vallibus.

Iosue 15

Iudicum 1

Cur in libro Iosue omnis terra dicatur filiis Israel data, quum multæ dicantur non datæ.

5 Et non hæreditauit Iudas Gazam & finẽ eius, & Ascalonem & finem eius, & Accaron & finem eius, & Azotum, & adiacentia eius. Et erat Dominus cum Iuda, & hæreditauit mõtem: quoniã non potuit hæreditare inhabitantes in valle, quoniã Rechab obstitit eis, & curr⁹ erãt ei ferrei. Quod in libro Iesu Naue, cùm illũ locum tractarem, vbi scriptum est, Et dedit Dominus Israel omnem terram: cùm multas eius partes nondum possederint: dixi ita posse intelligi omnem terram datam, quia ea quæ data non est in possessionem, data est in quandam exercitationis vtilitatem: hoc multò euidentius hìc apparet, quandoquidem commemorantur ciuitates, quas non hæreditauit Iudas, & dicitur, Et erat Dominus cum Iuda, & hæreditauit mõtem, quoniam non potuit hæreditare inhabitantes in valle. Quis enim non intelligat etiam hoc ipsum ad id pertinuisse quòd erat Dominus cum Iuda, ne totum repentè obtinendo extollerentur? Quod enim adiungit, Quoniam Rechab obstitit eis, & currus erant ei ferrei: quos curr⁹ timuerit, dictum est, non Dominus qui erat in Iuda, sed ipse Iudas. Cur autem timuerit, cum quo Domin⁹ erat, si quæritur, hoc est quod prudenter intelligendum est, restringere Deum propitiũ, etiam in cordibus suorum nimiæ prosperitatis excessus, vt in vsu eorum conuertat inimicos, non solùm quando vincuntur inimici, sed etiam quando metuuntur. Illud ad commendandam largitatem suam, illud ad eorum reprimendam elationem. Nam vtique inimicus sãctorum est angelus satanæ, quem tamen sibi datum colaphizantem dicit Apostolus, ne magnitudine reuelationum extolleretur. 2. Cor. 12

Iudic. 1

Supra libro 6. quæstio. q. 21

Quomodo gesta tempore Iosue narrentur.

Et dederunt Caleb Hebron, sicut locutus 6
est Moses: & hæreditauit inde tres ciuitates filiorum Enach, & abstulit inde tres filios Enach. Iam hoc dictum est in libro Iesu Naue, quoniam & illo viuo factum est: sed hìc recapitulando commemoratum est, cùm de tribu Iuda, vnde fuit Caleb, Scriptura loqueretur.

Iudic. 1

Quomodo Hierusalem dicatur, non deuicta, nec Iebusæus, cùm prius contrarium dictum sit.

Quæritur quomodo dictum sit, Et Ie- 7
busæum habitantem in Hierusalem non hæreditauerunt filii Beniamin, & habitauit Iebusæus cum filiis Beniamin in Hierusalem vsque in hodiernum diem: cùm superius legatur eadem ciuitas à Iuda capta & incensa, interfectis in ea Iebusæis. Sed cognoscendum est istam ciuitatem communem habuisse duas tribus, Iudam & Beniamin, sicut ostendit ipsa diuisio terrarum, quæ facta est à Iesu Naue. Ipsa est enim Iebus quæ Hierusalem. Ideo duæ istæ tribus remanserunt ad templum Domini, quã do cęteræ (excepta Leui, quę sacerdotalis fuit, & terras in diuisionem non accepit) separauerunt se à regno Iuda cum Hieroboam. Intelligendum est ergo à Iuda quidem ciuitatem captam & incensam, interfectis qui illic reperti fuerant, sed non omnes Iebusæos esse extinctos, siue quia erant extra illam ciuitatem, siue quia fugere poterant: quos reliquos Iebusæos admissos esse à filiis Beniamin, quib⁹ cum Iuda erat ciuitas illa cõmunis, in ea simul habitare. Quod ergo dictũ est, Nõ hęreditauerũt Iebu-

Iudic. 1

Iebusæum filii Ben-iamin, intelligendum est, quòd nec tributarios eos facere potuerunt, siue voluerunt. Aut certè Non hæreditauit Iebusæum, dictum est, quia non sine illo tenuit terram, quæ ab illo possidebatur.

Quomodo Bethsan dicatur Scytharum ciuitas.

8 Et non hæreditauit Manasses Bethsan, quæ est Scytharum ciuitas. Ipsa hodie perhibetur Scythopolis dici. Potest autem mouere, quomodo in illis partib⁹, multum ab Scythia diuersis, potuerit esse Scytharum ciuitas. Sed similiter potest mouere, quomodo tam lõgè à Macedonia Macedo Alexander condiderit Alexandriam ciuitatem: quod vtique fecit longè latéque bellando. ita etiam Scythæ aliquando bellando in longinqua progredientes, istam cõdere potuerunt. Nam legitur in historia gentium, vniuersam penè Asiam Scythas alquando tenuisse, cùm regi A Egyptiorũ, illi qui eis vltrò bellum indixerat, irét obuiam: quorum aduentu territus, in suum se regnum recepit. *Iudicum 1*

Quæ filias Bethsan vocet.

9 Et non hæreditauit Manasses Bethsan, quæ est Scytharũ ciuitas, neque filias eius. Filias eius dicit ciuitates, quas ipsa quasi metropolis instituerat. *Iudic. 1*

Quomodo repetatur, quod in libro Iosue dictum est.

10 Et factum est quando præualuit Israel, & posuit Chananæum in tributariũ, & auferens non abstulit eum. Iam tale aliquid dictum est in libro Iesu Naue, penè ipsis verbis. Proinde aut hìc per Anacephaleosin dicitur, aut illic per Prolepsin dictum est, id est, aut hìc recapitulando, aut illic præoccupando. *Iudic. 1*

Quomodo quod sequitur similiter repetitum sit.

11 Et contribulauit Ammorrhæus filios Dã in montem, quoniã non permisit eos descendere in vallẽ. Et hoc similiter, aut in libro Iesu Naue præoccupando commemoratum est, aut hìc recapitulando. *Iudic. 1*

Quomodo dicitur de monte ploration's, & quæ sequuntur, ùn præoccupando dicãtur.

12 Et ascẽdit Angelus Domini super κλαυθμῶνα montem. Scriptor libri hoc nomine appellauit locum, quia postea scripsit. Nam quando Angelus Domini super eum ascendit, nõdum sic appellabatur. A ploratione quippe nomẽ accepit, quod κλαυθμὼν ploratio dicitur. Ibi enim popul⁹ fleuit, cũ audisset ab hoc Angelo verba Domini vindicantis in eos, quòd inobediẽtes fuissẽt, quia non exterminauerũt populos secundũ præceptũ eius, quibus præualuerũt, eligentes eos facere tributarios, quàm interimere & perdere, quemadmodum iusserat Dominus. Quod siue contempto Dei mandato, siue timore fecerint, ne hostes aduersum se acrius pugnare pro salute obtinenda, quàm pro tributo non dando cogerent, sine dubio peccauerunt, vel spernendo quod Diuinit⁹ imperatũ est, vel non præsumendo quòd eos posset qui imperauerat adiuuare. Quod ideo per Iesũ noluit eis dicere, si tamen adhuc eo viuẽte iam fieri præceperat, & non potius præoccupando commemoratum fuerat, quod illo mortuo fieri cœpit: quia hoc omnibus voluit exprobrare per Angelum. Nondum autem omnes id fecerant viuente Iesu: & si aliqui forte iam cœperant. Credibilius est tamen nihil tale fieri cœptum viuẽte Iesu Naue, tantúmque terrarum sub illo tenuisse filios Israel, quantum eis ad considendum sufficeret: quanuis in sortibus suis haberent vnde crescendo & conualescendo adhuc aduersarios exterminarent. Proinde post mortem Iesu, postquam præualuerunt, vt hoc possent facere, maluerunt eos habere tributarios secundum voluntatem suam, quàm interimere & perdere secundum voluntatem Dei. Propter hoc ad eos corripiendos Angelus missus est. Quòd verò commemoratum est in libro Iesu Naue, magis existimo præoccupando commemoratum, quod post eius mortem vel futurum esse iam ipse nouerat Prophetico spiritu, si ab illo liber conscriptus est, qui appellatur Iesu Naue, vel si ab alio script⁹ est, iam futurum esse sciebat post mortem Iesu, quod in illo libro præoccupando commemorauit. *Iudicum 2*

An elici possit, etiam de ira Dei quædam præuenire peccata, ex verbis Angeli comminantis.

13 Quid est quòd Angelus Domini inter cætera Diuinæ comminationis dicit, Nõ adiiciam transmigrare populum, quem dixi eiicere: Non auferam eos à facie vestra: & erunt vobis in angustias, & dii eorum erunt vobis in scandalum: nisi vt intelligamus nõnulla etiam de ira Dei venire peccata? Vt enim dii gentiũ, inter quas non à se exterminatas Israelitæ habitare voluerunt, essent eis in scandalum, id est, facerent eos scandalizari in Domino Deo suo, eóque offenso viuere, indignãs hoc comminatus est Deus, quod certè manifestum est magnum esse peccatum. *Iudic. 2*

Quid sit esse in scandalum

Quomodo per recapitulationem populus dicatur ire quisque in domum suam, quod viuente Iosue factum est.

14 Et dimisit Iesus populum, & abierunt filii Israel vnusquisque in domum suam, & vnusquisque in hæreditatem suam, hæreditare terram. Hoc per recapitulationem iterari nulla dubitatio est. Nam & mors ipsius Iesu Naue etiam in libro commemoratur, vt tanquam ab exordio cuncta breuiter insinuarentur, ex quo eis Dominus dedit terram, & quemadmodum sub ipsis Iudicibus vixerint, quæve perpessi sint: atque iterum reditur ad Iudicum ordinem, ab eo qui primus est constitutus. *Iudicum 2*

Quomodo exponatur, Non scierunt Dominum.

15 Et surrexit generatio altera post eos, qui non scierunt Dominum, & opera eius quæ fecit Israel. Exposuit quomodo dixerit Nõ scierunt Dominum, in illis videlicet præclaris & mirabilibus operibus, per quæ factum est ante illos, vt Israel sciret Dominum. *Iudicum 2*

Quomodo nomina idolorum accipi debeant.

16 Et seruierunt Baal & Astartib⁹. Solet dici
Iudic 2 Baal nomen esse apud gentes illarum partium Iouis, Astarte autem Iunonis: quod lingua Punica putatur ostendere. Nam Baal Punici videntur dicere, dominum: vnde Baal-samen, quasi dominum cæli intelliguntur dicere. Samen quippe apud eos cæli appellantur: Iuno autem sine dubitatione ab illis Astarte vocatur. Et quoniam istæ linguæ nō multum inter se differunt, meritò creditur de filiis Israel hoc dicere Scriptura, quòd Baal seruierunt & Astartib⁹, quia Ioui & Iunonibus. Nec moue re debet, quòd non dixit Astarti, id est, Iunoni: sed tanquam multæ sint Iunones, pluraliter hoc nomē posuit. Ad simulachrorū enim multitudinem referri voluit intellectum, quoniā vnunquodque Iunonis simulachrū, Iuno vocabatur. Ac per hoc tot Iunones, quot sunt simulachra intelligi voluit. Varietatis autē causa existimo Iouem singulariter, Iunonem pluraliter cōmemorare voluisse. Nam eadem causa plurium simulachrorum etiā Ioues pluraliter dici possent. Hoc autem, id est, nomine plurali Iunones in Græcis secundum Septuagīta reperimus, in Latinis autem singulariter erat. Quorum in illo qui non habebat Septuaginta interpretationē, sed ex Hebræo erat, Astaroth legimus: nec Baal, sed Baalim. Quòd si fortè aliud in Hebræo vel Syra lingua nomina ista significant, deos tamen alios fuisse constat & falsos, quibus Israel seruire non debuit.

Quomodo dicatur, Vendidit eos &c.

17 Et vendidit eos in manu inimicorum suo-
Iudicum 2 rum in circumitu. Quæri solet quare dixerit Vēdidit, tanquam aliquod pretium intelligatur datum. Sed & in Psalmo legitur, Vēdidisti
Psalmo 43 populum tuum sine pretio. Et apud Prophetam, Gratis venditi estis, & non cum argento
Esai. 52 redimemini. Quare ergo vēditi, si gratis & sine pretio, & non potius donati? An fortè Scripturarum locutio est, vt vēditus etiam, qui donatur dici possit? Hic autem sēnsus est optimus in eo quod dictum est, Gratis venditi estis, & Vendidisti populum tuum sine pretio: quia illi quibus tradidisti populū, impii fuerunt, non Deum colendo tradi sibi illum populum meruerunt, vt ipse cultus tanquam pretium videretur. Quòd verò dictum est, Neque cum argento redimemini, non ait, Neque cum pretio, sed Neque cum argento, vt pretiū redemptionis intelligamus, quale dicit Apostolus
1. Petri 1 Petrus, Non enim argento & auro redempti estis, sed pretio sanguinis agni immaculati. In argento enim Propheta omnem pecuniam significauit, vbi ait, Non cum argēto redimemini: quoniam pretio quidem sanguinis Christi, non tamen pretio pecuniario fuerant redimē di. In eo quod Dominus dicit, Et ego non apponā auferre virū à facie ipsorū, de gentibus quas reliquit fili⁹ Naue: & dimisit ad tentandū in eis Israel si obseruabāt viā Domini abire in eam, quēadmodum custodierūt patres eorū, an nō. Et dimisit Domin⁹ gētes has, vt non auferret illas tunc, & nō tradidit illas in man⁹ Iesu⁹. Satis ostenditur causa, quare non Iesus omnes illas gentes bellando deleuerit, quia hoc si fieret, non esset in quibus isti probarentur. Poterat autem esse ad vtilitatem ipsorum, si tentati in eis non reprobi inuenirētur, essique talibus inuentis, quales eos esse debere præceperat Dominus, iam gentes illæ auferrētur à facie eorū: si ita viuerent, nec bellis eos exerceri oporteret. Verba enim Domini hucusque accipienda sunt, Propter quod tanta dereliquit gens hæc testamentum meum, quod mandaui patribus eorum, & non obedierunt voci meæ: & ego non apponā auferre virum à facie ipsorū, id est, aduersarium. Cętera verò verba scriptoris sunt exponentis vnde dixerit Dominus, nō se ablaturum virum de gentibus quas reliquit Iesus filius Naue. Deinde subiungens qua causa dereliquerit, Et dimisit, inquit, ad tentandū Israel, si obseruarēt viam Domini, abire in ea, quemadmodum custodierunt patres eorum, an non: eos volens intelligi patres custodisse viam Domini, qui fuerunt cum Iesu, id est, eo tempore quo ille viuebat. Generationē quippe alteram superius retulit surrexisse post illos qui vixerūt cum Iesu, & ab ipsis cœpisse transgressiones quę offenderunt Dominū, pro quibus tentandis, id est, probandis, relictę fuerant gentes, nec exterminatæ per Iesum. Deinde ne putaretur hoc Iesu consilio suo tanquam humano egisse, vt gētes illæ relinquerentur, subiungit Scriptura, Et dimisit Dominus gentes has, vt non auferret illas celeriter, & non tradidit eas in manu Iesu. Deinde sequitur, Et Iudic. 3. hæ gentes quas reliquit Dominus, vt tentaret in eis Israel, omnes qui nescierunt omnia bella Chananæorum propter generationes filiorum Israel, vt doceret illos bellum. Erat ergo ista causa in eorum tentatione, vt bellare discerent, id est, vt tanta pietate & obedientia Legis Dei bellarent, quanta patres eorum, qui Domino Deo etiam bellando placuerunt: nō quia optabile aliquid est bellum, sed quia pietas laudabilis est in bello. Quod autem sequitur, Verùm quia ante illos nescierunt illas: quid nisi gentes vult intelligi, quas nescierunt bellando qui fuerunt ante istos, quorum tentationi, hoc est, probationi relictæ sunt? Deinde commemorans quæ sint, Quinq;, inquit, satrapias alienigenarū: quas in libris Regnorum manifestius exprimit. Satrapiæ autem di- *Satrapæ quid sint.*
cuntur, quasi parua regna, quibus Satrapæ præerant, quod nomen in illis partibus cuiusdam honoris est, siue fuit. Et omnem, inquit, Chananæum & Sidonium & Euæum, inhabitantem Libanum aut montem Hermon, vsque ad Cabemath: & factū est vt tētaretur in ipsis, Israel. Tanquam diceret, Hoc autē factum est vt tētaretur in ipsis Israel scire si audiēt mādata Domini, non vt sciret De⁹ omniū cognitor

etiam

etiam futurorum, sed vt scirent ipsi,& sua cõscientia vel gloriarentur, vel conuincerentur, vtrùm audirent mandata Domini,quæ mandauit patribus eorum in manu Mosi. Quoniã ergo manifestati sibi sunt non se obedisse Deo in his gentibus, quæ ad eorum tentationem, id est, exercitationem atque probationem fuerant derelictæ: propterea dixit Deus vel illa in quibus missus est Angelus,& expresse locutus est, vel paulò antè, vbi ait, Propter quòd tanta dereliquit gens hæc testamẽtum meum, quod mandaui patribus eorum,& non obedierunt voci meæ: & ego non apponam auferre virum à facie ipsorum. Dictum est autem in Exodo ex persona Dei loquẽtis de istis gentib⁹ aduersariis, Non eiiciam illos in anno vno, ne fiat terra deserta,& multiplicentur in te bestiæ feræ. Paulatim eiiciam illos, donec multiplicemini & crescatis,& hæreditetis terrã. Poterat hanc promissionem suam seruare Dominus erga obedientes, vt exterminatio gentium illarũ crescentibus Israelitis partibus fieret,cùm eorum multitudo terras,vnde aduersarii exterminarẽtur,desertas esse non sineret. Quòd autem ait, Ne multiplicẽtur in te bestiæ feræ, mirum si non bestiales quodammodo cupiditates & libidines intelligi voluit, quæ solẽt de repentino successu terrenæ felicitatis existere. Neque enim Deus homines exterminare poterat,& bestias nõ poterat, vel perdere,vel pasci potius non permittere.

Exod.25

Quomodo dicatur, Excitauit Dominus saluatorem Israel.

18 Et excitauit Dom⁹ saluatorẽ Israel,& saluauit eos. Deinde velut quæreretur quem saluatorem: Othoniel(inquit)filium Cenez. Accusatiuum enim casum hic debemus accipere, tanquam diceret Othonielem. Aduertendum est autem quòd saluatorem dicat etiam hominem, per quem Deus saluos faciat. Nã clamauerunt filii Israel ad Dominũ,& excitauit Dominus saluatorẽ Israel, & saluauit eos, Othoniel filium Cenez,fratrem Caleb minorẽ ipsius: & exaudiuit eos. Inter illa autem quæ appellantur ὑστερα hoc genus rarum est, quoniam habet & illud quod Græci vocãt ὑστεροπροτερίαν. Quod enim ait postea, Et exaudiuit eos, si prius ponatur,fit sermo lucidior. Nam ordo est, Et clamauerunt filii Israel ad Dominum, & exaudiuit eos,& excitauit Dominus saluatorem Israel. Deinde quod hìc interpositũ est, Et saluauit eos: & postea dictum est, Othoniel filium Cenez,si ita diceretur planius fieret, Et excitauit Dominus saluatorem Israel, Othoniel filium Cenez,& saluauit eos.

Iudic.3

Quomodo quadraginta annis terra quieuisse dicatur, in aliis autem literis octoginta annis.

19 Quadragĩta annos quieuisse terram promissionis à bellis sub Othoniele iudice Scriptura testatur, quantum temporis primordia Romani imperii sub Numa Pompilio,tãtummodo rege pacata habere potuerunt.

Iudicum 3

An Aioth mentitus sit quando occidit Eglon.

Quæri potest, vtrùm mẽtitus fuerit Aioth iudex quãdo occidit Eglon regem Moab. Cũ enim solus soli insidiaretur vt eum percuteret, hoc illi ait, Verbum occultum mihi est ad te rex,vt ille à se omnes,qui cum illo fuerant,remoueret. Quod cùm factum esset, iterum dixit Aioth, Verbum Dei mihi ad te rex. Sed potest non esse mendacium: quandoquidem verbi nomine solet etiam factum appellare Scriptura. Et reuera ita erat. Quod autem dixit, Verbum Dei,intelligendum est hoc illi Deum vt faceret præcepisse,qui eum populo suo excitauerat Saluatorem, sicut illis temporibus talia fieri Diuinitus oportebat. 20

Iudic.3

Quomodo rex Eglon dicatur esse exilis valde, cùm adipes dicantur consedisse vulnus.

Meritò quæritur quomodo fuerit exilis valde rex Eglon, & cõcluserint adipes vulnus, quando percussus est. Sed intelligendum est ea locutione dictum,quæ solet à contrario intelligi: sicut dicitur lucus quòd minimè luceat, & abundare respondetur,quod non est, & benedixit regi, pro maledixit: sicut scriptum est in Regnorũ libro de Nabuthe. Nam in ea interpretatione,quæ non secundum Septuaginta, sed ex Hebræo est ita inuenimus, Erat autem Eglon crassus nimis. 21

Iudic.3

3 Regum.21

Quomodo sequentia recapitulando dicantur.

Et exiit ad fores,& transiit obseruantes, & clausit ianuas domus superioris super eum, & coarctauit. Hoc recapitulãdo dictũ est,quod fuerat prætermissum. Nam prius hoc fecisse intelligendum est, & sic de superius descendisse & transiuisse obseruantes. 22

Iudic.3

Quomodo pueri regis Eglon claue aperuerint quod Aioth claue non clauserat.

Quomodo pueri regis Eglon claui aperuerint quod Aioth claui non clauserat,potest mouere. Aut si ille claui clauserat, quomodo secum eam nõ auferret,vt isti nec claui aperire possent. Proinde aut alia clauis allata est,aut tale clausuræ genus fuit,quod sine claui possit claudi, nec sine claui aperiri. Nam sunt quædam talia,sicut ea quæ verudata dicũtur. 23

Iudic.3

Quomodo iudice Aioth octoginta annos dicatur habuisse pacem Israel.

Sub iudice Aioth octoginta annos pacem habuit Israel in terra promissionis, duplicato scilicet tempore,quàm fuit memorabile sub Romanorum rege Numa Pompilio. 24

Iudic.3

Quomodo Sangar seu Sannegar pro Israel post Aioth pugnasse dicatur.

Et post eum surrexit Sannegar filius Anath,& percussit alienigenas in sexcentos viros præter vitulos boum,& saluauit Israel. Quomodo post Aioth iste pro Israel pugnauerit, & dictus sit saluasse Israel,potest esse quæstio. Non enim rursus fuerant captiuitati vel iugo seruitutis innexi. Sed intelligendum ita dictum Saluauit, non quia nocuerit aliquid hostis, sed ne permitteretur nocere quem credendum est bello cœpisse tentare 25

Iudic.3

& huius victoria fuisse depulsum. Sed quid sibi velit quod addidit, Præter vitulos boum, obscurum est. An fortè etiam boum stragem pugnando fecit, & ita dictum est eum occidisse sexcentos viros, præter illud quod fecit de bobus occisis? Sed quare vitulos? An Græcæ locutionis consuetudo est, etiam vitulos eos appellare qui grandes sunt? Nam ita loqui vulgò in AEgypto perhibetur: sicut apud nos pulli appellãtur gallinæ cuiuslibet ætatis. Nõ autem habet interpretatio ex Hebræo, Pręter vitulos boum, sicut ista quæ secundũ Septuaginta est: sicut habet illa ex Hebræo, vomere occisos sexcentos viros, quod ista non habet.

Quid est quod respondit Barach Deboræ, Si ibis ibo, & si non ieris mecum, non ibo.

26 Iudicum 4 Quid est quòd respondens Barach Deboræ ait, Si ibis ibo: & si non ieris mecum, nõ ibo: quoniam nescio diem in qua prosperat Angelum Dominus mecũ, quasi à Prophetissa diem audire non potuerit: nec illa die respõdit, sed perrexit cum illo. Et quid est Prosperat Angelum Dominus mecũ? An hic demõstratum est, quia & Angelorum actus prosperantur, id est, adiuuantur à Domino, vt feliciter cedãt: an locutionis est, Prosperat Angelum mecum, id est, facit mecũ prospera per Angelum?

Quomodo paue fecit Dominus Sisaram.

27 Iudic. 4 Et pauefecit Dominus Sisaram & omnes currus eius. Ecce quemadmodum cõmendat Scriptura agere Deum in cordibus, vt det exitum rebus quem constituit. Vtique enim pafecit vel obstupefecit Sisaram, vt traderet eũ.

Quomodo doceatur non semper qui dicitur intrasse ad mulierem, eandem cognouisse.

28 Iudicum 4 Vbi Iahel mulier quæ occidit Sisarã, cùm locuta esset ad Barach, qui eum quærebat, scriptum est de ipso Barach, quia intrauit ad eã. Animaduertendum est non esse consequens, vt quia Scriptura dicat de viro quòd intrauit ad aliquam fœminam, iam etiam concubuisse credatur. Assiduè quippe sic loquitur Scriptura, Intrauit ad eam, vt nolit intelligi nisi quòd ei mixtus sit. Hic ergo propriè dictum est, Intrauit ad eam, id est, domũ eius intrauit, non vt per hæc verba intelligatur cõcubitus.

Quomodo in cantico Deboræ illa verba, Defecerunt habitantes in Israel, & reliqua quæ ibidem ordine mixto & confuse dicuntur, ordinanda sint.

29 Iudicum 5 In cantico Delboræ dicitur, Defecerunt habitantes in Israel, defecerũt donec surrexit Delbora, donec surrexit mater in Israel: elegerunt vt panem hordeaceum deos nouos, tunc expugnauerunt ciuitates principũ. Hìc intermixtus ordo verborum obscuritatem facit, & quæstionem mouet. Quomodo enim intelligatur, Elegerunt vt panem hordeaceum deos nouos, tunc expugnauerunt ciuitates principum: quasi tunc eis fauerit Deus ad expugnãdas ciuitates principũ, quãdo elegerunt vt panẽ hordeaceũ deos nouos. Sed in aliis iã Scripturarum locis sæpe didicimus, quemadmodũ fiant hyperbata, quorum directione cùm verba ad ordinem redeunt, sensus explanatur. Iste ergo est ordo, Defecerunt habitantes in Israel, defecerunt, elegerunt vt panẽ hordeaceũ deos nouos, donec surrexit Delbora, donec surrexit mater in Israel: tunc expugnauerunt ciuitates principum.

Quomodo dicatur, Elegerunt vt panem hordeaceum deos nouos, cùm nulla sit comparationis ratio.

Quæri potest, quomodo dictum sit, Elegerunt vt panẽ hordeaceum deos nouos, cùm panis hordeaceus, quanuis sit in comparatione tritici panis abiiciendus, tamen etiam ipse pascat & vitale alimẽtum sit. Dii autem noui, quos dicuntur elegisse, qui defecerunt à Deo viuo, non possint in alimentis animæ deputari, sed potius in venenis. An hactenus accipiẽda est similitudo, quatenus valet, vt propter hoc solùm dictum intelligatur, quia sicut plerũque fastido fit, vt eligẽda reiciãtur, & aspernanda delectent, ita vitio prauæ voluntatis, tãquam languore fastidii, cùm esset Deus eorum verus, sibi falsos elegerunt, nihil aliud quàm nouitatẽ & spreta veritate: atque ita cibum mortiferum, tãquam panem hordeaceum elegerunt: non se arbitrantes inde perituros, sed etiam inde vitã velut esca innoxia, licet viliore, sumpturos. Secundum opinionem ergo eorum, similitudo posita est, animíque languorem, non secundum veritatem. Nã dii illi noui nullis sunt cibis vitalib⁹ cõparãdi. 30 Iudic. 5

Cur non exprimatur nomen Prophetæ, qui dicitur missus à Deo ad populum.

Et factum est quando clamauerunt filii Israel ad Dominum propter Madian, & misit Dominus virum Prophetam ad filios Israel, & dixit eis. Cur non dicatur nomen huius Prophetæ, quod valde Scripturis inusitatum est, latens causa est: non tamen nullam esse arbitror. Sed quia post verba quibus exprobrauit inobedientiam populi, sequitur Scriptura dicens, Et venit Angelus Domini, & sedit sub quercu, quæ erat in Ephra: non absurdè intelligitur iste Angelus significatus nomine viri, vt posteaquã hæc verba dixit, venerit ad quercum memoratam, & ibi sederit. Nomine enim virorum solere appellari Angelos notum est: quanuis eum qui esset Angelus appellatũ esse Propheram, nõ facilè seu euidenter occurrat. Eum sanè qui Propheta esset, dictũ Angelum legimus. Sed si Angelorũ dicta Prophetica nota sunt, id est, quibus futura prænuntiauerũt, cur non possit Angelus Prophetæ nomine nũcupari? Veruntamen vt dixi, expressum & manifestum de hac re testimonium nõ occurrit. 31 Iudicib.

Quomodo quod Angelus ait ad Gedeon, Dominus tecum potens in fortitudine, Potens est nominatiui casus, cui non quadrat littera, quæ habet in vocandi casu, virorũ fortissime &c.

Quòd Angelus dicit ad Gedeon, Dominus tecum potẽs in fortitudine: nominatiuus casus est, non vocatiuus, hoc est, Dominus potens tecum est, non tu potens. 32 Iudic. 6

Cur

Cur Angelus ex auctoritate Dei dicat ad Gedeon, Nonne ego misi te? &c.

33 Aduertendum est dixisse Angelum tanquam ex Domini auctoritate, Nonne ecce mi
Iudic. 6 si te? cùm loqueretur ad Gedeon. Quis enim eum misit, nisi qui ad eũ Angelum misit? Del-
Iudic. 4 bora verò ait ad Barach, Nonne mandauit Dominus Deus Israel tibi? Hìc autem non dictum est, Nonne ecce misit te Dominus, sed, Nonne ecce misi te?

Quomodo Gedeon dicendo, Ecce mille mei, &c. se Chiliarchum, id est, Principem super mille significat.

34 Vbi respondet Gedeon ad Angelum, In
Iudic. 6 me Domine, hoc est, in me intende, in quo saluabo Israel. ecce mille mei humiliores mei in Manasse: intelligitur præpositus fuisse mille hominum, quos Græcè χιλιάρχους appellat Scriptura. An quid aliud?

Quomodo Gedeon non dixit Angelo, Offeram tibi sacrificiũ: sed Offeram sacrificium meum in conspectu tuo, & quid de Angelo sensit.

35 Animaduertendum est, quòd Gedeon nõ
Iudic. 6 ait Angelo, Offeram tibi sacrificium, sed ait, Offeram sacrificium meum, & ponam in conspectu tuo. Vnde intelligendum est, non eum Angelo, sed per Angelum sacrificium offerre voluisse. Quod & ipse Angelus euidẽter ostendit, qui non ab eo sacrificium tanquã sibi sumpsit, sed ait illi, Accipe carnes & azymos, & pone ad petram illam, & ius effunde. Et cùm hoc fecisset Gedeon, extendit Angelus summum virgæ, quæ erat in manu eius, & tetigit carnes & azymos, & accensus est ignis de petra, & comedit carnes & azymos. Ita etiam ipse Angelus in sacrificio quod obtulit Gedeõ officium ministrantis impleuit. Ignem quippe homo minister vt homo sine miraculo subiecisset, quẽ mirabiliter vt Angelus iste subiecit. Denique tunc cognouit Gedeon quòd Angelus Domini esset. Nam hoc Scriptura continuò subdidit, Et vidit Gedeon quoniam Angelus Domini est. Prius ergo tanquã cum homine loquebatur, quem tamen hominem Dei credidit, vt coram ipso sacrificium vellet offerre, velut adiuuandus præsentia eius sanctitatis.

Quomodo Gedeon ausus fuerit offerre sacrificium Deo præter locum vbi iusserat Deus.

36 Quæri potest, quare Gedeon ausus fue-
Iudic. 6 rit sacrificium offerre Deo, præter locum vbi iusserat Deus. Præter tabernaculum quippe suum Deus prohibuerat sacrificari sibi: cui tabernaculo templum postea successit. Tempore autem quo fuit Gedeõ, tabernaculum Dei erat in Silo: atque ideo illic tantum legitimè possit sacrificari. Sed intelligendum est, quòd illum Angelum primò Prophetam putauerat, & tanquam Deum in illo consuluerat de offerendo sacrificio. Quod ille si prohibuisset, non vtique fieret. Sed quoniam approbauit & vt fieret annuit, Dei auctoritatem Gedeon in faciendo secutus est. Ita quippe Deus legiti
Genes. 22 ma illa constituit, vt leges non sibi sed homini
3. Reg. 18 bus daret. Vnde quodcunque præter illa ipse præcepit, non à transgressoribus, sed potius à piis & obedientibus impletum intelligendũ est: sicut Abraham de immolando filio. Nam & sic Helias extra tabernaculum Domini ad conuincendos sacerdotes idolorum sacrificauit: quod ex præcepto Domini fecisse intelligẽdũ est, qui ei tanquam Prophetæ, reuelatione atq; inspiratione iussit vt faceret. Quãquam tãta cõsuetudo præter tabernaculũ sacrificãdi crebruerat, vt etiã Salomõ in excelsis sacrificasse inueniatur, nec ei° sacrificiũ fuisse reprobatum. Et tamẽ notantur reges, qui inter opera laudabilia sua non destruxerunt excelsa, vbi contra Legem Dei populus sacrificare consuerat. Et qui destruxit, maiore prædicatione laudatur. Ita Deus consuetudinem populi sui, qua præter eius tabernaculum, tamen non diis alienis offerebant, sed Domino Deo suo, sustinebat potius quàm vetabat, etiam sic exaudiens offerentes. Hoc autem quod Gedeon fecit, quis non intelligat per Angelum procuratum, vt Propheticè fieret, in qua Prophetia petra illa commendaretur? Cui quidem petræ non sacrificatum est, sed de illa ignis cõmemoratur exisse, quo sacrificium cõsumeretur. Siue etiam per aquam, quam percussa petra effudit in eremo, siue per ignem, donum Spiritus sancti significatur, quod ditissimè Dominus Iesus Christus effudit super nos. Nam & in Euangelio significatum est hoc donum per aquam, vbi ipse Dominus ait, Si quis sitit, ve-
Ioan. 7 niat & bibat: qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: vbi Euãgelista subiunxit, Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Significatum est & per ignem, vbi veniente illo super congregatos legitur, Visæ
Actuum 2 sunt illis linguæ diuisæ velut ignis, qui & insedit super vnunquenque eorum. Et ipse Dominus ait, Ignem veni mittere super terram.
Luc. 12

An vtrunque positum putetur, Manu & lingua, dicendo, lambuerunt trecenti viri.

Et factus est numerus eorum qui lambue- 37
Iudic. 7 runt manu sua, lingua sua, trecenti viri. Plerique Latini codices non habẽt, manu sua, sed tantummodo lingua sua, quoniam sic intellexerunt quod suprà dictũ est, Sicut canes. Græcus autẽ habet vtrũq;, manu sua & lingua sua, vt intelligatur quòd manu aquã raptam in os ꝓiiciebant, & hoc erat simile bibentibus canibus, qui non ore appositio sicut boues aquã ducũt, quam bibunt, sed lingua in os rapiũt, sicut etiã isti intelliguntur fecisse, sed cũ manu in os aquam proiicerent, quam lingua exciperẽt. Nam & interpretatio ex Hebræo planius id habet his verbis, Fuit itaq; numerus eorum, qui manu in os proiicientes aquã lambuerant, trecenti viri. Neque enim solent homines ita bibere, vt sine opere manus, lingua sicut canes aquam hauriant. Aut verò istis præceptum fuerat vt hoc facerent, sed cùm ad bibendum descendissent ad aquam, multi genu flexo biberũt, quod facilius & minore labore fieret: pau-

ci verò quia non flexo genu se incuruauerunt, vt canes biberunt. Sed aquam manu in os iactabãt. Quorum numerus, quia trecenti erãt, signum insinuat crucis propter literã T Græcam, qua iste numerus significatur, per quos etiam gentes magis in crucifixum credituras præfiguratum est, quòd litera Græca est. Vnde Græcorum nomine Apostolus omnes gentes
Romans. 2 significat, cùm dicit, Iudæo primùm & Græco: & Iudæis & Græcis, sæpe ita commemorans Circuncisionem & Præputium, quòd in linguis gentium Græca ita excellat, vt per hanc
Genes. 14 omnes decenter significentur. Iste numerus & in vernaculis Abrahæ animaduertendus est, per quos fratrem ab hostibus liberauit, quãdo eum Melchisedech in magno mysterio benedixit. Quòd enim exuberãt illic decem & octo: nam trecenti decem & octo fuisse referuntur, videtur mihi significatum quòd etiam tempore fieret, id est, tertio, quod futurum erat sub gratia. Nam primum est ante Legem, secundũ sub Lege, tertium sub gratia. Singula verò tẽpora denario numero signata sunt propter perfectionẽ. Nam ter seni, decem & octo sunt.
Luæ 13 Vnde & illa mulier decem & octo annos habebat in infirmitate, quam curuã Saluator cùm inuenisset, erexit & à diaboli alligamento (vt Euangelium indicat) soluit. Nam quòd ita isti probati sunt, per quos vinceret Gedeon, vt similes in bibẽdo canibus dicerentur, significat
1. Corin. 1 quòd & cõtemptibilia & ignobilia elegit Dominus. Pro contẽptu enim habetur canis. Vn-
Matth. 15 de dicit, Non est bonum tollere panem filiorũ & mittere canibus. Et Dauid, vt se tanquam
1. Regum 14 cõtemptibilem abiiceret, canem se appellauit loquens ad Saul.

Quomodo Gedeon dicitur descendisse in partem quinquaginta ipse & puer eius &c.

38 Iudic. 7 Quid sibi vult quod scriptum est, Gedeon descendit ipse & Phara puer eius, in partem quinquaginta, qui erant in castris: quod Latini quidam codices habent, In eam partem, in qua erant quinquageni custodes in castris: alii vero partem quinquagesimam in castra. Obscurum quippe dictum plures sententias interpretum fecit. Sed aut ea pars castrorum erat, quam seruabant quinquaginta custodes, aut si quinquageni intelligendi sunt circunquaque seruasse, in vnam partem isti descenderunt, vbi erant quinquaginta.

Quid sit mensa panis hordeacei.

39 Iudic. 7 Quòd ille qui proximo suo somnium narrauit, quod audiuit Gedeon, vt de victoria futura confirmaretur, dixit se vidisse mensam panis hordeacei, voluentem in castris, & percutientem tabernaculum Madian, & subuertentem, hoc intelligendum arbitror, quod de canibus, quia per contẽptibilia mũdi, quæ significat mensa panis hordeacei, Saluator superbos fuerat confusurus.

Quid quod exclamari iussit Gedeon.

40 Iudic. 7 Quòd exclamari iussit Gedeon à trecentis suis, Gladius Domino & Gedeõ, id est, huic Gedeon, hoc significat quòd gladius id erat operaturus quòd Domino placeret & Gedeõ.

Quid sit iudicium Ephot.

41 Iudic. 8 Quæri solet quid sit Ephud, vel Ephod, seu Ephot. Quod quidẽ si sacerdotale est indumentum, quod plerique dicunt, vel potius superindumentum, quod ἐπωμίδος Græcè dicitur, vel ἐπωμὶς, quod magis superhumerale interpretari Latinè potest, meritò mouet quomodo de tanto auro Gedeon id fecerit. Nam ita scriptum est, Et factum est põdus inaurium aurearum, quas petierat sibi, mille septingẽti auri sicli, prẽter brachialia & torques & operimenta purpurea, quæ erant super reges Madian, prẽter torques quæ erant in cerui cibus camelorum ipsorum: & fecit illud Gedeon in Ephud, & statuit illud in ciuitate sua in Ephra, & fornicatus est omnis Israel post illud ibi: & factum est Gedeon & domui eius in scandalum. Quomodo ergo ista vestis de tanto auro fieri potuit? Nam & mater Samuelis fecit filio suo, sicut legimus, Ephud-bar, quod
1. Regum 2 nonnulli interpretati sunt Ephud lineum, quã do eum dedit Domino in templo nutriẽdum. Vbi euidentius apparet hoc genus esse indumenti. An ideo dictum est S, tatuit illud in ciuitate sua, vt hinc intelligeretur aureum fuisse factũ? Non enim dictũ est, Posuit, sed statuit: quoniam ita erat solidum & validum vt statui posset, hoc est positum stare. Hoc ergo illicitũ cùm fecisset Gedeon, fornicatus est post illud omnis Israel, id est, tequẽdo illud contra Legẽ Dei. Vbi nõ frustra quæritur, cùm idolũ non fuerit, id est, cuiusquam dei falsi & alieni simulacrum, sed Ephud, id est, vnum de sacramentis tabernaculi, quod ad vestem sacerdotalem pertineret, quomodo fornicationem Scriptura dicat populi ista sectantis atque venerantis. Ideo scilicet quòd præter tabernaculum Dei, vbi erant ista quæ sibi fieri iusserat Deus Israel, extrà simile aliquid fieri fas non erat. Ideo sequitur, & dicit Scriptura, Et factum est Gedeon & domui eius in scandalum, id est, vt ab offenso Deo discederet: quia & hoc quoddam genus idoli quodãmodo erat, quod extra Dei tabernaculũ quodlibet manu factum pro Deo coleretur: cùm illa ipsa quæ iussa sunt in tabernaculo fieri, ad Dei potius cultum referrẽtur quàm pro Deo aliquid eorum, aut pro Dei simulacro colendum haberetur. Quanquã per Ephud vel Ephod, ea locutione quæ significat à parte totum, omnia possunt intelligi, quæ cõstituit Gedeon in sua ciuitate, veluti ad colendum Deum similia tabernaculo Dei. Et propterea per hoc, quia hoc est sacerdotalis honoris insigne, quod sæpe Scriptura commemorat, vt hoc sit peccatũ Gedeõ, quòd extra Dei tabernaculũ fecerit aliquid simile, vbi coleretur Deus, nõ quòd solido auro velut ad adorãdum constituerit Ephud, sed quòd esset ex auro ipso, quòd etiã ex præda fecerit ea, quę pertinerent ad ornamenta vel instrumẽta sacra-

rii

rii, quæ omnia per Ephud significata sunt, propter excellentiam, vt dixi, vestis sacerdotalis. Nam & ipsum Ephud, non quidem ex auro solo fieri præceptum est, si hoc est superhumerale sacerdotalis vestis: veruntamen etiam aliquid auri habet. Nam ex auro & hiacyntho & purpura & coccino & byssо vt fieret, Diuinitus imperatum est. Sed quia hoc ita posuerũt Septuaginta interpretes, vt commemoratis omnibus quæ de spoliis acceperat Gedeon, inferrent, Et fecit illud Gedeon in Ephud: videtur ita dictum, tanquam ex toto illo quod cõmemoratum est, hoc factũ esse credatur: cùm possit etiam illic intelligi locutio, quæ significat à toto partem, vt quod dictum est, Fecit illud in Ephud, intelligatur, fecit inde Ephud, vel fecit ex eo Ephud, non secundum illud totum consumens in Ephud, sed ex illo quantũ sufficiebat impendens. Nam in illa interpretatione quæ ex Hebræo est, sic legitur, Fecitque ex eo Gedeon in Ephod. Quod enim apud Septuaginta scriptum est Ephud, hoc in Hebræo perhibetur dici Ephod. Non autem omnes sacerdotes tali vtebantur superhumerali, quod esset ex auro & hiacyntho & purpura & cocco & byssо: sed solus summus sacerdos. Vnde illud quod de Samuele cõmemorauimus, factũ illi ab eius matre, non erat vtique tale: quoniã cùm datus est nutriendus, non erat summus sacerdos vtique puer. Vnde, vt dictũ est, Ephud bar appellatur, vel potius Ephud bat, sicut asserunt qui Hebræam linguam nouerunt, quod interpretatur Ephud lineum. Sed Gedeõ existimo illud fecisse quod erat præcipuum summi sacerdotis indumentum atque ornamentum, per quod & cætera significata sunt opera sacrarii, quod in sua ciuitate præter Dei tabernaculum constituerat: & propter hoc peccatum factum & illi & domui eius in scãdalum, vt sic interiret, quod postea Scriptura narrat, tanta eius numerositas filiorum.

Quomodo terra dicatur quieuisse quadraginta annis in diebus Gedeon, cùm verisimile non sit.

42 Indic. 8 Non prætereũda oritur quæstio, quomodo quieuerit terra quadraginta annos in diebus Gedeon, cùm post victoriã, qua liberauit Hebræos, ex auro spoliorum fecerit abominationem, & post illam fornicatus sit omnis Israel, & fuerit illi & domui eius in scandalum. Quomodo ergo post hoc tantum nefas, quod & Gedeon & populus admisit, requieuit terra quadraginta annos, cùm hoc Scriptura soleat ostendere, cùm à Domino Deo populus fornicaretur, tunc potius pacem illos perdere non acquirere, & hostibus subiugari, non ab hostium infestatione muniri? Sed intelligendum est, sicut solet Scriptura p Prolepsin, id est, per præoccupationem dixisse quòd fecerit Ephud contra Dei Legem Gedeon ex illo auro, quod fuerat hostibus deuictis atque prostratis ablatum: quia vno loco dicere voluit, & vnde erat aurum, & quid de illo factum sit: sed postea factum est in fine dierũ Gedeon hoc peccatum, quando secuta sunt etiam mala, quæ deinde Scriptura contexuit, posteaquam commemorauit, quot annis in diebus Gedeon terra conquieuerit. quos annos recapitulando commemorauit, id est, ad ordinem quem præterierat, prius dicendo de illo scandalo, quod nouissimè factum est.

Quibus idolis post mortem Gedeon seruierunt filii Israel, & quomodo grauius peccauerunt.

43 Indic. 8 Et factum est cùm esset mortuus Gedeon, & auersi sunt filii Israel, & fornicati sũt post Baalim, & posuerũt ipsi sibi Baal-berith testamentum, vt esset eis ipse in Deum. Et Baalim & Baal-berith idola intelligenda sunt. Maior itaque transgressio & fornicatio cõmissa est à populo post mortem Gedeon, quàm illo viuo propter Ephud: quoniam & illud, etsi illicitè factum erat, tamen de sacramentis tabernaculi erat: ista verò post idola fornicatio, non habet vel falsam paternæ religionis defensionẽ. Vnde etiam illud Ephud, si non in fine temporis Gedeon, sed antè factum est, ita Deus patienter tulit, vt pax in terra perseueraret: quia licet factum erat quod prohibuerat, non tamẽ longè recessum erat ab illo, qui tale aliquid in tabernaculo suo, atq; in honorem suum fieri iusserat. Nunc verò grauiora cõmissa, & apertissimam post idola fornicationem populi esse noluit impunitam.

Quæ distinctio sit facienda in verbis rhamni, cùm dicit, Et si non, exeat ignis de rhamno.

44 Indic. 9 Quòd inducitur rhamnus, id est, quoddam spinarum genus, in similitudinem dicere omnibus lignis conuenientibus ad eam, vt regnaret super ea, Si in veritate vngitis me vos, regnare super vos: venite cõfidite in protectione mea, & si non, exeat ignis de rhamno, & comedat cedros Libani. Obscurus sensus est, & eum inuenta distinctio manifestat. Non enim ita legendum est, Et si non exeat ignis de rhamno: sed subdistinguendum, Et si nõ, ac deinde inferendum, Exeat ignis de rhãno, id est, si nõ confiditis in protectione mea, aut si non in veritate vngitis me regnare super vos, exeat ignis de rhamno, & comedat cedros Libani. Cõminantis enim verba sunt quid facere possit, si noluerint eam regnare super se. Verùm quia non ait, Exibit ignis de rhamno, & manducabit cedros Libani, sed ait, Exeat & mãducet: obscurius factum est, quàm si sola distinctio lateret. Vehementioris autem comminationis est, & quodam modo præsentioris efficaciæ, si quis dicat, Si nõ vis facere quod volo, sæuiat in te ira mea, id est, iam sæuiat: vt quid eam teneo? Quasi dicat, sęuiat, permissiuo modo pœnam intentans futuram.

Quomodo dicatur, Emisit Deus spiritum malignum.

45 Indic. 9 Emisit Deus spiritum malignum inter Abimelech, & inter viros Sichimorum. Hoc verbum, vtrùm imperantem, an permittentẽ Deũ significet, nõ facilè definiri potest. Quod enim hîc positum est, Emisit, Græcus habet

ἐξαπόστειλον, quod etiam est in Psalmis, vbi legitur, Emitte lucem tuam. quanquam in quibusdam locis interpretes nostri, vbi est in Græco ἐξαπόστειλον, misit interpretati sunt, non emisit. Potest ergo & sic intelligi, vt spiritū malignum Deus tāquam ire inter eos volentē emiserit, id est, potestatem dederit maligno spiritui, ad eorum pacem perturbandam. Vsque adeo autem etiam mitti à Domino malignum spiritum propter iustitiam vindicandi, non absurdū visum est, vt quidam id quòd est, ἐξαπόστειλον etiam immisit interpretati sunt. Psal. 42

Quomodo & maturabis, vel manicabis dicitur.

46 Verba quæ misit ad nuntios Abimelech, Zebul princeps ciuitatis Sichimorum, etiam id habent, Et nunc surge nocte, tu & populus tuus tecum, & insidiare in agro. Et erit mane simul vt oritur sol, maturabis & tendes super ciuitatem. Quod Latini quidam habent maturabis, quidam verò manicabis, Græcus habet quod dici posset non vno verbo, Diluculo surges. Et fortasse hinc sit dictum, maturabis à matutino tempore: quanuis etiam alio tempore dici soleat ad rem accelerandam. Manicabis autem Latinū verbum esse mihi non occurrit. Sed illud mouet quòd cùm dixisset, Simul vt oritur sol, addidit, Diluculo surges: cùm ipsum diluculum quòd Græcè dicitur ὄρθρος, tempus ante solem significet, quod iam vsitatissimè dicitur cùm albescere cœperit. Sicitaque intelligendum est, vt quod positum est Mane, ipsum diluculum intelligatur. Additum est autem, Simul vt oritur sol, vt exprimeretur non iam orto sole faciendum, sed vbi fulgor apparuerit solis orientis. Non enim aliunde albescit diluculum, nisi cùm cœperit partem cæli, quam videmus ab oriente, lux solis ad eam redeuntis attingere. Hinc est quòd etiā in Euangelio vnam atque eandem rem alius Euangelista dicit diluculo factam, cùm adhuc obscurū esset, alius oriente sole, quia & ipsa lux quantulacunque diluculi, sole vtique fiebat oriente, id est, ad ortum veniente, & fulgorem suum de suæ præsentiæ propinquitate iactante. Lucem quidam idiotæ solis non esse putauerunt: sed illam esse quæ primitus cōdita est, antequam Deus quarto die conderet solem. Iudic. 9 Luæ 24 Marc. 16

Quomodo accipiatur filius patris fratris eius.

47 Et surrexit post Abimelech, qui saluū faceret Israel, Thola filiꝰ Phua, filius patris fratris eius, vir de Isachar. Filium patrui eius, dixit filium patris fratris eius, cùm ordinatius & vsitatius atque apertius diceretur, filium fratris patris eius. Filius enim erat patrui eius, sicut euidentius in ea interpretatione, quæ ex Hebræo est, inuenitur. Non ergo quod dictum est patris fratris, ab eo declinatum est quod est in nominatiuo casu pater fratris, sed ab eo quod est patris frater: hoc est enim patruus. Nam siue ponatur in nominatiuo, hic pater fratris, siue ponatur, hic patris frater, genitiuum facit huius patris fratris. Verùm altera oritur quæstio, quomodo fuerit patruus Abimelech, vir de Isachar, id est, vir de tribu Isachar, cùm Abimelech patrem habuerit Gedeon, qui Gedeon de tribu fuit Manasse. Quomodo ergo Phua & Gedeō fratres fuerunt, vt possit esse Phua patruus Abimelech, cuius patrui filius Thola succederet, secundum istam narrationem, ipsi Abimelech? Potuerunt ergo Gedeō & Phua vnam habere matrem, ex qua diuersis patribus nascerentur, & fratres essent, vnius matris filii, nō vnius patris. Solebant enim nubere fœminæ de aliis tribubus in aliis tribubꝰ. Vnde & Saul cùm esset de tribu Beniamin, dedit filiam suam Dauid homini de tribu Iuda. Et sacerdos Ioiada, vtique homo de tribu Leui, duxit filiam Ioram regis, hominis de tribu Iuda. Hinc factum est, vt Elisabeth & Mariā cognatas in Euāgelio legamus, cùm fuerit Elisabeth de filiabus Aaron. Ex quo intelligitur de tribu Leui & filiabus Aaron aliquam nupsisse in tribum Iudam, vnde ita fieret inter ambas illa cognatio, vt Domini caro non solùm de regia, verumetiam de sacerdotali stirpe propagaretur. Iudic. 10

Quomodo ponantur illa verba, Nonne quæcunque hæreditauit tibi Chamos Deus tuus, &c.

48 Inter cætera, quæ Iepte mandat per nuntios regi filiorum Ammon, etiā hoc dicit, Nōne quæcūque hæreditabit tibi Chamos Deus tuus, hæc hæreditabis: & omnia quæcunque hæreditabit Dominus Deus noster à facie vestra, hæc hæreditabimus? Quod quidam Latini sic interpretandum putauerunt, vt diceret, Nonne quæcunque dedit tibi in hæreditate Chamos Deus tuus, hæc possidebis? Vbi videri potest confirmasse Iepte Deum istum, qui vocatur Chamos, potuisse aliquid dare in hæreditatem cultoribus suis. Quidam verò sic hunc locum interpretati sunt, Nonne quæcūque possedit Chamos Deus tuus, hęc possidebis? Et hoc ita sonat, quasi aliquid potuerit possidere. An fortè secundum hoc dictum est, quod sub Angelis constitutæ sunt gentes, iuxta canticum Mosi famuli Dei? Nunquidnam ergo ille Angelus, sub quo erant filii Ammon, Chamos appellatus est? Quis hoc audeat affirmare, cùm possit intelligi secundum eius opinionem dictū, quia putabat Deum suum hoc possidere, vel in possessionem sibi dedisse? Magis autem iste sensus elucet in his verbis, quæ Græcus habet, Nonne quæcunque hæreditabit tibi Chamos Deus tuus, hæc hæreditabis? Vt in eo quod positū est, Tibi, intelligatur ita dictum, ac si diceretur, sicut videtur tibi. Tibi enim hæreditabit, qui hoc putas, non quòd ille aliquid possit hæreditare. Deinde in eo quod sequitur, Et omnia quæcunque hæreditabit Dominus Deus noster, non dixit Hæreditabit nobis, tanquā diceret, sicut nobis videtur, sed verè hæreditabit à facie vestra, quoniā abstulit ipsis, & his dedit, Hæc, inquit, hæreditabimus. Iudic. 11

Quo

Quomodo fiat oblatio de filia Ieptæ.

49 iudic.11 De filia Ieptę quòd eam pater in holocaustoma obtulit Deo, quoniam in bello vouerat, si vicisset eum se holocaustoma oblaturũ, qui sibi de domo exiens occurrisset: quod cùm vouisset vicit, & occurrente sibi filia, quod vouerat reddidit: solet esse magna & addiudicãdum difficillima quæstio, quibusdam quid sibi hoc velit nosse cupientibus & piè quærentibus, quibusdam verò, qui Scripturis his sanctis imperita impietate aduersantur, hoc maximè in crimen vocantibus, quòd Legis & Prophetarum Deus etiam humanis sacrificiis fuerit delectatus. Quorum calumniis sic primùm respondemus, vt Deum Legis & Prophetarum, atque vt expressius dicam, Deum Abraham & Deum Isaac & Deum Iacob, nec illa sacrificia delectauerint, vbi pecorum holocausta offerebantur: sed quòd significatiua fuerit & quædam vmbræ futurorum, res ipsas nobis quæ his sacrificiis significabantur commendare voluisse: fuisse autem etiã istam vtilem causam cur illa mutarentur, nec modò iuberẽtur, imò prohiberentur offerri, ne verè secundum carnalem affectum talibus Deum delectaripu taremus. Sed vtrùm etiam humanis sacrificiis significari futura oportuerit, meritòquęritur: non quòd mortes hominum quandoque moriturorum in hac causa exhorrescere & formidare deberemus, si illi qui hæc de se fieri gratanter acciperent, in æternam remunerationem commẽdarentur Deo. Sed si hoc verum esset. hoc genus sacrificiorum Deo non displiceret, Displicere autem Deo satis euidenter eadem Exod.13 Scriptura testatur. Nam cùm omnia primogenita sibi dicari & sua esse voluerit atque præceperit: redimi tamen à se voluit primogenita hominum, ne immolandos Deo crederent filios suos, quos natos primitus suscepissent. Deinde hoc apertius ita loquitur, quòd humana holocausta sic Deus improbet vt prohibeat, detestans ea in aliis gentibus, & populo suo præcipiẽs ne audeat imitari. Si autem, inquit, exterminauerit Dominus Deus tuus gentes, in quas tu intrabis hæreditare terram eorum, in conspectu tuo, & hæreditabis eos, & habitabis in terra eorum: attẽde tibi ipsi, ne exquiras sequi eos postquam exterminati fuerint à facie tua, ne exquiras deos eorum dicẽs, Quemadmodum faciunt gentes diis suis, faciam & ego: non facies ita Domino Deo tuo. Abominamẽta enim quæ Dominus odit fecerũt diis suis, quoniã & filios suos & filias suas cõburũt igni diis suis. Quid euidẽtius ostendi potest his sanctæ Scripturæ testimoniis, vt alia huiusce modi omittam, quomodo Deum, à quo hæc Scriptura humano generi contributa est, non solùm non diligere, verumetiã odisse talia sacrificia in quibus homines immolãtur? Illa planè diligit & coronat, cùm quisq; iustus iniquitatẽ patiẽs, vsq; ad mortem pro veritate decertat, vel ab inimicis, quos pro iustitia offendit, occiditur, retribuens eis bona pro malis, id est, pro odio dilectionem. Talem dicit Dominus sanguinẽ iustũ, à sanguine Abel vsq; ad sangui- Matth.23 nem Zachariæ. Præcipuè autem quòd sanguinẽ fudit ipse pro nobis, & sacrificium seipsum obtulit Deo. Sic vtique obtulit, vt ab inimicis pro iustitia occideretur. Hunc imitata martyrum millia, vsque admortem pro veritate certarunt, & ab inimicis sæuientibus immolata sunt, de quibus dicit Scriptura, Tanquã aurũ Sapiẽ.3 in fornace probauit illos, & sicut holocausti hostiã accepit illos. Vnde Apostol⁹ dicit, Ego 2.Timoth.4 enim iã immolor. Sed nõ sic Iepte de filia fecit holocaustoma Domino: sed sicut præceptum fuerat pecora offerri, & prohibitum fuerat homines immolari. Magis hoc illi simile videtur, quod fecit Abrahã, quod Dominus speciali- Genes.23 ter fieri præcepit, non generali lege, vt talia sibi sacrificia fierẽt aliquãdo mãdauit, imò etiã fieri omnino prohibuit. Distat itaq; hoc quod Iepte fecit à facto Abrahæ, quoniã ipse iussus obtulit filiũ, iste autẽ fecit quod & Lege vetabatur, & nullo speciali iubebatur imperio. Deinde nõ solũ in sua Lege postea, verũetiam tũc Dominus in ipso Abrahæ filio, talibus sacrificiis quòd nõ delectaretur ostẽdit, cùm patrẽ, cuius fidem iubendo probauerat, à filii tamen interfectione prohibuit, ac arietem, quo sacrificium licitè secundum veterẽ, congruam tẽporibus consuetudinẽ cõpleretur apposuit. Si autem hoc quenquã mouet, quomodo piè crediderit Abraham Dominum sacrificiis talibus delectari, si hæc illicitè offeruntur Deo, & ideo putat rectè credidisse etiam Iepte, quòd tale sacrificium Deo posset esse acceptum: primò consideret aliud esse vltrò vouere, aliud iubenti obtẽperare. Non enim si aliquid præter morem in domo à domino institutum seruo iubetur, atque id laudabili obedientia facit, ideo non est plectẽdus, si hoc facere sponte prę sumpserit. Deinde habebat quod crederet Abraham, vt propter Diuinum imperium non parceret filio, non credens Deum tales victimas libenter accipere: sed hoc eum propterea iussisse, vt resuscitaret occisum, & hinc aliquid tanquã Deus sapiens demonstraret. Nam hoc de illo etiam in Epistola legitur quæ inscribitur ad Hebræos: & fides eius, quia hoc de Deo Hebræ.11 crediderit quòd posset filiũ eius suscitare, laudatur. Iste verò & Deo non iubente, neque poscente, & contra legitimum eius præceptum, vltrò sacrificium vouit humanum. Sic enim scriptum est. Et vouit Iepte votum Domino, & dixit, Si traditione tradideris mihi filios Ammon in manu mea: & erit quicunque exierit de ianuis domus meæ in obuiam mihi, in reuertendo me in pace à filiis Ammõ: & erit Domino offeram eum holocaustoma. Non vtiq; his verbis pecus aliquod vouit, quod secundũ Legem holocaustoma posset offerre. Neque enim est aut fuit cõsuetudinis, vt redeuntibus

cum victoria de bello ducibus pecora occurrerent. Quantùm autem attinet ad muta animalia, canes solent dominis blando famulatu alludentes currere in obuiam. De quibus ille in suo voto cogitare nō posset, ne in iniuriā Dei aliquid, non solū illicitum, verūetiam cōtemptibile, & secundum Legē immundum vouisse videretur. Nec ait, Quodcunque exierit de ianuis domus meæ in obuiā mihi, offerā illud in holocaustoma: sed ait, Quicūque exierit offeram eum: vbi proculdubio nihil aliud quàm hominem cogitauit, non tamen fortasse vnicā filiā: quāquam illā in tāta paterna gloria quis posset anteire, nisi fortè vxor? Nā q̄ non dixit, Quæcūque, sed Quicūque, exierit de ianuis domus meæ, solet Scriptura masculinum genus pro quolibet sexu ponere, sicut de Abra
Gene. 23 ham dictum est, Surgens à mortuo, cùm eius vxor mortua fuisset. Quia ergo de hoc voto atque facto nihil videtur Scriptura iudicasse, sicut de Abraham quando filium iussus obtulit, apertissimè iudicauit: sed tātummodo scriptum reliquisse legentibus iudicādum, quem
Gene. 38 admodum de facto Iudæ, filii Iacob, quando ad nurum quidem suam nesciens intrauit: verum, quantum in ipso fuerat, fornicatus est, quia meretricem putauit: neque approbauit hoc Scriptura neq; improbauit: sed iustitia & Lege Dei consulta, æstimandum, pensandúmque dimisit. Quia ergo de isto Ieptæ facto in neutrā partē sententiā Scriptura Dei protulit, vt noster intellect⁹ in iudicādo exerceretur, possemus iam dicere Deo displicuisse tale votum, & ad illam perductam esse vindictā vt patri potissimū filia vnica occurreret: quod si sperasset atque vouisset, non continuò, vt eam vidit, scidisset vestimenta sua & dixisset, Heu me filia mea, impedisti me, in offendiculum facta es in oculis meis. Deinde sexaginta dierum tā longa dilatione data filiæ suæ, Domin⁹ ab vnicæ & charissimæ nece cùm eū non prohibuerit, sicut prohibuit Abrahā, donec perficiendo quod vouerat seipsum percuteret orbitate grauissima: Deum autem nequaquam hominis immolatione placaret: & ideo huiuscemodi patri pœnam fuisse retributam, ne impunitum talis voti relinqueretur exēplum, vt aut ne magnum aliquid se vouere Deo putarent homines, cùm victimas humanas vouerent, & quod est horribilius filiorum: aut non vera, sed potius simulata eadē vota essent, cùm velut exemplo Abrahę sperarēt qui vouissent, Deum prohibiturum talia vota compleri. Possemus, inquam, hæc dicere, nisi ab ista sententia duo nos præcipuè Diuinarum Scripturarum testimonia retardarent, vt hanc rem gestā & in his libris tantæ auctoritatis memoriç cōmendatam diligentius, quantum Dominus adiuuat, & cautius perscrutemur, ne in vllam par
Hebr. 11 tem iudicium temerarium proferamus. Vnū, quòd in Epistola ad Hebræos iste Iepte inter tales commemoratur, vt eū culpare vereamur, vbi sic scriptū est, Et quid adhuc dicam? Deficit enim me tempus enarrandi de Gedeon, Barach, Samson & Iepte & Dauid & Samuel, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operantes iustitiā consecuti sunt repromissiones. Alterum, quòd vbi de illo ista narrātur quòd tale vouerit & impleuerit votū, præmisit Scriptura dicens, Et factus est super Iepte Spiritus Domini, & perrexit Galaad, & Manasse, & transit speculam Galaad, & de specula Galaad transiit ad filios Ammon, & votum vouit Iepte Domino, & cætera ad hocipsum votum pertinentia, vt omnia quæ deinceps facta sunt tanquam opera Spiritus Domini, qui super eum factus est, intelligenda facta videantur. Ista testimonia nos compellunt quęrere potius cur factum sit, quàm facilè improbare quod factū est. Sed primò illud quod ex Epistola quæ ad Hebræos est, commemoraui, inter illos laudabiles viros, qui ibidem recoluntur, non solū est Iepte, verumetiam Gedeon, de quo similiter Scriptura dicit, Spiritus Domini confortauit Gedeon: & tamē eius factū, quòd de illo auro prædæ operatum est Ephud, & fornicatus est post illud omnis Israel, & factum est domui Gedeon in scandalum, laudare non possumus: verumetiam quia Scriptura hinc apertissimè iudicauit, reprobare minimè dubitamus. Nec tamē ex hoc vlla fit iniuriā Spiritui Domini, qui eum confortauit, vt hostes populi eius tanta facilitate superaret. Cur ergo inter illos cōmemoratur, qui per fidem vicerunt regna, operantes iustitiam, nisi quia sancta Scriptura quorum fidem atque iustitiam veraciter laudat, nō hinc impeditur eorum etiā peccata, si qua nouit, & oportere iudicat, notare veraciter? Nam & in eo quòd idem Gedeon signum petens, sicut ipse locutus est, tentauit in vellere, nescio vtrùm non fuerit transgressus præce Deuter. 6 ptum, quo scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum, Veruntamen etiam in eius tentatione, Dominus quod prænuntiare volebat, ostendit in compluto scilicet vellere, & area tota circunquaque sicca, figurare primùm populum Israel, vbi erant Sancti cum gratia cælesti, tanquam pluuia spiritali: & postea cō pluta area sicco vellere, figurare Ecclesiam toto orbe diffusam, habentem non in vellere tanquam in velamine, sed in aperto cælestem gratiam, illo priore populo, velut ab eiusdem gratię rore alienato atque siccato. Nec tamen frustra inter fideles & operantes iustitiam, propter bonitatē fideléque vitam, in qua eum credendum est esse defunctum, tale in Epistola ad Hebræos meruit testimonium. Vtrùm autem quia posteaquam dictum est, Factus est super Iepte Spiritus Domini, ea secuta sunt, vt votum illud voueret atque hostes vinceret, & quod vouerat redderet, Spiritui Domini omnia deputanda sint, vt perinde habeatur & hoc sacrificium, tanquam id Dominus, sicut Abrahæ fieri iusserit, non facilè dixerim, cùm

vtique

vtique de Gedeon posit hæc afferri differentia, quia post peccatũ quod fecit, quando fecit Ephud, post quod vniuersus populus fornicatus est, nulla est eius commemorata prosperitas. Postea verò quàm Iepte votum vouit, illa est insignis eius victoria consequuta, propter quam adipiscendam vouerat, & qua adepta quod vouerat soluit. Rursus enim considerandum est, quia Gedeon, etsi non posteaquam fecit Ephud, tamen posteaquam tentauit Dominum (quod vtique peccatum fuit) magna strage hostibus cæsis atque superatis, populo acquisiuit salutem. Sic enim scriptum est, Et dixit Gedeon ad Dominum, Non irascatur indignatio tua in me, & loquar adhuc semel in vellere, &c. Iram quippe Dei metuebat, quia nouerat tentando se peccare quod Deus in Lege sua manifestissimè prohibet. Hoc tamen peccatum eius, & mirabilis signi euidentia, & magna victoriæ prosperitas liberationisque populi consecuta est. Iam enim Deus statuerat afflicto populo subuenire, atque huius ducis, quem ad hoc opus assumpserat, vtebatur animo, non solùm fideli & pio, verumetiam subdeficiente & delinquente, & prænuntiando quæ volebat, & complendo quæ dixerat. Non enim per istos tantùm, qui etiam si peccauerunt, inter iustos tamen narrantur, sed etiam per ipsum Saulem omnimodo reprobatum, multa Deus populo suo præstitit, in quẽ
1. Reg. 19 insiluit etiam Spiritus Dei, & prophetauit, non quum iuste ageret, sed quum in virum sanctum Dauid innocẽtémque sæuiret. Agit enim Spiritus Domini & per bonos & per malos, & per scientes & per nescientes, quod agẽdum nouit
Ioannis 11 & statuit. Qui etiam per Caipham acerrimum Domini persecutorem nescientẽ quid diceret, insignẽ protulerit Prophetiam, quòd oporteret Christum mori pro gente. Quis enim egit nisi Spiritus Domini, curans prænuntiare ventura, vt iudici Gedeon tentare volenti Dominum, & non credenti quod ei fuerat per manum eius de salute populi iam loquutus, hoc potissimum de vellere prius compluto, postmodum sicco, & de area primùm sicca, postea rigata veniret in mentem, vt quod subdefecit à fide, infirmitati eius delictóque deputetur? Quod verò etiam tali eius animo ad hoc quod generi humano significari oportebat, vsus est Deus, ad eius intelligatur misericordiam & mirabilem prouidentiam pertinere.
Genes. 30 Si quis autem dicit omnia scientem fecisse, & dixisse Gedeon ex reuelatione Prophetica, vt per eum signa talia monstrarentur, nec defecisse à fide, & quod ei iam promiserat Dominus credidisse, sed actione Prophetica in vellere voluisse tentare, atque ita illius tentationẽ fuisse inculpabilem, sicut dolum Iacob, & illud quod Domino ait, Non irascatur indignatio tua in me: non ideo dixisse, quòd iram eius timeret, sed quòd eum confideret non irasci, quum ea faceret quæ Spiritu eius dictante facienda esse tanquã Propheta sentiret. Dicat vt videtur, dummodo illud quod de facto Ephud Scriptura ipsa culpauit, quodlibet significet, nõ audeat excusare à peccato. Nam & illud quòd trecẽti viri ad signum crucis ipso numero pertinentes, hydrias fictiles acceperunt, essque ardentes faculas inclusérũt, quibus hydriis fractis repentè lumina numeroiè micantia tantam hostium multitudinem terruerunt: tanquam ex suo arbitrio videtur fecisse Gedeon. Nõ enim Scriptura dicit Dominum admonuisse vt hoc faceret. & tamen tam grande signum quis eius animo atque consilio faciendũ, nisi Dominus inspirauit, qui præfigurauit sanctos suos, thesaurum Euangelici luminis in vasis fictilibus habituros, sicut Apostolus dicit,
2 Cor. 4 Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus? Quibus in passione martyrii, tanquam vasculis fractis, maior eorum glorię fulgor emicuit, quæ impios Euangelicæ prædicationis inimicos inopinata illis Christi claritate superauit. Seu ergo per scientes, seu per nescientes præfigurationem prædicationémque futurorum, Spiritus Domini Propheticis temporibus operatus est: nec ideo peccata eorum dicendum est non fuisse peccata, quia & Deus qui etiam malis nostris & bene vti nouit, etiam ipsis eorum peccatis vius est ad significanda quæ voluit. Proinde, si propterea peccatum non fuit, siue cuiuslibet necis humanæ, siue etiam parricidale sacrificium vel vouere vel reddere, quia magnum aliquid & spiritale significauit, frustra Deus talia prohibuit, & se odisse testatus est: quoniam & illa quæ fieri iussit, vtique ad aliquam significationem rerum spiritalium, magnarúmque referuntur. Cur ergo illa prohiberet, quandoquidem poterant propter eandem rerum earundem significationem, propter quam & ista licitè fiebant, nihilominus licitè fieri, nisi quia nec tale aliquid significantia, quale expedit credere, humana Deo sacrificia placuerunt, quando non pro iustitia quisque ab inimicis, quia rectè viuere voluit, aut peccare noluit, interimitur: sed homo ab homine tanquam electa hostia more pecoris immolatur? Quid si, ait aliquis, quoniam pecorum victimæ iam eoipso, quo fuerant vsitatæ, quamuis & ipsæ à rectè intelligentibus ad significationem spiritalium referuntur, minus tamen faciebant intentos ad magnum sacramentum Christi & Ecclesiæ requirendum: propterea Deus re insigni, & inopinata volens, quasi dormientes hominum animos excitare, eò magis quò talia sibi sacrificia offerri vetuerat, curauit sibi eiusmodi aliquid offerendũ, vt ipsa admiratio magnã gigneret quęstionẽ, & magna quęstio ad perscrutandum magnũ mysteriũ studiũ piæ mentis erigeret. Piè verò scrutans mens hominis altitudinem Prophetię, velut hamo piscem Dominum Christum de profundo Scripturarum leuaret. Huic nos rationi & cõsyderationi non

obsistimus. Sed alia quæstio est de animo vouentis, alia de prouidẽtia Dei, qualicunque animo eius optimè vtentis. Quamobrem si Spiritus Domini, qui factus est super Iepte, vt hoc voueret omnino præcepit, quod quidem Scriptura non aperuit: tamen si hoc ille præcepit, cuius non licet iussa contẽnere, non solùm insipiẽtia culpanda non est, verumetiam laudanda obedientia est. Hoc enim etiam si se homo ipse interimat, quod vtique humana voluntate atque consilio facere nefas est: profectò intelligendum est obedienter fieri potius quàm sceleste, si Diuinitus iussum est. De qua quæstione satis in primo libro de ciuitate Dei disputauimus. Si autem Iepte humanũ secutus errorẽ, humanũ sacrificiũ vouẽdum putauit, eius quidem peccatum de vnica filia iure punitum est, quod etiã ipse verbis suis satis videtur ostẽdere, vbi ait, Heu me filia mi, impedisti me, in offendiculũ facta es in oculis meis: discissis etiam vestimẽtis suis. Verũtamen is etiam eius error habet aliquã laudẽ fidei, quia Deum timuit, vt quod vouerat, redderet: nec Diuini in se iudicii sententiam declinauit, siue sperans Deum prohibiturum, sicut fecit Abrahę, siue eius voluntatem etiam non prohibentis, intellectam facere potius quàm contẽnere statuens. Quãquam & hîc meritò quæri potest, vtrùm verius intelligitur hoc Deum nolle fieri, & in eo potius Deo, si nõ fieret, obediretur: quoniam hoc se nolle & in Abrahæ filio, & in legitima prohibitione monstrauerat. Veruntamen si propterea Iepte non faceret, sibi potius in vnica pepercisse, quàm Dei voluntatem secutus esse videretur. Magis ergo intellexit in eo quòd ei filia occurrit vltorem Deum, iustæque pœnæ se fideliter subdidit, timẽs sęuiorem tanquam de tergiuersatione vindictam. Credebat enim etiam bonæ virginis & filiæ animam bene recipi, quòd non se ipsa vouerat immolandam, sed voto & voluntati non restiterat patris, & Dei fuerat secuta iudicium. Mors enim sicut nec sibi à quoquam sponte, nec cuiquam sponte inferenda est, ita Deo iubẽte recusanda non est, cuius constitutione quocunque tempore obeunda est: nec quisquam qui eam perpeti detrectat, vt omnino euitetur, sed tantummodo vt differatur, laborat. Hęc autem festinantibus nobis, de prædicta quęstione satis esse vtcũque discussa, pro hac quidem parte visa sunt. Nunc iam quid Spiritus Domini, siue per nescientẽ Iepte, siue per sciẽtem, siue per eius imprudẽtiam, siue per obediẽtiam, siue per offensionẽ, siue per fidẽ, in hac re gesta præfigurauit, quãtùm Deus adiuuat, requiramus breuitérque pandamus. Admonet enim nos & vrget quodammodo iste sanctarum Scripturarum locus, cogitare quendam potentem virtute. Talis enim dicitur Iepte, quod nomen interpretatur aperiens. Dominus autem Iesus Christus, sicut indicat Euangelium, discipulis suis aperuit sensum, vt intelligerent Scripturas. Hunc Iepte fratres eius reprobauerunt, & de paterna domo expulerunt, obiicientes ei quòd esset filius fornicariæ, tanquam ipsi essent de vxore legitima nati. Hoc etiam egerunt aduersus Dominum principes sacerdotum & Scribæ & Pharisæi, qui de Legis obseruatione gloriari videbantur, tanquam ille solueret Legem, & ideo veluti non esset legitimus filius. Et quoniam de sancta quidem Virgine corpus assumpserat, quod fidelibus notum est: tamẽ eius mater, quantùm ad gentem pertinet, etiam illa Iudaica synagoga dici potest. Reuoluat qui voluerit Propheticos libros, & videat quoties & quanta verbi seueritate atque indignatione Domini illa gens, velut impudica mulier, de suis fornicationibus arguatur. Vnde est etiam illud in hoc libro recentissimum, vel quum post Ephud, quod fecit Gedeon, omnis Israel legitur fornicatus, vel quòd abierunt post deos gentium, quibus erant circundati. Vnde in illos Diuina ira commota est, vt per annos decem & octo conuerterentur à filiis Ammon. Sed nunquid non ex eadem gente Israel etiam illi nati erant sacerdotes & Scribæ & Pharisæi, quos in eis diximus fuisse præfiguratos, qui Iepte tanquam isti Dominum Iesum Christum, veluti non legitimum filium persequuti expulerunt? Sed in eo similitudo adumbrata est, quòd isti (vt dixi) veluti Legis obseruatores, eum qui contra præcepta Legis facere videbatur, tanquam legitimi non legitimum iure sibi visi sunt eiecisse. Secundum hoc enim plebs illa dicta est fornicari, quòd Legis præcepta non seruans, tanquã viro non exhibebat fidem. Sic autem scriptum est de Iepte, Et creuerunt filii vxoris, & ejecerunt Iepte. Verbum quod positum est, creuerunt, significat in figura, prævaluerunt. Quod in Iudæis impletum est, qui prævaluerunt infirmitati Christi, quia ita voluit, vt ab eis quæ oportebat passione perferret, sicut hoc idem significans Iacob prævaluit Angelo, cum quo vt idipsum portenderet, luctabatur. Dixerunt ergo ad Iepte, Non hæreditabis in domo patris nostri, quoniam filius mulieris fornicariæ tu. Tanquam dicerent quod Euangelium loquitur, Nõ est iste homo à Deo, qui sic soluit sabbatum. Se autem velut iactantes legitimos filios Domino dixerũt, Nos ex fornicatione non sumus nati, vnum patrem habemus Deum. Et fugit Iepte à facie fratrum suorum, & habitauit in terra Thob. Fugit, quoniam se quantus esset, abscondit. Fugit, quoniam eos sæuientes latuit. Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Fugit, quoniam morientis infirmitatem viderunt, virtutem autem resurgentis non viderunt. Habitauit autem in terra bona, vel vt expressius dicamus, opima. Quod enim Græcè ἀγαθὸν, hoc Latinè opimum dicitur. Id autem interpretatur Thob. Vbi mihi videtur intelligenda eius à mortuis resurrectio. Nam

Augustinus de ciuitate Dei, libro 1. cap. 21

Luce 24

Genes. 32

1. Cor. 2

quæ

que terra magis opima, quàm terrenum corpus excellentia immortalitatis & incorruptionis indutum? Quod autem dicitur de Iepte, quia posteaquã fugiens à facie fratrũ suorum, habitauit in terra Thob, colligebãtur ad eũ viri latrones, qui ambulabãt cum ipso. Quanquã & ante passionem obiectũ fuerit Domino, quòd cũ publicanis & peccatoribus mãducaret, quã
Matth 9 do respõdit, Nõ esse necessariũ sanis medicũ,
Esaiæ 53 sed egrotis, & inter iniquos deputat⁹ est quãdo
Lucæ 23 inter latrones crucifix⁹ est, & vnũ ex eis de cruce in paradisum transtulit: tamẽ posteaquã resurrexit & esse cœpit, secundum id quod suprà exposuimus, in terra Thob, collecti sunt ad illum scelerati homines propter remissionẽ peccatorum. Qui cum illo ambulabant, quia secundum eius præcepta viuebãt. Neque hoc fieri definit vsque nunc, & deinceps, quousque ad eum confugiunt mali, vt iustificet impios, qui ad eum conuertuntur, & discant iniqui vias eius. Nã illud, quòd ii qui abiecerant Iepte (erat enim Galaadites) cõuersi sunt ad eum, & quæsierunt eum, per quem liberarẽtur ab inimicis suis, quàm clara prefiguratione significat, quòd ii qui abiecerunt Christum, ad eum rursus cõuersi in illo reperiunt salutem, siue illi intelligantur, quos Petrus Apostolus, quum de ipso scelere arguisset, sicut in Actibus Apostolorum legitur, & hortatus esset, vt ad eum conuerterentur, quem fuerant persecuti, compuncti sunt corde, & ab illo quem à se alienauerãt, desyderarunt salutem. Quid est autem liberari ab inimicis, nisi à peccatis? Sic enim illis ait,
Actorum 2 Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisq; vestrũm in nomine Domini nostri Iesu Christi, & remittẽtur vobis peccata vestra, siue illa potius significetur, quæ in fine speratur, vocatio gentis Israel. Magis quippe ipsa videtur apparere in eo quod dicitur, Et factum est post dies: quod vtique post tempus significat, & per hoc insinuat non illud intelligendum, quod recenti Domini passione est, sed quod postea futurum est. Quò videtur etiam id pertinere, quòd seniores Galaad venerunt ad Iepte, vt per ætatem senilem posteriora & nouissima tempora accipienda sint. Interpretatur autem Galaãd, abiiciens siue reuelatio. Quorum vtrunque satis aptè huic rei congruit, quia primò Dominum Christum abiecerunt, eíque postea reuelabitur. Quòd verò contra filios Ammon dux quærebatur Iepte, quibus victis liberarentur, qui eo duce aduersus illos bellare cupiebant: quoniam interpretatur Ammon filius populi mei, siue populi mœroris: profectò illi significantur inimici, qui ex ipsa gente perseuerantes in infidelitate prædicti sunt, aut omnino pœnis gehennæ prædestinati, vbi e-
Matth 25 rit fletus & stridor dentium, tanquam populo mœroris. Quanquam populus mœroris, etiam diabolus & angeli eius non inconuenienter intelliguntur, siue quia æternam miseriam eis, quos decipiunt, acquirunt, siue quia & ipsi æternæ miseriæ deputati sunt. Eleganter sanè ad exprimendam multò euidentius Prophetiam, Iepte respõdit senioribus Galaad, Nonne vos odio habuistis me, & eiecistis me de domo patris mei, & emisistis me à vobis: & quid est quòd venistis quando tribulati estis? Tale aliquid figuratum est in Ioseph, quem fratres Genes. 37, 42, vendentes abiecerunt, & quum fame tribula- 43 & 44 rẽtur, ad eius opem misericordiámq; conuersi sunt. Hic verò multò amplius elucet significatio futurorum, quòd non ipsi prorsus fratres, qui eiecerunt Iepte, ad eum venerunt, sed Galaad seniores pro vniuerso illo populo eidem supplicantes. Sicut eadem gens dicitur Israel, siue in eis qui tunc fuerunt Christúmq; reprobauerũt, siue in eis qui ad eius opem postea reuersi sunt. Populo enim dicit inimico, siue in maioribus, siue in posteris suis lõga odia trahẽti atque seruanti, tandémq; conuerso in eis qui tunc conuertendi sunt, Nonne vos odio habuistis me, & eiecistis me de domo patris mei? Hoc enim eis visum est qui persecuti sunt quòd eiecerunt Christum de domo Dauid, in qua regni eius non erit finis. Et dixerunt seniores Galaad ad Iepte, Nõ sic modò venimus ad te. Tanquã dicerent Iudæi conuersi ad Christũ, Tunc venimus vt persequeremur, modò venimus vt sequamur. Profitentur etiam aduersus inimicos eum futurũ sibi caput. Respõdet ille, Si eorum vicerit inimicos, quòd erit eis in prĩcipẽ, quod Gedeon noluit, quum id Israelitæ voluissent. Respõdit quippe illis, Princeps vester Dominus erit. Rex enim nomine principis significatur, quod nondum habebat gens illa tempore Iudicum. Cœperunt autem habere Saulem, & deinceps successores eius alios, qui in libris Regnorum legũtur. Nam in Deuteronomio cùm Deutero. 17 eis præcipitur qualem debeant habere regem, si hoc eis placuerit, non ibi rex, sed princeps appellatur. Sed quia iste Iepte illum figurabat, qui verus est Rex: quod etiam in titulo scri- Ioannis 19 ptum fuit, qui cruci eius affixus est, quem Pilatus delere vel emendare non ausus est: ideo credendum est esse dictum, Ero vobis in principem. Illi autem dixerũt, Eris nobis in caput, quoniam caput viri Christus, & ipse est caput corporis Ecclesiæ. Denique posteaquã eos liberauit Iepte ab omnibus inimicis, non eis factus est rex, vt intelligeremus illud quod dictũ est, ad Prophetiam potius pertinuisse de Christo, quàm ad ipsum propriè Iepte, de quo Scriptura narrationem ita concludit, Et iudicauit Iepte Israel sex annis, & mortuus est Iepte Galaadites, & sepultus est in ciuitate sua Galaad. Iudicauit ergo Israel sicut cæteri Iudices, non ibi regnauit vt princeps, sicut ii qui in Regnorum voluminibus continentur. Iam verò quòd posteaquam eis idem Iepte dux cõstitutus est, misit nuntios ad hostes, prius pacis verba portantes, illud ostenditur quod ait Apostolus, in quo Christus loquebatur, Si fieri potest, Roman. 12 quod ex vobis est, cũ omnibus hominibus pacẽ

habentes. Verba porrò ipsa, quæ mandauit Iepte, omnia pertractare nimis longum est festinantibus nobis. Videntur tamen mihi sic intelligenda, quantùm attinet ad significationem futurorum, vt in eis aduertatur doctrina Christi, admonens nos quemadmodum sit ambulãdum, hoc est, viuendũ inter eos, qui non secun-
2. Timoth. 2 dum propositum vocati sunt. Nouit enim Dominus qui sunt eius. Iam verò quòd cùm esset debellaturus inimicos, factus est super eum Spiritus Domini, significatur Spiritus sanctus impertitus mẽbris Christi. Quòd autem pertransiit Galaad & Manassen, & transiit speculã Galaad, & ab specula Galaad trãsiit ad filios Ammon, proficientia significantur membra Christi ad victoriam de inimicis reportandam. Galaad quippe interpretatur abiiciens, & Manasses necessitas. Transeundi sunt ergo à proficientibus abiicientes, id est contemnentes, trãseunda & necessitas, ne fortè cùm transierit qui proficit contemnentes, cedat terrentibus. Trãseũda etiam specula Galaad, quoniam Galaad etiam reuelatio interpretatur. Est autẽ specula altitudo ad prospiciendum vel despiciendũ, id est, desuper aspiciendum. Specula itaq; Galaad cõgruenter mihi videtur significare superbiam
2. Cor. 12 reuelationis. Vnde dicit Apostolus, Et in magnitudine reuelationum ne extollar. Ergo & ipsa transeunda est, id est, non est in ea manendum propter cadendi periculum. His pertransitis facilè superantur inimici, quod significat dicendo, Et ab specula Galaad transiit ad filios Ammon. De quibus inimicis iam suprà dictum est, Et vouit Iepte votum, & dixit, Si traditione tradideris mihi filios Ammon in manu mea, & erit quicunque exierit de ianuis domus meę in obuiam mihi, in reuertendo me in pace à filiis Ammon, & erit Domino, & offeram eum holocaustoma. Quenlibet in hoc loco cogitauerit Iepte secundum cogitationem humanam, non videtur vnicam filiam cogitasse. Alioquin non diceret quum illam cerneret occurrisse, Heu me filia mi, impedisti me, in offendiculum facta es in oculis meis. Impedisti enim, ita dictum est, tanquam ad hoc se impeditum iudicauerit, ne illud quod cogitarat impleret. Sed quem potuit cogitare primitus occurrentem, qui filios alios non habebat? An coniugem cogitauit, & vt hoc fieret Deus noluit, & vt nõ relinqueret impunitum, ne quis deinceps id auderet, & vt magna prouidentia ex hoc quoque ipso quod accidit, sacramentum Ecclesiæ figuraret? Ex vtroque igitur Prophetia coaptata est, ex eo quod vouens cogitauit, & ex eo quod nolenti contigit. Si etenim coniugem cogitauit, coniunx Chri-
Genes. 2 sti Ecclesia est. Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & e-
Ephes. 5 runt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, inquit Apostolus, Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Sed quia huius Iepte coniunx virgo esse non potuit, in eo quòd filia potius occurrit, & inulta non remãsit, prohibitum sacrificium vouentis audacia, & virginitas Ecclesiæ figurata est. Nec abhorret à vero, quòd filiæ nomine eadem significatur Ecclesia. Nam cuius alterius typum gerebat etiam illa mulier, cui post tactam fimbriam suã sanat æait Dominus, Filia, fides tua te saluam Matth. 5
fecit, vade in pace? Et certè (vnde nullus ambigit) discipulos suos ipse sponsi filios appellauit, & se apertissimè sponsum indicauit. Nõ possunt, inquit, ieiunare filii sponsi, quandiu cum illis est sponsus. Veniẽt autem dies quum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Holocaustoma ergo erit Ecclesia, quam virginem castam beatus Apostolus appellat, quãdo in resurrectione mortuorum vniuersa fiet, quod scriptum est, Absorpta est mors in vi- 1. Corinth. 15
ctoria. Tunc tradet regnum Deo & Patri. Quod regnum ipsa Ecclesia est, ipse cuius figuram tenet, vouẽs ille gestabat. Sed quoniã tunc fiet cùm completa fuerit sexta ætas seculi, ideo Nota sexatem.
sexagita dierum à virginitate dilatio postulata est. Ex omnibus quippe ætatibus Ecclesia congregatur. Quarum prima est, ab Adam vsq; ad diluuium. Secunda à diluuio, id est, à Noe vsque ad Abraham. Tertia ab Abraham vsque ad Dauid. Quarta à Dauid vsque ad transmigrationem in Babyloniam. Quinta ab hac trãsmigratione vsque ad Virginis partum. Sexta inde vsque in huius seculi finem. Per quas sex ætates, tanquam per sexaginta dies fleuit sancta virgo Ecclesia virginalia sua: quia licet virginalia, tamen fuerant peccata deflenda, propter quæ vniuersa ipsa virgo toto orbe diffusa
quotidie dicit, Dimitte nobis debita nostra. Matth. 8
Eosdem autẽ sexaginta dies, duos menses maluit appellare, quantùm existimo, propter duos homines, vnum per quem mors, alterũ per quẽ resurrectio mortuorũ, propter quos etiã duo Testamẽta dicuntur. Quòd verò factum est ex præcepto in Israel, ex diebus in dies conueniebant lamẽtari filiam Iepte Galaaditẽ, quatuor dies in anno non puto significare aliquid post impletum holocaustoma, quod erit in vitam ęternam: sed prẹterita tempora Ecclesiẹ, in quibus erant beati lugentes. Quatriduo autem figurata est eius vniuersitas, propter quatuor partes orbis, per quas longè latéque diffusa est. Ad historiæ verò proprietatem non arbitror hoc decreuisse Israelitas, nisi quia intelligebant in ea re iudicium Dei magis ad perfectionem patrum fuisse depromptum, ne tale vouere sacrificium deinceps vllus auderet. Nam quare luctus & lamentatio decerneretur, si votum illud lætitiæ fuit? Si autem & illud quod populus Ephrem postea ab eodem Iepte debellatus est, ad iudicium Dei, quod erit in fine, referendum est, sicut ipse Dominus
dicit, Eos qui noluerunt me regnare sibi, addu Luca 19
cite & interficite coram me: nec ibi quadraginta duo millia, qui ceciderunt vacanti numero commemorati sunt. Sicut enim illi duo menses

propter

propter sexaginta dies senarium numerum sex ætatum significant, ita & ibi sexies septenarius ductus: hoc idem figurat, quantum ad sex ætates seculi pertinet: sexies enim septem quadraginta duo sunt. Nec frustra & ipse Iepte sex annis populum iudicauit.

Quomodo præcipiatur matri Samsonis, ne manducet quid immundum, quum prius præceptum sit.

50 Quæri potest quomodo dixerit Angelus ad matrem Samsonis, quum annuntiaret ei filium futurum, quia sterilis erat, Et nunc obserua, & non bibas vinum & siceram: non manduces omne immundum. Quid est enim immundum, nisi fortè dissolutio disciplinæ, quæ esse cœperat in Israel, & iam ad ea manducanda eos labefecerat, quæ prohibuerat Deus in generibus animalium? Cur enim non credatur etiam hoc eos multò procliuius facere potuisse, qui etiam ad cultum idolorum transgrediebantur? *iudic.13*

Quomodo mater Samsonis plura dicat sibi dicta ab Angelo, quàm Angelus legatur eidem dixisse.

51 Quòd mater Samsonis viro suo indicans quemadmodum illi Angelus annuntiauerit filium futurum dixit, Et interrogabam eum vnde esset, & nomen suum nō annuntiauit mihi. Quæri potest vtrùm verum dixerit, quoniam hoc nō legitur, cùm ei Angelus loqueretur. Sed intelligēdum est ibi Scripturā tacuisse: hìc autem cōmemorasse quod ibi tacuerat. Illud etiā quod nō ait, Interrogaui eum quid vocaretur, & nomen suum non annuntiauit mihi: sed ait, Interrogaui vnde esset: videtur inconsequens quod addidit, Et nomen suum nō annuntiauit mihi. Non enim nomen eius interrogauerat, cùm quæreret vnde esset, sed locum vel ciuitatem, cùm hominem putaret. Nam & hominem Dei eum appellauit, specie tamen vel habitu Angelo similem, hoc est, quia tam præclarum vidit, sicut ipsa narrauit. Sed si ita distinguatur, Et interrogabā eum vnde esset, & nomē suum, vt subaudiatur, Interrogabam eum, & postea inferatur, Non annuntiauit mihi: non habet quæstionem. Ad vtrunque enim referri potest quod ait, Non annuntiauit mihi, id est, nec vnde esset, nec nomen suum. *iudic.13*

Quomodo & plura & pauciora recitat quàm audiuit.

52 Item quod ait eadem mulier dictum sibi esse ab Angelo, Quoniā Nazarę⁹ Dei erit puer à ventre vsque ad diem mortis suę, non legitur ab Angelo dictum. Et quod legitur dictum, Ipse incipiet saluum facere Israel de manu Philisthiim, non est à muliere commemoratum. Itaque & aliquid non dixit quod audiuit, & tamen nihil credenda est dixisse quod non audiuit: sed Scripturam potius non omnia verba Angeli posuisse, quum ipsum mulieri loquentem insereret narrationi. Ideo autē dictum est, A ventre vsque ad diem mortis suæ: quia Nazaræi dicebātur in Lege ad tempus qui votum habebant, secundum ea quę Scriptura per Mosen pręceperat. Vnde hoc est quod huic iussum est, vt ferrum non ascenderet in caput eius, & vinum & siceram non biberet. Hoc enim tota vita sua obseruauit Samson, quod illi qui vocati sunt Nazaræi certis diebus obseruabant, vouentes votúmque reddentes. *iudic.13*

Quomodo Manue ignorauit quia Angelus Dei esset.

Quod dicit Scriptura, Quoniam ignorauit Manue, quia Angelus Dei est: manifestum est etiam eius vxorem hominem credidisse. Quod ergo ei dixit, Vim faciamus tibi nunc, & faciamus in cōspectu tuo hœdum caprarum, tāquam hominem inuitauit: sed ita vt hoc cum illo epularetur, quod sacrificium fecisset. Nam facere hœdum caprarū non solet dici, nisi cùm fit sacrificium. Denique & ille ita respondit, Si vim feceris mihi, non manducabo de panibus tuis: vbi ostendit se fuisse ad epulas inuitatum. Deinde addidit, Et si feceris holocaustū, Domino offeres illud. Vtique ideo dixit, Si feceris holocaustum, quia ille dixerat, Faciamus in conspectu tuo hœdum caprarum. Non autem omne sacrificium holocaustum erat. Nam de holocausto non manducabatur, quia totum incendebatur, & ideo vocabatur holocaustū. Sed Angelus etiā non manducaturus, holocaustum potius fieri admonuit, non tamen sibi, sed Domino: propter hoc maximè, quia gens Israel illo tempore consueuerat quibuslibet diis falsis sacrificare: vnde & tunc offenderat Deum, vt traderetur inimicis per quadraginta annos. 53 *iudic.13*

Quomodo viso Angelo dicunt se Deum vidisse.

Quid sibi vult quòd postea quā manifestatus est Manue & vxori eius Angel⁹, qui cum eis loquebatur, dixit idem Manue vxori suæ, Morte moriemur, quoniam Deum vidimus: ex ea scilicet Legis sententia, vbi scriptum est, Nemo potest faciem meam videre & viuere. Opinabantur ergo vt homines Deum se vidisse, tāto vtiq; miraculo facto, quòd in igni sacrificii stetit, qui cum illis prius quasi homo loquebatur. Sed Deum in Angelo, an Deum ipsum Angelum appellabant? Sic enim scriptum est, Et sumpsit Manue hœdum caprarum, & sacrificiū obtulit super petrā Domino mirabilia faciēti: & Manue & vxor eius expectabant. Et factum est dum ascenderet flamma desuper altare ad cælum, & ascendit Angelus Domini in flamma, & Manue vxórque illius expectabant. Et ceciderunt super faciem suam super terram: & non apposuit vltrà Angelus Domini apparere ad Manue & ad vxorem eius. Tunc cognouit Manue quoniam Angelus Domini est: & dixit Manue ad vxorem suam, Morte moriemur, quoniam Deum vidimus. In his ergo verbis quia non dixit, Morte moriemur, quoniam Angelum Domini vidimus, sed Deum vidimus, oritur quæstio, vtrùm in Angelo intelligebāt Deum, an eundē Angelum Deum vocabāt. Illud enim tertium quod Deum putauerāt qui erat Angelus, dici nō potest, apertissimè dicente Scriptura, Tunc cognouit Manue, quoniam Angel⁹ Domini est. Sed vnde metuebāt 54 *iudic.13* *Exod.33*

mortem? Non enim Scriptura in Exodo dixerat, Nemo videt faciem Angeli, & viuet: sed faciem meam dixit, cùm Deus loqueretur. An & in hocipso quòd in Angeli prẽsentia Deum cognouerat Manue, ita perturbatus est, vt mortẽ timeret? Quòd autem illi vxor sua respõdit, Si vellet Dominus mortificare nos, nõ accepisset de manu nostra holocaustoma & sacrificium, nec illuminasset nos ad omnia hæc, sed nec inaudita fecisset nobis hæc: vtrùm ipsum Angelum crediderunt accepisse sacrificium, quia viderunt eum in altaris flamma stetisse? An per hoc intellexerunt accepisse Dominũ, quia hoc fecit Angelus, vt se ostẽderet Angelũ? Quodlibet autem horum sit, iam tamen Angelus dixerat, Si autẽ facies holocaustum, Domino offer illud, hoc est, non mihi, sed Domino. Quòd ergo stetit Angelus in altaris flamma, magis significasse intelligendus est illum magni consilii Angelum in forma serui, hoc est, in homine quem susceperturus erat, non accepturum sacrificium, sed ipsum sacrificium futurum. Esaiæ 9

Quomodo dicatur Samson percussisse alienigenas tibiam super femur.

55 Quid est quod dictum est, quòd percusit alienigenas Samson tibiam super femur? Quis enim habet tibiam super femur, quum tibia deorsum versus non sit, nisi à genu vsque ad talum? Deinde si locum corporis significauit, vbi eos vulnerauit, nunquidnam omnes, quos percussit, in vno corporis loco fuerat vulneraturus? Quod si esset credibile, possemus forsitan suspicari eum pugnasse tibia alicuius animalis tanquam fuste, & ea illos super femora percussisse: sicut de illo scriptum est, quòd maxilla asini mille occiderit. Sed neque illud, vt dixi, credibile est, quòd pugnans vnum tantum locum obseruauerit, vbi eos percuteret. Et non ait Scriptura, Percussit eos tibia super femur, sed tibiam super femur. Nimirum ergo inusitata loquutio facit obscuritatem. Ita enim dictum est, acsi diceretur, percussisse eos valde mirabiliter, id est, vt admirando stupentes tibiam super femur ponerent, tibiam scilicet vnius pedis super femur alterius, sicut solent sedere qui mirando stupent. Tanquam si diceretur, Percussit eos manum ad maxillam, id est, tanta cæde, vt manum ad maxillam tristi admiratione ponerent. Hunc sensum ita se habere, etiam interpretatio quę est ex Hebræo satis edocet. Nam ita legitur, Percussit eos ingenti plaga, ita vt stupentes suram femori imponerent. Tale est enim, acsi diceret, Tibiam femori imponerent: quoniam sura vtique retrorsus cum tibia est. Iudic. 15

Quid sit, Ne fortè occurratis in me vos.

56 Quid est quod ait Samson viris Iuda, Iurate mihi ne interficiatis me vos, & tradite me eis, ne fortè occurratis in me vos? Quam locutionem ita nõnulli interpretati sunt, Ne fortè veniatis aduersum me vos. Sed hoc eũ ne ab eis interficeretur dixisse illud indicat, quod in Regnorũ libro scriptum est, iubẽte Salomone vt homo occideretur, & dicẽte, Vade, occurre illi. Quod ideo nõ intelligitur, quia nõ est consuetudinis apud nos ita dici. Sic enim quod militares potestates dicunt, Vade, alleua illũ, & significat occide illum, quis intelligat, nisi qui illius locutionis cõsuetudinem nouit? Solet & vulgò apud nos dici, Cõpediauit illi, quod est occidit illum. Et hoc nemo intelligit, nisi qui audire cõsueuit. Hæc est enim vis generalis omnium locutionum, vt quemadmodum ipsæ linguę non intelligãtur, nisi audiendo vel legẽdo discãtur. iudic. 15

DIVI AVRELII AVGVstini Hipponensis Episcopi, liber Quæstionum Veteris & noui Testamenti.

Quid sit Deus.

DEus hoc est quod nulla attingit opinio. Plꝰ est enim quàm quidquid dici poterit aut cogitari. Sed dicamus aliquid, quod licet impar sit, tamen ex aliqua cõueniat ratione iis quæ Deo digna videntur. Nam vnaquæque natura ꝓ capacitate sui suspicatur de Deo, vt quãtum natura distat à natura, tantum distat sentẽtia à sentẽtia in iudicãdo quid Deꝰ sit. Quia enim supra omnia est, necesse est vt omnium mentes excedat. Homines enim quãtum possunt aciem mentis extendere, aspiciunt quid Deus sit opinione, non definitione. Angeli autem qui superiores hominibus sunt, quia plꝰ de Deo aliquid sẽtiunt, nõ est dubiũ. Archãgeli verò eoipso amplius. Cherubim autem & Seraphim, quæ potẽtię iuxta Deum esse dicuntur, maiora de Deo sentiunt, non tamen comprehendunt penitus quid Deus sit. Quia nemo nouit Patrẽ nisi Filius, nec Filium quis nouit nisi Pater. Igitur Deus est ficut hominibus videtur, Spiritus natura simplex, lux inaccessibilis, inuisibilis, inæstimabilis, infinitus, perfectus, nullius egens, ęternus, immortalis omnimodo, à quo omnia initium cõsecuta sunt, venerandus, diligendus, metuendus, extra quẽ nihil est, imò in quo sunt quæcunque sunt sursum & deorsum, summa & ima, omnipotens, omnitenens, verè in omnibus diues, quia nihil est quod eius non sit, bonus, iustus, misericors. Bonus, quia fecit existere quod non extiterat. Iustꝰ, quia quęcunque fecit vt proficerent, proprio libertatis arbitrio dimissa sunt. Quia tamen non tam perfecta sunt, vt labi nõ possint, seminaria his Legis inesse decreuit, naturaliter addens auxilium manifestatæ Legis, vt auctoritas eius perfecta esset hominibus. Misericors verò, quia peccantibus non facilè reddit, sed sustinet vt cõuersis ignoscat. Est etiam seuerus, vt terrore quæ ab eo bene condita sunt conseruentur, ne negligentia pareret vitæ pręcipitium. Et ne quod mirabilius est prætermittamus, tanta est eius clementia, vt cõtumelias passus ab iis quos fecit, sufferat, & prior Matth. 11 Deus quid sit.

vocet

vocet ad pacem. Nunquid non maioris virtutis hoc est, quàm condidisse creaturam, in quo si permaneret nimia bonitas eius, obesset creaturæ? Vnde aliquando diligi, aliquando timeri se vult, ne aberrantes ab eo depereant. Hinc est vnde ne patientia eius, non vtique ad damnum ipsius, sed ad nostrum omnino contenenda putaretur, ait, Tacui, nunquid semper tacebo? Itaque Deus bonus, & omnia quæ fecit bona sunt: vnde ergo malum? Nihil est malum nisi præuaricatio boni, dum inconcessa præsumuntur, aut concessa inordinatè fiunt, vt alibi mandatum, alibi peccatum fiat, vt quando quod in vxore concessum est, fit in meretrice, & quod Deo offerendum erat offertur diabolo, & cùm quis non tulit suum, sed alienum, & cùm præuaricatorem occidi liceat, occiditur innocens. Nulla igitur natura probatur malum. Voluntas autem est accidens naturæ, concepta ex causis quæ malè mouetur, dum excedit modum, vt illa gerat quæ naturæ suæ non sunt. Causæ autē præuaricationis oriuntur ex sensibus, quando aliquid malè videmus aut audimus. Quem errorem hæc res facit, quia homo nō est Deus, qui solus errare nō potest. Natura igitur hominum proprio arbitrio remissa & dimissa est, vt possit facere quod vult, vt si bonum naturę suę exercitatio melioret, honorabilior sit: si autem infirmet vigorem suum, contumelia dignus habeatur huiusmodi: facit enim quod cōtra rē sit. Non est minimum quod concessum est homini, vt cùm recta sequitur, gaudeat in se: sed per id quod opere suo videt se meliorem, aut certè imputet sibi, qui quum potuit non dedit operam vt melioraret se bonis. Si autem homo potestatis suæ non esset, subiectus fuerat necessitati, vt neque boni operis haberet gloriam, neque mali pœnam, sed fuisset vnum ex pecoribus. Quoniā ergo ad vtrunque facti sumus possibiles, vt per negligentiā delinquam⁹, si quod bene audire & videre debemus, malè, id est, extra normam & rationem audiamus, per vigilātiam autē naturæ bonum custodiamus, & cauti esse semper non possumus. quia sicut dixi, ad vtrunque facti sumus possibiles. Si peccamus, nō iam condemnamur, nisi iterum delinquamus, iam quasi proditores. Qui enim semel peccauerit, reparare se debet ne denuo peccet, ne pars sit ei qui se vicerat, vt iterum si nō peccet, iam superior habeatur: quia qui semel elisus est, bis triumphabit. Hæc iustitia est, vt quia colluctatio est in mundo, qui propēsior ad peccandum est, in non peccando coronetur. Nihil ergo in Dei opere malum est. At si à quibusdam mala quædam dicantur, vt venenum aut tenebræ: quia corpora nostra vim veneni ferre non possunt, malum dicant etiam ignem aut aquam: & ferrum vel plumbum, quia multum ab auro distat, malum dicatur. Ad comparationem enim lucis tenebras condemnant, cùm sciant pro loco suo necessarias esse, sicut plumbum aut testam. Nam vtique requiem dant post laborem. Esaiæ 42

Igitur omnis qui colluctatur in mundo, sic eniti debet, ne in re aspera victus abscedat, & fiat reus, vix aut tardè se reparās: & fortè inter hæc proueniat exitus, & exeat hinc cum peccato. Qui enim omni virtute nititur, si elisus fortè fuerit, quasi vir cadit, nec succēsset ei quisquā: sed hortatu quodam animum eius reparat. Videt enim eum propositum habuisse vincendi, & sperat talem posse proficere ad victoriā, quē non sine fatigatione sui hostis elisit. Qui enim facilè vincitur, non habet animum resistendi, nec vincitur, sed cōsentit: hīc acerbius peccat. Huiusmodi vix ad veniā admittendus est, qui votum habet delinquendi. Qui enim id meditatur ne peccet, etiam si peccauerit, non asperè peccat. Quoniā diligētibus Deum aliquando minora peccata subrepunt. Quantò autem minora sunt, tantò subtiliora, & dum contemnuntur non vitantur. Maiora enim longè apparent: ac per hoc qui in maioribus peccat, voluntatis eius est crimen. Sanè quoniā superius peccata ex sensibus ortum capere diximus, dum cō tra Legis imperium vel ratione aliquid aspicimus aut audimus, id est, si solem videntes, adorandum eum putemus propter pulchritudinē eius, tunc malè videmus, quia ad iniuriam pertinet Creatoris communis, vt quod illi soli debitum est, deputetur creaturæ: quippe cùm ab eo prohibitum sit per Legem. Aut quum corpora bene composita & decora videmus, aut aliquid proximi, si concupiscamus, aliter ea aspicimus quàm mandat Lex: tunc facimus peccatum quod vocatur malum. Sed fortè dicatur, Nihil igitur formosū debuit fieri, ne nos peccaremus, vt tutela nostra ex aliorum deformitate constaret. Quod si esset, nec ferrum esset, ne de eo fierent homicidia. Neque lucerna in vsu esset, ne fures lumine eius ad effringendum vterentur, vt quod magnopere omnibus vtile est, deesset propter quorundam vaniloquia. Quum cōstet nos semper omnia aspicere, nec tamen semper omnia concupiscere, quia non illorum vitium, sed nostrum est, quum sumus negligentes, quod constat ex interuallo creati, quia non sumus quod Deus est. Sic autem malè audimus, si audientes idola deos esse, cōsentiamus, aut si turpia cantantibus aurem accommodemus. Tunc autem bene audimus, si audiētes de Deo quod vnus sit, oblectemur. Si quis autē contra Legem aliquid audiens assentiat, peccat, & hoc est malum audire.

Cur Deus mundum fecerit?

Fecit, quia est opifex. Aut negetur si nō est. 2
Sed esse, ipsa opera manifestant. Fecit ergo vt esset quod antè nō erat, quia sine dubio melius est esse quàm nō esse. Si dicatur, Nunquid inane fuit aliquid vbi faceret, aut quid prius erat vbi fecit? Hoc vas electionis Apostolus Paulus paucis absoluit. Ait enim quum de Deo esset sermo, In ipso viuimus & mouemur & sumus, Act. 17
hoc est, omnia esse in Deo, quia vbique est, & ante omnia solus ac æternus, inuisibilis omni

creaturæ. Et ne mysterium prætermisisse videa mur, aut potius ignorasse cur mundꝰ factus sit, dicimus diaboli apostasiam multos Angelos, id est, spiritales potentias secum in prævaricationem traxisse, dum voluit sibi regnum impia præsumptione defendere. Quod Propheta E-
Esaiæ 14 saias significat dicens, Quomodo cecidisti de cælis lucifer, qui manè oriebaris, id est, qui cęteris lucidior apparebas? Erat enim quasi princeps multorum, inter quos clarior erat, & cum quorum societate ad impium descendit certamen. Videns enim infrà se multas spiritales potentias (quippe quum in paradiso Dei præstantior esset cognitione mysterii cælestis) ipsa elatione inflatus, voluit dici Deus, hac scilicet ratione, qua etiam in præsenti vita exemplum eius quosdam imitatos videmus, qui cõtemplatione aggregatorum circa se militum elati, satellitibus in hac re fomitem cõspirationis præbentibus, imperium sibi vendicare voluerunt. Hinc est vnde Deus vt eius præsumptionem nõ potestate, sed ratione destrueret, materiam condidit, quæ esset rerum confusio, ex qua faceret mundum. Distincta enim quę simul confusa erant, hunc præstiterunt quem videmus ornatum. Discretis enim ab inuicem substantiis, facta cõpaginatione mundus vocatur, quia vnaquęque res ab altera segregata, ad mundum apparuit, vt hic homo positus, creatus ex supernis & infernis, id est, ex cælestibus & terrenis vnius Dei dominium, non tantùm voce, sed & imagine, qua vnus ab vno Deo factus est, ex quo cæteri orirentur, ostenderet. Ideo enim Deus vnus vnum fecit, vt doceret ab vno omnia esse, ac per hoc vnum esse Deum, vt superior creatura ad confusionem suam in homine disceret, qui de terra conditus est, veritatem, & ex eo diabolus inimicus extitit hominis. Præuidit enim quia ad accusationem eius factus est homo. vnde subtilitate sua id egit, vt in eãdem illum prævaricationẽ, in quam ipse ruit, induceret, vt accusatorem suum participem suæ damnationis efficeret. Ex transgressione enim Diuinitatem illi spopondit, ad quam ipse dum affectaret, ab ea deiectus est. Et quia omnis natura à crimine libera est, ex accidenti sunt nomina: ante enim res, postea significatio. Ac per hoc satanas & diabolus ex actu eius composita sunt nomina, vt sit non naturæ eius, sed voluntatis eius significatio. Itaque vt propositum Dei, quod in causa creati hominis decreuit, maneret, & factum diaboli, per quod hominem circunuenit, ad cumulum eius reatus proficeret: Christus de sacris sedibus etiam ad terras venire dignatus est, vt & hominem à transgressionis sententia liberaret, & diaboli futuram perditionẽ, ne quis factum eius imitaretur ostenderet. Propterea dixit Io-
1. Ioan. 3 annes Apostolus, Ideo venit Filius Dei, vt solueret opera diaboli. Qui si natura malus esset, pœnam ei promittere, aut dementis erat aut iniqui. Quis enim arguat eum, quem videt non aliter aliquid facere, quàm natura eius admittit? Si igni potest succensèri, quia vrit, aut aquæ, quia infrigidat, quum non vtique voluntate hoc faciat, sed natura? Vnde etiam diabolus si natura malus esset, voluntatem non haberet. Nec enim posset discernere: sed vno atque eodem modo omnibus se quasi cæcus ingereret. Porrò autem iudicio quodam hoc agit: nam suam voluntatem facientibus parcit, à quibusdam neotericis dissimulat, ad Dei auxilium cõfugere volentibus offendicula & impedimenta opponit, & seruis Dei insidias tendit, & promptioribus circa eius obsequia magis infestus est. Vnde manifestum est, voluntatem eius esse in crimine. Quamobrem Petrus Apostolus ait, Sobrii estote & vigilate, *1. Petri 5* quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circumit, quærẽs quem deuoret. Gentiles non quærit, Iudæos non quærit, malæ vitæ & conuersationis non quærit: sed quærit Dei seruos & Christi famulos, quos sibi scit inimicos, quia factum eius & præsumptionẽ eius condẽnant. Deniq; Lege data plus exarsit inuidia, aduersus eos qui sub Lege erant, sciens Legis documenta vnum Deum tradere, & bonam conuersationem hominibus. Igitur si hoc naturaliter putatur facere, reus constitui non potest: quia hoc facit quod naturæ suæ est & potest, & non facit quod non potest, quia naturæ suæ non est. Itaque neque laudandus neque condemnandus est. Laudandus non est, quia obsunt quæ agit. Condemnandus autem non est, quia non voluntate hoc facit, sed impulsu naturæ. Nam aliquos scimus subitò dementes factos, fuste, ferro, lapidibus, morsibus, multis noctuisse, quosdam etiam occidisse. Captos autem industria & iudicibus oblatos, minimè reos fãctos, eò quòd nõ volũtate, sed impellẽte vi nescio qua hæc gesserint nesciẽtes. Quomodo enim reus constitueretur qui nescit quid fecerat? Ita & diabolus si bonũ nescit, quare condemnandus censebitur, quoniã nõ facit quod nescit? Imò si posset fieri, laudandus erat, quia facit quod non nouit. Nos autem iure rei constituimur, quia illud non facimus quod scimus debere nos facere, vel quia illud facimus quod scimus debere nos non facere. Sed quia per omnem Scripturę constitutionem reum diabolum constitui videmus, & propterea gehẽnam illi paratam legimus. Legibus illum damnandum scimus: quia quum sciret & posset facere bonum, fecit & faciet malum. Nec enim Deus qui iustus est, damnaret eum quia bonum non fecerat quod nescierat, & quia malum fecerat quod sciuerat. Manifestatum itaque puto, nullam naturam debere dici malũ, quia omne malum sicut claruit, ex voluntate fit, quæ per sensus accidit naturæ.

Quid opus erat per Mosen, & non antè, exordium mundi & ordinem creaturæ exponere.

Prius describi non debuit, quia adhuc ex 3
causa error tantus non erat in hominibus. At

vbi

vbi iam error creuerat generi humano, ita vt etiam filii Israel, contra hanc expositionem, in AEgypto tradi audirent à Philosophis AEgyptiorum, à quibus etiã Moses fuerat instructus omnem peritiam AEgyptiacam, quæ Apim quendam, mundum istum asserit per malos angelos cõdidisse. hunc quoque principem mundi videri, id est, satanam. Quam sentẽtiam Marcion secutus, ruit in mortem. Nam & Manichæi ab eodem satana hominem dicunt factum, non mundum istum, stultiores cæteris. Quum enim mundum constet hominis causa fabricatum, illi à Deo dicũt mundum factum, licet de alieno: hominem verò ab aduersario creatum, vt in domo alterius alter posuerit dominium. Oportuit ergo Mosen, vt errorem istum proderet & auferret, manifestare mundi & hominis fabricati Deum esse auctorẽ. Accepta enim auctoritate per signa & prodigia quæ fecit, docuit sine dubio id verum esse, quod testibus signis tradebat. Quis enim non crederet ei, cuius tanta signa in rebus gestis existerent? Denique hinc est, vnde qui cõtra disciplinam hanc sentiunt, errare noscũtur, quia nudis verbis assertionem suam allegare nituntur. Itaque vt nihil Deo coæternum esse doceret, ordinem ipsum creatarum rerum vtile fuit exponi, vt dum minora prius facta memorat, postea autẽ maiora, nihil horum infectum habeatur: quia quæ tẽpore minora sunt, virtute maiora sunt, vt si illa præscribere de tempore se putent, ipsa infirmitate, qua posterioribus subiecta sunt, reuincantur: aut si hæc de virtute præsumendo primatum sibi vendicent, posterioritate ipsa humilientur, vt nihil horum non initio subiectum videatur. Antè quidem cælum factum est & terra. Deíde lux, quæ in officio diei est. Post firmamentum, quod appellatum est cælum, & congregationes aquarum, quas appellauit maria, vt appareret arida terra, in qua possit habitari. Terrã autem, quam post cælum factum dicit, non terram solam vult intelligi, sed materiam significauit, id est, omnia inferna, quæ in mundi omnem speciem profecerunt. Cælum autem nõ hoc carnale, sed illud supernũ quod spiritale est, in principio factum contendit. Vt cùm cælum primò dicit factum, deinde terram, in cælo omnia inuisibilia, & in terra omnia visibilia creata à Deo significaret. Totius enim naturæ summa & ima comprehendit, vt quidquid medium est, proculdubio etiam factum credatur. Luminaria verò, quæ ad gubernandum mundum instituit, quarto die asserit facta, vt quantò maiora sunt virtute, tantò inferiora sint tempore. Hominem autem sexto die constituit, vt in domum iam factam habitatorem introduceret. Et valde sublimior est homo, quem vtique sexto die factum declaratum est, quem idcirco sublimiorem dixi, quia interior eius natura inuisibilis est, & intellectu capax: sed fortitudine maior est sol, & lumine fortior luna est quam terra. Hinc (quod quibusdam displicet) dictum est, Vidit Deus lucem quia bona est, vt quia omnia à malo facta dicebantur, bona credi non poterant: Moses vt bona quæ facta sunt, probaret, ipsi Deo placita quæ fecit, ostendit, vt cui displicerent, reum faceret. Nam quomodo possit nescire lucem qui dixit, Fiat lux, & facta est lux? Aut quis facit quod nescit? Facta autem lux, & placuit ei qui fecit. Quis opifex in opere suo non lætetur? Sic dictum est, Vidit Deum lucem, quia bona est. Et denuo sunt qui dicunt quòd mala est. Quid si sine testimonio esset relictum? Igitur descripta mundi fabrica, & primi hominis origine traducem tenuit generis Seth, qui redditus est pro Abel, & per ordinem venit ad Abraham patrem Iudæorum, vt ostenderet Abraham huic Deo credidisse, qui opifex mundi est, & ipsum Legem dedisse, in qua futurus Christus promissus est, qui liberaret genus humanum de dominio diaboli. Ex iis rationabilis probatur fides nostra. Testimonium enim huic dat origo descripta: quia ab initio genus est Christianorum. Ex Seth enim filio Adæ venitur ad Enoch, ab Enoch ad Noe, ex Noe ad Abraham, ab Abraham descenditur ad Dauid, à Dauid ad Mariam, ex Maria de Spiritu sancto nascitur Christus. Priores ergo omnes quotquot fidem habuerunt vnius Dei, quam Saluator prædicauit, iure Christiani dicendi sunt. Ab initio enim Saluator vẽturus promissus est. Vnde Ioannes in Apocalypsi ait, Agnus qui occisus est à constitutione mundi. Itaque semper Christiani fuerunt. Hi enim omnes quos suprà dixi, à primo homine creato in mũdo, per quos tradux tenditur ad Saluatorem, huius Dei fidem habuerunt. De quo Christus locutus est, dicens, Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum & verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Potest dici econtrariò, Si antè & illi Christiani fuerunt, quæ notitia per Christum? Hunc intelligentiæ profectum aduentus contulit Christi, quia prædicatio vnius Dei ostendit mysterium, & quid cuique personæ competat, demonstrauit, & ad explanandam atque explendam Legis iustitiam, addidit quæ prius reseruata erant.

Genes. 1

Apoc. 13

Ioan. 17

Quare Deus Legem non à primordio dedit.

Primùm Lex formata in literis dari non debuit, quia in natura ipsa quodammodo inserta est, & Creatoris notitia ex traduce non latebat. Nam quis nesciat quid bonæ vitæ conueniat, aut ignoret, quia quod sibi fieri non vult, alii minimè debeat facere? At vbi naturalis lex euanuit, impressa consuetudine delinquendi, tunc oportuit Legem manifestari, vt in Iudæis omnes audirent. Non quòd penitus oblitterata esset: sed quia maxima eius auctoritate carebant, idololatriæ studebatur. Timor Dei in terris non erat, & fornicatio operabatur. Circa rem proximi auida erat concupiscentia. Dãda ergo Lex erat, vt & quæ sciebantur, aucto- 4

Tob. 4

ritatem haberent,& quæ latere cœperant,manifestarentur. Nam inuenimus ante Mosen non solùm non latuisse,sed etiam vindicata esse peccata.Quamobrem & iusti fuisse reperiũtur multi, qui scientes Deum vindicem,timebant peccare. Quòd quum cœpisset iam negligi, legem naturalem reuelari oportuit, vt scirent cuncti aperta ratione Dominum requisiturum actus humanos. Quanuis per diluuium
Gene.16 vindicatum legatur & in Sodomam & Gomorrham, sed hæc vetustatis obliuio texerat. Vnde per Mosen terroris causa ad disciplinam corrigendam, & fidem in Deum reformandam,commemorata sunt. Quare &
1.Tim.1 Apostolus, Iustis,ait, Lex non est posita,sed iniustis, idola colentibus, fornicatoribus, & talia. Nunc videamus an conueniat iis qui Dei iudicium audientes rident futurum, si proderit an oberit, si veritate muniatur, an careat ratione. Lex quidem data est mundo,sed videmus eam circa multos cessare.Non ergo iustum videtur, vt qui hic peccant per potentiam, securi sint. Alii Legibus illudunt,pauperes deprimuntur, iustis accusatio componitur, bene agentes opprobrio sunt,pii indigent, mali florent,iniqui & corruptores in honore sunt, auari & raptores locupletantur, iudex venalis est. Nonne iniquum videtur si Conditor rerum non hæc requirat,vt qui hic iniustè oppressi sunt,reuelentur, & qui bene viuendo indiguerunt, remunerentur, & qui propter iustitiam opprobrio erant, honorentur: illi autem qui per potentiam leges contempserunt, aut tergiuersatione illuserunt,iniquitatem sectantes, sic glorioſi in his, vt ipsi iustitiæ insultare videantur, vt humiliati & confusi tormentis subiiciantur in conspectu eorum, in quorum malis & despectione gaudebãt,vt & ipsi de pœna illorum læ-
Roman.2 ti Deo gratias referant,apud quem solum personarum acceptio cessat?

Vt quid Abel sacrificium acceptum est & Cain reprobatum est.

5 Ex verbis hoc ipsius lectionis potest colligi, quia non est literarũ arte velata historia. Nam Abel prudentem & deuotum,in eoipso sermo indicat Scripturæ: Cain verò negligentem & improuidum, ac per hoc minus deuotum. Abel ergo de placidis potiora elegit, quæ Deo offerret Creatori, vt de iis vtique quæ creauerat,præcipua illi offerret,vt per hoc & dedicationem suam, & meritum eius probaret, vt & propriam reuerentiam, & Deum auctorem ostenderet. Hoc Cain velut rusticus præsentare nequiuit. Totum enim animum terræ inserẽs, mentis oculos ad cælum leuare non potuit, vt quid Creatore dignum esset,aspiceret,qualiacũque etiam Deo obtulerit munera.Quæ causa etiam in Iudæis obliquæ mentis deprehenditur. Sæpe enim reprehensi sunt, cùm munera sua improuidè Dei altari offerrent, quæ nec hominibus digna viderentur, dicente Domino, Cæcas & luscas offertis mihi:non hæc susci piam de manibus vestris. Offer ea præposito aut duci tuo,si acceperit ea. Cùm constet apud omnes personæ sublimi maxima offerri debere munera.Ideóque Cain munera refutata sũt, dicente ei Domino,Quid contristatus es,& vt Gene.4 quid concidit vultus tuus?Nonne si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti? Quiesce. Apud te conuersio eius,& tu dominaberis eius. Vides ergo quia diuisio incurrit peccatum,dum non æstimans quid dignum Deo esset, potiora reseruauit suis vsibus. Itaque non quia obtulit reprehensus est, sed quia indigna obtulit. Neque ex eo damnatus est:sed quia factum noluit emendare commonitus. Ad te enim(ait)cõuersio eius, & tu dominaberis eius, hoc est,me non accipiente ad tuum dominium conuersum est munus à te oblatum, vt de cætero sciret quid faceret. Hinc inuidia exarsit, vt occideret fratrem,vt ab iniusto occideretur homine, qui iustitiam primus ostenderat, & exemplum malum daretur hominibus. Sic enim æmulatione zeli cæcatus est, vt non solùm gratias non ageret, eò quòd reus factus nõ fuerat, sed nec didicerat quomodo hoc emendaret: verumetiam adderet aliud grauius per quod damnari mereretur. Talis est causa improuidi ac fratricidæ Cain, qualis & illius nequam serui, cui quum ignotum esset à Domi- Matth.18 no, ingratus effectus exiens suffocabat conseruum suum,vt etiam de præterito ignoto sibi facinore,& de impietate in conseruum suum admissa, inexcusabilis damnaretur. Et tamen ad præsens non est damnatus Cain: sed confusus Gene.4 & reus sub terrore dimissus est super terram, vt si pœniteret, ignosceretur ei. Denique timens ne aliquis cum pro hoc facto occideret, ait ad Dominum,Maior causa est mea relinqui me, si eiicis me hodie à facie tua, & à facie terræ abscõdam me,& ero gemens,& tremens super terram.Et erit omnis qui inuenerit me,occidet me.Territus itaque Cain verbis iusti iudicis Dei, timet despici à Domino, ita etiam vt à conspectu hominum confugere se debere putet, certus, quia qui irato Deo viuit, etiam ab homine possit occidi. Sed quid ei respondet Dominus? Non sic,inquit, hoc est,non ad hoc te remisi,quum non merearis viuere,vt ab aliquo occidaris, sed vt gemas & tremas, quasi qui primus malum exemplum dederis super terram,dum laboribus tuis non respondet fructus ex humo. Itaque omnis qui occiderit (inquit)Cain,septem vindictas exoluet.Hæc sententia ostendit iure damnandum Cain. Quando enim vidit legem datam sub tali comminatione, ne quis imitaretur factũ eius,plus cœpit timere, sciens quid mali admiserat.Septẽ ergo vindictas promittit, si quis ad hoc facinus aspirasset,vt vidẽs ex opere Cain reum factum, & quum adhuc Legis manifestatio non erat, sciret se septemplici pœna mulctari, si hoc non vitaret, vt Legis notitia sex plagas adderet suprà quàm meruerat Cain, vt quum plaga Cain septem

ptē numerarentur vindictę. Hoc etiam numero remunerādi sunt, qui relictis omnibus Dominum sequuntur, & in futuro vitam æternam habebunt. Hoc est signum, quod posuit Dominus in Cain, ne occideret eum omnis qui inueniret eum. In parricida enim posita lex est, vt si quis homicidium fecisset, quia omne parricidium homicidium est, septies reus esset quàm fuerat Cain, vt hac seueritate perterriti cæteri, ab hoc se facinore inhiberent.

Vtrùm Lamech occiderit Cain sicut putatur.

6 Frustra hoc putant qui arbitrantur quòd Lamech hoc dixerit de Cain, Occidi virum in liuorem mihi, & iuuenem in vulnere mihi. Iam enim in quinta generatione natus erat Lamech à Cain, id est, de Mathusalem ab nepote Cain. Hoc autem idcirco commemorat Lamech, vt ostenderet acrius astringendum eum, qui sub manifesta Lege peccauerit. Ac per hoc si post Cain in imitatorem eius septies vindicatum est, quantò amplius in eum vindicandum est, quem nec factum Cain & correptio, nec post in eum lata sententia terruit, vt à tam impio & crudelissimo facinore voluntatem auerteret? Post Cain ergo Lamech hoc homicidiū perpetrauit, qui sine dubio iuxta ea quæ supradicta sunt, septem vindictas exoluit, & quid post Lamech ei qui hoc sequutus fuisset, esset futurum ostendit, dicens, De Lamech autem septuagiessepties. Vt quia malum opus pœnitentia nō subsequitur, septuaginta septem plagarum ictibus feriatur. Vnde & Saluator etiam septuagiessepties peccanti, conuerso tamen, remitti præcepit. Sed ne putetur alius ante Lamech homicidium post Cain fecisse, quia dixit, De Cain vindicatum est. quasi iam factum Lamech dicat de se, quomodo autem diceret quia vindicatum in eum erat, quum adhuc recens esset homicidium, quod confessus fuerat se fecisse, quum constet omne factum sententiam secum habere? Quando enim alia spes non est, præterquam quòd expleto operi dignum scitur, futurum pro facto habetur. Denique dictum Adæ & Euæ est, Qua die manducaueritis, morte moriemini: & vtique non statim mortui sunt, sed post longum temporis interuallum. Sed quia iā spem immortalitatis amiserant, futura mors præsens dicta est, quia hæc cœpit in spe haberi. Igitur quum Lamech iuuenem se occidisse fatetur, & Cain (sicut claruit) vsque ad hoc tēpus peruenire non potuit, aut si peruenit (quod impossibile videtur) senior fuit, eum non occidit.

Gen. 4

Matth. 18

Gen. 3

Quæ decem verba in tabulis data sint, aut singulæ tabulæ quæ & quot verba habuerint.

7 Decem sententias, decem verba appellauit. Quia & Saluator sensum verbum significauit, dicens inter cætera ad Iudæos, Interrogo vos & ego vnum verbum, respondete mihi: Baptismum Ioannis vnde erat? è cælo, an ex hominibus? Hunc sensum verbum appellauit. Simili modo & in duabus tabulis decem verba scripta dicuntur, quæ decem sensus sunt. Denique dicit, Non sint tibi dii alii præter me: primum verbum hoc est. Et subiecit secundum, Non facies tibi vllam similitudinem eorum quæ sunt in cælo sursum, & in terra deorsum, neque in aqua quæ est sub terra. Deinde adiecit tertium, Non sumes nomen Dei tui in vanum. Non enim mundabit eum Dominus qui sumit nomen eius in vanum, hoc est, non in mendacio nomen Dei tui assumes, vt periures per illud. Dehinc quarto loco dicit, Sabbatum Domini Dei tui seruabis, & non facies in illo vllum opus seruile. Hæc quatuor verba sunt de decem: ista ad Deum propriè pertinēt. Hæc sunt in prima tabula scripta. Deinde in secunda tabula hæc continentur. Primum verbum est, Honora patrem tuum & matrem tuam. Secundum, Non occides. Tertium, Non fornicaberis. Quartum, Non furaberis. Quintum, Non falsum testimonium dices. Sextum, Non concupisces quidquā proximi tui, & talia. Hæc in secunda tabula scripta probat Apostolus Paulus dicens, Honora patrem & matrem, quod est mandatum primum in promissione. Quomodo enim esse primum, nisi in secunda tabula ab ipso cœpisset? In promissione autem ideo dicit, quia statim subiecit, Vt sis longæuus super terram, & bene sit tibi. Hæc est promissio facta iis qui mandata custodiunt. Itaque habes & mandata distincta, & numerū eorum consummatū, & quæ & quot in singulis tabulis scripta sunt.

Exod. 20

Ephes. 6

Vt quid Moses descendens de monte cum tabulis, vultum splendidum habuit & intolerabilem.

Exod. 34

8 Accepta potestate in peccatores cum honorificentia descendit de monte, facie gloriosa. Lex enim contra peccatores data est. Moses ergo quia non peccauerat, gloriosus apparuit, & intantum, vt à peccatoribus videri non posset. Ostensum enim in eo est, quia peccatores gloriam Dei non merentur aspicere. Post simulachrum enim vituli fusilis, & confractionem tabularum, in quibus Lex data fuerat, rursus ascendit Moses in montem cum tabulis, in quibus accepta Lege quum descenderet, gloriosa facta est facies eius, vt non possent aspicere filii Israel vultum eius, neque Aaron, quia & ipse peccauerat. Sed interposito velamine loquebatur ad illos, vt tādiu indigni essent gloria Dei, quandiu in peccatis versarentur. Vnde dicit Apostolus, Quum conuersus fuerit ad Deum, auferetur velamen, vt dono Dei abluti, digni fierent intendere gloriam Dei. In confractione enim tabularum, quas antè acceperat, Iudęorū populū reprobū significauit, eò quòd peccatis studentes promissione Dei indigni futuri erāt. Quòd autē reiterata Lex est, alter populus futurus significat° est, cui proficeret Lex data in monte.

2. Cor. 3

* *Si omnia Deus bona fecit & valde bona, vt quid dixit ad Noe, De mundis & immundis induc tecū in arcam, cùm immundum bonum dici absolutè non possit.*

9 Per id quòd multimodam rationem habent verba, faciunt quæstiones. Nã si ad hãc causam de qua agitur, referãtur, nulla erit quęstio, quia per ordinem res ipsæ se produnt. Nam aliquãdo commune dicimus quod indiuisum est, aliquando quod immundũ est. Duobus enim modis appellatur cõmune. Denique Petrus Apostolus, Cõmune, inquit, & immundũ nunquam
Act.11 intrauit in os meũ. Et Apostolus Paulus, Omne, inquit, quod non est ex fide, peccatũ est. Et
Rom.14 alibi, Lex (ait) non est fide, & tamẽ nõ est pecca
Galat.3 tum. Vides ergo, quia vnus atque idẽ sermo nõ eadem semper significat. Ideo & cùm dicitur, Immundũ, cõsyderandum est qua ex causa dicatur: quia aliquando ad cõparationẽ melioris immundũ dicitur, aliquando ad opera sordida refertur, vt malũ intelligatur. Nulla igitur substantia malũ, quia quę per substantiã immunda dicuntur, ad comparationem pulcherrimarum rerum immũda sunt. Nam & canis immundus dicitur ad oleum, & plumbum ad comparationem auri immundum est, & coruus ad pauonẽ, & quum vniuscuiusque corporis membra sint, alia honesta, alia inhonesta vocãtur, cùm sciãtur mala non esse. Itaque omnia in sua natura bona sunt, quia vtilia.

Gene.15 *Quum Deus dicat ad Abraham de filiis Israel, quòd quarta progenie exituri essent de potestate AEgyptiorum, vt qui secontrario Lex dicit, Quinta progenie exierũt filii Israel de terra AEgypti? Valde enim videtur cõtrarium.*

10 Quantùm ad verba pertinet, videtur esse cõtrarium: si autem sensus quæratur, inuenietur esse non dispar. Sic enim Lex loquitur, vt à diligẽtibus & credulis possit intelligi, vt ratio veritatis nõ in curiosis, sed in solicitis se reuelet. Nam vtique Deus dixit, Quarta progenie, & Moses scripsit, quinta progenie, quãuis vtrunque Moses retulerit, & fallere eum impossibile sit, in quo tanta virtus operata sit, ac per hoc intuestigãdus est sensus, quia nõ otiosè aliquid agit, nec improuidè diuina loquitur Scriptura. Itaque duæ partes sunt, quas singuli memorarunt. Deus enim quatuor generationes significauit, quę natę sunt in AEgypto, Moses autem addẽs his vnã, ex qua hę ortum acceperũt, cùm intrassent in AEgyptum, Quinta, inquit, generatione exierunt filii Israel. Generationẽ enim quæ intrauit in AEgyptum, & quatuor quæ illic natæ sunt, simul cõplexus est. Nam ab Abraham vsque ad exitũ filiorum Israel de AEgypto, generationes fũt octo. Ducẽtis enim quindecim annis à promissione facta Abrahæ, habitauerunt in Chanaan, & ducentis quidecim in AEgypto. Hi sunt anni quos comprehẽdit Apostolus ad Galatas dicẽs, Post quadringentos
Galat 3 & triginta annos facta est Lex. Igitur hæ quatuor generationes natæ sunt in Chanaan. In Isaac vna, altera in Iacob, tertia in Leui, quarta in Gerson & Caath & Merari. Cùm intrassent autem filii Israel in AEgyptum, Caath genuit Amram. Hæc est prima generatio facta in AEgypto. Amram autem genuit Aaron & Mosen & Mariã, quæ est secunda generatio in AEgypto. Et Aaron genuit Eleazar & fratres eius, quæ est generatio tertia. Eleazar autem genuit Phinees quarta generatione. Hæ sunt quatuor generationes procreatæ in AEgypto. Vnde ait Dominus ad Abraham, Peregrinum erit semẽ Gene.15 tuum, & seruitio oppriment eos: ego autem liberabo eos, & quarta generatione exient inde. Vide si non apertũ est, quia nõ aliquid aliud significauit Deus, quàm quod gestum est in AEgypto. Moses autẽ vt etiam illã generationem poneret, quæ cum Iacob patre suo intrauit in AEgyptum, ex qua istę quatuor originem habent, dixit, Quinta progenie exierunt filii Israel de terra AEgypti.

Si vir iusti voluntas bona est, quare Isaac non Esau quem Gene.27
voluit, sed Iacob benedixit quem noluit.

Iusti hominis quantùm ad conscientiam e- 11
ius pertinet, voluntas bona est, quãtùm autem ad præscięntiam, immunis est ab aduersis. Deus enim solꝰ est, qui de futuris iudicat. Et per hoc Isaac iustus, quantùm ad præsentem humanitatem dignum est, maiorem filium suum benedicendum magis putabat. Sed Deus qui occultorum cognitor est, minorem benedicendum mereri ostendit, vt in benedictione non hominis ostenderet esse beneficium, sed Dei: quia officii dignitas est non hominis meritum, quã Dei sequitur benedictio. Denique dictum est à Deo in Numeris ad Mosen & Aaron sacerdotes, Vos ponite nomen meum super fi- Nume.6
lios Israel: ego Dominus benedicã eos, vt gratiam traditio per ministerium ordinantis trãsfundat hominibus, nec voluntas sacerdotis obesse aut prodesse possit, sed meritum benedictionem poscentis. Quanta autem sit dignitas ordinis sacerdotalis, hinc aduertamus. Dictum est enim de nequissimo Caipha interfectore Ioan.11
Saluatoris inter cætera, Hoc autem à semetipso non dixit, sed quum esset princeps sacerdotum anni illius, prophetauit. Per quod ostenditur Spiritum gratiarum non personam sequi aut digni, aut indigni, sed ordinationem traditionis, vt quãuis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere, nisi fuerit ordinatus, vt officium ministerii exhibeat: Dei autem est effectum tribuere benedictionis.

Quare Abraham fidei suæ signum, circumcisionis accepit sacramentum.

Si velis aduertere non incongruum videbis 12
quod putas diuersum esse à ratione. Credens enim se filium habiturum, in quo omnes gẽtes benedicerentur, & à quo sanctimoniũ exoriendum erat, illa in parte signum accepit per quã generatio fit filiorum, & cessat vt sanctior sit. Sed si aliquibus deformatio videtur, animaduertant Abraham in eo gauisum, & filios eius hoc testimonio fuisse glorioſos. Nam Achior Iudith 13
vtique vnus ex principibus gentiliũ, videns tãtam virtutem esse in Deo Abrahæ, vt Holofernem ducem exercitus Assyriorum, cuius potẽtiam tota terra tremebat, proprio gladio manu fœminę decollaret, spõte se circũcidit, arbitratus ex eoipso dignitatem sibi quæsitam. Nonne

ne præ se fert, si aliquis pro nomine Christi oculum aut aliquod membrum amiserit? Nonne partem ipsam humanis vultibus ingerit vt appareat glorioſius? Pro fide enim aliquid ad tẽpus amittere, lucrum est facere. Ita & Abraham fidei suæ signum accipiens, non deformatus est, sed melioratus. Spiritaliter verò hoc significauit, quia nebula carnis circuncidi debebat à cordibus hominum per fidem Christi: quia carnalis error obstabat, caliginẽ præstans humanis cordibus, ne cognoscerent Creatorem. Abraham autem, quia & promissus est ex semine eius futurus Christus, qui hanc caliginem abstergeret, ideo circuncisus est, quia filium credidit se habiturum, qui errorem hunc amputaret. Iam vide si non congruè illa in parte vel tale signum accepit.

Si iudicium Dei iustum est, quare infantes in Sodomis simul cum parentibus cremati sunt.

13 Genes. 19 Vt nimis impium facinus Sodomitarum possit aduerti, peccatum eorum peruenit vsq; ad necẽ filiorum ipsorum, ne de origine illorum signum aliquod remaneret. Nonne prouisum est illis ne diu viuentes, exempla sequerẽtur patrum? A gehenna enim liberi sunt, in aliena causa occisi. Parentes enim tam pro se quàm pro his rei sunt, quia vt eorũ opera oblit terarẽtur, omnis progenies ipsorum erasa est. Nam sicut bonis parentum læti sunt filii eorũ, quòd commendetur prærogatiua eorum: sic & de morte quæ pro malis illorum infertur, queri nõ possunt. Vt quemadmodum partici pes in lucro sunt, sic sint & in damno. Similiter & in AEgypto pro noxis patrum plexi sunt filii. Sed vt ad emẽdationem eorum proficeret, vt quia ex aliis causis Deũ credere & venerari, qui in Mose erat, noluerint, hac plaga territi confiterentur cum satisfactione, ne grauius hunc iratum sentirent. Hæc ergo mors filiorũ crimen est patrum. Quoquo enim modo filii debitum spiritum reddiderunt, futuri accusatores parentum, quia perfidiam suam nec sanguine filiorum vincere potuerunt. Non ergo in futurum, sed ad præsens tempus mala parẽtum filios inuenerunt. Nec qualecunque beneficium est glorioſum non esse, nec tamen reum. Nam si quidam cum precibus enituntur in postremis positi, ad fidem veri accedere, vt si non coronam, vel veniam mereãtur: quomodo poterunt hinc aliquid queri cum quibus ita actum est, vt neque esset vnde ignoſci sibi precarentur, neque sublimes haberentur, qui minimè laborauerant? Confer nunc vnius momenti cruciatum ad multi temporis pœnã. Arbitrare etiã multos laborare: & quia perseuerare non possunt, non solùm effectum laboris amittere, sed & pœna multari. Adde etiã quia difficilè de malis nati, & inter nequissimos educati vel conuersati, mentem suam tẽperant ad disciplinam Dei sequendam. Vide ergo si non magis bene actum est cum filiis perditorum.

Quid est vt Deus qui iustus prædicatur, peccata patrum filiis reddere prom ſerit in tertiam & quartam progeniem? Exod 20

14 Nihil iniustè Deum facere aut dicere, qui dubitat insanus est. Itaque si verba Domini non supprimantur, sed omnia quæ ad eandem quæstionem pertinent proponantur, lucebit quod obscurum videbatur, & pium æstimabitur quod minimè iustum putabatur. Qui enim verba suppri mit quæstionis, aut imperitus est, aut tergiuersator, qui calumniæ magis studeat quàm doctrinæ. Porrò autem repromisit quid em Dominus reddere se peccata patrum filiis. Sed iis qui oderunt eum, hoc est, qui in paternis malis versati seruiunt idolis, sicut & patres illorum. Ille enim inimicus Dei est, qui honorem nominis eius vendicat creaturæ. Sicut enim iustorum filii & ipsi iusti nobilitant in se genus iustitiæ, dum & patrũ & sua iustitia sublimantur: ita & nequissimorum & ipsi filii nequissimi, cremẽtum faciunt malitiæ, quia & malorum filii sunt, & nequitiam illorum exemplarunt ad perditionem multorum. Cum terrore ergo locutus videtur Deus, sed verum est, & hoc habet ratio. Quis enim malum & mali hominis filium non duplici genere execretur, quomodo bonum & boni filium duplici mercede non censet honorandum? Idcirco autem in tertiam & quartam progeniẽ reddere se promisit, vt si post patrem malum filius non sequatur perfidiam patris, nepos autem aui in malis imitator existẽs, sciat se non immunem futurum à seueritate sententiæ: aut si & nepotes fortè non aui, sed patris secutus vestigia Testamentum diligat Dei, non ignoret pronepos ad se vsque peruenire sententiam, si æmulus sit proaui perfidiæ. Hac Legis manifestatione deterreri voluit Deus impios patres, vt agnoscentes quantũ mali pareret sectatio idololatriæ, vel affectus filiorum, reuocarentur ad reuerentiam Creatoris: aut filii timentes ne incurrerẽt peccata patrum, Dei Legi obtemperarent. Illi autem attendentes ad nequitiam, aliter hoc interpretari cœperunt dicentes, Patres nostri manducauerunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt: vt securi de impunitate, eò quòd filiis ipsorum redderentur peccata, illi tamen neque spiritus, neque carnis haberent pietatem. Hinc dicitur eis, Non morietur filius pro patre, neq; pater pro filio: sed anima quæ peccauit ipsa morietur, vt addisceret non impunè sibi futurum: sed sic reddi peccata patrum filiis, vt quia impietatem parentum secuti, mala quæ obliteranda erant exẽplauerint, acerbius puniantur. Postquã ostẽdit Deus quid mali pariat idololatria, addidit statim quæ bona diligẽtes se sequãtur, dicens, Et faciens misericordiã in millia milliũ iis qui

Ezechie. 18

Exod. 20

diligũt me,& cuſtodiunt præcepta mea, vt bonum patris non vſque ad pronepotem, ſed vſque ad millia millũ reddat. Vtputa ſi quis ex ſemine Dauid diligat Dominũ, quem conſtat vtique porrò ante mille annos fuiſſe, huic additur miſericordia Dei, vt in neceſſitate duabus ſuffragãtibus cauſis, miſericordiã accipere mereatur: quia & ipſe Dei cultor eſt, & ex eius ſemine eſt, qui amauerit Deum. Et in hoc clemẽtia Dei laudabilis eſt, vt odio habentibus ſe vſque in tertiam & quartam reddat progeniem, & nõ in millia millium: vt ſi in quintã progeniem tractum fuerit malum, inde iterum caput habere incipiat, vt ex eo numeretur vſque ad tertiam & quartam progeniem. Sed dicet quis, Auctori magis amplius reddendum iuſtum videtur, quàm imitatori. In auctorem congruè datur vindicta: filiis autem quod plus dicit reddi, pœna eſt patris. Et ſi cauſam quæras, acceſſu legis peccatores plus fiunt rei, ſicut & Lamech, & poſt Lamech. Quibuſdam tamen videtur ſic reddita eſſe peccata patrum in filios, dum in captiuitatem ducti ſunt cauſa patrum, & fuerunt ibi vſque ad quartam generationem. Quod ſi verum eſt, non ſolùm odio habentibus ſe reddidit peccata patrũ, ſed & diligentibus nomem ſuum: quia & Daniel abductus eſt, & tres pueri, & Baruch, & Ezechiel, & Eſdras ibi natus eſt. Liquidò ergo apparet illud conuenire propoſitæ quæſtioni, quod ſuprà diximus.

Cùm iuſtum Lex prædicet, & hic vere iuſtus, qui plenam habet iuſtitiam, quomodo contra Salomon, Noli (inquit) eſſe iuſtus multum? Eccle.7

15 Nimia iuſtitia incurrit peccatum, temperata vero iuſtitia facit perfectos. Non enim ſine malitia eſt qui multum eſt iuſtus: quia peccantibus ad ſingula ſi reſpondeas, non deerit vbi pecces. Denique Dei tẽperata iuſtitia eſt. Peccantibus enim aliquando ignoſcit, aliquãdo iraſcitur, aliquãdo reddit non quantum digni ſunt: ſuffert enim eos vt ſint qui proficiãt. Lex enim quia ſeipſam mollire nõ poteſt, nobis mitiganda eſt, vt poſſit prodeſſe ſub ſe agẽtibus. Hic ergo iuſtus nõ eſt multum, qui Dei imitator eſt.

Quare Angelus qui volebat in via Moſen occidere, circunciſione infantis placatus eſt. Exod. 4

16 Quod ſine conſilio Moſes fecerat, apparẽtia comminantis Angeli commendauit. Deinde videns fieri, quod per negligentiam fuerat prætermiſſum, ceſſauit ab ira. Idcirco ſic infeſtũ Angelum in ſe vidit Moſes, & paratũ ad vindictam: quia viri ſublimis culpa graue peccatum eſt. Quantò enim perſona eius ſupplicior eſt, tantò magis leue delictum eius. Quod ergo à ſummo viro, vtpote à ductore populi fit, acerbiſſimum eſt peccatum. Pergebat itaque ad filios Iſrael, miſſus à Deo Abrahæ, & ſignum iuſtitiæ non ferebat, in quo gloriari ſciebat Iudæos, vt aut ipſe ſolicitator diceretur, aut non ab eodem Deo miſſus, qui Abraham elegerat. In Madian enim habitãs filios minimè circuncidit: quos autem ducere ſecum ad Aegyptum non debuit, qui cæteros ibat inde educere, aut certè circunciſos aſſumere, propter quæ ſuprà diximus. Sephora ergo vxor Moſi, quod compendio loquitur Scriptura, non ignorans qua cauſa viro ſuo infeſtus Angelus videbatur, accipiens petram, circuncidit filium ſuum, & receſſit Angelus. Ea enim ratione, mitigata eſt ira, qua fuerat accẽſa. Nam aliquando compendio loquitur Scriptura, quæ ſubintelligi vult expoſita ratione, ſicut & illud quod Saluator dicit inter cętera ad Iudæos, Quare & vos præteritis mandatum Dei, vt traditionem veſtram ſtatuatis? Nam dixit Dominus, Honora patrem tuum & matrem, & qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Quicunque dixerit patri aut matri, Omne munus quodcunque fuerit ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem aut matrem ſuam. Sine dubio per compendium hoc dixit Saluator, vt ſubintelligatur ſacerdotes Iudæorum, dum auaritiæ ſtuderent, Dei Legem ſpreuiſſe. Impia enim conſpiratione conſilium dederunt filiis, vt maledicentes patrem aut matrem, quodcunque offerrẽt quaſi donum Deo, per quod data ſententia in maledictos ſolueretur. Vnde ſecuri facti filii, contra Dei præceptum contẽnebant parentes. Ita & Moſes cùm infeſtum ſibi videret Angelũ, intelligens cauſam, quid fieri deberet oſtendit vxori, vt recederet ab eo Angelus qui eum quęrebat occidere. Hoc ſubintelligitur in hac cauſa, ſicut & illud quod ſuprà diximus in ſacerdotes.

Quid eſt vt maledictos dicat Lex, qui ſemen non requirunt in Iſrael, per Iſaiam autem nihil obeſſe dicatur ſpadonibus, quia generare non poſſunt. Exod.21 Deuteron.7 Eſaiae.56

17 Quoniam aliter quàm dictum erat, intelligi cœperat, idcirco Eſaias Propheta oſtẽdit poſtea quo ſenſu dictum eſſet. Cùm enim hoc ex cauſa offenſi Dei ſententiæ loco poſitũ eſſet, quia deferentes Deum, in eo percutiebantur, ne ducentes vxores ſemen relinquerẽt: ſic hoc arripuit error humanus, vt putarent reos eſſe apud Deum, ſi qui aut vxores nollent, aut accipientes (vt aſſolet) generare non poſſent: quaſi nihil aliud quàm ſemen quæreret Deus, Sicut arguuntur per Malachiam Prophetam. Eſaias ergo vt conſolaretur eos, quos mala intelligentia contriſtauerat, docuit nihil obeſſe ſi quis aut non poſſet habere filios, aut nollet, dummodo Legem Dei ſeruaret. Maledictum enim illis competebat, qui cùm poſſent acvellent, Diuino obſtãte iudicio, ſteriles erant, ne fructum haberent creationis Dei, quem ſpernebant. Vnde cùm viderent aut generare ſe nõ poſſe

posse,aut genitos minimè possidere,cognosce rent indignantis Dei iram esse,& conuersi satisfacerẽt. Nã & sancti viri cupidi cùm essent filiorũ,& non id obtinerẽt, æstimabant peccata obstare,& dolebant,ignorantes Dei prouidentiam,cui seruabantur. Deniq; ad Dei procurationem,& Anna concepit,& peperit Samuelem, & Elisabeth Ioannem, & vxor Manuæ Samsonem. Spiritalis enim intelligẽtia in hac causa ista est, vt maledicti habeantur qui non reliquerint semen,quod videat Deum,id est,qui non habuerint aut filium, aut seruum, aut proximum, qui Dei timorem doceat super terram.

1. Regum 1 Luca 1 Iudic. 13

Quare Saul peccans petit orari pro se vt ignosceretur sibi & impetrare non potuit, Dauid autem peccans postulauit, & veniam consecutus est.

18 Dei iudiciũ retractari nõ conuenit. Nam humana imbecillitas atq; imperitia, Dei se debet iudicio tradere, in quo nõ sapit, vt ex sentẽtia Dei intelligat veritatẽ,& nihil aliud fieri debuisse,quàm quod videt fecisse Deum, quem scit acceptorem personarum non esse. Si enim Dauid precem susceptit,& Saul refutauit, nihil aduersum sentiendum est Deum fecisse. Sciens enim qua mente vterque locutus est, eius petitionẽ accepit,quẽ vidit tribulato corde veniam postulare. Illum autem despexit, quia animam eius pœnitentiæ nõ tetigerat dolor: quia Deus cordis auditor est,magis quàm vocis. Hinc dictum est, Homo videt in facie, Deus autem in corde. Ideo etiã fallimur, quia simulatio in verbis & vultu circunuenit nos. In corde enim quid sit,videre non possumus. Quamobrem Dei iudicium sequi nos oportet,qui secundum cor,in quo vniuscuiusq; sententia est,examinat singulos. Hoc etiam & Saluatorem fecisse inuenimus. Scribam enim se offerentem,non suscepit: sedentem autem Leui ad teloniũ suscepit: quia verba Scribæ non secutum est cor. Leui autẽ tacens hoc in corde habebat, quod Scriba in verbis. Iesus autẽ qui iuxta quod scriptum est,sciebat quid esset in homine, Leui elegit. Propterea Dauid non alium pro se voluit humiliari sicut Saul, sed ipse supplex tribulato corde veniam precabatur.

Actor 10

1. Regum 16

Matth. 8 Marci 2

Ioan. 2

Quærendum est si Adam factus, corpus immortale habuit, an mortale.

19 Deus hominem fecit,qui quandiu nõ peccaret, immortalitate vigeret, vt ipse sibi auctor esset ad vitam,aut ad mortem, vt custodiens se à peccato,labore suo gauderet, & esse se immortalem. Negligens verò factus,ipse sibi imputaret,quia cœperat esse mortalis. Quandiu enim in Creatoris lege durauit, dignus fuit edere de arbore vitę vt mori nõ posset. Nec enim corpus tale erat, quod dissolui impossibile videretur: sed gustus arboris vitæ, corruptionem corporis inhibebat. Denique etiam post peccatum potuit indissolubilis manere,si à Domino permissum esset illi edere de arbore vitæ. Nam quomodo immortale corpus habebat,quod cibo sustentabatur? Immortalis enim non eget cibo neque potu. Cibus enim vires præstabat: vitæ autem arbor medicinæ modo corruptionem omnem prohibebat. Sic enim homini erat quasi inexpugnabilis murus.

Quid est quod dicitur, Panem Angelorum manducauit homo, cùm Angeli non egeant cibo? *Psalmo. 77*

Cùm sint Angeli natura simplices, & potentia spiritali vigentes: panem quem Angelorum appellat, Manna est. Manna autem interpretatur, Quid est hoc? Videntes autem filii Israel, quasi semen coriandri cadere super terram candidum, dixerunt ad inuicem, Quid est hoc? quod in Hebræa lingua dicitur, Manhu. Hic ergo panis aut cibus, non mundi lege creatus est commixtione elementorum, sed desuper venit spiritali ratione prouisus. Nec quidem in supernis habebatur, quia corporibus alendis ad momentum Dei virtute creatus est. Ideo autem Angelorum panis dictus est, quia ea virtute creatus est, qua Angelica natura subsistit & viuit. Sine Deo enim nulla vita est. Per id ergo quod de cælo venisse dicitur, Angelorum dictus est panis. Vt enim quanta & qualia beneficia Dei circa hominem sunt memoraret, sic locutus est, vt gratias referrent agnoscentes Deo, qui tanta cura seruos suos gubernat, vt eis hæc in carne adhuc positis, si necesse fuerit, exhibeat perquę viuũt Angeli. Dixit Apostolus inter cætera, Petra autem erat Christus, vt quia Christi virtute aqua fluxit de petra, petra appellatus sit Christus. Simili modo, & quia Manna potestate eius venit de cælo, Manna, id est, Christus panis dicatur: vt quod tunc factũ est eius rei, quæ nunc in Ecclesia offertur, figura fuisse existimetur, vt Christiani populi, quos in Angelis significauit Scriptura, panem manducarent homines, id est, Iudæi. Et quia maior gratia est nunc quàm in Prophetis, & libertas data per Christum, quia vbi Spiritus Domini, ibi & libertas, ad comparationem temporum & gratiarum, Christiani Angeli dicti sunt, quorum pane, qui Christus est, satiati sunt Iudæi, quos homines dixit. Horũ enim magis est Christus, quib⁹ & reuelatus est, & qui hoc nomine vocari censentur. Duplici ergo genere potest intelligi suprà dicta quæstio, vt & panis Angelorum cælestium dici possit, & Christianorũ, secundum ea quæ dicta sunt.

1. Corin. 10 Exod. 17

1. Corin. 3

Quid sit ad imaginem & similitudinem Dei fecisse hominem, & an mulier imago Dei dicatur.

Hoc est ad imaginem Dei factum esse hominem, quia vnus vnum fecit, vt sicut ab vno Deo sunt omnia, ita & ab vno homine omne genus humanum. Similitudo autem hæc est, vt quemadmodum de Patre est filius, sic & de vi-

ro mulier, vt vnius principii auctoritas conser uetur. Sed filius ineffabiliter & incomprehensibiliter natus est de Deo Patre, mulier autem
Genes.2 corporaliter, sicut legimus, facta de viro est, vt per eã natiuitas oriretur. Filius verò Dei ideo natus est, vt per ipsum fieret creatura. In hoc ergo dissimile est. Nam & de Deo Deus natus est, de viro autem fœmina: quia illic simplicitas est, & nõ potuit nisi simplex de simplici nasci, Spiritus de Spiritu, Deꝰ de Deo. Igitur vir
Genes.1 imago Dei est. Sic enim scriptum est, Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum.
1.Corin.11 Vnde & Apostolus, Vir quidem, inquit, nõ debet velare caput, cùm sit imago & gloria Dei. Mulier autẽ, inquit, velet caput. Quare? Quia non est imago Dei. Vnde denuo dicit Apostolus, Mulieri autem docere nõ permittitur, ne-
1.Timo.2 que dominari in virum.

Quid est vt dicat Salomon, Iustifica animã tuam ante obitum tuum. Et in Psalmo, Non iustificabitur, sit, in cõspectu tuo omnis viuens.

Eccles.14 Psal.142

22 Hic iustificat animam suam ante mortem, qui spe vitæ futuræ consequitur fidem, ne moriatur impius. Sed Salomõ de eo dicit qui sub Lege viuit, & non conuersatur iustẽ. Huiusmodi ergo si corrigat animum, vt iustitiæ vias ambulet, iustificat animam suam ante mortẽ. Salomon enim propter iudicium futurum cõsilium dedit, ne quis indiligens circa se, in peccatis moriatur. Dauid verò de perfectione iustitiæ locutus est, quia nemo iustificabitur apud Deum, vt dignus promissione sit, nisi fuerit mortuus cum iustitia. Quandiu enim viuit, futurorum meritum non habet adhuc plenum. Vnde dicit Saluator, Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.
Matth.10

An ex traduce sint animæ sicut & corpora.

23 Inhonestum puto si dicantur animæ cum corporibus generari, vt anima nascatur ex anima, quod nec animæ ipsi competit: aut si certè singulæ cælestes potestates factæ sunt, & ex ipsis cæteræ natæ sunt, potest ex vna Adæ anima credibile videri cęteras nasci. Sed non conuenit, quia soli Deo hoc possibile fuit, vt simplex generaret nec cęteris cõcederetur. Quod tam mysticum est in causa Saluatoris, vt non solùm à solis gentilibus vel Iudæis, verumetiã ab ipsis, qui Christianos se dicunt, incredibile reputetur. Fotiniani enim & Arriani hanc fidem spernunt, nec credunt Deum generasse. Nam si eo tempore quo seminatur corpus, etiam anima generatur ex anima, de Adam costam sublatam legimus, non tamen animã natam ex anima. Sed si costa secum habuit animam, iam non nata est, sed detracta in partem. Sed nec hoc scriptum est. Propheta enim Zacharias inter cætera, Qui plasmauit (inquit)
Zach.12 Esaiæ 44 animam hominis in eum. Nec Esaias ab his dissentiens ait, Sic dicit Dominus Deus, qui fecit te, & finxit te in vtero. Si ergo in vtero fingitur, iã formato corpori tribuitur. Cùm enim omnia membra implet corporis, figurata dicitur in corpore: vt sicut aqua cùm sit sine effigie, missa tamen in vas figurata videtur: ita & anima cùm sit natura incorporea & simplex, quasi formatur in corpus, singula membra viuificans. Quod quidẽ Moses manifestius tradidit dicens, Si quis percusserit mulierem in Exod.21 vtero habentem, & abortiuerit, si formatum fuerit, det animam pro anima, si autem informatum fuerit, mulctetur pecunia: vt probaret non esse animam ante formam. Itaque si iam formato corpori datur, non in conceptu corporis nascitur, cum semine deriuata. Nam si cum semine & anima existit, ex anima, multæ animæ quotidie pereunt, quum semen fluxu quodam non proficit natiuitati. Sed si propius respiciamus, videbimus quid sequi debeamus. Contemplemur facturam Adæ. In Adam enim exemplum datum est, vt ex eo intelligatur, quia iã formatũ corpus accepit animã. Nam potuerat animã limo terræ admiscere, & sic formare corpus. Sed ratione informabatur, quia primùm oportebat domum cõpaginari, & sic habitatorẽ induci. Anima certè quia spiritꝰ est, in sicco habitare nõ potest: ideo in sanguine fertur. Cùm ergo corporis lineamenta compacta non fuerint, vbi erit anima? An foris vagatur quandiu immittatur, cũ ratio tradat sic dari eam vt animet corpus, nõ vt otiosa vagetur? Sed ex quo detur, dicãt qui aliud putãt, ex mare an ex fœmina? Si ex fœmina non cõuenit, quia aliud in exemplo est. Proponũt enim ex viro cum costa datam & animã. Quod multis rationibus infirmari docuimus. Vnde fortè videatur dari ex fœmina, maximè ꝓpter Saluatorem, quẽ scimus sine cõplexu carnis de sancto Spiritu natum ex fœmina. Quod si arbitrantur, plus dant fœminis: auctoritatẽ enim viri immutant in fœminam. Cùm enim tam corporis quàm animæ originem ex viro dicant, conuertunt se vt id quod potius est, ex muliere dicant, id est, animam: quod verò minus ex masculo, id est, corpus: cùm manifestum sit ordinem exempli à Deo traditi immutari non posse.

Quid est, vt cùm vir & mulier vna sint caro, vt vir imago Dei sit, & non fœmina?

Vnius substantiæ quidem sunt vir & mu- 24
lier, & in anima & in carne, Sed gradu maior est vir, quia ex eo est fœmina, sicut dicit Apo- Ephes.5 1.Corin.11
stolus, Caput mulieris vir. Causa enim maiorem fecit virum, non substantia. Nam & in vno corpore maiora membra sunt & minora, non natura sed ordinatione.

Vt quid Ioseph post Prophetiam adiurat filios Israel, vt cùm Genes.50 à Deo liberaretur, cineres eius de AEgypto transferrent

Non otiosè istud mandasse Ioseph filiis Is- 25
rael

rael, in absoluto est: quia enim Prophetare potuit, non improuidè locutus esse credendus est. Cùm enim esset in Dei creatoris deuotione propensior, sciens autem ab AEgyptiis secoli causa administrationis, qua in magna egestate AEgyptum gubernauit, post exitum suũ errorem pertinaciter auferre, certus vanitatẽ vulgi mortuos magis vt deos venerari quàm viuos, ne ei deferretur debitus Creatori honor. Hìc ergo ostendit se liberum fuisse à vana superstitione AEgyptiorum, quando ne ad Dei iniuriam proficeret, cineres suos transferri mãdauit. Quod quidem & Apostolos inuenimꝰ secutos. Paulꝰ enim & Barnabbas cùm sacrificari sibi velle vidissent, scientes exosum hoc Deo, sciderunt vestimenta sua dicentes, Quid facitis? & nos homines sumus vobis similes. & sic compescuerunt turbas.

Requirendum de Helisæo, an id quod dure petijsse ab Helia dictus est, consecutus sit.

26 Cupidus spiritu Helisæus faciendarũ virtutum, illectus exemplo magistri, accepta facultate poscendi quodcunque voluisset, auarꝰ ad bonum, dupliciter spiritũ sibi inesse, quàm in magistro erat postulauit. Cui homo Dei Helias ait, Durè petisti. Auiditate enim non consyderauit discipulum nõ esse super magistrũ. Helias tamen sciens illum non ambitione prę sentis gloriæ hoc postulasse, respondit, Attamen si videris me assumi abs te, erit tibi sic. Sensus hic põderandus est. Subindignatus autem cùm dixisset, Durè petisti, subiecit, Si videris me tamen assumi, erit tibi sic. Neque negasse illi visus fuerat, ostendit sic illi futurum sicut dignum erat, non sicut ipse postulauerat. Multa enim subintelligi vult Scriptura, vt collectus sensus ex verbis, non sit rationi religionis aduersus. Nam vtique dura petitio, etiam merita debebat amittere. Sed quia sic cupidus boni sic postulauit, Deus qui scit quid vnicuique dandum sit doni, priuari illum non passus est meritis suis. Videamus itaque si Heliæ meritum admitteret, vt Helisęus duplum donum eius mereretur accipere. Dictum nanque est à Spiritu sancto per Zachariam, cuius meriti futurus esset Ioannes, Veniet, inquit, in spiritu & virtute Heliæ. Parem ergo Heliæ ostendit, & Dominus dicit, Nemo maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptista. Nõ dixit, omnibus maior est, hoc est, æqualem habet, maiorem non habet. Helias ergo par illi est, nullo vtique minor: quomodo Helisæus maior illo est, cùm Ioannes quo nemo maior est, par Heliæ, sit? Nam veniẽs ad aquarum trãsitum, nõ accepit honorem ab eis vt potuisset transire, nisi nominasset Deum Heliæ, vt per hoc dura petitio correpta videretur, dum non nisi nomine Heliæ auditus est, ne id quod durè petierat, accepisse putaretur, quòd non sufficeret pro temporis merito dispensatio spiritus concessa Heliæ. Et hæc de quæstione hactenus dicta.

4. Regum 2

Marc. 6

Luc. 1

Math. 11

4. Regum 2

An Pytonissa Samuelem excitauerit, & ipse ab ea visus sit, & 1. Regum 28 locutus sit ad Saul, quæ historia vera sit in libro Regum.

Indignum facinus æstimo, si secundum ver- 27
ba historiæ commendetur assensus. Quomodo enim fieri poterat, vt arte magica attraheretur vir & natiuitate sanctus, & vitæ operibus iustus? Aut si non attractus est, consensit: quod vtrunque de viro iusto credere absurdum est. Si enim inuitus adductus est, nullum suffragium habet iustitia, Si autem voluntarius, amisit meritum spiritale, quod positus in carne quæsiuerat, quod valde absurdum est: quia hinc, qui iustus recedit, permanet iustus. Porrò autem hoc est præstigium satanæ, quo vt plurimos fallat, etiam bonos in potestate se habere confingit. Quod Apostolus inter cætera ait, Ipse satanas transfigurat se in Angelum lucis. Vt enim errorem faceret, in quo & ipse gloriaretur, in habitu viri iusti & nomine se subornauit, vt nihil proficere spem quam prædicabant Dei cultoribus mentiretur: quando hinc exeuntes iustos finxit in sua esse potestate. Sed hoc quosdam fallit, quòd de morte Saul & filiorum eius non sit mentitus, quasi magnum sit diabolo ante diem occasum corporis præuidere, cùm signa quædam soleant apparere morituris: quippe à quibus Dei protectio amota videtur quantò magis diabolus, quem Angelica maiestate sublimem Prophetica oracula fuisse testantur? De cuius magnitudine Apostolus ait, An ignoratis altitudinem satanæ? Quid mirum ergo si imminentem propè mortẽ potuit præuidere, cùm hoc sit vnde fallit, & se in Dei potestate vult adorari? Nam tanta hebetudine demens effectus est Saul, vt ad Pytonissam confugeret. Deprauatus enim causa peccati, ad hæc se contulit quæ damnauerat. Sed si quis propter historiam, vt ea quæ verbis expressa sunt putet non prætermittenda, ne ratio historiæ inanis sit, rectè faciet quidem: si tamen minimè istud ad veri rapiat rationẽ, sed ad visum & intellectum. Saul nanque reprobus factus non poterat bonum intellectum habere. Historicus enim mentem Saul & habitum Samuelis describsit, ea quæ dicta & visa sunt exprimens, prætermittens si vera an falsa sint. Quid enim ait? Audiẽs in quo habitu esset excitatus, intellexit, inquit, hunc esse Samuelẽ. Quid intellexerit retulit, & quia non bene intellexit contra Scripturam, alium adorauit quàm Deum, & putans Samuelem, adorauit diabolum, vt fructum fallaciæ suæ haberet satanas. Hoc enim nititur, vt adoretur quasi Deus. Si enim verè Samuel illi apparuisset, non vtique vir iustus permisisset se adorari, qui prædicauerat Deum solum esse adorandum. Et quomodo homo Dei, qui cũ Abrahã in refrigerio erat, dicebat ad virũ pestilentiæ dignum ardore gehennæ, Cras mecũ eris? His duobus titulis subtilitatem fallaciæ suę prodidit improuidus satanas: quia & adorari se permisit sub habitu & nomine Samuelis con-

2. Corinthio. 11

1. Regum 28

contra Legem,& virum peccatis preſſum,cum magna diſtantia peccatorum & iuſtorum ſit, cum Samuele iuſtiſſimo futurũ mentitus eſt. Verum poteſt videri,ſi de Samuelis nomine taceatur,quia Saul cum diabolo futurus erat: ad eum enim tranſmigrauit , quem adorauit. Semper enim diabolus ſub velamine latens, ꝓdit ſe dum ea confingit,quæ abhorreant perſonis per quas fallere nititur.

Quid contra dicendum his qui mundum iſtum ab æterno naturaliter moueri impiant, neque initio, neque abolitioni obnoxium.

28 Mundum ab æterno conſtare, & nulli debere ſubiectionem,improbabile & impoſſibile eſt , quem videmus tanta diuerſitate extare corporum,cùm nihil Diuinum & æternũ poſſit eſſe niſi ſimplex,in quo nulla diuerſitas videatur,ſed ſit vnitas. Nam & vices ipſas tẽporum non bene ſeruat,vt non ſolùm in temporibus variis,ſic & contrariis conſtet ſubſtantiis: ſed & in ipſis vicibus temporum , cùm res æterna diuerſitatem abhorreat,& ſit nec tactu nec viſu capiẽda,vt pote incorporalis. Hic autem paſſioni obnoxius eſt,quia & aqua repugnat igni , & ignis ſi ampliatus fuerit,ſuperat aquam: & terra cùm ſit natura arida & frigida, patitur incendium,quaſi res corporalis. Itaq; inconueniens eſt mundum æternum dicere, quem cùm videmus paſſioni ſubiectum & per ſecula ſenectute deficere, credimus & finiri. Quid cenſet de homine qui mundum æternũ putat? Certè homo cœpit in mundo. Sine homine ergo, cui proficiebat annua fœcunditas mundi,ac ſine aliqua prouidentia generabat? Et quomodo æternus corruptibilia & mortalia generabat,cùm de æterno debeat æternum exiſtere? Et quod viſibile eſt & ſentitur & tangitur,qua audacia vocatur æternum? Et quod vicibus temporum miniſtratur,ita vt ipſa tempora aliquando non ſeruent officia ſua, quomodo appellatur æternum? A Eternitas enim non corrumpitur,nec immutatur.

Quare octauo die mandatum eſt circuncidi.

29 Octauo die à natiuitate idcirco præceptum eſt circuncidi,quia iuxta numerum & curricula dierum,poſt ſeptem ipſe rurſum primus inuenitur,quaſi poſt ſabbatum,vt iam non octauus habeatur,ſed primus. Quia enim ſal° futura per Chriſtum in primo die erat prædeſtinata, qui Dominicus ideo dicitur,quia in eo reſurrexit Dominus, qui eſt poſt ſabbatũ : propterea ſalutis huius figura in circunciſione data eſt, vt quaſi renouatio futura in circunciſionis Lege dignoſceretur. Et quia per fidem ſaluari haberent homines , quæ primo die reſurrectionis Domini firmata eſt, figura huius rei in circunciſione primo die data eſt,quæ etiam eſſet ſignum fidei Abrahæ. Integra ergo cauſa eſt, quia ſignũ præteritæ fidei,primo die ſignatæ,figura fuit futuræ fidei primo die conſtabilitæ.

Prouerbiis.18 *In Prouerbiis Iuſtus, ait, accuſator eſt ſui in primordio ſermonis, quomodo iuſtus , ſit peccator.*

Omnis veritas iuſtitia eſt: qui enim confitetur quod eſt,iuſtus eſt: veritatem enim loquitur. Peccatores autem vindicantes ſua delicta iuſtificari non poſſunt. Vnde huiuſmodi dignè iuſtus dicitur,qui pronuntians peccatum ſuum , remitti ſibi vtique poſtulat, miſericordiam Dei implorans. Scit enim dictum in Lege, Confitere peccata tua,vt iuſtificeris. Quid eſt autẽ in primordio ſermonis confiteri , niſi nõ coactũ fateri,ſed voluntarium? Quis enim etiam timens Deum,ſine peccato eſt,cùm & in cogitatione admiſceantur delicta, & aliquoties peccemus inuiti? Poteſt tamẽ & de eo dici vel ſentiri, qui Cathecumenus dicitur,vt accedens ad fidem iuſtificetur. Cùm enim petit immutari , ſe ſine dubio peccatorem confitetur vt iuſtificetur. 30 Eſaiæ.43

An cum muliere natura ſerpens locutus ſit, an actu dictus ſerpens diabolus eam ſeduxerit. Geneſ.3

Quantùm ad hiſtoriam pertinet, ſerpens natura dictus eſt , quia ſapientior eſſet cæteris beſtiis,quas fecerat Dominus Deus ſuper terram . Denique & ſententiam, Dominus in ſerpentem dedit. Nam quid mirum ſi diabolus ſapentior erat beſtiis , de quo dicit Apoſtolus inter cætera, An ignoratis altitudinem ſatanæ? Vſqueadeo autem natura ſerpens fuit, vt diceretur illi, Supra pectus & ventrem tuũ repes,& terrã edes omnibus diebus vitæ tuæ. Hoc longè fuit à conditione ſatanæ , quia neque corporeus eſt, neque mortalis. Et ſi propius aſpiciatur,videbitur ſententia data nihil obfuiſſe ſerpẽti: ſed in eo in quo factus , iuſſus eſt permanere, Quia enim miniſter factus eſt ſatanæ ad hominem ſubiugandum , cui omnia Deus ſubiecerat, idcirco Deus in ea ſubiectione,qua omnia homini ſubiecerat,repreſſit elationem ſerpentis , quia cœperat eſſe miniſter ſuperbiæ . Videbatur enim homo factus ſub ſerpente , per quem accepto conſilio legẽ datam contempſit. Quoniam autem ſerpentes prudentes ſunt,confirmat in Euangelio Dominus dicens, Eſtote aſtuti vt ſerpentes. Igitur quia claruit verè ſerpentem locutum eſſe cum Eua : illud ſupereſt vt diſcernatur, an potuerit tam prudens eſſe & aſtutus, vt dolo falleret eam. Si enim cæteris beſtiis prudentior erat, non tamen hominibus: quippe cùm nullum animal rationale ſit niſi homo. Itaque ſerpentẽ ſubtilitatem iſtam cõpoſuiſſe impoſſibile eſt: quanuis enim prudens dicatur, ſed non vltra naturam ſuam. Nec enim deliberat aut excogitat,aut conſilium capit: idcircò diabolũ fuiſſe,qui per ſerpentem mulierem circunuenit, dubium non eſt. Admiſcens enim ſe ſerpenti, egit per illum quaſi per organum , vt nec mulier occulti diaboli intelligeret dolum, ſciens prudentem eſſe ſerpentem. Ac per hoc corporaliter data ſentẽtia , ſpiritualiter in ſatanam cecidit,quia ſententia reum tenet. Non enim ab homine data ſentẽtia eſt , vt innocentẽ forte perimeret per errorem aut maleuolentiam: 31 Matt.10

ſed

sed à Deo, qui falli vtique nō potest, vt sēten tia eius cum solum teneat, qui reus est. Quia enim quum sit inuisibilis satanas dolum corporaliter egit, corporalis videtur data sententia, vt illum spiritaliter teneat, cuius factum elicuit dari sententiā. Nam proiectus de sacratissimis cælorum sedibus impudētissimus satanas, in terrā volutatur gemens semper. Sed fortè dicatur, In qua putas lingua serpens locutus est ad mulierem? Serpentis vtique ore. Si enim hodie non desinunt qui latratus canū intelligant, & luporum vlulatum, & barritum elephantorum, & cantum gallorum: quare nō magis rudis adhuc mulier scire potuit & intelligere sibilum serpētum, quum multos sciam⁹ auium voces discernere? Nam & constat diabolum eius lingua vti, cuius corpus intrauerit, nec aliter falleret mulierē: ac per hoc serpentis ore locutus est per serpentem.

Prouer. 22 *Quō legamus apud Salomonem, Diues & pauper obuiauerunt sibi, fecit autem ambos Dominus: quomodo ergo personārū acceptio est apud Deum?*

32 Longè absit à fidelium mentibus hæc impietatis assertio. Nam Scriptura ne pauperem contemnendum doceret, & diuitem honorificandum, ostendit amborū opificem esse Deū, Non vtique in paupertate & diuitiis, sed in eo quod sunt. Si enim facultatibus ab inuicem discrepant, non tamen naturæ substantia. Neque enim quia occasiones prouentus quosdā faciunt in mundo, aut prosperos in diuitiis, aut infaustos in paupertate: idcirco despiciēdi sunt quos Deus non illuminauit, aut suscipiendi, quibus veritas nō dedit testimonium. Contemnendi planè sunt, sed corruptores morum, & sacrilegi in Lege Dei, honorandi verò diligentes Deum, & disciplinæ cultores. Hi enim diuites apud Deum habentur, qui bonæ conuersationis sunt, & quantò in mundo contemptibiliores sunt, tantò magis honorificētiores sūt in cælo. Nam qui beneficium temporis habent in ampliandis facultatibus, si recognoscant, & Dei intelligant voluntatem, quia *Matth. 5* terram omnibus dedit, & solem suum cunctis oriri iubet, & pluuias indiscretas effundit. Iniquitas autē temporis, aut fortuitæ occasionis, aut indigentia quibusdā abnegat quæ Deus omnibus dedit: ipsi ministrant eis, vt perspicientes Dei voluntatem, non solùm in mundo diuites sint, ne pauci tēporis diuitiæ excludāt æternas. Illi verò quos paupertatis causa despiciendos putant, si futurum Dei iudiciū cōtemplantur, illic semper diuites erunt, vbi diuites seculi egebunt, pœnitentes se pauperes non fuisse.

Prouerb. 10 *Quum Salomon dicat Anni impiorum minuentur, quomodo ergo est quòd videamus impios aliquantos lōgæuos?*

33 Dignum erat quidem omnes impios, non solùm citius hac luce carere, verumetiam nec vnius momenti temporis vita frui, qui Conditoris sui immemores, vitæ totius auctoritatem imputant creaturæ. Sed Scriptura hos impios alloquitur, qui cùm sub Dei Lege agerēt, propensiores in idolis erant. Peiores enim sunt cæteris impiis. Scientes enim Deum, & contemnentes eum, obtemperant seruis. Et quòd de his dictum sit, probat Apostolus dicens, Scimus autem quoniam quęcunque Lex *Roma. 3* loquitur, iis qui in Lege sunt loquitur: gentiles autem non habentur in numero viuorum.

Quomodo idem Salomon, Deus (inquit) mortem non fecit, cum alio loco dicat, Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt. *Sapie. 1 Eccles. 11*

Nulli dubium est bona omnia à Deo esse. 34 Mala autem quæ dixit, nobis mala sunt, dum vindicatur de nobis. Pœna enim quanuis iustè inferatur, patienti tamen mala videtur. Nam & per Prophetam ad peccatores loquitur Deus dicens, Faciam vobis mala, id est, pœnis vos agam. Vita autem & mors sic à Deo est, quia Legem dedit, quæ seruantibus se vitam promittit, contemptorib⁹ verò mortem: sed illam quæ secunda dicitur. Dum enim vnunquenque adiudicat, quid mereatur ab ipso est, siue absolutio ad vitam, siue reatus ad mortem. Non ergo inuentor mortis est, sed iudex, quia mortis auctor peccatum est. Quomodo ergo Deus poterat facere mortem, qui nescit peccare? Sed cùm peccatis retribuit, ab ipso dicta est esse mors, cùm non ex ipso sit, sed ex hoc qui peccauit. Eadem ratione paupertas & diuitiæ à Deo sunt. Quidam enim habentes timorem Dei, luxuriam spernunt, vitam prodigam fugiunt, ab egeno & paupere oculum non auertunt, huiusmodi crementum faciunt bonorum. Scriptum est enim in Prouerbiis, Paupertatem & ignobilitatem au *Prouerb. 2* fert disciplina. At hi qui timorem Dei non habent, solutius viuentes, & egenum despicientes, sicut scriptum est, In inopia erunt: non solùm negligentes & improuidi circa se, verumetiam contemptores datæ Legis. Hoc modo fecit Deus pauperes ac diuites: quia dum offensio Legis parit egestatem, à Deo fieri dicitur auctore Legis. Et cùm aliqui terrore disciplinam Legis custodiunt, à Deo auctore Legis diuites fiunt.

Qua ratione Dauid, Saul postquam Deus ab eo recessit, Christum Domini vocat, & honorem defert ei. *1 Reg. 26* 35

Non nescius Dauid Diuinam esse traditionē in officio ordinis regalis, idcirco Saul in eadē adhuc traditione positum honorificat, ne Deo iniuriam facere videretur, qui his ordinibus honorē decreuit. Dei enim imaginē habet rex, sicut & episcop⁹ Christi. Quandiu ergo in ea traditione est, honorandus est. Si non propter se, vel propter ordinem. Vnde Apostolus, Omnibus, inquit, potestatibus sublimioribus *Roman. 13* subditi estote. Non est potestas, nisi à Deo. Quæ enim sunt, à Deo ordinata sunt. Hinc est vt gentilem, in potestate tamen positum honorificamus, licet ipse indignus sit, qui Dei ordinem tenens, gratias agit diabolo. Potestas enim exigit, quia meretur honorem. Nam ideo Pharaoni futuræ famis sōnium reuelatū

Dan.3 est,& Nabuchodonosor aliis secum assistentibus,solus Filiũ Dei vidit in camino ignis, nõ vtique merito suo, qui in idolo se adorari voluit,sed merito ordinis regalis.

Iosue 7 *Si anima quæ peccauerit ipsa mortetur,quid est vt Achar filius Charmi peccauerit,& triginta sex viri occisi sunt in causa eius.*

36 Alio sẽsu Scriptura locuta est,quàm propositum est. Non enim de hac morte, quę communis vtique omnibus est dixit sed de illa quæ appellatur secũda. Hæc enim peccatores suscipit:illis autem qui in pugna mortui sunt non peccatum Achar redditum est, sed obfuit illis ne in protectione Diuina adiuti inualescerent hostibus. Nec enim causa Achar infirmati sunt: sed Dei auxilio minimè muniti, vt dum fortiter facere nequeunt, occiderentur. Nam pauci fuerunt contra multos, vnde & superati noscuntur. Nulla ergo iniustitia in voluntate Dei est:in potestate enim habet si adiuuare vult,vt si affuerit, misericors sit, si noluerit,iustus. Nec enim in talibus debitor est,vt teneatur obnoxius. Hinc est quòd Iesus Naue cõtristatus scidit vestimẽta sua, intelligens nõ sine causa Deum auxilium suum substraxisse.

Quid est vt missa mors in Iacob veneriti in Israel, quam Iacob ipse dictus sit Israel.

37 Vnius populi duo nomina posuit,vt ex nominib⁹ merita eorum possint intelligi. Nã vtique qui Israel cognominatus est, prius Iacob dicebatur. Colluctans enim cum Saluatore,intellexit Deum esse quem specie corporis videbat: ideóque appellatus est homo videns Deum. Populum ergo quem Iacob nuncupat, hoc loco & in hac causa carnalem significat,quomodo nomina,quæ à parẽtibus imponuntur. Sed hi,id est, Iudęi,propter mala opera non Israelitæ dicti sunt, quia vaccis & lucis sacrificabãt in Samaria,studio & imperio Hieroboam regis. Ille autem populus,qui in Hierosolymis in templo Domini hostias offerebat per sacerdotes Dei, Israel appellatus est. Samaria ergo propter impietatẽ suam tradita est captiuitati & morti: Hierusalem autem reseruata est,propter quod habuit reges diligentes Deũ. At vbi autẽ & ipsi Hierusalẽ impietatẽ secuta est Samariæ,sententia illam cõprehendit data in Samariam. Ideo ergo dictum est, Misit Deus mortẽ in Iacob,id est,in populum Samariæ, qui carnaliter conuersatus est, sicut suprà diximus. Et venit in Israel,hoc est,in populum Hierusalem, quia idololatriam secuta est,imitata Samariam, vt simili modo abduceretur in captiuitatem à Nabuchodonosor, sicut & Samaria à Salmanasar rege Assyriorum. Hæc est aperta sententia,data malis,& inuenit bonos,dũ desierint esse iusti. Missa enim mors in Iacob,sicut suprà ostensum est, peruenit in Israel,non prætermittens Samariam. Sed dum causa,qua missa est in Samariam,inuẽta est in Hierusalem, missa illuc venit,& in eum locum quò eadem res erat, quia vindicta causam sequitur,non discernens personam.

Genes.32

Si quis & malus non habeat intellectum, quanto magis terra, vt sine sensu quid ergo est vt dicatur terra benedicere Dominum?

Non est sic intelligendum vt sonant verba:opus est enim,quod licet mutum sit,clamare dicitur laudem Creatoris. Hortatur enim aspicientes se,benedicere opificem, sicut & omne vas bene compositum laudat artificem. Quippe cùm legatur in Psalmis, Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam? In omni ergo insensata substantia, non voluntas,quæ vtique nulla est, sed opera benedicunt auctorem. Si autem spiritaliter vis hoc accipere, per terram hominem significatum intellige, secundum dictum Prophetæ. Memento enim,ait,Domine, quoniam terra sumus, quem opera creaturæ in laudem Conditoris sui prorumpere exhortantur. 38

Psal.26

Quid est quod legitur in Salomone, Spes est, inquit, in Eccles.9 tenebris, Melior est canis viuus leone mortuo.

Tenebræ gentilitatem in ignorantia significant. Spem ergo maiorem in gentili populo esse,quàm in apostata vult intelligi,per id quod subiecit dicens, Melior est canis viuus leone mortuo: quia sicut leo omnibus feris fortior est, ita Christianitas omnibus sectis. Si quis ergo ab hac destiterit,amittit salutem: ita vt deterior gentili sit. Potest enim fieri vt credat gẽtilis,& acquirat salutem quã perdidit apostata. At si non credat, adhuc peior est apostata: quia deterius est amisisse salutem,quàm non habuisse. Canem autem gentilem significatum Saluator ostendit,dicens,Non licet accipere panem filiorum,& mittere canibus. 39

Quod est quod dicit Propheta, Lætare sterilis,quæ non Esaie.54 paris,erumpe & exclama,quæ non parturis quia multi filii desertæ magis quàm eius quæ habet virum.

Quoniam filii Hierusalem terrenæ apostatauerunt à Deo, non potest hinc gaudium describi,sed mœror. Ad opprobrium ergo huius Hierusalem Propheta illam superiorem Hierusalem lætari debere dicit,quam Apostolus matrem nostram appellat: quia sine gemitu & doloribꝰ multò plures filios habet quàm hę quę cùm lachrymis generat carnaliter,Iudæos vtique,illa autem Christianos per fidem spiritaliter. Quam ideo desertam dicit, quia ipsa est vita quam deseruit Adam primus, & secutus est mortem. Quum regenerantur ergo homines, reuertuntur ad eam quam deseruerant vitam. Hæc vita Christus est,quia ipse dicit,Ego sum vita. Est & Deus Pater vita, quia ait Dominus,Sicut habet Pater vitam,ita dedit Filio vitã. Sine dubio & Spiritus sanctus vita est, dicente Domino, Quia de meo, inquit,accipiet. De vitã vtique qui accipit, vita est. tres ergo sunt vna vita. Hæc est vita,per cuiꝰ fidem regeneramur. Ipsa est mater nostra, sicut in Genesi legimus, Quia ipsa, id est, vita est mater omnium viuorum. Qui sunt qui viuunt,nisi qui credunt? 40

Iudic.2

An Spiritus qui super aquas ferebatur Spiritus sanctus intelligatur,quia dictũ est, Spiritus Dei ferebatur super aquas. Gen.1

Si videtur

Cum sciamus Abraham prohibitum a Deo ne filium suum immolaret, quare Iepte cum filiam suam libaret non est prohibitus. Sed humano sanguine Deo votum exoluit. Gen. 22. Iudic. 11

41 Si videtur hîc errasse in ista sentẽtia, non est accipiendum quod dixit. Ideo & à quibusdã Spiritꝰ sanctus esse putatur, quia Dei Spiritus legitur esse. Inualida autem & inanis assertio est. Nõ solùm enim ordo hoc non patitur, & ratio abnuit: sed & verba ipsa infirma probantur ad causam istam astruendam. Nam his verbis frequenter aliud inuenimus significatum in Lege. Inter cætera autem ait Dominus Deus dicens, Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia sunt caro. Et in subiectis, Sed deleã (inquit) omnia ab homine vsque ad pecus. Propterea quia diluuiũ facturus erat super terram, nunquid Spiritus sanctus potest intelligi? Nonne de animabus locutus est? Nam non solùm nostræ animæ spiritus dicuntur, sed & pecorum. Sic enim scriptum est, Et mortua est omnis caro in aqua, in qua erat spiritus vitæ. Et in Ezechiele Propheta sic dictum est, dum de reformatione hominum promittit Deus dicens, Hæc dicit Dominus Deus ossibus istis, Extẽdam super vos cutem, & dabo in vobis spiritũ meũ, & viuetis. Nunquid de Spiritu sancto locutus est, & non de anima? Omnia quidem cælestia spiritus sunt: sed differunt ab inuicem, & Deus spiritus est, sed longè aliter. Omnis itaque spiritus Dei est, nõ tamẽ Deus est, nisi Spiritus qui de ipso est. Cuius significatio hæc est, vt Sanctus dicatur. Nã & homines filii Dei vocãtur, & Christus dicitur Filius Dei sed interuallũ est, quia hîc verus est, illi adoptiui. Sic quoque & inter Spiritum Dei diuersitas est. Spiritꝰ enim sanctus de Deo est, & consubstantialis ei: reliqui verò spiritus Dei esse dicuntur, sed creatura sunt. Quũ super aquas spiritalem creaturam esse tradat ratio, & quæ super se habeat potiorem creaturam alteram, quia creatura à creatura differt in claritate: quicquid enim prope sedem Dei acceditur, clariora sunt ministeria. Vnde dicit Raphael Angelꝰ inter cætera, Ego sum (inquit) vnus ex septẽ Angelis sanctis, qui astamus & cõuersamur ante maiestatem Dei.

Genes. 6 *Genes. 7* *Ezechiel. 37* *Ioannis 4* *2. Cor. 3* *1. Cor. 15* *Thob. 12*

Cur Angelus missus loqui ad Mosen, ignem & in rubo apparuit in monte. Exod. 3

42 Deus excelsus est: dignum ergo fuit vt in alto appareret, scilicet in loco qui vicinus est cælo. Et quia ignis semper superiora appetit sursum crescẽdo ad cælum, in eo debuit cælorum Dominus apparere, qui de humo ad superna contendit. In rubo verò causa fecit vt appareret delictorũ. Quia enim peccatorum causa Legem descenderat dare, spinæ autem in peccatis significãtur: quia Sustinui (inquit) vt faceret vuam, fecit autem spinas. Et Lex statim vindicare non venerat: sed prius ostẽdere: ideo ignis rubum non combusit, id est, data Lex non fecit reos de præterito peccatores. Nam & quia peccata non sunt de natura, sed ex accidẽti, rubi, id est, spinarum materia non habet radicem spinis armatam. Ratione ergo factum est, vt ita Dominus appareret Mosi.

Esai. 5

Multum interuallum est inter causam Abrahę & Ieptę. Primò quidem Abraham legitimè natus est, Iepte verò spurius: erat enim filiꝰ meretricis. Deinde Abraham conuersationis optimæ, Iepte autem princeps latronum. Abraham vir iustus & in tentatione probatus: in Iepte autem nullum iustitiæ testimonium. Abrahæ itaque præceptum est, vt filium suum Deo offerret, vt ostenderetur hominibus quãtum Deo crederet Abraham, qui nec filiũ suũ iubente eo dubitauit occidere. Qui enim cõtra mundi spem nasci eum potuerit facere de sterili & anicula, non fuit ambiguum, quod contra mundi rationem posset eum suscitare à mortuis. hoc facto cumulatus est iustitia Abraham. Ostendit enim Deus, quia non sanguinem pueri poposcerat, sed vt famulus suus Abraham hoc facto auctior fieret. Diligentes enim se aliquid pati vult, vt iustè illos promouere videatur. Nam Iepte homo facinorosus & improuidus, stulta deuotione munus Deo promisit, dicens, Quidquid mihi redeunti à cæde occurrerit ante ostia domus meæ, hoc offeram Deo. Nunquid coactus deuouit, aut nunquit intellexit quomodo deberet votum facere? Quid enim si canis illi aut asinus occurrisset, quod Dominus offerri prohibuit, aut si filius alienus, aut si vxor, vt in dolore alieno exultans redderet votum? Idcirco improuidæ menti, quod in alienam perniciem deuouerat, in illum ipsum iudicio Diuino retortum est: & vsqueadeo insensatus fuit Iepte, vt nec postea stultè se deuouisse cognosceret, vt error eius, qui ab ipso cœperat, per ipsum emendaretur. Intelligere enim debuit Deum non tali sacrificio delectari, & rogare pro stultitia sua, & aliud offerre quod contra Legem nõ esset. Sed fidelem se præstitit factus patricida, cùm constet fidẽ stultam non solùm minimè prodesse, sed obesse. In causa itaque filiæ suæ ipse mactatus est: vnde & Deus à tali sacrificio dissimulauit. Si enim hoc prohibuisset, aliud offerre sibi illum voluisse videretur, cùm sciret vt indignum non debere illum offerre. Filia autem eius lucrum fecit. Quia enim innocẽs malis patris mortua est, pœna caruit inferi, quod diu forte viuẽdo adipisci nequisset. Vt autẽ triũphus victoriæ Iepte prosequeretur, non meritum eius fecit, neque populi: nec enim legitur supplices illos fuisse Deo, vt daret eis defensorem. Aut nunquid ipsũ Iepte Dominus misit, aut allocutꝰ est? Sed quia Allophyli deos suos laudabant, quasi qui subiectos illis fecerãt filios Israel, vituperantes Deum Abrahæ: idcirco propter honorem nominis sui Deus vindicauit in Allophylos, si non propter istos, vel propter meritum Abrahæ & suũ culmen. Aut nũquid quia Spiritus Domini insiliit in Samsonem meretricãtem, dignus dicitur, cùm hoc factum intelligatur ad Allophylorum pernicie? 43 *Iudic. 11.* *Iudic. 15*

Quomodo ostendi posset ex Prophetarum testimonio, iam in nouo Testamento à Gentibus recepto, promissionem quam Deus Abrahæ fecerat, per Christi aduentum esse completam

44 Scriptū est in Esaia propheta, Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gētibus. Esai.56 Sed fortè dicant Iudæi, Domus Dei, id est, synagoga omnib⁹ patet. Nec remittimur: ita tamē vt licut semper circūcisi applicentur ad Legē. Lex eorum est, qua iussi sunt more Abrahæ circūcidi. Nihil ergo nouum hoc exemplo Prophetæ poterit videri, quia ex quacunque gente quis veniens, non est prohibitus adiungere se Legi ab exordio Iudaismi. Nihil nouum à Propheta dictum poterit æstimari: imò superfluè, si sēper admissi sunt, seruire gentiles Deo Abrahæ, nec aliquando prohibiti inueniūtur, Et verum est, quia subiicientes se Legi, nūquam non susceptī probātur. Si igitur hæc ita sunt, superfluè videtur admonuisse Propheta, quod semel traditum custoditum est semper. Et an quis tam hebes poterit inueniri, qui dicat tantum Prophetam rem superfluam & inanem locutum, nescio cui totum sit vel audire & non prohibere. Nam cùm Iudaicus vtique populus, propter peccata, quæ in Deum delinquebant, ab idolis suffragia requirētes, à Prophetis sæpe correpti, pœnitentiæ iter ingredi nollent, vt reuerterentur ad Deum, ad exprobrationem illorum, domū suam Deus aperturum se omnibus gentibus, ad orandū significauit, vt abdicatis Iudæis, alios in loco illorum positurum se ostenderet. Nam si semper admissæ sunt Gentes ad Legem, sicut suprà dictum est, quomodo hoc Propheta dicebat futurum, nisi quia aliud significauit quàm præceptum erat prius? Non enim posset dicere de re quæ quotidie fiebat, quia futura erat. Vnde manifestum est istud ad necē proficere Iudæorum, quibus ostendit Propheta, quòd alii his amotis vocandi essent, ac recepturi donum gratiæ Dei, quod promissum fuerat Iudæis. Quid sit autem promissum, Esaias Propheta docet dicens, Veniet ex Sion, qui eripiet & auertet impietatem ab Iacob: & hoc illis à me dictum testamentum. Igitur hoc testamentum est abolitio peccatorū. Hoc est Testamentum nouum, quod promissū est per Hieremiam dicentem, Ecce veniēt dies, dicit Dominus, & cōsummabo domui Israel & domui Iuda Testamentum nouum, non secundum testamentum quod disposui patribus illorum, in die qua apprehēdi manū illorum, vt educerem illos de terra AEgypti: quia ipsi non permānserunt in testamento meo, & ego neglexi eos dicit Domin⁹. Hæc est prēuaricatio illorū quādo simulachrū vituli fecerunt: tunc testamentū eius corruperunt. Vnde & tabulæ, in quibus data Lex fuerat, sub mōte cōfractæ sunt, ex eo quòd grauiora præcepta meruerūt accipere. Sed quia clemens & misericors Deus est, p̄misit per Prophetas mutare se Legem, vt aliud testamentū daret, quod differret ab eo quod dederat pri⁹, vt nō solùm quod graue erat mutaret, sed & illa quæ in figūra data erant, id est, sabbatum & circuncisio: vt quia diu pressi erant, per omnia releuati, supplices Deo gratias agerēt. Et quia in prēuaricatione paterna durantes, animos ab idolis auertere noluerūt, gentes cum residuis qui fidem seruauerunt, testamento frui, quod futurum dixerat, cōtestatur, vt duplici modo grauati excruciarentur perfidi Iudæi. Et ad tempus enim grauati sunt prēceptis, & in futurum congruas pœnas exoluent, quia neque in veteri, neque in nouo Testamento fideles inuenti sunt. Nouum ergo Testamentum dare se dixit vt cessaret vetus, quod datum erat patribus. Ac per hoc, qui in hoc Testamēto seruit Deo, neque sabbatum, neque neomenias, neque circuncisionem custodit, neque escarum discretiones: sed tantùm Dei habet timorem in fide: quia non ex Lege iustificabitur, sed ex fide, dicente Abacuc Propheta, Quia iustus ex fide viuet. Et non vtique iam multis vtatur præceptis ad Deum promerendum, sed paucis, Esaia iterum de hoc sensu eadem dicente. Ait enim, Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ eorum saluæ fient. Verbū enim consummās & breuiās in æquitate, quia verbum breuiatum faciet Dominus in vniuerso orbe. Reliquis qui in fide promissionis perseuerauerint cæteris diffidentibus, breuiatum Legis verbum ostendit, hoc est, nouum Testamentum quod promisit. Quod non aliter Testamentum diceretur, nisi simili modo etiam hoc sanguinis testimonio firmaretur, sicut & testamētum vetus, vt nomen vnum sit vtriusque: sed in veteri multa, in nouo autem pauca sint præcepta, sicut promisit. Vt quia Abrahā patrem multarum gētium futurum dixerat, eodem modo iustificarentur & filii, sicut fuerat iustificatus & pater, vt cessantibus quæ post fidem Abrahæ cœperāt, suscipientes fidem, per quam iustificatus est idem Abraham, filii essēt Abrahæ, sicut dictū est à Domino. Quod quidem nec mirum nec inauditum est, vt sine cura Sabbati & circuncisione & reliquis huiusmodi mandatis iustificentur homines. Nec enim per hoc placuit Deo Enoch, vt trāsferretur, neque Noe hoc seruando in diluuio solus inuentus est iustus: neque ipse Abraham postquam circuncisus est, iustificatus est. Credidit, inquit, Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Tunc circuncisus est, vt signum esset in eo, quia credidit cùm senior esset, filium se habiturum. Non ergo circuncisio commendat Abraham, sed fides. Ideóque credentibus sufficit fides ad iustificationem, vt filii sint Abrahæ in fide, non in circuncisione: quia his non est opus circuncisione. Non enim hoc creditur quod credidit Abraham. Iudæi autem ideirco iussi sunt circuncidi, vt fidei Abrahæ signum haberent, non suæ fidei: sed vt filii eius secundum carnem scirentur. Si autem credant, erunt filii eius & in iustificatione. Quid enim prodest

Hierem.12

Abacuc.2

Esaiæ 10

Genes.5 Genes.6 Genes.17

Gala.3

prodest dici filium potentis, cum qui impotēs
sit, nisi quia magis obest? Dedecus est enim in-
clyti & glorioſi filium esse sine honore. Nam
intantum circuncisio carnis nullius meriti est,
vt vindicaturū se dicat Deus per Hieremiam
Hieremi.4 Prophetam in omnes circuncisos præputio, si
non fuerint circūcisi corde. Illis autem nō in-
dignatur, qui circuncisi corde, præputiati sunt
carne: quia nemo sine cordis circūcisione pla-
cuit Deo. Quicūque ergo circuncisi sunt car
ne, genus significant Abrahæ iuxta carnem.
Nam qui circuncisi sunt corde, significant ge
nus Dei secundum fidem: quia circuncisi om-
ni mundano errore, Deum profitentur paren-
tem. Quid ergo prodest carnis circuncisio, si
cùm fides defuerit in Iudæo, ad meritū Abra-
hæ peruenire nō poterit? Aut quid obest præ-
putium, quū nemo nisi qui æmulus fuerit fidei
Abrahæ, peruenit ad iustitiā eius? Superfluè
igitur gloriātur de carnis circūcisione, quum
videant illam apud Deum meritū nō habere.
Et si, sicut est ostensum, melius est fidem habe-
re quàm circūcisionem, meliores sunt Gētiles
Iudæis, quia isti fidem habent, Iudæi circunci-
sionem. Et quos putas magis agnoscat filios
Abraham, qui iuxta carnem similes illi sunt, an
qui in fide? Sed Abrahæ fides testimonium per-
hibet: ac per hoc non in carne, sed in fide glo-
riatur. Ideóque istos filios suscepit, quos videt
imitatores esse gloriæ suæ. Quomodo enim il
los potest appellare filios, à quibus videt ab-
horrere vnde placuit Deo, & iustificatus est?
Non ergo filios suos, sed inimicos poterit ven
dicare. Inuidi enim eius videntur spernentes fi-
dem, per quam glorificatus est. Nec mirum si
Iudæi diffidentes, deprehendātur minimè su-
scipiētes nouum Testamentum, quū sciamus
illos nec in veteri fuisse fideles. Semper enim
cōtra Deum rebelles & contumelioſi fuerunt:
vnde talia præcepta acceperunt per quæ cer-
uices illorū, quæ inflexibiles erāt, premerētur.
Nūquam enim bona de Deo sperare voluerunt, cuius tanta beneficia & virtutes tam mi-
randas agnouerant. Hinc est vnde inter cæ-
Ezechie.20 tera dicit Ezechiel Propheta, Leuaui manum
meam in deserto inter eos, vt dispergerētur in-
ter gentes, & disseminarentur in regionibus:
eò quòd iustificationes meas non fecerunt, &
præcepta mea repulerunt. Et in subiectis, Ego
dedi illis præcepta nō bona, & iustificationes
in quibus non viuent in eis. Ostendit qua cau
sa data sint illis præcepta & tā aspera, vt quia
ingrati tātis bonis extiterunt, dictante iustitia
præceptis seuerioribus premerentur. Ideireò
nō bona ea dixit, quū iusta sint: quia nō illis ad
iustificationem proficiebant, sed ad exitium.
Et pœna licet dignè illata, patiēti tamē bona
nō est. Post hæc tamen quia pius est Deus, no-
uum Testamentum daturum se promisit, in
quo abbreuiatio facta Legis iustificaret cre-
dentes. Sicut iustificatus est Abrahā, vt cessan
tibus neomeniis & sabbato & circuncisione &
cæteris præceptis, nō quæ naturalis legis sunt,
id est, homicidium, adulterium, & talia: ita iu-
stificarentur vt Abraham. Renouata enim fide
Abrahæ, omnia voluit cessare, vt tale tempus
esset, quale fuerat quando credidit Abraham.
Sed fortè dicant Iudæi, Si ea quæ à Mose data
sunt, cessare dicta sunt per abbreuiationem Le
gis, nunquid circuncisio à Mose data est vt ces
set? Ac per hoc signum Patris nostri habemus,
quia sumus filii Abrahæ, quod propter testi-
monium generis cessare non debet. Tempore
quidem suo seruanda fuit circuncisio, id est, an
tequam nouum Testamentum daretur, quod
promissum erat. At vbi Dei gratia præstante
onera Legis cessare iussa sunt, quid opus est
circuncidi? Idcirco autem noua Lex data est,
id est, spiritalis, vt cessarent carnalia, & susci-
pientes eam signum eius acciperent, vt sicut in
veteri Testamento Abrahæ signum habuerūt:
ex quo cœpit testamentum vetus, ita & in no-
uo signum habeant Saluatoris, qui noui Te-
stamenti constitutor est. Quemadmodum e-
nim ex Abraham Hebræi dicti sunt, sic & ex
Christo Christiani dicuntur. Quicunque er-
go adhuc Hebræi dicuntur, nouum Testamē-
tum, quod promisit Deus, non receperunt, be-
neficium & misericordiam Dei in irritum de-
ducentes, qui populum suum iam non homi-
nis nomine volēs censeri, sub Filii sui nomine
constituere illos dignatus est. Qua igitur au-
dacia dicunt Iudæi nō nostra nos lege vti, sed
sua, cùm dicat Dauid, Confitebor tibi in gen- Psalm.17
tibus: & iterum, Epulamini gentes cum popu Psalm.56
lo eius? Et ad Hieremiam Prophetam dicit Do
minus, Priusquam te formarem in vtero noui Hiere.1
te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te,
& Prophetam in gentibus posui te. Iudaismus
certè proprias habet significationes. Aut enim
populus iste in Iacob significatur, aut in Sama
ria, aut in Hierusalem, aut in Iudæa, aut in Is-
rael. De gentibus autem apertum est, quia ali-
ter illos significat quàm sunt Iudæi: noster au-
tem Propheta est Hieremias. Quanuis enim
in omnibus Prophetis gentes participes doni
sui ostenderit Deus, ad Hieremiā tamen speci
aliter dicit, quia nobis illum dedit Prophetam.
Hic enim nouū Testamentum futurum signifi
cauit, quod plus gentibus proficeret quàm Iu-
dæis: quod nunc declaratum videtur. Cùm e-
nim in vniuersa terra noui Testamēti sit præ-
dicatio: Iudaismus tam rarò est, vt difficilè Iu-
dæus fidelis inueniatur, & omnes Ecclesiæ no-
ui Testamenti gentium nominentur, sicut di-
ctum erat in Osee Propheta, Vocabo non ple- Osee.2
bem meam, plebem meam, & nō dilectam, dile-
ctā. Repulsis ergo Iudeis cōuocat gētes ea mi-
sericordia & gratia, qua vocare dignatus est &
Abrahā. Neq; enim Abrahā vocat⁹ nō cogno
uit Dominū. Itaq; qui dignat⁹ est Abrahā, ita
ipse dignatus est gentes. Cur ergo dicunt, No
stra est Lex, cùm manifestum sit donum Dei
omnium esse volentiū? Cesset itaque ista vsur-

pationis temeritas, quia gratia Dei cõmunis est omnibus. Quo nãque pudore negant Christum nostrum in Lege promissum, quũ videantur omnia signa in eo quæ Lex futura prædixerat? Quia & secundũ Abrahæ promissionẽ omnes Gentes iustificantur in eum credentes. Esai. 7 Mich. 5 Et secũdum Esaiam Prophetã, de Virgine natus est in Bethleem ex tribu Iuda, sicut fuit promissum ex semine Dauid. Et iuxta quod Hieremias prophetauit, nouũ Testamentum, quod Deus tunc promiserat futurum, prædicauit, & post omnia signa virtutum ostensa, humiliauit se, secundum dicta Prophetarum: & omnia quæ prædicta sunt passus, tertia die resurrexit, quemadmodum scriptum est in Propheta. Et si tẽpus promissionis requirant, sicut in Daniele Propheta ostensum est, inuenient impletum tempus, quo natus & passus est Christus. Quia tempore primi anni Darii regis Persarum, vsque ad natiuitatem & passionem Domini & excidium Hierusalẽ, quod factum est per Vespasianũ Romani imperii prĩcipem, impletæ sũt hebdomadę septuaginta, quę sunt anni quadringenti nonaginta: qui computus per regna & successores imperii manifestus est. Quomodo etiam à Tertulliano computatum inuenitur, in libro quem scripsit aduersus Iudæos: quod ne ad iniuriam eius proficeret, quia rectè cõputauit, prætermisimus. Et quis ambigat de hoc numero, quũ trecenti circiter anni nunc super hunc numerum inueniantur? Impudentis ergo est post tantũ superadditum numerum aduentui Saluatoris, dicere, Nõ venit. Sub Apostolis enim aut tempore quo agebat Dominus inter homines, se poterat occultare malitia contradicens veritati, vt quũ omnia signa promissi Christi videret in Saluatore, de tempore tamen ambigere se diceret, vt perfidiam suam cælaret. Post autem cùm super promissum numerum supereresceret multi anni cœperũt, quæ impudentia est negare venisse, quod etiam & signis & temporibus adimpletum scitur? Nam quando aliquid plenum est & non superabundat, potest contentiosus aliquis dicere, nõ esse plenum. Sed superabundantia clauditur os contentioso. Ita & Iudæi tempore Saluatoris potuerũt dicere, licet per fallaciam, nõ bene computatum à Darii tempore vsque ad Dominum Christum, vt ipse dicatur esse qui promissus est. Fallimur enim in annis & in mẽsibus & in dieb⁹ Imperatorũ, & ad liquidũ non colligimus. Vbi autẽ creuerint tẽpora super numerũ prę scriptũ annorũ ꝓmissi Christi, nulla potest prætẽdi excusatio, vt nõ ipse esse Christus dicatur, qui venit: nisi (quòd absit) mẽtitus dicatur esse qui ꝓmisit. Quãdo enim tẽpus promissionis emensũ est, & negatur venisse qui promissus est, quid aliud quàm mẽdacii arguitur qui promisit? Sed veracẽ esse qui promisit, signa omnia docent quæ prædicta in Christo sunt, & reperta in Christo noscuntur. Iudæi autẽ dum emẽdari erubescunt, nõ cogitãt futurũ intelligi nõ esse mẽdacium.

Quomodo homo ad imaginem Dei factus sit, & vtrùm ad dominationem, & an mulier quoque.

Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Hoc quibusdam ex alia parte lectionis intelligendum esse videtur, ex hac videlicet in qua legimus dixisse Deum, Venite, descendamus & confundamus linguas eorum. Quia quantùm in superficie videtur, simile est. Vnius enim vox est plurali numero loquẽtis: sed discrepat sensu, quia & dissimilis ratio est. Illic enim de creando homine dicit, quẽ ad imaginẽ & similitudinẽ suã Deus vult creari. Illud autẽ quod dicit, Venite, descẽdamus & cõfundamus linguas eorũ ad hoc pertinet, ne se intelligerẽt homines. Vnde ad Angelos potest videri locutus Domin⁹, quasi Imperator ad exercitũ. Cõmuniter enim dicit, quia factur⁹ erat per illos, vtpote creator illorũ. Ac per hoc, Cõfundam⁹, inquit, linguas eorũ. Nã cùm dicit, Faciámus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: non potest dici Angelis locutus, quia non potest dici vna esse imago Dei & Angelorum, sicut imperatoris & comitũ. Quia quorũ imago eadẽ est, nõ potest dissimilis esse nec dignitas nec natura. Deniq; adiecit. Et fecit, inquit, De⁹ hominem, ad imaginem Dei fecit eum: vt De⁹ dixerit, & De⁹ fecerit, nõ alter Deus aut differẽs, sed idẽ Deus. Quod enim vnus ad vnum dixit, nõ aliã naturã significauit sed personã. Cũ enim De⁹ vnus sit, tres tamen personæ sunt, & ideo vnus est De⁹, quia siue in Filio, siue in Spiritu sancto Dei vnius substantia est · quia non potest non hoc esse quod de ipso est, quod ipse est. Dei ergo Patris persona est dicentis, Faciamus: Filii verò facientis hominem ad imaginem Dei, siue ad Patris siue ad suam, nihil interest, quia vtriusque vna imago est. Fecit autem Filius per Spiritum sanctum. Sicut enim Pater per Filiũ dicitur facere, ita & Filius per Spiritum sanctum, ipso dicente, Quia ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia. Igitur vna trium imago est: quia siue Pater, siue Filius, siue Spiritus, vnus est Deus, ac per hoc vnus factus est homo ad vnius Dei imaginem. In eo autem imago, Dei est homo, vt sicut vnus est Deus in cælis, ex quo omnia subsistunt spiritalia, ita vnus esset in terris homo, ex quo cæteri haberent carnalem originem. Aliquibus tamen videtur, quia in dominatione Dei imago est factus homo, & quia dicit, Et dominetur piscium maris & volatilium cæli & totius terræ: cùm non solùm viro, sed & mulieri ista cernãtur subiecta, quam constat Dei imaginẽ non habere. Quod quidem duplici modo caret ratione. Per hoc enim neque ad Filium dixisse Deus asseritur, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, sed ad Dominationes cælestes quas Apostol⁹ cõmemorat. Si imaginẽ Dei homo in dominatione habet, & mulieri datur vt & ipsa imago Dei sit, quod absurdũ est: quomodo potest de muliere dici, quia imago Dei est, quam

45 Genes.

quam constat dominio viri subiectam, & nullam auctoritatem habere? Nec docere enim potest, nec testis esse, neque fidem dicere, neque iudicare: quantò magis non potest imperare?

Vtrùm Samuel fuerit de filiis Aaron, & vtrùm sacerdos fuisse existimandus sit.

46 Sunt quidam inter nos, qui partim negotiis secularibus occupati, partim minus studiosi circa Scripturas sacras errorem patiuntur, putantes Samuelem sacerdotem fuisse, id est, ex Aaron habere originem, ex cuius progenie constituit Dominus Deus nasci, non fieri sacerdotes. Nec alicui præter filios eius concessum est, vt poneret in altare incensũ. Ex quibus aliqui plus errantes, negant quidem Samuelem de genere fuisse Aaron, hoc est, non illum dicunt natum sacerdotẽ, & nihilominus sacerdotio illũ asserunt functum. Quibus prius respõdendum est: peius enim est negare Samuelem natum fuisse sacerdotẽ, & tamen asserere illum functum esse sacerdotio, quã dicere sacerdotem illum fuisse ex filiis Aaron. Hîc enim ignorantia est, illic stultitia. Quum enim dicunt qui illum putant natum sacerdotem, ex filiis Aaron non esse, manifestum habebunt non illum fuisse sacerdotem, ignari quia non licuit agere alicui sacerdotium, nisi ei qui esset ex semine Aaron. Compertum enim habent, manifestum enim
Num.16 est, quòd Chore quum non esset ex filiis Aaron, & voluisset super altare imponere incensum, hiatu terræ absumptus est cum sociis suis.
2.Paral.26 Et Ozias rex, quum non vtique esset ex semine Aaron, sed ex tribu Iuda, & præsumpsisset agere sacerdotium, stans ante altare, percussus lepra in fronte est, & sic expirauit. Illi autem qui dicunt Samuelem non natum esse sacerdotem, & nihilominus egisse illum asserunt sacerdotium, satis stultũ est quod dicunt: & stulto suadere quod bonum est, laboris est maximi. Quanta enim hebetudine ducitur, vt sole apparente super terram dicant, quia nox est? Quum enim legant, & non vno loco legãt, hoc à Deo esse decretum, vt nemo auderet sacerdotium agere præter Aaron & filios eius, obstinata mente contendunt, sacerdotem fuisse Samuelem. Non enim intelligunt, quia si natus sacerdos non est Samuel, & sacerdotium egit, præsumptor dicitur: quia hoc Deus statuit vt nascerentur, non fierẽt sacerdotes, & de Samuele hoc sentire puto tutum non esse. Quomodo enim posset fieri, vt vir laudabilis & Dei testimonio commẽdatus, hoc ageret, quod inconcessum sciebat? Cuius etiam præsumptionis vindictam pro certo habebat Samuel, & iterum factam. Neque enim Dei iudicio potuit ad hoc aspirare, quem immutabilem sciebat, à quo si fortè hoc audisset, tentari se potius credidisset, sciendo Deum nullo modo sententiam suam posse rescindere. Posset enim magis sub Dei apparentia & nomine id agi secum credere, vt circunueniretur à parte aduersa, quàm iudicium suum Deum posse mutare.
Num.22 Denique cùm Balaã prohibitus fuisset à Deo ne iret ad Balach, & postea iterum requisisset, an iret, indignatus ei Deus, ex ore asinæ corripuit eum: quia prohibentem Angelum videns asina, cœptum iter implere nolebat. Balaam verò prohibente Deo ne iret, iterum interrogans an ire illum vellet, sic de Deo quasi de homine iudicauit, qui per id quod impræscius est, varius & mutabilis est. Sed de Balaam nullo diuino testimonio commendatur. Erat enim ariolus. Samuel autem vir Deo charus, & iudiciorum eius sciens fixam esse sententiam, quomodo aliud fieri crederet, quàm sciebat à Deo esse constitutum? Sed Heli, inquiunt, mortuo & filiis eius sacerdotibus, Samuel cœpit agere sacerdotium: quod nec lectio docet, nec ratio admittit. Hoc enim dicẽtes, nullum putant tunc fuisse qui ageret sacrificium siue sacerdotium, vt his tribus mortuis, nisi Samuel populi munera obtulisset, sacerdotium agi desiisset, quę asseueratio est Dei inimica. His enim Deꝰ improuidus iudicatur, quasi nescius, quum id statuit, quod permanere non possit. Vt quid enim nullis aliis, quàm filiis Aarõ, sacerdotium agere vsque in seculum statuit, hoc est, vsque ad tempora aduentus Christi, si hoc deficere sciebat? Si autem nesciuit (quod absit) improuidus fuit, & ideo fieri potuit, vt nec Samuel fuerit illis deficientibus sacerdos. Si autem prouidus & præscius Deus est, permansit quod statuit. & si permansit quod statuit, Samuel non egit sacerdotium, qui Dei non erat sacerdos. In veteri enim Lege nasci decreuit Deus sacerdotes, in noua verò fieri Dominus iussit sacerdotes. Eligant nunc vnum de duobus: aut natum probent Samuelem sacerdotem, aut factum. Sed consentiunt non illum natum esse sacerdotem, quia sciunt illum non esse ex filiis Aaron. Si ergo natus non est sacerdos Samuel, factus autem non legitur, nec probatur, quia nec statuerat Deus fieri sacerdotes: in absoluto est Samuelem minimè fuisse sacerdotem. Sed cõtradictores clausis oculis, Si sacerdos, inquiunt, non fuit, vicem tamen egit sacerdotis: quoniam legitur Deo sacrificium obtulisse. *1.Reg.7* Quis audeat negare quod scriptum probatur? Obtulit enim Deo sacrificium Samuel: sed nõ inde vicem sacerdotis egisse cognoscitur. Ipse enim semper dicitur offerre, cuius oblationes sunt, quas super altare imponit sacerdos: & Saul obtulit hoc vtique genere, id est, per sacerdotem sicut & nunc offertur. Et Dauid obtulit, & Salomon obtulit, & cęteri similiter obtulerunt: nunquid omnes vicem sacerdotis egerunt? Quanuis enim proprio sacerdos fungatur officio, ille tamen offerre dicitur, cuius nomine agit sacerdos: ipsi enim imputatur cuius munera offeruntur. Et qui non fuit sacerdos, quomodo vicem agere poterat sacerdotis? Nunquid diaconus potest vicem gerere sacerdotis? Præfectus etenim potest agere vicem præfecti, & prætor prætoris: non tamen priuatus potest agere vicem potestatis alicu-

ius, quantò magis sacerdotis vicem agere non potest, qui non est sacerdos? Quo enim cõsilio ad hoc aspirare audeat, quod sibi scit non licere? Nam si sacerdos alicubi desit, potest alteri⁹ loci sacerdos rogatus venire, & vicem eius agere: non tamen Propheta, quanuis sanctæ vitæ sit, agere potest, quod scit sibi minimè esse concessum. Aliud enim est bene viuere, & aliud po testatẽ alicuius officii accipere. Sicut enim qui sacerdos est, non ex eo vitam suam commendatam putare debet, ita & qui sanctæ conuersationis & vitæ est, non iam ex eo sibi sacerdotium vendicare debebit. Quãuis enim bonum sit sacerdotium, tamen malum erit cui concessum non est, & præsumit. Nam si respiciamus quod scriptum est de sancto Samuele, videbimus quale testimonium det ei Scriptura, dicẽs,

1. Reg. 3 Et innotuit, inquit, omni populo, quoniam fidelis est Samuel Propheta Domino. Et in Psal

Psalm. 98 mo, Fiant, inquit, Moses & Aarõ in sacerdotes eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Quis non aduertat ex hac distinctione diuisas esse personas dignitatum causa, vt Moses & Aaron sacerdotalem dignitatem adepti noscantur, Samuel verò inter Prophetas Deo dignus extitisse habeatur? Qui precibus Deum inuocabant ad protegendum populum suum, sicut legitur. Intantum autem sacerdotes minimè defuisse probantur, vt reuocata arca ab Al-

1. Reg. 6 lophylis baiulis Leuitis viris Betsamitis, obtulerint Deo sacrificia absente Samuele. Rege autẽ facto Saule, Achimaas erat pronepos Heli sacerdotis, qui portabat Ephod. Sed hinc, inquiũt, videtur sacerdos fuisse Samuel, quia vestitus erat Ephod. Quasi nõ hodie diaconi dal-

2. Reg. 6 maticis induantur sicut Episcopi. Ephod au-

1 Reg. 2 tem etiam Dauid legimus fuisse indutum, & duplicem Ephod. Samuel autem adhuc puerulus succinctus erat Ephod. Nunquid puerulus potuit Deo munera populi offerre? Vides ergo quia Ephod vnum quidem nomen est, sed non vnam rem semper significat. Sacerdotes enim portabant, non vestiebantur Ephod: reges verò & Leuita Samuel induebantur Ephod. Aliquando ergo vestis, aliquando ergo armariolum quod portabant sacerdotes ad interrogãdum Dominum, significatur Ephod. Quantum apparet, probatum est Samuelem non sacerdotem, sed Prophetam fuisse. Nunc iis respondemus, qui ignorantes quia Samuel non est de filiis Aaron sacerdotis, æstimant illum sacerdotem fuisse. Nec enim fas erat vt de origine Aaron descendẽs sacerdos non esset. Quos primùm volo cognoscere, quia si sacerdos erat Samuel, sine dubio & Helcana pater eius sacerdos fuit. Congruum quoque fuerat, & filios eius sacerdotes fuisse: quos quia sacerdotes non erant, iudices illos constituit filiis Israel, sicuti & idem ipse erat Samuel. Sic enim legimus, quia iudicauit filios Israel. Helcana autem pater Samuelis, propter quod sacerdos non erat, Ascendebat, inquit, in diebus statutis de ciuitate sua Ramathaim, adorare & sacrificare Deo omnipotenti sabaoth: & ibi erat Heli & duo filii eius, Ophni & Phinees sacerdotes Domini. Quid tam apertum, quia veniebat Helcana offerre munera sua ante Dominũ per sacerdotes tempore competẽti, secundum quod statuerat Moses, vt tribus tẽporibus anni offerret munera & decimas suas, vbi fuisset arca Domini & sacerdotes? Quippe & cùm duas vxores habuit tempore vno, quod illicitum est sacerdotibus. Erat enim Helcana ex Leuitis, sicut generationum ordo se cõtinet in libro Paralipomenõn. Adhuc enim Leuitæ non erant habentes ordinem constitutum ministerii circa sacerdotes & arcam Domini. Dauid enim in regno suo disposuit vices sacerdotibus & Leuitis, vt à viginti annis & suprà, in Lege autem vigintiquinque annis, & suprà inciperent exhibere seruitia Dominicis ceremoniis, vt essent de filiis Aarõ, id est, de Phinees & Ithamar tra

duce classes sacerdotum vigintiquatuor, quæ vices suas agerent certis temporibus. Leuitæ autem cõstituti sunt, qui erant tabernaculi ianitores, & qui baiuli arcæ Domini, & qui excubias seruarent, & qui vasorum essent custodes, & qui promiscuas susciperẽt oblationes. Et vigintiquatuor classes institutæ sunt cantantium & citharizãtium & musicorum cæterorum, ita vt etiam hi, id est, omnes Leuitæ haberẽt temporum vices: quia necesse erat eos & otium habere, vt & domorum suarum agerent curam. Et non solùm hæc proficiunt ad causam suprà dictam: quoniam Samuel non fuit de filiis Aaron, sed & illud quod dicit mater eius ad Dominum, Quia si mihi, inquit, dederis filium, 4. Reg. 1 commodo eum Domino omnibus diebus vitæ suæ. Non hoc diceret si natus esset sacerdos: oportebat enim illum seruire altari. Sed quia Leuita erat, & lex Leuitis adhuc non erat posita, sed vnusquisque pro voluntate sua agebat: ita vt oberrantes illicita præsumerent. Ionatha enim filius filii Mosi, quum inter Leuitas deputatus esset, sacerdotium agere præsumpsit. Ac per hoc legimus in libro Iudicum, quia v- Iudic. 17 nusquisq;, inquit, placita sibi faciebat, eò quòd non esset rex in Israel. Idcirco vouit Anna, dicens, Commodo eum Domino: ne cum cæteris oberraret. Et vt plenius quæstio discuti possit, etiam illud tractemus quod dictum est de Helcana, quia veniebat ex diebus in dies of- 1. Reg. 1 ferre munera sua & decimas: quomodo decimas offerebat qui nihil possidebat? Leuitæ enĩ nõ acceperũt agros, quia de decimis quæ à plebe dabãtur, victũ quærebãt. Sed potest fieri, & sic datur intelligi, quia potuit habere possessionem vxoris suæ, aut emptã: quia de aliis tribubus accipiebant vxores, non solùm hi, sed & cæteri, ita vt & sacerdotes acciperent de aliis tribubus vxores. Nam Ioiade sacerdos ma- 2. Paral. 24 gnus, vxorem duxit de tribu Iuda filiam regis Ioram.

Quomodo hoc quod in Esaia dicitur, Et apprehendent se-

ptem

ptem mulieres, &c septem Ecclesiæ catholicæ significentur.

47 Et apprehendẽt, inquit, septem mulieres vnum hominem, dicentes, Panem nostrum manducabimus, & vestimentis nostris operiemur: veruntamẽ inuocetur super nos nomen tuum: aufer opprobrium nostrũ. In absoluto est, per septem mulieres septem Ecclesias esse significatas. Quanuis enim vna sit, sed septiformis dicitur, vt corpus vnũ septẽplici numero constet membrorũ. Non solùm autẽ nos, sed & supernicíues Ecclesiæ mẽbra sunt, cuius caput Christus est. Siue igitur vna, siue septẽ dicantur Ecclesiæ, nõ differat. Vna enim dicitur, quia vnum habet caput, quod est Christus. Septem autem ideo, quia sicut membra diuersa sunt, ita & potentię spiritales, inter quas & nos deputamur, diuersæ sunt virtutes. propter quod & aereæ dicuntur. Idcirco enim diuersæ sunt, vt nõ omnia singulæ possint, sed simul omnes corpus sint Christi, quia ipse est caput corporis Ecclesię, ex quo totum corpus subsistit, id est, ex quo omnia in cælis & in terra habent originem. In hac ergo, quę in terris est Ecclesia, omniũ Ecclesiarum facta est mentio, quia quum huic sacramentum Creatoris prædicatur, etiam cælestibus huiusmodi intimatur doctrina. Inferioribus enim quum insinuatur, necesse est vt audiãt & superni. Vnde Apostolus, Mihi, inquit, minimo omnium Sanctorum data est hæc gratia, inter gentes euangelizare incomprehensibiles diuitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispẽsatio ministerii abscõditi à seculis in Deo, qui vniuersa creauit, vt innotesceret principibus & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Per hanc ergo Ecclesiã superni docẽtur, quia Veritas, ait, de terra orta est. Vt enim mentio superiorum fiat, hic septem Ecclesiæ nuncupantur in vna plebe, quas septem Ecclesias supplices Propheta inducit Saluatori facto homini. Intellexerunt enim ad hoc natum esse Christum, vt auferret opprobrium, primum quidem sub Lege sua agentium, deinde cæterorum. Habebant autem in memoria scriptum esse, Veniet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob. Hæ ergo septem Ecclesiæ apprehenderunt hominem vnum, id est, natum Christum, dicentes, Panem nostrum mãducabimus, & vestimentis nostris operiemur: veruntamen inuocetur nomen tuum super nos: aufer opprobriũ nostrum. Quid est hoc quod precantur? Si enim pane proprio vtuntur, & vestimentis suis induuntur, id est, & viuunt, & nudæ non sunt, quid eis deest? Si enim panis ad vitam significatur, & vestitus ad Dei inuitionem, quia qui sine Deo est, nudus dicitur. Vnde Apostolus, Qui in Christo, ait, baptizati estis, Christum induistis. Et iterum, Si expoliati, inquit, nõ nudi inueniamur. Quid est quòd poscũt vt auferatur ab eis opprobriũ, nisi quia hic populus significatur in septẽ Ecclesiarum numero, qui sub Lege agens Christum expectabat promissum ad abolenda peccata? Ideo dicunt, Panem nostrum manducabimus, hoc est, verbis Legis, quæ vnum tradunt Deum, pascemur: quia non in pane tantùm viuit homo, sed in omni verbo Dei. Et vestimentis nostris operiemur, id est, Creatoris nostri nomine censebimur, quia hoc vnusquisque indutus dicitur quod est & profitetur. Denique senatores vel officiales, ex vestibus intelliguntur quid sint. Sed quia hæc satis non faciunt ad Deum promerendum, hoc etiam statuit vt per sacramẽtum cognitionis vnius Dei, hæres esse incipiat homo regni cælorum. Per fidem enim peccatis ablutus, & à morte secunda, quæ ex sententia data in Adam, homines apud inferos detinebat, alienus, nullo detinente pergit in paradisum Dei Patris, in quo dixit latroni Dominus, quòd secum esset futurus. Quãuis enim populus suprà dictus, qui per septem Eccesias significatus est, sub Dei Lege esset, & deuotione tam proprii quam paterni delicti, Quia omnes, inquit, peccauerunt, & egẽt gloria Dei: idcirco orant suprà memoratæ Ecclesiæ vt auferatur opprobrium earum inuocatione nominis Christi: quia qui signum eius habent, quo vicit mortem, ab inimico teneri non possunt. Et non solùm istæ Ecclesię Christi nomen super se inuocari precantur, sed & supernæ spiritales in cælestibus degentes. Quanquã enim spiritales sint & cælestes potentiæ, opprobrio tamen subiacerent, si à Creatore suo fuerint alienæ, & nec membra erunt corporis, quæ caput suum non cognoscentes oberrãt. Et quia aliud non est quod explanauimus, in subiectis Propheta testatur, dicẽs, In illa autẽ die illumi nabit Dominus in cõsilio super terram. Et adiecit, Quoniam abluet Dominus, inquit, sordes filiorum & filiarum, & sanguinem purgabit de medio eorum. Quid tam euidens, quia in illo die in quo promissum Dei adimpletum est, & fidei sacramentũ declaratum est hominibus, illuminati sunt, vt per Creatoris cognitionem purificati, qui rei fuerant mortis, fierent ęternę vitæ hæredes? Promiscuè igitur Propheta locutus est, vt omnes dono Dei indigere significaret, vt siue peccatores siue iusti, Dei misericordiã expectasse noscerẽtur. Peccatores propter delicta propria, vt de faucibus mortis eriperentur. Iusti verò paterno absoluti peccato, deleta sententia data in Adam, per quam cuncti tenebãtur à morte, libertate accepta Dei regnum intrarẽt, facti iam nõ serui, sed filii Dei.

Esa.4
Ephes.5
Ephes.3
Psal.84
Galat.3
1.Cor.5
Deut.8
Luc.3
Roman.3
Esaiæ 4

FINIS I. PARTIS.

QVAESTIONVM NOVI TESTAMENTI SECVNDA PARS.

Deus certè perfectus est, & nullius egens: quid ergo opus fuit Christo Saluatore vt nasceretur de Deo, & Filium haberet Deus per quem omnia faceret?

48 QVVM ea quæ nō erant Deus voluisset existere, & maiestatis suæ minimè hoc cōdignum opus sciret: priº de se, cùm sit natura simplex & incorporeus, Filium genera uit, qui nihil ab eo distaret, vt magnitudini suæ cōgruus respōderet effectus. Quid enim vltrà posset facere, quā vt ex se alterum qui perfectus est generaret? Hoc ergo perfectum opus est, quo nihil possit videri præstantius. Cætera enim omnia minora sunt. Quantò enim excellentior his omnibus Christus est, tantò magis creatio illorum inferior est generationi eius. Est & aliud, Deus enim ex quo sunt omnia, volens cōdere creaturam, Verbum prius quod in mysterio apud se habebat, generauit, hoc est, fecit existere. Quod Verbum idcirco Filium nūcupauit, vt ostēderet de se illum extitisse, & esse sibi consubstantiuum, vt Lex qua filii de parētibus sunt, hoc credibile faceret, per quod manifestaret creaturæ mysterium, quod latuit in eo ex æterno.

Cur Saluator cùm sanctus natus sit, & Christus Dominus in ipsa natiuitate appellatus, baptizatus est, quum Baptisma purificationis causa sit & peccati.

49 Verum & manifestum est, Creatorem non eguisse Baptismo: quia Christus nō factus, sed natus est, dicente Angelo pastoribus, Ecce natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus. Denique sciens Ioānes sanctitatem eius, prohibebat eum à Baptismo. Saluator verò instituit fieri oportere, nō vtiq; propter peccatum suum, sed propter implēdam iustitiam. Dignum enim erat, vt ipse exemplo esset futuris filiis Dei, qui per Baptismū filios Dei fieri docebat, & qui credentibus Spiritum sanctum à Deo dari promittebat, debuit istud in semet ipso visibiliter demonstrare, quo cōperto credentes inuisibiliter se posse Spiritum sanctum habere sperarent. Nam Saluator vtique quum de Spiritu sancto nasceretur, purificatū corpus habuit: vnctio enim carnis eius spiritaliter in vtero Virginis data est. Spiritus enim sanctus purificauit quod de Maria virgine in corpus Saluatoris profecit: & hæc est vnctio carnis corporis Saluatoris: quare & natº, Christus est appellatus. Quod enim per olei vnctionē præstabat Deus ministerio Prophetarum, iis qui in reges vngebantur, hoc præstitit Spiritus sanctus homini Christo, addita expiatione: quia anteriores Christi solā potestatem imperii accipiebāt per vnctionem. Saluator autem & potestatem accepit homo natus, & purificatus est natus. Incongruum enim erat, vt Dei Filius in corpore peccatis subdito nasceretur. Hominis ergo cautam suscipiens, & per regenerationē filios Dei fieri docens, baptizari debuit, vt in se hoc ostēderet ratum. Facile enim probatum habetur & suadetur quod dicitur, si à magistro fieri videatur. Sic vtique & virtutū insignia oportuit fieri, vt iam Filius Dei apparens, per mysterium regenerationis medelam daret corporis passionibus, vt exemplo esset futuris fratribus, quia per regenerationem accepit vnusquisque potestatem virtutis.

Si ideo Saluator baptizatus est vt exemplo esset, quare circumcisus, cæteros prohibuit circuncidi?

Circuncisio præteriti temporis mandatum est, quam vsque ad Christum oportuit habere auctoritatem, vt tandiu curreret quādiu Christus nasceretur promissus Abrahæ, vt de cætero cessaret circuncisio promissione impleta. In figura enim Christi Isaac promissus est. Dixit enim ei Deus, In semine tuo benedicentur omnes gētes, quod est Christus. Fides enim quā Abraham acceperat, restaurata à Christo est, vt in semine Abrahę, quod est Christº, omnes gentes benedicerentur, sicut promissum fuerat Abrahæ. Circuncisio itaque signum fuit promissi Filii Dei, id est, Christi, quo nato cessare oportuit signum promissionis: ita tamē vt ipse promissus aduenies, signum Patris acciperet, vt sciretur is esse, qui promissus fuerat omnes gētes iustificare per fidē, in circūcisione cordis. Quia enim patri Abrahæ carnaliter nascentis filii signaculū circuncisionis corporale fuit: ita & eorum qui spiritaliter nascuntur, spiritale signū est circūcisio cordis: ideóq; rectè post Christum nō adhuc oportuit carnaliter circuncidi. 50 Gene. 22

Quomodo intelligatur, quod dicenti Mariæ ad Angelum, Et vnde hoc fiet am, quia virum non cognosco: respondit Gabriel Angelus, Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Luc. 1

Ambigenti Mariæ de conceptu, possibilitatem Angelus prædicat, dicens, Spiritus sanctus superueniet in te, hoc est, ne dubites, quia virum nescis. Quod enim dixi, quia concipies, Spiritus sanctus superueniens in te, operabitur vt concipias sine viro. Et virtus Altissimi, inquit, obumbrabit tibi. Altissimi virtus sine dubio Christus est: hoc enim ad ipsius personā pertinet. Superueniens ergo Spiritus sanctus in Virginem, sanctificauit eam, opere suo efficiens corpus sanctū ex ea, in quo virtus, quę dicitur Dei Filius nasceretur, cuius obumbratio in Virginem, hoc est, vt de immēsitate Diuinitatis aliquid esset in vtero Virginis, quātū posset capere natura humana, quod quasi ex splēdore obumbratio diceretur, virtus Dei esset, qui Dei virtº necnō & Deus: nihil enim de Deo est quod non dicatur Deus. Nam hoc corporeum est, vt sit in carne aliquid, & caro dici non possit, vt pili & ossa & nerui, &c. 51

Si de Spiritu sancto natus est Christus, si effectu eius ex Maria caro factus: cur dictum est, Sapientia (quæ vtique Prouer. 9 Christus est) ædificauit sibi domum.

Quæstio ista gemina ratione potest intelligi. Primùm enim domus Christi Ecclesia est, quā ædificauit sibi sāguine suo. Deinde etiā potest & corpus eius dici domus ipsius, sicut dicitur & tēplum eius. Si enim propter habitationē dicitur 52

citur templum Dei, non absurdè dicetur & domus, sicut legimus in Lege. Sed si effectu Spiritus sancti factum est corpus, & domũ posse dici arbitramur: quare ad personã Christi relatum est: quoniam factum Filii, factum Patris est, quia vtriusque vna virtus est. Simili modo etiã factum Spiritus sãcti, factum Filii Dei est, propter naturæ & voluntatis vnitatem. Siue enim Pater faciat, siue Filius, siue Spiritus sanctus, Trinitas est quæ operatur, & quidquid tres fecerint, Dei vnius est operatio.

Si omnia ratione facta sunt, quid est vt octauo calendas Ianuarias Saluator natus dicatur.

53 Nemo sic poterit habetari, vt neget omnia facere Deum cum ratione. Ideo ergo Christus descendens de sacris sedibus, ad salutem mundo tribuendã, vt etiam mundum ipsum & tempora à se instituta doceret, tunc nasci homo voluit ad diminutionẽ humani generis augmentandam in Deum, quando ex magna diminutione lux quæ dies est, crementum incipit accipere, vt tempus natiuitatis eius, rationi cõgruat doctrinæ Diuinæ, quę ex vmbra mortis homines cœpit multiplicare ad vitam.

Si ex semine Dauid Christus Filius Dei factus est secundũ carnem hoc est natus iam Filius Dei, & in vtroque quia sanctus natus est, quomodo ergo postquã baptizatus est, dictũ ei à Domino Deo est, Tu es Filius meus, ego hodie genui te?

Psalm. 2

54 Christus Dei Filius ex æterno est secundum Spiritum sanctitatis. Iuxta carnem verò ex semine Dauid natus est Filius Deo, vt in vtroque non factus Deo Filius habeatur, sed natus. Illud autem quod in Baptismo audit mysterii, non sua causa est: nam hoc omnibus audit qui baptizantur. Ipse autem demõstratur tantummodo, vt ex hoc appareat in homine virtutib⁹ Deus. Cæteri verò firmantur, quia ex hoc incipiunt esse filii Dei, quum sanctum accipiunt Spiritum. Quanuis enim sanctum natum sit corpus Domini, non tamen sacramento regenerationis firmat⁹ fuerat homo Christus esse Filius Dei, nisi Spiritum sanctum accepisset, iuxta decretum renascibilitatis donum. Nam & Iudæi filii Dei dicti sunt in deuotione, non in sacramento, quod nunc operatur, vt accepta remissione peccatorum, superueniente sancto Spiritu dicantur filii Dei. Saluator ergo & natus est secundum carnem Filius Dei, & post in mysterio firmatus. Nec enim poterat quod de sancto Spiritu natum est, nõ de Deo nãsci: sed vt propositũ mysterii impleretur, superueniente Spiritu non diminutum est, sed auctum.

Quid causæ fuit vt illo tempore crucifigi se permitteret Dominus, quo octauo calendas Aprilis Pascha agunt Iudæi.

55 Omnia propriis locis & temporibus gessit Saluator. Vt enim omnia se nutu Patris rectè cõdidisse doceret, tunc voluit passione sua mũdum redimere & reformare, quando eum & creauerat, id est, in æquinoctio, vnde mundus initium cœpit, & dies super noctem increscere. In regno itaque agens Romano, non nisi octauo calendas Aprilis pati debuit, quando æquinoctium habent Romani. Tunc enim vtique primùm hæc pars mũdi illuminata est, & ex eo dies cœpit cremẽtum accipere. Ideóque & passione Saluatoris à morte liberata & à tenebris ad lucem perducta est. Nulla itaq; vituperatio auctoris poterit videri, quãdo lapsã creaturã tũc reformauit, quãdo & fecerat. Nec enim re prehẽdi poterit rei lapsę initiũ creationis, cùm ad id redeat instauratio Paschę. Eadẽ enim die voluit esse renouationis gaudium, quo fuerat & dedicationis.

Quo tempore mundus initiũ cœperit.

Quare in Matthæo pater Ioseph Iacob scribitur, & in Luca Heli, vt aut duos patres habere imperite descriptus sit, aut certe quis vere pater eius sit nesciatur.

Non est ambiguum patrem Ioseph Iacob 56
fuisse. Ordo enim à Dauid per Salomonẽ tramitem suum tenens, recto cursu peruenit ad Iacob, cuius filius est Ioseph. Heli autem filius Mathat à Dauid per Nathan filium eiusdem Dauid, ordinẽ tenet vsque ad tempus quo Saluator aduenit: vnde singuli Euangelistæ à Dauid singulorum fratrum generationum ordines prosecuti, quasi fugam fecerunt, vt Matthæus à Dauid per Salomonem descenderet ad Ioseph. Lucas verò ab Heli, qui tẽpore fuit Saluatoris, ascendit per traducem Nathan filii Dauid, & vtriusque, id est, Heli & Ioseph iunxit tribum, ostendens vnius generis esse vtrunque, vt quum Heli sociat Ioseph, nõ discrepare eos in generatione, sed fratres ostendat. Ac per hoc non solùm ipsius Ioseph filium esse Saluatorem, sed & Heli. Ipsa enim ratione, qua ipsius Ioseph filius dicitur Saluator, ipsa est & Heli filius & cæterorum omniũ, qui de eadem tribu sunt. Hinc est quod dicit Apostol⁹, Quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem. Diuino etenim nutu permotus Lucas est, vt ab Heli per traducem Nathan ascenderet ad Dauid, & per Tharam patrem eius ascẽderet ad Sem filium Noe, & adhuc super diluuium perueniret ad Seth filium Adæ, qui redditus erat pro Abel, & eadem ratione faceret filium Adę Saluatorem, qua dicebatur filius esse Ioseph & Heli. Super Adam autem trãscendens, assignaret ante omnem carnem Christum Filium Dei esse. Illud quod quibusdam videtur, quia Heli acceperat vxorem Iacob, quomodo Lex mandauit, vt si quis mortuus fuisset sine filiis, acciperet frater aut propinquus vxorem eius, & resuscitaret semen fratris sui. Et ita factum, vt Heli generaret Ioseph Iacob, cuius vxorem acceperat: & per hoc iungi generationem, vt non immeritò Ioseph patrem habere Heli dicatur. Hoc nec probabile est, nec ad vllam rem proficit. Illud autem quod suprà dictum est, & per generationem iunxit duos fratres filios vnius, & Christum ostendit Filium Dei esse ante omnem generationem. Euangelista enim cùm referret dicens, Et ipse Iesus erat incipiens ferè annorum triginta, filius sicut putabatur Ioseph, qui fuit Heli, id est, Iesus filius æstimabatur Ioseph. Et nõ solũ Ioseph erat filius, sed & Heli: nõ quia Ioseph filiũ dicit Heli, sed eodem genere quo Ioseph vocabatur

Rom. 9

Deut. 25

Luc. 3

filius esse Iesus, ita erat etiam filius Heli, propter quod fratrum filii erant Ioseph & Heli, id est, Salomonis & Nathan filiorum Dauid, vt per Dauid ascendens ad Abraham & Noe & Seth & ad ipsum Adam, & super Adã, doceat esse Christum Filium Dei. Quum enim dicit, Qui fuit filius Seth, qui fuit filiꝰ Adæ, qui fuit Filius Dei, Christum vtique ita dicit Adæ filiũ, sicut dicebatur filius Ioseph. Ait enim Maria ad eum, Fili, quid feciſti nobis sic? Etenim ego & pater tuus mœsti & tristes quærebamus te. Super Adã autẽ iũxit Christum Patri Deo, vt qui horũ, id est, ab Adã vsque ad Ioseph, & Heli filius dicebatur, ante istos omnes Dei verus Filius intelligeretur, ad confusionẽ Fotini, qui Christum nõ nisi ex Maria, nec antè fuisse contẽdit. Quorum enim nõ erat, filius dicebatur, & Dei cuius Filius verus erat, negabatur. Si enim, quod improbabile est & ad nullã rẽ proficit, Ioseph Heli filiꝰ dicatur, secundum quod suprà diximꝰ, nõ dixisse videbitur de Christo, quia fuit Filius Dei, sed de Adam. Per ordinẽ enim singulorum filiorum patres subiiciendo, venit ad Enos, cuius patrem dicit Seth, patrem autem Seth dicit Adam, Adæ verò Patrem dicit Deum: & nescio quæ vtilitas sit sic asseuerare. Si autẽ per ordinẽ, sicut diximus, singuli patres Christi dicantur, sicut & filius dicebatur Ioseph, quia dictum est, Quorum patres, & ex quibus Christus secundum carnem: ipso ordine legitur filius esse Seth & filiꝰ Adæ. Et super hos omnes assignatur Filius Dei, vt ante ipsos dicatur esse, quorum filius nuncupatur.

Luc. 2

Roman. 9

Quid est hoc vt quum in Malachia Propheta scriptum sit, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparet viam tuam ante te: Marcus hoc Euangelista in Esaia Propheta scriptum asserit.

Malach. 3 Marci 1

57 Non potuit latere Marcum quid scriberet. Nec enim expers erat lectionis, qui ab infantia Diuinis literis imbutꝰ, & exercitatus erat in Lege, maximè cùm Apostolos sit secutus. Sciẽs autem omnia ad auctorem referenda dicta, hæc ad Esaiam reuocauit, qui sensum istum prior intimauerat dicens, Vox clamantis in deserto, Parate viã Domino, rectas facite semitas Dei nostri. Denique post verba Malachiæ, statim subiecit Euangelista dicens, Vox clamantis in deserto, vt iungeret verba vtriusque Prophetę, ad vnum sensum pertinẽtia, sub prioris Prophetæ persona.

Esa. 40

Qua ratione negat se Ioannes Christum scisse ante Baptismum, cum venienti ei ad Baptismum dicat, Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? quomodo ignorabat eum quem prohibuit, humilians se ei?

Matth. 3

58 Tanta sanctitate præditus est etiam ab ipsis cunabulis Ioannes, vt nec falli nec fallere credatur, nec Dominum suum, qui eum in vtero per Spiritum sanctum illuminauerat, nescire: ac per hoc verum est, quia & descendente in eum Spiritu agnouit eum, & priusquam ad Baptismum veniret, nõ ignorauit eum. Sciebat enim eum. Sed an ipse esset, qui donum Dei olim patribus repromissum ministraturus esset, nesciebat. Hoc est, quod tunc se didicisse profitetur, cùm vidit in eum Spiritũ descẽdisse. Sic enim se à Deo instructum dicit Ioannes, Super quẽ, ait, videris Spiritum descendentẽ & manẽtem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu sancto. Hoc etiam Apostolus contestatur, Dico enim, inquit, Christum ministrum fuisse circuncisionis propter veritatẽ Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Hoc est in quo nesciebat Dominum Ioãnes. quãuis enim magnificentiã eius non ignoraret, hoc tamen latuit eum, quia per ipsum fides Abrahæ implenda erat.

Ioan. 1

Roma. 15

Si Baptisma cæleste mysterium est, cur Nicodemo cùm de Baptismo dubitanti loquitur Dominus, Si terrestria, inquit, dixi vobis & non creditis, quomodo si dixero vobis cælestia credetis?

Ioan. 3

Qui Baptismum putat carnali ratione consistere, hic nõ est spiritalis, nec donum cæleste poterit consequi, qui se per aquam, non per fidem immutari credat. Aquæ enim cernitur, sed qui nõ videtur Spiritus operatur, vt fides in eo sit. Quia sicut sordes corporeas aqua, ita Spiritus animam abluit à peccatis, vt quomodo visibilia visibilibus, ita & spiritalibus prosit Spiritꝰ, ac per hoc spiritalis ratio vertitur in Baptismo. Plus enim est ibi quod auditur, quã quod videtur. Cùm hinc ergo Nicodemꝰ carnali instructus ratione dubitaret, Saluator vt eum ad fidem attraheret, exemplo vsus est congruo, vt ad rem inuisibilem firmandã, visibile daret exemplum, quod solo auditu consistit, non visu: & non negatur, & est tamen terrenum, quia mundi rem operatur. Ait ergo Dominꝰ ad Nicodemum suadendo illi, Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis: sed nescis vnde veniat vel quò eat, sic est omnis qui renascitur ex aqua & Spiritu sancto: vt quomodo vox venientis spiritus, id est, venti auditur quidem, non autem videtur, sicut dictum est, sic & ratio Baptismi auditur quod dicatur, tamen quomodo per Spiritum fit nõ videtur: auditur tamẽ, cùm quid futurum est ab eo qui verba insinuat, prædicatur, vt fieri credatur quod auditur, non tamen ratio facti reddatur. Cùm autẽ nec per exemplum Nicodemus duceretur ad fidẽ, tũc audiuit à Saluatore, Si terrestria, inquit, dixi vobis & nõ creditis, quomodo si dixero vobis cęlestia, credetis? Ista verba terrena dixit, quæ ad exemplum protulit, hoc est, si per rationem terrenam, inquit, exẽpli dati spiritus, id est, vẽti, non creditis posse fieri, quia quomodo fiat nõ videtur: quomodo fieri poterat, vt si darẽ cæleſtia exempla, quæ vtique nescitis, crederetis? Potest enim homini suaderi quod nescit, per id quod scit, vtputa Deꝰ dicit de Christo, quòd Filius eius sit verus, quod quomodo sit, comprehendi non potest. Per id autem quod scimus secundum carnem quomodo sint filii, credimus ideo Deum dixisse, Christus Filius meꝰ est verus, vt de semetipso illũ esse significaret. Hoc modo & Saluator, rẽ quę nec verbis nec animo explicari potest, per id quod sẽsibile est, & auribus auditur, voluit cõmendare, hoc est,

59

per

per exemplum ſpiritus, qui eſt ventus, quem & ſenſibilitas capit & auris audit, ſed vnde veniat neſcit: factum Spiritus ſancti, quod capi nõ poteſt, voluit facere credibile. Sed & in Actibus Apoſtolorum eodem modo legitur, Et factus eſt, inquit, ſubitò de cælo ſonus, tanquam aduenientis ſpiritus validi, & repleuit totam domum, &c. Ecce apertè exemplo venti Spiritum ſanctum inſinuat, ita de cælo aduenisse, & ſonuiſſe, quemadmodum validus ventus ſuper terram. Nam & Hieremias ventum ſpiritũ vocat, dicẽs, Ventus ſpirat in omni regione. Qui propterea quod in hoc mũdo eſt, & per diuerſa circunfertur loca, vnde veniat, vel quò eat, neſcimus. Spiritus autem ſanctus de cęlo venit, ſicut legimus, vt credentes illuminet. Quomodo ergo quibuſdam videtur de Spiritu ſancto Saluatorem dixiſſe, Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, vel quò eat: quum conſtet exẽpli cauſa locutum hoc Saluatorem? Denique ſubiecit, Sic eſt, inquit, omnis qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto. Quid tam apertum, quia ſpiritum ventum ſignificauit? Sed ideo putant non ventum ſignificatũ, quia ait, Vbi vult ſpirat, quaſi non omnis creatura lege ſibi poſita, remiſſa ſit arbitrio proprio. Et nos enim imus & facimus quod volumus, agẽtes ſub Lege: quare & rationem præſtabimus. Aut poſsibile putatur, & nec ſtultum videtur, vt effectum volens ſancti Spiritus inſinuare, illudipſum daret exẽplum. Igitur omni genere quæſtionẽ ſolutam arbitror.

Actorum 2

Ioannis 3

Si Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem, quomodo Saluator ad ſacerdotes mittit offerri munera pro emundatione lepræ?

Matth. 8 Marci 1 Luc. 5

60 Hoc quidem non fuit temporis, ſed ad cõdemnationem factum eſt Iudæorum, vt quum veritatis culmen meliorati tẽporis non intelligerent ad lucrum ſalutis ſuæ factum, inclinaret ſe veritas ad accuſationem eorum. Cùm enim velut Legis inimicum haberent Saluatorem, quia miſericordię cauſa ab onere illos Legis volebat liberare, ſicut prædictũ erat ab Hieremia Propheta. Ait enim inter cætera, Et dabo illis Teſtamentum nouum, non quale dedi patribus eorum: tunc Saluator, ne inimicus, ſicut putabant, appareret, noua prædicans, eum qui mundatus fuerat à lepra, ad ſacerdotes miſit offerre munera pro emundatione ſua, ſicut præceperat Moſes. Et vt ad accuſationem eorum hoc proficere teſtaretur, In teſtimonium, inquit, illis, vt iudicio hæc res contra illos teſtis eſſet, qui Saluatorem inimicum Legis dicebant. Hoc ſequutus eſt & Apoſtolus Paulus. Cùm enim prædicaret iam non oportere circuncidi, ipſe Timotheum circuncidit propter ſcãdalum Iudæorum. Maluit enim rem ſuperfluam facere, quàm tumultum excitari à falſis fratribus: quod quidem errori profecit Iudęorum. Satis enim eis factum eſt ad horam, per quod in perpetuum errarent.

Hierem. 31

Leuit. 13

Actorum 16

Quid eſt vt Iudæis diſcipulos accuſantibus, eò quòd ſabbatum violarent, ſpicas manibus confricantes & comedentes, Saluator exemplum Dauid proferret, quia manducauit panes, quos non licebat manducare, niſi ſolis ſacerdotibus.

Matthæi 12

Per quod non videtur excuſari, ſed ſimul 61
cum Dauid rei fieri: quippe cùm nec ſabbatis fecerit hoc Dauid. Saluator hypocriſim Iudæorum multis vult exemplis arguere, maiora oſtendens admiſſa in Lege, & nullum auſum fuiſſe accuſare, vt non ſolùm ſemel & iterum ſabbatum in Lege violatum monſtraret, verumetiam ſacerdotalem panem ipſo ſacerdote concedente, pręſumptum illicitè, & quod maius eſt, à ſublimi auctoritate legis ſuæ viris. Primus enim Ieſus Naue Diuino prącepto ſabbatum non ſeruauit, quo facto muri Hiericho vltrò ceciderunt. Quantum profuit ſabbatũ non cuſtodiſſe, ſed fidem? Et Machabæi cùm prius cæſi fuiſſent, ſabbatis dimicauerunt, & de hoſtibus triumphauerunt, & ſacerdotes vt Dominicis ceremoniis inſeruirent, in templo ſabbatum contemnebant. Dauid autem iam vnctus in regem, poſteaquam Dei virtute interfectum armis expoliauit Allophylum, in itinere poſitus, neceſsitatem famis paſſus, à ſacerdote panem accepit, quem non illi licebat manducare: ſed excepta neceſsitate non licebat. Licitum autem erat, ſi neceſsitas exegiſſet. Denique ſacerdos videns neceſsitatẽ, non negauit: & Dauid à Deo electus ſine cunctatione accepit. Talis cauſa eſt & ſabbati. Quare & circuncidi in ſabbato non prohibetur. Hæc enim quæ periculoſa non ſunt, ſic ſeruanda mandata ſunt, vt nõ obſint ſi ex neceſsitate fuerint admiſſa: quia non ad ſalutem, ſed ad reuerentiam mandata ſunt. Illud autem quod omnino non licet, ſemper non licet, nec aliqua neceſsitate mitigatur, vt admiſſum non obſit. Eſt enim ſemper illicitum, quod legibus, quia criminoſum eſt, prohibetur. Superiora autem illa, quæ diximus aliquando licere, talia ſunt, qualia ieiunia legitima, quæ in neceſsitate ſoluta non faciunt reos, ſi ſtomachi fuerit cauſa aut infirmitatis febriũ. Hęc igitur ſcientes, doloſè Iudęi diſcipulos accuſabant, quaſi ſabbatum violarent, ſicut ſuprà dictum eſt. Saluator autem noluit illis de tempore impletæ Legis prædicare, ne plus ad inſaniam proſilirent, ſed de præterito vnde ſabbatum vindicandũ magis putabant, calumnioſos illos oſtendit: & non ſolùm in ſabbati cauſa, ſed etiam in ſacerdotali pane confuſi ſunt, ſicut ſuprà oſtenſum eſt.

1. Reg. 21

1. Mach. 2

Quid eſt vt occiſis filiis Liæ, qui erant ex tribu Iuda, Rachel filios ſuos plangere dicatur.

Quantùm ad hiſtoriam pertinet, Rachel 62
filii ſunt tribus Beniamin. Porrò olim pro maleficiis propriis, operibus ſcilicet Sodomitarũ & ſtupro, quod in concubinam viri Leuitæ geſſerãt, à reliquis tribub⁹ extincti & eraſi ſunt. Quamobrem cõſolationem recipere velle negatur, ſciens nullam ſpem eorum qui periiſſe noſcuntur. Filii Liæ in primęuis annis, in Saluatoris cauſa occiſi. Vnde eorum cauſæ planctum non vult adſcribi, quia & innocentes oc-

Iudic. 19

cisi sunt, & propter Deum, à quo sine dubio mercedis gratia æterna vita donati sunt. Quapropter planctum Rachel filiis dicit competere, qui & in præsenti & in futuro erasi sunt. Illi autem carnaliter planctι, spiritaliter consolati sunt. Filii autem Rachel carnaliter cõuersati, flammis spiritalibus consumentur. Idcirco autem Liæ filiis occisis adimpletum planctũ Rachelis Euangelista testatur, quia tunc plangere filios suos cœpit, quando filios sororis suæ in tali causa vidit occisos, vt æternæ vitæ hæredes existerent. Quum enim aliquid aduersum aduenit ex felicitate alterius, infausta sua miserius luget.

Matth. 2

Matth. 2

Qua ratione Magi Chaldæi per Stellæ apparentiam, Christum regem Iudæorum natum intellexerunt, cùm Stella indicis temporalis rex soleat designari.

63 . Hi Magi Chaldęi non maleuolentia astrorum cursum, sed rerum curiositate speculabãtur. Sicut enim datur intelligi, traditionem Balaam sequebantur. Qui quum accersitus esset à Balac ad maledicendum populum Dei, Diuino nutu benedicere cœpit. Ex huius ergo relatione compertum habebant futurum Dei prouidẽtia ex Iacob qui regnaret. Hic enim, quod non est occultum, prophetauit, dicẽs, Orietur stella ex Iacob, &c. Istam ergo traditionẽ Magi secuti, videntes stellam extra ordinem mundi, hanc esse intellexerunt, quam Balaam futuram indicem regis Iudæorũ prophetauerat. Quod quidem factum contra inimicos religionis est. Inde enim testimoniũ accepit, vnde solet improbari. Astrologi enim inimici sunt veritatis.

Num. 23

Num. 24

Quomodo probatur post tres dies & noctes resurrexisse Saluatorem ex mortuis.

64 In hac causa si numerum dierum ac noctiũ per ordinem requiris, effectum intelligẽtiæ nõ habebis: quia & Moses quadraginta diebus & quadraginta noctibus ieiunauit: & tamen non integer numerus inuenitur. Quando enim per diem ascendit, & per diem descendit, omnem vtique numerũ non impleuit: sed quia vbi dies est, computatur & nox, & vbi nox est, computatur & dies, vt à parte ad totum quadraginta dies & quadraginta noctes dicãtur. Ita est quod dixit Saluator, Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ. Et quia tres noctes fũt, tres accipiantur & dies. Est enim nox, ne nouũ aut cõtra rationem fortè videatur, vt cùm nox ex die pendeat: nam ante lucem factam, ex qua appellatus est dies, quem vesperum quod sequitur nox institutũ, minimè dubitatur, quòd passio Dominica à nocte sumere asseueratur initium, non absurdũ est. Nam sicut lux, id est, dies, imago vitæ est: ita nox similitudo mortis est, id est, tenebrę: sicut in Scripturis euidenter ostenduntur filii lucis, & econtrà tenebrarum. Nec mirum si cùm vbique dies nocti, & lumen tenebris, hîc solùm quæ sunt sequẽtia anterioribus præponantur: vel quòd in tali causa rerũ ordo confunditur & mutatur, vt antè signauimus. Nam mortis nox magis quàm dies esse videtur. Ideo etenim à nocte initium sumitur, quia non aliter principi tenebrarum, nisi per noctẽ potuit subintrari, id est, non potuit vinci. Et vt aliquatenus Dominus lucis, id est, æternæ vitæ principi tenebrarum, siue mortis subiectus esset ad tempus, quatenus & præteritos & post futuros à morte liberaret. Nam non esset mors penitus euacuata, nec vnquam tenebrarum caligo discussa, si Dominum non vidisset subintrantem. Etenim tanta luce secretum mortis, in quo dominabatur euanuit, nec penitus vinci potest, nisi qui vel per sua, vel in suis capitur. Rectè ergo in tali negotio tãtummodo nox obtinet principatum, ita vt amitteret potestatem, & vt Iudæi non credentes in perpetua nocte remanerent, nec auctor dies tãti sceleris, imò sacrilegii, sed nox fieret: præcedenti nocti contra rerũ seriem subditur dies, sicut Deus & Dominus omnium rerum principi nefariæ mortis, vt omnes à mortis laqueis explicaret. Quòd si cui adhuc fortè videtur esse contrarium, diligenter aduertat ne incipiat illud durius æstimare, quòd Deus se personam induẽs serui (non dicam hominis) mortem deleuit. Quid ergo hîc ordinem quæris, vbi omnia videas esse cõtraria? Quæ est enim lux, quæ fuit in tenebris, & tenebræ eam non comprehenderunt? Dominus lucis, qui & comprehensus est. Qui enim scit se ad hoc comprehendi vt feriatur, tempus illud in mortem computat. Est & dies sequens, qua auditus & crucifixus est. Est & nox, quæ cœpit in sabbatum: est & ipsum sabbatum. Est etiam vesper post sabbatum. Hoc est, quod Iudæis à Mose præceptum est in figura, vt vespere intrarent in sabbatum, in quo Dominus resurrexit, qui complectitur diem Dominicum, quia nox non computatur sine die, neq; dies sine nocte. Hac ratione post tres dies & post tres noctes Domin⁹ resurrexit.

Exod. 24

Luc. 11

Si vno ore & ratione Euangelistæ loquuti sunt, quomodo factum est vt tribus dicentibus, id est, Matthæo, Luca & Ioanne, quia sexta hora crucifixus est Dominus, Marcus ediuerso tertia hora crucifixũ dicat Saluatorẽ.

Matth. 27
Luc. 23
Ioannis 19
Marci 15

Obscuris vera inuoluere non est bonum. 65 Nam tres Euangelistæ vnum sensum habuerunt. Marcus autem rem quæ ab illis prætermissa fuerat, voluit intimare, sciens necessariã. Nec enim falli posset, qui auctorum exempla sequutus, ea quæ scripsit magna deuotione & industria didicit, & nec sine sancto Spiritu fecit. Quid ergo ex hoc ostendere voluit, debet absolui. Contuendum itaque est, quia non à Pilato, sed à Iudæis Saluator crucifixus est. Quãtùm enim ad Leges Romanas pertinuit, innocentem pronũtiauit Saluatorem. Ait enim Pilatus Iudæis, Ego nullã inuenio causam in eo. Et dicentibus illis, Crucifige eum, respondit, Quid enim mali fecit? Denique persistens & volens educere eum de manibus eorũ, calumniam passus est, dicentibus eis, Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Sic factum est vt traderet eum iudicio illorum. Sententiam

ergo

ergo non dedit Pilatus, sed Iudæi. Denique præmoniti sunt, inquit, à principibus sacerdotum, vt dicerent, Crucifigatur. Hanc sententiam tertia hora datam vult intelligi, in qua assiduis vocibus perdurãtes, cum interuallo horarum ferè trium, quibus itum & reditum est ab Herode, crucifixerunt Saluatorem. Omnis enim qui addicitur morti, ex eo iam mortuus computatur, quo sententiam excepit. Manifestauit igitur Marcus, quia non in iudicis sententia Saluator crucifixus est. Difficile est enim innocentẽ probare eum, qui sententia iudicis punitur. Discordare ergo se passus est in verbo, vt doceret tertia hora cœptũ esse, quod sexta hora impletũ est, non legibus, sed persistente maleuolentia Iudæorum.

Quomodo Marcus Euangelista dæmonia cognouisse ait & professa esse Iesum, e contrà autem Apostolus, Principes & potestates huius seculi neget cognouisse Diuinitatem Domini Iesu.

66 Dicit enim inter cætera Marcus, Sciebant enim ipsum esse. Apostol⁹ verò, Quem nemo, inquit, principum huius seculi cognouit. Si enim cognouissent, nunquam Dominum maiestatis crucifixissent. Si dæmonia sciebant, quomodo principes ignorabant? Quibusdam videtur principes huius seculi maiores Iudæorum significasse, quasi iuxta illud, quod Petrus Apostolus dicit, Scitis enim, inquit, fratres, quia per ignorantiam gessistis hoc malum, sicut & principes vestri. Ergo Iudæorum erant principes: non tamen huius seculi principes erant. Vnde ait, Vestri, non seculi: quippe cùm dixerint regem se habere Cæsarem, sub cuius fuerant redacti potestate. Sunt autem isti hi principes, quos alio loco significauit Apostolus, dicens, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates huius mundi, aduersus tenebrarum harum rectores. Recte ergo quæritur, Si enim isti non cognouerunt Iesum, quomodo poterat fieri vt dæmonia agnoscerent eum? Sed aliud est, quod cognouisse in Christo dæmones dicit, & aliud quod huius seculi principes negat cognouisse. Nam dæmonia sciebant ipsum quidem esse, qui per Legem fuerat promissus. Omnia enim signa videbant in eo, quę dixerant futura esse Prophetæ, vt quod ex semine Dauid de Virgine venturus esset Redemptor Israel: mysterium autem Diuinitatis eius ignorabant, sicut & principes eorum. Denique quærit, quanuis captiosè, diabolus à Saluatore, dicens, Si tu es Filius Dei, &c. Videns enim aliquando Diuinam virtutem, aliquando hominis infirmitatem, ambigens quid verum esset, torquebatur. Concordant ergo Scripturæ secundum ea quæ reuelata sunt. Impossibile est enim discordare vnius spiritus viros.

Marci 1 1. Corinth. 2 — Actorum 3 — Ephes. 4 — Matth. 4

Quid est, quod in cruce positus Saluator ait, Pater, ignosce illis, &c. Si enim nescit, quid est quod ignoscitur, maximè quum dicat rex Abimelech ad Deum, Nunquid gẽtem ignorantem perdes? — Luc. 23

67 Non omnis ignorans immunis à pœna est. Ille autem ignorãs potest excusari à pœna, qui à quo disceret non inuenit. Istis autem hoc ignosci petit, qui habentes à quo discerẽt, operam non dederunt. Huiusmodi non licet ignorare. Accipiant ergo veniam, si conuertantur.

Quum vtique vltãdam pro inimicis Dominus docuerit, quid est quod in Apocalypsi contra hoc, animæ occisorum vlcisci se petunt, à Deo postulantes vindictam. — Matth. 5 Apocal. 6

Sic enim animæ occisorum clamant, vindicari se postulantes, sicut sanguis Abel clamauit de terra. Causæ ergo sunt, quæ clamare dicuntur, cùm loqui non possint. Sanguis enim effusus quid aliud quàm iudicari se postulat, clamans non voce, sed ratione? Nam & opus opificem laudare dicitur, per hoc ipsum, quòd videntem se oblectat. Non enim tam impatiẽtes sunt Sãcti, vt vrgeant iam fieri quod sciũt tẽpore prefinito futurũ, quod nec anticipari potest nec differri. Sed hoc dicto ostẽdere voluit, vindicaturum Deum sanguinẽ Sãctorum suorum, ne quia tam patiens nunc videtur, inultum putaretur impium bellum, quod contra Sanctos geritur: vt & terrorem incutiat persequẽtibus Dei seruos, & vt exhortaretur pro se patientes. Releuatur enim anima patiẽtis, quando vindicari se audit à potente. Præ se enim spem fert, si mortem suam audiat iudici displicere. Tũc enim pro certo habet innocentem se esse? Et Deus quidem misericors & patiens est, sed moderatè. Expectat enim vt impii credant, & peccatores se emendent, si quò minus plectantur, quia Dei longam patientiam contempserunt. Cuius rei exemplum, etiam tẽpore misericordiæ prædicare ostendit, ne non patiens, sed insensibilis, & quem neque dolor alicuius, neque pietas cõmoueret, videretur. Hinc est vnde ait per Prophetam, Tacui, nunquid semper tacebo? Et Dominus, Nunquid non faciet Dominus vindictã seruorum suorum clamantium ad se die ac nocte? Sic vtiq; clamãt sicut suprà diximus. Si quis ergo Christianus ad tẽpus vindicet, nõ acerbè, neque cum sanguine, nõ peccat: melius tamen fecerit, si dimiserit iudici Deo.

68 Genes. 4 — Esaiæ 42 Lucæ 18

Si iam prædicante Ioanne aut Saluatore, Lex cessauit, quomodo Saluator ait, Non veni soluere Legem aut Prophetas, sed adimplere?

Si enim Prophetia est, quomodo non soluta est, quæ agendi amisit auctoritatem? Omnia quæ de Christo dicta sunt, & ipse Dominus sic adimpleuit Legem & Prophetas, quum omnia quæcunq; de se scripta sunt, fecit: nec dissoluit aliquid, sed cõfirmauit. Lex enim & Prophetæ vsque ad ipsum. Prophetę enim de ipso locuti sunt: ideo vltra illũ quæ ab his de hoc, id est, de Christo dicta sunt, tẽdi nõ possunt: neq; post ipsũ aliquid huiusmodi Prophetę reperire potuerũt, quia neq; habẽt de quo dicãt, & de quo dicebatur, iam venit. Omnia etenim suis voluminibus cõplexi sunt, & incarnationem & cõuersationem, & passionem & resurrectionem, & Diuinitatis manifestationem, & futurum eius iudicium reuelauerunt: ac per hoc cessauerunt Prophetæ impleto opere dispensationis.

69

Lex autem duplici modo ceſſauit: nec quidem tota. Nã & id quod ceſſauit, poterit permanere, ſi ſeruetur conditio. Aliud enim ceſſauit in
Matthæi 3 ſententia, aliud in ipſa Lege. Prędicante Ioanne Baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionẽ peccatorum, ceſſauit ſententia Legis, quæ reos tenebat peccatores: ceſſauerunt etiam onera Legis, quę ad duritiam cordis Iudaici fuerant data in eſcis, neomeniis, ſabbatis, & cæteris. Miſe cordia enim adueniente ceſſauit vindicta: ſed onera Legis in perpetuum ceſſauerunt. Sẽtentia verò iis ceſſat & aboletur, qui permanſere in beneficio conſecuto. Iis autẽ qui redeunt ad hominem veterem, refricatur Legis auctoritas: quia immemores beneficiorũ redeunt ſub ſententia Legis. Circunciſio verò & ſabbatum vſque ad illud tẽpus valuit, quo noue legis prędicaretur mãdatum. Sic enim data ſunt, vt aduenientelege fidei ceſſarent. Vnde dicit Apoſto
Roman. 10 lus, Finis Legis Chriſtus. Nã & Daniel hoc ſi-
Daniel. 9 gnificat, cùm & de aduẽtu Domini & temporibus hebdomadarũ prophetat: quia & chriſma, & iudicium, & ſacrificium, & ipſa ciuitas, ceſſatura erant. Spiritali enim adueniente Lege, neceſſe erat ceſſare carnalia. Tunc enim ex parte corporis ſeruiebatur Deo: nũc ex parte animæ. Pridẽ viſibiliter, ſcilicet tunc, modò inuiſibiliter. Tunc in carne, nunc in animo: quia Deo v-
Ioannis 4 tique, qui Spiritus eſt, in ſpiritu ſeruiendũ eſt. Non ergo ſoluta Lex eſt, quia ceſſauit: ſed ſucceſſum illi eſt impleto tẽpore. Nec enim adminiſtratio eius accuſatur aut iudicium, ſi peccatoribus indulgẽtia datur, cùm hinc magis rectè data & iuſtè probetur: quia quibus dominabatur, peccatores fuiſſe non negãtur. Quia iuſtis,
1. Timoth. 1 inquit, lex non eſt poſita. Non ergo quia miſecordia præferẽda eſt, contemnenda putetur iuſtitia: cuius reuerentia ſi non eſſet, ipſa miſericordia fructum non haberet. Niſi autẽ hãc ſeruauerit poſt acceptã miſericordiã, nihil illis, p-
Exod. 20 derit indulgẽtia. Nã dixit Lex, Nõ facies tibi idõlũ, neq; adoraueris quę in cęlo ſurſum ſunt, & quæ in terra deorſum, & Nõ peierabis, & Honora patrẽ & matrẽ, & Non occides, Neq; fornicaberis, Neque furtum facies, Non dices falſum teſtimonium, Neque cõcupiſces quicquã proximi tui. Nunquid hęc ceſſaſſe dicẽda ſunt? Abſit. Sine his enim, quis poterit vel in hac vita idoneus iudicari? Ac per hoc cętera ceſſauerunt, quę ſuprà diximus, neomenię, ſabbata, lex eſcarũ, ſacrificia, circunciſio, &c. Hinc eſt vn-
Roma. 11 de dicit Apoſtolus inter alia, Prĩcipes nõ ſunt timori operi bono, ſed malo. Vis autem non timere poteſtatẽ? fac bonum, & habebis laudẽ ex illa. Hæc ſeruata bonos faciunt: nõ tamẽ perfe-
Matt. 5 ctos. Vnde Saluator, Niſi abundauerit, inquit, iuſtitia veſtra pluſquam Scribarũ & Phariſęorum, non intrabitis in regnum cęlorum. Addẽs enim iſtis potiora Saluator, non ſoluit vtique Legem, ſed adimpleuit. Senſus enim Legis ad ſaluté hominis pertinet: vtputa, Oculum pro oculo, dẽtem pro dente, vt timẽs ne pateretur quod aliis facere prohibitus eſt, cohiberet ſe à nequitia. Saluator autem ſuperiorẽ in hũc ſenſum addens iuſtitiã, Ego autẽ, inquit, dico vobis, Non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſe- Matth. 5
rit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & ſiniſtram: vt dum vicẽ nõ reddit malo, perfectus ſit. Reddere enim vicem iuſtum eſt, ſed nõ plenum. Si verò diſsimulet ab iniuria, plena iuſtitia eſt & abundans. Retribuere enim gaudet ad tẽpus: remittere autẽ in futurũ præſtat lætitiã. Sic enim adimpleuit Legẽ Saluator, dum quos illam iuſtitiã docuit, hic iuſtiores effecit, quia illa non potuit. Quãobrem gaudium Legis eſt, quia diſcipuli eius peritiores effecti ſunt. Deſtruxiſſet planè Legem, ſi impunè peccare docuiſſet. Porrò autẽ ſuſpendit ſentẽtiam, vt hìc qui malè facit, habeat ſpatium pœnitẽdi, ſi quò minus, redit in illũ ſententia cumulata, quia nõ cognouit ad hoc ſe remiſſum, vt emendaret ſe.

Cùm Dominus certe inimicos nos diabolo fieri præceperit, quid ergo eſt vt in Euangelio dicat, Eſto conſentiens Matth. 5
aduerſario tuo cito?

Quis eſt hominis aduerſarius, niſi diabolus? 70
Nulli dubium eſt diabolũ eſſe hominis inimicum, maximè fidelis: vehementiora enim tela ſua cõtra Dei ſeruos exacuit. Sicut ergo iſte bonorum inimicꝰ eſt, ita & Lex malis aduerſa eſt. Quis enim cõtemnenti ſe non aduerſetur? Dominus ergo peccatorem alloquitur, vt conſentiat mandatis, quæ illum inobedientem condemnãt, vt ſubiiciat ſe voluntati eorum, & fiat ex inimico amicus, quia & contemptor Legis inimicus eſt eius: voluntati enim eius reſiſtit. Ideóque hortatur Dominus peccatorem, vt bene agendo reconciliet ſibi Legem, ne in die iudicii accuſet eum apud iudicem, & condemnatus pœnas det ſpretæ Legis. Omni etenim, inquit, qui malè vult agere, diſciplina Dominica inimica videtur, cui niſi conſenſerit, mittetur in gehennam diabolo, qui verè inimicus humani generis eſt, præparatam.

Quid eſt quòd Iacob appellatus eſt homo videns Deum, & Geneſ. 32
Moſes vidit Deum facie ad faciem, necnon & Eſaias, Eſaiæ 6
Vidi, ait, Deum Sabaoth oculis meis. Contrà autem
Ioãnes Euangeliſta, Deum, inquit, nemo vidit vnquã. Ioannis 1

Hoc quantùm videtur, contrarium eſt. 71
Quantùm ad fidem verò pertinet, Deum omnino nemo vidit vnquã, neque Patrem, neque Filium. Quòd enim viſus dicitur, ad intelligentiam refertur: viſus eſt enim velut in imagine. Veluti nos cùm Imperatores neſciamus, videmus eos in figura, nõ in veritate. Ita & Deus viſus eſt, vt intelligeretur Deus eſſe, qui apparebat per rationẽ, non per ſubſtantiã: quia in natura ſua Deus videri non poteſt. Et vt verius propoſitæ quæſtionis ſecreta pandamus, ſenſum Euãgeliſtæ explicare nitamur. Ioannes enim occultũ aliquid prodere voluit, quod ſciuit ad ſalutarem doctrinam pertinere: ideirco Deum, inquit, nemo vidit vnquam, niſi vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. Animaduertamus ſenſum Euãgeliſtæ. Vt enim verum eſſe, quia nemo Deũ vidit vnquã,

oſtenderet

ostenderet, Filium enarrasse docet, quem falli vtique impossibile est, quia in sinu Patris est. Sinus autem Patris quid est, nisi affectus in charitate veri Patris per naturę vnitatem in Filiũ? Quamobrem nemo vidit Deum, nisi vnicus Filius. Hoc Ioãnes Apostolus Filium Dei audiuit dicẽtem inter alia, Non quia Patrem vidit quisquam, nisi qui est à Deo, hic vidit Patrem. Vt ergo ad cõdemnationem proficeret Iudęorum, qui Christum Dei Filium audire nolebãt vel credere, ostẽdit Euãgelista hunc esse Christum, qui patribus apparuisset in Deum: illum autem qui Pater est, nunquam videri nisi à Filio. Quãdo enim Deum Patrem negat visum, & Deum apparuisse patribus profitetur, manifestare se vult Dei Filius, quia ipse sẽper in Deum visus à patrib⁹ est. Vnde inter cætera di-
Ioannis 5 cit Iudæis de Patre, Neque vocẽ eius audistis aliquãdo, neque figuram eius vidistis. Ecce nõ est contrarium, & visum & inuisum esse Deũ.

Apocal. 10 *Quando legitur in Apocalypsi Ioannis, Vade, inquit, & accipe librũ de manu Angeli, & deuora illum, & amaricabit vẽtrem tuum: sed in ore tuo erit dulcis sicut mel. Quis iste liber est, qui amarum facit ventrem, quum sit dulcis?*

72 Omnia Diuina volumina amara sunt, sed perfidis atque carnalibus. Idololatris enim insuaue est, cùm audiunt vnum Deũ prędicari in Christo. Et Fotinus simul pertimescit horrore correptus. Erubescit etiam Sabellius audiens Patrem esse, qui Filius dici non possit: quia ab ipso sunt omnia. Filium autem idcirco Filium appellari, quia non vtique Pater ipse est, sed de Patre: nec à quo, sed per quẽ sunt omnia. Confutatur & Arrius, cùm legit Christum verum esse Filium Dei: sine dubio enim verus dici nõ posset, nisi propriè esset de Deo. Conuincitur
Ioannis 1 & Marcion addiscens, quia Verbum caro factũ est, qui putat Christo carnem negandã. Arguitur etiam improbus Manichęus, videns scriptũ ab Euangelista, quia Saluator non solùm præsentia sui nuptiarum vota decorauit, verumetiam poculis honestauit: qui nuptiarum aditus intercludit, & promiscuè conuenire hortatur. Hæc continentur in libro, quem accepit Apostolus deuorandum. Hic liber Euangelium κατὰ Ioannem intitulatur, quod non solùm malè sentientibus amarum est, verumetiam indisciplinatis, qui nolunt corripi, vt in peius proficiant. Ista reuelatio eo tempore facta est, quo Apostolus Ioannes in insula erat Pathmo, relegatus à Domitiano imperatore fidei causa. Tunc fuit in spiritu, vt posset videre cælestia: & dum hæc ei ostenduntur, quæ futura sunt causa impietatis & stupri & cæterorum, datus est illi liber, qui dulcis quidem erat in ore, sed amarum faceret ventrem, vt ex iis qui videntur vnius corpus esse hominis, istis dulcis esset, qui propter quod integræ professionis sunt, in ore significati sunt: hoc enim dulce in ore est, quod vnum est. Illis autẽ qui hæretica prauitate carnaliter viuunt vel sentiũt, propter quod in vẽtre significati sunt, amarus. Accusabit enim eos in die iudicii Dei. Post reuelationem ergo Euangelium iussus est scribere, propter hæc quæ suprà diximus. Et Ezechieli Prophetæ simili- Ezech. 3
ter dictum est, vt acciperet librũ, qui esset dulcis in ore eius, quando perfidiam populi missus est increpare.

Quid est quod Simeon dicit ad Mariam matrem Domini inter cætera, Hic positus est in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur multorum cordium cogitationes. Lucæ 2

Simeon vir sanctus, & Diuinis oraculis cõ- 73
mendatus per Spiritum sanctum locutus est, quid futurum esset hominibus ex causa Christi, vt ruina iis esset, qui cùm sibi viderẽtur stare per obseruantiam & peritiam Legis: diffidentia tamen operum Christi caderent, desolati à promissione patrum. Illis autem qui nullius propè dignitatis essent in Lege, credentibus verò in Christum, resurrectio in Israel, vt digni Deo fierent, qui prius indigni & inutiles erant, & reprobarentur qui aliquid esse putabãtur. Hoc est, quod alio loco dicit Dominus, In iudicio ego veni in hunc mundũ, vt qui non Ioannis 9
vident, videant, & qui vident, cęci fiant. Denique non Legis doctores, non Pharisęi, nõ Scribæ secuti sunt Christum: sed piscatores homines imperiti & rusticani. Hinc est vnde dicit Dominus, Pater, gratias ago tibi, quia abscon- Matth. 11
disti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Quod autem adiecit, dicens, Et tuam ipsius animam pertransibit gla- Lucæ 2
dius, vt reuelentur multorum cordium cogitationes: hoc vtique significauit, quia etiam Maria, per quam gestum est mysterium incarnationis Saluatoris, in morte Domini dubitaret: ita tamen vt in resurrectione firmaretur: omnes stupore quodam in morte Domini dubitarent. Quis enim non ambigeret vidẽs eum, qui se Filium Dei dicebat, sic humiliatũ, vt vsque ad mortem descenderet? Et quia, vt dixi, omnis ambiguitas in resurrectione Domini recessura erat, pertransire dixit gladium, non supercadere, aut contingere transeuntem membrum aliquod. Vt sicut gladius missus pertransiens iuxta hominem, timorem facit, & tamen non percutit, ita & dubitatio mœstitiam faceret, non tamen occideret: quia nõ sedit in anima, sed pertransiit quasi per vmbrã contingẽs corda discipulorũ. Denique Cleophas, & alius Lucæ 23
discipulus Emaus euntes, in via tristes, dixerũt inter cętera ipsi Domino, nescientes quia Dominus est, Nos putabamus, quia ipse erat qui incipiebat liberare Israel. Dubitauerunt: sed statim agnito Domino transiuit dubitatio. Sicut dictũ est & de Ioseph, Quia ferrum pertrã- psalm. 104
siuit animam eius. Hoc est mortem euadere: quia dubitare de Deo, vel de Christo mors est. Ac per hoc qui desinit dubitare, euadit mortem.

Quid sibi vult vt Esaias Propheta dicat de Christo, Qui peccatum non fecit: contrà autem Apostolus Eum qui peccatum, inquit, nescichat, pro nobis peccatum fecit. Esaiæ 53

74 Quantùm ad sensum pertinet, quæstiones diuersæ sunt, sed verba similia: ex parte quidem similia, ex parte verò discrepantia. Fecit enim, & non fecit, contrarium est: nesciebat & non fecit, simile est. Propheta ergo ex persona Christi loquutus est, Quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Apostolus verò loquitur de persona Dei Patris, Qui eum, id est, Christum, qui peccatum nesciebat, pro nobis peccatum fecit. Quod duplici modo intelligendum est. Primùm enim fecit illum peccatum, dum incarnari illum voluit, vt quem sors non tangebat, de peccatrice carne corpus acciperet, per quod dicitur factus peccatū. Deinde dum offert eum pro peccatis, fecit illum peccatum. Hostia enim in Lege pro peccatis oblata, peccatum nuncupabatur. Non ergo Christus peccatum fecit, sicut dicit Propheta: sed à Patre ipse peccatum factus est, sicut ostensum est. Offerre autem Christum pro nobis quid est, nisi dare potestatem volenti eum occidere? Quod ideirco concessum est, quia profuturum erat vt esset causa descēdendi ad inferos, vt spoliaret tartarum animabus. Superabundans enim & inauditum peccatum est, occidisse eum, qui non solùm nullo genere peccauerat, sed & multis vitā donauerat. Hoc peccato reus factus diabolus, cōtradicendi audaciam perdidit. Nam simile aliud ad Galatas in Epistola legitur. Inter cætera enim, Factus, inquit, pro nobis maledictum. A quo factus, nisi à Patre? Iudicio enim Dei crux Christi maledictum est Iudæorum. Peccatum enim illorum exclamat mors Saluatoris. Crucifigi ergo se permisit, vt passio eius proficeret nobis, vt hinc cum signo eius exeūtes, à secunda morte minimè teneremur. Metuit enim mors etiā seruos eius, à quo victa est. *Galat.3*

Cur Saluator pro se tantùm & Petro didrachma soluit, non etiam pro cæteris Apostolis: quippe quum omnes eum relictis omnibus subsecuti sint, pro omnibus soluere debuisse videtur.

75 Didrachma capitum exactio intelligitur, non prædiorum. Nec enim Saluator aliquid possidebat in mundo, cùm sit Dominus mūdi. Mortuus enim alienis impendiis sepelitur. Et nos à quibus mundus extraneus est, facultates augere cupimus, vt morientes mundum à nobis inuasum, non tantùm voce, sed & literis contestemur, vt professione nostra ab eo cuius mundus est, condemnemur. Hinc Dominus, Qui nō, inquit, reliquerit omnia, & secutus me fuerit, non potest meus esse discipulus. Quicunque ergo sic habet facultates suas, vt spem in illis non habeat, paratus autem sit pro fide illas abiicere: viam ambulat, qua itur ad Christum Dominum nostrum. Didrachma ergo ab iis exigenda erat, qui aliquid negotii gerebant, aut artibus operam dabant. Saluator autem, quia nihil horum curabat, neque discipuli eius, exigenda ab eo vtique non erat. Sed quia inimicus diabolus semper in insidiis erat, occasionem quærens, si posset inclinare Saluatorem, exactorum didrachmæ animos occupauit, vt eius facerent voluntatem, accedentes ad Petrum, qui primus inter Apostolos erat, solui debere ab eorum Magistro dicerent didrachmam, qui ab eis oneribus liberi erant. Nihil enim agebant in mundo, quod esset mundi. Vt quia non erat, vnde solueret, aut iis scandalo esset, aut certè humilitate suffragii quæreret, à quo solueretur. Tunc Dominus vt improuidum diabolum aduersus semetipsum semper machinari ostenderet, ad mare ire Petrum Apostolum iubet, & capti piscis os aperire, & illic inuenire nummum exactioni debitum: quo soluto, non solùm scandalum non esset exactoribus, neque inclinaretur requisito auxilio ad soluendum: verumetiam signum virtutis maximæ demonstraret, per quod captos à diabolo ad se traheret, vt argumento & astutia sua diabolus torqueretur. Dicunt ergo exactores didrachmę ad Petrum Apostolum, Magister vester non soluit didrachmam? &c. Quo dicto, Magistrum, vt pro omnibus discipulis solueret, conuenerunt. Saluator autem quum pro se & Petro dari iubet, pro omnibus exoluisse videtur: quia sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterii, ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici. Nam inter cætera dicit discipulis, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Et Petro dicit, Ecce satanas expostulauit, vt vos ventilet sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu tandem conuersus confirma fratres tuos. Quid ambigitur? Pro Petro rogabat, & pro Iacobo & Ioanne non rogabat, vt cæteros taceam. Manifestum est in Petro omnes contineri. Quia & in alio loco dicit, Ego pro his rogo, quos mi hi dedisti Pater, & volo vt vbi ego sum, & ipsi sint mecum. *Matth.17* *Matth.26* *Luc. 22* *Ioannis 17*

Quid est quod Ioannes in Euangelio, Lex, ait, per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est? Ergo gratia & veritas ante non fuit: quomodo ergo Lex à Deo data dicitur, in qua veritas non fuit?

Non sic passim prætereundum est, sed consyderandum est quid sit, Lex per Mosen data est. Per Mosen enim Lex data manifesta habet præcepta: sed scripsit & historiam, quæ & ipsa Lex appellatur. Et videamus quid in præceptis eius: non erit fortè verum quod dicit, Non occides, Non fornicaberis, Non furtum facies. Talia sunt & cætera. Nam historia eius, quia ante aduentum Christi veritas non erat, hoc manifestum est. Etenim quæ sub velamine erant, quid significarent incertum erat. Quū autem per Christum manifestaretur, cuius persona sit, quæ dicit in Genesi, Faciam hominē ad imaginem & ad similitudinē nostrā, & qui est qui fecit, & qui fuerit, qui in rubo à Patriarchis visus sit, & qui in petra operatus sit, 76 *Exod.20* *Genes.1*

fit, qui dedit aquas in deserto: quia Petra (inquit) erat Christus. Sic fuit veritas per Christum, quando ea quæ latebant, aut in dubium veniebant, quid significarēt à Christo ostēsum est. Nam inter cætera Dominus ait, De me scripsit Moses. Hoc prius latuit: error enim erat. Putabatur enim Deus Pater, qui erat Filius, & qui æstimabatur Angelus, cognitus est esse Dei Filius: & promissio facta fuerat Abrahæ, quæ quandiu non reddebatur, in ambiguo erat. Cùm autem veniente Christo reddita est, facta est veritas, quando & quod promissum est redditum, & cœpit sciri quod erat promissum. Promittētis enim fides tunc vera probatur, cùm exoluit promissum. Ioann.8

Quid est quod inter cætera dicit Marcus Euangelista de Christo, Intransiit domum voluit neminem scire, & non potuit latere. Si ergo voluit & nō potuit, infirmata eius voluntas videtur.

77 Impossibile prorsus est, vt Saluatoris voluntas nō impleatur: nec potest velle quod scit fieri non debere. Idcirco quod factum est, hoc voluisse dicendus est. Nam voluntas eius nunquam extra naturam eius est. Sicut ergo natura eius in reprehensionem non cadit, ita nec volūtas. Nam quod proponitur, factū legitur in finibus Tyri. Tunc intrauit in domum, & neminem voluit scire. Nunc requiritur quomodo vel quare neminē voluit scire. Animaduertendum est enim, quia istud in finibus gestum est Gentiliū, quibus adhuc tempus prædicandi non erat. Denique mittens discipulos suos præcepit dicens, In viam Gentiū ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne introieritis: sed ite potius ad oues quæ perierūt domus Israel. Idcirco noluit se prodi, quòd esset in domo: requiri autem se nō noluit, sed libenter accepit. Quanuis enim tempus non esset prædicandi Gentilibus, vltrò tamen venientes ad fidem nō susciperet, inuidiæ erat. Sic factum est, vt dum Saluator à discipulis proditus non esset, ab aliis tamen qui eum ingredientem domum viderāt, proditus est, & cœpit sciri quòd esset in domo, vt intrarēt ad illum qui vellent consequi beneficia. A suis ergo noluit prædicari, quòd esset in domo. Requiri enim se voluit, & ita factum est. Non enim latuit ab aliis demonstratus, quòd esset in domo. Denique mulier Chananæa audiens de illo, intrauit ad eum, deprecans vt expelleret dæmoniū à filia eius: quæ nisi prius subiecisset se Deo Iudæorum, beneficium consecuta non esset. Impleta ergo volūtas Saluatoris est, secundum quæ explanauimus. Ea enim quæ compendio breuitatis studens Euangelista complexus est, discutientes inuenimus quod latebat. Marc.7 Matthæ.20 Matthæ.15

Quum legatur in Euangelio Ioannis quòd cùm negasset se Saluator ascendere ad diem festum, ascendit: hoc inconstantis esse videtur.

78 Sēper breuiata propositione sensū occultas. Nā hoc quod in quæstionē vocas, tūc factū est, quādo in Galilæa posit⁹ propter tumultū Iudæorū, fratribus suis adhuc nō credentibus sibi, cōpellebatur ascendere in Iudæam, quia futurus erat dies festus Iudæorum, vt seditionem patefieret. Ipse autem respondit eis dicēs, Vos ascendite ad diem festum istum, quia mūdus vos non odit, me autem odit, quia arguo opera eius. Ego non ascendam ad diem festum hunc, quia tempus meum nondum impletum est. Tunc fratres eius ascenderunt ad diem festum: ipse verò mansit in Galilæa. Post autem & ipse ascendit ad diem festum. Quid videtur contrarium quando non tunc ascendit quando negauit, sed ascendit postea? Et ascendit nō quasi ad diem festum, sed quasi ad litem. Illi enim omnes lęti ascēderunt, quasi ad perfruendas delitias diei festi. Certū est ergo, quia non ascendit ad diem festum Saluator. Is autem ille fuit dies festus, quo passione sua redemit mundum. Denique dicit, Nunc clarificatus est Filius hominis, & Deus clarificatus in eo. Hic dies festus eius est, in quo vicit mortem. Ioan.7 Ioan.13

Si proprio arbitrio viuimus, quare Saluator dixit, Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum? Et cō sentiens his Apostolus. Neque volentis, inquit, neque current is sed miserentis Dei est. & Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Quomodo voluntatis arbitrium liberum est, quando alterius nutu aut ad bonum ducitur aut ad malum? Ioan.6 Roma.9

79 Aliter causa se habet quàm proposita est. Non enim hic quęstionis huius sensus est, quē obtendis. Nam nullo genere ex his liberi arbitrii poterit causa turbari: quia si penitus sēsum dictorum aduertas, scies hinc magis arbitrii liberi firmari sententiam. Hæc enim contra mā leuolos Iudæos prolata sunt. Cùm enim dolo simulationis ortæ ex inuidia, Ioseph patrem propriū & filios eius fratres assererent Saluatoris, ne Dei esse Filius crederetur, tunc Saluator ait, Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me attraxerit eum. Quomodo autem Pater attrahebat ad Filiū, nisi per opera quæ faciebat per illum? Sic enim dicit. Pater manens in me, ipse operatur: vt opera hæc attraherēt ad fidē Christi. Virtutes enim quas faciebat Saluator, ipsæ suadebāt Deum esse Patrem Christi, vt qui alium patrem habere illum diceret, non attraheretur à Deo ad Christū. Ideo ergo De⁹ operatur per Christū, vt verbis eius fides commendaretur, quibus dicebat se Filiū Dei. Hæc est attractio nostra, non violētia, sed testimonium Dei in Christo, cui qui credidit, attract⁹ dicitur ab eo ad Christū. Nemo enim Saluatori credit, nisi qui Patrem illius proprium dicit Deum. Nā Apostolus non vt arbitriū pulsaret hæc fatus est, quæ in quęstionem redegisti, sed vt iudicium Dei retractari prohiberet, hæc dicit, iustum prædicans Deum: scit enim cuius debeat misereri. Cordis enim inspector, quidet postulātis mentem an mereatur accipere. Denique dicit per Prophetam, Plebs hæc labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Nam simulatoris animum iustum est, vt Ioan.14 Esaie 24

obduret. Qui enim non per errorem, verum vocat falsum, sed per maleuolentiam, aut intelligens bonum, finxit se nescire quod bonum est, vt conuertat illud in malũ: hoc vtique debet illi præstari vt verè non intelligat bonum, ne saluetur, quod non vult. Nec enim iustũ est, vt inuitus saluetur, qui non per ignorantiam salutem spernit, sed per malitiam vel inuidiam. His igitur cõfirmatur magis liberũ arbitrium quàm destruitur, vt vnicuique pro voto suo respondeatur.

Qui certè aut filius Dei quisque sit aut diaboli semper ergo filius est, sed aliquã do Dei, aliquando veri diaboli, quid ergo nascimur, requirendum est.

80 Dominus cùm filii Israel sæpe delinquerent educti de Aegypto, iratus sententiam dedit dicens, nullum illorum intraturum in terrã promissionis, excepto Caleb & Iosue filio Naue, qui prius Auses dicebatur. Eos autem qui nati fuerant in deserto, ipsos dixit intraturos, eò quòd nescirẽt bonum aut malum. Nescire autem bonum aut malũ simplicitas quædam est naturalis, quæ neque ad bonum neque ad malum erudita est. Hæc est ignorantia sine malitia. Sine sensu enim nascimur: sed natura nostra hoc bonum habet, quòd capax est edisscere veritatem. Filius autem diaboli est, qui natus malis rebus imbuitur, vt his studeat quæ inimica sunt Creatori, multos asserẽs deos, & his immolandum quasi mundi rectoribus. Hic si respiscat, & iuxta naturam sentiat, ad Creatorem se conferens, filius Dei erit: ac per hoc neque filii Dei sunt qui nascuntur, neque filii diaboli. Quid enim dicit Saluator Iudæis? Vos de patre diabolo estis, & concupiscentias patris vestri vultis facere. Vides ergo operibus & cõfessione filios creari diabolo, hos autẽ esse Dei, qui confitentes propriũ esse Deum patrem Christi, rectè versantur. Sic enim Deus instituit genus nostrum, vt sine sẽsu nascamur: possibilitatem tamen habeamus discendi, siue bona siue mala, vt ipsi nobis aut mala acquiramus aut bona, vt lætemur in nobis cùm rectè agentes remuneramur, aut ipsi nobis imputemus si praua sequentes condemnemur.

Num 14

Ioann. 8

Quum Apostolus dicat, Nos natura Iudæi, de Iudæis ergo nasci Iudæos ostendit, non de proselytis dico, quos constat fieri Iudæos. Denique quia in eremo nati sunt, non sunt circũcisi, & tamen Iudæi erant, Nõ ergo circũcisio Iudæum facit, sed nativitas. sub Dei creatoris deuotione progenita. Si ergo de Iudæis Iudæi nascuntur, quare non etiam de Christianis Christiani? nam & de paganis pagani nascuntur.

81 Non omne quod nascitur, hoc est vnde nascitur, Nam & aurum de terra nascitur, & non tamen terra est. Et gemmæ & alia multa. Et de ligno esca nascitur, & de ouo pullus. De paganis autem vt pagani nascantur hæc facit causa: quia enim omnis paganus in ignorantia est, & qui nascitur ex eo sine sẽsu est, ambo ignorantes sũt. Sed hoc interest inter vtrũq; , quia qui generat, sine dubio blasphemus est, ac per hoc filius diaboli est: natus autem infans nescit blasphemare, sicut nescit benedicere: paganus tamen est quia sine sensu est. De Iudæo autem idcirco Iudæus nascitur, quia sub Creatoris deuotione generatur. Sicut dixit Adam de Cain, Procreaui hominem per Deum. Sicut enim pagani indeuoti Creatori, dæmoniis gratias agunt in omnibus quæ agunt: ita & Iudæi Deo creatori supplices, imperfectè laudant eũ in omni actu suo: in eo despiciẽdi, quia nõ cognoscunt Christum, per quem sunt omnia. Hoc etiam modo de Iudæo Iudæus nascitur. Non enim sicut quibusdam videtur, quia circuncisio facit Iudæum. Circuncisio enim signum Iudaismi est, non Iudaismus: quia non Abrahæ circuncisio iustitia est, sed signum iustitiæ, vt nati ex Abraham signum haberent, per quod probarẽtur filii esse Abrahæ. Quippe cùm ex Iuda Macchabæo hoc nomine sint appellati, vt non solùm ex Iuda, sed & cæteri ex omnibus filiis Iacob Iudæi vocarẽtur, propterea quòd Iudas dux fuerit eis. Ideóque nati Iudæi signum accipiunt, vt qui sunt intelligantur. De Christiano autem ideo non nascitur Christianus, quia ipse qui generat, non natus, sed factus est Christianus. Quamobrem & iste qui nascitur, fieri oportet vt sit. Nec enim per substantiã nascitur, sed per fidem, quæ iam natis accedit. Ignorantia enim cum carne nascitur, fides autem postea spiritali ratione inseritur. Sed dicitur ecõtrà, Si factus vtique est qui generat, hoc iam debet generare quod ipse est, vt acceptа dignitas tra lucem faceret. Nam senatores generant senatores: sed senatorum dignitas non habet apud Deum meritum. Neque ipsa natura, hoc est, substantia cõsequitur beneficium, sed in sola fama & sermone dignitas vertitur. Ac per hoc currit quidẽ sermo per traducem carnis, sed nihil aliud præstat quàm opinionẽ dignitatis. Sicut & ii qui cõsules sũt, aut statuis honestãtur, gaudẽt in vano. Christiani autem cùm fiunt, ipsi naturæ accedit dignitas, vt essentia ipsa hominis æternum habeat incorruptibilitatis beneficium, vt non opinio sola, sed & res sit in effectu apud Deum. Tale est istud, vt quis disertus pauper in laude sit, & egeat pane, aut reliquis necessariis. Hæc enim vera laus est, si sic illi proficiat quæsita dignitas, vt nullius egeat, dum hoc naturæ eius præstatur, vt per se ipsa viuat, & bene viuat nullo requisito suffragio. hoc est verè diuitem fieri & glorioſum.

Paganos elemẽtis esse subiectos nulli dubiũ est, & quod est ergo quod Apostolus dicit, Eramus & nos sub elemẽtis huius mũdi seruientes? Si itaque & Iudæi elementis erant seruientes, quid differebant à paganis?

Gen. 4

Ioan. 1

Galat. 4

82 Manifestum est additione, aut diminutione, siue immutatione vnius syllabæ sensum peruerti. Idcireo paganos elementa colere omnibus cognitum est: Iudæos autem non elementis, sed sub elementis Deo seruisse, propter neomenias & sabbata & circuncisionem

&

& cætera talia: hæc enim carnalia sunt. Quidquid enim visibile est, carnale est, & de elemẽtis est: sed quia ex præcepto Dei erat, Deo seruiebatur, vt ex visibilibus ad inuisibilia veniretur, & ex hac causa profectus fieret ad maiora capienda, vt in his meditati, digni fierent promissis spiritalibus. Ex ea igitur parte, quã suprà dixi, sub elementis seruiebant Iudæi: ex alia parte Legem habebant spiritalem, quæ & peccare prohibet, & exhortatur ad dilectionẽ Domini Dei, qui venturus eis fuerat promissus ad remittenda peccata.

Si per Christum salus & vera & perfecta cognitio, cur non ante venit vt & anteriores nostri, qui in ignorãtia fuerunt addiscerent veritatem?

83 Denique post aduentũ Christi multi saluati sunt, magis quàm prius. Vnde & si antè venisset multò plures saluati fuissent. Si ergo ita est, reprehensibile videtur, nulli misericordiam faciẽti calumniam fieri oportere. In potestate enim dantis est, quando vel quantum velit misereri. Exhortandus est enim huiusmodi & precibus prouocandus, non contentione à bono opere reuocãdus, & fortè non contradiceretur, sed pro hac misericordia vices illi aliquæ redderẽtur. An quis medicũ arguet, qui medicamẽta sua & officiũ suum gratis impendet, aut accusabitur tarditas eius ab eis à quibus non est requisitus? Hæc quidẽ diximus secundũ rationẽ, sed Saluatoris bonitas ista non curat propter imbecillitatẽ humanam: suã enim sequitur naturã ad faciendam misericordiam. Idcirco tunc venit quando debuit venire, voluntatis suæ rationem secutus, non meritorum nostrorum. Nam si merita perpendas, venire non debuit. Venit ergo quãdo & subueniri debere sciuit, & gratum futurum beneficium. Si autẽ ei cui necessitas imminet, antè subueniatur, erit quidem gratum, non tamen valde poterit scire quid sibi præstitum est. Si autem in ipsa necessitate posito auxiliũ ferat, sciet quale beneficiũ consecutus sit. De tribulatione enim ereptus, maiores gratias referet. Quomodo si esurienti offeras panẽ: si autem offeras cùm non esurit, non vtique tã gratum erit. Idcirco rectè factum est, vt non antè veniret Dominus. Primùm enim dimisit genus hominum vti voluntate sua, non sine testimonio sui: quia ex ipsa mundi fabrica per annua munera, quæ elementorum ministerio humanis vsibus exhiberi decreuit, intelligi & timeri Diuinitatem suã voluit. Quippe quũ etiam ex traduce primi hominis, deinde Enoch & Noe notitia eius esset in terris. Sed cùm languore quodam humani generis abolescere cœpisset cognitio Dei inter homines, & mores immutarentur, eligere dignatus est Abraham, in quo forma esset renouatæ notitiæ Dei & morum. Et cùm adhuc reuerentia segnior esset, postea per Mosen Legem literis dedit, quæ neque abolescere, & magis metum incuteret. Maior enim timor est vbi auctoritas manifesta est. Et quia acceptam Legem gentes spreuerunt, non se subiicientes ei, neque ii qui acceperunt seruauerunt eam, motꝰ Dominus misericordia, misit Filium suum, qui se pro illis offerens, mortem destruens, data omnibus remissione peccatorum, Deo Patri illos iustificatos offerret. Non enim posset descendi ad inferos, nisi per mortem. Nec ordo enim nec ratio poscebat eum, qui mortuus non fuisset, intrare ianuas tartari. Nõne si quis vult in terra sua barbaros decipere, immutat se in habitu illorum, vt putetur vnus ex iis, & sic explorat quomodo illos subuertat? Ita factũ est & de diabolo, quoniam malo more hominem subuerterat, vt in morte non remaneret, inuentum est remedium, quomodo quos malè tenebat amitteret, & subintraretur ei, & quem putabat se velut hominem occidisse, reperiret illum apud inferos Deum. Quo facto, reus inuẽtus, omnes quos tenebat amisit, & de cætero aperta est ad cælum via. Ecce quantum profuit aduẽtus Saluatoris, vt sciẽtes homines de quo periculo liberati sunt, sine cessatione gratias illi referant. Sed fortè econtrà dicatur, Si multi ante Legem & post Legem peccatis pressi, totos se carni dederunt, & digni fuerunt in tartaro remanere, sine dubio fuerunt qui deuotione & Creatoris reuerentia, vitam suam naturæ Lege frenarunt. Nunquid non etiam hi detenti sunt apud inferos, exuti hac vita? Si autẽ antè venisset post mortem Adæ, liberato Adam qui prior peccauerat, cæteris ad cælum aperiret viam, vt quia bene vixerant, agnito Creatore defuncti reciperentur in cælum. Damnum ergo est, quia non antè venit Christus? Damnum esse manifestum est: sed quære iustum, an iniustum sit. Solent enim damna iusta esse, de quibus queri non liceat. Nunquid fur deprehensus & iuxta legem in quadruplũ condemnatus, ausus est queri? Ac per hoc damnum, quod genus hominũ passum est, iustè factum est, vnde & permissum est. Quare & Saluator inter ipsa primordia venire non debuit. Cùm enim diabolus superbiret, homo factus à Deo positus est illi inimicus, vt auxilio Dei muniꝰ, quia impar erat, resisteret ei accepto mãdato. Diabolus autem solita subtilitate simulauit se ignorare quid præceptum esset à Deo, & inuenit Euam instabilem: postea autẽ promittens illi, quòd si interdictum contigissent, præstaret illis Diuinitatem, circunuenit eos. Tunc diabolꝰ superato homine triumphauit: hic victus genus suum subiecit peccato. Quãobrem iniustum erat victori violenter auferre spolia: quia Deus quod facit, iustè facit. Prẽterea cùm acerbè peccauerit homo, assentiẽs ei contra mandatum Creatoris, fieri se Deum idolatria admisit, per quod in Deum peccauerat: ideóque non illi statim debuit subueniri: quippe cùm pœnituerit. Nec grata ei fuisset misericordia, si non sciuisset quid mereretur. Quanquam enim omnia posit Deus,

illud facit quod conuenit rationi, vt irreprehensibilis perseueret.

Quare Lunæ cursus in ratione Paschæ custodientes Paganos reprehendimus: quia dies lunares & motum custodiunt.

84 Absit à Christianis ne sydera venerari dicantur, quibus indulta est spiritalis cultura, vt despicientes quæ vident, iis quæ inuisibilia & supercælestia sunt copulentur, & hæc omnia trãscendãt, futuri cum Angelis Dei. Nã & syderum cultores, aut cum ipsis erunt, aut infrà ipsa. Quomodo enim fieri potest, vt aliquis super hæc sit quæ colit? Pagani itaque non computum Lunæ obseruãt, sed Lunam ipsam velut deam venerãtur. Et effectus curriculorum eius apprehendisse se arbitrantes, quid certis diebus agendũ, quidve cauendũ sit decernunt imperio eius, quasi vitam & conuersationem suam ordine quodam subiicientes: quos quia extra Dei ordinationẽ hæc ausi sunt vsurpare, falli frequenter deprehendimus. Hæc enim luminaria in signa temporum Deus constituit. Vnde & nos numerũ Lunæ custodimus, non illamipsam excolimus, vt à quartadecima luna, quæ nobis secundum Legem prima est, rationem Paschæ obseruemus. Omnia enim plena Deus instituit: ideóque à quartadecima vsque ad vigesimamprimam, his septem diebus Pascha nobis celebrare concessum est, vt de his septem, aliqui dies à parasceue vsq; ad resurrectionẽ Domini concludantur: vt neque tertiadecima in passione sit, neque quartadecima in resurrectione, aut quĩtadecima. Nam ante vigesimamprimam secũdum nos lunam, passio Christi fit & resurrectio eius: nam primo die quo cœptus mundus est. Omnia enim mundi tempora vnius hebdomadæ curriculis numerantur, quia his Deus mundi membra & ornamenta composuit. Sex enim diebus mundũ aptauit, & septima cessauit, quã Sabbatum appellauit. His enim septẽ diebus totius mundi ratio & numerus continetur. Semper enim in se redeuntes, multiplicant numerum temporum. Post sabbatum enim à primo die repetit semper vsque in diem septimum, id est, sabbatum, vt resurrectio Domini primo die inchoati mundi facta discatur, qui dies Dominicus dicitur. Ipsum enim fecit Dominus vnum cum vespere, & in septenarium numerum euolutus, incipit iterũ, vt sit post hebdomadam primus. Quod ita decretum ab initio est, propter sacramentum incarnationis Domini, & passionis, & resurrectionis. In corpore enim Domini totus propè mũdus resurrexit, & instauratus est. Absolutum est non nos lunã colere, sed numerum, qui per lunæ cursũ institutus est, custodire. Diabol⁹ autẽ, qui est satanas vt fallacię suę auctoritatem aliquã posit adhibere, & mẽdacia sua veritate colorare: primo mẽse quo sacramẽta Dominica sũt celebrãda, quia non mediocris potentiæ est, paganis quæ obseruarẽt instituit mysteria, vt animas eorũ duabus ex causis in errore detineret, vt quia præuenit veritatẽ fallacia, melius quiddam fallacia videretur, quasi antiquitate præiudicans veritati. Et quia in primo mense, in quo æquinoctium habent Romani, sicut & nos, eaipsa obseruatio ab his custoditur, ita vt etiam per sanguinem dicant expiationem fieri, sicut & nos per crucem. Hac versutia paganos detinet in errore, vt putent veritatem nostram imitationẽ poti⁹ videri quàm veritatẽ, quasi p ęmulationẽ superstitione quadam inuentã. Nec enim verum potest, inquiunt, æstimari, quod postea est inuentum. Sed quia apud nos pro certo veritas est, & ab initio hæc est, virtutum atque prodigiorũ signa perhibent testimoniũ, vt teste virtute, diaboli improbitas innotescat. Quoniam enim sola est quæ facilè suadeat: hæc contra versutiam & præuentum diaboli posita est, vt simulationem eius reuelet. Nemo enim etiam inimicorum negare audeat illic esse veritatẽ vbi veritas apparet. Cũ Apostolus dicat omnia in figuris Iudæis cõtigisse, vmbras præterea fuisse cuncta præterita, sunt qui non dubitent, cùm sciant Christum nõ nisi semel esse passum, cõtendere pascha verum non nisi semel gestum esse, quando figurarum corpus fuit Christus occisus. Nam etsi ouis, quam Lex ad pascha describit, non potest adscribi vt sit ex ouibus & hœdis: discordat enim horum animalium ad coniunctionem communis fœt⁹ ipsa natura, quomodo potuit pascha verum geri, cùm defuerit Agn⁹ tũc ille qui paschà est? Et si Christus ex iustis, id est, ex ouibus, & peccatoribus, id est, ex hœdis, secundum carnem nascitur, hic est solus Agnus ille qui quæritur, quíque dum non amplius quàm semel occiditur non amplius secundum veritatem celebratum perfectum illud pascha monstratur. Figuræ igitur, vt diximus, tunc temporis fuerunt. Nam agnus eligitur, vt simplicitas & innocentia designetur. Masculus quæritur, vt inuictus comprobetur. Immaculatus, vt sine crimine. Anniculus, vt exacto prædicationis tempore. Perfectus, vt instructus omni virtutum genere. Mense primo, vt totus annus à primordio Christo consecretur. Quartadecima mensis, vt lumine veritatis impleto, erroris nox operiatur. Ad vesperam, vt seculi occasus imminens approbetur. Iecto fermento, vt à corde peruersæ mentis malitiæ corruptio tollatur. Oblitis sanguine liminibus domorum, vt figura Dominicæ passionis fronte signetur. Igne assus, est enim Euangelium & sermo Christi robustus cibus: nec est enim madidus. Non est enim delicatæ interpretationis humido languore soluendus. Nihil prætermittitur: nihil enim in Christo omnino reprobatur. Ossa non conterentur, quia nec comminui, id est, vinci in quoquam Christus potest. Quicquid superest, Diuinis ignibus imponitur, id est, quæ quis capere non potuit, Christi Diuinæ scientiæ remittit, eorum tantùm quæ manifesta sunt pro viribus epulatur

Quæstiuncula de Paschate & interpretatione agni vnius diuisi non immolati. 1. Cor. 10. Exod. 12

tur inuentis. Nã & quòd ſtantes edunt, forma eſt ne quis cadat, aut ne quis in Euangelio ad neceſsitatem proſternatur: ſed ingentis animi robore contra perſecutionũ prælia inuictus, id eſt, ſublimis & erectus aſsiſtat. Nã quòd ſuccĩctis lũbis, Euangelicæ ſignum continentiæ eſt, dum locus ſeminũ coercetur & conſtringitur. Additis baculis, Spiritu ſancto, quo quis innitur. Pedib⁹ calceatis, id eſt, lubrico erroris eiecto, dum prouectione ad fidẽ cæleſtium, quaſi ferratis præſidiis in Euangelio cuncta ſunt fixa, firmiſsima veritate ſolidata. Stantes etiam: feruentes enim & ſolertes in fide probantur, tepidi & negligentes reſpuuntur & euomuntur. Cum armis ſumuntur: Chriſtus enim cum armis ſimplicis animi pura ſimplicitate ſumitur. Cum pigridiis ſiue lactucis agreſtibus: etenim hoc Paſcha in Iudæorũ damnationẽ & acerbiſsimas amaritudines ceſsit. Non niſi circunciſis datur: purgatis enim ſolis & lauachro indulgentiæ cæleſtis expiatis, percipiẽdi Chriſti corporis ſacrati cibi facultas porrigitur. Itaque quæ figurata in Iſraelitis fuerant, in nobis corroborata ſunt. Et quę in illis imagines, in nobis ipſæ ſunt veritates. Imitabãtur illi facere Paſcha, dum in ſimilitudinibus exercerentur, ſolis diſcipulis Chriſti verum Paſcha facturis. Non hi qui pecudum pertractant córque iecúrque: Sed quorum emundat prudens præcordia virtus, Excludens poſitam ſubter labem vitiorum: Remigio poterunt cælum penetrare ſecundo, AEthera iam vacuũ & lætis tranſcurrere pennis.

Quid eſt vt quum conſtet à Dauid vſque ad tranſmigrationem Babylonis decem & ſeptem eſſe generationes, Euangeliſta quatuordecim dicat, prætermiſsis Ochoſia qui poſt Ioram eſt, & Ioas filio Ochoſiæ, & Amaſia filio Ioas.

85 Nihil Euangeliſtam quàm ſenſum Legis ſecutum credibile videri debet. Ideóque non immeritò hi ab Euangeliſta ſublati ſunt de numero cæterorũ. Sic enim horum continuauit impietas, vt malignum eorum nullum interualum haberet. A Ioram autem cœptum malignum, ſic perãbulauit vſque ad Oziam filium Amaſię, vt nullius lateris eſſet ſuffragiũ, quo expertè merito patris aliquis horũ remaneret in numero regum. Nam Ioram malignè agens, merito Joſaphat remiſſus in numero eſt. Illorum autẽ triũ continuata malignitas in Deum eſt. Salomon quoque merito patris remiſſus in regno eſt. Et Roboam filius Salomonis malignè agens, merito Aſa relictus eſt in numero regum. Illi autem tres in medio malorum concluſi ſunt malignè agentes, ideo eraſi ſunt. Peius enim à perditione generis exemplum eſt, quãdo ſe iugiter malignitas pandit. Et vt propriè dicam, propterea quòd ex traduce eorum nõ eſt Joſeph, prætermiſsi ſunt. Ab Abraham enim horum generationẽ ſecutus eſt Euangeliſta, ex quibus originem trahit Joſeph, cui deſponſata eſt Maria quæ genuit Chriſtum.

Quid eſt quod probet Mariam matrem Dominiex tribu & ſemine eſſe Dauid.

Idonei teſtis proferemus ſermonem. Dicit enim Angelus ad Mariam inter cætera, Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Quomodo diceretur ab idoneo teſte, pater eius Dauid, ſi non eſſet Maria ex ſemine Dauid? 86 Luc. 1

Si vnus eſt Deus, cur in tribus ſpes ſalutis eſt, & non in duobus, aut quatuor, aut certe in ipſo vno, & quare non eſt ab initio Trinitas prædicata.

Nihil penè nouum effectum eſt: ſic enim Trinitas prædicatur, vt vnus Deus credatur. Non ergo additum eſt aliquid, ſed ſacramentum Dei vnius reuelatum. Inter ipſa autem primordia manifeſtari non oportuit, quia prius prædicandum, & poſtea id quod prædicatum eſt reuelandum, vt ſcias Patrem eſſe, à quo cuncta ſunt: Filium vero dici, per quem ſunt omnia: Spiritum autem ſãctum appellari, per quẽ omnia, quæ à Patre quidem, ſed per Filium ſunt, regenerantur ad fidem Dei vnius. Hi ergo tres ſunt quidem, ſed vna Diuinitas. Ratio igitur facit vt tres ſint, non plures aut infrá. Omnis enim numerus vſque ad nouem peruenit, quia tres dum inuicem in ſe ſunt, faciunt numero nouem: quia in vno tres ſunt, & tres ſunt vnum. Qui enim videt vnum, videt tres, dum nihil differt alter ab altero. Tres ergo vnum, & ter tres vnum. Hæc enim in nono numero perfectio eſt, quantùm ad numerum pertinet, quia de vno ſunt omnia. Addito enim vno, ex quo vel in quo tres, qui numerãtur nouẽ, fiunt decem vel viginti. Sẽper tamen vſq; ad nouem venitur, & vnus additur: quia nouẽ vnũ ſunt, vt plena perfectio ſit vnitatis. 87

Si maior gratia & manifeſtatior intelligentia in nouo eſt quàm in vetere Teſtamento, quare Eſaias Propheta ſedentem in throno maieſtatis vidit Deum ſabaoth, qui eſt Chriſtus, iuxta interpretationem Ioannis Euangeliſtæ. Dixit enim inter cætera, Hæc locutus eſt Eſaias quando vidit maieſtatem eius, & locutus eſt de eo. In Nouo autem Stephanus primus Martyr ſtãtem ſe vidiſſe dicit Ieſum à dextris Dei. Quid eſt iſtud, vt hic ſubiectus videatur poſt triumphos, & illic quaſi Dominus antequam vinceret? Eſa. 6 Ioan. 12 Act. 7

Prout cauſa erat, feciſſe ita & Dominus ſe oſtendit. Prophetæ enim viſus eſt, quaſi rex corripiens plebem, & hoc ſe oſtendit quod erat, hoc eſt, ſedentem. In pace enim erat cauſa Diuinitatis eius. Stephano autem vt ſtans appareret, fecit calumnia Iudæorũ: In Stephano autẽ Saluatoris cauſa vim patiebatur. Ideo ſedẽte iudice Deo, ſtans apparuit, quaſi qui cauſam diceret: & quia bona cauſa ei⁹ eſt, ad dexteram iudicis erat. Omnis enim qui cauſam dicit, ſtet neceſſe eſt. 88

Quomodo accipiendum eſt quod Saluator inter cætera dicit de Spiritu ſancto, Quòd veniens, inquit, ille arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De iuſtitia vero, quia ego ad Patrem, & iam non videbitis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iudicatus eſt.

Cauſam quidẽ videtur dixiſſe arguẽdi mũdi, ſed indiget explanatione. Cùm Saluatori 89

non crederent Iudæi neque mundanæ poteſtates: quia non ſolùm hominibus ſe manifeſtari voluit, ſed & principibus & poteſtatibus in cæleſtibus, ſicut docet Apoſtolus in Epiſtola
Epheſ. 3 ad Epheſios, poſt paſsionem ſuam vera ſe locutum Spiritum ſanctum probaturum oſtendit. Et hoc eſt arguere mundum, oſtendere illi vera eſſe quæ credere noluit. Credere enim noluit à Deo veniſſe Saluatorem. Saluator autem ſeruata iuſtitia, non trepidauit reuerti ad eũ qui ſe miſerat: & per id quod regreſſus eſt, probauit ſe inde veniſſe. Quia nemo (inquit)
Ioann. 3 aſcendit ad Deũ, niſi qui deſcendit à Deo. Videntes ergo poteſtates aſcendere eum, cõfuſæ ſunt, videntes verum eſſe, quod velut falſum ſpreuerant. Itaque iſta iuſtitia arguit eos, quia iuſtum probatum eſt, quia regreſſus eſt vnde venerat. Sic autẽ arguit eos de peccato, quòd non ſolùm credere ei noluerunt, ſed & occiderũt eũ. De iudicio verò ſic eos corripuit, dum oſtendit principẽ mundi reum factum & comprehenſum ab eo, cuius fidei non cõmunicarunt. Videtes enim animas de inferis ire in cælos, cognouerunt adiudicatum eſſe principem huius mundi, vt reus factꝰ in cauſa Saluatoris, quę tenebat iure amitteret. Hęc quidem aſcẽdente Saluatore viſa ſunt, ſed ſuperueniente in diſcipulos Spiritu ſancto, palàm apertéque manifeſtata ſunt. Vera enim correptio tunc fuit, quando poſt paſsionem reſurrectionẽm que, ad teſtimonium Saluatoris, publicè à perfidis videbantur reſurgentes mortui, claudi currentes, leproſi mũdati, paralytici confirmati, cæci aſpicere, ſurdi audire, muti eloqui, dæmoniaci purgari, infirmi recuperata ſanitate gratias agere. Hoc modo Spiritus ſanctus arguit mundum, quia in nomine Saluatoris, qui reprobatus eſt à mundo, omnium curationum virtutes operatus eſt.

Si Diabolus ipſe eſt ſatanas, quid eſt, vt inter cætera dicat Saluator, Vos de patre diabolo eſtis, & concupiſcentias patris veſtri vultis facere. Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in eo. Cùm loquitur mendacium, ex ſuis propriis loquitur: quia mendax eſt, & pater eius.

Ioann. 8

90 Diabolus non ſpeciale nomen eſt, ſed cõmune. In quocunq; enim opera diaboli fuerint inuẽta, ſine dubio diabolꝰ appellãdus eſt. Operis enim nomẽ eſt, nõ naturæ. Itaque hoc in loco patrẽ Iudæorũ Cain ſignificat, cuius imitatores volẽtes eſſe Iudæi, Saluatorem peremerũt. Hinc dicit eũ, quia ſe parricidio maculauit, & reũ fecit mortis, in veritate nõ ſtetiſſe: ab ipſa autẽ forma data eſt fratricidii. Iſtum ipſum dicit, cùm loquitur mendacium, de ſuis propriis loqui, vt oſtẽderet vnunquẽque non niſi propria voluntate peccare. Sed quia imitator diaboli eſt, adiecit, Mendax eſt, ſicut & pater eius. Hic enim vt primum hominem morte condemnaret, ſimulauit ſe neſciſſe quid præceptum fuiſſet ei à Deo. Sic & Cain interrogatus, finxit ſe neſcire vbi eſſet frater ſuus Abel, quem occiderat. Hoc ergo in loco diabolum Cain eſſe dixit: patrem autem eius diabolum, cuius opera ſecutus eſt. Diaboli enim filius diabolus eſt. Sed diabolus ille qui eſt ſatanas, patrem in malitia ſua nullum habet. Ipſe enim ſibi in malo auctor eſt. Prior enim ipſe peccauit: ac per hoc quicunq; imitati illum fuerint, filii eius dicentur, & ille pater eorum. Etenim nos in fide Abraham patrem habemus, quia prior ipſe credidit Deo, ac per hoc nomine eius cenſemur. Fideles enim dicimur ſicut & ille.

Quærendum quomodo contradicendum ſit argumentis Fotini, ſcilicet Chriſtum ante Mariam eſſe probando.

A Ioanne prius quæramus Baptiſta, quem 91
ipſe Saluator teſtem ſuum eſſe profeſſus eſt. Ait enim inter cætera de Domino, Qui deſur- Ioan. 3
ſum venit, ſuper omnes eſt: qui autem de terra eſt, de terra loquitur: qui verò de cælo venit, quod vidit & audiuit, teſtificatur, & teſtimonium eius nemo accipit. Ecce Ioannes omnes ſecum pariter ad comparationem Domini terreſtres appellauit, quia illum de cælis teſtatur veniſſe, cæteros verò omnes de terra eſſe, hoc eſt, de inferioribus. Et ipſe Dominus inter cætera eadem loquitur dicẽs, Nõ enim de- Ioan. 6
ſcendi de cælo, vt facerem voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me Patris. Et iterum Dominus inter alia hoc ſenſu loquitur Ioan. 16
dicens, Et nunc dico vobis, quia ego rogabo Patrem. Ipſe enim Pater diligit vos, quia vos me diligitis, & creditis quia à Deo exiui. Exiui enim à Patre, & veni in hunc mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Videtes diſcipuli manifeſtè illum locutum eſſe, dicunt ei, Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis. Nunc ſcimus quoniam ſcis omnia, & non opus tibi eſt, vt quis te interroget. In hoc credimus quoniam à Deo exiſti. Hæc interpretatione non indigent: quippe cùm iſta ſũma ſit religionis noſtræ, vt Chriſtum ante carnem in cælis cum Deo fuiſſe credamus, vt Filium apud Patrẽ. Nam ſi propter iuſtam conuerſationem & cæleſtem doctrinã de cælo, & à Deo ſe dixit exiſſe & veniſſe in mundum, eadem deberent dicere de ſe omnes Prophetæ & Apoſtoli. Et quia dixit, Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem: hoc fortè dicatur ſignificaſſe, quia doctrina quæ venerat à Deo, relicto mundo ad Deum eſt regreſſa. Aliud enim quod dicant non habent. Si enim de cælo veniſſe & à Deo exiſſe, & veniſſe in hunc mundum, ad virtutis & doctrinæ pertinet cauſam, non ad Saluatoris perſonam: quum dicit, Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem, illô vtique redit vnde venerat. Sed vidimus poſt abſceſſum Domini, & virtutem fuiſſe in mundo & doctrinam. Videsne ergo non de virtute dictum eſſe à Domino & doctrina, ſed ſpecialiter de ſe Dominum locutũ. Quòd ſi virtutis quæ in Chriſto operata eſt, dicis eſſe verba, hæcipſa virtus Deum Patrem ſuum appellat. Ecce incurris quod times, quia ſi virtus Dei Filius Dei eſt, ipſa vtiq; virtus Dei

eſt,

1.Corinthio. 1 est, de qua dicit Apostolus Christum Dei virtutem & Dei sapientiam: hæc exiuit à Deo, & iterum ad eum regressa est. Itaque hæc ipsa virtus quæ Christus est, in Spiritu Dei dæmonia
Matt 12 se testatur eiicere, qui Spiritus per Apostolos operatus est, vt scias Spiritum sanctum, per quem Dominus operatus, post absessum Domini, hic in mundo in Apostolos operatũ, vt plenius appareat Dominum de sua persona locutum, quia relicto mundo regressus est ad Deum. Aut si putas virtutẽ hanc nõ esse Christum, duæ erũt virtutes, & duo filii Dei. Et v-
Ioan.1 bi est illud quod legitur, Vnigenitus filius Dei qui est in sinu patris? Et iterum, Sic enim, in-
ioann.3 quit, dilexit Deus mundum hunc, vt Filiũ suũ vnicum daret pro eo. Animaduertis iam virtutem Dei, quæ operata est in mundum, ipsam vnã esse, quæ & Dei virtus dicatur & Filius. Et videamus quid crediderint aut cui, Apostoli audientes à Domino, Ecce iterum relinquo mundum, & vado ad Patrẽ. Respondent ei,
ioannis 16 Ecce nunc palã loqueris, & prouerbium nullum dicis, Nunc scimus quia nosti omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget. In hoc credimus, quoniam à Deo existi, Nã videamus si de virtutibus ambigerent discipuli, vtrùm à Deo exisset, cùm vidissent Lazarum
ioannis 11 iam fœtidũ quarta die resuscitatum. Cæco à
ioannis 9 natiuitate oculos reformatos. Tactu fimbriæ
Matt. xi 9 mulierem à profluuio liberatam. Aquæ naturam mutatam in vinum. Aut de persona Domi
Ioannis 2 ni nemo planè dubitauit, vel de virtutibus.

matthæi 16 Quippe cùm dicerent illum alii esse Heliam alii Hieremiam, aut vnum ex Prophetis. Nam cùm lapidare vellent illum Iudæi, respondit
ioannis 10 eis Iesus, Multa opera bona ostẽdi vobis à Patre meo, propter quod eorum opus lapidatis me? Dixerunt ei Iudæi, Nos de bono opere nõ te lapidamus, sed propter blasphemiam, & quia cùm sis homo facis te Deum. Si ergo Iudæi quòd Dei opera essent, non ambigebant, Apostoli ambigebant? Quoniam ergo omnis dubitatio de Saluatoris persona erat: res enim inaudita, & quę in sensum humanum non ruerat, stuporem hominibus faciebat, quum audiebant dicentem illum se à Deo exisse, & proprium sibi Patrem esse Deum. Idcirco discipuli satis sibi esse factum confitentes, manifestatione verborum Domini dixerunt ad eum. Nunc scimus quoniam nosti omnia, & non est opus vt quis te interroget. In hoc credimus, quoniã à Deo existi. Si enim non verè à Deo exiuit, fides Apostolorum exinanitur: sed non potest, quia à Saluatore probata est. Respondit enim eis, Modò creditis? id est, tanta signa videntes non credebatis? Itaque probatum est Apostolis Christum à Deo exisse & venisse, vt per hanc exitionem Filium istum Dei credere non esset ambiguum. Si enim nemo vidit Deum nisi qui est à Deo: hic vidit Deum. Et si nemo nouit Patrẽ nisi Filius, hoc est verè apud Deum Patrem fuisse, & ab eo exisse, & venisse. Nemo enim alius poterat à Deo exire nisi hic qui in principio erat apud Deum: quia nec quisquam alius sciebat aut viderat Deũ. Ideo non incredibile nobis est, verum Filium hunc Dei credere. Sicut dicit Ioannes in Epistola prima, Et sumus, inquit, in vno filio eius Iesu Christo. hic est verus Deus & vita æterna. Et Apostolus, Qui proprio, inquit, Filio non pepercit. Et Euangelista, Quia propriũ, ait, sibi Patrẽ dicebat Deum. Si verus ergo Filius Dei est Christus, quomodo homo tantum est? Verus enim non diceretur, nisi proprie ab eo esset genitus. Aut si dicat Fotinus, Quare verus Filius Dei creditur, si non est verus? Aut quid opus erat hunc credere Filium Dei, si vnus esset de cæteris Sanctis, qui filii Dei digni sunt appellari? Aut nunquid aliqua indignitas in hoc est, per quẽ Filius Dei sicut cæteri sunt, credi non posset? Et idcirco dicitur vt hic de quo incredulum videtur, credatur esse Filius Dei. Si enim potior cæteris est, quid opus est vt dicatur, Crede Christum Filium Dei esse, si vnus esset de cæteris, nisi quia vt aliter de hoc credatur? Vnde & vnicus dicitur, quòd nõ prę cipitur de cæteris: vt quia multi sunt qui filii Dei sanctitatis causa appellantur, hic solus verus Filius Dei credatur, vnde & vnicus dicitur. Nam quis Sanctorum ausus fuerit Filium Dei se dicere, non dicam & vnicum, nisi Saluator conscius natiuitatis suæ à Deo profectæ? Quomodo autem pateretur se adorari, si nesciret se de Deo, cùm scriptum sit, Dominũ Deũ Deuteron.6 tuum adorabis, & ipsi soli seruies? Quippe cùm Ioannem Angelus corripuit, eò quòd adorare se vellet, dicens ei, Ne feceris, quia conseruus tuus sum. Deũ adora. Et cũ soli Deo ser Apocal.22 uiendum Scriptura testetur, Apostolus tamẽ, Rom.14 Qui seruit, inquit, Christo, placet Deo. Quare quia vnum sunt Deus & Christus, Pater & Filius, Apostolus se Christi seruum fatetur, & dicit Corinthiis, Nolite fieri serui hominũ. Et Gala.1 ad Galatas, Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum & Deum Patrem, qui suscitauit eum à mortuis: ostendit apertè Christum Deum esse & hominem, vt Apostolatum suum non ab homine, sed à Christo, iuxta quòd Deus est, & à Patre Deo esse demonstraret. Deniq; in subiectis ait, Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Quid tam apertum? Dei enim doctrinam non per hominem dicit se esse assecutum, sed ab ipso Deo doctum. Nam nos Dei doctrinam per homines accepimus: vas autẽ electionis nihil se probat ab Apostolis assecutũ, hoc est, ab hominibus. Nam si quia Dei doctrina est, ideo non per hominem discitur: quam laudẽ suam testatur Apostolus, si sic didicit, sicut cæteri Apostoli? Vt quid dicitur, Neque ego ab homine accepi illud, neq; edoctus sum, sed per reuelationem Iesu Christi? Quis ambigat hoc loco Christum Deum significatum? Sed

quid mirum, cùm inter cætera dicat ad Romanos, Quorum patres, ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula? Quid est, Et ex quibus Christꝰ secundũ carnẽ? Non enim hoc diceret nisi esset & secundũ Deũ & secundũ carnẽ ex patribꝰ: secũdũ Diuinitatẽ verò ex Deo Christꝰ sit super omnia Deus. Sed fortè ad Patris psonã pertinere dicatur, sed hoc loco nulla est Paterni nominis mentio. Ideóque si de Christo dictum negatur, persona cui competat detur. Quare autem Christo non competat, cuius nomini cælestia, terrestria & inferna genu flectunt, hoc est, super omnia esse Deum? Præter hæc enim alia nulla sunt. Dicat nunc Fotinus, si hæc homini genu flectũt, aut si Deus potentias illas cælestes & sanctos Angelos, vt hominem adorent decreuit. Sed absit, quia Deꝰ nihil stultũ decreuit, maximè cùm non liceat, nisi Deũ adorari: quantò magis in cælis? Rex enim adoratur in terris, quasi vicarius Dei. Christus autem post hanc vicariam, impleta dispensatione adoratur in cælis & in terra. Legimus nanque, quia Verbum caro factum est, hoc est, ministro Spiritu sancto incarnatũ esse ex Maria: hoc Verbũ in principio apud Deũ fuisse, & Deum esse, hoc quoque Filium Dei appellari. Quomodo ergo non ante Mariam est quod in principio erat, & Deus erat? Etiã si obcæcatus Deum hic esse neges, Verbum tamen non negas, neque ignoras hoc Verbum Filium Dei appellari, & hoc apud Deum fuisse in principio. Qua ergo ratione post Mariam dicis esse, quod in principio legis fuisse?
Apoc. 19 In Apocalypsi enim legimus de Christo, Et nomen eius est Verbum Dei. Quod Verbum multas habet interpretationes. Nam nihil de Deo est, quod non Deus dicatur: sed propter auctoritatem vnius Dei, quod de ipso natum est Verbũ appellauit, vt hac ratione ducti, qua scimus verba nostra nõ nisi ex nobis esse, Christum de Deo esse crederemus. Nec aliter quidẽ oportuit dici vt de ipso esse crederemus, & non extra eũ crederetur. Nã & simili modo & Virtus & Sapientia Dei vocatur, vt eadem ratione de ipso intelligatur. Si enim dixisset, Deus & Deus, non illum de se esse significauerat, sed duos fecerat deos, quod vnitati aduersum est. Hæc ratio in Diuinis libris est, vt significatus Deus Christus, modũ excedat Dei vnius. Quàm autẽ illud tuum stultum est Fotine, quod sic distinguis in capite Euãgelii Ioannis, ne Verbũ Deus dicatur? Sic enim legis,
Ioannis 1 In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc in principio erat apud Deum. Quid sibi vult hæc distinctio? Quem indicat sensum? Quam significat pietatis rationem, nisi solam aduersus Dei filium inimicitiam? Quæ enim significatio est pronuntiãtis, Et Verbum erat apud Deum & Deus erat? Hæc ergo legis vestræ sapientia est, vt doceat quia est Deus? Quæ lingua est, & quæ gens, quæ terra, quæ secta, quæ neget Deũ esse? Et vt quid insinuet dicit, Et Verbũ erat apud Deum. Aut Verbũ hoc quid vult intelligi, nisi rationem eius oſtẽdat? Non enim propter Deum Euangeliũ legitur siue scribitur, de quo nemo dubitat, sed propter verbum de quo quæstiones fiunt. Mysterium enim Dei est, quod ideo creditur, quia non est omnibus manifestum: ideóque Scriptura contendit docere quid sit Verbum, dicens, Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Istud & rationi conuenit, & pronuntiatio integra est. Ostendit enim quia Verbũ hoc, quod in principio apud Deum erat, & Deus erat, vt in sacramẽto mysterii æterni Dei, quod ignotum erat à seculis & generationibus, Deus verbum apud Deũ Patrem fuisse credatur. Et quia cărnalibus in dubium venit, qui volunt Scripturam pro sensu sui loqui capacitate, fides posita est, quæ tẽ sum Scripturæ secuta prẽmium mereatur. Salomoni cùm sapientiam à Deo postulasset, re- *3. Regum 3*
sponsum à Domino est, Ecce dedi tibi, inquit, cor sapiens & prudens, quale non fuit ante te, & post te non exurget vir similis tibi. Quid dicemus? verum est quod promisit Deus? Imò verum est. Nemo ergo hominum similis erit Salomoni. Et quid videbitur de Christo, *Matth. 12*
qui inter cætera, Regina, inquit, Austri venit ab vltimis terræ audire sapiẽtiam Salomonis? Et ecce plus Salomone hic. Nũc elige cui credas Fotine, Deo an Christo, Patri an Filio. Si Patri credis, arguis filium: si Filio credis, accusas Patrem. Si enim homo tãtum est Christus, frustra se præposuit Salomoni contra promissum Dei. Si autem intelligitur esse & Deus, dignè se antepositit Salomoni, & promissum incontaminatum est Dei, quia nõ exurrexit homo similis Salomoni. Christus enim idcirco se potiorem ostendit, quia Deus est. O dementia Fotini, qui Christum ante Mariam fateri non vult, quem voce sua audit testantem quòd ante Abraham sit. Cùm enim de tẽpore agerent cum eo Iudæi dicentes, Quinquaginta annos *Ioannis 8*
nondum habes, & Abraham vidisti? Respondit eis, Amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum. Non dixit, Melior sum, sed ad interrogata respondit, quia antè erat quàm putabant Iudæi. Maledictum planè legis Fotinus euadere non potest, quia ipem suam habet in Christo, quem tamen hominem dicit, cùm legat, Maledictus homo qui ipem habet in ho- *Hiere. 17*
mine. Apostolus autem sciens Christum Deũ, & ideo in prẽsenti & in futuro ipem esse in eo, ait, Si in hac tãtum vita, inquit, sperantes sumꝰ in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibꝰ. Nõ ergo homo tantum est in quo ipẽ *1. Corint. 15*
habere docemur, quia vana ipes in homine. Hæc diximus pauca de multis. Sufficeret enim si bonæ mentis esset, Fotino hoc solũ quod postremum posuimus.

Quomodo intelligatur quod dicit Saluator, Pacem do vobis

bis, pacem meam relinquo vobis. Non sicut hic mundus dat, ego do vobis.

92 Qui pacem susceipit Saluatoris, inimicitiam contrahet mundi. Nisi enim discordauerit cum diabolo, pacem non habet cum Christo. Nemo enim potest duobus dominis seruire. Matth. 6 Hic ergo à mundo discordat, qui Legi Dei fideliter seruit, Christi pace munitus, omnium aduersariorum comprimit tela. Quis enim audeat aduersus eum, quem scit regis amicum? Aliter tamen mundus pacem dat, quàm se Saluator dare ꝓmisit. Mũdus enim aut metu dat pacẽ aut prece. Saluator verò cũ sit fortissimꝰ omnium, nullum vtique metuens, nõ rogatus dat pacem. Saluatoris ergo hæc pax est, quæ ic circo datur, vt munimentum sit contra hostes, Pax quidem vno nomine appellatur, sed longo interuallo discernitur, Dei & mundi. Hæc enim fragilis est, illa fortis: hæc carnea, illa spiritalis: hæc terrena, illa cælestis: hæc de necessitate, illa de voluntate. Christus enim nullius egens, pacem offert in validis & inermibus, dominus seruis, bonus malis, Deus hominibus. Ioannis 14 Rectè ergo ait, Non sicut hic mundus dat, ego do vobis: hoc enim dicens, intelligi voluit clementiam bonæ voluntatis suæ. Cùm enim omnis idcirco det pacem vt proficiat sibi, hic, id est, Saluator, ad hoc dat, vt prosit non sibi, sed eis quibus dat. Aliter ergo mundus dat pacem quàm dedit Saluator. Et mundi pax non docet bonam vitam, non suadet ad patiẽtiam, nõ prouocat ad iustitiam, non hortatur ad misericordiam, non promittit æternam vitam. Quicunque enim acceperit pacem Christi, alienus erit à vitiis huius mundi, quæ militant aduersus animam.

Quærendum an Spiritum sanctum habuerint Apostoli tempore illo cùm fuerint in terra cum Domino.

93 Quia inter multa dicit Euangelista, Spiritus nondum erat datus, quia Iesus nondũ fuerat glorificatus. Et in alio loco, Si diligitis me, ait, præcepta mea seruate: & ego rogabo Patrẽ & alium Paracletum dabit vobis, vt vobiscum sit inæternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non vidit nec cognoscit eum: vos videtis eum & cognoscitis, quia apud vos manet, & vobiscũ est. Quid est hoc? Negat datum Spiritum ante passionẽ, rogaturum autem se promittit Patrem vt mittat eum. Item subiecit, Quia cum ipsis erat, & manebat apud eos. Legitur post resurrectionem autem insufflasse & dixisse eis, Accipite Spiritum sanctum. In Pẽtecoste autem descẽdisse legitur Spiritus sanctus in Apostolos.

Tantas video in hac causa perturbationes, vt quid tenendum scit nesciam. In his omnibus quæ proposita sunt, non vna est causa. Breuiter enim singularum causarũ significatæ sunt formæ, quia vnus quidem est Spiritus, sed dona habet multa. Cùm ergo legitur, Spiritus sãctus intelligi debet, & eius officium in quo sit significatus. Nam & cùm in eis erat, & venturus erat, non est falsum. Sed si non istud ad personam trahas, sed ad naturam: alterum enim venturum à Patre promisit Christus, vt quia indifferens est eorum Diuinitas, in præsentia Christi non putetur absens Spiritus sanctus, & in aduentu & in apparentia Spiritus sancti præsens æstimetur Christus. Ideo cùm venturum eum promittit, dicit, Vos videtis eum, quia apud vos manet & vobiscum est. Vt securi essent Apostoli, quia post Ascensionem Domini non minorem aut degenerem ad tuitionem habituri essent pastorem aut regem. Nã non est dubium non datum esse credentibus Spiritum, nisi sicut Euangelista testatur, postquam deuicta morte resurgens clarificatus est Dominus. Ipsius enim triumphantis Domini verba sunt & dicentis, Quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autẽ baptizabimini Spiritu sancto, quẽ & accepturi estis nõ post multos hos dies. Hoc, tẽpore quo ascendere ad Patrẽ disposuit, interfatus videtur. Illud autem quòd insufflasse in discipulos Dominus legitur post dies paucos resurrectionis suæ, & dixisse, Accipite Spiritum sanctum, Ecclesiastica potestas collata intelligitur esse. Quia enim omnia in traditione dominica per Spiritũ sanctum aguntur, idcirco cùm regula eis & forma traditur huius disciplinæ, dicitur eis, Accipite Spiritum sanctum. Et quia verè ad ius Ecclesiasticum pertinet, statim subiecit dicens, Cuius tenueritis peccata, tenebuntur, & cuius remiseritis, remittentur ei. Inspiratio ergo hæc gratia quædã est, quę per traditionẽ infũditur ordinatis, per quam cõmendatiores habeantur. Vnde Apostolus dicit ad Timotheũ, Noli, inquit, negligere gratiam quæ est in te, quia data est tibi per impositionem manũ presbyterii. Semel ergo fieri oportuit, vt de cætero traditio ista non sine dono Spiritus sancti esse crederetur. Sicut enim in Saluatore forma data est visibiliter, vt post Baptismum Spiritus sanctus credẽtibus de cætero inuisibiliter dari non ambigeretur: ita & in suprà dicta causa forma data est in principio, vt ex eo traditioni Ecclesiasticæ Spiritus sanctus infusus credatur. Vt autem Apostoli prẽsente Domino virtutes facerent, potestas data est, sicut & prius Prophetis. Trium ergo officiorũ formæ doni Spiritus sancti in Apostolis sunt ostẽsæ. Quarum prima est hæc, quæ ad ius Ecclesiasticum pertinet, in regenerandis vel cæteris officiis. Secũda quæ in Pẽtecoste data est, quæ est generalis. Non solùm enim in Apostolos, verũetiam in omnes decidit Spiritus sanctus credẽtes. Tertia forma est, quæ solis Apostolis concessa est in signis ac virtutibus faciendis, vsquedum fidei semina iacerentur ad crementum. Semina enim fidei sunt virtutes per Apostolos factæ. Ipsi enim antistites positi sunt huius veritatis, qui per signa & prodigia non irrationabilem esse fidem nostram testarẽtur. Nulla enim probatio maior est veritatis quàm virtus. Hæc est

Ioannis 7 Ioannis 14 Ioannis 20 Ioannis 14 Ioannis 20 1. Timoth. 4

enim quę omnẽ terrenã philoſophiã accuſat, quia tẽper ſolis verbis ſtuduit, non habens teſtimoniũ virtutis, quę ſtabile eſſe quod verbis aſtructum erat demonſtraret. Igitur Spiritus ſanctus generaliter ſemel datur omnibus credentibus, per quem filii Dei eſſe probentur dum manet in eis. In ſignis verò & prodigiis faciendis nõn manet in homine, ſed vocatus aduenit, aut ſuggerit neceſſaria & recedit. Similiter & in traditione vel ordinatione de foris gratiam præſtat, tuitionẽ etiam deferens deuotis fidei.

Quærendum eſt, ſi Iudas Iſcariothes proditor Domini, ante paſſionem Saluatoris laqueo vitam finiuit.

94 Tradito Saluatore & illuceſcẽte paraſceue, omnes principes ſacerdotũ & ſcribæ & ſeniores conuenerunt in domũ Caiphæ pontificis, quo perducendum ſciebant eſſe Ieſum, vt audirent eum. Hoc Mattheus & Marcus Euangeliſtæ teſtãtur, & nullum ex his ante perfectũ impiũ opus à domo præſidis abſceſſiſſe. Quippe cùm omnis inſtantia eorum & deuotio ad agendũ paſcha, mors eſſet Saluatoris. Occupatis ergo eis ad necẽ Domini, à mane vſque ad horam nonam, quomodo Iudas eis retuliſſet pretiũ ſanguinis quod accepiſſe ante crucem
Matt. 27 Domini probatur, & dixiſſe illis in tẽplo, Peccaui, quòd tradiderim ſanguinem iuſtum: cùm conſtet vtique omnes principes & ſeniores ante paſſionẽ Domini non fuiſſe in tẽplo? Quippe quum etiam in cruce poſito inſultarent ei. Non enim inde poteſt probari, quia ante paſſionem relatum eſt, cùm ſint multa, quæ cùm antè facta probentur, nouiſſima ordinãtur. Et iterum quando locus admittit, vt quod poſt factum eſt anteponatur. Nam manifeſtum eſt vtique quinquageſimum Pſalmum anteriorem eſſe quàm tertium. Sic ergo aliquando euenit vt anticipentur quæ poſteriora ſunt. Vnde & Maria, quæ poſt reſurrectionẽ fratris ſui Lazari, ante ſex dies Paſchæ in cœna vnguento pedes Domini vnxiſſe probatur, propter ſignificationem eius anticipatum eſt ab Euangeliſta dicẽte inter cætera, Maria autem erat, inquit, quæ vnxit Dominum vnguento. Hoc refert antequã Lazarus moreretur: quod niſi poſtea factum inueniremus, neſciremus quo tẽpore factum eſſet. Sed ne fortè poſt nonam horam factum ſit, vt videns impius & cru
Matt. 27 deliſſimus Iudas occiſũ Saluatorem, & ob hoc velum templi ſciſſum, terram tremuiſſe, ſaxa fiſſa, elementa conterrita, ipſo metu correptus doluerit, non neſcius iuſtum ſe tradidiſſe, in cuius paſſione ſic indignatus ſit iudex Deus. Sed & poſt nonam horam occupati erant, ſicut æſtimo, ſeniores & principes ſacerdotum. Veſpere enim eadem die paſcha acturi erant. Sabbato autem nummos portare nõ licebat ſecundũ Legẽ: ac per hoc improbabile eſt apud me quo die, imò quo tempore laqueo vitam finierit Iudas Iſcariothes.

Vnde orta ſit obſeruatio Pentecoſtes vel quarationе.

95 Non eſt ambiguum cuncta religionis noſtræ vero teſtimonio roborari, & Legis veteris prærogatiua ſignari. Omnia enim præterita Legis veteris in figura fidei noſtræ futuræ geſta & deſignata noſcuntur, vt verũ nos tenere non ambigeremus, quando ea quæ nunc & audimus & credimus, ante ſecula prædeſtinata videmus, non ſolũ vocibus, verumetiã ſignorũ virtutibus commendata. Sed nũc illud eſt, ſi eodem modo vt deſignata ſunt, à nobis intelligantur, vt dies Pentecoſtes vnde & qua ratione tractus ſit congruè dinoſcamus. Scripturæ enim Dominicæ ſenſus ſuos ſolicitis & deuotis aperiunt, negligentibus claudunt. Nec enim par erat, vt res quæ meritis ac dignis reſeruatæ ſunt, paſſim ab omnibus viderentur. Pẽtecoſte ergo, qui quinquageſimus à Paſcha eõ putatur dies, hanc habet rationẽ, vt ſicut poſt hebdomadam Dominicus dies primus eſt, in quo adimpletum eſt Paſchæ myſterium in redemptionẽ ſalutis humanæ, quia ſemper poſt curricula dierum ſeptem, ad primum reuerti neceſſe eſt, vt oſtendatur ætatem mundi ſeptenario numero conſummari. Ita & poſt hebdomadas ſeptem, primus dies eſt Pentecoſte. Denique nunquam alio die quàm die Dominico Pentecoſte eſt, vt totum quod ad ſalutem humanum pertinet, Dominico die & inchoatũ & adimpletum noſcatur. Dominico enim die factus eſt mundus, & poſt lapſum rurſus Dominico die reformatus, cuius reformationis figura data eſt primùm in circunciſione, in qua futuræ fidei ſignum fuit. Poſt hebdomadã enim, qui octauus dictus eſt, primus eſt in myſterio. Hæc eſt enim dies quã fecit Dominus. Vnum enim diem fecit, ex quo cæteri curricula ſortirẽtur. Ac per hoc ipſo die reſurrexit quẽ fecit, & ſecundum numerum ſupradictæ rationis, ipſo die & in monte Sina Legem dedit per famulum ſuum Moſen, vt ſicut agnus figura paſſionis Domini fuit in ſacramentum Paſchæ, ita & legiſlatio Euangelicæ prædicationis, quia eodem die, id eſt, Pentecoſtes Lex data eſt, quo & Spiritus ſanctus decidit in diſcipulos, vt auctoritatẽ caperent, ac ſcirent Euangelicum ius prædicare. Quod factum duplici teſtimonio confirmatur, quia & prædeſtinatum oſtenditur, & manifeſta Spiritus ſancti infuſione Diuinum & ſupercæleſte probatur, ad Legis noſtræ teſtimonium perhibendum. Cùm enim incognitis ſibi imperiti diuerſis linguis magnalia Dei loquuntur, Diuinit⁹ ſe inſpiratos oſtẽdunt. Filiis ergo Iſrael tertio die menſis tertii data eſt Lex per Moſen, ſicut in libro Exodi continetur, qui dies à quartadecima menſis primi, quo die factum eſt Paſcha in Egypto, quinquageſimus eſt, hoc eſt Pentecoſte. Vnde factum eſt, vt ad legem fidei prędicandam in Pentecoſte Spiritus ſanctus deſcenderet in Apoſtolos, vt geſta veterum futurorum imagines haberentur, ad ſecuritatem fidei noſtræ, quia falſũ videri non poteſt quod ab initio prædicatum eſt. Ideo remiſſionis &

Pentecoſte ſic fit Dominico die.

exod. 19

Actum 2

reforma

reformationis tẽpus in quinquagesimo Psal. describitur, vt eadẽ prouidẽtia quĩquagesimi diei, quæ & primi est, sciretur. Hinc factum est vt & Manna primo die, qui est Dominicus, è
Exod. 16 cælo daretur populo Iudæorum: quod ita esse sex dierum continuatio probat, quibus collegerunt, & septimo die, id est, sabbato quieuerunt. Manna autem typus est escæ spiritalis, quę resurrectionis Domini veritas facta in Eucharistiæ mysterio. Omnia itaque gesta sunt, vt ad causam primæ resurrectionis incolumia reuertantur, & non glorietur satanas, sed hebescat, qui hominẽ falsa spe deiecit, ne in hoc maneret quod factum est per Christum Dominum. Nunc superest vt probemus, si ita intelligenda sunt quæ diximus, vt suprà memorauimus.
exod. 12 Mensis primus quo Pascha quartadecima die celebratum est in AEgypto, hæc dies quarta feria fuit. Vnde & Lex quarta feria data est. Quod hinc datur intelligi, quia quinto decimo die mensis secundi profectionis filiorũ Israel, sabbatum videtur fuisse: ideirco nõ in die grex illis missus est coturnicum, sed ves-
exod. 16 pere. Mane autem Manna pluit de cælo, id est, die Dominico, qui primus post hebdomadam in repetitione inuenitur. Denique sex diebus continuis Manna collegerunt, septimo autem die qui est sabbatum quieuerunt. Ab hoc ergo die vsque ad tertii mensis diẽ tertium, quo Lex data est, quære, & inuenies quartam feriã fuisse quãdo Lex data est. Sunt enim à quinto decimo die mensis secundi, quãdo sabbatum fuit, vsque ad tertium diem mensis tertii, quo Lex data est, dies decem & nouem. Tene ergo hos decem & nouem, & redi suprà quintumdecimum diem secundi mensis, quo sabbatum fuit, qui à primo computatur quartusdecim⁹, & peruenies vsque ad diem primum secundi mẽsis: & habebis alios quatuordecim, quos superiunge ad decem & nouem suprà memoratos, & inuenies primum diem mensis secundi sabbatum fuisse. Superadde adhuc ad caput primi mensis dies septem & decem, quia primi mensis tredecim dies retrahendi sunt, qui ante Pascha fuerũt. Quartadecima enim die primi mẽsis Pascha factũ est. Retractis ergo tredecim, ad dictis septẽ & decẽ, inuenies quartadecima mẽsis primi quartã feriã fuisse. Et ne legẽdi fastidiũ patiaris, aut quęstionis singula mẽbra inspicere curiosè, do cõpendium vt & de numero dierũ quot à Pascha vsq; ad datã Legẽ sũt certi⁹ sis, & ab ipso facili⁹ discas, quota feria factũ est Pascha. Tertio die post secundum mensem Lex data est. Sunt ergo mẽses duo & dies tres. Retrahe ergo de his tredecim dies, qui ante Pascha fuerunt, & reliqui erunt dies quinquaginta. Quoniam autem quarta feria data est Lex, hinc facilè videtur. Mãna prima feria datum est, quia continuis sex diebus collegerunt, quæ prima feria sextodecimo die fuit mensis secundi. Ab hac itaque prima feria vsque ad octauumdecimũ diem quo Lex data est, quartam feriam inuenies. A feria verò quarta siue antè, siue retro computes in quinquagesimum diẽ, quarta feria est. Ideirco quia quarta feria Pascha egerũt in AEgypto Iudęi, & quarta feria Legem acceperũt: quinta autem feria ꝓfecti sunt de AEgypto. Igitur dedicatio Legis est Pentecoste.

Quærendum si Pascha transitus interpretetur sicut Græcis videtur.

96 An Apostolus falli non potuit qui ait, Pa
1. Corin. 5 cha nostrum immolatus est Christus? Quod nõ suum vtique sed Legis est verbum, dicente Mose, Et erit cùm dicẽt vobis filii vestri, Quę est deseruitio hæc? & dicetis, Immolatio hæc
Exod. 12 Pascha Domini est. Quid amplius est necessarium ad testimonium? Lex loquitur, Apostolus probat: hoc superest vt contradictor abiiciatur vt peruicax. Manifestum est enim transitum post Pascha fuisse. De sanguine enim immolati agni super postesostii, & super limen posuerunt, vt transiens nocte Angelus, nõ percuteret domũ in qua signũ sanguinis esset. Sanguis igitur salutẽ pręstitit, non transitus: quia vt transitus non noceret, obstitit sanguis.

Qua ratione respondere possit Arrii impietati similiter ex Lege.

97 Si rationi fides commodetur, ipsa nominum ratio Patris & Filii ostenderet vnitatem. Si quæris Quomodo? Nõ enim verus Dei Filius diceretur, nisi extitisset de substantia Dei Patris. Nec enim pateretur veritas & iustitia Dei verum dicere Filium, si de ipso non esset. Non est enim verus Dei Filius, si de ipso non est. Sed Scriptura dicit, Verus est: ergo de ipso est. Qui enim negat de Deo natum Christum Scripturæ calumniam facit, quæ ideo illum dicit verum Dei Filiũ, vt significet de Deo hunc natum. Si enim non est de Deo, & verus Filius Dei dicitur, fallax est Scriptura. Quòd si Scriptura non fallit, qui Christum nõ fatetur extitisse de Deo, & Scripturã euacuat, & Christum negat verũ Filium Dei. Non enim volũtas verũ filium facit, sed natiuitas. Sed potẽtię inquiunt, Dei hoc subest, vt falsa faciat vera. Imò potentia Dei hæc est, vnde & omni laude dignus: quia verum apud illum verum est, & falsum falsum est. Nam istud mendacis est, vt falsum dicat verum: quod Deo non competit. Nam omnia quidem potest Deus, sed nõ facit, nisi quod conueniat veritati eius atque iustitiæ. Manifestum igitur est ideirco verum dici Filium Dei Christum, vt proprius, id est,
Roma. 8 de substantia eius natus intelligatur. Vnde in-
Philip. 2 quit Apostolus, Qui proprio Filio suo nõ pepercit. Et in alia Epistola, Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam, arbitratus est esse se æqualem Deo. Si ergo nõ rapinam arbitratus est dicens se parem Deo, verum se Filium Dei demonstrauit. Deo enim par esse non poterat nisi esset de ipso. Pares enim hi sunt, qui aut ambo veri sunt, aut ambo falsi. Nec enim paritatem recipit cœptum & æternũ aut vnitatẽ.

Vnum enim se esse dicendo Christus eum Patre, parem se Deo fecit. Non solùm enim, inquit, soluebat sabbatum: sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo, hoc est, parem. Nonne manifestum est æqualitatẽ hanc de proprietate natiuitatis descẽdere? proprium enim se, id est, verum dicens Dei Filiũ æqualem se faciebat Deo. Hinc est vnde dicit, Qui videt me, videt & Patrem meum. Per illud enim quòd consubstantii sunt, qui vnum videt, ambos videt. Sicut enim habet Pater vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitã in semetipso, hoc est, æqualem sibi genuit Filium Pater. Et omnia quæ Patris sunt, Filii sunt, & quæ sunt Filii Patris sunt: & nemo potest quicquam rapere de manu Patris, neque de manu Filii Et subiecit, Ego & Pater vnum sumus. Et verba quæ, inquit, loquor vobis, à meipso non loquor. Pater autem manens in me ipse loquitur, & opera quæ facio, ipse facit. Credite mihi, quia ego in Patre & Pater in me est: alioquin vel propter opera ipsa credite. Quia enim generatio à semetipsa non est, sed ab eo qui genuit, ideirco quidquid facit, factũ dicit Patris, vt per hæc omnia illud firmetur, quia ideo verus dicitur Filius Dei Christus, vt de ipso natus credatur, ne & substantia eius extra vnius Dei naturã existimaretur. Humilitas ergo eius maxima exaltatio est. Cùm enim videtur se subiicere, dicens, Verba quæ loquor vobis, à meipso non loquor: Pater enim manẽs in me ipse loquitur, & opera quæ ego facio ipse facit: probat se originem à Deo habere, & virtutem eius se esse ostendit, dum non quod est à semetipso esse dicit, sed ab ipso. Per hoc enim commendatur Christus, non inclinatur. Qui enĩ à se loquitur, verus filius nõ est. Vides ergo, quia Arriani inde malè intelligũt Christum, vnde bene intelligendus est: & inde illũ improbant & falsum dicunt, vnde verus Dei esse Filius approbatur. Nam clarificandum se à Patre postulat, & clarificare se Patrẽ quoniã petit, promittit, & vbi se humiliare videtur, exaltat. Pater enim cùm testimonium dat Filio suo laudẽ suam testatur. Filius verò cùm prędicat Patrem, gloriam suam manifestat. Magnificentia enim & nobilitas Patris, generositas est veri Filii. Ideo quicquid patris dicitur esse est & Filii sine dubio, & quod Filii dicitur esse, est & Patris. Nã qui Spiritus dicitur Dei, idẽ Spiritus dicitur & Christi. Ecclesia dicitur Dei, dicitur Christi. Adoratur Deus, adoratur & Christus. Seruitur Deo, seruitur & Christo. Sancti dicuntur sacerdotes Dei, dicuntur & sacerdotes Christi. Templum ciuitatis sanctæ dicitur Dei, similiter & Christi. Lumine Dei illustrari dicitur ciuitas sancta, eodẽ modo & Christi. Sedes Dei est, nec non & Christi. Iudex Deus est, est & Christus. Quia Esaias Ptopheta in throno maiestatis Christum vidit sedentem Dominum sabaoth, quod Arriani non negant. De Deo Patre legitur quòd Rex regum sit & Dominus dominorum, eadem & de Christo Filio Dei vero. Sic vbique diuinitate exæquantur Pater & Filius, vt vnius Dei modum non egrediatur numerus personarum. Inter Patrem autem & Filium nihil interest nisi hoc solùm, quia Pater ingenit⁹ est, Fili⁹ verò genitus, id est, Pater à nullo est, Filius autem de Patre, quod quidem sublimè est in Filio. Hic enim addiscitur nobilitas eius æternitatis, & quia verus Filius est veri Patris. Vnde est enim illud quod legitur in Genesi dicente Deo, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram? Itaque si imago eorum & similitudo vna est, quomodo nõ vnum sunt & natura? In spiritalibus enim, vbi vtique non sunt figuræ, simile nõ erit aliquid nisi per substantiam, vt vbi duorum imago vna est, quomodo non eorum vna erit substantia? Idcirco enim imaginem eorum & similitudinem vnam esse legimus, vt eorum vnum nihil differre ab altero crederemus, hoc est, verũ Dei Filium esse Christum, quia non est dispar à generante natiuitas. Denique Iudæi intelligentes, quia proprium sibi Patrem dicebat Deum, dicunt ad Pilatum, Nos Legem habemus, & secundum Legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Iudæi intellexerunt, & Christiani se dicunt nõ intelligere: qui nõ credebãt nõ intelligebãt, & qui se dicũt credere faciũt ne intelligãt. Vel hoc saltẽ admitterent quod Propheta Esaias, vt Christũ non à semetipso quidẽ, sed de Deo Deũ esse significaret, inter cętera ait. Post te sequẽtur alligati vinculis, & adorabũt te, & te deprecabuntur: quoniam in te est Deus, & nõ est Deus præter te. Tu enim es Deus, & nesciebamus, Deus Israel Saluator. Quantùm ad bonam mentem pertinet, hæc manifesta sunt. His enim & Pater in Filio esse probatur, & Filius Deus eiusdem substantiæ quia Pater est, significatur. In quo enim Deus est, & præter ipsum Deus non est, & ipse Deus est: quid aliud poterit dici, quàm hoc quod Pater est Deus, & nec differre in aliquo? Hoc est enim duos esse vnũ. In ipso enim De⁹ est, quia quanuis Deus sit, nõ tamen ex se Deus est. Est enim à Patre, quia Filius est. Præter ipsum autẽ nõ est Deus, quia vnicus Patris Filius est: ipse autem est Deus quia vna atque eadẽ substãtia Dei & Christi est. Nihil igitur ambiguitatis relinquitur, vt Patris & Filii vna esse credatur substantia. Verus enim Filius & veri Patris est. Tale enim etiam illud Hieremiæ Prophetæ est: dicit enim inter alia, Hic Deus noster, & non æstimabitur alter ad eum. hic adinuenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto sibi. Post hæc in terris visus est, & inter homines conuersatus est. Nunquid de genere potest dici, ad quem alius non potest æstimari, aut alius Deus quàm Pater est, poterit dici, vt Deo ꝓficiat ad iniuriã Patri? Si enim ęstimari ad eũ alter Deus nõ potest, & absq; Deo Patre

est

Ioannis 5
Ioan. 14
Ioannis 5
Esai. 6
1 Thim. 6
Ephes. 19
Genes.
Ioannis 19
Esa. 45
Baruch 3

est:videte an debeat dici id quod sequitur: periculosum est enim:maior enim Patre dicetur. Putãtes enim se Deo Patri deferre,si ab eo Filium segregẽt,derogãt ei,vt quẽ minorem volunt facere,impia obcęcati mente,pręponãt eũ illi, cuius auctoritati inclinãdum hunc putant. Scriptura autẽ,vt nihil Filium à Patre differre doceret(differret autẽ si non esset verus)alium nullũ dicit æstimandũ ad eũ:quia nulla alia substãtia poterit similis reperiri substãtię Dei,quę est & Christi. Aliter siquidem Christũ de Deo esse docere nõ poterat,quàm vt nullum diceret alium ęstimãdum ad eum. Sciẽs enim Deo Patri nullo modo dici posse subiectum Filiũ eius, vt hinc parem esse ostẽderet,Non ęstimabitur, inquit,alter ad eum,quia Patri Deo,quoniam Deus est,æqualis est: verus enim eius Filiꝰ est. Igitur Propheta ait,Hic est Deus:non,Hic est Deus Israel. Si hic est,ipse est Deus vnus. Deinde enim dicit Scriptura,Audi Israel,Dominꝰ Deus tuus,Deus vnus est. & certè nõ est hic Pater,sed & Filius eius. Vides ergo nõ prędiudicare vni Deo personã Filii,si & ipse vnus Deus dicatur. Quippe cùm hoc Scriptura testetur. Vnde hoc,nisi quia vnum sunt Pater & Filiꝰ? quia nõ personis significatur vnitas, sed natura: non substãtia duo sunt,sed vnũ,nec duo diuinitate, sed vnus Deus,vt siue loquatur Pater,siue loquatur Filius,vnus Deus locutus dicatur. Nã si ipse Dominus inter cętera de mare & fœmina, Iã nõ sunt,inquit,duo,sed vna caro:quãtò magis Pater & Filius nõ duo dii sunt,sed vna substãtia? Vt autẽ duo dicãtur Pater & Filius,causa est natiuitatis. Ne autẽ iterũ duo dii sint,causa est vnitas diuinitatis. Qua tamen hebetudine Christũ creatum,id est, factum prædicãt,cùm legatur nihil Deũ sine Christo fecisse? Si ergo sine illo nihil factum est,nõ erit ipse factura. Si enim factura est,factũ est aliquid sine ipso. Sed absit, quia nihil sine illo. Natus enim de Deo nõ esse cœpit,sed sẽper extitit. Natiuitas enim nihil est aliud quàm exitio. Exitio autẽ manifestatio est. Itaque nõ factus,sed editus est. Vt enim Christꝰ de essentia Dei exisse vel processisse significaretur,exitio eius natiuitas appellata est,vt quia nõ dispar est à genitore natiuitas, consubstãtiuus esse Deo Christus nõ ambigeretur,& mẽs illa quæ ait, Erat quãdo non erat, damnaretur:quia non potest aliquãdo nõ fuisse,qui vt apud Deum semper fuisse significaretur,de Deo legitur processisse. Nemo enim de Deo processit, vbi nõ fuit. Solẽt quippe Arriani sic interpretari de Filio Dei,dicẽtes,Ideo verus Dei Filius Christus dicitur, quia sic illum fecit,vt verus sit:quasi sit aliquid falsum,quod faciat Deus verum. Et illa omnia, quæ suprà diximus de vnitate Patris & Filii, quid erat, quum sic roborata sint & firmata, si hic aliter sentiendum putauit, multa poterunt diuinis solidata oraculis vnius conuelli degeneris testimonio. Amputandum est tamen,ne sibi vel de eoipso blandiatur iniquitas. Igitur sic,inquit,illum fecit vt verus sit, vt voluntas cesserit pto natiuitate, & factura pro generatione. Tantum enim dandum est, inquiunt, potentiæ Dei, vt possit facere quæ non sunt, tanquam quæ sunt. Quoniam ergo hac astutiæ calliditate nituntur contra Filium Dei, ex hisipsis, de quibus præsumunt, quia in reliquis sunt conuicti, respondendum est eis,vt in tota summa conuicti appareant. Propositio enim hæc,quantùm ad sensum pertinet,nullius momenti est. Quantùm autem ad verba, caliginem facit, ne citò appareat. Sic est enim ac si AEgyptus posita in obscuro: quia causa mala bono sensu defendi non potest. Ad impietatem ergo defendendam sacrilegis verbis vtuntur. Si itaque hæc potentia Dei, vt verum faceret Christum esse Filium sibi, quum de ipso non esset natus: ergo talem illum fecit, qualis ipse est, vt hoc præstiterit factura, quod datura erat generatio. Si ergo nihil interesse dicitis inter Deum & Christum, poterit fortè putari, quia non hoc malitiosè à vobis asseritur, vt quod in voce dicitur, hoc sit & in sensu: vt quia verus dicitur Filius, verus sentiatur per id quod vnius substantiæ est cum Patre, licet non per generationem, sed per facturam, quia totum potest Deus, sicut dicitis, vt factum sic sit quasi infectum. Si autem rationis lineam sequentes, non posse dicitis quod initio continetur, æquale esse & cõsubstantiuum cum eo, quod æternum est, reuelatis dolum malitiæ vestræ,quia vt sensum verbi elidatis, falsa voce Christum verum esse Filium Dei dicitis, negantes ei quia ęqualis est Deo Patri. Non enim verus est si inæqualis. Nunquid poterit verus dici Filius,si non verus dicatur & Pater? Si enim verus est Filius,erit verus & Pater,quam veritatem æqualitas facit. Quòd si dispares sunt, neuter eorum verus est. Sed quoniam Scripturarum testimonium irritum fieri non potest, quo Christus verus Dei Filius approbatur,de Deo Patre natus credendus est, quia vt veritas hæc firmaretur,& par Deo & æqualis legitur. At tu, qui potentiam Dei inæstimabilem prædicas,ais,Deus generare non potest,quia simplex natura est. Per quod etiam ipsi Deo Patri contumeliam facis. Mendacem enim istum dicis, vt Filium,quem ille suum & verum asserit,deneges,& tuam hypocrisim detegas,quia falsò potentem Deum prædicas. Si enim potentiam Dei in id quod verum ex falso factum asseris, prædicas, vt quod verè verum est illudas:quantò magis hoc amplecti deberes, si bonæ mentis esses, per quod verum quod dicitur,verum probatur:& testimonium quod Deꝰ Pater de Filio suo dedit,verũ firmaretur? Nam Dominus ait, Apud Deum autẽ, inquit,omnia possibilia,vt quidquid hominibus impossibile videtur,Deo possibile sit. Nã si ratio carnis respicitur,nec Virgo peperit,nec Ionas in ventre ceti vixit,nec mortui resurgẽt, nec Deus Filium genuit, quia simplex natu-

Deutero. 6

Genes. 2

Ioannis 1

Matthæi 19

ra nō potest generare, quia nihil sine commixtione generatur in hoc mundo. Hęc omnia aut simul credenda sunt, aut simul refellenda. Si enim ratio mundi tenenda est, in his omnibus debet auctoritatem habere. Quòd si aliqua ratio spiritalium est, carnalis dicendus est, qui mundi ratione infectus, negat aliter quid fieri, quàm nouit. Aliud iterum assolent sua tergiuersatione proponere. Aiunt enim, Vtrùm voluntate Pater genuit Filium an non? Vt cùm audiunt vtique quòd voluntate: statim vt inimici Dei Filii respondeant. Ergo voluntas ante Filium est, vt ex hoc non æternus appareat, quòd non vtiq; per natiuitatē initium acceperit, sed extiterit. Et tamē si hoc putāt, nō solùm ante Filiū erit voluntas, sed & ante Patrē: quia causa generationis Pater & Filiⁱ est. Infidelitas carnales sēsus sequitur in omnibⁱ. Sic enim inducit causā Dei, quasi hominis, vt antè deliberauerit & excogitauerit vt generaret, quasi infirmitati subiectⁱ, cùm in Deo neq; generatio sine volūtate fuerit, neq; voluntas sine generatione. Ipsa enim voluntas generatio est. Nā vtiq; cōmune dictū est, Fecit Deus, fecit homo: sed aliter facit Deus, aliter facit homo: ita & in cęteris causis. Si enim de Deo dicendū est vt dignū est ei: solēt enim etiā ipsi de Deo Patre aliam facere quæstionē, dicentes, Accesit illi vt generaret, aut eiⁱ naturæ est, vt semper generet. Quod ideo asserunt, vt & Deum mendacem asserant, qui se Christum generasse testatur, & Christū non verum, sed adoptiuum faciāt. Si enim genera uit, inquiūt, sēper debet generare, vt quia nō semper generat, nec Christum genuisse credatur: quasi mūdum negetur fecisse, quia alios nō facit. Quæ irreuerentia, quę indisciplinatio est legē Deo ponere, vt si genuit, aut multos genuerit, aut vnū generare non potuerit, nec ipsi Domino credēres, qui se vnicum Dei Filiū ꝓtestatus est? Post hęc quæ suprà ostensa sunt ęqualia Patri & Filio, videamus an his concordant, quæ de Spiritu sancto scripta sunt, vt Trinitas, quam in salutari professione retinemus, nō recipiat discrepātiam naturæ, quomodo nō habeat fidei diuersitatem. Quanquā enim salⁱ sine aliquo ex his non sit: vna eorum tamen videtur potestas, quæ in se credentibus dat salutem. Quoniam ad testimonium Filii verba Patris protulimus, nunc ad testimonium Spiritus sancti verbis vtamur Filii, quibus non differre à se Spiritum sanctum protestatur, vt cum Filio Pater, & Filius Spiritui sancto testis est, vnius esse naturę Trinitas intelligatur. Dicit ergo inter cætera Dominus, Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt vobiscum sit in æternum, Spiritum veritatis. Cùm alium Paracletum mittendum dicit, se vtique Paracletum probat. Nam & legitur in Epistola Ioannis. Dicit enim, Habemus aduocatum apud Patrem Iesum Christum, qui exorat pro peccatis nostris. Et iterum dicit Dominus, Ego sum veritas. Ecce aperta vnitas Spiritus sancti & Filii Dei. Quæ enim de se loquitur Filius, eadem loquitur & de Spiritu sancto. Nunc subiicienda sunt, quæ in huiusmodi sensum ordinat Scriptura. Legitur in Esaia, quòd Dominum sabaoth viderit in throno maiestatis sedentem, quem Ioannes Euangelista Christum esse intellexit, dicens inter alia, Hæc dicit Esaias, quando vidit maiestatem eius, & loquutus est de eo. Hunc Apostolus sanctum dicit esse Spiritum. Ait enim in nouissima parte Actuum Apostolorum, Bene loquutus est Spiritus sanctus ad patres vestros, dicens, Aure audietis, & non intelligetis, &c. Hæc verba à Domino sabaoth dicta sunt. Hic est vnus Deus, qui siue Pater intelligatur, siue Filius, siue Spiritus sanctus, non est contrarium, quia vna eorum diuinitas & vna potestas est. Nam si in vnius præfecti prætorio programmate etiam cæteri præfecti iubere dicuntur, propter auctoritatem vnius potestatis, quantò magis in vnius Dei imperio, si loquutus vnus è tribus fuerit, non incongruè dicentur tres loquuti? Est enim eorum natura & voluntas vna. Solent iterum præiudicare Spiritui sancto, quòd ideo degener intelligatur, quia in ordine tertius ponitur, quum tanta simplicitas sit in Scripturis diuinis, vt aliquando inuenias tertium primum positum. Vt enim causa se tulerit, sic & ponuntur. Nullius enim iniuria est, quia vna eorum diuinitas est. Denique legimus in Esaia, dicente Domino, Ego sum primus, & ego in æternum, & manus mea fundauit terram, & dextera mea solidauit cęlum. Et in subiectis, Ego loquutus sum, ego vocaui, ego adduxi eum, & prosperum iter eius feci: accedite ad me, & audite hæc. Non in occulto ab initio loquutus sum. Quum fierent, illic eram, & nunc Dominus misit me, & Spiritus eius. Quem vis esse qui fundauit terram? Ipse enim dicit se missum esse. Nunquid Patrem? Absit. Filius ergo est, qui se missum dicit à Deo & Spiritu sancto. Ecce paria sunt inter Filium & Spiritum sanctum. Sicut enim à Patre & Filio missus legitur Spiritus sanctus, ita & à Deo & Spiritu sancto missus est Christⁱ. Hoc enim solius Patris peculiare est, ne missus dicatur. Accipe dicta Apostoli, qui alio ordine cōplectitur Trinitatē. Dicit enim inter cætera in Epistola ad Thessalon. 2, Dominus dirigat corda vestra in charitate Dei, & in patientia Christi. Quem putas dicit Dominum, nisi Spiritum sanctum? Et quid mirum, cùm quē in throno maiestatis sedentem Esaias viderit, hic ipsum dicat Spiritum sanctum Dominum sabaoth, sicut suprà ostēdimus? Et Ioannes Apostolus Deum intelligi in Spiritu sancto significat inter cætera, dicens, In hoc cognoscimus, quia Deus in nobis manet, de Spiritu sancto, quem dedit nobis. Si ergo per Spiritū suum ipse in nobis manet, nō ambigitur de Deo esse Spiritum sanctum. Et nec dubiū est, quia quod de Deo est, Deus est. Hinc est vnde Apostolus dicit, Nemo scit quę

Ioannis 14

1. Ioannis 3

Ioannis 14

Esaiæ 6

Ioannis 12

Actuum 28

Esaiæ 48

2. Thessal. 3

1. Ioannis 4

1. Cor. 2.

sunt

sunt in Deo, nisi Spiritus Dei. Quomodo potest scire quæ in Deo sunt, nisi sit eiusdem diuinitatis? Inferior enim natura non potest scire quid sit in potentiore: quantò magis creatura quid in Conditore suo esset, scire non poterat? Et ad Corinthios in Epistola prima, præterito ordine qui in traditione fidei est, à Spiritu sancto incipit gratiarum & mysteriorum memorare operationes, & subiungit Dominũ Iesum, & tertium ponit Deum, quem in Spiritu sancto & in Domino dicit operari: sicut ait & Dominus, Pater manens in me, ipse operatur. Per id enim quod de Deo Patre est, & Spiritus sanctus & Christus, operatio eorum opus est Dei. Denique Spiritum sanctum idem dicit & Deum, propter vnitatem naturę. Cùm ergo hoc loco idẽ Deum, qui est & Dominus, dicat operari omnia in omnibus, inferius sic concludit, dicens, Omnia autem hæc operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens vnicuique prout vult. Quid tam apertũ tres vnius esse operationis: quia operante vno, operari dicuntur tres? Quare, nisi quia vnius sunt diuinitatis? Nam non est ambiguum donum gratiarũ propriè Spiritum sanctũ operari. Sed vt Deũ & Dominum, & Spiritum sanctum vnũ esse propter naturę indifferentiã doceret, opus Spiritus sancti trium esse opus ostendit. Et vt manifestaret quia solius, quantùm ad personam pertinet, Spiritus sancti opus est, Hęc autem omnia, inquit, operatur vnus atque idem Spiritus, diuidẽs vnicuiq; prout vult. Ideo prout vult, quia voluntas eius voluntas est Dei. Nõ enim dicit, Prout vult Deus, sed, Prout vult Spiritꝰ. Creatura enim cogit se, vt Dei faciat voluntatẽ. Spiritus autem sanctus naturaliter hoc vult. Vt autem apertè luceat, quia omnia Spiritus sanctus operatur, dicit Dominus inter cætera, Si enim ego in digito Dei eiicio dæmonia, &c. Digitum Dei appellat Spiritum sanctum, vt probet illũ de Deo esse. Denique Iudęos qui eum in Beelzebub principe dæmoniorũ eiicere dæmonia dicebãt, in Spiritum sanctum blasphemasse testatus est. Moses quoque, quia per Spiritũ sanctum signa faciebat, confitentur Magi, dicẽtes, Digitus Dei hic est. Nam in Actibꝰ Apostolorum legimus, Deseruiẽtibus autem eis & ieiunantibus Domino, dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Barnabbã & Saulum, ad opus ad quod vocaui eos. Ecce seruitur Domino, & hoc Spiritus sanctus sibi vendicat. Vnde manifestè apparet hũc esse Dominum sicut & Deum Patrem. Et Saulum Christus de cælo vocauit, & misit prædicare. Et hoc simili modo sibi vẽdicat Spiritus sanctus dicendo, Ad opus ad quod vocaui eos. Nam nemo ignorat Episcopos Saluatorẽ Ecclesiis instituisse. Ipse enim priusquã in cælos ascẽderet, imponẽs manum Apostolis ordinauit eos Episcopos. Hoc Apostolus Spiritu sancto deputat, cùm dicit, Attendite vobis & omni gregi, in quos vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Domini Iesu.

1. Corinth. 12

Ioannis 14

2. Corinth. 12

Lucæ 11

Exod. 8

Actorum 13

Actorum 9

Actorum 20

Et inter cętera dicit Petrus ad Ananiam, Anania, cur repleuit satanas cor tuum, vt mẽtireris Spiritui sancto? Et infrà, Non es enim, inquit, hominibus, sed Deo mẽtitus. Apertum est Spiritum sanctum dictum Deum, cui mentitus Ananias, Deo mẽtitus dicitur. Quòd si Spiritum sanctum minimè voluisset Deum intelligere, dixisset, Non es mentitus hominibus, sed Spiritui sancto: vt neque Deum hunc, neq; hominem significaret. Et quid mirum? Apostolus enim aliquãdo templum Dei hominẽ appellat, aliquando verò templum Spiritus sancti, propterea quia vnũ sunt natura. Si enim Deus minimè intelligeretur Spiritus sanctus, qua audacia diceret infrà, Templum Dei sanctum est, quod estis vos? quoniã vnus Deus in omnibus Scripturis prædicatur: mysterium autẽ eius in Trinitate adoratur. Idcirco sic ait Scriptura, vt sub vnius Dei professione ea quę de ipso sunt, id est, Filius & Spiritus sanctus eius in eodẽ honore intelligitur, in quo Deus est. Quia ideo sacramentum reuelatum est Dei, vt gloria eius in Trinitate significaretur. Quãobrem non plena auctoritate Deus vocatur quod de Deo est, ne alterum absq; eo, qui vnus est, facere credatur. Sed intellectum dat, vt credamus ea ratione in Trinitate creaturæ salutem consistere, quia vna est eorum diuinitas. Neque enim possent simul iungi & in ordine poni Creator & creaturæ, dominus & serui, æternitas & quæ sub initio sunt. Quippe cùm sine vno eorum salus nulli sit. Ad iniuriã enim vocatur omne quod Deꝰ est, siue Filius, siue Spiritus sanctus, si extra vnius Dei honorem deputetur & gloriam. Scripturę igitur ostendunt Christum Deum, ostẽdunt Spiritum sanctum Deum, vt vidẽtes sciãt quid sic ostenditur. Tale est si quis gemmam ostendat, non clamãs quia gemma est: nunquid quia ille non clamat, non erit gemma quæ videtur? Ita & Scripturæ ostẽdunt per ea quæ suprà tractata sũt, quid credere debeamus, intra vnius Dei fidem sensum nostrum concludentes mysterio Trinitatis.

Actorum 3

1. Corinth. 3

QVAESTIONVM MIXTIM ex nouo & veteri Testamento positarum pars tertia.

Quomodo in Euangelio Ioannis diabolus dicatur habere patrem, sicut supra secunda parte Quæstione nonagesima disquitum est.

98 AVdistis quæ cõtestetur sacrosanctum Euangelium, dicente Domino ad Iudæos, Vos de patre diabolo nati estis, & desyderia patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas nõ est in illo. Cùm loquitur mẽdaciũ, ex suis, ppriis loquitur, quia mẽdax est sicut & pater eius. Nemo fidelium dubitet diabolum apostasiæ suæ auctorem non habere. Ipse enim totius erroris est princeps. Qui videns à Deo

Ioann 8

factum se non mediocris potentiæ, ausus est præsumere diuinitatem: vt quia cæteros vidit inferiores, seipsum præferret vt Deum. Denique nomina, quibus appellatur diabolus & satanas, ab actu eius composita sunt, non ex natura. Omne enim malum opere probatur, vt non substantia in crimine sit, sed voluntas concepta ex causis. Dum enim se vidit potiorem cęteris, inflatus est ad exercẽdum dominationẽ. Quomodo ergo patrem habere dicitur, qui auctor sceleris eius habeatur? Aut vnde probatur ab initio homicida fuisse? Sed Scriptura illum qui eius fuerit imitator, nomine eius appellat. Vt quia ab opere nomen accepit, omnis qui malum opus fecerit, non immeritò diabolus nominetur. Saluator ergo hoc loco Cain diabolum appellauit: quia operum eius æmulus, dum inuidit fratri, homicidium perpetrauit, exemplum relinquens crudelitatis parricidii. Sicut & diabolus dum inuidit homini facto ad imaginem Dei, malignitatem operis sui cumulauit, typum præbens erroris. Hinc itaque extitit etiam mendax Cain, dicente sibi Deo, V-
Genes.4 bi est Abel frater tuus? Qui patris sui imbutus malitia, in mendacium prorumpens, Nescio, inquit: vt cui vitam extorserat, vbi esset nescire se simularet: sic furore cæcatus, vt Deo sic responderet quasi homini, quem putaret se posse cælare. Igitur huiusmodi imitatores facti Iudæi, etiam ipsum Dominum occiderunt, Cain potius fratricidam patrem volentes habere, quàm Deum, vt totius sanguinis effusi rei fierent. Auctorem enim vitæ perimentes, totius sceleris principes extiterunt. Ita vt huic malo etiam filios suos obligarent, dicentes,
Matth.27 Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Vt enim Pilato suaderẽt nihil mali esse quod petebant, in filios suos retorqueri dixerunt si esset iniustum: quia vt furori suo satisfacerent, nec filiis quidem suis parcere voluerunt. Nam quia diabolus non natura malus est, hinc facilius discitur, quia pœna non promitteretur ei, qui non fecerat quod nescierat. Iniquum est enim punire eum, qui non facit aliud quàm quod suæ est naturæ. Et magis istud malum est, si hoc exigas ab aliquo, quod scias illum non posse. Quamobrem iustè plectendus est, quem quum constet scire ac facere posse bonum, agit malum. Hoc etiam ex verbis Saluatoris poterit aduerti. Ait enim, sicut suprà memoratũ est, Pater vester homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit. Igitur si per naturam mendax est, quomodo dicitur in veritate non stetisse? Hic enim in veritate non stat, qui in veritate permanet. Constat ergo diabolũ in veritate fuisse, sed non perseuerasse. Denique legimus in Propheta sic dicẽtem Dominum, Si stetissent, inquit, in substãtia mea, id est, in Le-
Galat.5 ge mea. Et Apostolus ad Galatas, State, inquit, & nolite iterum seruitutis iugo cohiberi. Quid tam apertum? Hoc enim mandat, vt de cætero permaneant in mãdatis eius. Quòd si diabolus seruasset, steterat in substantia & in Lege Dei. Fundamentum est enim Lex seruantibus eam. Quomodo ergo quibusdam videtur diabolum aut malum à Deo factum, aut propriam habere originem, id est, ex nullo ortum: quod vtrũque Deo videtur cõtrarium? Qui enim ad hoc illum dicit factũ, vt esset malus, imperfectę putat Deũ esse bonitatis: quia perfectè bonus nõ facit malum. Qui verò originis eius Deum auctorem esse nõ credit, eius dominium Deo abnegat. Per hoc enim quum omnia Dei sint, aliquid esse arbitratur quod minimè ad Deũ pertineat: quos oportet pœnas perpeti, quum viderint cuncta à Deo iudicari per Christum.

Quid sit illud Apostoli, Tentatio vos non apprehendat, nisi humana.

Non sine prouidentia (vt arbitror) magi- 99
ster gentium Apostolus, non vt tentatio nos *1.Cor.10*
non apprehẽdat exoptat, sed vt humana duntaxat, quia diuina tentatio pernicię parit. Hac enim Iudæi apprehensi, à serpentibus perierunt. Agentes enim sub Dei lege, de prouidentia eius dubitabant, ac per hoc ne diuina nos, sed humana tentatio apprehendat, hortatur. Hic enim tẽtari à Deo dicitur, qui sub nomine eius agens, ab idôlis sperat salutem: quia non habet Deum probatũ. Omne enim quod probatum non est, tentatur, & in dubium venit. Ac per hoc diuina tẽtatio mortalis est, humana verò tentatio salutaris est, quia sicut de Deo dubitare pernicioſum est, ita de homine desperare propter Dei Legem saluberrimum est. Quamobrem prouidenter Apostolus, Tẽtatio, inquit, vos non apprehendat nisi humana: vt propter Dei Legem ab hominibus tẽtati, fortes inueniamur, dubitantibus de nobis hominibus carnalibus, Deo autem probati simus: quia qui probati Deo non sunt, tentantur vt emendentur. Duplex ergo tentatio est: aliquando enim quasi fideles, aliquando quasi diffidentes tentamur, vt fidelium tentatio humana sit: propter fidem enim ab hominibũs tribulamur. Tentant enim nos si possint abducere à fide. Propter diffidentiam autem tentantur, vt angustiati pœnitentes redeant in viam, sicut factum est etiam Iudæis. Quum enim diffiderent de prouidentia Dei, tentati sunt à serpentibus, vt dolore correpti emendarentur. Deus enim sic tentat, vt corrigat huiusmodi homines. Est & alia tentatio, qua
tentatus est Abraham & Iob, necnon & To- *Genes.22*
bias famuli Dei, vt Abraham per tribulationem oblati vnici & dilectissimi filii, vberiorem fructum iustitiæ haberet ad æternam gloriam. Iob autem amissione totius substan- *Iob 1.&2*
tiæ augmentaretur, diuitiis locupletatus in cęlis & in terra. Tobias verò cæcitatem lumi- *Tobiæ 2*
num passus, sic prouectior extitit, vt ad præsens glorioſus fieret receptis oculis, & in futurum seruaretur ei claritas perpetua: quia ad hoc probantur iusti, vt proficiant. Ideóque in tentatione robusto animo esse debemus,

scientes

scientes non ad diminutionẽ nostram hoc proficere, sed augmẽtum, si modò æquo animo toleremus per Christum Dominum nostrum.

Quomodo in Euangelio Matthæi dictum sit, Confiteor tibi Pater Domine cæli, &c?

100 Audistis, fratres charissimi, quid contestetur Euangelium, dicente Domino, Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita Pater: quoniã sic fuit placitum ante te. Igitur si dictorum sensum inspiciamus, videbimus ea quæ ad exhortationẽ credentium à Domino dicta sunt, eorum qui propterea quòd mundanam sapientiam spernunt, paruuli videntur sapientibus mundi, qui nullo testimonio commendati sapientes volũt dici. Idcirco indignũ visum Deo his ostendere veritatẽ, humilibus autem, qui nihil de se præsumentes diuinæ se voluntati inclinant, æquitate cogẽte salutaria reuelanda sunt. Hic enim prudẽs Deo est, & salutis suæ memor, qui scientiæ suæ anteponit Dei Legem, quam vtique videt non verborum strepitu fulciri, sed rerum virtutibus. Et sine dubio hic stultꝰ & vanus est, qui huic rei se commendat, quæ nulla munitur prærogatiua signorũ. Vnde non literatis seculi regnũ Deus promisit, sed fidelibus: neq; scrutatoribus syderum æternitatem pollicetur, sed rectè agentibus: non dialecticis, qui fraude & minutis quibusdam ratiũculis verum excludere nituntur, gloriam dat: sed bonæ voluntatis hominibus, qui accurati magis vita sunt, quàm sermone. Istos enim reprobat Deus, qui oratione clari sermonis magis vti volunt, quàm bonis actibus. Nam & gloriam Dei in se vult conuertere, qui rem Dei verbis exornare se putat. Res enim ipsę per se placere debẽt, vt non sermo, sed sensus laudetur. Si enim sensus auctor est literæ, & verba propter res significandas inuenta sunt: cur non magis res ipsæ puro sensu promendę sunt, vt felicius mentem incitent ad salutem? Ideóque piscatores elegit Dominus noster Apostolos homines simplices, & sine literis, qui sine aliqua versutia fidem seruando, & bene viuendo, Dei in se ostenderent veritatem. Vnde & Apostolus Paulus, Et ego veniẽs, inquit, ad vos fratres, nõ veni in sublimitate sermonis aut sapientiæ. Et inter cætera, Quia non (ait) in sermone est regnum Dei, sed in virtute: vt quia verba contradictioni obnoxia sunt, Dei legi virtus testis existeret, cui omnis cedit sermonum sublimitas. Itaque hæc idcirco præmissa sunt, fratres charissimi, vt consuleretur simplicioribus, ne fortè indignos se putarent gratia Dei, quia minimè sunt literis forensibus eruditi: quum magis ad laudem proficiat simplicitas eorũ: quoniam quod prudentes mundi non vident superbia literarum, hoc credunt non verbis, sed consilio prudẽtes. Sciunt enim in bonis operibus requiescere Deum, & fidem quærere, non cultum sermonum. Legũt enim dicentem Dominum, In quo requiescã, nisi in humili & mãsueto & tremẽte verba mea? Quã obrem vt digni efficiamur ad prę̃missa prę̃mia, ea quæ à Domino iubẽtur facere debemus, securi, quia hos diligit Dominus, qui verba eius custodiunt. Sic enim dicit discipulis suis, Si diligitis me, præcepta mea seruate: vt in iis Domino seruientes, regni eius hæredes esse possimus per Iesum Christum Dominum nostrum.

Matth. 11

1. Corinth. 2

Esaiæ 66

Ioannis 14

Quomodo contra Leuitas Romanos disceptandum sit, qui contendunt Leuitas Sacerdotibus, & Diaconos Presbyteris coæquare.

101 Dũ iussis charitatis parere volumus, in vituperationẽ fortè cademus, qui de re quę nulli aliquãdo in dubium venit, scribimus: quia cùm amicitiam offendere nolumus, studium quod ad aliquam rem occultam reuelandam proficere debuit intricamus. Quanuis propter nimiam stultitiam cuiusdam hoc asseuerantis, quod in subiectis pandemus, istud nobis iniunxerit charitas memorata, ne cùm nemo diu ad hoc respõderit, in peius proficeret, vt diu in vano exercitatus, emendari non possit. Hoc enim charitatis studium est, quæ non quęrit quæ sua sunt. Quidam igitur qui nomen habet Falcidii, duce stultitia & ciuitatis Romanæ iactantia, Leuitas sacerdotibus, & diaconos presbyteris coæquare contendit, non dicam præferre: quia stultius est, & fortè incredibile videtur: & nos non emẽdatores, sed calumniatores habeamur. Qua igitur lege quáve consuetudine, quonam exemplo hoc aggredi audeat, nullum scire arbitror, vt istos quibus confessus in Ecclesia datus est minimè his coæquet, qui propter quod Antistites Dei sunt, in domo Dei & in honore Christi cum dignitate consistunt. Quæ audacia est presbyteris ministros ipsorum pares facere? Quæ temeritatis præsumptio, sacerdotibus baiulos tabernaculi & omnium vasorum eius, & lignorum concisores, & portitores aquæ conferre? Hoc enim officiũ fuit Leuitarum. Tale est, si præfectis officiales, dominis serui æquentur. Hoc enim scriptũ est dicente Domino ad Mosen, Accipe tribum Leui de medio filiorum Israel, & statue illos ante Aaron sacerdotem, & deseruiẽt ei. Quid hoc exemplo apertius, quod etiam nunc in Ecclesia custoditur? Quanquam Romanæ Ecclesię diaconi modicò inuerecundiores videãtur, sedendi tamen dignitatem in Ecclesia non præsumunt. Vt autem non omnia ministeria obsequiorum per ordinem agant, multitudo facit clericorum: nam vtique & altare portarẽt & vasa eius, & aquam in manus funderent sacerdoti, sicut videmus per omnes Ecclesias, & sicut constitutum est à Domino per Mosen. Nunquid aut meliores Helisæo sunt, qui aquam fundebat in manus Heliæ? Sic autẽ diaconos aduersos presbyteros defendit, quasi ex presbyteris diaconi, & non ex diaconis presbyteri ordinentur. Sed quia Romanę Ecclesię ministri sunt, idcirco honorabiliores putãtur, quàm apud cæteras Ecclesias, propter magnificẽtiam vrbis Romanę, quę caput esse videtur

Numer. 8

omnium ciuitatum. Si itaque sic est, hoc debét & sacerdotibus suis vendicare: quia si ii qui inferiores sunt, crescunt propter magnificétiam ciuitatis, quãtò magis qui potiores, sublimandi sunt? Quidquid enim officialibus præstatur, augmentum fit potestati, sicut honor serui ad laudem proficit domini: quanquam apud iustum iudicem Deum vnicuique hic honor maneat, qui decretus est singulis Ecclesiarum officiis, vt qui Diaconus est, Diaconi honorem per omnes Ecclesias habeat. Non enim qualiscunque honor est Antistiti Dei seruire in Ecclesia duntaxat, vt sacerdos totius honoris Ecclesiastici dignus habeatur. Maior enim ordo intra se & apud se habet & minorem. Presbyter enim, & Diaconi agit officium & Exorcistæ, & Lectoris. Presbyterum autem intelligi Episcopum, probat Paulus Apostolus, quãdo Timotheum quem ordinauit presbyterum, instruit qualem debeat creare Episcopum. Quid est enim Episcopus, nisi primus presbyter, hoc est, summus sacerdos? Denique non aliter quàm compresbyteros hîc vocat & consacerdotes suos. Nunquid & ministros condiaconos suos dicit Episcopus? Non vtique, quia multò inferiores sunt. Et turpe est iudicem dicere primicerium. Nam in Alexandria & per totam Egyptum, si desit Episcopus, consecrat presbyter. Quanta autem sit dignitas ordinis sacerdotalis, causa ostendit Caiphæ, qui cùm esset homo pessimus, prophetauit. Quare? Quia princeps, inquit, erat sacerdotum. Et iterum multùm distare inter Diaconũ & sacerdotem, liber approbat, quem dicimus Actus Apostolorum. Quum enim ex Samaria credidissent Philippo prædicanti, Diacono ab Apostolis ordinato, Miserunt, inquit, ad Petrum & Ioannem, vt venirent, & iis qui crederent, darent Spiritum sanctum per manus impositionẽ. Sed inscii credo Scripturarũ aut immemores Legis hæc defendunt. Recordari ergo debet, qui ista putat asserenda, quid Leuitis acciderit cùm taliter saperent. Quũ enim nihil inter sacerdotes & Leuitas interesse præsumerẽt, Deo iudice hiatu terræ absorpti sunt Chore & consentientes ei, & ducentos quadraginta viros torrens ignis simul consumpsit. Et Ozias rex, quum opus sacerdotale præsumeret, lepra perfusus est, vt hoc vtique exemplo cæteri territi, non audeant quod sibi concessum non est prẽsumere. Nunc enim videmus Diaconos temerè quod sacerdotum est agere perconuiuia, & in oratione id velle, vt respondeatur illis, quum istud solis liceat sacerdotibus. Diaconi ergo ordo est, accipere à sacerdote, & sic dare plebi. Vides quid pariat vana præsumptio. Immemores enim elatione mentis, eò quòd videant Romanæ Ecclesiẽ se esse ministros, non consyderant, quid illis à Deo decretum sit, & quid debeant custodire: sed tollunt hæc de memoria assiduæ stationes domesticæ & officialitas, quæ per suggestiones malas seu bonas nunc plurimum potest. Aut timentur enim, ne malè suggerant, aut emuntur vt præstent. Hi sunt qui faciunt eos ordinis sui non consyderare rationem. Dum enim per adulationem obsequuntur illis illicitè, præcipites illos faciunt, vt plus sibi putent licere. Quippe quum videant non sic deferri sacerdotibus, ac per hoc anteferri se putãt. Sed testimonio, inquit, Diaconi fit presbyter, quasi istud ad prærogatiuam pertineat magnitudinis. Legimus enim ad plebem dixisse Petrum Apostolum, Eligite, inquit, ex vobis quos constituamus deseruire ministris Ecclesiæ. Nolo dicere, Mensis. Ecce laicorum testimonio creati sunt Diaconi. Et Apostolus eum qui ordinandus dicitur Episcopus, etiam testimonium vult habere gẽtilium. Sic enim ait, Oportet enim hunc & testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt. Omnium ergo est testimonium dare, & non tamen omnes hoc honore digni sunt. Iudicare enim omnes possunt, & non tamen omnes possunt esse quod iudicant. Potest enim pictor iudicari bonus, & præferri alteri pictori ab illo qui pingere nesciat, & coraula melior alio coraula approbari ab eo qui alterius est artis. Ita & testis potest esse creandi presbyteri, qui inferior ordine est. Et iterum quo inflentur & putent sibi multum deberi à nobis. Perducuntur enim, inquiunt, qui ordinandi sunt, vt dum lateri illorum septi sunt, honore digni videantur. Fateor facti eorum esse, sed quasi officialis. Ab Episcopo enim mittitur, vt obsequium prębeat ordinando. Nam & Imperator, vt Imperator appareat, ordinatur obsequio militari: non tamen melior nec par est exercitus Imperatori. Nam & Aman quum esset clarus in honore militari, à rege missus est, vt Mardochæo in obsequium iret, vt quantùm dignus esse Mardochæus ex huiusmodi obsequiis nosceretur. Ita & Diaconi creandis presbyteris in obsequium mittuntur, vt dignos eos fieri sacerdotes omnes intelligant. Exceptis enim sacerdotibus, quibus obsequium debent, omnibus præponuntur Diaconi.

1. Timoth. 3

Ioannis 11

Actorum 8

Numer. 16

2. paral. 26

Actorum 6

1. Timoth. 3

Hester 6

Quomodo contra Nouatianos contendendum sit, qui pœnitentiam salutarem negant.

Dicunt discipuli sui ad Iesum, Domine, vis vt dicamus, Descendat ignis de cælo, & consumat eos, sicut fecit Helias? Et respondit illis Dominus, dicens, Nescitis cuius spiritus estis. Filius enim hominis non venit animas perdere, sed saluare. Quum dignum vtique esset vindicare in Samaritanos, non excipientes eum: Dominus tamen, qui ad misericordiam dandam aduenit, sententiam amouit, vt de cætero corrigentes emendarentur. Et Propheta Helisæus indignatus pueris, qui ei contumeliam faciebant, Deo iudice vindicauit in eos, vt eo loco ab vrsis comederentur, vbi sylua esse negatur. Dominus autem oblatæ sibi meretrici pepercit, ei videlicet quam in adulterio se deprehẽdisse maiores Iudæorum dixerunt,

102 Luca 9

4. Reg. 2

Ioannis 8

dixerunt, vt quia pia prædicatio incœperat, nõ condemnandum, sed ignoscendum doceret. Nam per Mosen data est Lex: quia iustum fuit vindictam in primordiis cum seueritate exerceri, quia & in illum qui sabbatis exiit ligna colligere, funebriter vindicauit, & in filium AEgyptię, qui blasphemauerat in Deum, similiter vltionẽ dedit, & in causa fusilis vituli percussit filios Israel. Vnaqueque ergo lex inter ipsa primordia sensum suum plenum ostẽdit, vt vetus Lex, quia ad vindicandum promptior erat, inter initia sua asperior videretur, vt metu incusso diligentes & solicitos faceret auditores suos. Noua ergo propterea quòd pia & ad misericordiam facilis est, primordia sua mitissima & clementissima demõstrauit, vt ipsa oblectatione ac dilectione omnes ad indulgentiam prouocaret. Postea autem & illa quæ asperior visa est, propter fragilitatem humani generis, non solùm rigorem suum molliuit, sed & humanam & piam se præstitit: & hæc quæ clemẽs visa est, propter fragilitatem humani generis, aliquãdo vindicauit. Ananias enim cũ Sapphira vxore sua Diuinitus cæsi sunt. Et Elimas magus incredulus & Dei Legi repugnans, Domini iudicio & virtute cæcatus est. Et Herodes rex propterea quòd honorem non dedit Deo cæli, ab Angelo Dei percussus, scatens vermibus expirauit. Ne quia misericordia prædicatur, inultum omnino putarent homines & impunè peccare, timorem posuit, ostendens ad hoc dari veniam delictorum, vt quasi ex mortuis viuificati, postea abstinerent se à contrariis, vt id elaboretur, ne quis hinc cum crimine exeat, quia ad iudicium venietur. Hæc enim vnicuique sẽtentia imputatur, in qua definitur. Quoniam igitur noua Lex plenitudinem habet misericordiæ, ne contẽptui duceretur ab amatoribus peccatorum, in suprà dictos vindicauit. Vetus verò Lex, quanquam ad vindictam data sit, quibusdam tamen ignouit, ne omnino crudelis diceretur: sed in plures vindicauit, quia sensus eius ac vlciscẽdum promptus est. Sine dubio ergo maior gratia nouæ Legis est, quã fuit veteris. Si ergo maior gratia est, quomodo negatur hoc præstare posse quod præstitit illa, quæ minorem gratiam habuit? Erat enim propensior in seueritatẽ. Itaque si ista pœnitentibus ignouisse probatur, quid fieri potest, vt ista quæ clemens est, non recipiat pœnitentes? Nam & Iudæi filii Dei appellati sunt, qui per Mosen in nube & in mari baptizati Apostoli Pauli auctoritate leguntur. Legem enim accepturi pro culdubio purificati noscuntur, vt de cętero acceptæ Legis redderẽt rationem: vt si quid peccarent, per potentiam se reformarent, dicente Domino per Esaiam Prophetam, Pœnitẽtiam agite qui erratis & cõuertimini. Sed fortè econtrariò dicitur, Pœnitentia quidẽ prędicata est, non tamen remissio. Si ergo pœnitentia à Deo prædicata est, fructus erit agentibus pœnitentiam. Nec enim superuacuè hoc Dominus cõmoneret. Porrò autem sciens Dominus cõuersis dari debere peccatorum remissionem, hoc præcepit: quippe quum dixerit, Nolo mortem peccatoris, tantùm vt conuertatur & viuat. Itaque & est fructus pœnitentiæ, sicut claruit, conuersis ad Deũ. Exclusa est ergo Nouatiani impiè composita assertio, qua verborum Dominisensum inuertit dicens, Ait Dominus, Qui me negauerit, & ego negabo ipsũ: vt si aliquis Christianus quacunque ex causa negauerit, iam redire non possit, aut certè reuertens, minime recipiatur. Et vbi erit demãdata pœnitẽtia, cum Saluator post datam hanc sententiam, negante Apostolũ Petrum nõ negauerit? Quare? Quia pœnitentia subsequente erratum suum amarissimè fleuit, sciens vtique cõuersis ignosci, & reformari eos per pœnitentiam. Sed Nouatianus fingit agendam pœnitẽtiam. Quia enim apertè non audet negare pœnitentiam dandam astrictus Lege, subtiliter hanc frustrare contendit. Quando enim dicit, Quia qui negauerit, nullo modo veniam habebit, sed negabitur & ipse in conspectu Angelorum Dei: quomodo nõ cum dolo agendam pœnitentiã profitetur? Hinc autem manifestè fraus eius apparet, cùm subiungit dicens, Quicunque peccauerit in Spiritum sanctum, nõ remittetur ei, neque hîc, neque in futurum. Quanuis alia causa sit, qua peccatum est in Spiritum sanctum, & alia negare Dominum Iesum. Nouatianus tamen vt huic peccato veniam deneget, vnum sensum vult esse, & negantis Dominum, & peccantis in Spiritum sanctum, vt hac tergiuersatione fructum amputet pœnitentiæ. Si enim idem est negare Dominum quod peccasse in Spiritum sanctum, nulla venia sperãda est negantibus, neque fructus aliquis pœnitentiæ: quia hoc peccatum, neque hîc, neque in futuro remitti Dominica oracula promiserunt. Hinc ergo apparet Nouatianum cum dolo dicere agẽdam pœnitentiã. Vt quid enim pœniteret, si delictum aboleri negatur? Pœnitentiæ enim gemitus, fletus, & lamẽratio hoc acquirit, vt & veniam mereatur, & reformationem. Denique Dauid pœnitens & confitens peccatum suum, & veniã meruit, & ad pristinum statum redditus est, quia & rex permãsit, & postea prophetauit. Quod liquido probatur. In quinquagesimo enim Psalmo pœnituit, & postea persecutionem à filio suo passus prophetauit. Tertius enim Psalmus iuxta historiã post quinquagesimum est. Sed fortè regi ignosci oportuit, humilibus autem ignosci non debet: cùm magis potẽtioribus difficilius ignoscẽdum videatur. Deus enim personã hominis nõ accipit. Quantò enim quis sublimior est, tantò magis, licet leue peccatũ eius, graue est crimen. Sicut enim humilitas in potẽte sublimis & magnifica est, ita & culpa eius pro crimine habenda est. Exceptis enim peccatis, quæ constat omnibus esse illicita, non omnia licent potentibus, quę sunt concessa humilibus. Dignitatis enim homini negotiari deforme est, & popinã

Num. 15 Leuit. 24
Exod. 32
Act. 4
Act. 13
Esai. 45
1. Cor. 10
Ezech. 18
Matth. 10
Matth. 26
Matth. 12
Roman. 9

ingredi notabile est: senatoribus quoque fœnº diffamia est. Si ergo in his leuibus inuenti notãdi sunt, tantò magis rei cõstituendi sunt si peccauerint. Per hoc ergo apparet Dauid grauissimè peccasse, & quidem duplici modo. conuersus tamen & homicidii & adulterii veniam cõsecutus est, & quod est amplius, deflens reformatus est. Quum enim à Propheta Nathan argueretur, peccatũ cælare non ausus est, sed con
2.Reg 12 fessus est dicens, Peccaui Domino. Tunc respõdit Propheta & dixit, Abstulit Dominus peccatum tuum, & non morieris, quoniã pœnituisti. Et quia inuenitur postea prophetasse, du-
3.Reg 21 bium nõ est hunc reformatum. Nam & Achab correptus à Prophetа propter mortem Nabuthæ, ibat plorans, & conscidit vestimenta sua, & præcinxit se cilicio: & factũ est verbum Domini in manu serui eius Heliæ de Achab, & dixit Dominus, Audisti quoniam motus est Achab à facie mea? Nõ inducã ei mala in diebus
Ionæ 3 eius. Et Niniuitis peccata deflẽtibus, imminente morte reparata est vita. Ecce quantus profectus est pœnitentiæ. Sed fortè dicatur econtra, Concessa quidem est, sed nõ de crimine idololatriæ. Quanuis enim hæc grauia sint, maius est tamen crimen idololatriæ. Rectè tamen explosa est, non ex modica parte Nouatiani assertio, qui duo crimina grauia cõcessa pœnitentiæ vi dentur. Quia si fornicationi ignosci nõ debet, sicut Nouatiano videtur, quantò magis homicidio aut adulterio? Sed hinc vanitas eius apparet, quãdo hæc quæ grauia sunt, concessa probantur. Quamobrem nunc, an idololatris concedi posse promiserit Deus, requirendum est. Omne enim quod iure hîc concessum non fuerit, nec in futurum poterit concedi. Hîc enim
Matth.16 sicut dixit Dominus, aut ligantur, aut soluuntur peccata: in futuro autẽ nihil aliud erit, nisi remuneratio aut condẽnatio. Omnis enim qui hîc iure reprobatur, nõ poterit eligi, aut dignº in futurum iudicari. Audiamus igitur quæ dicat Dominus de idololatris ad Hieremiã Pro-
Hierem. 3 phetam, Vade & dic, inquit, Reuertere ad me commoratio Israel, dicit Dominus, & non firmabo faciem meam in vos, quia misericors ego sum, dicit Dominus, & non irascar vobis in æuum: veruntamẽ cognosce delictum tuum. Impiè egisti, & posuisti vias tuas in alienos subtus omne lignum nemorosum. Ecce quid promittit eis Deus, qui post lapsum ad se conuertuntur, vt post apostasiam regressis remittat peccata. Et iterum dicit Deus per Hieremiam, Delicati mei ambulauerunt vias asperas, ducti sunt
Baruch 4 vt grex direptus ab inimicis. Constantes estote filii, & proclamate ad Deum, erit vestra in abductione memoria. Nam sicut fuit mens vestra vt erraretis à Deo, dupli cabitis decies tantum conuersi quærentes eum. Qui enim induxit in vos mala, inducet in vos æternam iucunditatẽ cum salute vestra. O clementia Dei, quemadmodum lapsos prouocat vt se erigant, quomodo hortatur vt post errorem idolorum reuertãtur ad eum? quasi pater beneuolus filiis suis iucunditatem perennẽ promittit salutis, si se corrigant. Item apud eundem inter cætera, Et re- Hierem. 24
stituam illos in terram istam, & reædificabo eos & non destituam, & replantabo eos, & non euellam. Vt quia comminatus dixerat, Sacrificans diis eradicabitur: ne peccantes in Deum desperarent de se, quòd iam quia sacrificauerunt idolis, eradicati, replantari non possent: hortetur eos, quia si pœniteant poterunt ad statum suum pristinum reformari. Sentẽtia enim tunc manet, si non emendetur delictum. Denique Niniuitis prædicatum est, quia post tridu- Ionæ 3
um euerteretur ciuitas eorum. Quare post triduũ, nisi vt aut pœniterent & auferretur sentẽtia, aut in eo permanentes iustius deperirent? Hoc est, quod dixit per Prophetã, Nolo mor- Ezech. 18
tem moriẽtis, tantùm vt reuertatur & viuat. Ita factum est, vt morituris peccatorum causa Niniuitis, ignosceretur, pœnitentia subsequente. Vt quid etenim centum annis sub Noe arcam Gene. 6
inuenimus fabricatam, nisi vt videntes & audiẽtes quid immineret, emendarent se? Neminem enim Deus vult perire. Hinc est vnde in Salomone legimus, Quoniã, inquit, Altissimus mi Sapient. 11
sertus est pœnitẽtibus. Et iterum, Misereris o- Eccles. 11
mnium quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Hoc sensu & Dominus dolens super perfidiam Iudæorũ, ait, Hierusalem, Hierusalẽ, quæ interficis Pro- Matth. 23
phetas, & lapidas missos ad te: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis suis, & noluisti? Igitur semper Dominus per totam Legem peccatores ad se cõuerti hortatur, nolens opus suum perditioni esse obnoxiũ, cùm nec alia causa Lex esset, quàm vt ex errore homines cõuertantur ad veritatem. Ita tamen, vt in nouo Testamẽto auctor Legis clemẽtior videatur, quia tempore quo sacramentum filii sui Domini nostri manifestare dignatus est, largior & vberior in misericordia esse voluit, vt plus gratiæ prædicãte Filio esset, quàm fuerat prædicantibus seruis: nec immeritò. Sic enim fuit dignum vt maiora dona per Filium quàm per famulos largiretur. Denique ad se conuersis credentibus omnia simul peccantibus concedit, nulla interueniente lamẽtatione pœnitentiæ. Vnde dicit Paulus Apostolus, Sine pœnitentia enim sunt Roma. 11
dona & vocatio Dei. Post autẽ si peccauerint, per pœnitentiam poterunt mereri veniam. Et quia post acceptam gratuitam misericordiam peccauerunt, non iam gratis, sed interueniente gemitu & fletu possint ad indulgentiam peruenire. Impossibile est enim homini vt non pec- 1. Ioan. 1
cet. Vnde Ioannes Apostolus, Si dixerimus, inquit, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Si confitemur peccata nostra, fidelis & iustº est, vt remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniustitia. Sicut Dauid meruit veniam & reformationem, cùm confiteretur peccatũ. Certè Chri-

stianis

ſtianis loquitur Ioannes Apoſtolus. Ait enim
1.Ioan.2 in ſubiectis, Filioli mei hæc ſcribo vobis, vt nó
peccetis: & ſi quis peccauerit, aduocatum habe
mus apud Patrem Ieſum Chriſtum. Hoc dicit,
vt ſi poſt Baptiſmum peccauerimus, aduocatũ
ſupplices deprecemur, vt exoret pro nobis Pa-
trem. Si enim apud veteres noſtros pœnitentia
habuit locum, quomodo fieri poteſt vt hoc tẽ-
pore locum nó habeat, quando maior clemen
tia prædicationis eſt, & qui inimicis miſertus
eſt vocando illos ad gratiam, amicis factis non
miſerebitur cũ mercede? Tribulatio enim cor-
dis merces eſt pœnitentis, ſi lapſis pœnitenti-
bus, qui ante lapſum amici fuerant, non igno-
ſceretur. quod dictũ Nouatiani ſi eſſet verũ, do
lerẽt homines ex inimicis factos ſe amicos. Aut
qualis æſtimandus erat ille, ſi inimicis non pœ-
nitentibus miſericordiam daret, amicis verò &
pœnitentibus non daret? Præterea quum ſciat
Dominus diabolum aduerſus amicos & ſeruos
2.Petri 5 Dei plus ſe extollere & ſæuire. Vnde dicit Pe-
trus Apoſtolus, Vigilate & ſobrii eſtote, quia
aduerſarius veſter diabolus fremẽs ſicut leo, cir
cumit quærens quem deuoret. Quoniam ergo
nouit Dominus aduerſarium nos habere hor-
rendum & validum, ſi victi ab eo fuerimus,
vult nos ad auxilium ſuum cõfugere, dolens e-
liſos nos, vt virtute eius reparati fortiter repu
Matth.24 gnemus. Sicut enim niſi breuiati fuerint dies il-
li quos dicit Dominus, nulla fiet ſalua caro: ita
& ſi negetur hominibus pœnitentia, nemo po-
Prouerb.20 terit ſaluus fieri. Si enim nemo, inquit, gloria-
bitur mundum ſe habere cor: & alibi, Nemo,
Iob 25 ait, ſine ſorde, nec infans vnius diei: quis pote-
rit euadere ſi pœnitentia denegetur? Et vbi eſt
Luc.15 quod dicit Dominus, Quia gaudiũ erit in cęlo
ſuper vno peccatore pœnitentiam agente? Sed
ſi maiora crimina, inquit, ignoſci non debent,
fornicatio & idololatria, vbi eſt dictũ Do-
minicum, quo omnia peccata & blaſphemias pro
mittit remitti hominibus: Spiritus autem ſan-
cti blaſphemia non remittetur hominibus? O-
mnia enim peccata dicit poſſe remitti, excepto
vno. Nunc elige Nouatiane, de quibus vis di-
ctum, de adhuc nõ credentibus, aut de iam cre-
dentibus? Si de non credẽtibus, quomodo dat
remiſſion em peccatorum, cùm conſtet omnes
antequam credant, in Deum peccaſſe & in Spi-
ritum ſanctum? Nam nonnulli geſta Dominica
magicas artes appellãt, opus ſancti Spiritus dę-
moniis aſſignantes. Si autem de credẽtibus vis
dictum, excluſa eſt aſſeueratio tua: quia omnia
Matth.12 peccata remittentur ei, & Qui dixerit, inquit,
verbum contra Filium hominis, remittetur ei.
Ergo ſiue in Deum, ſiue in Chriſtum peccetur,
remittetur hominibus. Omnia enim peccata
complexus eſt, præter in Spiritum ſanctum. I-
taque nõ hoc peccatũ vult intelligi, quod pec-
catur in Deum, hoc eſſe & in Spiritum ſanctũ:
ſi enim hoc eſſet, non vtique iſtud exciperet.
Quoniam ergo aliud peccatum ſignificat, cùm
blaſphematur in Spiritum ſanctum: ad perſonã
enim pertinet hoc dictum, nõ ad naturam Spi-
ritus ſancti, ſiue iam credentibus per pœniten-
tiam, ſiue futuris credentibus per Baptiſmum
omnia remittentur peccata. Quod autẽ in Spi-
ritum ſanctũ peccauerunt Iudæi, alia cauſa eſt,
& quæ ad tempus illud pertinuit. Vnde non il-
lis hoc remitti, neque hîc, neque in futurum o-
ſtendit. Non enim errore peccauerunt in Spi-
ritum ſanctum, ſed maleuolentia. Sciẽtes enim
prudentéſque opera quæ viderunt in geſtis Sal
uatoris Dei eſſe, vt populum à fide eius auerte
rent, hæc ſimulabant eſſe principis dæmonio-
rum. Hinc eſt vnde dicit Dominus, Vos habe- Luc.11
tis clauem ſciẽtiæ, & nec vos intratis, nec alios
ſinitis intrare. Hæc ergo ſententia contra ma-
leuolos prolata eſt, quibus remedium inueniri
non poteſt vt ſaluentur. Nihil eſt enim hoc cri
mine grauius: fingit enim falſum eſſe, quod ſcit
eſſe verũ. Iudæi enim qui ſub Dei lege eſſe vi-
debantur, quibúſque facta promiſſio Chriſti
eſt, videntes magnalia, & intelligentes hoc eſſe
quod promiſerat Deus, inuidia cæcati ſunt, vt
hoc eſſe negarent, & non ſolùm negarent, ſed
& perſequerentur vſque ad mortem. Nõ ergo
dignum eſt iſtis peccatum hoc vnquam debere
remitti, qui cõſcientia ſua teſte, Deo cui ſe de-
uotos dicebant, auſi ſunt repugnare. Vt autem
in Deum vel in Chriſtũ peccetur, diuerſæ ſunt
cauſæ. Aut enim aliquis dum felicitati alterius
inuidet, dolore humilitatis ſuę inſurgit in Crea
torem, aut aliquid repentinum paſſus, quod
ſit aduerſum, in iracundiã excitatus, in parentẽ
iniurioſus exiſtit. Chriſti autẽ incarnatio etiã
ad iniuriã prouocat. Dum enim ignorant homi
nes ſacramentum incarnati Chriſti, blaſphe-
mant, indignum ducentes ſi Filius Dei, qui in-
corporalis & ſimplicis naturæ eſt, hominũ mo-
re natus dicatur. Blaſphemãt ergo qui ignorãt
myſterium. Quãobrem conuerſis his porrigen
da eſt manus, quia ſic contra verum exiſtunt,
dum pro vero ſe facere arbitrantur. Tortus hu
iuſmodi & exũgulatus hoc verũ eſſe dicit quod
perſequebatur. Suprà memorati autem Iudæi
aliud ſenſerunt, & aliud egerunt, qui ſine iudi-
ce & carnifice, conſcientia ſua teſte ſemper tor
quentur. Qui enim per errorem inimicus exi-
ſtit vero, quum cõuerſus fuerit, gaudet cogno
uiſſe ſe veritatem. maleuolus autem non habet
quod emendet. Si enim cõuerterit ſe, incipiet
verũ dicere quod prius falſũ non eſſe ſciebat.
Spiritui autem ſãcto vt fiat iniuria, cauſa nulla
exiſtit: officium enim eius offenſionẽ nõ parit,
quia in virtute ſignorum & prodigiorum appa
ret. Quis enim inſibilare contra eum audeat, vi
dens mortuos excitatos? Aut quis iraſcatur ei,
cuius effectu videat currentes paralyticos, cæ-
cum lumen accipere, ſurdum audire? Aut quo
modo non amabit eum quẽ videat ſpiritus im-
mundos eiicere, leproſos mundare, & ſimul o-
mnes infirmitates curare? Huic Iudæi malue-
runt iniuriã facere, opus eius dicentes eſſe dæ-
moniorum, dummodo inuidiam atque odium

contra Saluatorẽ exercentes explerent: idcirco neque hîc neq; in futurum hoc peccatũ remitti eis ostẽdit. Sed Nouatian⁹, Maiora, inquit, crimina nominatim non remitti probãtur, id est, idololatria & fornicatio post lauachrum. Idcirco enim In Baptismo, ait, simul omnia remittũtur peccata, vt de cætero si quid graue commiserint, nullo modo veniam consequãtur: quia post acceptum Spiritum sanctum, quod contra Spiritum sanctum est, admitti non debet. Quis neget peccare nunquam debere, si esset possibile? Porrò autem sciens Deus fragile genus humanum, semper remediis salutaribus prosecutus est eos, vt post peccata haberent quomodo se repararent. Si autem Spiritus datus prohibet peccantibus dari pœnitentiam, nulla prouidentia est in nouo Testamento, & melius videbitur veteribus prouisum, quibus medicina ista minimè est denegata. Et quomodo maior gratia est in nouo quam in veteri? Nam hoc inimici est, qui sciens hominibus aliter prouideri nõ posse, vt perueniãt ad salutem, quàm interuentu pœnitentiæ Spiritum sanctum dari, cui si iniuria facta fuerit metu aliquo, aut per aliquem errorem, iam satisfactio locum non habeat reformandi hominem. Hoc est occasionem quæsisse perdendi homines, non saluãdi. Sed absit, *Luc.9* quia Dominus ait, Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Nam si nobis peccata, quæ in nos peccamus inuicem, si conuertamur, *Matth.18* septuagiessepties remitti à nobis alterutrũ præcepit Deus: quãtò magis ipse si in illum pecce tur, ignoscit conuersis? omnem enim peccatorem conuerti vult. Vnde Apostolus fornicariis & immundis remissum probat dicens, *2.Corint.12* Ne fortè veniens lugeã multos ex his qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione quã gesserunt. Probat quosdam egisse pœnitentiam, de quib⁹ non dolet, sed gaudet. Aliquos autem significat non egisse fornicationis suæ pœnitentiam: propter quod & lugere se eos dicit, non pertinentes ad vitam, quia non egerunt pœnitentiã. Si enim huiusmodi criminis in hac vita semper agenda pœnitentia esset, non diceret se lugere eos, quia non egerunt, sed quia nõ agunt. Scientes autem hæc, incipient peragere pœnitẽtiam, quia non egerunt. Hoc enim volebat, vt veniẽs ad eos pacem haberet cum cõmunione eorum. Ecce probatum est fornicariis post actam pœnitentiam cõmunicandum esse.

TYPOGRAPVS LECTORI.

Quum viderem has veteris & noui Testamenti Quæstiones, prorsus indignas (vt nihil grauius dicam) Augustini nomine, in infinitum progredi, idque nullo tuo fructu vel commodo, visum est hîc tam longum syrma præscindere, ne crambe identidem repetitâ (quod est in prouerbio) ene careris. Vale, & boni consule.

DIVI AVRELII AVGVSTINI Liber Quæstionum Euãgelicarum secundum Matthæum.

Quid sit, quod dictum est, occisos infantes à bimatu & infrà.

QVOD dictum est occisos infantes à bimatu & infrà, significatum est, humiles habentes geminam charitatẽ, tãquam paruulos bimos, posse mori pro Christo. 1 *Matth.2*

Quid sit, Quod dico vobis in tenebris.

Quod dico vobis in tenebris, id est, quum adhuc in timore carnali estis, quia in tenebris est timor: dicite in lumine, hoc est, in fiducia veritatis, accepto Spiritu sancto. Et quod in aure auditis, prædicate super tecta, id est, quod in secreto auditis, calcato carnis domicilio prædicate. 2 *Matth.10*

De eo quod ait, Non veni pacem mittere in terram.

Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terrã. Nõ veni pacem mittere, sed gladiũ. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum: quia renuntiat quis diabolo qui fuit pater eius. Et filiã aduersus matrẽ suã: plebẽ Dei aduersus mundanam ciuitatem, hoc est, aduersus pernitiosam generis humani societatẽ, quã nunc Babylonia, nunc AEgypto, nunc Sodoma, nunc aliis atque aliis nominibus Scriptura significat. Nurum aduersus socrum: Ecclesiam aduersus synagogã, quæ secundum carnẽ Christum peperit, ipsum Ecclesiæ. Diuiduntur autem gladio Spiritus, quod est verbum Dei, & inimici hominis domestici eius, cũ quibus antea consuetudine implicatus erat. 3 *Matt.10*

Quid significet leprosus ille mundatus.

Quòd autem descendens de monte, posteaquam præcepta illic discipulis, & multitudini dedit, leprosum statim extendens manum suã curat, significat eos qui de illis implendis dubitãt suo auxilio ab huiusmodi varietate mũdari. 4 *Matth.8*

De eo quod ait, Vulpes foueas habent.

Quod Dominus dixit scribæ qui eum sequi voluit, Vulpes foueas habent, & volucres cæli tabernacula: Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet: intelligitur miraculo Domini commotus, propter inanem iactãtiam eum sequi voluisse, quam significant aues. Finxisse autẽ discipuli obsequium: quæ fictio vulpium nomine significata est. Reclinatione verò capitis humilitatem suã significauit, quæ in illo simulatore ac superbo non habebat locum. 5 *Matth.8*

De eo quod ait, Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Mortuos hîc nõ credentes dixit. Mortuos autẽ suos, qui nihilominus sine fide de corpore exirent. 6 *Matth.8*

Cur præceperit excuti puluerem de pedibus discipulorum.

Excutite puluerem de pedib⁹ vestris. Aut ad contestationem laboris terreni, quem pro illis inaniter suscepissẽt, aut vt ostẽderent vsqueadeò se ab ipsis nihil terrenũ quærere, vt etiãpuluerẽ de terra eorũ sibi nõ paterentur adhærere. 7 *Matt.10*

De astutia serpentis.

Estote ergo prudentes sicut serpentes: ad cauendum 8

cauendum malum in capite custodiendo, quod est Christus. Nam serpes totum corpus pro capite obiicit persequenti. Vel quòd per angustias se coarctãs vetere tunica exuꝰ innouetur.

Matth.7 Quod imitãtur quibus dictum est, Intrate per angustam portam, quum vetere homine exuuntur. Nam si cauendum malum ita moneret, vt violenter resistendum esset malis, non suprà dixisset, Mitto vos sicut oues in medio luporum.

Matth.10 Simplices autem sicut columbas esse voluit, ad nulli nocendum. Nam hoc genus auis nullum omnino animalium necat, non solùm grãdium contra quæ vires non habet, sed etiam minutissimorum, quibus etiam perparui passeres aluntur. Est autem omnibus irrationalibus animantibus, vna quædam inter se societas, sicut etiam rationalibus sua, id est, hominibus, non solùm secum, sed etiam cum Angelis. Discunt ergo ex similitudine columbarum, nulli prorsus nocere ad societatem suam pertinenti participatione rationis.

De confessione laudis quam Dominus cõfessus est ad Patrem.

9 Confiteor tibi Pater cæli & terræ. Notan-

Matth.11 dum confessionem poni in laudem Dei. Non enim peccata Dominus confitebatur, quæ nulla habebat, præsertim quia eum exultãtem hoc

Luc.10 dixisse alius Euangelista commemorat: quanquam & verba ipsa quæ dicit, non habeant dubitationem, quòd in laudem Dei dicantur. Ergo confessionem vocat Scriptura generaliter quidquid manifestè sicut cernitur, enuntiatur.

Matth.10 Nam & illud quod ait, Si quis me cõfessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum co-

Luc.12 ram Patre meo, vel sicut alibi est, Coram Angelis Dei. Non vtique peccata confitetur, qui Christum confitetur. Quòd si propterea putãt aliqui confessionem vocari, quia pro crimine obiiciebatur Christi nomen tempore persecutionis: nunquid ita etiam Christus coram Patre vel coram Angelis eius, hominem qui se cõfessus fuerit confitetur? Est etiam in Eccle-

Eccles.39 siastico ita positum, Et hæc dicetis in confessione, Opera Domini vniuersa, quoniã bona valde: quo in loco indubitanter Dei laudes exaggerantur. Hæc dicta sunt propter imperitiam fratrum, qui cùm legente lectore audiunt hoc verbum, pectora statim tundunt, non attendentes quo loco dicatur, quasi non possit nisi peccatorum esse confessio.

In euulsione spicarum exemplum regis & sacerdotis prolatum.

10 Notandum de eo quod illicitè factum vide-

Matth.12 retur Iudæis, quòd discipuli sabbato spicas euulsissent, vnum exemplum datum regiæ potestatis de Dauid, alterum sacerdotalis, de iis qui per ministerium templi sabbatum violant, vt multò minus ad ipsum euulsarum sabbato spicarum crimen pertineat, qui verus rex & verus sacerdos est, & ideo Dominus sabbati.

Matt.13 *Quum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit.*

11 Quum negligentius agerent prepositi Ecclesiæ, aut cùm dormitionem mortis acciperẽt Apostoli, venit diabolꝰ & superseminauit eos quos malos filios Dominus interpretatur. Sed rectè quęritur, vtrũ hęretici sint, an malè viuẽtes catholici. Possũt enim dici filii mali etiã hęretici, quia ex eodẽ Euãgelii semine & Christi nomine procreati, prauis opinionibus ad falsa dogmata cõuertũtur. Sed quòd dicit eos in medio tritici seminatos, quasi videntur illi significari qui vnius cõmunionis sunt. Veruntamen quoniã Dominus agrum ipsum, non Ecclesiã, sed hunc mundum interpretatus est, bene intelliguntur hęretici, quia non societate vnius Ecclesiæ vel vniꝰ fidei, sed societate solius nominis Christiani, in hoc mundo permiscentur bonis: at illi qui in eadem fide mali sunt, palea potius quàm zizania deputentur. Quia palea etiã fundamentũ ipsum habet cum frumento, radicémque cõmunem. In illa planè sagena, qua cõ Matt.13 cluduntur & mali & boni pisces, non absurdè mali catholici intelligũtur. Aliud enim est mare, quod magis mundum istum significat, aliud sagena, quæ vnius fidei vel vnius Ecclesiæ cõmunionem videtur ostendere. Inter hæreticos & malos catholicos hoc interest, quòd hæretici falsa credunt, illi autem vera credentes non viuunt ita vt credunt. Solet autem etiã quæri, schismatici quid ab hęreticis distent, & hoc inueniri, quòd schismaticos nõ fides diuersa faciat, sed cõmunionis dirupta societas. Sed vtrùm inter zizania numerandi sint, dubitari potest. Magis autẽ videntur spicis corruptis esse similiores sicut scriptum est, Vento autem corrumpetur filius iniquus: vel paleis aristarum fractis vel scissis & de segete abruptis. Quò enim altiores, id est, superbiores, eò fragiliores leuioréque sunt. Nec tamen consequens est, vt omnis hæreticus vel schismaticus corporaliter ab Ecclesia separetur. Si enĩ falsa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ, quæ ad fidei pertinet ædificationẽ, ita vt nõ quęrentis cunctatione tentatus sit, sed inconcussè credentis, nec omnino scientis opinione atque errore discordans, hæreticus est, & foris est animo, quanuis corporaliter intus videatur. Multos enim tales portat Ecclesia, quia non ita defendunt falsitatem sententiæ suæ, vt intentam multitudinẽ faciant: quod si fecerint, tunc pellantur. Item quicunque inuident bonis, ita vt quærant occasiones excludendi eos aut degradandi, vel crimina sua sic defẽdere parati sunt, si obiecta vel prodita fuerint, vt etiam conuenticulorum segregationes, vel Ecclesię perturbationes cogitent excitare, iam schismatici sunt, & ab vnitate corde discissi, etiam si non inuentis occasionibus, aut occultatis factis suis, sacramẽto Ecclesiæ corporali cõuersatione socientur. Quapropter illi soli catholici mali deputãtur, qui quãuis vera credant, quę ad veram fidei doctrinam pertinent, & si quid fortè nesciunt, quærẽdum existimant, & salua pietate discutiunt, sine aliquo præiudicio ipsius veritatis, & bonos, vel quos bonos putant, amãt, atq; honorãt quantũ

possūt, tamē flagitiosē atq; facinorosē viuunt, contrà quā viuēdum esse credunt. Tales enim etiā si prodātur aut accusentur pro disciplina Ecclesiæ salutissque suę causa correpti, vel à cō munione suspensi, nullo modo sibi recedendū esse à communione catholicæ fidei existimāt, quomodocunque permissi fuerint, satisfactionis quærentes locum, & aliquando per pœnitentiā in frumenta mutantur, siue correpti, siue remoti, siue etiam verbo Dei, nullo nomina tim accusante aut increpāte perterriti. Aliquādo autem etiam sub nomine pœnitentium ita viuunt vt solent, aut nō multò minus, quidam etiam amplius: nullo modo tamen à catholica vnitate discedunt. Quib⁹ ita viuētibus si mors obrepserit, paleæ deputantur vsque in finem. Hoc etiam ipsi credunt. Nam si aliter credunt & incōcussē tenent, iam inter hæreticos numerandi sunt, putantes omnibus Deum etiam in magna iniquitate vsque in finem vitæ perseuerantibus, tamen quia Ecclesiæ vnitatē non syncera dilectione, nisi vt bene viuerent, sed magis pœnarum timore tenuerunt, veniam daturum. Isti ergo non hoc credunt, vel nō firmiter opinātur, & si adhuc forsitan quærunt. Sed magis eos decipit spes dilationis, dum se diutius victuros putant, & perditos mores aliquando *Eccles.5* in melius mutaturos. Contra quos dicitur, Ne tardes cōuerti ad Deum, neque differas de die in diem, Subitò enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te. Illi enim cōuertuntur qui rectè viuere incipiunt, hoc est enim ad Deum redire. Qui autem concupiscentias suas perseueranter sequuntur, dorsum quodammodo habent ad Deum, quanuis in vnitate cō stituti, sæpe illum retorto collo conentur aspi- *Psalm.77* cere. Ergo & isti, vt ait Propheta, caro sunt, & spiritus ambulans & nō reuertens. Sed tamē, vt dictum est, propter eandem fidem atque vnitatem Ecclesiæ, neque inter zizania, quoniam illa extrà radicata sunt, neque inter aristarum paleam, quæ se etiam frumentis audet aspera dissensione & fragili elatione superimponere: sed quanuis subiectam frumentis, tamen inter paleam quæ vltima ventilatione separāda est, numerantur. Boni autem catholici sunt, qui & fidem integram sequūtur & mores bonos. Quòd autem ad fidei doctrinam pertinet, ita quærunt si quid quærendum habent, vt absit concertatio periculosa, vel quærenti, vel ei cū quo quęritur, vel eis qui differentes audiunt. Ita autem docent si quid docendum habent, vt vsitata & confirmata securissimè & fidentissimè & lenissimè, vt possunt, insinuent. Inusitata verò etiam si veritatis manifestatione liquidissima perceperunt, quærendi potius quam præcipiendi, aut affirmandi modo, propter audientis infirmitatem. Si autem tantum habet pondus aliquod verum, vt vires discentis excedat, suspendendum est vt extendat crescentem, non imponendum vt obterat paruulum. Inde est *Luc.18* enim illud Domini, Sed Filius hominis quum venerit, putas inueniet fidem in terra? Aliquādo autem & occultandum est, sed cum spe hortatoria, vt nō faciat desperatio frigidiores, sed desyderium capaciores. Inde est illud eiusdem Domini, Multa habeo vobis dicere, sed non *Ioan.16* potestis portare modó. Quòd ergo ad mores pertinet, hoc bene & breuiter dicitur, aut confligendum est cum amore temporalium bonorum, vt non vincat, aut etiam edomitus subditúsque esse debet, vt quum surgere cœperit, facilè reprimatur, aut ita extinctus, vt se omnino nulla ex parte commoueat. Ex quo fit vt etiam ipsam mortem propter veritatem alii fortiter obeant, alii æquanimiter, alii libenter. Quæ tria etiam genera fructus sunt fertilis terrę, triceni & sexageni & centeni. In horum aliquo genere inueniendus est tempore mortis suæ, si quis de hac vita rectè cogitat emigrare. Toleranda sunt autem non solùm zizania vsque ad messem: quæ quum diabolus aspersis prauis erroribus falsísque opinionibus superseminasset, hoc est, præcedente nomine Christi hæreses superiecisset, magis ipse latuit, atque occultissimus factus est, hoc est enim, Et abiit, sed etiam palea vsque ad ventilationem. Nec probatur fortius grauitas frumentorum, nisi paleæ à perturbationibus, quas quum premere non potuerit veritate defensa, cesserit falsitas vnitate seruata. Quanquam in hac parabola Dominus, sicut in eius expositione conclusit, non quædam, sed omnia scādala, & eos qui faciunt iniquitatem, zizaniorum nomine significasse intelligitur.

Quum autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.

Cùm enim spiritalis homo esse cœperit, di- 12
iudicans omnia, tunc ei errores incipiunt appa- *1.Corint.2*
rere. Serui autem dixerunt ei, Visamus & col- *Matth.13*
ligimus ea? Vtrùm & ipsi sint serui, quos paulò pòst messores appellat, an quia in expositione parabolę messores dixit esse Angelos, nec quisquam facilè dicere ausus fuit Angelos nescisse quis zizania superseminauerit, & ea tunc apparuisse Angelis, cùm herba fructū fecisset: magis oportet intelligi homines ipsos fideles seruorum nomine hoc loco significatos, quos etiam bonum semen dicit. Nec mirum si & bonum semen ipsi dicuntur, & serui patrisfamilias, si- cut de se ait, Quòd ipse sit Ianua, & quòd ipse *Ioan.10* sit Pastor. Ex diuersis enim significationibus vna res etiam plures & diuersas similitudines recipit, præsertim quia quum ad seruos loqueretur, non ait, In tempore messis dicam vobis, Colligite primùm zizania, sed, Dicam inquit, messoribus. Vnde intelligitur colligendorum zizaniorum ad comburendum alia esse ministeria, nec quenquam Ecclesiæ filium debere arbitrari ad se hoc officiū pertinere. Cùm igitur esse quisque spiritalis cœperit, cognoscit errores hæreticorum, & omnino diiudicat atque discernit, quidquid audierit aut legerit,

abhorrere

abhorrere à regula veritatis: sed donec quis in eisdē spiritalibus perficiatur, & quodā modo matureſcat in fructū quem herba dedit: poteſt eum mouere, quare ſub nomine Chriſtiano tam multæ hæreticorum extiterint falſitates. Inde etiam eſt quod ſerui dicunt, Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? Deinde cùm cognouerit hāc excogitaſſe fraudem diabolum, cùm contra tāti nominis auctoritatē nihil ſe valere ſēti ret, vt fallacias ſuas eodē nomine obtegeret: poteſt ei ſuboriri voluntas, vt tales homines de rebus humanis auferat, ſi aliquam temporis habeat facultatem: ſed vtrùm facere debeat, iuſtitiam Dei conſulit, vtrùm hoc ei præcipiat, vel permittat, & hoc officium eſſe hominum velit. Hinc eſt quòd ſerui dicunt, Vis imus, & colligimus ea? Quibus veritas ipſa reſpondet, Non ita hominem cōſtitutum eſſe in hac vita, vt certus eſſe poſſit qualis quiſque futurus ſit poſtea, cuius in præſentia cernit errorē, vel quid etiam error eius conferat ad profectū bonorum, non eſſe tales auferendos de hac vita, ne cùm malos conatur interficere, bonos interficiat, quod fortè futuri ſunt: aut bonis obſit, quibus & inuiti fortè vtiles ſunt: ſed tunc opportunè fieri, cùm iā in fine nō reſtat vel tēpus commutandæ vitæ, vel proficiendi ad veritatem ex occaſione atque comparatione alieni erroris. Tunc autem hoc non ab hominibus ſed ab Angelis fieri. Inde eſt quod reſpondet paterfamilias, Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul & triticum. Sed in tempore meſſis dicā meſſoribus, &c. Atq; hoc modo eos patientiſſimos & tranquilliſſimos reddidit. Quęri autē poteſt quod ait, Alligate faſciculos ad comburendum: cur non vnum faſcē, aut nō vnum aceruum zizaniorum fieri dixit. Niſi fortè propter varietatem hęreticorū: & non ſolùm à tritico, verumetiam à ſeipſis diſcrepantium ipſa vniuſcuiuſque hæreſeos propria cōuenticula, in quibus ſingulatim ſua communione deuincti ſunt, nomine faſciculorum deſignauit, vt iam tunc incipiant alligari ad comburendum, cùm à Catholica communione ſegregati, ſuas proprias quaſi Eccleſias habere cœperint, vt combuſtio earum ſit in fine ſeculi, modò alligatio faſciculorum. Sed ſi ita eſſet, non iam multi reſipiſcendo, & in Catholicā remeādo, ab errore deſciſcerent. Qua propter & alligatio faſciculorum in fine futura eſt, vt non confuſè, ſed pro modo peruerſitatis ſuę, vniuſcuiuſque erroris pertinacia puniatur. Ne fortè colligentes zizania eradicetis ſimul & triticum. Vtrùm quia etiam boni cùm adhuc infirmi ſunt, opus habent in quibuſdam malorum permixtione, ſiue vt per eos exerceantur, ſiue vt eorum comparatione magna illis exhortatio fiat, vt nitantur ad melius, quib⁹ ſublatis altitudo charitatis quaſi euulſa marceſcat, quod eſt eradicari? Nam ſic ait Apoſtolus, Vt in charitate radicati & fundati poſſitis comprehendere. An fortè ideo ſimul eradicatur triticum, cùm auferūtur zizania, quia multi primò zizania ſunt, & poſtea triticum fiunt? qui niſi patienter cùm mali ſunt tolerentur, ad laudabilem mutationem nō peruenīūt. Itaque ſi euulſi fuerint, ſimul eradicabitur & triticum, quod futuri eſſent, ſi eis parceretur. *Ephe.3*

De negotiatore quærente bonas margaritas.

Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori, quærēti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretioſa margarita, abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Quæſtio eſt, cur à numero plurali ad ſingularem tranſierit, vt cùm quærat homo bonas margaritas, vnam inueniat pretioſam, quam venditis omnibus quę haber, emat. Aut ergo iſte bonos homines quærens, cùm quibus vtiliter viuat, inuenit vnum præ omnibus ſine peccato, Mediatorem Dei & hominum Chriſtum Ieſum. Aut præcepta quærens, quibus ſeruatis cum hominibus rectè conuerſetur, inuenit dilectionē ꝓximi, in quo vno dicit Apoſto. omnia cōtineri, vt Nō occides, non mœchaberis, non furaberis, non falſū teſtimoniū dices: & ſi quod eſt aliud mādatum. Singulæ enī margaritæ ſint, quæ in hoc ſermone recapitulantur, Diliges proximum tuum tanquam teipſum. Aut bonos intellectū homo quærit, & inuenit vnum illum quo cuncti continentur, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Eſt enim Verbum Domini lucidum cādore veritatis, & ſolidum firmitate æternitatis, & vndique ſui ſimile pulchritudine diuinitatis: qui Deus penetrata carnis teſtudine intelligēdus eſt. Ille enim ad margaritam ipſam iam peruenerat, quæ integumē tis mortalitatis, quaſi conchārum obſtaculo inter profunda huius ſeculi, atque inter duritias ſaxeas Iudæorum aliquando latuerat. Ille ergo ad ipſam margaritā iam peruenerat, qui ait, Etſi noueramus Chriſtum ſecundum carnem, ſed nunc iam non nouimus. Nec vllus omnino intellectus margaritæ nomine dignus eſt, niſi ad quem diſcuſſis omnibus carnalib⁹ tegminibus peruenitur, quibus ſiue per verba humana, ſiue per ſimilitudines circumpoſitas operitur, vt purus & ſolidus, & nuſquam à ſe diſſonans, certa ratione cernatur. Quos tamē omnes veros & firmos & perfectos intellectus vnus ille continet, per quem facta ſunt omnia, quod eſt Verbum Dei. Quodlibet autē horū triū ſit, vel ſi aliquid occurrere potuerit, quod margaritæ vnius & pretioſæ nomine bene ſignificetur, pretium eius eſt noſipſi, qui ad eā poſſidendam non ſumus liberi, niſi omnibus pro noſtra liberatione contēptis, quæ temporaliter poſſidentur. Venditis enim rebus noſtris, nullum earum maius accipimus pretium, quam noſipſos: quia talibus implicati, noſtri non eramus. Vt rurſus noſipſos pro illa margarita demus: nō quia tanti valeamus, ſed quia

13 *Matt.13*

1.Timot.2

Roma.13 Exod.20

Ioannis 1

2.Corin.5

ſi.

plus dare non possumus.

De obcæcatione non credentium.

Matt. 13 14 Et oculos suos clauserunt, ne quando oculis videant, id est, ipsi causa fuerunt, vt Deus eis oculos clauderet. Alius enim Euangelista

Ioannis 12 dicit, Excæcauit oculos eorum. Sed vtrùm vt nunquam videant, an verò ne vel sic aliquãdo videant, cæcitate sua sibi displicentes, & se dolentes, & ex hoc humiliati atque commoti ad confitenda peccata sua, & piè quærendum Do-

Marc. 4 minum? Sic enim Marcus hoc dicit, Ne quãdo conuertantur, & dimittantur eis peccata. Vbi intelliguntur peccatis suis meruisse, vt non intelligerent, & tamen hoc ipsum misericorditer eis factum, vt peccata sua cognoscerent, & con-

Ioann. 12 uersi veniam mererentur. Quòd autem Ioannes hunc locum ita dicit, Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excæca-

Esa. 6 uit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & intelligant corde, & conuertantur, & sanẽ eos: aduersari videtur huic sentẽtiæ, & omnino cogere, vt quod hìc dictũ est, Nequando oculis videant, non accipiatur ne vel sic aliquando oculis videant: sed prorsus vt non videant. Quandoquidem apertè ita dicit, vt oculis non videant. Et quod ait, Propterea nõ poterant credere, satis ostendit non ideo factam illam excæcationem, vt ea cõmoti & dolentes se non intelligere, conuerterentur aliquando per pœnitentiam. Non enim posset hoc facere, nisi prius crederent, vt credẽdo conuerterentur, conuersione sanarentur, sanitate intelligerent: sed ideo potius excæcatos, vt non crederent. Dicit enim apertissimè, Propterea non poterant credere. Quòd si ita est, quis non exurgat in defensionem Iudæorũ, vt eos extra culpam fuisse proclamet, quòd nõ crediderunt? Propterea enim nõ poterant credere, quia excæcauit oculos eorum. Sed quoniam potius Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri aliis quibusdam peccatis ita eos excæcari meruisse, qua tamen excæcatione nõ potuerũt credere. Verba enim Ioannis ista sunt, Propterea nõ poterãt credere, quia dicit Esaias, Excæcauit oculos eorũ. Frustra itaq; conamur intelligere, ideo fuisse cæcatos, vt nõ conuerterẽtur, cùm ideo cõuerti non poterant, quia non credebant, & ideo credere non poterant, quia excæcati erant. An fortè nõ absurdè dicimus quosdam Iudæorum fuisse sanabiles, sed tanto tamen superbiæ tumore periclitatos, vt eis expedierit primò nõ credere, & ad hoc fuisse cæcatos, vt non intelligerent Dominum loquentem per parabolas, quibus non intellectis, non in eum crederent: non credentes autem cum cæteris desperatis crucifigerent eum: atque ita post eius resurrectionem couerterentur, quando iã de reatu mortis Domini amplius humiliati, vehementius diligerent à quo sibi tantum scelus dimissum esse gauderent? Quoniã tanta erat eorũ superbia, vt tali humiliatione esset deiicienda. Quod incongruè dictum esse quilibet arbitretur, si non ita contigisse in Actibus Apostolorũ manifestissimè legerit. Non ergo abhorret quod ait Ioannes, Propterea non poterant credere Ioannis 12 quia excæcauit oculos eorum vt non videant, ab ea sententia qua intelligimus ideo excæcatos vt conuerterentur: hoc est, ideo eis per obscuritates parabolarum occultatas sententias Domini, vt post eius resurrectionem salubrio re pœnitẽtia resipiscerent: quia per obscuritatem sermonis excæcati, dicta Domini non rectè intellexerunt, & ea non intelligendo, nõ in eum crediderunt, non credendo crucifixerũt: atque ita post eius resurrectionem, miraculis, quæ in eius nomine fiebant, exterriti maiore criminis reatu cõpuncti sunt & ꝓstrati ad pœnitentiam: deinde accepta indulgentia ad obedientiam flagrantissima dilectione conuersi. Nam quibus non profuit illa cæcitas ad cõuersionem, quæ per linguam parabolarum fiebat: ita de illis Propheta alio loco dicit, quod Apostolus etiam commemorauit, cùm de obscuritate linguarum ageret, In aliis linguis & aliis 1. Corin. 14 labiis loquar populo huic, & nec sic me exaudient dicit Dominus. Non enim diceretur, Nec sic me exaudient, nisi ad hoc fieret, vt vel sic exaudirent, id est, vt eis ad humilem confessionẽ & solicitam inquisitionem & obedientem cõfessionem & feruentem dilectionem valeret. Est verò etiam ista ratio medicinæ corporalis. Nam & pleraque medicamenta prius affligũt vt sanent: & ipsa collyria quæ ad oculos pertinent, si ea opus est intrinsecus infundi, nisi sensum videndi prius claudant & perturbent, prodesse non possunt. Nec moueat quod idẽ Propheta dicit, Nisi credideritis, non intelligetis, Esai. 7 quasi contrarium sit quod Ioannes ait, Propterea non poterant credere, quia excæcauit oculos eorum, id est, quia illæ parabolæ ita dicebãtur vt ab eis non possent intelligi. Dicet enim aliquis, Si vt intelligerent credere debebant, quomodo propterea nõ poterãt credere, quia nõ intelligebãt? hoc est, quia excęcauit oculos eorum. Sed quod ait Esaias, Nisi credideritis, non intelligetis, de illa intelligẽtia dictum est, in qua semper manebitur rerum ineffabilium. Cùm autem dicitur quòd credatur, nisi quod dicitur intelligatur credi non potest. Intelligẽdа sunt ergo dicta vt credãtur quæ dici nõ potuerunt, credenda autem quæ dici potuerunt, vt intelligantur quæ dici nõ possunt.

Et sine parabolis non loquebatur eis.

15 Nõ quia nihil propriè locutus est, sed quia nullum ferè sermonem explicauit, vbi non aliquid per parabolã significauit: quanuis in eo aliqua & propriè dixerit, ita vt sæpe inueniatur totꝰ sermo eius parabolis explicatus, totus autẽ propriè dictꝰ nullꝰ inueniatur. Explicatos autẽ sermones dico, quando ex aliqua occasione rerum incipit loqui, quousque terminet quicquid ad ipsã rem pertinet, & transeat ad aliud

aliud. Nonunquã sanè alius Euãgelista contexit, quod alius diuersis tẽporibus dictum indicat. Nõ enim omnimodo secundũ rerũ gestarum ordinẽ, sed secundũ suæ quisq; recordationis facultatem, narrationẽ quã exorsus est ordinauit.

Intellexistishæc omnia?

Matt.13 16 Dicunt ei, Etiam. Ait illis, Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Vtrùm ista conclusione exponere voluit quem dixerit thesaurũ in agro absconditũ? Quoniam sanctę Scripturę intelligũtur, quæ nomine duorũ Testamẽtorũ noui & veteris concluduntur. Quemadmodũ apud aliũ Euangelistam, gladium bis acutum tali cõclusione videtur exponere. An quia in parabolis ista locutus est? Et cùm quæsisset ab eis, vtrũ intellexissent, respondẽrũt se intellexisse. Fortassè ista similitudine vltima patrisfamlias, proferentis de thesauro suo noua & vetera, ostendere voluit eum doctum habẽdum esse in Ecclesia, qui etiã Scripturas veteres parabolis explicatas intellexerit, ab istis nouis accipiens regulas: quia & ista Dominus per parabolas enuntiauit. quanuis ipse Christus esset finis illorum, id est, vt in eo illa vetera complerentur: vt si ipse in quo illa complentur & manifestãtur, per parabolas adhuc loquitur, donec eius passio velum discindat, vt nihil sit occultum quod non reueletur: multò magis illa quæ ad cõmendandã tantã eius salutem tã longè de illo scripta sint, parabolis operta esse nouerim⁹, quæ cùm Iudæi ad literam acciperent, noluerunt esse docti in regno cælorum, neque transire ad Christum, vt auferretur velamẽ, quod supra cor eorum positum est.

Debisqui fratres Domini dicti sunt.

Matth.13 17 Fratres eius Iacob⁹ & Ioseph & Simõ & Iudas & sorores ei⁹, nõne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? Et scãdalizabantur in eo. Fratres apud Iudæos dici solere cognatos vsqueadeo probatur, vt non solùm ex propinquo generationis gradu, sicut sunt filii fratrũ & sororum, qui etiã apud nos vsitatissimè fratres dicũtur: sed etiam auũculus, & sororis filius, sicut sibi erãt Iacob & Laban, fratres appellati inueniantur. Non ergo mirum est dictos esse fratres Domini, ex materno genere quoscunque cognatos, cùm etiam ex cognatione Ioseph dici potuerint fratres eius, ab eis qui illum patrem Domini esse arbitrabantur.

OROSII AD AVGVSTINVM *in Dialogum sexagintaquinque Quæstionum, Præfatio.*

LIcet multi & probatissimi viri diuerso quidẽ stylo, sed non diuersa fide innumerabilia opuscula ediderint, ita vt difficile sit eorũ omnia legere: ea tamen quæ leguntur, propter eloquii venustatem & difficillimas quæstionũ perplexitates minimè intelligũtur. Reuera enim dum mituntur propter altitudinem Scripturæ diuinæ occultatam viam carpere, paruitati nostræ ambiguitatem non minimam reliquerunt. Sunt etiam planè spirituales viri, qui eorum assequuntur eloquium & penetrãt intellectum. Quorum nos dum concupiscentiis satisfacimus, præclarę eorum scientiæ non æquamur, vt eas sicut illi intelligere valeamus. Quapropter quæso te, vt percunctanti mihi respondeas, & quæ obscuritatem faciunt elucidare digneris.

DIVI AVRELII AVGVSTIni Dialogus ad Orosium sexagintaquinque Quæstio.

num.

Orosii quæstio I.

IN PRIMIS IGITVR quæro abs te, vtrùm Deus Trinitas sit, & quibus testimoniis approbes, nosse desydero.

Augustini responsio.

Principium Geneseos euidenter ostẽdit. Gene.1 Ait enim, In principio fecit Deus cælũ & terram. Quid autem principium intelligendum putabimus, nisi Filium? Ipse enim de se ipso interrogantibus Iudæis quis esset, respondit, Ioan.8 Principium, qui & loquor vobis. Ergo principium Filius. Per Filium fecit Deus cælum & terram. Omnia per ipsum facta sunt (sicut Euãgelista Ioannes narrat,) & sine ipso factum est nihil. Proculdubio in Dei nomine Pater, in principii nomine Filius intelligendus est. Profectò cùm dixisset, In principio fecit Deus cęlum & terrã, secutus adiunxit, Et Spiritus Dei ferebatur super aquas: qui tertia est in Trinitate persona. Igitur si Trinitas nõ esset, nunquã Dominus noster Iesus Christ⁹ diceret discipulis suis, Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Nec baptizato Domino in Iordane à Ioanne, vox de cælo dixisset, Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: nec Spiritus sanctus in columbæ specie descendisse super eum & mansisse diceretur. Miror infelicem Sabellianorum hæresim, hoc est, Patripassianorum, quòd sic cæci sunt mente, vt tam præclara, tam aperta testimonia non attendant. Ipsi nanque asserunt vnam esse personam, id est, ipsum Filiũ esse, qui Pater est, & ipsum Spiritum sanctum. Sed nos cæcitatem illorum relinquentes, tres personas secundum Scripturas sanctas intelligamus, id est, alium esse Patrem qui genuit, alium Filium qui genitus est à Patre, alium Spiritum sanctum: non aliud, quia substantia vnũ sunt. Personas distinguimus, non Deitatem separamus. Igitur Filius Dei naturã est Filius, non adoptione. Sic enim scriptum est, Ex vtero, inquit, ante luciferum genui te. Nõ quòd Deus Pater vterum habeat sicut nos, aut corporeus esse credendus sit: sed per vterũ substantiã intelligi voluit, de qua natus est Filius. Quod est Matth.28 Matth.3 psalmo 109

Pater,hoc genuit Deus Deum, Lux Lucem. Igitur ſicut homo hominem, & canis canẽ gignit. Nunquã autẽ viſũ eſt vt homo genuerit canem. Ac per hoc nõ de nihilo, neque de aliqua alia ſubſtãtia,ſed de ſeipſo filium genuit.

Oroſii quæſt. II.

De perſonarum diſtinctione,vel de geniti Filii perſona ſatisfactũ mihi eſſe arbitror. Nũc quæro à te quid credas de Spiritu ſancto, vtrũ & ipſe ingenitus ſit,an genitus.

Auguſtini reſponſio.

Spiritum ſanctum neque ingenitum neq; genitum fides certa declarat. Quia ſi dixerim⁹ ingenitum,duos patres affirmare videbimur. Si autem genitum,tũc duos Filios credere cul pabimur. Sed quod certa fides tenet, nec ingenitus eſt nec genitus, ſed ab vtroque procedens,id eſt,à Patre & Filio. Et vt hæc teſtimoniis approbẽ, ipſum Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum diſcipulos ſuos audi docentẽ, Cùm autem venerit,inquit,Paracletus,quẽ ego mittam vobis à Patre Spiritũ veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Et rurſum ipſe Domin⁹ noſter Ieſus Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam,vt oſtenderet à ſe procedere Spiritum ſanctum ſicut à Patre, inſufflans in diſcipulos ſuos ait, Accipite Spiritũ ſanctũ. Item, Ego mittã ꝓmiſſum Patris mei in vos. Vnus ergo Spiritus eſt Patris & Filii, vnus amborũ Spiritus. Igitur quòd Patris ſit Spiritus, ipſe Domin⁹ & Saluator noſter Ieſus Chriſtus diſcipulis ſuis ait, Nõ enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Et quod idẽ & Filii ſit Spiritus,Paulus Apoſtolus teſtis eſt, Si quis autẽ,inquit, Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.

Ioan.15 *Ioan.20* *Luc.24* *Matt.10* *Roma.8*

Oroſii quæſtio III:

De ſingulis perſonis,quòd alius ſit Pater, alius Filius,alius Spiritus ſanctus,vel quòd Filius ſit genitus,& Spiritus ſanctus procedens, ſecundum Scripturas ſãctas aduertimus. Nũc verò illud ſcire cupio,ſi Deus ſit Filius aut Spiritus ſanctus: vel vtrùm vna ſit ſubſtantia vel eſſentia, quàm Græci οὐσίαν vocant.

Auguſtini reſponſio.

Intende animo,& verè quæ te mouent libẽtius demonſtrabo. Beatus Paulus Apoſtolus quòd Filius ſit Deus, ad Romanos ſcribẽs de Iſraelitis, Quorum patres, inquit, ex quibus eſt Chriſtus ſecundũ carnẽ, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. Et iterũ in Euãgelio ſecundũ Ioannẽ, Vt cognoſcant, inquit, te ſolum verum Deum,& quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ordo eſt verborum, Vt cognoſcãt te, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum,ſolum verum Deum. Et rurſus alia Scriptura dicit, Vt ſimus in vero Filio eius Ieſu Chriſto: ipſe eſt verus Deus,& vita æterna. Et vt æqualitatem ſuam oſtendat, ait ipſe Dominus, Ego & Pater vnum ſumus. Vnum ſunt ſcilicet natura, nõ perſona, Et iterum, Propterea,inquit, quærebant Iudæi Ieſum interficere, quia non ſolùm ſoluebat ſabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum,æqualem ſe faciẽs Deo. Et rurſum beatus Apoſtolus Paulus, Qui cùm in forma Dei eſſet,non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Non enim poterat eſſe rapina,vbi æqualis erat natura,quæ nõ erat vſurpata,ſed nata. Non rapuit, quia habuit: & multa innumerabilia, quæ ad momentum non occurrunt. Spiritum vero ſanctum verum Deum Actus Apoſtolorum apertiſſimè edocent. Ananiam,inquit,Petrus,cur tẽtauit ſatanas cor tuũ mentiri te Spiritui ſancto? Et infrà, Non es homini bus mentitus,ſed Deo. Et in Euangelio ſecundum Ioannem, Deus,inquit, Spirit⁹ eſt. Paulus Apoſtolus ad Corinthios ſcribens, Neſcitis,inquit,quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti,qui in vobis eſt,quem habetis à Deo,& non eſtis veſtri iuris? Empti enim eſtis pretio magno glorificate ergo & portate Deũ in corpore veſtro. Pater,inquã, eſt Deus, Filius Deus, Spiritus ſanctus Deus. Non tres dii,ſed vnus eſt Deus. Nam ſi Pater maior, Filius minor, Spiritus ſanctus pluſquam minor, quod hæretica prauitas aſſerit: iam non erit vnus Deus,ſed tres dii. quod nefas eſt credere. Et valde redarguit illos Scriptura diuina. Audi Iſrael,inquit, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. Ac per hoc ſicut nõ dicimus tres deos, nec tres eſſẽtias,ita nec tres ſapiẽtias,nec tres Spiritus. Nã interrogati de ſingulis perſonis, ſi Pater ſit ſapiẽtia vel Spiritus ſanctus,reſpõdemus,Pater ſapientia, & Filius ſapientia & Spiritus ſanctus ſapientia. Non tres ſapientiæ nec tres Spiritus,ſed vna ſapiẽtia eſt & vn⁹ Spiritus: ſicut eſt vna ſubſtantia aut vna eſſentia: quia hoc eſt illi eſſe quod ſapientem eſſe, vel Spiritum eſſe.

Ioann.5 *Act.5* *1.Corint.6* *Deuteron.6*

Oroſii quæſtio IIII.

Etſi æquales ſunt Pater & Filius,quomodo ipſe Filius dicit,Pater maior me eſt? &, Nõ veni voluntatem meam facere, ſed voluntatẽ eius qui me miſit. Et iterum, Pater ſi fieri poteſt,trãſeat à me calix iſte: &, Mea doctrina nõ eſt mea,ſed eius qui me miſit?

Ioann.14. *Ioann.6* *Matth.26* *Ioann.7*

Auguſtini reſponſio.

Iſta omnia & alia quæ à te non ſunt dicta, ſecundum formam ſerui quam aſſumpſit dicta ſunt. Igitur cùm primus homo cõditus eſſet à Deo,& libero arbitrio muneratus,præceptũque ei poſitũ eſſet: ſi cuſtodiſſet quæ ei Deus præceperat,morte nõ corporis neque animæ multaretur. Sed ille inobediens mãdato Dei, atque elatus ſuperbia,ſuaſioni ſerpentis obediens, Dei præcepta contempſit, & hæc cauſa extitit vt mortis periculum incurreret, & ab illo vno homine omnis humana natura vitioſa atque peccato obnoxia mortalis exiſteret. Apoſtolus Paulus, Per vnum hominem,inquit, peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines

Roma.5

mors

mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt: quia sicut per vnum hominem omnes homines in condemnationem, ita & per vnius iustitiam omnes homines in iustificationē vitæ. Et
1.Corint.15 iterum, Primus homo de terra terrenus, secūdus homo de cęlo cælestis. Hic, inquam, homo cælestis est. Cælestē itaque dico, quia non ex humano conceptus est semine, sed de Maria virgine pro nostra salute assūptus à Filio Dei,
ioannis 1 sicut Euāgelista Ioānes testatur, Et Verbum, inquit, caro factum est, & habitauit in nobis. Et Verbum caro factum est, non carne mutatum, vt non desisteret esse quod erat, sed cœperit esse quod non erat. Assumpsit enim carnē non se conuertit in carnem. Carnē istam à parte totum hominē intelligimus, id est, carnē & animā rationalē. Et sicut primus homo & carne & anima mortuus fuerat, ita etiā oportuit vt per Mediatorē Dei & hominum, hominē Iesum Christum & carne & anima viuificaretur.
ioann.14 Ergo vt suprà diximus, secundum assumptam hominis formā dictū est, Pater maior me est.

Orosii quæst. V.

Video te, dum de vno Filio Dei inquirim⁹, duos introducere voluisse, vt dicas Filium Dei & filium hominis.

Augustini responsio.

Non sunt duo filii, sed vnus est Filius. Quia ille qui erat Dei Filius, factus est Filius hominis in vnitate personæ. Quia sicut anima & caro vnus est homo, ita Verbum & homo vnus est Christus. Duas substantias, id est, duas naturas accipimus in vno Filio Dei, vnā diuinitatis, & alterā humanitatis, nō duas personas. Igitur si dixerimus duas esse personas, introducemus duos esse Filios, & iam nō esset Trinitas, sed quaternitas. Profectò enim per illud quòd Deus est, æqualis semper Patri, vbiq; præsens est, & in cælo totus, & in terra totus, & nullo contentus loco. Per id quòd homo & passus & mortuus, & resurrexit, & ascendit in cælum, sedétque ad dexterā Dei Patris, & sic veniet ad iudicandum viuos & mortuos, quemadmodum visus est ire in cælum, in eadē forma carnis atque substantiæ, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit.

Orosii quæst. VI.

Cùm vna sit substantia Patris & Filii & Spiritus sancti, quomodo Filius sine Patre & Spiritu sancto susceperit carnem?

Augustini responsio.

Neque persona Patris, neque Spiritus sancti, sed sola Filii persona susceperit carnem. Et vt hoc intelligas, comparationibus vtar, vt ex creatura intelligas Creatorē. Certè in anima est ratio: & cū vnū sint, aliud anima agit aliud ratio. Anima viuim⁹, ratione sapimus. Ita Pater & Filius & Spiritus sanctus, cùm sint vna substantia, tota Trinitas operata est hominē, quem non tota Trinitas assumpsit, sed sola Filii persona.

Orosii quæst. VII.

Voluntariè genuit Pater Filium: an necessitate?

Augustini responsio.

Nec voluntariè nec necessitate, quia necessitas in Deo non est. præire autem voluntas sapientiā nō potest, quod est Filius. Igitur prius est rationabiliter sapere, quàm rationabiliter velle. Nā quidā noster cùm eum interrogasset hęreticus, vtrùm volēs an nolens genuerit Pater Filium, laudabiliter respōdisse fertur. Dic, inquit, & tu hæretice, De⁹ Pater necessitate est Deus, an voluntate? Quòd si dixisset necessitate, sequebatur illum grandis absurditas. Si autem voluntate, respondebatur illi, Ergo voluntate est Deus, non natura & ita in laqueū quē volebat ponere, ipse incidit: & videns se conuictum, obmutuit.

Orosii quæst. VIII.

Quomodo illud intelligendum est quod legitur, Sicut Pater habet vitam in semetipso: ioannis 5
sic dedit & Filio habere vitam in semetipso?

Augustini responsio.

Scimus Filiū Dei à semetipso non esse, sed à Patre genitum esse. Patrē verò à nullo genitum esse, à nullo vitam accepisse. Dedit Pater Filio vitam gignendo, non quòd prius fuerit Filius sine vita, & postea acceperit vitā: sicut nos qui per peccatum amisimus vitam, & per gratiam Saluatoris recepimus. Ideo dicitur accepit vitam, quia non est à seipso genitus: non enim existendo dedit, sed gignendo.

Orosii quæst. IX.

Quoniam & ratione & testimoniis persuasisti mihi de subiectione Filii, quòd non sit secundum substantiā minor, sed secundum formam serui, quam assumpsit: ideo quæro, quid de missione Spiritus sancti sentias. nunquid & ipse hominē assumpsit, vt missus esse dicatur?

Augustini responsio.

Sicut nec secundum substantiam dicitur, seu missus, seu minor Filius, ita nec Spiritus sanctus. Postremò sicut ille propter hominem minor aut missus, ita iste propter columbam vel ignē missus dicitur: scilicet quia non in ea substātia qua est æqualis Patri apparuit, sed vt dictum est, per subiectam creaturam. Non enim sicut Filius hominem assumpsit, vt sic in æternum permaneat, sic Spiritus sanctus columbā matt. 3 Actuum 4
vel ignem: sed factæ sunt illę visiones de creatura inferiore, ad manifestandum Spiritum sanctum, quæ esse postea desiterunt. Nunquam enim illa incomprehensibilis immutabilisque diuinitas, quæ est Trinitas Deus, ab oculis carnalibus videri potest, nisi vt dictum est, per subiectam creaturam.

Orosii quæst. X.

Filius autē Dei quomodo sit de Patre nat⁹, Spiritus verò sanctus ab vtroque procedēs, declarasti. Ideóque quæro quid distat inter natiuitatem Filii, & processionem Spiritus sancti,

Augustini responsio.

Filius autem solius est patris, non Spiritus sancti, amborum, inquam, Spiritus, id est, Patris & Filii. Quòd si Spiritus sanctus Filius esse diceretur: nullus autem filius est duorum, patris & matris, quod absit vt inter Deum Patrē & Filium tale quid suspicemur: quia nec Filius hominis simul ex patre procedit & ex matre, quia cū procedit ex patre, & nō tunc procedit ex matre, & cū procedit ex matre in hac luce, nō tunc procedit ex patre. Spiritꝰ verò sanctus nō de Patre procedit in Filiū, & de Filio procedit ad sanctificandā creaturam, sed simul de vtroque procedit.

Orosii quæst. XI.

Quomodo intelligendum est illud, quod Ioannis 16 Ioannes Euangelista de Spiritu sancto dicit, quòd non loquetur à semetipso? Sic enim ait. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur.

Augustini responsio.

Non loquetur à semetipso, quia non est à semetipso. Pater enim à nullo est natus, Filius à Patre est genitus, Spiritus sanctus à Patre & Filio procedens. Ideo non loquetur à semetipso, quæcunque autem audiet loquetur. Audire enim illi esse est: esse autem à se nō est sed à Patre, ideo quæcunque audiet loquetur.

Orosii quæst. XII,

Quid est quod dicit Apostolus Paulus Roma. 8 ad Romanos scribens, Nam quid oremus, inquit, sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibꝰ. Qui autē scrutatur corda, scit quid desideret Spiritꝰ, quia secundū Deū postulat p Sanctis?

Augustini responsio.

Modus iste locutionis frequenter in Scripturis Sanctis inuenitur, sicut dicit Dominus ad Abraham, Nunc cognoui quòd timeas Genes 22 Deum, hoc est, cognoscerete feci. Sicut dicit Galat. 2 Apostolus, Nunc cognoscitis Deum, imò nūc cogniti estis à Deo. Cui enim semper omnia in præsentia sunt, & futura iā facta sunt: quomodo tunc dicimur cogniti à Deo, nisi faciente Deo vt cognoscamꝰ Deū? Sic & hic scribitur Spiritus sanctus gemere pro nobis, id est, gemētes non facere. Infundit enim nobis charitatē in Deum & proximū. Sicut dicitur lætꝰ dies, quòd lætos facit, aut tristis, quòd tristes facit, aut læta epistola, quòd lætos facit. Ita & hic gemere dicitur Spiritus sanctus, eò quòd nos gementes facit.

Orosii quæst. XIII.

Cùm Iudæi signum peterent à Domino & matth. 12 Saluatore nostro, respondit illis, Generatio hæc adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit & Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Approba ergo quomodo in inferno fuerit tribus diebus & tribus noctibus, cùm feria sexta quæ est in parasceue, hora nona emiserit spiritum, & prima sabbati ante lucem, quæ est Dominica, resurrexerit. Ecce non sunt tres dies pleni, nec tres noctes.

Augustini responsio.

Antiqui patres nostri hoc senserunt, vt prima dies quæ est parasceue, à parte vltima, & vltima quæ est Dominica, à parte prima debeat computari: & ita denominādo à parte totum, tres dies fuerunt, vltima pars feriæ sextæ, totū sabbatum, & prima pars Dominicæ cum suis noctibus.

Orosii quæst. XIIII.

Cùm repromittat Dominus noster Iesus Christus Sāctis suis, quòd in resurrectione fulgeāt sicut sol, quare ipse Dominus in resurrectione sua sic non fulsit? Mat. 13

Augustini responsio.

Clarificata carne vtique resurrexit: sed noluit in ea clarificatione discipulis suis apparere, quia non possent oculis suis talem claritatē perspicere. Si enim antequam moreretur pro nobis & resurgeret, quando trāsfiguratus est in mōte, discipuli sui eum videre nō potuerūt, sed præ timore in terrram ceciderunt: quantò magis clarificata carne Domini eā videre non potuerunt?

Orosii quæst. XV.

Marcus Euangelista narrat Dominum ho Marc. 15 ra tertia crucifixum, Ioannes autem sexta: cui potius credendum est ex his duobus? Ioannis 19

Augustini responsio.

Et ille verum dixit, & ille similiter. Nam Ioannis 19 hora tertia clamauerunt Pilato Iudæi, Crucifige, crucifige eū. Milites autem hora sexta crucifixerunt eum. Igitur quod illi lingua, hoc isti manibus effecerunt. Ne autem viderentur Iudæi non crucifigere Dominum, ideo Euangelista posuit hora tertia crucifixum Dominum: Marc. 15 quia non tātum illi crucifixerunt qui ministerium impleuerunt, sed illi qui clamauerunt. In eis enim cōpletū est quod ait Psalmographus, Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ, psalm. 56 & lingua eorum machæra acuta. Vides qualē gladium habuerunt, vnde hora tertia Dominum occiderunt.

Orosii quæst. XVI.

Cùm Deus omnia bona creauerit, nihilq; sit quod non ab illo cōditum sit, vnde malum?

Augustini responsio.

Malum natura non est, sed priuatio boni hoc nomē accepit. Denique bonum potest esse sine malo, sed malum nō potest esse sine bono, nec aliquid potest esse malum vbi non fuerit bonum. Ac per hoc dicimus & Angelum bonum & Angelum malum, & hominem bonum, & hominē malum, sed bonum quòd Angelus, malum quòd vitiosus: bonum quòd homo, malum quòd vitiosus. Ideóque quādo dicimus bonum, naturam laudamus: quando dicimus

cimus malum,non naturam,ſed vitium,quod eſt bonæ naturæ reprehendimus.

Oroſii quæſtio XVII.

Omnes Angeli æquales an inæquales creati ſunt? Et ſi æquales, cur non omnes firmi & ſtabiles fuerunt? Si verò inæquales,quo merito alii præſciētiæ ſuæ ſtabilitatē accipere meruerunt & alii futurum ſuæ ruinæ caſum minimè præuidere potuerunt?

Auguſtini reſponſio.

Omnes quidē Angeli ęquales creati ſūt: ſed cadentib⁹ illis p ſuperbiā,cęteri Domino pia obedientia cohæſerūt,accipientes certā ſcientiam ſuæ ſtabilitatis,quam illi nūquam habuerunt. Et ſic ſūt gratia Dei in omnibus circundati, vt nunquam poſsint cadere à beata vita, qua fruuntur Domino cohærentes.

Oroſii quæſtio XVIII.

Quomodo intelligendum eſt quod dicit Deus in Geneſi, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram? Genes.3

Auguſtini reſponſio.

In mēte eſt ratio & intelligentia. Ipſa itaque mens quando cogitat ea quæ ſunt æterna, tunc verè imago Dei dicenda eſt. Et cogitādo æterna vir eſt, ſicut ait Paulus Apoſtolus, Vir non debet velare caput ſuū,quū ſit imago gloriæ Dei. Quantóque ſe magis extenderit in id quod æternum eſt,tantò magis inde formatur ad imaginem Dei. Et ideo non eſt cohibenda, vt inde ſe contineat ac temperet Quando verò ea agit & cogitat quæ ſunt temporalia,mulier appellatur: tunc non eſt dicēda imago Dei, & ꝓpterea debet velare caput ſuū, ne nimium ſit eius ad inferiora progreſsio, & cùm licita agit, illicita concupiſcat. 1 Cor.11

Oroſii quæſtio XIX.

Primus homo an mortalis factus eſt, an immortalis?

Auguſtini reſponſio.

Et mortalis ſecundum aliam, & immortalis ſecundum aliam cauſam. Tale itaque corpus habebat primus homo,quale & nos, ſed ſine peccato. Nō enim habebat legem in mēbris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ: ſed vtique ꝓmeruit poſt prævaricationē. Igitur animale corpus habuit Adam: ſed vt non ſeneſceret, nec deficeret per illius ligni virtutem, qua ſuſtentabatur, quod in paradiſo, vitæ nomen acceperat. Quapropter ſi Dei præcepta ſeruaſſet,obedientiæ merito in illud corpus ſpiritale, quale Sanctis in reſurrectione promittitur permanſiſſet, poſtmodum commutandum. Ac per hoc poterat non mori, ſi Dei præceptis pia obedientia cohæſiſſet. Non enim & ſic factus fuerat,vt non poſſet mori,ſicut cæteræ naturæ quæ omnino mori non poſſunt: ſed ita vt obediētia immortalem,inobedientia mortalem faceret.

Oroſii quæſtio XX.

Quid eſt quod dicit Apoſtolus Paulus, Caro & ſanguis regnum Dei non poſsidebunt? 1 Cor.15

Auguſtini reſponſio.

Ex hoc teſtimonio multi minus intelligētes, ac per hoc hæreticè aſſerūt hominem non poſſe in eadem qua defunctus eſt carne reſurgere: ſed tollentes veram carnem naturæ ſuæ, quale eſt corpus quod nunc habet,corpus aereum,quod nunquam habuit,homini poſt reſurrectionem attribuunt. Quod valde abſurdum cōſyderantibus ipſam ſententiam approbatur. Caro & ſanguis, inquit, regnum Dei non poſsidebunt. Et hoc idem Apoſtolus Paulus exponens, quodammodo ſubſecutus adiunxit, Neque corruptio incorruptionem poſſidebit. Quibus ſcribit Apoſtolus? nempe iis qui dicebant, Manducemus & bibamus: cras enim moriemur. Hos redarguens beatus Paulus Apoſtolus, carnem & ſanguinem appellat, hoc eſt, opera carnis & ſanguinis non poſſe adipiſci regnum Dei. Nam ſi propria hìc ſubſtātia carnis accipiēda eſt, quid dicent de his quibus ſcribit idem Apoſtolus. Vos autem in carne non eſtis,ſed in Spiritu? Nunquídnam Romani carnem non habebant, quibus Apoſtolus ſcribebat? Sed in carne, inquit, non eſtis, id eſt,non eſtis carnales, non facitis opera carnis,quæ inimica ſunt Deo,quæ Legi Dei non ſubiiciuntur. Qui autem in carne ſunt,inquit, Deo placere non poſſunt. Ecce qualis caro regnum Dei non poſsidebit. Nam quòd homo in eadem qua moritur carne reſurgat, Dominus noſter Ieſus Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam dubitantibus diſcipulis, & putantibus ſe ſpiritum videre, reſpondit, Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Ac per hoc credim⁹ hominem non tantum cùm carne & oſsibus, ſed etiam cùm ſanguine, & quidquid ad naturam eius pertinet,reſurgere, & ſine vlla corruptione eſſe illic, vbi ſemper eſt æterna vita & æterna felicitas, contemplādo Trinitatem Deum. Igitur ſicut iuſti cum ſua carne ad æternam felicitatem, ita impii ad æternam reſurgent miſeriam, Roma 8 Luca.24

Oroſii quæſtio XXI.

Geneſis principium habet, In principio fecit Deus cælum & terram. An igitur Angeli poſtmodum facti ſunt,cùm dicatur,quòd primò omnium fecit Deus cælum & terram?

Auguſtini reſponſio.

Quando facta ſunt ſimul ſydera, ait Scriptura, Laudauerunt me omnes Angeli mei voce magna. Quarto enim die facta ſunt ſydera, & iam Angeli erant. Neque enim die tertio, neque ſecundo facti ſunt. In his enim apparet quæ facta ſunt. Tertio enim die arida, ſcilicet terra,ab aquis diſcreta eſt. Secundò enim factum eſt firmamentum, vbi ſol & luna diſcurrunt & ſydera. Porrò prim⁹ dies ipſe eſt Angelica natura, quæ primo cæli nomine nuncupata eſt. Vnde euidenter oſtenditur primo die ſpiritalem factam, id eſt, Angelicam naturam,

& sic hoc cælum quod oculis cernimus. Nam
Genes.1 quod ait, In principio fecit Deus cælũ & terram: non est primò omniũ sicut ait, sed In principio, id est, in Filio, imò per Filiũ fecit Deus omnem spiritalẽ corporalémque creaturam, quæ & cæli & terræ nomine appellata est. Nã quòd ipse sit principiũ, de se interrogantibus Iudæis quis esset, respondit, Principium, qui & loquor vobis. Primò igitur voluit & cælum & terram, velut quandam spiritalem corporalémque materiam dicere, & sic quẽadmodum sigillatim facta sunt, ordinem texere. Quod enim dixit cælũ, hoc mihi videtur dixisse aquarum abyssum tenebrosam, antea quodãmodo fluitantem vitam, nisi conuertatur ad Creatorem, & fiat lux, & cõtempletur Trinitatẽ Deũ esse in Deo. Neque enim ita dicimus, vt ista materies præcedat formam suam, sicut præcedit lignum arcam, sed sicut præcedit vox verbum. Non enim tempore, sed origine. Igitur prima creatura, lux non est ista quæ quarta die facta est: sed spiritalis, id est, Angelica natura.

Orosii quæstio XXII.

Cùm dicitur, Spiritus Dei ferebatur super aquas, localiter ferebatur sicut sol & luna & alia sydera, an aliter?

Augustini responsio.

Spiritus sanctus Deus est. Quare non continetur loco aut distenditur. Neque temporum motionibus subiacet: sed est vbique præsens & totus. Cùm modò sanè nominauit creaturã, cui superferri diceretur Spiritus sanctus, non localiter, sed potentialiter dicitur. Non ex indigentia Deus fecit opera sua, sed ex beneficentia, neque horum indiget quæ fecit. Indigus quippe atque egenus amor subiacet rebus quas diligit. Ipse autem egenus non est, nec subiacet rebus quas diligit. Et ideo dictũ est superferri creaturæ Spiritum sanctum, quia non ex indigentia, nec egenti, sed beneficio amore operatus est ipsam creaturam.

Orosii quæstio XXIII

Genes.1 Cùm dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux: in die dixit, an ante omnem diem? Si in die dixit, temporaliter dixit. Si tẽporaliter dixit, per aliquam creaturam dixit. Igitur non est prima creatura lux.

Augustini responsio.

Nec in die dixit, nec temporaliter dixit, quia ante omnẽ profectò creaturam Verbum suum genuit, & per Verbum omnẽ creaturam creauit. Dictio itaque Dei, Verbum Dei est. Sed Diuina Scriptura paruulis congruens, & quodãmodo eos lactans vt proficiãt & cibum spiritalẽ capiãt, voluit semper per omnẽ creaturæ formationem dictionem Dei nuncupare. Vt (verbi gratia) si requiram°, Quomodo facta est lux? Audies, In Verbo Dei erat vt fieret. Quomodo factũ cælũ? In verbo Dei erat vt fieret. Et cætera per ordinẽ si requiras, quomodo facta sint, in Verbo Dei erant vt fierent. Hoc est enĩ, Dixit Deus. Fiat lux. Neque enim corporalibus modis loquitur diuina natura, nec quotiens dicitur Dixit, totiens verba formauit. Vnum enim Verbum genuit coæternũ & consubstantiale sibi, in quo omnia ineffabiliter & intemporaliter dixit.

Orosii quæstio XXIIII.

Si subitò Deus vidit lucem quòd esset bona, an antè nesciuit. & visio ei cõtulit scientiã?

Augustini responsio.

Omne opus præcedit voluntas nostra, dum cogitamus quid operari debeamus. Nemo enim ignorans aliquid facit, dum cogitat qualiter fiant quæ facienda cogitando disposuit. Et cùm hoc in hominem cadere non possit, vt aliquid ignorans faciat, quantò magis in Deum, qui omnia æterno & stabili suo cõsilio, quę voluit fieri fecit, nec aliter facta, nec aliter faciẽda esse vidit? Eo itaque modo vidit facta, quo viderat facienda.

Orosii quæstio XXV.

Et diuisit, inquit Scriptura, lucem à tenebris. Omne enim quod diuiditur, etiam esse poterit. Sicut ergo essentia lucis, ita est etiam essentia tenebrarum. Et cur non dixit Scriptura, Vidit Deus tenebras quòd essent bonæ, sicut de luce dictum est?

Augustini responsio.

Deus bona & incommutabili voluntate creauit omnes Angelos bonos. Et quia ex iis quosdam per superbiam præsciebat casuros, per incommutabilitatem præscientiæ suæ, di- Genes.1
uisit inter bonos & malos. Malos autem appellans tenebras, & bonos appellãs lucem. De bonis dicẽs, Vidit Deus quia boni sunt: de malis nullatenus hoc dixit, ne peccata quæ sunt tenebræ, approbare videretur.

Orosii quæstio XXVI.

Primum diem spiritalem astruis esse creaturam, & quomodo habuit vesperã & manè?

Augustini responsio.

Omnis creatura antequam tempore suo fieret, in ipso Dei Verbo prius erat ab Angelis cognoscenda, & sic suo tempore faciẽda. Quapropter ipsa creaturæ cognitio in semetipsa, vespera, in Deo erat mane. Quia prius videtur ipsa creatura in Deo, quàm in seipsa videatur: ideo creatura plus videtur in arte qua facta est quàm ipsa in seipsa quæ facta est. Propterea enim ait Euãgelista Ioannes, Quod factum est, Ioan.1
in ipso vita erat. Omnia ergo quæ facta sunt, & vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in seipsis vita non sunt. Cælum, terra, lapis vitã non habent, & tamẽ in Deo vita sunt. Viuunt igitur in Deo sine initio, vtique incõmutabiliter omnes rationales creaturæ, ac per hoc plus videntur ab Angelis sanctis in Verbo Dei, vbi sunt vita, quàm in seipsis: quia sciẽtia Angelorum in comparatione Dei quodammodo vespera est. Sit ergo in cognitione spirituum dies primus, in cognitione firmamẽti secundus, in cognitione discretionis terræ ac maris

maris tertius, in cognitione solis & lunæ & stellarũ, quartus, in cognitione reptilium & volatilium, quintus, in cognitione iumẽtorum & ferarũ vel ipsius hominis, sextus. Neque enim diei vnius, quem intelligimus naturam spiritalium creaturarum, id est, Angelicarum, sexies facta cognitio, sex dies fecit, propter senarii numeri perfectionem. Sed de numeri senarii perfectione aliquid tibi ex Scripturis sanctis colligam. Libẽs adesto, & te totum ad audiendum præpara. Vnum in numero diuidi nõ potest: ab ipso enim surgit omnis numerus. Ergo duo diuidi possunt, sed pars eorũ vnum est. Igitur diuisio duorũ in bis vnũ est, diuisio trium inter vnum est. Quid autem aliud hic numerus ostendit, nisi Trinitatem quæ Deus est? Quæ quãuis tres sint personæ, vnum creduntur in vnitate naturæ. Quaternarius duas partes habet. Nã quarta eius vnũ, media eius duo. Vnum videlicet & duo tria sunt. Ecce partes suas, nec vltrà excrescit, nec cõplet: & ideo imperfectus est numerus. Quinarius autẽ habet nisi vnum, quod est quinta eius. Senarius ergo numerus perfectus est, quia partibus suis completur: habet enim vnum, quod est sexta pars eius, duo quæ sunt tertia, tria quæ sunt media. Vnum ergo & duo & tria, sex faciũt. Ideóque propter huius numeri perfectionem, sex diebus operatus est omnem creaturã. Tres ergo hæ partes senarii numeri demonstrant nobis Trinitatem Deum, in trinitate numeri, mẽsuræ & ponderis fecisse omnẽ creaturam. Plurimum valere senarii numeri pefectionẽ, in Scripturis sanctis frequẽter reperimus, præsertim in morte Domini simpla, & in resurrectione eius simpla, & in morte nostra dupla, & in resurrectione nostra dupla. Mors itaque Domini nostri Iesu Christi, nõ fuit in anima, sed in carne sola. Mors verò nostra, non solùm in carne, sed & in anima. In anima propter peccatum, in carne propter pœnam peccati. Ille verò quia peccatum non habuit, in anima non est mortuus, nisi tantùm in carne: & hoc propter similitudinẽ carnis peccati, quam de Adam traxit. Igitur simpla eius mors profuit duplæ nostræ, & simpla eius resurrectio, duplæ nostræ resurrectioni profuit. Est etenim mors carnis eius & resurrectio eius, mors carnis nostræ & resurrectio eius, & mors animæ nostræ & resurrectio eius. Mors autem carnis eius & resurrectio eius, duas mortes nostras, & duas resurrectiones nostras significat. Vnde si addas ad vnam mortem Domini & vnam resurrectionem eius (quæ duo faciunt) quatuor, hoc est, duas mortes &, duas resurrectiones nostras, sex fiunt. Ideóque simplũ Domini bis, & duplũ nostrum bis, tria bis sunt, & tria bis, secundum quod suprà diximus, partes sũt vnde senarius numerus est. Nam & triginta sex horæ, quibus Dominus fuit in inferno, huic simplo & duplo cõgruunt. Duodecim ergo horę fuerũt diurnæ, & viginti quatuor nocturnæ. Item viginti quatuor ad duplã mortem nostrã concinunt, & illæ duodecim horæ ad mortẽ Domini simplã. Reuera enim & natiuitas eius senarium numerũ habet. Quadraginta enim & sex annis ædificatũ esse templũ asserunt Iudæi in Euãgelio, quod intelligitur de corpore Domini. Quadraginta & sex anni pro diebus positi sunt. Quadraginta & sex diebus dicunt infantem formari in vtero, & subinde vsque in diem parturitionis augmẽtari. Quadragiesſexies quippe seni, fiunt ducenti septuaginta sex, qui faciunt menses nouem & dies sex. Computa ergo ab octauo calendas Aprilis quando passus est Dominus (nam & tunc etiam creditur fuisse conceptus) vsque in diem octauum calendas Ianuarii, & reperies dies ducentos septuagintasex, qui constant per senarium numerum. Quid de illa muliere in Euangelio, quam decem & octo annis curuauerat satanas, quam sanauit Dominus, dicem⁹? Quia & ipsi anni senarium numerum habent. Ter enim seni octodecim sunt. Illa igitur mulier intelligitur figurare genus humanum, quod sexta ætate seculi à captiuitate diaboli, Redẽptor noster Domin⁹ Ies⁹ liberauit. Prima ætas est ab Adam vsque ad Noe. Secunda ætas est à Noe vsque ad Abraham. Tertia ab Abraham vsque ad Dauid. Quarta à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis. Quinta à transmigratione Babylonis vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi. Sexta quę nũc agitur, donec Excelsus veniet ad iudicium, Sexta igitur ætate seculi reformatur genus humanum ad imaginẽ Dei. Profectò enim anni decem & octo, non solùm sex ætates, sed etiam tria tempora euidenter demonstrant. Vnum scilicet ante Legem, alterum sub Lege, tertium sub gratia. Quinimo & ipse annus senario numero continetur: habet enim dies trecentos sexagintaquinque. Sexies autem sexageni sunt trecenti sexaginta. Remanent profectò dies quinque & quadrans. Quinque autem dies sexies, sunt mensis. Tamen etiamsi illum quadrantem pro die ponas, à parte totum, sex faciunt. Et ecce quantùm me Dominus adiuuit, de senarii numeri perfectione, etsi non quantum volui, tamen quantum potui, reddidi rationem.

Ioan. 2.

Luc. 13.

Sex ætates mundi.

Orosii quæstio XXVII.

Quomodo autem diuisæ dicuntur aquæ quæ erant sub firmamento, ab illis quæ erant supra firmamentum? Ordo enim elemẽtorum & põdus, non sinunt vt sit aquarum substãtia supra cælos. Aqua enim cedit terræ, & aer cedit aquæ, & ignis cedit aeri. Nullo modo enim potest fieri, vt secundum elementum quod est aqua, sit supra quartũ, quod est ignis. Et quomodo dictum est, Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis?

Genes.

Augustini responsio.

Quæ & qualeslibet sint aquæ illæ, quas

Scriptura docet ſuprà cælos eſſe, eaſdem eſſe ibi minimè dubitemus. Sicut enim nubes iſtæ, quæ vtique aquæ ſunt, feruntur ſupra aera, quod eſt tertium elementum, ita fieri poſſe arbitror, vt aquæ tenues atque ſubtiles ferantur ſupra cælum. Nam ex hoc pondere elementorum multi Philoſophi reſurrectionem carnis illudentes, non poſſe fieri inquiunt, vt homo, qui vtique ex terra factus eſt, ſit in cælo. Sed hos veritas conuincit, quæ facit multa animalia terrena in aere volitare, & aquam eſſe ſupra aerem, & ignem vtique quod eſt quartum elementum, eſſe in terra. Ergo Dei potentia quæ hæc facere approbatur, facit vt & homo & aqua ſint ſupra cælum.

Oroſii quæſtio XXVIII.

Et quia totam terram aqua tegebat, non erat locus vbi aquæ congregarentur, dū totam terram aqua tegebat. Quomodo ergo Scriptura dicit, Congregētur aquæ quæ ſub cælo ſunt in locum vnum, & appareat arida? Gene.1

Auguſtini reſponſio.

Totam terram aqua tegebat, ſicut rariſſima quædam nebula, quæ poſtea in vnum redacta atque collecta eſt, vt poſſet etiam terræ ſpecies apparere, & terra lōgè latéque ſubſidens, potuit concauas partes præbere, quæ cōfluentes aquas ſuſciperent, vt arida appareret.

Oroſii quæſtio XXIX.

Quū Deus omnia bona creauerit, dicente Scriptura, Et ecce omnia quæ fecit Deus, bona valde: cur rurſus Dominus in Euangelio dicit, Nemo bonus niſi ſolus Deus? Gene.1 Matt.10

Auguſtini reſponſio.

Quòd homo ſit bonus, idem ipſe Dominus in Euangelio dicit, Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona. Sed vt hoc diceret, Nemo bonus, niſi ſolus Deus: illi ſcilicet reſpondebat, qui vitam æternā ab eo quærebat: illi qui tantùm hominem arbitrabatur, dicens, Magiſter bone. Ideóque ſic reſpondit dicens, Quid me dicis bonum? Nemo bonus niſi ſolus Deus: id eſt, formā iſtam aſſumptam quam cernis, videbunt boni & mali, pii & impii: non tamen erit eis in bonum qui mala agunt. Ergo non me dicas ſecundum hanc formam bonum, quam videbunt & illi qui me pupugerunt. Eſt alia forma, quam non videbunt impii, quam non videbūt niſi ſoli iuſti: ſecundum hanc formam bonus ſum eis, qui digni fuerint me videre. Matth.12

Oroſii quæſtio XXX.

Fons (inquit ſancta Scriptura) aſcēdebat de terra, irrigās vniuerſā faciem terræ. Si vniuerſam terrā irrigabat, ergo & montes irrigabat, quia & montes vtique terra ſunt. Si verò & montes irrigabat, diluuium erat. Et ſi diluuium erat, quomodo terra germinauerat herbam virentem & facientem ſemen? Aut quomodo habitabat homo in terra, ſi vniuerſam terram aqua tegebat? Gene.2

Auguſtini reſponſio.

Fons ibi ponitur ſingularis pro plurali numero: hoc enim ſi ſolicitè inquiramus, in Scripturis ſāctis frequenter reperiem⁹. Habes nempe in Pſalmo, Miſit in eos muſcam caninam, & comedit eos, & ranam, & exterminauit eos. Cū vtique nec vna muſca, nec vna rana fuerit. Et alibi in Pſalmo dixit, Et venit locuſta: non ait locuſtæ, ſed locuſta. En habes ſingularē numerum pro plurali. Secundum id quod ait nobiliſsimus quidam poetarum, Vterúmque armato milite complent. Porrò autem propter vnitatem naturæ dictum eſt vnus fons, vt omnes intelligamus qui ſunt in terra: quia quodammodo omnes ex vnius abyſsi natura manant. Nam quòd ait, Irrigabat vniuerſam faciē terræ, non totam terram rigabat, ſed partem. A toto enim partem ſignificauit, quemadmodum dicimus, Chriſtus mortuus eſt, Chriſtus reſurrexit. Quod nō cōceditur niſi ſecundū carnē. Pſalm.77 Pſalm.104 Æneid.2

Oroſii quæſtio XXXI.

Tulit ergo Dominus Deus hominem, ait Scriptura, & poſuit eum in paradiſum voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum. Quid rogo operaretur & cuſtodiret? paradiſúmne an aliud? Gene.2

Auguſtini reſponſio.

Iſta ſententia duplicem intelligentiam parit. Siue enim operaretur homo paradiſum, vt in paradiſo aliquid operaretur, non neceſsitate victus, ſed ad delectationē operabatur. Adhuc enim non peccauerat, nec ei terra ſpinas & tribulos germinauerat, vt in ſudore faciei ſuæ ederet panem ſuum. Hoc nempe meruit poſt peccatum. Ante peccatum igitur non indigentia, non neceſsitate, ſed ſola vt diximus, voluptate operabatur paradiſum per agricultūrā, & cuſtodiebat per diſciplinā. Non cōtra beſtias neque cōtra animalia aliqua paradiſū cuſtodiebat: ſed ſic ſolū ne amitteret peccādo, quē cuſtodire poterat obediendo. Siue ipſum hominem ponens Deus in paradiſo vt operaretur & cuſtodiret: operaretur ſcilicet vt bonus eſſet, & cuſtodiret vt tutus foret. Quidlibet horum dicatur, ſiue homo paradiſum operaretur per agriculturam, & cuſtodiret per diſciplinam, ſiue ipſum hominem Deus operaretur vt bonus eſſet, & cuſtodiret vt tutus eſſet: quiduis horum intelligas, rationem vterque intellectus non impedit.

Oroſii quæſtio XXXII.

Cùm Deus minetur homini mortem die quo cibum vetitum tetigerit, cur eo die mortuus nō fuit? Sic enim Scriptura dicit, In quacunque die comederis ex eo, morte morieris. Genes.2

Auguſtini reſponſio.

Quatuor eſſe mortes Scriptura ſancta euidenter oſtendit. Prima mors eſt animæ, quæ ſuum deſerit Creatorē. Cùm enim deſerit, peccat. Sine (inquit Dominus in Euangelio) mortuos Quatuor mortes. Matth.8

tuos secundum animam, scilicet sepelientes mortuos. Et quos sepeliunt? Secundum carnem mortuos. Hæc itaque sententia duas mortes manifestissimè docet, vnam animæ, quam peccando incurrit, alteram corporis, Tertia autem est solius animæ, quam dum ex hoc corpore exierit, patitur, secundum illud quod in Euangelio de diuite legimus, Pater Abraham (inquit diues) mitte Lazarum vt digito suo refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Quarta est mors, cùm anima recipiet corpus, vt in ignem mittatur æternum, secundum illud quod Dominus in Euangelio de futuro iudicio ait, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Die itaque quo peccauit Adam, in anima mortuus est. Sicut enim corpus viuit ex anima, ita anima vt beatius viuat, viuit ex Deo. Ergo deserta anima Adę à Deo, iure dicitur mortua prima morte, ex qua tres postea secutæ sunt mortes. Vt enim hæ subsequerentur, primò præcessit desertio Dei, secundum quòd eo die quo peccauit Adam mortuus est.

Luce 16

Matth. 25

Orosii quæstio XXXIII.

Quomodo poterat timere mortẽ Adam, quam nullatenus sciebat?

Augustini responsio.

Sicut enim scimus resurrectionẽ, quam nũquã experti sumus, nec vidimus: ita ille sciebat mortem. Scimus quoque quòd exiens anima à corpore suo faciat mortem: & dum reuersa fuerit in corpore suo, faciet resurrectionem. Ecce scimus resurrectionem, quam nunquam experti sumus. Sic & ille sciebat vtique mortem, non adhuc per experiẽtiam, sed per scientiam. Sciebat quippe quid esset viuere, & per priuationem vitæ sciebat vtique mortẽ. Sicut sciuntur tenebræ per priuationem lucis, & sicut scitur silentium per priuationem vocis, & sicut scitur vacuum per priuationem corporis: ita sciebat mortem per priuationem vitæ.

Orosii quæstio XXXIIII

Adduxit Dominus cuncta ad Adam animalia & volatilia, vidénsque ea, nomina imposuit. Et de muliere paulò pòst dicitur, Videns ergo mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, &c. Ecce manifestissimè Scriptura ostendit amborum oculos apertos fuisse. Nec enim fas est dicere primos homines cæcos factos. Et cur post paululum post ligni vetiti tactum, eadem Scriptura dicit, Aperti sunt oculi amborum? Nisi enim oculos haberent apertos, nec ille animalibus nomina imponeret, nec illa videret ligni pulchritudinem.

Gene. 2

Gene. 3

Augustini responsio.

Hoc quippe verum est, quia apertos oculos habebant, & tamen nisi ad aliquid clausi essent, nullatenus Scriptura diceret, Aperti sunt oculi amborum. Aperti sunt scilicet, non ob aliud nisi ad inuicem concupiscendum, vt esset lex in membris, repugnans legi mentis, vt etiam in ipsis membris esset non voluntarius motus, iusta scilicet Dei vindicta, vt homo qui noluit esse subiectus Deo, non haberet subditum corpus. Ergo in eo aperti sunt oculi amborum, vt mouerentur concupiscentialiter membra.

Romans. 7

Orosii quæstio XXXV.

Cùm audissent vocem Adam & Eua (ait Scriptura) Domini Dei deambulantis in paradiso, absconderunt se. Rogo quænam est ista deambulatio?

Augustini responsio.

Absit vt Deus qui est Trinitas, ex hoc quòd eius dicitur deambulatio, corporeus aut localis esse credatur. Omne siquidem corpus locale est, & omne locale vtique corpus est. Deus verò incorporea res est, nec temporaliter mouetur, nec loco continetur, neque de loco ad locum transfertur. Eius nanque deambulatio intelligenda est per aliquam creaturam facta: quam creaturam hominem fuisse ex ipsius circunstantia Scripturæ intellectum à maioribus recolo.

Orosii quæstio XXXVI.

Cùm Deus vnus sit dicẽte Scriptura, Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est, quomodo ipse dixit, Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est? Nobis enim pluralitatem insinuat.

Deut. 6

Augustini responsio.

Deus quanuis vnus sit, tamen Trinitas est, Pater scilicet & Filius & Spiritus sanctus. Vnus ex nobis dictum est, non propter pluralitatem deorum, sed propter pluralitatem personarum.

Orosii quæstio XXXVII.

Multa vtique videmus animalia ex corruptione corporũ, maximè mortuorũ nasci. Nunquid tunc creata sunt quando ipsa corpora?

Augustini responsio.

Absit vt tunc creata dicantur quando ipsa corpora, sed corporibus insita sunt quodammodo, quæ sunt suo tempore exorta. Sicut enim semen cuiuslibet arboris habet quandam vim, vt cùm obrutum fuerit in terra, oriatur & virgultum producatur, deinde ramis nihilominus constipata dilatetur, & frondibus de eisdem floribus decorata fructificet: ita est & in corpore, vt ita dicam, quoddam seminarium, vnde suo tempore curante prouidentia Dei, aliqua genera animalium oriantur.

Orosii quæstio XXXVIII.

Cùm Deus dixerit, Germinet terra herbam virentem, & afferentem semen, & ligna fructifera: ligna infructuosa vel spinas vel tribulos quando fecit?

Genes. 1

Augustini responsio.

Simul omnia Deus fecit, dicente Scriptura. Qui viuit inæternum, creauit omnia simul. Nullatenus igitur dicẽda sunt infructuo-

Eccles. 18

saligna, quę aliquo modo hominibus afferunt adiumenta. Quia & reuera, si non inuenimus in eis aliquid ad edendum, inuenimus ad medicamentum, inuenimus ad adiutorium. Nam quantum vtilitatis inueniatur in eis, tu ipse considera. Proinde quia à fruendo dicitur fructus, & ab omni ligno possumus habere aliquod adiutorium, iure nullū lignum dicimus infructuosum. Spinæ autem & tribuli quanuis post peccatum homini nascantur ad laborem,
Gene.3 dicente Scriptura, Terra spinas & tribulos pariet tibi: tamen nō est dicendū tunc ea aboriri ex terra, quia iam non erāt: erant vtique ad pastus pecorum vel volatilium facta, non ad augendam hominis pœnam producta.

Orosii quæst. XXXIX.

Si omnia in numero & mensura & pondere Deus disposuit, sicut sancta Scriptura testatur, ipsum numerum & mensuram & pondus vbi disposuit?
Sapien.11

Augustini responsio.

Numerus & mēsura & pondus ipse Deus est, ipse est numerus sine numero, à quo est omnis numerus. Ipse est mensura sine mensura, à qua est omnis mensura. Ipse est pondus sine pondere, à quo est omne pondus. Omnia ergo in numero, & mensura, & pondere disposuit, tanquam si diceret, omnia in se disposuit. Non enim creaturam eam extra se, aut alicubi vidit, vt sicut homines memoria retineat quæ faceret. Omnis ergo causa creaturæ voluntas est Creatoris. Hoc ibi est volūtas quod natura: si tamen æterna est natura, sicut æterna voluntas. Non enim accidit Deo huiusmodi noua aliqua cogitatio ad formandas creaturas. Proinde omnia in se Trinitas Deus disposuit, quia in se cuncta habuit quæ fecit. Intelligitur & aliter, Omnia in numero & mensura & pondere disposuit, id est, omnia quæ fecit, numerum & mensuram & pondus habent.
Sapien.11

Orosii quæstio XL.

Nunquidnā adduxit Deus ad Adam cuncta animantia terræ, & vniuersa volatilia cæli, quomodo adducunt aucupantes vel venantes ad retia? An forsitan vox de nube facta est iussionis, quam intelligerent tanquam rationales animæ, & ea audita illi omnes obedirent?

Augustini responsio.

Non hoc acceperunt animantia vel volatilia cæli, vt sint rationis capacia, per quam obedire possint Creatori suo. In suo tamen genere obtemperant Deo, non rationalis voluntatis arbitrio: sed sicut mouet ille omnia tēporib⁹ opportunis, nō ipse tēporaliter mot⁹. Mouet itaque seipsum sine tempore & loco, mouet creatum spiritum sine loco temporaliter, mouet creaturam corporeā temporaliter & loco. Præcedit igitur substantia quæ temporaliter tantùm mouetur, illam quæ temporaliter & localiter mouetur. Præcedit itaque substantia, quæ nec temporaliter nec localiter mouetur, illam quæ tantùm temporaliter mouetur. Ipse spiritus conditus mouet seipsum per tempus sine loco, mouet corpus per tēpus & locum. Spiritus verò creator mouet seipsum sine tempore & loco. Igitur spiritus rationalis, qui est in hominibus, siue irrationalis, qui est in brutis, eius iussis mouetur. Sed rationalis habet intelligentiam, per quam iudicare possit, vtrùm iussis consentiat, aut non consentiat. Animalia verò reptilia aut volatilia, non acceperunt hoc iudicium pro suo tamen genere atque natura, ad iussa aliquo actu propellūtur. Vnde Angelica natura iussa Dei perficiēs, mouet iussis omne gen⁹ animātium, docēs id quod nescit. Si etenim homines possunt nōnulla animalium genera māsueta facere, ita vt quasdam voluntates hominum facere videantur, quantò magis hoc Angeli possunt?

Orosii quæstio XLI.

Quæ causa fecit, vt Deus, quem adstruis moueri, non moueatur in tempore, aut spiritus creatus, qui mouetur in tempore, non moueatur etiam in loco?

Augustini responsio.

Deus qui instituit tempora, & est ante tēpora, nihil in eo est præteritum & futurum, nullum cōsilium nouum, nullāque noua cogitatio: quia scilicet si noua, tunc etiam accidēs: si verò aliquid accidit Deo, iam non immutabilis Deus est. Nihil illi accidit, nulla noua cogitatio, nullum nouum consiliū: ideo non mouetur in tempore. Spiritus verò conditi, sicut est Angelorum, quanquam sine tempore contemplentur Dei æternitatem, veritatem, charitatem: tamen quia ex tempore in inferioribus iussa Dei perficiunt, iure credūtur moueri in tempore. Corpora verò sua in loco mouent, dum descendunt de cælo, & ascendunt in cælum. Spiritus itaque hominum mouetur in tempore, reminiscendo præterita, & futura expectando, aliāque noua discendo. Neque enim cùm recordor aliquam lectionem, aut aliquam ciuitatē, sicut mot⁹ est spiritus meus cogitando, vt hæc recordaretur ex tempore, ita motus est & loco. Quòd si loco mouetur, aut in cælo aut in terra mouetur: quia sine cælo & terra nullus est locus. Vbi autem fuit ipse spirit⁹, in cęlo an in terra, vt videret ipsam lectionem, vel ipsam ciuitatem? Ergo si in nullo loco vidit, vt recordaretur, in seipso vidit. Et quia initium habet etiam cogitatio: & omne quod initium habet, etiam tēpus habet: igitur secundum suprà dictam rationem, spiritus creatus per tempus moueri potest, non per locum. Spiritus creator sine tempore & loco: corpus autem & loco & tempore.

Orosii quæstio XLII.

Cùm requies non sit nisi post laborem, cur Deus requiescere dicitur? An & ipse opere fatigatus est, vt requiescere dicatur?

Augu-

Augustini responsio.

Non in aliqua creatura, tanquam eius bono indigens requieuit Deus, sed in seipso. Denique non in aliquo dierum, sed post sexti diei opera requieuisse legitur. Vnde liquidò appareret, nullam creaturam Deum per indigentiam, sed sola bonitate fecisse. Quòd si in aliqua creatura requieuisset, aliquam creaturam indigens fecisset. Ergo quia nullam creaturam per indigentiam fecit, proinde in nulla creatura requieuit. Gene.2 Nã quòd dicit Scriptura, requieuisse Deum in die septimo ab omnibus operibus quæ fecit, hoc intelligi posse arbitror, quòd non in ipsum diem, tanquam eius bono indigens, quò sit beatior, requieuerit: sed ipsum diem septimum, id est, Angelicam naturam adduxisse ad requiem suam, vt viderent scilicet in Deo sicut omnem formandam creaturam, ita & illum viderent, quòd nullam creaturam pro indigentia, sed sola bonitate fecisset. Hoc enim arbitror posse intelligi requiem Dei. Intelligitur etiam aliter requies Dei, id est, quum nos post bona opera requiescere facit, secundum illum Gene.22 modum, quo dixit Deus ad Abraham, Nũc cognoui quòd timeas Deum. Vbi intelligitur, cognoscere te feci: ita & hic intelligitur requiescere Deus, cùm Sanctis suis requiem præstat. Item aliter requiescere dicitur Deus à condendis nouis creaturis, quia post editionem sex dierum operum, nullam deinceps condidit de nouo creaturã. Ioan.5 Nam quòd ait, Pater meus vsque modò operatur, & ego operor, nõ nouam creaturam condens intelligitur, sed quam condidit administrans & conseruans.

Orosii quæstio XLIII.

Quomodo enim loqui serpens poterat in paradiso, quum fuisse appareat irrationale animal, cui loqui non competit?

Augustini responsio.

Gene.3 Serpens per se loqui non poterat, quia non hoc à Creatore acceperat. Assumpsit enim in ministerium illum diabolus, vtens eo velut organo, per quod articulatum sonum emitteret. Per illum nempe verba faciebat, & tamen hoc etiam ille nesciebat. Natura ergo rationis expers subditur rationali creaturæ, sed tamen nõ tantum, quantum vult ex ea & in ea facit, sed quantùm à Creatore acceperit.

Orosii quæst. XLIIII.

Et si non intelligunt serpentes, quomodo audiunt verba Marsorum, vt ad incantationes eorum de spelunces exeant suis?

Augustini responsio.

Licet intellectum non habeant, tamen sensu corporis nullatenus carent. Habent enim & visum, & auditum, & odoratum, & gustum, & tactum. Et ideo quantis audiant verba Marsorum, nequaquam tamẽ intelligunt. Non enim obediunt intelligendo, sed vt de antris ad verba Marsorum exeant, permittente Deo cogun tur à diabolo. Vnde datur testimonium de illo primo facto, quòd primum hominem diabol⁹ per serpentem decepit in paradiso.

Orosii quæst. XLV.

Nunquid quia opus erat Adæ, vt ei vxor fieret, aliter nõ poterat fieri, nisi vt dormienti costa detraheretur, ex qua coniunx ædificaretur?

Augustini responsio.

Poterat Deus etiam aliter facere: sed ideo congruentius iudicauit vt sic faceret, vnde aliquid significaretur. Sicut enim dormienti Adę costa detrahitur vt coniunx efficiatur, ita & Christo morienti de latere sanguis effunditur, vt Ecclesia construatur. Communicans nempe corpori & sanguini Christi, efficitur Ecclesia Christi coniunx.

Orosii quæstio XLVI.

Quomodo intelligendum est quod dicit Adam, Quamobrem relinquet homo patrem & gene.2 matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna?

Augustini responsio.

Beatus Apostolus Paulus hoc capitulum sibi ponens, exposuit dicens, Sacramentum hoc Ephes.5 magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Sed quomodo Christus reliquit Patrem consubstantialem sibi? An alicubi esse poterit Pater sine Filio, quum de ipso Filio, qui est Sapiẽtia, dicatur, quòd attingat à fine vsque ad finem fortiter, & disponat omnia suauiter? Ergo si ibi est Filius vbi & Pater, nõ potest esse Pater sine Filio, nec Filius sine Patre. Quia scilicet sicut inseparabiles sunt in natura, ita & inseparabiles in personis. Sic enim ipse Fili⁹ de Patre dicit in Euãgelio, Qui me misit, mecum Ioan.8 est. Quomodo ergo dereliquit Patrẽ, vt adhæreret vxori suę, id est, Ecclesię suæ, nisi illo modo quo Apost. dicit, Qui cùm in forma Dei es- Philip.2 set, nõ rapinã arbitratus est esse se ęqualẽ Deo: sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens? Ipsa ergo formæ seruilis acceptio est exinanitio, & ipsa exinanitio, quãquam non sit Diuinitatis abolitio, aut naturæ amissio, tamen propter formam serui, in qua dinoscitur apparuisse, iure dicit Apostolus Patrem reliquisse. Reliquit & matrem, scilicet synagogam, veteri Testamento carnaliter inhærentem: & adhæsit vxori suæ, id est, Ecclesiæ suæ sanctæ, vt pace noui Testamenti essent duo in carne vna.

Orosii quæstio XLVII.

Cur Cain ex terræ fructibus munera repro- gene.4 bantur, & Abel de adipibus gregis sui munera suscipiuntur?

Augustini responsio.

Cain typum gerebat Iudæorum, qui illa tẽporalia sacramẽta secundum vetus Testamentum exercebant. Horum enim sacrificia superueniente Testamenti noui fide, cõtempta & euacuata sunt, & Christianorum sacrificia, quæ ex innocentia Christi innocentis agni cõstant, laudantur, quæ significabant ipsius Abel ex

ouibus munera. Munera igitur Cain non accipiuntur. Vnde etiam dicitur in Psalmo, Oblationes & holocausta noluisti, &c. Psalm. 39

Orosii quæst. XLVIII.

Quid significat, quòd Cain fratrem suum Abel in agro interfecit?

Augustini responsio.

Iam superius diximus Cain significare Iudæos, qui Christum occiderunt. Occiditur itaque Abel minor natu. Occiditur Christ⁹ caput populi minoris natu, à populo Iudæorum maiore natu. Ille in agro, iste in Caluariæ loco.

Orosii quæstio XLIX.

Quomodo intelligendum est, quòd sanguis Abel legitur de terra ad Dominum clamasse?

Augustini responsio.

Sanguis Abel significat sanguinem Christi, quo vniuersa Ecclesia accepto dicit Amẽ. Nã qualem clamorẽ faciat vniuersa Ecclesia, dum potatur sanguine Christi, & dicit Amen: tuipse si potes, consydera. Iudæi ergo qui intelliguntur in persona Cain, quoniam nõ credentes in Christo, non potantur sanguine Christi, maledicti sunt super terrã. Super illam scilicet terram, quæ aperuit os suum per confessionẽ, & bibit sanguinem fratris sui, id est, Christi sui. Quẽ quia Iudæi nõ bibũt, ideo maledicti sunt.

Orosii quæstio L.

Quid significat, quòd Enoch septimus ab Adam, cum Deo ambulauit, & non apparuit?

Augustini responsio.

Enoch septimus ab Adam transfertur ad Deum, & septimo requies promittitur Sãctis, quia in sexta ætate seculi reformantur in agnitionem Dei, vt transferantur ad requiem.

Orosii quæstio LI.

Quid significat, quòd Noe per aquam & lignum liberatur?

Augustini responsio.

Aqua significat Baptismum, & lignum crucem. Sicut Noe per aquam & lignum liberabatur, ita & Ecclesia Baptismo & passionis Christi signaculo liberatur.

Orosii quæstio LII.

Quid significat, quòd arca de lignis quadratis constructa erat intrinsecus, & extrinsecus bitumine liniebatur?

Augustini responsio.

Sicut arca de lignis quadratis cõstruebatur, ita & Ecclesia de Sanctis constituitur. Quadratum enim in quacunque parte posueris, fortiter stat, & Sãcti in quibuslibet tẽtationibus stabiles permanent, non aduersitatibus, non prosperitatibus cedunt. Bitumen enim significat charitatem, per quam Sancti nec illis scandalis quæ fiunt ab iis qui intus sunt cedunt, nec illis quæ fiunt ab iis qui foris sunt, & seruant vnitatem spiritus in vinculo pacis, tolerãtes & malos Christianos qui sunt in Ecclesia, & hæreticos qui sunt foris & extra Ecclesiam.

Orosii quæstio LIII.

Quid significat, quòd arca in longitudine habuit trecentos cubitos, & in latitudine quinquaginta, & in altitudine triginta?

Augustini responsio.

Sancta Ecclesia vt faciat mandata Dei, adiuuatur Spiritu Dei, dicente Psalmographo, Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meũ. Nisi dilatatum cor habuisset, viã Domini minimè cucurrisset. Et vnde dilatatur cor nisi per charitatem spiritalem? Hinc & beatus Paulus Apost⁹l⁹ simili Psalmographo voce cõsentit, Os nostrum patet ad vos ô Corinthii, cor nostrum dilatatum est. Vnde quęso dilatatũ est? Gratia, inquit, Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ergo accepto Spiritu sãcto operatur Ecclesia talẽ dilectionẽ, scilicet præcepta Dei, quæ sine gratia Spiritus sancti nequaquam poterit operari. Hunc enim Spiritum septiformẽ Scriptura sancta commemorat & commendat. Septies ergo septem fiunt quadragintanouem, & addito vno vt cõpleatur numer⁹, fiunt quinquaginta. Vnde & Dominus ascendens in cælum, quinquagesimo die misit Spiritum sanctũ, vt corda credentium dilataret. Trecenti verò cubiti significãt decem præcepta Legis: decies autẽ triginta fiunt trecẽta. Sed hæc præcepta nõ possũt impleri, nisi charitate faciẽte, id est, Spiritu sancto, qui significatur in latitudine quinquaginta cubitorum. Idcirco arca vtrũque numerum habet: nam & ipsa opera bona propter supernum finem facit Ecclesia, quod significãt triginta cubiti altitudinis. Re enim vera Spiritus est altitudo nostra, ipse scilicet tricenarius doctrinam Euangelicam consecrauit. Ipse est & supernus finis, atque omni bono opere indubitanter Ecclesiam replet. Psal. 118 1. Cor. 16 Rom. 5 Act. 2

Orosii quæstio LIIII.

Quid significat, quòd post dies septem, ex quo ingressus Noe in arcã, pluit Dominus super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus? Gen. 7

Augustini responsio.

Quòd post dies septem Dominus pluit super terram, hoc significat quòd omnes qui baptizantur, in spem futuræ quietis, quæ septimo die significata est, baptizantur. Et omnis reatus peccatorum, qui in decem Legis præceptis admittitur per vniuersum orbem terrarum, qui quatuor partibus continetur: vnde decem per quatuor ducta quadraginta fiunt, siue ille reatus, qui ad dies pertinet ex rerum prosperitate, siue qui ad noctes ex rerum aduersitate contractus sit, sacramento cælestis Baptismi abluitur.

Orosii quæstio LV.

Quid significat, quòd Noe sexcentorum erat annorum, quando diluuii aquæ inundauerunt super terram?

Augustini

Augustini responsio.

Sexcẽti anni significãt sex ætates mundi. Prima ętas est ab Adam vsque ad Noe. Secunda à Noe vsque ad Abraham. Tertia ab Abraham vsque ad Dauid. Quarta à Dauid vsq; ad trãsmigrationem Babylonis. Quinta à transmigratione Babylonis vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi. Sexta quæ nũc agitur. Sexcẽtesimo anno vitæ Noe factum est diluuium: ita sexta ętate seculi reformatur homo in agnitionem Dei per Baptismum.

Orosii quæst. LVI.

Quid significat, quòd de omni genere animalium atque volatilium, immunda bina induntur in arcam, & munda septena?

Augustini responsio.

Immunda illos homines significant, qui ad schisma sunt faciles. Munda verò homines sanctos, qui Spiritum septiformem accipientes, ex fide viuunt. Hinc etiam quidam Poeta ait,

Bucoli. egloga 8 -numero Deus impare gaudet.

Orosii quæst. LVII.

Quid significat, quòd omnes montes excelsos supercreuit aqua quindecim cubitis?

Augustini responsio.

Octo & septem quindecim faciunt. Octo nempe significant resurrectionẽ, & septẽ quietem. Hoc itaque mysterium resurrectionis & quietis, supergressum est omnem scientiam superborum sapientiũ, qui nullatenus potuerunt indagare scientiam resurrectionis & quietis.

Orosii quæst. LVIII.

Quare quum ingrederetur Noe in arcam, dicitur ad eum, Ingredere tu & filii tui, vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecũ? Seorsum ergo ponũtur viri, & seorsum fœminę. Et cùm egrederetur de arca, dicitur ad eum, Egredere tu, & vxor tua, filii tui, & vxores filiorum tuorum. In ingressione quidem separati, in egressione autem coniuncti dicuntur.

Gene. 7

Gene. 8

Augustini responsio.

Horum quippe ingressio istam vitam significat, vbi caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnẽ, vt non quæcunque volumus, illa faciam⁹, nec quæcunque nolumus, illa non faciamus. Egressio autem illam vitam significat, vbi caro iam nullam habebit concupiscentiam aduersus spiritum, vbi nihil erit ex nobis, quod repugnet in nobis.

Galat. 5

Orosii quæst. LIX.

Quid significat, quòd emissus coruus de arca, non est reuersus?

Gene. 8

Augustini responsio.

Coruus vt non reuertetur, aut aquis interceptus est, aut aliquo cadauere illectus insedit. Et significat illos homines, qui carnalibus deditis rebus, Dei præcepta contemnunt, & nullatenus pœnitendo Ecclesiæ satisfaciunt, vnde & per mala opera recesserunt. Vel certè si aquis ille coruus interceptus est, illos significat, qui de Ecclesia exeunt, & hæreticorum Baptismo polluuntur. Quanuis enim vnum Baptisma sit hæreticorum (eorũ scilicet, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizantur) & Ecclesiæ catholicæ: tamen quia foris & extra Ecclesiam baptizantur, non sumunt Baptismum ad salutem, sed ad perniciem, habentes quidẽ speciem pietatis, virtutem tamen eius abnegantes. Et rursum, Animales, inquam, spiritum nõ habentes. Et idcirco eos Ecclesia non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt. Ipsa est profectò forma sacramenti: ideo dũ reuersi fuerint, accipiunt virtutẽ Spiritus sancti, quẽ ii qui extra Ecclesiã baptizantur, nõdum habet.

2. Tim. 3

Orosii quæst. LX.

Quid significat, quòd Noe vir iustus plantauit vineam, bibénsque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo?

Gene. 9

Augustini responsio.

Deus quodam modo plantauit gentem Iudæorum, segregando eam à cunctis gentibus. Vnde & circuncisionis signum eis indidit, Legem dedit, sacrificia instituit, seipsum in carne venturum in Lege prædixit: sed quum non crederent, in vineæ suo vino, id est, malitia populi sui passus est, crucifixus est, sputis illitus & illusus. Sed hîc passus est in tabernaculo suo, ille in gente sua.

Orosii quæst. LXI.

Quid significat quòd Cham pater Chanaan, videns verenda patris sui, exiuit foras, & nuntiauit fratribus suis.

Gene. 9

Augustini responsio.

In duobus filiis maximo & minimo, duo populi significati sunt, vnam vestem à tergo portantes, sacramentum scilicet iam præteritæ atque transactæ Dominicæ passionis, nuditatem patris tegentes, neque intuentes, qui in Christi necem non consentiunt, & cum honorant velamento, tanquam scientes vnde sint nati. Medius filius populus Iudæorũ, ideo medius, quia nec primatum Apostolorũ tenuit, nec vltimus in gentibus credidit. Nuditatẽ patris, quia consensit in necẽ Christi, nuntiauit fratribus suis. Per eum quippe manifestum est, & quodãmodo publicatum, quod erat Prophetiæ secretũ. Ideóque sit fratrum suorum seruus. Quid est enim adhuc hodie, quòd gẽs ipsa scriniaria Christianorum, portãs Legem & Prophetas, ad testimonium affert Ecclesiæ, vt nos honoremus per sacramentum, quod nuntiant illi per literã?

Orosii quæst. LXII.

Quid significat quòd dixit Deus ad Abraham, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui?

Gene. 12

Augustini responsio.

Abraham personam Christi portabat. Sicut enim Abraham terram & coĝnationem suam dimisit, & domum patris sui, & venit in terram quam ignorabat: ita & Christus dimisit

gentem suã, scilicet Iudæorum, & venit ad pópulum gentium. Hîc & alia explanatio hoc habet, Eximus de terra nostra, quando diuitias & mundi huius facultates cõtemnimus. Et de cognatione nostra, id est, de vitiis prioribus, quæ nobis à natiuitate nostra cohærentia, velut affinitate quadã & consanguinitate cõiuncta sunt. Et de domo patris nostri, id est, omni memoria mundi huius, quæ oculorũ occurrit obtutibus.

Orosii quæst. LXIII.

Quot sunt genera visionum?

Augustini responsio.

Tria. Prima visio est corporalis, secunda spiritalis, tertia intellectualis. Corporalis ergo visio est, quę fit per corpus. Spiritalis, quum imagines eorum quæ vidimus, in memoria condimus. Intellectualis nempe, quum ea quæ corporaliter vidimus, & imaginaliter in memoria retinemus, intellectu discernimus, quod illud sit corpus, illud similitudo corporis. Hunc autem intellectũ bestiæ & pecora atque volatilia nullatenꝰ habent. Vident & ipsa per corpus, & eorum quæ videntur imaginaliter species formatur: vnde & pecora præsepia recognoscunt, & aues ad nidos suos redeũt. Sed nec seipsa intelligunt quę sint, nec illa quę oculis cernunt. Postremò corporalis visio sine spiritali esse nõ potest. Statim ergo vt auertimꝰ oculos ab eis quæ videmꝰ, imagines eorum quæ vidimus, in memoria retinemus. Spiritalis verò visio sine corporali esse potest: vnde & absentes homines recordamur, & in tenebris ea quæ vidimus, imaginaliter cernimus. Intellectualis nempe nec corporali indiget, nec spiritali. Per intellectum nec corpus videmus, nec imaginem corporis. Per hanc quippe videtur iustitia, charitas, ipse Deus, ipsa mens hominis, quæ nullum corpus habet, nec vllam similitudinem corporis. Vbi 2. Corinth. 12 etiã raptus fuerat Apostolus Paulus in tertium cælum, id est, ad intellectualem visionem, vt Deum non per corpus, non per similitudinem corporis, sed sicut est ipsa veritas cerneret. Tres ergo cæli tria sunt visionum, de quibus loquimur, genera. Ad hoc profectò peruenerat Paulus, vt Deum sic in ista vita videret, sicut Sancti post hanc vitam videbunt.

Orosii quæstio LXIIII.

Quot genera sunt Apostolatus, vel quale nomen sit Apostolus, volo cognoscere.

Augustini responsio.

Apostolus interpretatur missus. Apostolorum sunt genera quatuor. A Deo nõ per hominem, à Deo, sed per hominẽ, per hominem tãtùm, & ex se. A Deo etenim missus est Moses. A Deo & per hominem Iesus Naue. Per hominem tantùm, sicut nostris temporibus multi fuore vulgi in sacerdotium subrogati sunt. Ex se autem, sicut sunt ipsi pseudoprophetæ.

Orosii quæst. LXV.

Quomodo possumꝰ scire qui mittatur à Deo?

Augustini responsio.

Illum cognosce missum à Deo, quẽ non paucorum hominum laudatio, vel potius adulatio eligit, sed illum quẽ & vita & mores optimi, & Apostolicorum actio commendat sacerdotum, vel etiã qui vniuersorum populorũ iudicio cõprobatur, qui nõ appetit præesse, qui nec pecuniam dat vt Episcopatus honorem acquirat. Nam eum qui præesse festinat, quidam patrum eleganter expressit dicens, Sciat se nõ esse Episcopum, qui præesse cupit, non prodesse.

DIVI AVRELII AVGVSTINI, interrogatiunculis Hilarii tam eleganter quã diserte satisfacientis Liber.

Augustinus Episcopus seruus Iesu Christi & eius Ecclesiæ, dilectissimo filio Hilario in Domino salutem.

Vtrùm homo possit viuere sine peccato, & mandata Dei facile custodire si velit.

EX literis tuis didici non solùm incolumitatem tuã, sed etiam religiosum studiũ tuũ circa verbum Dei, & piam curã pro salute tua, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Vnde gratias agẽs Deo nõ distuli referpta persoluere. Si ergo quæris, in hac vita vtrũ 5 quisquam ita iustitiæ perfectione proficiat, vt hîc sine vllo omnino viuat peccato: attende quid dicat Ioannes Apostolus, quẽ Dominus 1. Ioan. 1 inter discipulos suos præcipuè diligebat, Si dixerimus, inquit, quia peccatum non habemus, nosipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si ergo illi, de quibus mihi scripsisti, se dicunt esse sine peccato, vides quia seipsos decipiunt, & veritas in eis nõ est. Si autẽ se esse peccatores fatẽtur, vt Dei misericordiã possint mereri, cõ pescãt se ab aliis etiam decipiẽdis, quibus hanc superbiã persuadere conantur. Omnibus enim necessaria est oratio Dominica, quam etiam ipsis aretibus gregis, id est, Apostolis suis Dominꝰ dedit, vt vnusquisque Deo dicat, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Cui enim hæc in oratione verba necessaria nõ fuerint, ipse hîc sine peccato viuere pronuntiandus est. Quales si aliquos futuros Dominus præuideret, meliores vtique quàm extiterunt eius Apostoli, aliã orationẽ illos doceret, qua nõ peterẽt dimitti sibi peccata, quibus in Baptismo fuerãt omnia iã dimissa. Nam si Daniel sanctus nõ corã hominibus, Daniel. 6 id est, in oratione qua Deum deprecabatur, nõ solùm peccata populi sui, sed etiã sua cõfitebatur, sicut eius ore veridico expressum est: nihil aliud mihi videtur dicẽdum istis, nisi quod per Prophetã Ezechielẽ cuidam superbo Dominꝰ mandat, Nunquid tu sapiẽtior quàm Daniel? Ezech. 28 Sed planè qui misericordia Dei adiutus & gratia, se ab eis peccatis abstinuerit, quæ etiã crimina vocantur, atq; illa peccata sine quibꝰ non

hîc

hîc viuitur, mundare operibus misericordiæ, & piis orationibus non neglexerit, merebitur hinc exire sine peccato, quanuis cùm hîc viueret, habuerit nonnulla peccata: quia sicut ista non defuerunt, ita etiam remedia quibus purgarentur, affuerunt. Quisquis autem hac velut occasione comperta, quum audierit neminem hîc arbitrio suo sine peccato viuere, dederit se libidinibus, & criminibus nefariis obligauerit, atque vsque in diem suum vltimũ perdurauerit, quaslibet inter hæc eleemosynas faciat, & infeliciter ducit vitã, & infelicius finit. Sed isti vtcunque tolerandi sunt, quãdo dicunt vel esse vel fuisse hîc aliquem, præter vnum Sãctum Sãctorum, qui nullum haberet omnino peccatum. Illud verò quod dicunt, sufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda, etiam si Dei gratia & Spiritus sancti dono ad opera bona non adiuuetur, omnino anathematizãdum est, & omnibus execrationibus detestandum. Qui enim hoc asserunt, à gratia Dei penitus alieni sunt. Rom.10 Qui ignorãtes Dei iustitiam, sicut de Iudæis dicit Apostolus, & suã volentes cõstituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Rom.13 Plenitudo quippe Legis non est nisi charitas. Rom.5 Et vtiq; charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, nõ per nosipsos, nec virib⁹ propriç volũtatis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Valet itaque liberũ arbitriũ ad opera bona, si Diuinitus adiuuetur, quod fit humiliter petendo & faciendo. Desertũ verò Diuino adiutorio, qualibet scientia Legis excellat, nullo modo habebit iustitiæ soliditatẽ, sed inflationem impiæ superbiç & exitiosum tumorẽ. Docet hoc eadem ipsa Dominica oratio. Matth.6 Frustra enim rogantes Deum dicimus, Ne nos inferas in tentationẽ, si hoc in nostra sic positũ est potestate, vt nullo illius adiutorio id valeamus implere. Dictum est enim, Ne nos inferas in tẽtationem, quod intelligitur, ne nos inferri deserendo permittas. 1.Cor.10 Fidelis enim Deus, ait Apostolus, qui non vos permittit tentari super id quod potestis, sed faciat cum tentatione etiam exitum, vt possitis sustinere. Vt quid hoc dixit Deũ facere, si hoc sine ipsius adiutorio in sola nostra est potestate? Nã & ipsa Lex in hoc adiutorium data est illis, qui ea legitimè vtuntur, 1.Tim.1 vt per illam sciant, vel quid iustitiæ iam acceperint vnde gratias agant, vel quid adhuc eis desit, quod instanter petant. Exod.20 Qui autem sic audiunt quod ait Lex, Non concupisces, vt hoc quia didicerint, sufficere sibi arbitrentur, nec adiutorio gratiæ Dei ad faciendũ quod iussum est, dari sibi virtutẽ credãt & petant, ad hoc eis Lex subintrauit, vt abundaret delictum, quod dictum est de Iudæis. Parum enim est quia non implent quod præcepit Lex, Non cõcupisces: sed insuper superbiunt, & ignorãtes Dei iustitiam, id est, quã Deus dat, qui iustificat impiũ, & suam volentes cõstituere, tanquã suæ voluntatis viribus factam, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Rom.10 Finis enim Legis Christus ad iustitiam omni credenti: qui vtique ideo venit, vt vbi abundauit delictũ, superabundet gratia. Cui gratiæ si fuerint inimici, Dei ignorates iustitiam, & suam volentes constituere: quare sunt & isti inimici, si in eum crediderunt, quẽ illi occiderunt? An vt illi accipiant præmium, qui occiso Christo suam impietatẽ accusauerunt, & se illius gratiæ cognitæ subdiderunt, & isti portent iudicium, qui sic in Christum volunt credere, vt eius ipsam gratiã conẽtur occidere? Ad hoc quippe in eum credunt, qui rectè credunt, vt esuriant sitiántque iustitiã, & eius gratia saturẽtur. Omnis enim (sicut scriptum est) qui inuocauerit nomẽ Domini, saluus erit. Ioel.2 Non vtique salute corporis, quam multi habent, etiam qui non inuocant nomẽ Domini: sed illa salute de qua ipse dicit, Non est opus sanis medicus, sed Matth.9 ægrotantibus. Et quid dixerit cõsequenter exponens, Nõ veni, inquit, iustos vocare, sed peccatores. Iustos ergo sanos, peccatores autem dixit ægrotos. Non itaque de suis viribus præsumat ægrotus, quia in multitudine virtutis suæ psalm.32 non erit saluus. Nã si inde præsumit, videat ne vires istæ non sint quales solent esse sanorum, sed quales solent esse phreneticorum, qui cùm sint insani, adeò se sanos putant, vt nec medicũ quærant, & tanquam importunum insuper cedant, sicut isti Christum insana superbia quodam modo cædunt, cuius gratiç tam benignum adiutorium ad faciẽdam iustitiam dato Legis præcepto, necessariũ non esse contendunt. Desinant ergo sic insanire, & ad hoc se intelligant habere quãtum possunt liberum arbitrium, nõ vt superba voluntate respuant adiutorium, sed vt pia voluntate inuocent Dominũ. Hæc enim voluntas libera, tantò erit liberior quantò sanior: tantò autem sanior, quantò Diuinæ misericordiæ gratiæque subiectior. Ipse quippe fideliter orat & dicit, Itinera mea dirige secundum verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas. psal.118 Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas? Vt ei autem nõ dominetur, vide ab illa quis inuocetur. Non enim ait, Itinera me dirige secundum liberum arbitrium, quia non dominatur mihi omnis iniquitas: sed Itinera mea, inquit, dirige secundum verbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas. Precatur, non pollicetur, confitetur, non profitetur: optat plenissimam libertatem, non iactat propriã potestatem. Non enim omnis qui viribus suis confidit, sed omnis qui inuocat nomen Domini, saluus erit. Rom.10 Ioel.2 Quomodo autem inuocabunt, inquit, in quem non crediderunt? Ad hoc ergo credunt, qui rectè credunt, vt inuocent in quem crediderunt, & valeant facere quod in præceptis legitimis acceperũt: quoniã id quod Lex imperat, fides impetrat. Nã vt interim omittamus Legis multa prçcepta, & hoc inde commemorem⁹, quod ad cõmemorandũ elegit Apost. cùm dicit Lex, Non cõcupisces: Rom.7 quid videtur aliud imperare, nisi ab illicitis cupiditatibus continentiã? Animus quippe velut

pondere amore fertur quocunque fertur. Iubemur vtique detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis, donec illud
Roman.15 consumatur, hoc perficiatur. Plenitudo enim Legis charitas: & tamen de ipsa cõtinentia, vide quid scriptum sit, Et cùm sciré, inquit, quia
Sapient.8 nemo potest esse cõtinens nisi Deus det (& hoc ipsum erat sapientiæ scire cuius esset hoc donum) adii Dominum, & precat⁹ sum illũ. Nunquid dixit, Et quum scirem quia nemo potest esse continens, nisi per proprium liberum arbitrium, & hoc ipsum erat sapientiæ scire à meipso esse hoc donum? Nõ planè hoc dixit, quod quidã in sua vanitate dicunt: sed quod fuit in sanctę Scripturæ veritate dicendum, Cùm scirem, inquit, quia nemo esse potest cõtinens, nisi Deus det. Iubet ergo Deus continentiam, & dat continentiã: iubet per Legem, dat per gra-
2.Cor.8 tiam: iubet per literã, dat per Spiritum. Lex enim sine gratia facit abundare delictum, & litera sine Spiritu occidit. Iubet ideo, vt facere iussa conati, & in nostra infirmitate sub Lege fatigati, adiutorium gratiæ poscere nouerimus, & si quid facere potuerimus operis boni, ei qui adiuuat, non simus ingrati. hoc & iste fecit. Id enim eum Sapientia docuit, cuius esset hoc donum. Neque enim voluntatis arbitriũ ideo tollitur, quia iuuatur: sed ideo iuuatur, quia non
Psal.26 tollitur. Quid enim Deo dicit? Adiutor meus esto. Cõfitetur se velle implere quod iussit, sed ab eo qui iussit adiutoriũ poscere vt possit. Sic & iste cùm sciret neminẽ esse posse continentẽ nisi Deus det, adiit Dominum, & deprecat⁹ est. Vtique volens adiit, volẽs precatus est, nec petiisset, nisi esset voluntas: sed nisi petiisset, quãtum posset voluntas? Quia etsi possit antequã petat, quid ei prodest, nisi vt agat gratias ex eo quod potest, à quo petendum est quod nondum potest? Vnde etiam qui iam continens est, non habet vtique continentiam, nisi adsit voluntas. Sed nisi accepisset, quid habet voluntas?
1.Cor.4 Quid enim habes, inquit, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? id est, quid gloriaris, quasi à teipso habeas, quod si non accepisses, à teipso habere nõ
Hiere.9 posses? Hoc autem dictum est, vt qui gloria-
1.Cor.1 tur, non in seipso, sed in Domino glorietur. Et qui nondum habet vnde glorietur, non à seipso speret, sed Dominum precetur. Satius est enim minus quenquam habere quod à Deo petat, quàm plus habere quod sibi tribuat: quoniam expedit ab imo surgere, quàm ex alto ca-
Iacob.4 dere. Deus enim (scriptum est) superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Ad abundantiam igitur delictorum Lex nos docet quid velle debeamus, nisi adiuuet gratia, vt quod volumus, valeamus, & quod valuerimus, impleamus. Adiuuabit autem si non de nostris præsumentes alta sapiamus, sed humilibus consentientes, & de iis quæ iam possumus, gratias agamus, & pro iis quæ nondum possumus, Deum
Roma.12 supplici ter inhiante voluntate poscamus, adminiculãtes orationem nostram nunc fructuosis operibus, dando vt detur nobis, dimittendo
Luc.6 vt dimittatur nobis.

Vtrùm infantes non baptizati, morte præuenti perire non possint.

Quòd autem dicunt, Infantem morte præ- 2
uentum non baptizatum perire nõ posse, quoniam sine peccato nascitur: non hoc dicit Apostolus, & arbitror esse melius, vt Apostolo potius quàm istis credamus. Dicit enim ille doctor Gẽtium, in quo Christus loquebatur, Per
Rom.5 vnum hominẽ peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Et paulò pòst dicit, Nam iudicium quidẽ ex vno delicto in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Proinde isti quẽ fortè inuenerint infantem, non ex illius vnius hominis concupiscentia procreatum, ipsum dicant illi damnationi non esse obnoxium, nec per Christi gratiam ab illa damnatione esse liberãdum. Quid est enim, Ex vno delicto in cõdemnationem, nisi illo delicto quo deliquit Adam? Et quid est, Ex multis delictis in iustificationem, nisi quia Christi gratia non solùm illud delictum soluit, quò obstringũtur infantes ex illo vno homine procreati, sed etiã multa delicta, quæ quum creuerint homines, addunt malis moribus suis? Tamẽ & illud vnum, quo est obligata propago carnalis, quæ ab illo primo homine originem ducit, sufficere dicit ad condemnationem. Ideo non est superfluus Baptismus paruulorum, vt qui per generationem illi condemnationi obligati sunt, per regenerationem liberentur: & sicut non inuenitur homo qui ab eadem condemnatione soluatur, sic non inuenitur homo, qui præter Christum spiritaliter regeneretur. Carnalis autem generatio delicto illo vni & damnationi eius obnoxia est: spiritalis verò regeneratio nõ solùm illud vnum propter quod baptizantur infantes, sed multa delicta facit aboleri, quæ homines malè viuendo ad illud in quo generati sunt addiderunt. Ideo sequitur & dicit, Si enim ob vnius delictum mors regnauit per vnum, multò magis qui abundantiam gratiæ & iustitiæ accipiunt, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Itaque sicut per vnius delictum in omnes homines ad condẽnationẽ, ita per vnius iustificationẽ in omnes ad iustificationẽ vitæ. Sicut enim per inobedientiã vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti cõstituentur multi. Quid ad ista dicturi sunt, aut quid eis restat, nisi vt Apostolum errasse contendant? Clamat vas electionis, doctor Gentium, tuba Christi, Iudicium ex vno in condemnationem. Et reclamãt isti, asserentes paruulos quos ex illo vno homine, de quo loquitur, ducere propaginem confitentur, non ire in condemnationem, etiam si non fuerint baptizati. Iudicium, inquit, ex vno in condemnationem. Quid dicit,

Ex

Ex vno, nisi delicto? Sequitur enim, Gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Ergo inde iudicium etiã ex vno delicto ducit in condemnationẽ. Hinc autem gratia etiam ex multis delictis ducit in iustificationem. Quapropter si non audent resistere Apostolo, exponãt nobis, quare iudicium ex vno delicto ducat in condemnationem, quum ex multis delictis homines damnandi veniant ad iudicium. Aut si propterea ita dictum putant, quia initium peccati ex Adam factum est, quod imitati cæteri sunt, vt sic ex illo vno delicto in iudicium condemnationémque traherentur, qui eum imitando multa peccarunt: cur non etiam de gratia & iustificatione sic dictum est? Cur non dixit similiter, Et gratia ex vno delicto in iustificationẽ? Sicut enim hominum multa delicta inter illud vnum quod imitati sunt, & iudicium, quo puniuntur, media reperiũtur: ab vno quippe ad multa venerunt, vt à multis ad iudicium damnationémque ducerentur: sic eadem multa delicta inter hocipsum vnum, cuius imitatione commissa sunt, & gratiam qua dimittuntur, eodẽ modo media sunt: quoniã ex illo vno ad multa venerunt, vt ex multis ad gratiam iustificandi venirent. Quum ergo in vtroque, id est, & iudicio & gratia, quod attinet ad vnum & multa delicta, vna eadémque ratio sit, dicant isti nobis, quare iudicium dixerit ex vno delicto ducere in condemnationem, gratiam verò ex multis delictis in iustificationem? Aut acquiescant ideo sic esse dictum, quia in hac causa duo constituuntur homines, Adam ex quo subsistit generatio carnalis, & Christus ex quo regeneratio spiritalis. Sed quia tantùm ille homo, iste autem & Deus & homo: non quomodo illa generatio vno delicto obligat, quod est ex Adam: ita ista regeneratio vnum delictum solum soluit, quod est ex Adam. Sed illi quidẽ generationi sufficit ad condemnationem, vnius delicti cõnexio. Quidquid enim postea homines ex malis suis operibus addunt, non pertinet ad illam generationem, sed ad humanam conuersationem. Huic autem regenerationi non sufficit illud delictum tãtummodo soluere, quod ex Adam trahitur, sed quidquid etiã postea ex iniquis operibus humanæ conuersationis accedit. Ideo iudicium ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Si enim ob vnius delictum mors regnauit per vnum, à quo delicto paruuli per Baptismum expiantur, multò magis quia abundantiam gratię & iustitiæ accipiunt, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum: multò magis vtique in vita regnabunt, quia æternę vitæ regnum erit: mors autem in eis temporaliter transit, non in æternum regnabit. Itaque sicut per vnius delictum in omnes homines ad condemnationem, de qua condemnatione paruuli per sacramentum Baptismi liberandi sunt: ita per vnius iustificationem in omnes homines ad iustificationẽ vitæ. Et hîc Omnes dixit, & ibi: quia non omnes homines venirẽt ad gratiam iustificationis Christi: cùm tam multi alienati ab illa in æternum moriantur: sed quia omnes qui renascuntur in iustificationem, non nisi per Christum renascũtur, sicut omnes qui nascuntur in condemnationem, nõnisi per Adam nascuntur. Nemo quippe est in illa generatione præter Adam: nemo in ista regeneratione præter Christum: ideo Omnes & omnes. Eosdem autem omnes etiam Multos postea dicit, adiungens, Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: sic & per vnius hominis obedientiam iusti constituuntur multi. Qui multi, nisi quos iam paulò antè Omnes dixerat? Vide quemadmodum commendat vnum & vnum, id est, Adam & Christum, illum ad condemnationem, hunc ad iustificationem: quum tantò post Adam venerit Christus in carne. Vt sciamus etiam antiquos iustos, quicunque esse potuerunt, nonnisi per eandem fidem liberatos, per quam liberamur & nos, fidem scilicet incarnationis Christi, quæ illis prænuntiabatur, sicut & nobis facta annuntiatur: ideo idem Christum hominẽ dicit, quum sit & Deus, ne quis existimet antiquos iustos per Deum tãtummodo Christum, id est, per Verbum, quod erat in principio, nõ etiam per fidem incarnationis eius, qua & homo Christus dicitur, potuisse liberari. Sententia quippe ista destrui non potest, de qua & alibi dicit, Per vnum hominem mors, & per vnũ hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Vtique resurrectionem dicit iustorum, vbi est vita æterna, non resurrectionem impiorum, vbi mors erit æterna. Ideo ait, Viuificabũtur, quia illi damnabuntur. Hinc & in veteribus sacramentis, circuncisio paruulorum octauo die fieri præcepta est: quoniam Christus in quo fit delicti carnalis expoliatio, quam significat circuncisio, die Dominico resurrexit, qui post septimum sabbati octauus est. Hæc ergo fides etiam antiquorum iustorum fuit. Vnde & Apostolus dicit, Habentes autem eũdem spiritum fidei, propter quod scriptum est, Credidi, propter quod & locutus sum: & nos credimus, propter quod loquimur. Nõ diceret Eundem spiritum fidei, nisi admonens etiam antiquos iustos habuisse ipsum spiritum fidei, hoc est, incarnationis Christi. sed quia illis futura prænuntiabatur, quæ iam facta à nobis annuntiatur, & tempore veteris Testamenti velabatur, quæ tempore noui Testamenti reuelatur: ideo eius sacramenta variata sunt, vt alia essent in veteri Testamento, alia in nouo, quum fides varia non sit, sed vna sit. Quia sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabuntur. Quòd verò illis verbis, quæ tractabamus, adiungit & dicit, Lex autem subintrauit vt abundaret delictum, quod trahitur ex Adam, de quo dicebam superius, Mors regnauit per vnum: legem quidem

Rom. 5

Ioannis 1.

1. Corinth. 15

Genes. 17

Matth. 28

2. Corinth. 4 psalm 115

siue naturalem intelligamus, quę in eorum apparet ætatibus, qui iam ratione vti possunt, siue conscriptam, quæ data est per Mosen, quia nec ipsa viuificare potuit & liberare à lege peccati & mortis, quę tracta est ex Adã: sed magis addidit pręuaricationis augmenta. Vbi enim Lex non est, idem ait Apostolus, nec prævaricatio. Proinde quoniam Lex est etiam in ratione hominis, qui vtitur arbitrio libertatis, naturaliter in corde conscripta, qua suggeritur ne mali aliquid faciat quisque alteri, quod pati ipse nõ vult: secundum hanc Legem prævaricati sunt omnes, etiam qui Legem per Mosen datã non
psalm.118 acceperunt. De quibus in Psalmo legitur, Pręuaricatores æstimaui omnes peccatores terræ. Non enim omnes peccatores terræ Legem per Mosen datam prævaricarunt: sed tamen nisi aliquam prævaricassent, non appellarẽtur prævaricatores. Vbi enim Lex non est, nec prævaricatio. Prævaricata ergo Lege, quæ in paradiso data est, nascitur homo ex Adam cum Lege peccati & mortis, de qua dicitur, Video aliam legem in membris meis, repugnãtem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legẽ peccati, quæ ex membris meis: quæ tamen nisi mala postea consuetudine roboretur, facilius vincitur, non tamen nisi gratia Dei. Lege autem alia prævaricata, quæ est in vsu rationis animæ rationalis in ętate hominis iam ratione vtentis, prævaricatores fiunt omnes peccatores terræ. Prævaricata verò Lege, etiam illa quæ data est per Mosen, multò amplius abundat delictum. Si enim data esset Lex quæ posset viuificare, o-
Galat.3 mnino ex Lege esset iustitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Hæc verba si agnoscis, Apostolica sunt. De qua Lege iterũ dicit, Lex pręuaricationis gratia posita est, donec veniret semen cui promissum est, dispositum per Angelos in manu Mediatoris: Christum commendans, cuius gratia salui fiunt omnes, siue paruuli à lege peccati & mortis, cum qua nati sumus, siue maiores qui malè vtentes arbitrio voluntatis, pręuaricati sunt legẽ naturalem ipsius rationis, siue qui Legem acceperunt, quæ data est per Mosen, eámque prævaricantes litera occisi sunt. Cùm verò etiam Euangelica præcepta homo prævaricatur, velut quatriduanus mortuus putet. Nec de illo tamẽ desperandum est propter eius gratiam, qui non
Iohannis 11 lentè dixit, sed magna voce clamauit, Lazare, veni foras. Lex ergo subintrauit, vt abundaret delictum, siue quum homines negligunt quod Deus iubet, siue quum de suis viribus præsumentes, adiutorium gratiæ non implorant, & addunt infirmitati superbiam. Quum autem vocatione Diuina intelligant cur sit ingemiscendum, & inuocant eum in quem rectè credunt, dicentes, Miserere mei Deus, secundum
psalm.50 magnam misericordiam tuam. Et, Ego dixi,
psalm.40 Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi. In tua iustitia viuifica me. Et, Viam iniquitatis amoue à me, & de Lege tua miserere mei. Et, Nõ veniat mihi pes superbię, & manus peccatorum non moueant me. Et, Itinera mea dirige secundum verbum tuum, & non dominetur mei omnis iniquitas. A Domino enim gressus hominis diriguntur, & viam eius volet. Et alia multa, quę propterea scripta sunt, vt nos admoneret ad implẽda ea quæ nobis iubentur. Quum ergo se homo ad illum extenderit, & sic ingemuerit, fiet quod sequitur,
Roman.5 Luca 7 Vbi abundauit delictũ, superabundauit & gratia. Et dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et diffunditur in corde charitas Dei, vnde fiat Legis plenitudo, non per vires arbitrii quod est in nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Nouerat quippe
Roman.7 ille Legem, qui dicebat, Condelector enim Legi Dei secundum interiorem hominem. Et tamen adiungebat, Video aliam legem in membris meis, repugnãtem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Cur non dixit potius, Meum liberum arbitrium, nisi quia libertas sine gratia, non est libertas, sed contumacia? Quum ergo dixisset Apostolus? Lex subintrauit, vt abundaret delictum: v-
Roman.5 bi autem abundauit delictũ, superabũdauit & gratia: secutus adiũxit. Vt quemadmodũ regnauit peccatũ in morte, sic & gratia regnet per iustitiam in vita æterna per Iesum Christũ Dominũ nostrum. Modò quum dixisset, Vt quemadmodum regnauit peccatum in morte: nõ ait, Per vnum hominem, aut per Adam, quia iam dixerat, Lex subintrauit, vt abundaret delictũ: quæ abundantia delicti non pertinet ad primi hominis propaginem, sed ad conuersationis humanæ pręuaricationem, quę illi vni delicto, quo solo obstricti tenẽtur infantes, iam in maioribus ætatibus ex abundantia iniquitatis adducta est. Sed quoniam hoc totum etiam, quod non pertinet ad illius vnius delicti originem, tamen idonea est soluere gratia Saluatoris, ideo quum dixisset, Sic & gratia regnet per iustitiã in vita ęterna: addidit, Per Iesum Christũ Dominum nostrum. Nullæ itaque argumentationes contra hęc Apostolica verba prolatę, impediant paruulos ad salutẽ, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Tantò magis enim ꝓ eis loqui debemus, quantò magis ipsi pro se loqui non possunt. Per vnum hominem intrauit
Roman.5 peccatum in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Sicut ab illo vno homine, sic ab eodem peccato infantes immunes esse nõ possunt, nisi ab eius reatu per Christi Baptismum resoluantur. Vsque enim ad Legem peccatum in mundo fuit: non quia deinceps in nemine fuit, hoc dictum est: sed quia non poterat per literam Legis auferri, quod solo poterat Spiritu gratiæ. Ne quisquam ergo fidens de viribus

ribus, non dico voluntatis, sed potius vanitatis suæ, putaret libero arbitrio Legẽ potuisse sufficere, & Christi gratiam derideret: ideo ait Apostolus, Vsque enim ad Legem peccatum in mundo fuit: peccatum autem non deputabatur quum Lex non esset. Non dixit, Non erat, sed non deputabatur, quia Lex non erat, qua arguente demonstraretur, siue lex rationis in paruulo, siue lex literę in populo. Sed regnauit, inquit, mors ab Adam vsque ad Mosen: quia nec Lex data per Mosen potuit regnum mortis auferre, quod sola Christi abstulit gratia. In quos autem regnauerit vide. In eos, inquit, qui non peccauerunt in similitudinem prævaricationis Adæ. Regnauit ergo & in eos qui non peccauerunt. Sed cur regnauerit, ostendit, cùm ait, In similitudinem prævaricationis Adæ. Iste est enim melior intellectus horum verborũ, vt quum dixisset, Regnauit mors in eos qui nõ peccauerunt, quasi nos moneret, quare in eos regnauerit qui non peccauerunt, adderet, In similitudinem prævaricationis Adæ, id est, quia inerat eorum in membris similitudo prævaricationis Adæ. Potest & sic intelligi, Regnauit mors ab Adam vsque ad Mosen, & in eos qui non in similitudinẽ prævaricationis Adæ peccauerunt: quia in seipsis, quum iam nati essent, nec ratione adhuc vterentur, qua ille vtebatur quando peccauit, nec præceptum accepissent, quod ille transgressus est: sed solo originali vitio tenerentur obstricti, per quod eos regnum mortis traheret ad condemnationem. Quod regnum mortis in eis tantùm non est, qui Christi gratia renati, ad eius regnum pertinẽt, quoniam mors temporalis, quanuis & ipsa de originali delicto propagata sit, corpus in eis interimit: animam verò ad pœnam non trahit. Vbi voluit regnum mortis intelligi, vt anima renata per gratiam iam non moriatur in gehenna, id est, à vita Dei non alienetur, non seperetur. Temporalis autem mors corporis etiam in iis qui Christi morte redimuntur, relinquatur interim ad exercitationem fidei, & agonem præsentis luctationis, in quo & Martyres certauerũt: absumatur verò & ipsa in renouatione corporis, quam resurrectio pollicetur. Ibi enim penitus absorbebitur mors in victoriam, cui modò gratia Christi adimit regnum, ne suorum animas ad pœnas tartari trahat. Nonnulli sanè codices non habent, In eos qui non peccauerunt, sed In eos qui peccauerunt in similitudinem prævaricationis Adæ. Quibus quidẽ verbis nullo modo iste sensus auferetur. Secũdum hoc quippe intelliguntur peccasse in similitudinem prævaricationis Adæ, secundum quod suprà dictũ est, In quo omnes peccauerũt. Sed tamẽ Græci codices, vnde in Latinũ Scriptura translata est, illud plures habẽt quod diximus, quod non adiunxit de Adã, qui est forma futuri. Neq; hoc vno intelligitur modo. Aut enim forma Christi à contrario est, vt quemadmodum in illo omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificentur: & quomodo per ipsius inobedientiam peccatores constituuntur multi, sic per istius obedientiam iusti constituantur multi. Aut formam futuri eum dixit, quòd ipse inflixerit formam mortis posteris suis. Ille tamen est melior intellectus, vt à contrario forma esse credatur, quam multum commendat Apostolus. Deniq; ne omnino ex æquo in hac forma eadem contraria pensentur, adiungit & dicit, Sed non sicut delictum, ita & donatio. *Roman. 5*
Si enim ob vnius delictum multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in multos abundabit, vt intelligatur non in magis multos, quum iniqui magis multi sint qui damnabuntur: sed magis abundabit quòd in his qui per Christum redimũtur, tẽporaliter valet forma mortis ex Adam: in æternum autem valebit vitæ forma per Christum. Quanuis ergo, inquit, Adam futuri forma sit à contrario: plus tamen præstat Christus regeneratis, quàm eis nocuerat ille generatis. Et non sicut per vnum peccatum, ita est & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationẽm: gratia autem ex multis delictis in iustificationem. Non solùm in hoc, inquit, non æqualis est forma, quia ille tẽporaliter nocuit eis, quos in æternum Christus redemit: verumetiam quia illius vno delicto posteri, nisi à Christo redimantur, in condẽnationem: Christi autem redemptio etiam multa delicta dissoluit, quę illi vni abundantia prævaricatricis iniquitatis adiecit: vnde iam superius disputauimus. Cõtra hæc Apostoli verba, sanúmque intellectum nemini acquiescas, si vis Christo & in Christo viuere. Nam si quẽadmodum illi dicunt, propterea ista commemorasset Apostolus, vt intelligeremus ad primum hominẽ peccatores ideo pertinere, quia non delictũ ex illo nascendo traximus, sed cum imitando peccamus: diabolum potius poneret, quia & prior peccauit, & de quo nullam substantiæ propaginem traxit genus humanum: sed eum sola imitatio subsequuta est: vnde dicitur pater impiorum, sicut noster dicitur pater Abraham propter imitationem fidei, non *Ioannis 8* propter originem carnis. Nã ideo de ipso diabolo dictum est, Imitantur autem illum, qui *Sapient. 2* sunt ex parte ipsius. Deinde si propter imitationem hoc loco Apostolus commemoraret primum hominem, quia primus peccator in hominibus fuit, vt ideo ad illum omnes homines peccatores diceret pertinere, cur non secundũ sanctũ Abel posuit, qui primus in hominibus *Genes. 4 Hebr. 11.* iustus fuit, ad quẽ iusti omnes propter imitationem iustitię pertinerent: sed posuit Adam, contra quem non posuit nisi Christum? Quia sicut ille homo delicto suo vitiauit posteritatẽ suam: sic iste Deus homo iustitia sua saluauit hæreditatem suam. Ille transiciendo carnis immundiciam, quod non poterat impius diabolus: ille donando Spiritus gratiam, quod non poterat Abel iustus. Multa de his quæstioni-

Roman. 5

bus in aliis noſtris opuſculis & Eccleſiaſticis ſermonibus diximus: quoniam fuerunt etiam apud nos quidam, qui vbicunque poterant, hęc ſui erroris noua ſemina ſpargerẽt: quorũ nonnullos per miniſterium noſtrum, fratrúmque noſtrorum, miſericordia Domini ab illa peſte ſanauit. Nec tamen hic deeſſe aliquos arbitror, maximè apud Carthaginem: ſed iam occultè muſitant, timẽtes Eccleſiæ fundatiſsimam fidem. Nam vnus eorum nomine Cęleſtius, in eiuſdem ciuitatis Eccleſia, iam ad presbyteri honorẽ ſubrepere cœperat: ſed fideliſsima libertate fratrum propter haſpiſas contra Chriſti gratiam diſputationes, vſque ad iudicium Epiſcopale perductus eſt: tamen coactus eſt confiteri propter baptizandos paruulos, & quòd ipſis redemptio ſit neceſſaria. Vbi quãquam voluerit de originali peccato aliquid expreſsius dicere: tamen ipſo redemptionis nomine non parum ſibi præcripſit. Vnde enim redimendi ſunt, niſi à diaboli poteſtate, in qua eſſe nõ poſſet, niſi originalis obligatione peccati? Aut quo pretio redimũtur, niſi Chriſti ſãguine, de quo apertiſsimè ſcriptum eſt, quòd in remiſsionem effuſus ſit peccatorũ? Sed quia magis conuict⁹ & ab Eccleſia deteſtatus, quàm correctus & pacatus abſceſsit: veritus ſum ne fortè ibi ſit ipſe qui noſtram fidem perturbare conatur: ideo nominis ipſius commemorationem putaui eſſe faciendam. Sed ſiue ipſe ſit, ſiue alii conſortes eius erroris, plures enim ſunt quàm ſperare poſſumus, & vbi non redarguuntur, etiam alios ad ſuam ſectam ſeducunt, & ſic crebreſcunt, vt neſciam quò ſint erupturi. Nos tamen maluimus eos in Eccleſiæ compage ſanari, quàm ex illo corpore velut inſanabilia membra reſecari: ſi tamẽ hoc permittit ipſa neceſsitas. Timẽdum eſt enim ne plura putreſcant, dum putribus parcitur. Potens eſt autẽ miſericordia Domini noſtri, quæ potius eos ab hac peſte liberet, quod ſine dubio faciet, ſi fideliter aduertãt teneántque quod ſcriptum eſt, Qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. *Ioelis 2*

Vtrùm diues manèt in diuitiis, regnum Dei ingredi poſſit, & ſi non omnia vendiderit, & ſi ei prodeſſe poſsit, ſi fortè ex ipſis diuitiis fecerit mandata.

3 Audi iam pauca de diuitibus, quod in Epiſtola tua ſequitur inquirendum. Hoc enim poſuiſti illos dicere, Diuitem manentem in diuitiis ſuis, regnum Dei non poſſe ingredi, niſi omnia ſua vendiderit, nec ei prodeſſe, ſi fortè ex ipſis diuitiis mãdata fecerit. Euaſerunt iſtorum diſputationes, patres noſtri Abraham, Iſaac & Iacob, qui tantò antè ex hac vita migrarunt: habebãt quippe hi omnes non paruas diuitias, ſicut fideliſsima Scriptura teſtatur. Mul- *Geneſ.17*
tos tamen venturos ab Oriente & Occidente, & non ſupra ipſos vel extra ipſos, ſed cum ipſis recubituros in regno cælorũ, illeipſe qui propter nos factus eſt pauper, quum verè diues eſſet, veraciſsima promiſsione prædixit. Et quãtus ſuperbus diues, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè, mortuus apud inferos torqueretur: tamen ſi pauperis vlceroſi, qui ante ianuam eius contemptus iacebat, miſertus fuiſſet, mereretur & ipſe miſericordiam. Et pauperi illi meritum eſſet inopia, non iuſtitia, non vtique ab Angelis in Abrahæ gremium, qui diues hic fuerat, tolleretur. Sed vt nobis oſtenderetur, nec in iſto paupertatem per ſeipſam Diuinitus honoratam, nec in illo diuitias fuiſſe damnatas, ſed in iſto pietatem, in illo impietatem ſuos exitus habuiſſe: ſic ſuſcepit impium diuitem cruciatus ignis, vt tamen pium pauperem ſuſciperet ſinus diuitis. Qui ſanè quum hìc diues viueret, *Matth.9* *Luca 16* *Geneſ.22*
diuitias ſic habebat, & eas pro Dei præceptis paruipendebat, vt etiam cum ipſius filii immolatione nollet offendere Deum iubentem, quem ſuarum diuitiarum & ſperabat & optabat hæredem. Hìc vtique dicunt, ideo patres antiquos non vendidiſſe omnia quę habebant, & dediſſe pauperibus, quia hoc eis non præceperat Dominus. Nondum enim reuelato Teſtamento nouo, quod non fieri niſi plenitudine temporis oportebat, nec eorum virtus fuerat reuelanda, qua virtute hoc eos facillimè poſſe Deus in eorum cordibus nouerat, qui teſtimonium illis tam inſigne perhibebat, vt quum ſit omnium ſanctorum Deus, tanquam de præcipuis amicis ſuis dicere dignaretur, Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob: hoc mihi nomen eſt in æternum. Poſtea verò quàm magnum pietatis ſacramentum manifeſtatum eſt in carne, & vocandis omnibus gentibus Chriſti aduentus illuxit, in quem etiam illi patres crediderunt: ſed huius fidei oliuam ſuo tempore manifeſtandam, in illius arboris, de qua Apoſtolus loquitur, tanquam radice ſeruabant, dictum eſt diuiti, Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis, & veni ſequere me. Hæc ſi dicunt, videntur aliquid rationabiliter dicere, Sed totum audiant, totum aduertant, non in parte aures aperiant, in parte ſurdeſcant. Cui enim Dominus hoc præcepit? Profectò illi diuiti, qui vitæ æternæ conſequendæ conſilium quærebat accipere. Hoc enim Domino dixerat, Quid faciam vt vitam æternam conſequar? Ille autem ei non reſpondit, Si vis venire ad vitam, vade, vende omnia quæ habes: ſed, Si vis venire ad vitã, ſerua mãdata. Quæ iuuenis cùm ſibi à Domino ex Lege commemorata ſeruaſſe dixiſſet, & quæriſſet quid adhuc ſibi deeſſet, reſponſum accepit, Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Et ne ſe illa quæ multum amabat, hoc modo perdere exiſtimaret, Et habebis, inquit, theſaurum in cælis. Deinde addidit, Et veni, ſequere me: ne cuiquam quum hæc fecerit, aliquid prodeſſe exiſtimetur, ſi non ſequitur Chriſtum. At ille quidem triſtis abſceſsit. Qui viderit quemadmodum illa Legis mandata ſeruauerat. Puto *Roman.xi* *Matthæi 19*

enim

enim quòd se arrogantius, quàm verius seruasse respondérat. Veruntamen magister bonus mandata Legis ab ista excellentiore perfectione distinxit. Ibi enim dixit, Si vis venire ad vitam, serua mandata. Hîc autem, Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, &c. Cur ergo negamus diuites, quanuis ab illa perfectione absint, venire tamen ad vitam, si mandata seruauerint, & dederint vt detur illis, & dimiserint vt dimittatur illis? Credimus enim ministrum noui Testamenti fuisse Apostolum, quum scribens ad Timotheum diceret, Præcipe diuitibus huius mundi non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum. Bene faciant, diuites sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. De qua & illi adolescenti dictum est, Si vis venire ad vitam. Puto quòd ista præcipiens, diuites instruebat, non fallebat Apostolus, iubens diuitibus huius mundi, non vt vendant omnia quæ habent, & dent pauperibus, & sequantur Dominum: sed non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum. Ista superbia diuitem illum, qui iacentem ante ianuam suam contemnebat pauperem iustum: & ista spes in incerto diuitiarum, qua se propter purpuram, byssum & epulas splendidas beatum putabat, non ipsæ diuitiæ perduxerunt ad inferni tormenta. An fortè, quia Dominus adiunxit, Amen dico vobis, difficilè diues intrabit in regnum cælorum, Et iterum dico vobis, Facilius intrabit camelus per foramen acus, quàm diues in regnum cælorum: ideo putant isti diuitem, etiam si faciat ista quæ diuitibus præcipienda scripsit Apostolus, in regnum cælorum intrare non posse? Quid ergo est? Vtrùm Apostolus contra Dominum loquitur, an isti nesciunt quid loquuntur? Quid horum credat, eligat Christianus. Puto melius nos credere, istos nescire quid loquantur, quàm Paulum contra Dominum loqui. Deinde, cur non in consequentibus etiam ipsum Dominum audiunt dicentem discipulis pro miseria diuitum contristatis, Quod hominibus impossibile est, Deo facile est? Sed ideo, inquiunt, hoc dictum est, quia futurum erat, vt audito Euangelio, diuites vendito patrimonio, erogatóque pauperibus, Dominum sequerentur, & intrarent in regnum cælorum, atque ita fieret quod difficile videbatur, non vt manentes in diuitiis suis, præcepta Apostoli custodiendo, id est, non superbè sapiendo, neque sperando in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, bene faciendo, facilè tribuendo & communicando indigentibus, veram apprehendant vitam: sed etiam ista præcepta Apostolica, venditis omnibus suis rebus implerent. Hæc si dicunt (scio quippe eos illa dicere) non attendunt primitus, quemadmodum Dominus cõtra eorum dogma, suam gratiam prædicauerit. Non enim ait, Quod impossibile hominibus videtur, facile est hominibus si voluerint: sed quod hominibus, inquit, impossibile est, Deo facile est: ostendens quando ista rectè fiunt, non fieri hominis potentia, sed Dei gratia. Hæc ergo attendant isti, & si reprehendunt eos, qui gloriantur in diuitiis suis, caueãt ipsi in sua virtute confidere. Simul enim vtrique reprehenduntur in Psalmo, Qui confidunt in virtute sua, & qui in abundantia diuitiarum suarum gloriantur. Audiant itaque diuites, Quod hominibus impossibile est, Deo facile est, & siue manentes in diuitiis suis, siue illis venditis, & per indigentias pauperum distributis, intrent in regnum cælorum: gratiæ Dei tribuant, non propriis viribus bonum suũ. Quod enim hominibus impossibile est, non hominibus, sed Deo facile est. Audiant hoc & isti: & si iam omnia sua vendiderunt, & pauperibus tribuerunt, vel adhuc id agunt atque disponunt, & hoc modo præparant intrare in regnum cælorum: non hoc tribuant virtuti suæ, sed eidem gratiæ diuinæ. Quod enim hominibus impossibile est, non ipsis, quia & & ipsi homines sunt, sed Deo facile est. Hoc quippe illis & Apostolus dicit, Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Deus enim est qui operatur in nobis, & velle & operari pro bona voluntate. Certè ideo se dicunt de suis rebus vendendis perfectionis à Domino suscepisse consilium, vt sequantur Dominum, quoniam illic additum est, Et veni, sequere me. Cur ergo in his bonis quæ faciunt, de sua tantùm voluntate præsumunt, nec audiunt Dominũ, quẽ sequi se dicunt, increpãtem atq; testantẽ, Sine me nihil potestis facere? Si autẽ Apostolus ita dixit, Præcipe diuitibus huius mundi non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarũ, vt vẽdant omnia quæ possidẽt, & ea pretia distribuẽdo indigentibus, faciant quod sequitur, Facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum: & aliter eos in regnũ cælorum intrare posse non credit. Fallit ergo eos, quorum domos tam diligenter doctrinæ sanitate componit, admonens & præcipiens quales se præbere debeant vxores viris, viri vxoribus, filii parentibus, parentes filiis, serui dominis, domini seruis. Nam quomodo hæc agi possunt sine domo, & sine aliqua re familiari? An hoc eos mouet quod ait Dominus, Quicunque dimiserit omnia sua propter me, accipiet in hoc centuplum, & in futuro vitam æternam possidebit? Aliud est dimiserit, aliud est vendiderit. Nam & in his quæ dimittenda mandauit, etiam vxor commemorata est, quam nullis humanis legibus licet vendere: Christi autem legibus nec dimittere, ex-

1. Timoth. 6

Luca 16

Matthæi 19

Psalm. 48

Philipp. 2

Matth. 19

Ioannis 15.

1. Timoth. 6

Matth. 19

cepta causa fornicationis. Quid sibi ergo volunt ista præcepta? Non enim possunt inter se esse contraria, nisi quia occurrit aliquando necessitatis articulus, vbi aut vxor dimittatur, aut Christus, vt alia omittam, si ipsi vxori maritus displicuerit Christianus, eique proposuerit, aut à se diuortium, aut à Christo. Hic ille quid eligat nisi Christū, & dimittat vxorē laudabiliter propter Christum? Ambob⁹ quippe Christianis Dominus præcepit, ne quis quā dimittat vxorem excepta causa fornicationis. Vbi autem quælibet ex eis persona infidelis est, consilium Apostoli attendatur, vt si infidelis consentit habitare cum viro fideli, vir non dimittat vxorem. Similiter & vxor fidelis virum, si cum illa habitare consenserit. Quòd si infidelis, inquit, discedit, discedat. Non est enim seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi, id est, si infidelis noluerit esse cum coniuge fideli, hîc agnoscat fidelis suam libertatem, ne ita se subiectum deputet seruituti, vt ipsam dimittat fidem, ne coniugem amittat infidelem. Hoc & de filiis ac parentibus, hoc de fratribus & sororibus intelligitur, propter Christum omnes esse dimittendos, quum proponitur ista conditio, vt Christum dimittat, si illos secum habere desyderat. Hoc ergo & de domo atque agris, hoc & de iis rebus, quæ iure pecuniario possidentur, hoc loco accipiendum est. Simul enim etiam de his non ait, Quicunque vendiderit propter me quæcunque licitum est vendere, sed, Quicunque dimiserit. Fieri enim potest, vt dicatur Christiano ab aliqua potestate, Aut Christianus non eris, aut si in hoc permanere volueris, domum possessionésque non habebis. Quum verò etiam illi diuites, qui in suis diuitiis sic statuerant permanere, vt ex earum bonis operibus promererentur Deum, hæc dimittāt potius propter Christum, quàm propter hæc Christum, vt accipiant in hoc seculo centuplum, cuius numeri perfectione significantur omnia. Fideli quippe homini totus mūdus diuitiarum est fiúntque in hoc mundo quasi nihil habentes, & omnia possidentes, vt in futuro seculo possideant vitam æternam, ne propter ista dimisso Christo, in mortem præcipitentur æternam. Hac quippe lege & conditione, non illi tantùm qui mentis excellentia perfectionis consilium receperunt, vt vendita sua pauperibus distribuerent, & humeris ab omni seculi huius sarcina liberioribus leuem Christi sarcinam ferrent: sed etiam quisquis infirmior, & illi glorioſisimæ perfectioni minus idoneus: qui tamen se meminit veraciter esse Christianum, quum audierit sibi proponi, quòd hęc nisi omnia dimiserit, dimissurus est Christum, apprehendet potius turrim fortitudinis à facie inimici, quia quum eam in sua ædificaret fide: computauit sumptus, quibus perfici posset: id est, eo animo accesit ad fidem, vt huic seculo non solùm verbis renuntiaret: quia etsi emit aliquid, tanquā non possidēs erat, & si tebatur hoc mundo, tanquam non tens erat, non sperans in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo. Quum enim omnis qui renūtiat huic seculo, sine dubio renūtiet omnib⁹ quæ sunt eius, vt possit Christi esse discipulus: ipse enim quum de sumptibus ad turris ædificium necessariis, & de bello aduersus regem alterum præparando similitudines præmisisset, adiunxit sic, Qui non renuntiat omnibus quę sunt eius, nō potest meus esse discipulus: profectò renuntiat etiā diuitiis suis, si quas habet. Aut sic vt eas omnino nō diligens, totas distribuat indigentibus, vt superfluis exoneretur sarcinis. Aut sic vt plus diligens Christū, spem ab eis transferat in ipsum, atque ita vtatur illis, vt facilè tribuens & communicans, thesaurizet in cælo, paratúsque sit, quemadmodum parentes & filios & fratres & vxorem, hoc modo & istas relinquere, si talis conditio proposita fuerit, vt nisi dimisso Christo eas habere non possit. Nam si aliter huic seculo renuntiat, quando accedit ad fidei sacramentum, facit quod de lapsis beatus Cyprianus ingemuit, dicens, Seculo verbis solis renuntiantes, & non factis. De hoc quippe dicitur, quum veniente tentatione magis ista metuit amittere, quàm Christum negare, Ecce homo qui cœpit ædificare, & non potuit perficere. Ipse est etiam, qui quum adhuc longe esset aduersarius eius, misit legatos quærens pacem, id est, nondum affligente, sed adhuc imminente ac minante tentatione, vt iis non careat quæ plus diligit, ad relinquendum Christum negandúmque consentit. Et multi sunt tales, qui etiam putant sibi ad augendas opes suas, & multiplicanda delectamenta terrena, religionem suffragari debere Christianam. Sed non sunt tales diuites Christiani, qui licet ista teneant, non tamen ab eis ita tenentur, vt hæc Christo anteponant: quia veraci corde seculo renuntiarunt, vt nullam spem in talibus ponant. Hi vxores & filios, vniuersáisque familias, ad Christianam religionem tenendam, sana erudiunt disciplina. Horum domus hospitalitate feruētes, recipiunt iustum in nomine iusti, vt mercedem iusti accipiant. Frangunt esurienti panem suum, nudum vestiunt, captiuum redimunt, thesaurizant sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Et si fortè pro fide Christi pecuniaria damna perpetienda sunt, oderunt diuitias suas. Si suorum orbitates vel separationes pro Christo minatur hic mundus, oderunt parentes, fratres, filios, vxores. Postremò si de ipsa huius corporis vita cum aduersario paciscendum est, ne desertus deserat Christus, oderunt insuper animam suam. De his quippe omnibus mandatum acceperunt, quòd aliter discipuli Christi esse non possint. Nec tamen quia præceptum est eis, vt oderint pro Christo & animas suas, vendendas eas habent, aut illatis sibi manibus

Matth. 5 — 1. Cor. 7 — Matth. 11 — psalm. 60 — Luce 14 — Matth. 10 — Matth. 25 — Esaiæ 58 — 1. Timoth. 6

manib⁹ effúdendas: sed parati sũt eas amittere pro Christi nomine moriendo, ne mortui viuãt Christum negando: sic etiam diuitias, ad quas vendendas parati non fuerunt monente Christo, ne cum eis pereant perdito Christo: habemus hinc vtriusque sexus diuites clarissimásque personas martyrii gloria sublimatas. Ita multi quos rerum suarum venditione piguerat antè perfici, Christi imitata passione sunt repẽtè perfecti: & qui nõnullã infirmitatem carnis & sanguinis suis diuitiis perfecerunt, subitò aduersuspeccatum pro fide vsque ad sanguinẽ certarunt. Quibus autẽ non prouenit corona martyrii, neque illius perfectionis de vendẽdis rebus suis, consilium tam præclarum & tam grande receperunt, & tamen à damnabilibus immunes criminibus esurientem Christum pauerunt, sitienti potum dederunt, nudum vestierunt, peregrinantem susceperunt: non sedebunt quidem cum Christo sublimiter iudicaturi, sed ad ipsius dexteram stabunt misericorditer iudicandi. Beati enim misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus. Et iudicium sine misericordia fiet illi qui non fecit misericordiam. Superexultat autem misericordia iudicio. Proinde isti desinant contra Scripturas loqui, & in suis exhortationibus ad maiora sic excitent, vt minora non damnent. Non enim & sanctam virginitatem aliter exhortando persuadere possunt, nisi coniugalia vincula dãnauerint, quum docente Apostolo, vnusquisque donũ proprium habeat à Deo, ali⁹ sic, alius autẽ sic. Ambulẽt itaque perfectionis viã, venditis omnibus suis rebus & misericorditer erogatis. Sed si verè pauperes Christi sunt, & non sibi, sed Christo colligunt, infirmiora eius mẽbra quare puniũt antequã sedes iudiciarias acceperint? Si enim tales erũt qualibus Dominus dicit, Sedebitis super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel: & de qualibus Apostolus dicit, Nescitis, quoniã angelos iudicabimus? præparẽt potius non criminosos, sed religiosos diuites recipere in tabernacula æterna, à quibus amici facti sũt de mãmona iniquitatis. Puto enim quòd quidã eorũ qui hæc impudenter atque imprudẽter garriũt, à diuitibus Christianis & piis in suis necessitatibus sustentãtur. Habet enim Ecclesia quodammodo suos milites, & quodãmodo prouinciales. Vnde dicit Apostolus, Quis militat suis stipendiis vnquam? Habet & vineam & plantatores, habet gregem & pastores. Vnde consequenter dicit, Quis plantat vineã, & de fructu eius nõ edit? Quis pascit gregẽ, & de lacte gregis nõ percipit? Quãuis talia disputare, qualia isti disputãt, non sit militare, sed rebellare, nõ sit plantare vineã, sed eradicare, nõ sit pascẽdos cõgregare, sed perdẽdos ã grege separare. Sicut autẽ ipsi qui diuitũ religiosis obsequiis alũtur atq; vestiũtur (neq; enĩ ad suas necessitates nihil accipiũt, nisi ab eis q res suas vẽdũt) nõ tamẽ iudicãtur atq; dãnantur ab excellentioribꝰ Christi mẽbris, q maiori virtute, quã multũ cõmendat Apostol⁹, suis se manibus transigunt: sic nec isti damnare debẽt infirmioris meriti Christianos, quorũ operib⁹ trãsigũtur: sed rectè viuẽdo & rectè docẽdo magis eis dicere, Si nos vobis spiritalia seminauim⁹, magnũ est si vestra carnalia metamus? Multò quippè minori impudentia serui Dei, qui manuum suarũ honestis operib⁹ vẽditis viuũt, damnãt istos à quib⁹ nihil accipiũt, quàm isti qui propter aliquã corporis infirmitatẽ nõ valẽtes manib⁹ operari, dãnant eosipsos de quorũ facultatibus viuũt. Ego qui hæc scribo, perfectionem, de qua Dominus locutus est, quando ait diuiti adolescenti, Vade, vende omnia quę habes & da pauperibus, & habebis thesaurũ in cælo, & veni sequere me: vehementer adamaui, & non meis viribus, sed gratia ipsius adiuuãte sic feci. Neque enim quia diues non fui, ideo minus mihi imputabitur. Nã neque ipsi Apostoli, qui priores hoc fecerunt, diuites fuerunt. Sed totum mundũ dimittit, qui & illud quod habet, & quod optat habere dimittit. Quantum autẽ in hac perfectionis via profecerim, magis quidẽ noui ego, quàm quisquam alius homo, sed magis Deus quàm ego. Et ad hoc propositum quantis possum viribus exhortor, & in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meũ ministeriũ persuasum est: sic tamen vt præcipuè sana doctrina teneatur, nec eos qui ista nõ faciunt vana contumacia iudicemus, dicẽtes eis nihil prodesse quòd pudicè quanuis coniugaliter viuant, quòd domos suas & familias Christianè regunt, quòd operibus misericordiæ sibi thesaurizant in posterum: ne ista disputando non Scripturarum sanctarum tractatores, sed eorum accusatores inueniamur. Quod ideo commemoraui, quoniam isti, quando talia dicere prohibentur ab eis qui hoc Domini consilium non ceperunt, respondent eos talia disputari nolle, quoniam vitiis suis fauent, & dominica præcepta implere detrectant: quasi non, vt de his taceam, qui licet infirmiores, religiosè tamen vtuntur diuitiis, etiã ipsi cupidi & auari malè his vtentes, & in terreno thesauro corluteum figentes, quia & ipsos necesse est vsque ad finem portet Ecclesia, sicut illa retia vsque ad littus pisces malos: tolerabiliores in ea quàm isti sint, qui talia sermocinando & disseminando, ita se videri magnos volunt, quia diuitias suas, vel quantulacunque patrimonia ex præcepto Domini vendiderunt, vt eius hæreditatem, quæ vsque ad fines terræ dilatatur atque diffunditur, hac doctrina non sana perturbare atque euertere moliantur. Vnde quia ex hac quidem occasione, sed tamen iam breuiter dixi quid etiam de Ecclesia Christi in hoc seculo sentiam, id est, quia vsque ad finem huius seculi necesse est portet bonos & malos: quoniam & hoc inter tuas quæstiones interrogasti, prolixam epistolam iam tandem aliquando concludam.

Matth. 5
Iacob. 2
2. Cor. 7
Matth. 19
1. Cor. 6
1. Cor. 9
1. Corin. 9
Matth. 19

Vtrùm liceat aliquo modo iurare.

Iurationem caue quantum potes. Melius quippe nec verum iuratur, quàm iurandi consuetudine, & in periurium sæpe caditur, & semper periurio propinquatur. Sed illi quantùm aliquos eorum audiui, quid sit iurare prorsus ignorant. Putant enim se non iurare quando in ore habent, Scit Deus, &, Testis est Deus, &, Testem Deum inuoco super animam meam: quia non dicitur Per Deum, & quia talia reperiuntur in Apostolo Paulo. Sed etiam illa vbi contra eos inuenta est, quam confitentur esse iurationem, vbi ait Apostolus, Quotidie morior per vestram gloriam fratres, quam habeo in Christo Iesu Domino nostro. 1 Cor. 15 In Græcis enim codicibus reperitur omnino esse hanc iurationem, ne quis in Latina lingua hoc sic intelligat dictum, Per vestram gloriã, quomodo dictum est, Per meũ aduẽtum iterum ad vos: & multa similia, vbi dicitur per aliquid, & non est iuratio. Sed non ideo quia in suis literis iurauit Apostolus, vir in infirmitate firmissimus, ludus nobis debet esse iuratio. Multò enim tutius, vt dixi, quãtùm ad nos attinet, nunquam iuramus, vt sit in ore nostro Est, est, non, non, sicut Dominus monet. Matth. 5 Non quia peccatũ est verũ iurare: sed quia grauissimum peccatum est falsum iurare, quò citius cadit qui consueuit iurare. Accepisti quod mihi videtur melius: exponant ista meliores, non isti quorum noui iam sententiam reprobandam: sed alii qui veraciter possunt. Nam & ego paratior sum discere quàm docere. Et tu magnum cõferes beneficium, si ea quæ illic à sanctis fratribus aduersus istorum vaniloquia disseruntur, non me facias ignorare. In Domino rectè & fideliter viuas dilectissime fili.

DIVI AVRELII AVGVSTINI ad Simplicianum Mediolanensis ecclesiæ episcopũ, de solutione quarundam quæstionũ ex Epistola Pauli ad Romanos, liber primus

QVæstionem tuam planè atque suauissimã interrogationũ tuarũ dignationẽ, mihi, pater Simpliciane, misisti, quibus nisi respõdere conarer, nõ solùm cõtumax, verũetiã ingratus existerem. Et illa quidem quæ de Paulo Apostolo dissoluenda proposuisti, iam à nobis erãt vtcunque discussa, literísque mandata. Sed tamẽ eadem ipsa verba Apostolica tenorémque sententiarũ, non contentus inquisitione atque explicatione præterita, ne quid in ea negligẽtius prẽteriisse, cauti⁹ attẽtiúsq; rimatus sũ. Non enim tu ea percõtanda cẽseres, Romano. 4 si eorũ intellectus facilis atque expeditus foret. Nã ex eo loco vbi scriptum est, Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit: vsque ad eum locum vbi ait, Igitur Lex volenti mihi bonum est, & cætera, credo vsque ad illud, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominũ nostrũ: primam nos voluisti enodare quæstionẽ. Quo loco videtur mihi Apostolus transfiguratsse in se hominem sub Lege positũ, cui⁹ verbis ex persona sua loquitur. Et quia paulò antè dixerat, Euacuati sum⁹ à Lege mortis, in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate Spiritus, & non in vetusta te literæ: atque ita per hæc verba quasi reprehendisse Legem posset videri, subiecit statim, Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per Legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret, Non concupisces. Exod. 20 Deut. 5 Hic rursus mouet, Si Lex non est peccatum, sed inseminatrix peccati, nihilominus his verbis reprehẽditur. Quare intelligẽdum est Legem ad hoc datam esse, nõ vt peccatum insereretur, neque vt stirparetur, sed tamen vt demonstraretur: quò animam humanam quasi de innocentia securã ipsa peccati demonstratione ream faceret. Vt quia peccatum sine gratia Dei vinci non posset, ipsa reatus solicitudine ad percipiendam gratiam conuerteretur. Itaque non ait, Peccatum non feci nisi per Legem: sed Peccatum non cognoui nisi per Legem. Neque rursus ait, Nam concupiscentiam non habebam, nisi Lex diceret, Non concupisces: sed ait, Cõcupiscentiam nesciebam nisi Lex diceret, Nõ concupisces. Romano. 7 Vnde apparet concupiscentiam per Legem non insitam, sed demõstratam. Cõsequens autem erat, vt quoniam nondum accepta gratia concupiscentiæ resisti non poterat, augeretur etiam: quia maiores vires habet concupiscentia crimine prævaricationis adiuncto, cùm etiam contra Legem facit, quàm si nulla Lege prohiberetur. Consequenter itaque subiungit, Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Erat enim & ante Legem: sed non omnis erat, quando crimen prævaricationis adhuc deerat. Vnde alio loco dicit, Vbi enim non est Lex nec prævaricatio. Roma. 4 Quòd autem adiungit, Sine Lege enim peccatum mortuum est, pro eo positum est, ac si diceret, latet, hoc est, mortuum putatur, quod paulò pòst euidentius dicturus est, Ego autem, inquit, viuebam sine lege aliquando, id est, nulla ex peccato morte terrebar, quia non apparebat, cũ Lex non esset. Roma. 7 Adueniente autem mandato, peccatum reuixit, hoc est, apparuit. Ego autem mortuus sum, id est, mortuũ me esse cognoui, vel quia reatus prævaricationis certum mortis supplicium cõminatur. Sanè quod ait, Peccatum reuixit adueniente mandato, satis significauit hoc modo aliquando vixisse peccatum, id est, notum fuisse, sicut arbitror in prẽuaricatione primi hominis, qui & ipse mãdatũ acceperat. Nã & alio loco dicit, Mulier autẽ seducta in prævaricatione facta est. 1. Tim. 2 Et iterũ, Gene. 25 In similitudinẽ prævaricationis Adæ, q est forma futuri. Roma. 5 Nõ enĩ potest reuiuiscere nisi quod vixit aliquãdo. Sed mortuũ fuerat, id est, occultatũ, cũ mortales nati sine mãdato Legis homines viuerẽt, sequẽtes concupiscẽtiam carnis si

ne vlla cognitione: quia sine vlla prohibitione. Ego (inquit) viuebam sine Lege aliquãdo. *Roma. 7*
Vnde manifestat, non ex persona sua propriè, sed generaliter ex persona veteris hominis se loqui. Adueniente autem mandato peccatum reuixit: ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum, quod erat in vitam, hoc est se in mortem. Mandato enim si obediatur, vtique vita est. Sed inuentum est esse in mortem, dum fit contra mandatum, vt non solùm peccatum fiat, quod etiam ante mandatum fiebat, sed hoc abundantius & perniciosius, vt iam à sciente & prævaricante peccetur. Peccatũ enim (inquit) occasione accepta per mãdatũ fefellit me, & per illud occidit. Peccatum non legitimè vtens Lege, ex prohibitione aucto desyderio dulcius factum est, & ideo fefellit. Fallax enim dulcedo est, quam plures atque maiores pœnarum amaritudines consequuntur. Quia ergo ab hominibus nondum spiritalem gratiam percipientibus suauius admittitur quod vetatur, fallit peccatum falsa dulcedine. Quia verò etiam accedit reatus prævaricationis, occidit. Itaque Lex quidem sancta & mandatum sanctum & iustum & bonum. Iubenda enim iubet, & prohibenda prohibet. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. In malè vtente quippe vitium est, non in mandato ipso quod bonũ est. Quoniam bona est Lex, si quis legitimè vtatur. *1 Timo. 1* Malè autem vtitur Lege, qui non se subdit Deo pia humilitate, vt per gratiam Lex possit impleri. Itaque ad nihil aliud accipit Legem, qui non ea legitimè vtitur, nisi vt peccatum eius quod latebat ante prohibitionem, apparere incipiat per prævaricationem. Et hoc supra modum: quia iam non solùm peccatum fit, sed etiam contra mandatum. Sequitur ergo & adiungit, *Roma. 7* Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonũ mihi operatum est mortẽ, vt fiat supra modum peccator, aut peccatum per mandatum. Vnde manifestat quo sensu dixerit superius, Sine Lege enim peccatum mortuum est: non quia non erat, sed quia non apparebat. Et quomodo dictũ sit, Peccatum reuixit, non vt esset quod erat & ante Legem, sed vt appareret, quoniam fiebat contra Legem: quando quidẽ hoc loco ait, Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem. Non enim ait, Vt sit peccatum: sed Vt appareat peccatum. Deinde subiungit causam cur ita sit. Scimus enim (inquit) quia Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum. In quo satis ostendit, non posse impleri Legem nisi à spiritalibus, qui non fiunt nisi per gratiam. Spiritali enim Legi quantò sit quisque similior, id est, quantò magis & ipse in spiritalem surgit affectum, tantò eam magis implet, quantò ea magis delectatur, iam non sub eius onere afflictus, *Psal. 18* sed eius lumine vegetatus, quia præceptũ Domini lucidum est, illuminans oculos, & Lex Domini immaculata conuertens animas: gratia donante peccata, & infundente Spiritum charitatis, quo & non sit molesta, & sit etiam iucunda iustitia. Sanè cùm dixisset, Ego autem carnalis sum, contexuit etiam qualis carnalis. Appellati sunt enim ad quendam modũ carnales, iam etiam sub gratia constituti, iam redempti sanguine Domini & renati per fidẽ. Quibus idem Apostolus dicit, Ego fratres nõ potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi *1. Cor. 3* carnalibus: tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Quod dicens, vtique ostendit iam renatos fuisse per gratiã, qui erant paruuli in Christo & lacte potandi: & tamen eos adhuc carnales vocat. Qui autẽ nondum est sub gratia sed sub Lege, ita carnalis est, vt nondum sit renatus à peccato, sed venundatus sub Lege à peccato, quoniam pretium mortiferæ voluptatis amplectitur dulcedinem illam qua fallitur, & delectatur etiam contra Legem facere, cùm tantò magis libet, quantò minus licet. Qua suauitate frui non potest quasi pretio conditionis suæ, nisi cogatur tanquam emptum mancipium seruire libidini. Sentit enim se seruum dominantis cupiditatis, qui prohibetur, & se rectè prohiberi cognoscit, & tamen facit. Quod enim operor, ait, ignoro, Nõ ita hic dictum est, Ignoro, quasi peccare se nesciat. Nam contrariũ erit quod dixit, Sed peccatũ vt appareat peccatũ, per bonũ mihi operatũ est mortẽ. Et illud superius, Sed peccatũ non cognoui nisi per Legẽ. Quomodo enim apparet, aut quomodo cognouit quod ignorat? Sed ita dictũ est, quomodo dictur⁹ est Dominus impiis, Nõ noui vos. Neq; *Matth. 7 Psalm. 33* enim aliquid Deum latet, quando vultus Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Sed dicimur aliquando ignorare, quod non approbamus. Ita ergo ait, *Roma. 7* Quod enim operor ignoro, id est, non approbo. Quod consequenter ostendit dicens, Non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Quod ergo ait, Odi, hoc ait, Ignoro: quia & quib⁹ dicturus est Dominus, Nõ noui vos, de iis illi dicitur, Odisti Domine omnes qui o- *Psalm. 5* perãtur iniquitatem. Si autem quod nolo hoc *Roma. 7* facio, consentio Legi quoniam bona est. Hoc enim non vult quod & Lex. Nam hoc vetat Lex. Consentit ergo Legi, non inquantum facit quod illa prohibet, sed inquantum non vult quod facit. Vincitur enim nondũ per gratiam liberatus, quanuis iam per Legem & nouerit se malè facerè, & nolit. Quod verò sequitur & dicit, Nunc autem iam non ego operor illud, sed id quod inhabitat in me peccatum: non ideo dicit, quia non consentit ad faciendum peccatum, quanuis Legi consentiat ad hoc comprobandum. Loquitur enim adhuc ex persona hominis sub Lege constituti, nondum sub gratia: qui profectò trahitur ad malè operandũ concupiscẽtia dominãte atq; fallẽte dulcedine peccati, prohibiti: quanuis ex parte notitia Legis hoc improbet. Sed propterea dicit,

Non ego operor illud, quia victus operatur. Cupiditas quippe id operatur, cui superanti cedit ur. Vt autem non cedatur, sitque mens hominis aduersus cupiditatem robustior, gratia facit, de qua pòst dicturus est. Scio enim (inquit) quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Ex eo quod scit, consentit Legi: ex eo autem quod facit, cedit peccato. Quòd si quærit aliquis, vnde hoc scit quòd dicit habitare in carne sua, non vtique bonum, id est, peccatũ? Vnde nisi ex traduce mortalitatis & assiduitate voluptatis? Illud est ex pœna originalis peccati, hoc est ex pœna frequentati peccati. Cum illo in hanc vitam nascimur, hoc viuendo addimus. Quæ duo scilicet natura & consuetudo coniũcta, robustissimam faciunt & inuictissimam cupiditatem, quam vocat peccatum, & dicit habitare in carne sua, id est, dominatum quendam & quasi regnum obtinere. Vnde est illud in Psalmo, Elegi abiici in domo Domini magis quàm habitare in tabernaculis peccatorũ. quasi non habitet, quanuis ibi sit, qui abiectus ibi est vbicunque sit. vnde insinuat habitationem cum quodam principatu intelligendam. Si autem per gratiam fiat in nobis quod alio loco dicit, Vt non regnet peccatum in nostro mortali corpore ad obediendum desyderiis eius: iam nec habitare propriè dicitur. Velle enim (inquit) adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. His verbis videtur non rectè intelligentibus velut auferre liberum arbitriũ. Sed quomodo aufert, quum dicat, Velle adiacet mihi? Certè enim ipsum velle in potestate est, quoniam adiacet nobis: sed quòd perficere bonum non est in potestate, ad meritum pertinet originalis peccati. Non enim est hæc prima natura hominis: sed delicti pœna, per quam facta est ipsa mortalitas quasi secunda natura, vnde nos gratia liberat Conditoris subditos sibi per fidem. Sed istæ nunc voces sunt, sub Lege hominis constituti, nondum sub gratia. Non enim quod vult facit bonum, quòd nondum est sub gratia: sed quod non vult malum hoc agit superante concupiscentia, non solùm vinculo mortalitatis, sed mole consuetudinis roborata. Si autem quod non vult hoc facit, iam non ipse operatur illud, sed quod habitat in eo peccatum, sicut superius dictum est & expositum. Inuenio ergo (inquit) Legem mihi volenti facere bonum, quoniam malum mihi adiacet, id est, inuenio Legem, bonum mihi esse, cùm volo facere quod Lex habet, quoniam mihi malum adiacet ad faciẽdum: quia superius quod ait, Velle adiacet mihi, ad facilitatem dixit. Quid enim facilius homini sub Lege constituto quàm velle bonum & facere malum? Nam & illud sine difficultate vult, quanuis non tam facilè faciat quàm facilè vult, & hoc quod odit facilè habet, quanuis id nolit: sicut præcipitatus sine difficultate venit in profundum, quanuis id nolit atque oderit. Hoc dixi propter verbum quod ait, Adiacet. Perhibet igitur testimonium Legi, quòd bona sit, homo sub ea positus & nondum gratia liberatus. Perhibet omnino eoipso quòd se reprehendit facere contra Legem, & inuenit eam bonam sibi esse, volens facere quod illa iubet, & concupiscentia superante non valens: atque ita se præuaricationis reatu implicatum videt, ad hoc vt gratiam Liberatoris imploret. Condelector enim, inquit, Legi Dei secundum interiorem hominem, Et vtique Legi quæ dicit, Non concupisces, Video autem, inquit, legem aliam in membris meis, repugnantem legi mẽtis meæ, & captiuantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis. Legem appellat in membris suis, onus ipsum mortalitatis, in quo ingemiscimus grauati. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam. Per quod fit etiã sæpe, vt inuitè delectet quod non licet. Quam sarcinam prementem & vrgentem ideo Legem appellat, quia iure supplicii Diuino iudicio tributa & imposita est ab eo qui præmonuit hominem dicens, Qua die manducaueritis, morte moriemini. Hæc lex repugnat Legi mentis dicenti, Non concupisces: cui condelectatur homo secundum interiorem hominem, & antequam sit quisque sub gratia, ita repugnat, vt & captiuet eum sub lege peccati, id est, sub semetipsa. Cum enim dicit, Quæ est in mẽbris meis, hanc ostendit eãdem esse, de qua superius ait. Video aliam legem in membris meis. Hoc autẽ totũ ideo dicitur, vt demõstretur homini captiuo non esse præsumendum de viribus suis. Vnde Iudæos arguebat tanquam de operibus Legis superbè gloriantes, cùm traherentur concupiscentia ad quidquid illicitum est: cùm Lex de qua gloriabantur dicat, Non concupisces. Humiliter ergo dicendum est homini victo, damnato, captiuo, & nec saltem accepta Lege victori, sed potius præuaricatori, humiliter exclamandum est, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Hoc enim restat in ista mortali vita libero arbitrio, non vt impleat homo iustitiam cùm voluerit: sed vt se supplici pietate conuertat ad eum cuius dono eam possit implere. In hac ergo tota, quam tractauimus Apostolici cõtextione sermonis, quisquis putat sensisse Apostolum quòd mala sit Lex, quoniam dicit, Lex subintrauit, vt abundaret delictum: &, Ministratio mortis in literis figurata lapideis: &, Virtº peccati Lex: &, Mortui estis Legi per corpus Christi, vt sitis alterius qui ex mortuis resurrexit: &, Passiones peccatorum quæ per Legem sunt operabantur in membris nostris, vt fructum ferrent morti: nunc verò & euacuati sumus à Lege mortis, in qua detinebamur, ita vt seruiamus in nouitate Spiritus & non in vetustate literæ: & alia si qua huiusmodi Apostolum dixisse inuenimus: attendat ideo esse ista dicta, quia Lex auget concupiscẽtiam

Psalm.85 Roma.6 Roma.7 Rom.7 Exod.20 1.Corin.5 Sapien.9 Genes.2 Roma.7 Roma.5 2.Cor.3 1.Cor.15 Roma.7

cupiſcẽtiam ex prohibitione, & reum obligat ex præuaricatione, iubendo quæ implere homines ex infirmitate non poſſunt, niſi ſe ad Dei gratiam pietate conuertant. Et ideo ſub illa eſſe dicuntur quibus dominatur. Eis autem dominatur quos punit. Punit autem præuaricatores omnes. Porrò qui acceperunt Legem, præuaricant eam, niſi per gratiam conſequantur poſſe quod iubet. Ita fit vt non dominetur eis qui iam ſub gratia ſunt, implentibus eam per gratiã, qui erant ſub eiꝰ timore damnati. Nam ſi illa quæ dicta ſunt mouent vt putetur Apoſtolus Legem reprehendere, quid agimus ex eo quòd dicit, Cõdelector enim Legi Dei ſecũdum interiorem hominem? Hoc enim dicens, Legem vtique laudat. Quod cùm illi audiunt, reſpondent, hoc loco Apoſtolum de alia lege dicere, id eſt, Lege Chriſti, non de illa quæ dicta eſt Iudæis. Quærimus ergo ab eis, de qua lege dicat, Lex autem ſubintrauit vt abundaret delictum. Reſpondent, de illa proculdubio, quam Iudæi acceperunt. Vide ergo vtrùm ipſa ſit de qua dicitur, Occaſione acceepta peccatum per mãdatum operatũ eſt in me omnẽ cõcupiſcentiã. Quid eſt enim aliud, Operatũ eſt in me omnem concupiſcentiã, q̃ id quod ibi eſt, Vt abũdaret delictũ? Vide quoq; vtrùm cõſonet etiã illa ſententia, Vt fiat ſupra modũ peccator aut peccatũ per mandatũ: hoc eſt enim, Vt fiat ſupra modũ peccatũ, quod eſt, Vt abũdaret peccatũ. Si igitur oſtẽderimꝰ bonũ eſſe mandatũ, vnde occaſione accepta peccatũ operatũ eſt omnẽ cõcupiſcentiã, vt fieret ſupra modum, ſimul oſtendemus bonã eſſe Legem, quæ ſubintrauit vt abundaret delictum, id eſt, vt operaretur peccatum omnem concupiſcentiam, & fieret ſupra modum. Audiant ergo eundem Apoſtolum dicentem, Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit. Hoc (inquiunt) de Lege Chriſti dictum eſt, hoc eſt, de Lege gratiæ, Reſpondeant itaque de qua intelligant illud quod ſequitur, Sed ego peccatum non cognoui, niſi per Legem. Nam concupiſcentiam neſciebam, niſi Lex diceret, Non concupiſces. Occaſione autem accepta, peccatũ per mandatũ operatũ eſt in me omnẽ concupiſcentiam. Ecce verborum ipſa contextio ſatis indicat de qua Lege dixerit, Lex peccatum eſt? Abſit: de illa ſcilicet, per cuius mandatum occaſio fuit peccato, vt operaretur omnem concupiſcentiam. De illa ergo quæ ſubintrauit vt abundaret delictum, quam putant illi malam. Sed quid apertius quàm id quod paulò pòſtait, Itaque Lex quidem ſancta & mandatum ſanctum & iuſtum & bonum? Hoc rurſus dicunt, non de illa Lege quæ Iudæis data eſt, ſed de Euangelio dictum eſt. Manichęorum eſt tam ineffabiliter cæca peruerſitas. Non enim attendunt quod apertiſsimum & manifeſtiſsimum ſequitur, Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum vt appareat peccatum per bonum mihi operatum eſt mortem, vt fiat ſupra modum peccator aut peccatum per mandatum. Hoc eſt per mandatum ſanctum & iuſtum & bonum, quod tamen ſubintrauit vt abundaret peccatum, hoc eſt, vt fieret ſupra modum peccatum. Cur ergo miniſtratio mortis dicitur, ſi bona eſt Lex? Quia peccatum vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum eſt mortem. Nec mireris cùm de ipſa prædicatione Euangelii dictum ſit, Chriſti odor bonus ſumus Deo, in iis qui ſalui fiunt, & in iis qui pereunt. Aliis quidem odor vitę in vitam, aliis autem odor mortis in mortẽ. Ad Iudæos enim dicta eſt Lex miniſtratio mortis, ad quos & in lapide ſcripta eſt, ad eorum duritiam figurandam, non ad eos qui Legem per charitatem implent. Plenitudo enim Legis charitas. Ipſa enim Lex, quæ in literis eſt figurata lapideis, dicit. Non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupiſces, &c. Quam Legem dicit Apoſtolus impleri per charitatem, ita loquens, Qui enim diligit proximum, Legem impleuit. Nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc ſermone recapitulatur, Diliges proximum tuum, tanquam teipſum: quia & hoc in eadem Lege ſcriptum eſt. Cur virtus peccati Lex, ſi Lex bona eſt? Quia peccatum per bonum operatum eſt mortem, vt fiat ſupra modum, hoc eſt, maiores vires ex præuaricatione cõcipiat. Cur mortui ſumus Legi per corpus Chriſti, ſi bona eſt Lex? Quia mortui ſumus Legi damnanti, liberati ab eo affectu quem Lex punit & damnat. Vſitatius enim vocatur Lex, quando minatur & terret & vindicat. Itaque idem præceptum timentibus Lex eſt, amantibus gratia eſt. Inde eſt illud in Euangelio. Lex per Moſen data eſt, Gratia per Ieſum Chriſtum facta eſt. Eadem quippe Lex quæ per Moſen data eſt, vt forma daretur, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, vt impleretur. Sic ergo dictum eſt, Mortui eſtis Legi, ac ſi diceretur, Mortui eſtis ſupplicio Legis per corpus Chriſti, per quod ſunt delicta donata, quæ legitimo ſupplicio conſtringebant. Cur paſsiones peccatorum, quæ per Legem ſunt, operabantur in membris noſtris vt fructificarent morti, ſi Lex bona eſt? Quia illas hic voluit intelligi peccatorum paſsiones, de quibus ſæpe iam dictum eſt, augmentum cõcupiſcentiæ de prohibione, & reatũ pœnæ de præuaricatione, hoc eſt, quia per bonum operatum eſt, mortẽ vt fiat ſupra modũ peccator aut peccatũ per mandatũ. Cur liberati ſumus à Lege mortis, in qua detinebamur, ita vt ſeruiamus in nouitate Spiritus, & non in vetuſtate literę, ſi Lex bona eſt? Quoniam Lex littera eſt eis qui non implent per ſpiritum charitatis, quo pertinet Teſtamentum nouum. Itaq; mortui peccato liberãtur à litera, qua detinẽtur rei, q̃ ui nõ implẽt quod ſcriptũ eſt. Lex

Romano.7

2.Corint. 3

2.Cor.2

Roma.13 Deut.5

1.Cor.15

Roma.7

Roma.7

Ioann.1

Roma.7

enim quid aliud quàm sola litera est eis, qui eã legere nouerũt, & implere nõ possũt? Nõ enim ignoratur ab eis quibus conscripta est: sed quoniam intantum nota est, inquantum scripta legitur, non inquantum dilecta perficitur: nihil est aliud talibus nisi litera, quæ litera non est adiutrix legentium, sed testis peccantium. Ab eius ergo dominatione liberantur,
2 Cor. 3 qui per Spiritum innouantur, vt iam non sint obligati literæ ad pœnam, sed intellectui per iustitiã copulati. Inde est & illud, Litera occidit, spiritus autem viuificat. Lex enim tãtummodo lecta & non intellecta vel non impleta,
Roma. 13 Roma. 5 vtique occidit: tunc enim appellatur litera. Spiritus autem viuificat, quia plenitudo Legis est charitas, quæ fusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Quæst. 2 Sed iam, vt arbitror, tempus est ad aliam transire quæstionem, quam sic proposuisti, vt
Roma. 9 ab eo quod scriptum est, Non solùm autẽ illa, sed & Rebecca ex vno concubitu habẽs Isaac patris nostri. Quum enim nõdum nati essent, neque aliquid egissent bonum aut malum: vsque ad id quod scriptum est, Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essem⁹, & sicut Gomorrha similes fuissemus: tota ipsa contextio differatur. Et profectò est latebrosior. Sed certè qualem te erga me noui, iubere mihi vt aperirem ista non possem, nisi à Domino deprecareris vt possem. Quo adiutorio fidentior factus, aggredior. Et primò intentionem Apostoli, quæ per totam Epistolam viget, tenebo quam consulam. Hæc est autem, vt de operum meritis nemo glorietur, de quib⁹ audebãt Israelitæ gloriari, quòd datæ sibi Legi seruissent, & ex hoc Euangelicã gratiam, tanquam debitam meritis suis percepissent, quia Legi seruiebant: vnde nolebant
Actu. 15 eandem gratiam dari gentibus, tanquam indignis, nisi Iudaica sacramenta susciperẽt. Quæ orta quæstio, in Apostolorũ Actibus soluitur.
Roma. 11 Non enim intelligebant, quia eoipso quòd gratia est Euãgelica, operibus non debetur. Alioquin gratia iam non est gratia. Et multis locis hoc sæpe testatur fides, gratiam præponens operibus, nõ vt opera extinguat, sed vt ostendat non esse opera præcedentia gratiam, sed consequentia: vt scilicet non se quisque arbitretur ideo percepisse gratiam, quia bene operat⁹ est, sed bene operari nõ posse, nisi per fidẽ perceperit gratiã. Incipit autẽ homo percipere gratiã, ex quo incipit Deo credere, vel interna vel externa admonitione mot⁹ ad fidẽ. Sed interest quib⁹ articulis temporũ vel celebratione sacramentorum gratia plenior & euidentior infundatur. Non enim cathecumeni
Actu. 10 non credunt, aut verò Cornelius nõ credebat cùm Deo eleemosynis & orationibus dignum se præberet cui Angelus mitteretur: sed nullo modo ista operaretur, nisi antè credidisset. Nullo modo autẽ credidisset, nisi vel secretis per visa mentis aut spiritus, vel manifestioribus per sensus corporis admonitionibus vocaretur. Sed in quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum regnũ cælorum, sicut in cathecumenis, sicut & in ipso Cornelio, antequam sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ. In quibusdã verò tanta est, vt iam corpori Christi & sancto Dei templo deputentur. Templum enim Dei 1 Corin. 3
sanctum est, inquit Apostolus, quod estis vos. Et ipse Domin⁹, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Ioan. 3
cælorum. Fiunt ergo inchoationes quædam fidei conceptionibus similes: non tamen solùm concipi, sed etiam nasci opus est, vt ad vitam perueniatur æternam. Nihil horum tamen sine gratia misericordiæ Dei: quia & opera si qua sunt bona, consequũtur, vt dictum est, illam gratiam non præcedunt. Quam rem persuadere Apostolus volens, quia sicut alio loco dicit, Non ex nobis, sed Dei donum est: non ex Ephe. 2
operibus ne fortè quis extollatur: de iis qui nondum nati erant, documentum dedit. Nemo enim posset dicere, quòd operib⁹ promeruerat Deum Iacob nõdum natus, vt Diuinitus diceretur, Et maior seruiet minori. Ergo Roma. 9 Gene. 18
non solùm, inquit, Isaac promissus est, cùm dictum est, Ad hoc tempus veniam, & erit Saræ filius: qui vtique nullis operibus promeruerat Deum, vt nasciturus promitteretur, vt in Isaac vocaretur semẽ Abrahæ, id est, illi pertinerent ad sortem Sanctorum, quæ in Christo est, qui se intelligerent filios promissionis, nõ superbientes de meritis suis, sed gratiæ vocationis deputãtes quòd cohæredes essent Christi. Cùm enim promissum est vt essent, nihil vtiq; meruerant, qui nondum erant. Sed & Rebecca ex vno cõcubitu habens Isaac patris nostri. Vigilãtissimè ait, Ex vno concubitu. Gemini enim concepti erant, ne vel paternis meritis tribueretur, si quisquam fortè diceret, Ideo talis nat⁹ est filius, quia pater ita erat affect⁹ illo tẽpore, quo eũ seuit in vtero matris: aut ita erat mater affecta cũ eũ cõcepit. Simul enĩ ambos vno tẽpore ille seuit, eodem tẽpore illa cõcepit. Ad hoc cõmendandũ ait, Ex vno cõcubitu: vt nec Astrologis daret locũ, vel eis poti⁹ quos Genethliacos appellauerunt, qui de natalib⁹ nascẽtium mores & euenta coniectãt. Quid enim dicant, cur vna conceptione, sub vno vtique temporis puncto, eadem dispositione cæli & syderum, vt diuersa singulis annotari omnino non posset, tanta in illis geminis diuersitas fuerit, prorsus nõ inueniunt: & facilè animaduertunt si volunt, responsa illa, quæ miseris venditant, nullius artis expositione, sed fortuita suspicione proferri. Sed vt de re quæ agitur potius loquamur, ad frangendam atque deiiciendam superbiam hominum ingratorum gratiæ Dei, & audentium gloriari de meritis suis ista commemorantur. Cùm enim nondũ nati fuissent, neque aliquid egissent bonum aut malum, non ex operibus,

sed

Roma.9 Genes.25

sed ex vocante dictū est ei, quia maior seruiet minori. Vocantis est ergo gratia, percipientis verò gratiā consequēter sunt opera bona: nō quę gratiā pariāt, sed quæ gratia pariātur. Nō enī vt ferueat calefacit ignis, sed quia feruet. nec ideo bene currit rota vt rotūda sit, sed quia rotūda est. Sic nemo ,pptерea bene operatur, vt accipiat gratiā, sed quia accepit. Quomodo enim potest iustè viuere, qui non fuerit iustificatus? Quomodo sanctè viuere, qui non fuerit sanctificatus? vel omnino viuere, qui non fuerit viuificatus? Iustificat autem gratia, vt iustificatus possit viuere iustè. Prima est igitur gratia, secunda opera bona, sicut alio loco dicit,

Roma.4

Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: sicut illa immortalitas post opera bona, si tamē

2 Timot.4

vel ipsa ex debito poscitur. Sicut idem ait, Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidē seruaui: de cætero supereſt mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Fortè enim quia dixit, Reddet,

Ephe.4

iam fit ex debito: cùm verò ascendēs in altum captiuauit captiuitatem, non reddidit sed dedit dona hominibus. Vnde enim ipse Apostolus tanquam debitum reddi sibi præsumeret, nisi prius indebitam gratiam percepisset,

1.Time.1

qua iustificatus bonum agonem certaret? Fuit enim blasphemus & persecutor & iniuriosus: sed misericordiam consecutus est, vt ipse testa

Roma.4 Roma.9

tur, credens vtique in eum qui iustificat, non pium sed impium, vt iustificando pium faciat. Non ex operibus, inquit, sed ex vocante dictū est ei, Quia maior seruiet minori. Ad hoc pertinet quod ait, Cùm enim necdum nati fuissent, neque aliquid egissent bonum aut malū, vt posset dici, Non ex operibus, sed ex vocante. Vnde occurrit animo quærere, cur dixerit, Vt secundum electionem propositum Dei maneret. Quomodo est enim iusta, aut qualiscunque omnino electio, vbi nulla distātia est? Si enim nullo merito electus est Iacob nondū natus, & nihil operatus, nec omnino eligi potuit, nulla existente differentia qua eligeretur. Itē si nullo merito improbatus est Esau, quia & ipse nondum natus & nihil operatus erat, cùm diceretur, Et maior seruiet minori: quomodo eius improbatio iusta dici potest? Qua ergo discretione, quo æquitatis examine quod

malachiæ 1

sequitur intelligimus, Iacob dilexi, Esau autē odio habui? Quod quidē scriptum est in Propheta, qui longè posterior prophetauit, quàm illi nati & mortui sunt. Sed tamen illa sententia videtur commemorata, qua dictum est, Et maior seruiet minori, antequam nati & aliquid operati essent. Vnde igitur ista electio, vel qualis electio, si nōdum natis, nondúmque aliquid operatis nulla sunt momenta meritorum? An fortè sunt aliqua naturarū? Quis hoc intelligat, ex vno patre, & ex vna matre, & ex vno cō cubitu, & ex vno Creatore? An quemadmodū ex eadem terra idem Creator produxit diuersa animantiū atque gignentiū genera, ita ex eo dē hominū coniugio atque complexu produxit in geminis diuersam prolem, vnam quam diligeret, alteram quam odisset? Nulla ergo electio est, antequam esset quod eligeretur. Si enim bonus factus est Iacob vt placeret, vnde placuit antequam fieret vt bonus fieret? Non itaque electus est vt fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit. An ideo secundum electionem, qua omnium Deus præscius etiam futuram fidem vidit in Iacob nondum nato, vt quanuis non ex operibus suis iustificari quisque mereatur, quandoquidē bene operari nisi iustificatus non potest: tamen quia ex fide iusti Galat.3 ficat gentes Deus, nec credit aliquis nisi libera voluntate: hanc ipsam fidei voluntatem futuram præuidens Deus, etiam nondum natum, præscientia qua iustificaret elegerit? Si igitur electio per præscientiam: præsciuit autem Deus fidem Iacob: vnde probas quia iam non ex operibus elegit eum, sed propterea quia nō dum nati erant, & nondum aliquid egerant bonum seu malum: ita etiam nondum crediderat aliquis eorum: sed sicut præscientia vidit creditурum, ita præscientia videre poterat operaturum? Vt quomodo dicitur electus propter fidem futuram, quam præsciebat Deus, sic alius possit dicere, propter futura opera potī electum, quæ nihilominus præsciebat Deus. Quapropter vnde ostēdit Apostolus, non ex operibus dictū esse, Maior seruiet minori: sed quoniam nondum nati erant, non solùm non ex operibus, sed nec ex fide dictum est, quia vtrunque deerat nondum natis? Non igitur ex præscientia voluit intelligi factā electionē minoris, vt maior ei seruiret. Volens enim ostendere non ex operibus factā, propterea intulit dicens, Cùm enim nondum nati fuissent, neq; aliquid egissent bonum seu malum. Alioquin poterat ei dici, Sed iā sciebat Deus, quis quid esset acturus. Quamobrem vnde illa electio facta sit quæritur: quia non si ex operibus, quæ non erant in nondum natis, nec ex fide, quia nec ipsa erat. Vnde igitur? An dicendum est quòd nulla electio fuerit, non existente aliqua diuersitate in vtero matris, vel fidei, vel operū, vel quorunlibet omnino meritorum? Sed dictum est, Vt secundum electionem propositum Romano 9 Dei maneret. Et ideo quærimus, quia dictum est: nisi fortè sic est distinguenda sententia, nō vt intelligamus, tanquam ideo nō ex operib⁹, sed ex vocante dictum est, Maior seruiet minori, vt secundum electionem propositum Dei maneret: sed ita potius, vt hoc de nondum natis & nondum aliquid operatis exemplum datum accipiatur, ne aliqua electio hīc possit intelligi. Cùm enim nondum nati essent, neque aliquid egissent, siue bonum siue malum, vt secūdum electionem propositum Dei maneret, id est, neque aliquid egissent bonum aut malum, vt propter ipsam actionem electio aliqua fieret eius qui bene egerat. Cùm ergo nulla es

set electio bene agentis, secundum quam maneret propositum Dei, nō ex operibus, sed ex vocante, id est, ex eo qui vocādo ad fidem gratia iustificat impium, dictū est, Et quia maior seruiet minori. Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio, id est, non quia inuenit Deus opera bona in hominibus quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis ipsius: sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideo inuenit opera quæ iam eligat ad regnum cælorū. Nam nisi esset electio, non essent electi: nec rectè di
Romano. 8 ceretur, Quis accusabit aduersus electos Dei? Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio. Nemo enim eligitur nisi iam distans ab illo qui reiicitur. Vn-
Ephes. 2 de quod dictū est, Quia elegit nos Deus ante mūdi constitutionē: nō video quomodo sit dictum nisi prescientia. Hic autem quod ait, Nō
Romano. 9 ex operibus, sed ex vocāte dictum est ei, Quia maior seruiet minori: non electione meritorū quæ post iustificationem gratiæ proueniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi,
Ephes. 2 ne quis de operibus extollatur. Gratia enim Dei salui facti sumus, & hoc non ex operibus, ne fortè quis extollatur. Quæritur autem vtrùm vel fides mereatur hominis iustificationem: an verò nec fidei merita precedant misericordiam Dei: sed & fides ipsa inter dona gratiæ numeretur: quia & hoc loco cùm dixisset, Non ex operibus, non ait, Sed ex fide dictum est ei, Quia maior seruiet minori. Ait autem, Sed ex vocante. Nemo enim credit qui non vocatur. Misericors autem Deus vocat, nullis hoc vel fidei meritis largiēs, quia merita fidei sequuntur vocationē potius quàm præcedāt.
Romano. 10 Quomodo enim credent ei quem non audierunt? Et quomodo audient sine predicāte? Ni si ergo vocando præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, vt ex hoc incipiat iustificari & accipiat facultatem bene operandi. Ergo ante omne meritum est gratia.
romano. 5 Etenim Christus pro impiis mortuus est. Ex vocante igitur minor accepit, non ex vllis meritis operum suorum, vt maior ei seruiret, vt etiā quod scriptum est, Iacob dilexi, ex vocante sit Deo, non ex operante Iacob. Quid deinde Esau quòd seruit minori, & quòd scriptum
Malachi. 1 romano. 9 est, Esau autem odio habui: quibus malis suis hoc meruit, cùm & ipse nondum natus fuisset, neque aliquid egisset boni aut mali, quando dictum est, Et maior seruiet minori? An fortè quemadmodum illud de Iacob nullis meritis bonæ actionis dictum est, ita Esau nullis malæ actionis odiosus? Si enim quia præsciebat Deꝰ futura eius opera mala, propterea eum prædestinauit, vt seruiret minori, propterea prædestinauit & Iacob vt ei maior seruiret, quia futura eius opera bona præsciebat, & falsum est iam quod ait, Non ex operibus. Si autem verū est, quòd non ex operibus, & inde hoc probat quia de nondum natis nondúmque aliquid operatis hoc dictum est, vnde nec ex fide, quæ in nondum natis similiter nondum erat, quo merito Esau odio haberetur antequam nasceretur? Quòd enim fecit Deus ea quæ diligeret, nulla quæstio est. Si autem dicamus eum fecisse quæ odisset, absurdum est, occurrente alia Scriptura & dicente, Neque enim odio *Sapien. 11.* habens aliquid constituisses, & nihil odisti horū quæ fecisti. Quo enim merito sol factus est sol, aut quid offendit luna, vt tātò illo esset inferior, vel quid promeruit vt syderibus cæteris tantò clarior crearetur? Sed hæc omnia bona creata sunt, quæq; in genere suo. Non enim diceret Deus, Solem dilexi, lunam autem odio habui, aut, Lunam dilexi, stellas autem odio habui: sicut dixit, Iacob dilexi, Esau autem odio *Malachi. 1 romano. 9* habui: sed illa omnia dilexit, quanuis excellentiæ diuersis gradibus ordinata: quoniam vidit Deus quia bona sunt, cùm dicto eius sunt instituta: vt autem odisset Esau, nisi iniustitiæ merito, iniustum est. Quod si concedimus, incipit & Iacob iustitiæ merito diligi. Quod si verum est, falsum est quòd non ex operibus. An fortè ex iustitia fidei? quid ergo te adiuuat, Cùm enim nondum nati fuissent, quādoquidem in nondum nato nec iustitia fidei poterat esse? Vidit itaque Apostolus quid ex his verbis posset animo audientis vel legentis occurrere, statímque subiecit, Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas est apud Deum? Ab- *romano. 9* sit. Et quasi docēs quomodo absit, Mosi enim dicit, inquit, Miserebor cui misertus ero, & mi *Exodi 33* sericordiā prestabo cui misertus fuero. Quibus verbis soluit quæstionem, an potius arctius colligauit? Idipsum est enim quod maximè mouet, si miseretur cui misertus erit, & misericordiam præstabit, cui misericors fuerit: cur hæc misericordia defuit Esau, vt etiam per illam esset bonus, quemadmodum per illā bonus factus est Iacob? An ideo dictum est, Miserebor cui misertus ero, & misericordiā præstabo cui misericors fuero: quia cui misertus erit Deus vt eum vocet, misericors miserebitur eius vt credat, & cui misericors fuerit vt credat, misericordiam præstabit, hoc est, faciet eum misericordem, vt etiam bene operetur? Vnde admonemur, nec ipsis operibus misericordiæ quenquam oportere gloriari & extolli, quòd eis quasi suis Deum promeruerit: quandoquidem vt haberet ipsam misericordiam ille præstitit, qui misericordiam præstabit cui misericors fuerit. Quòd si eam credendo se meruisse quis iactitat, nouerit eum sibi præstitisse vt crederet, qui miseretur inspirando fidē, cuius misertus est, vt adhuc infideli vocationē impartiret. Iam enim discernitur fidelis ab impio. Quid enī habes, inquit, quod nō *1. Corint. 4* accepisti? Si autē accepisti, quid gloriaris quasi nō acceperis? Rectè quidē hoc. Sed cur hæc misericordia subtracta est ab Esau, vt nō sic vocaretur, vt & vocato inspiraretur fides, & credēs misericors fieret, vt bene operaretur? An fortè

fortè quia noluit? Si ergo Iacob ideo credidit quia voluit, non ei Deus donauit fidem, sed eam sibi ipse volendo præstitit, & habuit aliquid quod non accepit. An quia nemo potest credere, nisi velit, nemo velle nisi vocetur, nemo autem sibi potest præstare vt vocetur, vocando Deus præstat & fidem: quia sine vocatione non potest quisquam credere, quanuis nullus credat inuitus? Quomodo enim credēt ei quem non audierunt? Aut quomodo audiēt sine prædicante? Nemo itaque credit non vocatus: sed non omnis credit vocatus. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. Vtique ii qui vocantem non contempserunt, sed credendo secuti sunt, volentes autem sine dubio crediderunt. Quid est ergo quod sequitur, Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei? An quia nec velle possumus nisi vocati, & nihil valet velle nostrum, nisi vt perficiamus adiuuet Deus? Opus est ergo velle & currere. Non enim fruſtra diceretur, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. &, Sic currite vt comprehendatis. Non tamen volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, vt quod volumus adipiscamur, & quò volumus perueniamus. Noluit ergo Esau & non cucurrit: sed etsi voluisset & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset: qui ei etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione cō temptare probus fieret. Aliter enim Deus præstat vt velimus, aliter præstat quod voluerimus. Vt velimus enim & suum esse voluit & nostrū, suum vocando, nostrum sequēdo. Quod autē voluerimus solus præstat, id est, posse bene agere, & semper beatè viuere. Veruntamen Esau nondum natus, nihil horum posset velle seu nolle. Cur ergo in vtero positus improbatus est? Reditur enim ad illas difficultates, nō solùm sua obscuritate, sed etiam nostra tā multa repetitione molestiores. Cur enim est improbatus Esau nondum natus, qui nec credere poterat vocanti, nec contēnere vocationē, nec boni vel mali aliquid operari sine præscie tia Dei futuræ malæ voluntatis eius? Cur non & Iacob præscietia Dei approbatus est, futurę bonæ voluntatis eius? Quod si semel concesserit potuisse quenquam vel approbari vel improbari, ex eo quod nondum in illo erat, sed quia Deus futurum esse præsciebat: conficitur eū potuisse etiā ex operib⁹ approbari, quæ in illo Deus futura esse præsciebat, quanuis nōdum esset aliquid operatus: & omnino te nihil adiuuabit quòd nondum nati erant, cùm dictum esset, Et maior seruiet minori, vt hinc ostendas nō ex operibus dictum, quia nondum quicquam erat operatus. Illa etiā verba, si diligenter attendas, Igitur non est volentis neq; currentis, sed miserentis est Dei, non hoc Apostolus propterea tātùm dixisse videbitur, quòd adiutorio Dei ad id quod volumus perueniamus, sed etiam ex illa intentione, qua & alio loco dicit, Cum timore & tremore vestrā ipsorum salutem operamini. Deus enim est qui operatur in vobis & velle & operari pro bona volūtate. Vbi satis ostēdit etiā ipsā bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri. Nam si propterea solùm dictum est, Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: quia voluntas hominis sola non sufficit vt iustè rectéque viuamus, nisi adiuuemur misericordia Dei, potest & hoc modo dici, Igitur nō miserētis est Dei, sed volētis est hominis: quia misericordia Dei sola nō sufficit, nisi cōsensus nostræ voluntatis addatur. At illud manifestum est, fruſtra nos esse velle, nisi Deus miseratur. Illud autem nescio quomodo dicatur, fruſtra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiā volumus. Ad eandem quippe misericordiam pertinet vt velimus. Deus enim est, qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Nam si quæramus, vtrùm Dei donum sit voluntas bona, mirum si negare quisquam audeat. At enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur quod bene volumus, nobis verò tribui nō potest quod vocamur. Non igitur ideo dictū esse putādum, Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, quia nisi eius adiutorio non possumus adipisci quod volumus: sed ideo potius, quia nisi eius vocatione non volumus. Sed si vocatio ista est effectrix bonæ voluntatis, vt omnis eam vocatus sequatur, quomodo verum erit, Multi vocati, pauci electi? Quod si verū est, & non consequenter vocationi vocatus obtemperat, atque vt obtemperet in eius est positum voluntate, rectè etiam dici potest. Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis: quia misericordia vocantis non sufficit, nisi vocati obedientia consequatur. An fortè illi qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, vt & illud verum sit, Multi vocati, pauci electi? Vt quanuis multi vno modo vocati sint, tamen quia non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, & illud non minus verum sit, Igitur non volentis neque currētis, sed miserētis est Dei: quia hoc modo vocauit, quomodo aptū erat eis qui secuti sunt vocationem. Ad alios autem vocatio quidem peruenit, sed quia talis fuit qua moueri non possent, nec eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi: & non iam similiter verum est, Igitur non miserētis est Dei, sed volētis atq; currētis est hominis: quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt fruſtra ille misereatur si homo nolit, quia si vellet etiā ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur. Verum est ergo, Multi vocati, pauci verò electi. Illi enim electi qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contēperabantur vocationi, non

Romans.10 Matth.20 Roman.9 Luce 2 1.Corint.9 Roman.9 Philip.2 mat.20 Roman.9 Philip.2 matth.20

electi,quia non secuti, quanuis vocati. Item verum est,Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei:quia etiam si multos vocet, eorum tamen miseretur quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est vt sequantur. Falsum est autem si quis dicit,Igitur non miserentis Dei,sed volentis atque currentis est hominis,quia nullius Deus frustra miseretur. Cuius autē miseretur,sic eū vocat quomodo scit ei congruere,vt vocantem non respuat. Hic dicet aliquis,Cur ergo Esau non sic est vocatus vt vellet obedire? Videmus enim alios aliter iisdem rebus demonstratis vel significatis,ad credendum moueri. Sicut exempli gratia, Simeon in Dominum nostrum Iesum Christum adhuc infantem paruulum credidit,Spiritu ei reuelāte cognoscens. Nathanael ad vnam sententiam,quam ab illo audiuit, Priusquam te Philippus vocaret,cū esses sub arbore fici vidi te,respondit,Rabbi,tu es filius Dei, tu es rex Israel. Quod tātò pòst quia cōfessus est Petr⁹, meruit audire,quòd beat⁹ esset,& quòd ei darentur claues regni cælorum. Miraculo facto in Chana Galilææ,quod initium signorū Iesu Ioannes Euāgelista cōmemorat, aqua in vinū conuersa, crediderunt in eum discipuli eius: multos loquēdo inuitauit ad fidem: multi nec suscitatis mortuis crediderunt: de cruce atque morte eius conterriti etiam discipuli tubarūt & tamē latro tunc credidit,cùm eū nō præstantiorem videret in operibus,sed consortio crucis æqualem. Vnus etiam de numero discipulorum post eius resurrectionem,non tam viuentibus membris,quàm recentibus cicatricibus credidit. Multi ex eorum numero à quibus crucifixus est,qui videntes eum miracula facientem contempserant, discipulis eum prædicantibus & in nomine eius talia facientibus crediderunt. Cùm ergo alius sic,alius autē sic moueatur ad fidem, eadémque res sæpe alio modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat,aliúmq; moueat,aliū nō moueat,quis audeat dicere defuisse Deo modū vocādi,quo etiā Esau ad eā fidē mentē applicaret voluntatē que coniungeret,in qua Iacob iustificatus est? Quòd si tāta quoque potest esse obstinatio voluntatis,vt cōtra omnes modos vocationis obdurescat mentis auersio: quæritur etiā vtrùm debita pœna sit ipsa duritia. Cùm enim De⁹ deserit,non sic vocando,quomodo ad fidē moueri potest? Quis etiam dicat modum,quo ei persuaderetur vt crederet,etiam Omnipotenti defuisse? Sed quid hoc quærimus, cùm ipse subiungat Apostolus, Dicit enim Scriptura Pharaoni,Quia ad hoc te excitaui,vt ostendam in te potentiam meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra? Hoc autem subiecit Apostolus documentum, quo probaret quod suprà dixerat, Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Tāquam enim ei diceretur, Vnde hoc doces? Dicit enim Scriptura,inquit,Pharaoni,Quia ad hoc te excitaui,vt ostendam in te potentiā meam, & vt annuntietur nomē meum in vniuersa terra. Vtique hinc ostendit quòd nō volentis neque currentis, sed miserentis est Dei: concludítque ita, Ergo cuius vult miseretur, & quem vult obdurat,cùm superius nō vtrunque sit. Neque enim quomodo dictum est,Nō volentis neq; currentis,sed miserētis est Dei: sic etiā dictum est,Non nolentis atque contēnentis,sed obdurantis est Dei. Vnde datur intelligi,quod infrà vtrunque posuit,Ergo cui⁹ vult miseretur,& quem vult obdurat: ita sententiæ superiori posse congruere, vt obduratio Dei sit nolle misereri,vt non ab illo irroget aliquid, quo sit homo deterior, sed tātum quò sit melior non erogetur. Quòd si fit vlla distinctione meritorum, quis non erumpat in eam vocem,quam sibi ipse obiecit Apostolus, Dicis itaque mihi, Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit? Conqueritur enim Deus sæpe de hominibus, sicut per innumerabiles apparet Scripturarum locos, quòd nolint credere,& rectè viuere. Vnde fideles & facientes voluntatem Dei, conuersari dicuntur sine querela, quòd de illis non queratur Scriptura. Sed quid cōqueritur? ait. Nā voluntati eius quis resistit,quando cuius vult miseretur,& quem vult obdurat? Et tamen intueamur superiora, & inde nostram,quantum ipse Dominus adiuuat,sententiam dirigamus. Ait enim paulò antè, Quid ergo dicemus? Nū quid iniquitas est apud Deum? Absit. Sit igitur hoc fixum atque immobile in mēte sobria pietate atque stabili fide,quòd nulla est iniquitas apud Deum: atque ita tenacissimè firmissimēque credatur idipsum, quòd Deus cuius vult,miseretur,& quem vult obdurat, hoc est, cui⁹ vult miseretur, & cui⁹ vult nō miseretur, esse alicuius occultæ, atq; ab humano modulo inuestigabilis æquitatis, quæ & in ipsis rebus humanis terrenisque cōtractibus animaduertēda est. In quibus nisi supernę iustitię quę dam impressa vestigia teneremus, nunquam in ipsum cubile ac penetrale sanctissimum atque castissimum spiritalium præceptorum,nostræ infirmitatis suspiceret atque inhiaret intētio. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam,quoniā ipsi saturabuntur. In ista igitur siccitate vitæ conditionisque mortalis,nisi aspergeretur desuper velut tenuissima quædam aura iustitiæ, citius arescerēmus quàm sitiremus. Quapropter cùm dando & accipiendo inter se hominū societas cōnectatur,dētur autem & accipiātur debita vel nō debita, quis nō videat iniquitatis argui neminē posse, qui quod sibi debetur exegerit: nec eū certè qui quod ei debetur donare voluerit? Hoc autē nō est in eorū qui debitores sūt,sed in eius cui debetur arbitrio. Hęc imago, velut suprà dixi, vestigium negotiis hominum de fastigio summo æquitatis impressum est. Sunt igitur omnes homines, quādoquidē vt Apostolus ait, In Adā omnes moriuntur

Luc. 2 Ioannis 1 Mat. 16 Ioann. 2 Luc. 23 Ioan. 20 Act. 2 Rom. 9 Exod. 9 Matt. 5 1 Corint. 15

tur,à quo in vniuersum genus humanũ,origo ducitur offensionis Dei,vna quædã massa peccati suppliciũ debens diuinę summæque iustitię, quod siue exigatur, siue donetur, nulla est iniquitas. A quibus autẽ exigendũ, & quibus donandũ sit, superbè iudicãt debitores. Quẽ admodum cõducti ad illã vineã iustè indigna ti sunt,cùm tantundẽ aliis donaretur, quantũ illis redderetur. Itaq; huius impudentiã quæstionis ita retũdit Apost. Homo tu quis es,qui respõdeas Deo? Sic enĩ respõdet Deo cũ hoc displicet ꝙ de peccatorib⁹ cõqueritur Deus, quasi quẽquã De⁹ peccare cogat,si tantũmodo quibusdã peccãtibus misericordiã iustificationis suæ nõ largiatur: & ob hoc dicatur obdurare peccãtes quosdã,quia nõ eorũ miseretur,nõ quia impellit vt peccẽt. Eorum autẽ non miseretur,quibus misericordiã non esse præbendã æquitate occultissima & ab humanis sensibus remotissima iudicat. Inscrutabilia enim sunt iudicia eius,& inuestigabiles viæ ipsius. Conqueritur autẽ iustè de peccatoribus,tanquã de iis quos peccare ipse nõ cogit. Simul etiã vt hi quorum miseretur,hanc quoque habeant vocationem,vt dũ conqueritur Deus de peccatoribus,cõpungantur corde, atq; ad eius gratiã conuertantur. Iustè ergo conqueritur & misericorditer. Sed si hoc mouet, quòd voluntati ei⁹ null⁹ resistit,quia cui vult subuenit, & quẽ vult deserit: quum & ille cui subuenit, & ille quem deserit ex eadẽ massa sint peccatorum: & quãuis debeat vterque supplicium, ab vno tamẽ exigatur, alteri donetur. Si hoc ergo mouet, Homo,tu quis es qui respondeas Deo? Arbitror enim sub eadẽ significatione positum, quod dictum est, Homo,sub qua & illud dicitur, Nonne homines estis,& secundũ hominẽ ambulatis? Ibi enim carnales & animales notãtur hoc nomine,quibus dicitur, Non potui loqui vobis quasi spiritalibus,sed quasi carnalibus. & illud, Nondũ enim poteratis,sed neque adhuc potestis. Adhuc enĩ estis carnales. Et illud, Animalis autẽ homo nõ percipit quę sunt Spiritus Dei. His ergo dicitur, Homo tu quis es qui respõdeas Deo? Nũquid dicit figmentũ ei q̃ se finxit, Quare me sic fecisti? An nõ habet potestatem figulus luti ex eadẽ cõspersione facere aliud quidẽ vas in honorẽ, aliud in cõtumeliam? Eo ipso fortasse satis ostendit, se homini carnali loqui, quoniã hoc limus ipse significat, vnde primus homo formatus est. Et quia omnes, vt iam cõmemorauì, secundum eundẽ Apostolum in Adã moriuntur, vnã dicit esse conspersionẽ omnium. Et quanuis aliud vas fiat in honorẽ, aliud in contumeliam, tamẽ & illud quod fit in honorem, necesse est vt carnale esse incipiat, atque inde in spiritalẽ consurgat ætatem. Quandoquidem iam in honorem facti erant, & in Christo iam nati erant. Sed tamen quoniam paruulos adhuc alloquitur, etiam ipsos carnales appellat dicens, Nõ potui loqui vobis quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. Quasi paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escã. Neque enim poteratis: sed neque adhuc quidem potestis. Adhuc enim estis carnales. Quanuis ergo carnales eos esse dicat, tamen etiam in Christo natos, & in illo paruulos & lacte potandos. Et quòd adiungit, Nec adhuc quidem potestis: ostendit proficientes futurum esse vt possint, quia iam in eis spiritaliter renatis gratia fuerat inchoata. Ergo iam vasa erant in honorem facta, quibus adhuc tamen rectè diceretur, Homo,tu quis es, qui respõdeas Deo? Et si talibus rectè dicitur, multò rectius eis qui vel nõdum ita regenerati sunt, vel etiam in contumeliam facti. Illud tantũmodo incõcussa fide teneatur, quòd nõ sit iniquitas apud Deum, qui siue donet, siue exigat debitum, nec ille à quo exigit, rectè potest de iniquitate eius conqueri, nec ille cui donat, debet de suis meritis gloriari. Et ille enim nisi quod debetur non reddit, & ille non habet, nisi quod accepit. Sed enitendum est hoc loco, si Dominus adiuuet, videre, quemadmodum & verum sit quod scriptum est, Nihil odisti eorũ quæ fecisti. Et illud. Iacob dilexi, Esau autẽ odio habui. Si enim ꝓpterea Esau odio habuit: quia vas factum erat in cõtumeliã & aliud vas in honorẽ, aliud in contumeliam idẽ figulus fecit, quomodo nihil odisti horum quæ fecisti? Ecce enim odit Esau, quod vas ipse fecit in cõtumeliam. Qui nodus ita soluitur, vt intelligamus omnium creaturarũ esse artificẽ Deũ. Omnis autẽ creatura Dei bona est, & omnis homo inquãtum homo est, creatura est, nõ inquãtum peccator est. Est ergo creator Deus, & corporis & animi humani. Neutrum horum malũ, & neutrum odit Deus. Nihil enim odit eorum quæ fecit. Est autem animus præstantior corpore. Deus verò & animo & corpore, vtriusque effector & conditor: nec odit in homine, nisi peccatum. Est autem peccatum hominis, inordinatio atque peruersitas, id est, à præstantiore conditore auersio, & ad condita inferiora conuersio. Non igitur odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem. Sicut dicitur de Domino, In sua propria venit, & sui eum non receperunt. Quibus itẽ ipse dicit, Vos propterea non audistis, quia non estis ex Deo. Quomodo sui, quomodo nõ ex Deo? Nisi quia illud dictum est de hominibus, quos ipse Dominus fecerat, illud de peccatoribus quos ipse Dominus arguebat: iidem tamen ipsi & homines & peccatores, sed homines de cõditione, peccatores de propria voluntate. Cur ergo Iacob dilexit? nunquid peccator nõ erat? Sed dilexit in eo nõ culpã quam delebat, sed gratiam quã donabat. Nã & Christus pro impiis mortuus est, non tamen vt impii mortui permanerent, sed vt iustificati ab impietate cõuerterentur credẽtes in eum qui iustificat impium. Odit enim Deus impietatem. Itaque in aliis eam punit per damnationem, in aliis adimit per iustificationẽ, quẽ-

Psal. 28
Romano. 9
Romano. 11
Romano. 9
2. Corint. 3
2. Corin. 3
Romano. 9
1. Corint. 15
Sapient. 11.
Romano. 9
Malachi. 1
1. Timot. 4
Peccatum hominis quid sit.
Ioannis 1
Ioannis 1
Romano. 5
Romano. 4

admodum ipse iudicat esse faciendum illis iudiciis inscrutabilibus. Et quòd ex numero impiorum, quos non iustificat, facit vasa in cõtumeliam, non hoc in eis odit quod facit: quippe inquantũ impii sũt, execrabiles sunt, inquãtũ autẽ vasa fiunt, ad aliquẽ vsũ fiunt, vt per eorũ ordinatas pœnas, vasa quæ fiunt in honorẽ, proficiant. Non itaque odit Deus, nec in quãtum homines sunt, nec inquantum vasa sunt, id est, nec quod in eis fecit creando, nec quod
Sapien.11. in eis facit ordinãdo. Nihil enim odit eorum quæ fecit. Sed tamẽ quòd eos vasa fecit perditionis, ad vsum correctionis aliorum facit. Odit enim in eis impietatem, quam ipse non fecit. Sicut enim iudex in homine odit furtum, sed non odit quod datur ad metallum, illud enim fur, hoc iudex facit: ita Deus quòd ex cõspersione impiorum facit vasa perditionis, nõ odit quod facit, id est, opus ordinationis suæ, in pœna debita pereuntium, in qua occasionẽ salutis illi quorum miseretur, inueniant. Sic
Roma.9 Exod.7 Pharaoni dictum est, Ad hoc te excitaui, vt ostendam in te potentiam meam, vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra. Hæc demonstratio potentiæ Dei, & annuntiatio nominis eius in vniuersa terra, prodest eis vt timeant, vt vias suas corrigant, quibus vocatio
roma.9 talis congruit. Sic consequenter dicit, Si autẽ volens Deus ostẽdere iram, & demõstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, subaudi tur, Tu quis es qui respondeas Deo? Vt recurrente sententia ad verba superiora, iste sit sensus, Si volens Deus ostendere iram, attulit vasa iræ: tu quis es qui respondeas Deo? Non autem solùm volens ostendere iram, & demõstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem: sed etiã quod sequitur, Vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Quid enĩ prodest vasis perfectis in perditionem, quòd ea patienter Deus sustinet, vt ordinanter dispergat, vtatúrq; illis ad instrumẽtum salutis aliorũ, quorũ miseretur? Sed illis vtique prodest,
psalm.57 ad quorum salutem istis sic vtitur. Vt sicut scriptum est, Iustus manus lauet in sanguine peccatoris, id est, mundetur ab operibus malis per timorem Dei, cùm videt supplicia peccatorũ. Quod ergo volens Deus ostendere iram, attulit vasa iræ, valet ad vtilem aliis præstandum timorem, & vt notas faceret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam. Etenim obduratio illa impiorum vtrũq; demõstrat, & quid timendũ sit, vt quisq; pietate cõuertatur ad Deum, & quãtæ agẽdæ sint gratię misericordiæ Dei, qui in aliorũ pœna quid aliis donet ostẽdit. Si autẽ illa quã de aliis exigit nõ est iusta pœna, nihil donat aliis à quibus eã nõ exigit. Quia verò illa iusta est, & nulla est iniquitas apud vindicãtem Deum, quis sufficiat agere gratias ei qui hoc remittit,
Roma.9 quod si vellet exigere, nemo se rectè diceret non debere? Quos & vocauit, nos, inquit, nõ solùm ex Iudæis, sed etiam ex Gentibus, id est, vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriã. Nõ enim omnes Iudæos, sed ex Iudæis, nec omnes omnino homines Gentium, sed ex Gentibus. Vna est enim ex Adam massa peccatorum & impiorum, in qua & Iudæi & gentes remota gratia Dei ad vnam pertinent conspersionem. Si enim figulus luti ex eadẽ conspersione facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: manifestum est autem quòd ex Iudæis sunt alia vasa in honorem, alia in contumeliam, sicut ex Gentibus: sequitur vt ad vnã conspersionem omnes pertinere intelligãtur. Deinde incipit reddere attestationes Prophetæ singulis generibus conuerso ordine. Prius enim dixit conuersos ex Iudæis, posterius ex Gentibus. Prius autem reddit testimonium pro Gentibus, deinde pro Iudæis. Etenim sicut Osee dicit, Vocabo non plebẽ meã, plebẽ *romano.9* meã, & non dilectam meã, dilectã meã. Et erit *Osee.1* in loco vbi dictum est, Nõ populus meus vos: *1.Petri 2* ibi vocabuntur filii Dei viui: de Gentibus intelligitur dictum, quia non habebant destinatum vnum sacrificiorum locum, sicut Iudæi in Hierusalem. Missi sunt autẽ ad Gentes Apostoli, vt in loco suo quique crederent, & vbicunque credidissent, ibi sacrificium laudis offerrent, quibus dedit potestatem filios Dei *ioannis 1* fieri. Esaias autem, inquit, clamat pro Israel. *romano.9* Ne rursus omnes Israelitę in perditionem esse *Esa.10.* credantur, docet & inde facta alia vasa in honorem, alia in contumeliam. Si fuerit, inquit, numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ saluæ fient. Cætera ergo turba, vasa perfecta ad perditionem. Verbum enim consummans & breuians, inquit, faciet Dominus super terram, id est, vt compendio fidei per gratiã saluos faciat credentes, non per innumerabiles obseruationes, quibus illa multitudo seruiliter onerata premebatur. Per gratiam quippe nobis verbum consũmans & breuiãs fecit
Matth.11 super terram, dicens, Iugum meum leue est, & sarcina mea suauis est. Quod & paulò pòst hic *roma.10* dicitur, Propè est verbum in ore tuo & in cor *Deut.30* de tuo, hoc est verbũ fidei quod prædicamus: quia si confitearis in ore tuo, quia Dominus est Iesus, & credideris in corde tuo, quia Deo illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Hoc est verbum consummans & breuians quod fecit Deus super terram: qua consummatione atque breuitate latro iustificatus est, qui defixis in cruce omnibus membris, & habens libera hæc duo, cor de credidit ad iustitiam, ore confessus est ad salutem: statimque audire meruit, Hodie *Luce 23* mecum eris in paradiso. Consequerentur enim bona opera eius, si percepta gratia diu inter homines viueret. Sed tamen non ea præcesserant, vt eandem gratiam mereretur ex latrocinio fixus in cruce, ex cruce in paradisum

radisum translatus. Et sicut prædixit, inquit, Esaias, Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus. Quod hîc ait, Reliquisset nobis semen, hoc ibi, Reliquiæ saluæ fiant. Cæteri autem tâquam perditionis vasa debito supplicio perierunt. Et vt non omnes perissent sicut Sodoma & Gomorrha, non meritum eorum fecit, sed gratia Dei relinquentis semen vnde alia messis toto orbe consurgeret. Hoc & paulò pòst, Sic ergo, inquit, & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factę sunt. Si autem gratia, iam nõ ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia. Quid ergo? Quod quærebat Israel, hoc non est cõsecutus: electio autem consecuta est, cæteri verò excæcati sunt. Consecuta sunt vasa misericordiæ, excæcata sunt vasa iræ, ex eadẽ tamen conspersione, sicut in plenitudine Gentium. Est locus quidam Scripturę, ad rem de qua nunc agimus maximè necessarius, eadem quæ tractata sunt mira contestatione confirmans, in eo libro qui ab aliis Iesus Sirach, ab aliis Ecclesiasticus dicitur, in quo ita scriptum est, Et omnes homines de solo, & ex terra vnde Adam creatus est. In multitudine disciplinæ Dominus separauit eos, & immutauit vias eorũ. Et ex ipsis benedixit & exaltauit, & ex iis sanctificauit & ad se applicauit, & ex ipsis maledixit & humiliauit & conuertit illos ad dissensionem illorũ, quasi lutũ figuli in manu ipsi⁹, plasmare illud, & disponere. omnes viæ eius secundum dispositionem eius: sic homo in manu illius qui se fecit, & reddet illi secundum iudicium suum. Cõtrarium malo bonum est, & contra mortẽ vita est, sic & contra virum iustum peccator. Et sic intuere in omnem operam Altissimi: duo cõtra duo, vnum contra vnum. Primò hîc commendata est disciplina Dei. In multitudine, inquit, disciplinæ Deus separauit eos: vnde nisi à beatitudine paradisi? Et immutauit vias eorum, vt iam tanquam mortales viuerent. Tunc facta est vna massa omnium, veniens de traduce peccati & pœna mortalitatis, quanuis Deo formante & creante quæ bona sunt in omnibus. Est enim species & compago corporis in tanta membrorum concordia, vt inde Apostolus ad charitatem obtinẽdam similitudinem duceret in omnibus. Est etiam spiritus vitalis terrena membra viuificans, omnisque natura hominis dominatu animæ, & famulatu corporis conditione mirabili temperata: sed concupiscentia carnalis de peccati pœna iam regnans, vniuersum genus humanum tanquam totam & vnam conspersionem, originali reatu in omnia permanante confuderat. Et tamen sequitur, Ex ipsis benedixit & exaltauit, & ex ipsis sanctificauit & ad se applicauit: ex ipsis maledixit & humiliauit, & conuertit illos in dissensionem ipsorum. Tanquam Apostolo dicente, An non habet potestatem figulus luti ex eadẽ conspersione facere aliud vas in honorem, aliud in cõtumeliam? Ideóque illud quod contexitur, nec ab ea similitudine vacat. Quasi lutum, inquit, figuli in manu ipsius, plasmare illud & disponere. omnes viç eius secundũ dispositionẽ eius: sic homo in manu illius qui se fecit. Sed quia dicit Apostolus, Nũquid iniquitas apud Deũ? Vide & hîc quid adiungat, Reddet illi, inquit, secũdum iudicium suũ. Sed cùm damnatis iusta tribuũtur supplicia: tamẽ quia hoc ipsum in vsum cõuertitur, quo illi proficiãt, quibus præbetur misericordia: intende reliqua. Cõtrarium, inquit, malo bonum est, & cõtra mortem vita: sic contra virum iustum peccator: & sic intuere in omnẽ operã Altissimi: duo contra duo, vnum cõtra vnum. Vtique vt ex deteriorum cõparatione emineãt proficiántque meliora, quę tanquam per gratiã meliora sunt: tâquam diceret, Reliquiæ saluæ fiẽt. Sequitur & dicit ex persona reliquiarum, Et ego nouissimus vigilaui, & quasi qui racematur post vindemiatores. Et vnde probat, quia nõ ex meritis suis, sed ex misericordia Dei? In benedictione, inquit, Dei & ipse speraui, & quasi qui vindemiat repleui torcular. Quãuis enim nouissimus vigilauerit, tamen quia erunt, vt dictum est, nouissimi primi, in benedictione Domini sperans, ex reliquiis Israel racematus populus impleuit torcular ex vbertate vindemiæ, quæ toto orbe terrarum prouenit. Nulla igitur intentio tenetur Apostoli, & omnium iustificatorum, per quos nobis intellectus gratiæ demonstratus est, nisi vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Quis enim discutiat opera Domini, ex eadem conspersiõne vnum damnantis, alterũ iustificantis? Liberum voluntatis arbitriũ plurimum valet, imò verò est quidem: sed in venundatis sub peccato quid valet? Caro, inquit, concupiscit aduersus spiritum: spiritus autem aduersus carnem, vt non ea quæ vultis faciatis. Præcipitur vt rectè viuamus, hac vtique mercede proposita, vt in æternũ beatè viuere mereamur. Sed quis potest rectè viuere & bene operari, nisi iustificatus ex fide? Præcipitur vt credamus, vt dono accepto Spiritus sancti per dilectionem bene operari possimus. Sed quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerũ testificatione tangatur? Quis habet in potestate tali viso attingi mentẽ suam, quo eius voluntas moueatur ad fidem? Quis autẽ animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? Aut quis habet potestatẽ, vt vel occurrat quod eum delectare possit, vel delectet quum occurrerit? Quum ergo nos delectent, quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc & præbetur gratia Dei, non nutu nostro & industria aut operum meritis comparatur: quia vt sit nutus volũtatis, vt sit industria studii, vt sint opera charitate feruentia, ille tribuit, ille largitur: propterea petere iubemur vt accipiamus, & quærere vt inueniamus, & pulsare vt aperiatur nobis. Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est, vel potius frigida, & pene nulla, imò

Esaiæ 1

Roma. 11

1. Cor. 12

Romæ. 9

Matthæi 20

1. Corinth. 10

Roman. 7
Galat. 5

omnino interdū ita nulla, vt neque hoc in nobis cū dolore aduertamus, qùia si vel hoc delemus, iam oram⁹? Quid ergo aliud ostēditur nobis, nisi quia & petere, & quęrere, & pulsare ille cōcedit: quia vt hęc fugiamus iubet? Igitur non volētis neque currentis, sed miserētis est Dei, quādoquidem nec velle nec currere, nisi eo mouente atque excitāte poterim⁹. Quòd si electio hìc fuit aliqua, vt sic intelligamus quod dictum
Roman. 9 est, Reliquię per electionem gratiæ saluæ factę sunt, nō vt iustificatorum electio fiat ad vitam æternam, sed vt intelligantur qui iustificentur. certè ita occulta est hæc electio, vt in eadē consperſione nobis prorsus apparere non possit. Aut si apparet quibusdā, ego in hac re infirmitatem meam fateor. Non enim habeo quod intuear in eligēdis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen huius electionis aliqua cogitatione permittor, nisi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel \ trunque: addamus etiam si placet, honestas vtilésq; doctrinas. Quisquis ergo fuerit, quàm minimis peccatis irretitus atque maculatus (nam nullis quis potest?) & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligēdus videtur ad gratiam. Sed cùm hoc statuero,
1. Corinth. 1 ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit, vt confundat fortia, & stulta mundi vt cōfundat sapientes, vt eum intuens & pudore correctus, ego irrideam multos, & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam piscatoribus oratores. Nonne aduertimus multos fideles nostros ambulantes viam Dei, ex nulla parte ingenio comparari, non dicam quorundam hæreticorum, sed etiam mimorum? Item non videmus quosdam homines vtriusque sexus, in coniugali castitate viuentes sine querela, & tamen vel hæreticos, vel paganos, vel etiam in vera fide & vera Ecclesia sic tepidos, vt eos miremur meretricū & histrionum subitò conuersorum, non solùm patientia & temperantia, sed etiam fide, spe, charitate superari? Restat ergo vt voluntates eligantur: sed voluntas ipsa nisi aliquid occurrerit quod delectet atque inuitet animum, moueri nullo modo potest. Hoc autem vt occurrat, non est in hominis potestate.
Actorum 8, 9 Quid volebat Saulus, nisi vt inuaderet & traderet, vinciret, & necaret Christianos? Quā rabida volūtas, quàm furiosa, quàm cęca? qui tamen vna desuper voce prostratus, occurrente vtique tali viso, quo mens illa & voluntas refracta sęuitia retorqueretur & corrigeretur ad fidem, repētè ex Euangelii mirabili persecutore mirabilior prædicator effectus est. Et tamen
Rom. 9 quid dicemus? Nunquid iniquitas est apud Deum, exigentem à quo placet, donantem cui placet, qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum? Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit. Quare tamen & huic ita, & huic nō ita? Homo, tu qui es? Debitum si non reddis, habes quod gratuleris: si reddis, non habes quod queraris. Credamus tantùm, & si capere non valemus, quoniam qui vniuersam creaturam, & spiritalem & corporalem fecit & condidit: omnia in numero & pondere & mensura disponit. Sed inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Dicamus Allelu-ia, & collaudemus canticum, & nō dicamus, Quid hoc? vt quid hoc? Omnia enim in tempore suo creata sunt.

DIVI AVRELII AVGVstini, ad Simplicianum Mediolanensis Ecclesiæ Episcopum, de solutione quarundam quæstionum, ex libris Regum, liber secundus.

SAtis de Apostolo me ad proposita respondisse existimo: nunc ad ea quæ de libris Regnorum requisisti, aliud volumen aggrediar, quæ sicut multa & propè omnia veterum librorum figuratiora sunt, & mysteriorum velaminibus inuoluta. Quanuis enim ex eo quod transierimus ad Christum, auferatur velamen: tamen videmus nunc in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Velamen quippe omni modo intercludit aspectum: ænigma verò tanquam per speculum, sicut idem Apostolus ait, Videmus nunc per speculum in ænig- 1. Corinth. 13
mate, nec euidentissimam detegit speciem, nec prorsus obtegit veritatem. Aggrediar ergo & ista, duce Domino, tuis potius subleuatus orationibus, quàm iussionibus aggrauatus. Præsertim quia in epistola tua hoc te intellexi quærere, quid hæc in Prophetia significent, in quo reuera obtēperarem, nisi esset difficillimum, quia & de tota eorundem contextione librorum ducenda est intentio, & si esset promptior intellectus, magnitudo tamē operis impediret, quę si subeunda est prolixius otium tempúsq; flagitat. Sed nunc ipsas rerū proprietates gestarū, quæ his verbis, quorum à te facta commemoratio, significātur, quomodo intelligerē nosse dignatus es, & meis literis aperiri.

Et primùm quidem quod de primo Regno- 1
rum libro iussisti, vt exponerem, quomodo dic- 1. Reg. 10, & 16
tum sit, Et insiluit Spiritus Domini in Saul. Cùm alibi dicat, Et insiluit spiritus Domini malus in Saul. Ita enim scriptum est, Et factum est quum conuerteret humerum suum, vt iret à Samuel, conuertit Deus in Saul cor aliud, & venerunt omnia signa illa die: & venit inde in collem, & ecce chorus Prophetarum in obuiam illi, & insiluit in illum Spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum. Prædixerat enim hæc illi Samuel, quum eum iussus vnxisset. Et hoc quidem non puto habere aliquid
Ioannis 3 quęstionis. Spiritus enim vbi vult spirat, & Spiritum Prophetię nullarū animarū potest maculare cōtactus. Attingit enim vbiq; propter suā munditiam. Afficit enim omnes, nō eodē modo: sed alios per informationē spiritus eorundem hominum, vbi rerum demostrātur imagines, alios per fructum mentis ad intelligētiam, alios vtraque inspiratione, alios etiā nescientes.

Per

Per informationē Spiritus duobus modis. Aut per ſomniū, ſicut nō ſolùm plerique Sācti, ſed Pharao & Nabuchodonoſor. vterq; vidit quod nemo eorum intelligere valebat, ſed tamen vterque videre poterat. Aut per demōſtrationē in ecſtaſi, quod nonnulli Latini ſtuporē interpretantur: mirum ſi propriè, ſed vicinè tamen, cùm ſit mentis alienatio à ſenſibus corporis, vt ſpiritus hominis diuino Spiritu aſſumptus, capiendis atque intuendis imaginibus vacet: ſicut Danieli demonſtratum eſt, quod nō intelligebat, & Petro illud vas ſubmiſſum de cælo quatuor linteis: nā & ipſe quid illa demōſtratio figuraret, poſtea cognouit. Per fructum autē mētis ad intelligentiam vno modo, cùm hæcipſa quæ demōſtrantur imaginibus, quid ſignificēt, & quò pertineant reuelātur, quæ certior Prophetia eſt: nam magis ipſam vocat Apoſtolus Prophetiam, ſicut Ioſeph meruit intelligere, quod Pharao nō niſi videre, & Daniel exponit regi, quod ille cernit, & neſcit. Cū verò ita mēs afficitur, vt nō rerū imagines coniecturali examinatione intelligat, ſed res ipſas intueatur, ſicut intelligitur ſapientia & iuſtitia, omníſque incōmutabilis & diuina ſpecies, ad Prophetiā, de qua nunc agimus, nō pertinet. Vtroque autē munere Prophetiæ donādi, qui & rerum imagines in ſpiritu vidēt, & quid valeant ſimul intelligunt, aut certè manifeſtis locutionib⁹ in ipſa demonſtratione informantur, ſicut in Apocalypſi quędam exponuntur. Neſcientes autē afficit Prophetię ſpiritus, ſicut Caiphas, cùm eſſet Pōtifex, prophetauit de Domino, quòd expediret vnum mori pro tota gēte: cùm aliud in verbis, quæ dicebat, attenderet, quę non ſe à ſe ipſo dicere neſciebat. Abundāt in ſācris libris exēpla, & res tuæ prudentię notiſsimas loquor. Non enim iſta diſcis à me: ſed in eis quæ percōtando probas, & cognoſcere cupiēs proficiētem, & corrigere paratus errantem. Hoc autem verbo quod poſitū eſt, Et inſiluit in eum Spiritus, tanquā ex abdito diuinitatis ſecreto, repētinus ſignificatur afflatus. Horū igitur modorū quonā potius affectum eſſe intelligamus Saul, ſatis apparet ex eo quod ibi ſcriptum eſt, Cōuertit Deus in Saul cor aliud. Sic enim aliā cordis affectionē ſignificat, quia conuertēdo fecit Deus, vt imaginum ſignificātium & prefigurātium capax fieret ad Prophetica diuinationem. Tātum autē diſtat inter prophetiam Prophetarum, ſicut Eſaias, ſicut Hieremias, & cęteri huiuſmodi fuerunt, atq; iſtam tranſitoriā, quæ in Saul apparuit, quātum diſtat inter loquelā humanam, quā loquūtur homines, & cum eadē loquela humana propter neceſſarium prodigium aſina locuta eſt, in qua ſedebat Balaam Prophe ta. Accepit enim hoc ad tēpus illud iumētum, vt Deus quod ſtatuerat demōſtraret, non vt habitu perpetuo beſtia loqueretur. Aut ſi hoc exemplum maiore differētia remotum eſt, multò minus mirandū eſt homini reprobo datā fuiſſe ad momētum temporis affectu trāſitorio Prophetiam, quādo ille dederat, qui & aſinā, cùm voluit, loqui fecit. Magis enim diſtat pecus ab homine, quàm homo reprobus ab electis, ſed tamen ab hominibus. Nō enim ſi quiſquā dixerit aliquid quod adſapientiam pertinet, continuò ſapiēs exiſtimādus eſt, ſicut nec quiſquam ſi aliquando prophetauerit, iā inter Prophetas numerabitur: cùm & Dominus in Euāgelio dicat quoſdā cum gaudio verbum excipere, & radicis altitudinem non habere, ſed eſſe tēporales. Ideóq; ſicut cōſequens indicat lectio, factū eſt in parabolā, Et Saul inter Prophetas. Hoc igitur mirari deſinamus, cùm in hominibus apparet diuinitus aliquid, quorū vel meritū vel habitum excedit, cùm fortè vult Deus cuiuſdā ſignificationis gratia tale aliquid demonſtrari. Si autē hoc mouet, quòd Saul malo ſpiritu inuadēte prefocabatur, qui prius Prophetię ſpiritū acceperat: neque hoc mirādum eſt. Illud enim factum eſt ex diſpenſatione aliquid ſignificādi, hoc ex merito vindicandi. Nec mouere nos debent hæc alternantia in animo humano, hoc eſt, in creatura mutabili, pręſertim eo tēpore, quo caro corruptibilis mortaliſque portatur. Aut non videmus in ipſo Petro, vt indicat Euāgelium, extitiſſe tantā cōfeſſionem, vt audire meruerit, Beatus es Simon Bariona, quia nō reuelauit tibi caro & ſanguis, ſed Pater meus qui in cælis eſt: & paulò pòſt tā carnaliter eum de Domini paſsione ſentiſſe, vt ſtatim audiret, Vade poſt me ſatanas, ſcandalum mihi es: nō enim ſapis quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum? Et fortaſſe aliquantò interius intelligētibus, tantum valet ad viſa illa mentis hæc differētia, qua Petrus primò intellexit Deo Patre reuelante, quòd Filius Dei eſſet Chriſtus, & poſtea ne moreretur extimuit, quantum valet ad diſtinguenda viſa, quæ in ſpiritu hominis alienata mente imaginariè fiunt, reuelatio Prophetiæ, qua primò afflatus eſt Saul, & commixtio ſpiritus mali, quo poſtea premebatur. Iam verò illud quòd etiā malus appellatus eſt ſpiritus Domini, ſic intelligitur, quomodo dictū eſt, Domini eſt terra, tanquam creatura, & in eius poſita poteſtate. Aut ſi ꝓpterea nō cōgruit hoc locutionis exēplum, quia terra non eſt mala (omnis enim creatura Dei bona eſt) illud cōgruat quod ipſe Saul iam reprobus & ſceleratus, atq; ingratus ſancto Dauid, ꝑſecutor etiam eius, quum ſæuiſsimæ inuidiæ facibus agitaretur, tamen adhuc Chriſtus Domini dicebatur, ſicut eum appellauit ipſe Dauid, cùm vindicauit extinctum. Sed magis arbitror malignum ſpiritum, à quo ipſe vexabatur Saul, ideo dictum ſpiritum Domini, quòd occulto Domini iudicio Saulē vexabat. Vtitur enim Deus miniſtris etiam ſpiritibus malis ad vindictam malorum, vel ad bonorum probationem, alio modo ad illam rem, alio ad iſtam. Quanuis enim inde ſit quiſque malignus ſpiritus, quia mala voluntate nocere appetit, tamen nocendi poteſtatē non accipit, niſi ab illo, ſub quo ſunt omnia certis & iuſtis

Genes. 41 Daniel. 2 & 4

Actorum 10

2. Corinth. 13

Ioannis 11

Numer. 22

Matth. 13

1. Reg. 10

Matth. 16

1. Reg. 16

psalm. 23

1. Timoth. 4

2. reg. 1

meritorũ gradibus ordinata: quia ſicut non eſt mala voluntas à Deo, ſic non eſt poteſtas niſi à
Roma. 13 Deo. Quanquam enim ſit in cuiuſque poteſtate quid velit, non eſt tamen in cuiuſque poteſtate quid poſsit vel facere cuiquã, vel à quoquã pati. Nã & ipſe Filius vnicus Dei paſſurus ad tempus humiliter, homini ſuperbè loquenti & dicenti, quòd poteſtatem haberet occidendi
Ioannis 19 eum vel dimittẽdi, Non haberes, inquit, in me poteſtatẽ, niſi data tibi eſſet deſuper. Diabolus etiã volẽs nocere iuſto viro Iob, nocẽdi quidẽ voluntate diabolus erat, ſed tamen à Domino Deo poteſtatem petebat, dicens, Mitte manum, & tange carnem eius: quanuis hoc eſſet ſi permitteretur ipſe facturus: ipſam etiã permiſſionem petebat hoc modo, & manum Domini appellabat permiſſam à Domino manũ ſuã, id eſt, ipſam poteſtatẽ, quã volebat accipere. Cui cõgruit illud in Euãgelio, quod Dominus diſcipulis ſuis ait,
Luca 22 Hac nocte poſtulauit ſatanas vexare vos ſicut triticum. Dictus eſt ergo ſpiritus Dei malus, hoc eſt, miniſter Dei ad faciendum malum in Saul, quod eum pati Iudex omnipotentiſsimus iudicabat: quoniam ſpiritus ille, quia malus erat, non erat Dei creatura vera, qua conditus erat, & poteſtas, quam non ſua, ſed Domini omnium æquitate acceperat, Dei erat. Verba etiam ipſa Scripturarum ita ſe habent,
1. reg. 16 Et perrexit, inquit, Samuel, & abiit in Ramatha, & ſpiritꝰ Domini receſsit à Saul, & apprehẽdit eum ſpiritus malignus à Domino, & ſuffocabat eũ. Et dixerũt pueri Saul, Spiritus Domini malignꝰ ſuffocat te. Hoc igitur à pueris eius quomodo ſit dictum, Spiritus Domini malignus, ſuperiora verba indicant narrantis Scripturæ, & dicentis, Spiritus malignus à Domino. Secundum enim hoc inquità Domino, quia per ſeipſum velle necare habebat, id eſt, cõprehendere Saul: poſſe autẽ non habebat, niſi ſibi iuſtitia ſineret. Si enim iuſtè vin-
Roman. 1 dicat Deus, quemadmodum ipſe dicit Apoſtolus, quum tradit homines in cõcupiſcentias cordis eorum, non mirum ſi nihilominus iuſtè vindicans, tradit eos etiam in concupiſcentias aliorum nocere volẽtium, ſua ſemper incõmutabili æquitate ſeruata. Animaduertẽdum ſanè cũ additamento dici, Spiritus Dei malus. Cùm autem tãtummodo dicitur, ſpiritus Dei, etiã ſi non addatur Bonus, ex hoc intelligitur bonus. Vnde apparet bonum ſpiritum ſecũdum ſubſtantiã: malum autẽ ſecundũ miniſterium dici ſpiritũ Dei. Quanquã quæri adhuc poſsit, vtrũ quum ſpiritus Dei dicitur, & ex hocipſo iam etſi nihil addatur, intelligitur Bonus, ille intelligatur qui eſt in Trinitate cõſubſtantialis Patri & Filio Spiritus ſanctus, de quo dicitur, Vbi autem ſpiritus Domini, ibi libertas. Et iterum,
2. Corinth. 3 Nobis autẽ reuelauit Deꝰ per Spiritum ſuum. Et illud, Sic & quę Dei ſunt, nemo ſcit, niſi ſpiritꝰ Dei. Et multis locis hoc modo dicitur ſpiritus Dei, & intelligitur Spiritꝰ ſanctus, etiã ſi nõ addatur, quoniã ea quæ circunſtant, ſatis indicant de quo dicatur, ita vt aliquando nec Dei addatur, & intelligatur tamen ille ſpiritus Dei principaliter ſanctus. Nã quem alium commemorat, vbi dicit, Ipſe Spiritus teſtimonium dat Roman. 8
ſpiritui noſtro, quia ſumus filii Dei. Et ipſe Spiritus adiuuat infirmitatẽ noſtrã. Et hęc omnia 1. Cor. 12
operatur vnus atque idẽ Spiritus, diuidens ſingulis prout vult. Et diuiſiones donationũ ſunt, idem autẽ Spiritus. His enim omnibus ſententiis, nec Dei nec ſanctus eſt additũ, & tamẽ ipſe intelligitur. Sed neſcio vtrũ manifeſto aliquo exẽplo probari poſsit, alicubi ſpiritum Dei dictum ſine additamẽto, vbi Spiritus ille ſanctus nõ ſignificetur, ſed aliquis, quãuis bonus, creatus tamen & conditus. Quæ proferuntur enim dubia ſunt, & indigent clariore documento, ſicut illud quod ſcriptum eſt, Spiritus Dei fere- Genes. 1
batur ſuper aquas. Nã & ibi Spiritum ſanctum accipere quid impediat, non inuenio. Cùm enim aquarũ nomine illa materies inſinuaretur informis, quæ de nihilo facta eſt, vnde omnia fierẽt: quid prohibet intelligere Spiritũ ſanctũ Cõditoris, quòd ſuperferebatur huic materiæ, nõ locorũ gradibꝰ, interualliſq; ſpatiorũ, quod nequaquã de vlla re incorporea rectè dicitur: ſed excellẽtia & eminẽtia dominãtis ſuper omnia voluntatis, vt omnia cõderentur, præſertim cùm ea locutio, ſicut illarum ſcripturarum mos eſt, etiam Propheticum quoddã ſonet myſterium, quo futuri Baptiſmatis ex aqua & Spiritu ſancto naſcituri populi præfigurarentur? Non ergo cogit quod dictum eſt, Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas, illum intelligere ſpiritũ, ſicut nõnulli intelligunt, quo mundi moles vniuerſa iſta corporea, velut animatur ad miniſterium quorunque gignẽtium, & in ſua ſpecie cõtinendarum corporalium creaturarũ. Creatura eſt enim quidquid eſt tale. Illud etiã quod
Sapient. 1 ſcriptum eſt, Quoniã ſpiritꝰ Domini repleuit orbem terrarũ, non deſunt qui eundem Spiritum velint accipere, inuiſibilẽ ſcilicet creaturã cuncta viſibila vniuerſali quadam conſpiratione vegetantẽ atque continẽtem. Sed neque hìc video quid impediat intelligere Spiritum ſanctum, cùm ipſe Deus dicat apud Prophetam, Cælum & terrã ego impleo. Nõ enim ſine ſuo Hieremi. 23
Spiritu ſancto implet Deus cælum & terram. Quid ergo mirum, ſi de Spiritu ſancto eius dictum eſt, Repleuit orbẽ terrarum? Aliter etiã replet ſanctificãdo, ſicut de Stephano dicitur,
Actorum 6 Repletus eſt Spiritu ſancto: & de cæteris talibus. Aliter autem replet ſanctificante gratia, ſicut quoſdam Sanctos: aliter atteſtante atque ordinãte præſentia, ſicut omnia. Quamobrem neſcio vtrùm certo aliquo documento Scripturarum poſsit oſtendi, cùm ſine vllo additamẽto dicitur, Spiritus Dei, vel ſpiritus Domini, aliquid aliud ſignificari quàm Spiritũ ſãctũ. Sed etſi eſt forte aliquid quod in præſẽtiarũ nõ occurrat, illud certè arbitror non temerè dici, quoties in ſanctis eloquiis cõmemoratur ſpiritus Dei, neque additur aliquid, ſiue ille Patri

&

& Filio cõsubstantialis Spiritus sanctus, siue aliqua creatura inuisibilis intelligatur: malũ tamen non posse intelligi, nisi addatur etiam malus. Malo enim quia bene vtitur Deus ad ministerium iudicii sui, appellatur etiã ipse Spiritus Dei ad vindictã malorum, & disciplinã & probationẽ bonorum. Nec illud mouere iã nos debet, quod postea scriptũ est eundẽ Saulẽ Spiritu Dei super se facto prophetasse: quoniã post bonum spiritum spiritus malus, & rursum post malũ bonus. Hoc enim fit nõ mutabilitate Spiritus sancti, qui est incommutabilis cum Patre & Filio: sed mutabilitate animi humani, Deo cuncta distribuẽte, siue malis pro merito damnationis vel emẽdationis, siue bonis pro largitate gratiæ suę. Quanquã videri possit etiã idẽ fuisse Dei Spiritus semper in Saul: malus autẽ illi, quòd eius sanctitatis capax nõ esset. Sed nõ rectè hoc videtur. Tutior est enim ille sensus & verior, vt pro mutabilitate affectionis humanæ Spiritus Dei bon⁹ bene afficiat, vel ad Prophetiã vel ad opus quodlibet aliud in munere Diuino: afficiat autem mal⁹ malè, qui propter ministerium Diuinæ pietatis omnia distribuẽtis, & omnibus rectè vtẽtis, dicitur & ipse Spiritus Dei, præsertim quia dictum est, Recessit ab eo
1.Reg.16 Spiritus Dei, & apprehendit eum spiritus malign⁹ à Domino. Nullo enim pacto potest idem videri recessisse & apprehendisse. Porrò autẽ in nõnullis exẽplaribus, & eis maximè, quę de lingua Hebræa ad verbum videtur expressa, inuenitur spiritus Dei sine additamento positus, & intelligitur malus, ex eo quod arripiebat Saul, & reficiebat eum Dauid tãgendo citharã. Manifestũ est tamen, non additũ Malus, quia paulò superius iam dictũ erat, & de vicinitate Scripturę subaudiri & intelligi poterat. Ita enim in huiusmodi exemplaribus legitur, Igitur quandocũque spiritus Domini arripiebat Saul, tollebat Dauid citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat: recedebat enim ab eo spirit⁹ mal⁹. Siue ergo quod hic non est dictum, spiritus Dei, sed tantummodo spiritus malus, quod ibi minus dictum erat, tanquam redditum apparet, siue quia superius ita positum erat, Et dixerunt serui Saul ad eum, Ecce spiritus Dei malus exagitat te: iubeat Dominus noster, & serui tui qui coram te sunt, quærant hominem scientẽ psallere citharam, vt quando arripuerit te spiritus Dei malus, psallat manu sua & leuius feras. Non opus erat cùm rursum diceretur, quãdocunque spiritus Dei arripiebat Saul, addere Malum: quia notum erat de quo nunc diceretur. Veruntamen illa quæstio maior est, & non transitoria animi intentione rimanda, quòd cùm Saul perse-
1.reg.18.&19 queretur Dauid innocentem, plenus inuidia, & liuore vesanus, factus est super eũ Spiritus Dei, & ambulabat ingrediẽs, & prophetabat. Non enim potest hic nisi Spiritus bonus intelligi, per quem sancti Prophetę futurarum rerum imagines & visa cernebant, non ex eo tantùm quia dictum est, Et prophetabãt: nam in exemplaribus, quæ sunt ex Hebræo, hoc quoque inuenitur de spiritu malo dictum ita, Post diem autem alterum inuasit spiritus Dei malus 1.reg.18
Saul, & pphetabat in medio domus suæ. Et in aliis diuinarum Scripturarũ locis sępe inuenitur, quòd Prophetia non tantùm bona, sed etiam mala dicatur: & Prophetę dicti sunt Baalim, & exprobratũ est quibusdã, quia prophetabant in Baal. Non ergo necesse est intelligi propterea bonum spiritum, qui factus est super Saul, postea quia dictum est, Et ambulabat ingrediens, & prophetabat: sed quia sine additamento positum est, Factus est spiritus Dei super eum. Non enim sicut in illo loco dictum erat suprà, Spiritus Dei malus, vt ex hoc posset etiam in consequentibus subaudiri: quinimo superiora magis attestantur illum spiritum Dei bonum fuisse, & verè Propheticum. Dauid enim erat cum Samuele, & misit Saul nuntios, qui apprehẽderent Dauid. Quoniam autem Samuel erat inter Prophetas, & cœtum 1.reg.19
Prophetarum, qui illo tempore prophetabant, nuntii qui missi sunt, accepto eodem spiritu prophetauerunt, missisque aliis hoc contigit, & tertiis nihilominus. Postea cùm & ipse Saul venisset, factus est etiã super eum spiritus Dei, & prophetabat & ipse, & ambulabat ingrediẽs, & prophetabat. Quum enim dicitur, Et factus est super ipsos spiritus Dei, & prophetabant: & ipse idem vtique erat Spiritus, qui erat in Prophetis, inter quos & Samuel inuentus est, & ex hoc vtique necesse est intelligi illũ bonum spiritum. Atque ideo quæstio diligenter discutienda est, quomodo & illi qui missi essent ad tenendum hominem, & ad necem adducendum, tali spiritu affici meruerunt, & Saul ipse qui miserat, veniens, & ipse sanguinem innocentem quærens effundere, accipere meruit illum Spiritum, & prophetare. Hîc nimirum occurrit illud, quod Apostolus Paulus apertissimè exponit supereminẽtem viam demonstrans, Si linguis hominũ loquar, inquit, & Angelorum, charitatem autẽ non habeam, factus 1.Corinth.13
sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniẽs. Et si habuero Prophetiã omnẽ, & scio omnia sacramenta, & omnem scientiam, & habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero omnem substãtiam meam, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Quo in loco manifestum est eum munera illa cõmemorasse, quæ Spiritus sancti diuisionibus dãtur, sicut superius dicit, Vnicuiq; autẽ datur 1.Corinth.12
manifestatio Spiritus ad vtilitatem, alii quidẽ per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundẽ Spiritum: alteri autem fides in eodẽ Spiritu, alii donatio curationum in vno Spiritu, alii operationes virtutum, alii Prophetia, alii diiudicatio spirituũ, alteri genera linguarum. Omnia autem hęc operatur

vnus atq; idem Spiritus, diuidēs singulis prout vult. Satis ergo apparet inter dona sancti Spiritus esse Prophetiā: quam tamen si quis habeat, & charitatē non habeat, nihil est. Ex quo intelligitur fieri posse, vt quidam etiam indigni vita æterna regnóq; cælorū, aspergātur tamen quibusdam Spiritus sancti muneribus, non habentes charitatē, sine qua illa munera nō nihil sunt, sed nihil eis ꝓsunt. Prophetia quippe sine charitate, sicut demonstratum est, non perducit ad regnum Dei: charitas verò sine Prophetia vtique perducit ad regnū Dei. Cùm enim loquēs de membris Christi, ait, Nūquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? indubitanter ostēdit etiā eum qui Prophetiā non habet, posse in mēbris Christi numerari. Vbi quē locum haberet, si charitatē, sine qua homo nihil est, non haberet? Nullo autem modo ita diceret, quādo de membris ageret, quibus Christi corpus impletur, Nunquid omnes habent charitatem? quemadmodum dixit, Nunquid omnes Apostoli? Nūquid omnes Prophetæ? Nūquid omnes virtutes? Nunquid omnes dona habent curationum? & cætera huiusmodi. Sed dicit aliquis, posse quidem fieri, vt Prophetiam quisque non habeat, & tamen habeat charitatem, atq; ideo Christo annumeratus inhæreat: sed fieri non posse vt Prophetiā habeat, & non habeat charitem: nihil enim est homo habens Prophetiam sine charitate. Ita fortasse quemadmodum possumus dicere, nihil esse hominē habentem animam sine mente: non quia potest inueniri homo, qui mentem non habeat, habēs animam, sed quia nihil esset, si inueniri posset. Sic etiam dici potest, Si corpus figuram habeat, colorem nō habeat, videri nō potest: non quia sit corpus, cui desit color, sed quia si deesset, cerni nō posset. Ita fortasse dictū est, quòd si quis habeat Prophetiam, & charitatem non habeat, nihil est: non quia potest in quoquam Prophetia esse sine charitate: sed quia si esset, prodesse non posset. Opus est igitur ad soluendam istam quæstionem, vt ostēdamus aliquem reprobū hoc donū habuisse Prophetiæ. Quòd si alium neminem inueniremus, hoc isteipse Saul satis ostenderet. Sed tamen ille etiam Balaam reprobus apparet. *Numer. 24* Non enim eum tacet Scriptura Diuino iudicio esse damnatum, & tamen Prophetiam habebat: & quia charitas ei deerat, inerat voluntas maledicendi populo Israelitico, quam hostis pretio comparauerat, qui eum ad maledicendum mercede conduxerat: dono tamen illo prophetandi, quo aspergebatur, benedicebat inuitus. Nec verba illa parum attestantur huic sententiæ, quæ in Euangelio scripta sunt, multos dicturos in illa die, Domine, Domine, coram te manducauimus & bibimus, & in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus: quibus tamen dicturus est, Non noui vos: recedite à me operarii iniquitatis. *Luæ 13 Matthæi 7* Non enim eos mentientes putabimus ista dicturos in illo iudicio, vbi nullus erit fallendi locus, aut vllam vocem talium legimus dicentium, Dilexímus te. Poterunt ergo dicere, In nomine tuo prophetauimus, quum sint improbi. Non autem poterunt dicere, Dilectionem quam mandasti tenuimus. Nam si dicent, Non eis respondebitur, Non noui vos. In hoc enim cognoscetur, *Ioannis 13* inquit, quia discipuli mei estis, si vos inuicem diligatis. Exemplum itaque huius Saul, resistit superbis nōnullis hæreticis, qui vel aliquid boni de muneribus sancti Spiritus negāt posse dari eis, qui ad Sanctorū sortes non pertinēt, cùm eis dicimus habere illos posse sacramentū Baptismi, quod quum ad Ecclesiam catholicā veniunt, non est in eis vllo modo violandum, aut quasi non habeant tradendum: sed tamen eos non ideo saluti debere cōfidere, quia non improbam⁹, quod illos accepisse credimus: sed oportere cognoscere vnitatis societatē vinculo charitatis ineundā, sine qua omnino quidquid habere potuerint, quanuis per se sanctum ac venerandum: ipsi tamen nihil sunt, tantò indigniores effecti vitæ æternæ præmio, quantò illis donis non bene vsi sunt, quæ in hac vita, quæ transitoria est, acceperunt. *1. Corinth. 13* Non autem bene vtitur nisi charitas, & charitas omnia tolerat: atque ideo non scindit vnitatem, cuius ipsa est fortissimum vinculum. *Matth. 25* Non enim & seruus ille non accepit talentum, aut aliquid aliud intelligitur talentum, quàm munus aliquod Diuinum. Sed qui habet dabitur ei: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Quod non habet, auferri non potest: sed aliud non habet, vt meritò auferatur quod habet. Non habet charitatem vtēdi, vt auferatur quidquid aliud habet, quod sine charitate non prodest. Non igitur mirum est regem Saul & eo tempore, quo primùm vnctus est, accepisse spiritum prophetandi, & postea quum esset propter inobedientiam reprobatus, recedente ab eo Spiritu Domini, arreptum esse maligno spiritu à Domino: qui etiam ipse spiritus Domini appellatus est propter ministerium, quia omnibus etiam spiritibus malis bene vtitur Dominus, vel ad damnationem quorundam, vel ad probationem: & quanuis non sit malignitas à Domino, non est tamen potestas nisi à Deo. Dictúmque est etiā, Sopor Domini occupauerat milites eiusdem Saul, quum *1. Reg. 26* Dauid hastam & cyphum abstulisset à capite dormientis, non quia tunc sopor in Domino erat, vt ipse dormiret: sed quia ille sopor, qui tunc homines apprehenderat, nutu Dei erat infusus, ne Dauid & seruorum eius in eo loco præsentia sentiretur. Neq; illud mirum est rursum eundem Saul accepisse spiritum prophetiæ, quum persequeretur iustum, & eum com- *1. Reg. 19* prehensurus & necaturus venisset in locum vbi erat congregatio Prophetarum. Sic enim satis monstratum est, neminē de tali munere iam securum esse debere, tanquam sit acceptissimus Deo, si non habeat charitatem: quādoquidem illud

illud donum & Sauli dari potuit propter arcanum quiddã alicuius ſacramenti: ſed tamen dari potuit reprobato, inuido, & ingrato, & reddenti mala pro bonis, & ne poſt ipſam quidem acceptionem Spiritus correcto in melius atque mutato.

11 Age iam videamus quomodo dictum ſit,
1.Reg.15 Pœnitet me quòd conſtituerim regem Saul. Quæris enim, non vtique in talium verborum intellectu rudis, ſed rudimenta explorans mea paterno ſtudio & benigna cura, quomodo pœniteat aliquid Dominum, in quo ſit omnis prę-ſciẽtia. Ego verò cùm hoc de Domino dicitur, indignum aliquid dici arbitrarer, ſi aliquid dignũ inueniretur, quod de illo diceretur. Cùm verò verba omnia, quibus humana colloquia conferuntur, illius ſempiterna virtus & Diuinitas mirabiliter atq; incunctanter excedat, quicquid de illo humanitus dicitur, quod etiam hominib⁹ aſpernabile videatur, ipſa humana admonetur infirmitas, etiam illa, quæ cõgruenter in Scripturis ſanctis de Deo dicta exiſtimat, humanę capacitati aptiora eſſe quã Diuinæ ſublimitati: ac per hoc etiã ipſa eſſe tranſcendenda, eſt ſanior intellectus, ſicut iſta qualicũque trãſcenſa ſunt. Quis eſt enim hominum, cui non occurrat in Deo cuncta prę-ſciente, pœnitentiã eſſe non poſſe? Et certè tamen hæc duo verba ſunt, Pœnitentia & præſcientia: quorum quia vnũ congruè credimus in Deo, id eſt, præſcientiam, negamus in eo eſſe pœnitentiam. Quum verò alius liquidiore conſyderatione iſta pertractans, quæſierit quẽadmodum vel ipſa præſcientia Deo congruat, & inuenerit huius etiã verbi notionem illius ineffabili Diuinitate lõgè latéque ſuperari, non miretur vtrunque de illo propter homines dici potuiſſe, de quo vtrunque propter ipſum incongruè diceretur. Quid eſt præſcientia, niſi ſcientia futurorum? Quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora? Si enim in ſcientia res ipſas habet, non ſunt ei futuræ, ſed prętentes, ac per hoc non iam præſcientia, ſed tantùm ſcientia dici poteſt. Si autem ſicut in ordine temporalium creaturarum, ita & apud eum nondum ſunt quæ futura ſunt, ſed ea præuenit ſciendo: bis ergo ea ſentit, vno quidem modo ſecundũ futurorum præſciẽtiam, altero verò modo ſecundum prętentium ſcientiã. Aliquid ergo tẽporaliter accedit ſcientiæ Dei, quod abſurdiſſimum atque falſiſſimum eſt. Nec enim poteſt quæ ventura prænoſcit noſſe quum venerint, niſi bis innoteſcant, & prænoſcẽdo antequam ſint, & cognoſcendo quum iam ſunt. Ita fit vt quod longè à veritate ſecluſum eſt, temporaliter aliquid accedat ſcientiæ Dei, quum temporaliter quæ præſciuntur etiã præſentia ſentiuntur, quæ non ſentiebantur antequã fierent, ſed tantummodo præſciebãtur. Si verò etiam cùm venerint quæ præſciebantur eſſe futura, nihil noui accedit ſciẽtiæ Dei, ſed manebit illa prę-ſciẽtia, ſicut erat etiam priuſquã venirent quæ præſciebantur, quomodo iam præſcientia dicetur, quando non eſt rerum futurarum? Iam enim præſẽtia ſunt quæ futura cernebat, & paulò pòſt erũt præterita. Præteritarum autem rerum ſicut præſentium nullo modo poteſt dici præſcientia. Reditur ergo ad id, vt fiat rebus iã præſentibus ſcientia, quæ eiſdem rebus futuris erat præſcientia: & quum ea quę præſcientia erat pri⁹, poſtea ſciẽtia fiat in Deo, admittat mutabilitatem, & temporalis ſit, quum Dei, qui verè ſũméq; eſt, nec vlla ex parte ſit mutabilis, nec vllo motu notio temporalis. Placet ergo vt non dicamus præſcientiam Dei, ſed tantum modo ſcientiam quæramus, & hoc quomodo. Non enim ſcientiam ſolemus dicere in nobis, niſi quum ſenſa & intellecta memoria retinemus, quum meminimus aliquid ſenſiſſe nos vel intellexiſſe, vt id quum volumus recolamus. Quod ſi ita in Deo eſt, vt poſſit propriè dici, Intelligit & intellexit, ſentit & ſenſit: admittit tempus, & ſubrepit nihilomin⁹ illa mutabilitas longè à Dei ſubſtantia remouenda eſt: & tamẽ & ſcit Deus, & præſcit Deus ineffabili modo, ſic eum & pœnitet ineffabili modo. Cùm enim ſcientia Dei longè diſtet ab humana ſcientia, ita vt irridenda ſit comparatio, vtraque tamen ſcientia vocatur: & hæc quidem humana talis eſt, vt dicat de illa Apoſtolus, Etiã ſciẽtia deſtruetur: quod nullo modo rectè de ſciẽtia Dei dici poteſt. Sic & ira hominis turbida eſt, & non ſine cruciatu animi: ira verò Dei, de qua dicitur in Euãgelio, Sed ira Dei manet ſuper eũ: & Apoſtolus, Reuelabitur enim ira Dei de cęlo ſuper omnem impietatem: illo in tranquillitate iugiter manente, in creatura ſubdita exercet admirabili æquitate vindictam. Miſericordia quoque hominis habet nonnullã cordis miſeriam: vnde etiam in Latina lingua nomẽ accepit. Nam inde eſt etiã, quòd non ſolùm gaudere cum gaudentibus, ſed etiam flere cum flẽtibus hortatur Apoſtolus. Quis autem ſano capite dixerit vlla miſeria tangi Deum, quem tamen vbique Scriptura multę miſericordię eſſe teſtatur? Ita & zelum humanum non ſine peſtiliuoris intelligimus: zelantem verò Deum non ita, ſed eodem verbo, non eodem modo. Longum eſt percurrere cætera, & ſunt innumerabilia, quibus oſtenditur multa Diuina iiſdem nominibus appellari, quibus humana, cùm incomparabili diuerſitate ſeiuncta ſunt, nec tamen fruſtra eadem ſunt rebus vtriſque indita vocabula, niſi quia hæc cognita, quæ in quotidiana conſuetudine verſantur, & experimentis vſitatioribus innoteſcunt, nonnullam ad intelligenda illa ſublimia præbent viã. Quum enim defero de humana ſcientia mutabilitatem, & trãſitus quoſdã à cogitatione in cogitationem, quum recolimus vt cernamus animo, quod in contuitu eius paulò antè non erat, atque ita de parte in partem crebris recordationibus tranſilimus: vnde etiam ex parte dicit eſſe Apoſtolus noſtram ſcientiã. Quum ergo hæc cun-

Rom.1 Pſalm.85 1.Cor.13

cta detraxero, & reliquero solam viuacitatem certæ atque inconcussæ veritatis, vna atque æterna contẽplatione cũcta collustrãtis: imò nõ reliquero (nõ enim habet hoc humana scientia) sed pro viribus cogitauero, insinuatur mihi vtcunque scientia Dei: quod tamen nomen ex eo quòd sciendo aliquid non latet hominem, potuit esse rei vtrique cõmune: quanquam & in ipsis hominibus solet discerni à sapientia scientia, vt etiam Apostolus dicit, Alii quidem per 1.Cor.12
Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, secundum eundẽ Spiritum. In Deo autem nimirum nõ sunt hæc duo, sed vnum, & in hominibus quidẽ hęc ita discerni probabiliter solent, vt sapientia pertineat ad intellectum æternorum, scientia verò ad ea quæ sensibus corporis experimur. Sed licet alius aliam differentiam proferat, nisi tamen diuersa essent, non sic ab Apostolo distinguerentur. Quod sanè si ita est, vt nomen scientiæ rebus, quas per sensum corporis experimur, deputatum sit, nulla est omnino scientia Dei. Non enim Deus per seipsum ex corpore & anima constat, sicut homo: sed melius dicitur aliam esse scientiam Dei, & non eiusdem generis, cuius ista est, quæ hominum dicitur, sicut etiã idipsum quod Deus dicitur, longè aliud est, quàm quemadmodum dicPsalm.81
tum est, Quia stetit in synagoga deorũ. Tamẽ ad nõ latere quoquo modo pertinet cõmunicatio ipsa vocabuli: sic etiam de ira hominis detraho turbulentum motum, vt remaneat vindictæ vigor, atque ita vtcunque assurgo in notitiã illius, quæ appellatur ira Dei. Item de misericordia si auferas cõpassionem, cùm eius quem miserearis participatus es miserię, vt remaneat tranquilla bonitas subueniendi, & à miseria liberandi, insinuatur Diuinæ misericordię qualiscunque cognitio. Zelum quoque Dei nõ repudiemus & aspernemur, quum scriptum inueni-
mus: sed auferamus de humano zelo pallidã tabem doloris, & morbidam perturbationem animi, remanẽatque illud solũ iudicium, quo corruptio castitatis impunita esse non finitur, & assurgimus vt incipiamus aliquo modo capere zelum Dei. Quapropter cùm legimus etiam
1.Reg.15
Dominum dicentem, Pœnitet me: consyderemus quid id esse soleat. In hominib⁹ opus pœnitendi est, quum proculdubio reperitur voluntas mutandi, sed in homine cum dolore animi est: reprehendit enim in se quod temerè fecit. Auferamus ergo ista quæ de humana infirmitate atque ignorantia veniunt, & remaneat solùm velle, vt non ita sit aliquid quemadmodum erat: sic potest aliquãtulum intimari mẽti nostræ, qua regula intelligatur quòd pœnitet Deum. Quum enim pœnitere dicitur, vult non esse aliquid sicut fecerat vt esset: sed tamen & cùm ita esset, ita esse debebat: & cùm ita esse iã non finitur, iã nõ debet ita esse, perpetuo quodam & tranquillo æquitatis iudicio, quo Deus cuncta mutabilia incommutabili volũtate disponit. Sed quoniam præscientiam & scientiam cum laude solemus dicere in hominibus, irámque ipsam solet humanum genus in magnis potestatibus timere potius quàm reprehendere, cõgruenter putamus talia dici de Deo. Qui autem zelat, & quem aliquid pœnitet, quoniam vel culpari solet, vel in se culpam corrigere, atque ideo cum reprehensione ista dici de hominibus, propterea mouet quum legimus esse aliquid in Deo eiusmodi. Sed illa Scriptura omnibus consulens, propterea magis & ista ponit, ne illa quæ placẽt sic intelligantur in Deo, quomodo cõsueuerunt in hominibus intelligi. Per hæc enim quæ displicent, quum ea non audeamus sic intelligere in Deo vt inueniũtur in homine, discimus etiã illa sic quęrere quę apta esse atque conuenientia putabamus. Nam si propterea non est illud de Deo dicendum, quia in homine displicet, non dicamus incommutabilem Deum, quia de hominibus cum reprehensione dictum est, Nõ enim est illi commutatio. Item quędã in homine sunt laudabilia, in Deo autem esse non possunt, sicut pudor, quod ętatum viridiorum magnum est ornamentum, sicut timor Dei, non est tantũ in veteribus libris laudatus, sed Apostolus etiam dicit, Perficien- 2.Cor.7
tes sanctificationem in timore Dei, qui vtique in Deo nullus est. Sicut ergo quædam laudabilia hominũ nõ rectè dicuntur in Deo, sic quædã culpabilia hominum rectè intelliguntur in Deo, non ita vt in hominibus, sed vocabulis tãtummodo communibus, longè alia ratione & modo. Nam paulò pòst idem Samuel cui dixerat Dominus, Pœnitet me quòd constituerim 1.Reg.15
regem Saul, ipsi Sauli ait de Deo, Quoniã non est sicut homo vt pœniteat eum: vbi videlicet satis ostendit etiam quum Deus dicit, Pœnitet me: non humano more accipiendum esse, sicut iam quantum valuimus disputauimus.

Item quæris, vtrùm spiritus immundus, qui Quæst.3
erat in Pytonissa, potuerit agere vt Samuel à 4.Reg.2
Saule videretur, & loqueretur cũ eo. Sed multò maioris miraculi est, quòd ipse satanas princeps omnium immundorum spirituum, potuit loqui cum Deo, & petere ad tentandum Iob iu-
stissimum virum, qui etiam tentandos Aposto- Luc.22
los petiit. Aut si hoc non habet difficilem quæstionem, quia per quã voluerit creaturam, cui voluerit creaturæ vbique præsẽs veritas loquitur, nec propterea magni meriti est cui loquitur Deus: interest enim quid loquatur, quia & Imperator cum multis innocẽtibus non loquitur, quibus prouidentissimè consulit ad salutẽ, & cum multis nocentibus loquitur, quos iubet interfici. Si ergo hinc propterea nulla quæstio est, nulla sit quæstio, quomodo etiam immundus spiritus cum anima sancti viri loqui potuerit. Omnibus enim Sanctis, Deus creator & sanctificator longè vtique maior est. Quòd si hoc mouet, quòd licuerit maligno spiritui excitare animam iusti, & tanquam de abditis mortuorum receptaculis reuocare, nõne magis mirãdũ est, quòd satanas ipsum Dominũ assũpsit

&

& constituit super pinnam templi? Quolibet enim modo fecerit, ille etiã modus quo Samueli factũ est vt excitaretur, similiter latet. Nisi fortè quis dixerit faciliorem diabolo fuisse licentiam ad Deum viuum, vnde voluit assumendũ, & vbi voluit constituendum, quàm ad Samuelis defuncti spiritum à suis sedibus excitãdum. Quòd si illud in Euangelio nos ideo non perturbat, quia Dominus voluit atque permisit, nulla diminutione suæ potestatis & Diuinitatis id fieri, sicut ab ipsis Iudæis, quãquam peruersis atque immundis & facta diaboli faciẽtibus, & teneri se & vinciri & illudi & crucifigi, atque interfici passus est: non est absurdum credere ex aliqua dispensatione Diuinæ voluntatis permissum fuisse, vt non inuitus nec dominante aut subiugãte magica potẽtia, sed volẽs atq; obtẽperans occultæ dispẽsationi Dei, quę & Pythonissam illã & Saulem latebat, consentiret spiritus Prophetæ sancti, se ostendi aspectibus regis, Diuina eum sententia percussurus. Cur enim anima boni hominis, à malis viuis euocata si venerit, amittere videatur dignitatem suam, cùm & viui plerunque boni vocati, ad malos veniant & agant cum eis, quod officium postulat æquitatis, seruato atque inconcusso decore virtutis suæ, & illorum vitiis pro rerum præsentium vel vsu vel necessitate tractatis? Quanquam in hoc facto potest esse alius facilior intellectus & expeditior exitus, vt non verè spiritum Samuelis excitatum à requie sua credamus, sed aliquod phantasma, & imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam, quã propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines rerum earum nominib⁹ appellari, quarũ imagines sunt. Sicut omnia quæ pingũtur atque finguntur ex aliqua parte materiæ metalli aut ligni, vel cuiuscũque rei aptę ad opera huiusmodi, quęque etiã videtur in sõnis, & omnes ferè imagines, earũ rerũ quarũ imagines sunt appellari nominib⁹ solẽt. Quis est enĩ qui hominẽ pictũ dubitet vocare hominẽ: quãdoquidẽ & singulorum picturam cùm aspicim⁹ propria quęq; nomina incunctãter adhibemus? Velut cùm intuẽtes tabulã aut parietẽ, dicimus, Ille Cicero est, ille Salustius, ille Achilles, ille Hector, hoc flumen Simois, illa Roma, quum aliud nihil sint quam pictæ imagines. Vnde Cherubim cùm sint cælestes potestates, facta tamen ex metallo, quod imperauit Deus super arcam testamenti, magnæ rei significandæ gratia, non aliud quam Cherubim illæ quoque effigies vocitantur. Item si quis videt somnium, non dicit, Vidi imaginem Augustini aut Simpliciani, sed vidi Augustinum aut Simplicianum: quum eo tempore quo tale aliquid vidit nos ignorarem⁹. Vsquequaquè manifestum est, non ipsos homines, sed imagines eorum videri. Et Pharao spicas se dixit vidisse in somnis & boues, non spicarum aut boum imagines. Si igitur liquidò cõstat nominib⁹ earum rerum quarum imagines sunt, easdẽ imagines appellari, non mirum est quòd Scriptura dicit Samuelem visum, etiam si fortè imago Samuelis visa apparuit, machinamento eius qui transfigurat se velut in Angelum lucis, & ministros suos velut ministros iustitiæ. Iam verò si illud mouet, quomodo à maligno spiritu Sauli vera prædicta sunt, potest & illud mirũ videri, quomodo dæmones agnouerint Christum, quẽ Iudæi non agnoscebant. Quum enim vult Deus etiam per infimos & infernos spiritus aliquem vera agnoscere, temporalia duntaxat atque ad istam mortalitatem pertinentia, facilè est & nõ incõgruum vt Omnipotẽs & iustus ad eorũ pœnam quibus ista prædicuntur, vt malum quod eis impẽdet, antequã veniat præno.cendo patiãtur, occulto apparatu mysteriorum suorum etiã spiritibus talibus aliquid diuinationis impertiat, vt quod audiũt ab Angelis prænuntiẽt hominibus. Tãtum autem audiunt, quãtum omnium Dominus atque moderator, vel iubet vel finit. Vnde etiam spirit⁹ Pythonicus in Actibus Apostolorum attestatur Paulo Apostolo, & Euangelistæ esse conatur. Miscent tamen isti fallacias suas, & verum quod nosse potuerint, non docendi magis quàm decipiendi fine prænuntiant. Et fortè hoc est, quòd quum illa imago Samuelis Saulẽ prædiceret moriturum, dixit etiã secum futurum: quod vtique falsum est. Magno quippe interuallo post mortem separari bonos à malis in Euãgelio legimus, cùm Dominus inter superbum illum diuitem, cùm iam apud inferos tormenta pateretur, & illum qui ad eius ianuam vlcerosus iacebat, iam in requie constitutum, magnum chaos interiectum esse testetur. Aut si propterea Samuel Sauli dixit, Mecum eritis, non vt ad æqualitatẽ felicitatis, sed ad parem conditionem mortis referatur, quòd vterque homo fuerit, & vterque mori potuerit, iámque mortuus mortem viuo prænuntiabat: perspicit, quãtùm opinor, prudẽtia tua, secundum vtrũque intellectum habere exitum illam lectionem, quæ non sit contra fidem, nisi fortè profundiore & perplexiore inquisitione, quæ vel viriũ mearũ vel tẽporis excedit angustias, inueniatur ad liquidum, vel posse vel nõ posse animã humanã, cùm ex hac vita migrauerit, magicis carminibus euocatam, viuorum apparere cõspectibus, etiam corporis lineamenta gestantem, vt nõ solùm videri valeat, sed & agnosci. Et si potest, vtrùm etiam iusti anima, nõ quidem cogatur magicis sacris, sed dignetur ostendi, occultiorib⁹ imperiis summæ legis obtemperans, vt si fieri non posse claruerit, non vterque sẽsus in huius Scripturæ tractatione atque expositione admittatur: sed illo excluso, imaginaria simulatio Samuelis, diabolico ritu facta intelligatur. Sed quoniã siue illud fieri possit siue nõ possit, tamẽ fallacia satanę atq; imaginũ simulandarũ callida operatio, decipiẽdis humanis sensib⁹ multiformis inuigilat: pedetẽtim quidem inquisitionibus diligẽtioribus præsertim quidem inquisitionibus diligẽtioribus præsertim quidem inquisitionibus diligẽtioribus præsert

quid factum maligno Pythonissæ illius ministerio, quandiu nobis aliquid amplius excogitare atque explicare non datur.

4 Quòd autem quæris, quid sit quod scriptum sit, Intrauit rex Dauid & sedit ante Dominum: quid aliud intelligendum est, nisi quia sedit in cõspectu Domini, siue vbi erat arca testamẽti, per quam sacratior & commendatior quædam præsentia Domini accipi potest, siue oraturus sedit, quod non fit rectè nisi in conspectu Dei, hoc est, in intimo cordis? Potest enim sic accipi quod dictum est, Ante Dominum, vt nullus esset hominum qui audiret orantem. Siue ergo propter arcã testamenti, siue propter secretum remoti⁹ ab arbitris, siue propter intimum cordis vbi erat orantis affectus, conuenienter dictum est, Sedit ante Dominũ. Nisi fortè quòd sedens orauit, hoc mouet quum sanctus Helias hoc fecerit, quando pluuiam orando impetrauit. Quibus admonemur exẽplis, non esse præscriptum quomodo corpus cõstituatur ad orãdum, dummodo animus Deo præsens peragat intentionem suã. Nam & stantes oramus, sicut Luc 18 scriptum est, Publicanus autem de longinquo Act. 7 stabat. Et fixis genibus, sicut in Actibus Apo- Psal. 6 stolorum legim⁹. Et sedẽtes, sicut ecce Dauid & Helias. Nisi autẽ etiã iacentes oraremus, nõ scriptum esset in Psalmis, Lauabo per singulas noctes lectum meũ, lachrymis meis stratum meum rigabo. Cùm enim quisque orationẽ quærit, collocat mẽbra sicut ei occurrerit, accõmodata pro tẽpore positi corporis ad mouendum animum. Cùm autẽ non quæritur, sed infertur appetitus orãdi, hoc est, cùm aliquid repẽtè venit in mentẽ, quo supplicãdi moueatur affect⁹, gemitibus inenarrabilibus quocunque modo inuenerit hominẽ, nõ est vtique differẽda oratio, vt quæramus quo sedeamus, aut vbi stem⁹ aut vbi prosternamur. Gignit enim sibi mentis intentio solitudinẽ, & sæpe etiam obliuiscitur se, vel ad quã cæli partem, vel in qua positione corporis mẽbra illud tempus inuenerit.

5 In verbis autẽ beati Heliæ quibus ait, O Domine testis huius viduæ, cum qua ego inhabito apud ipsam, tu malè fecisti vt occideres filium eius: nihil moueret si vera pronuntiatio seruaretur. Vox est enim non credentis quòd tã malè faceret Dominus cum ea vidua, quę tam piè Prophetam susceperat, eo præsertim tempore quo ibi erat, cui protulerat totum victũ suum tam exiguum in tã magna & summa inopia. Ita ergo dictum est, ac si diceret, O Domine testis hui⁹ viduæ cum qua ego inhabito apud ipsam, tu malè fecisti vt occideres filium eius? vt intelligatur quòd vtiq; Domin⁹ qui testis cordis illius mulieris, videbat quãta esset pietas, vnde etiã Heliã ipse ad eã miserat, non malè faciendi causa mortificauerat filium eius: sed exhibendi miraculi ad gloriã nominis sui, quo tãtum Prophetam & tunc viuentibus & posteris cõmendaret. Sicut dicit Dominus, nõ ad mortem mor- Ioan 11 tuum fuisse Lazarum, sed vt glorificaretur De⁹ in Filio suo. Et ideo consequentia probant, & ipsa etiam fiducia qua credidit Helias, non ad hoc illud cõtigisse vt acerbo luctu hospita eius affligeretur, sed poti⁹ ad hoc factũ esse, vt De⁹ magnificentius ostenderet viduæ qualem Dei famulum suscepisset. Sequitur Scriptura & dicit, Et insufflauit puero ter, & inuocauit Dominum & dixit, Domine Deus meus, reuertatur nunc anima pueri huius in eum. Et factũ est sic. Hæc ergo deprecatio qua petit Helias tam breuiter & tam fideliter vt resurgat puer, satis indicat quo affectu dicta sunt superiora. Et ipsa mulier ostendit ad hoc mortificatum filium suum fuisse, ad q⁹od Helias factum esse præsumpserat, cùm illa verba nõ cõfirmando, sed renuendo enuntiauerat. Cùm enim viuum recepisset filium suum, ait, Ecce nunc cognoui, quoniam homo Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo certissimum. Multa sunt autẽ in Scripturis, quę nisi illo modo pronuntientur, in cõtrariam sententiam recidant, sicuti est, Quis accusabit ad- Rom 8 uersus electos Dei? Deus qui iustificat. Si quasi confirmans respondeas, vides quanta peruersitas oriatur. Sic ergo pronuntiãdum est, ac si dicatur, De⁹ ne qui iustificat? vt subaudiatur, Nõ 3 Reg. 22 vtique. Ac per hoc apertã puto esse illã Heliæ sententiam, quam non seruata pronuntiatio faciebat obscuram. De spiritu mendacii per quẽ deceptus est Achab, hoc intelligamus, quod iã superius apertè tractatũ arbitror, Deum scilicet omnipotentem & iustum distributorẽ pœnarum præmiorúmque pro meritis, non solùm bonis & sanctis ministris vti ad opera congrua, sed etiã malis ad opera digna, cùm illi pro sua peruersitate nocere appetant: sinantur autẽ tãtum, quantum ille iudicat, qui omnia in mensura & pondere & numero disponit. Dixit autem Sapient. 11 hoc Michæas Propheta quomodo sibi fuerit demõstratum. Occulta enim res & nimis secreta ita demonstratur Prophetis, sicut potest capere sensus humanus, cùm etiam rerum imaginibus in reuelationibus tãquam verbis instruitur. Nã quomodo Deus hæc agat, vbique præsens, & vbique totus ac semper præsens, & quo modo eius simplicem & incõmutabilem æternámque veritatem consulant sancti Angeli, omnésque ab eodem creati sublimes & mundissimi spiritus, atque id quod in eo sẽpiternè iustum vident pro cõgruentia rerum inferiorum temporaliter peragant, quomodo etiã lapsi spiritus, qui in veritate non steterunt, propter im- Ioan. 8 munditiam & infirmitatem cõcupiscentiarum & pœnarum suarum, non valentes præsentem intrinsecus contueri & consulere veritatem, signa forinsecus per creaturam expectẽt, eíque moueantur, siue ad faciendum aliquid, siue ad non faciendum, quóve modo cogantur æterna lege, qua vniuersitas regitur, vincti atque constricti, vel sinente Deo operari, vel cedere iubẽti & compellenti, arduum & explicare longissimum est. Vereor autẽ ne ista quæ sunt à me dicta & non satisfecerint expectationi, & tædio

fuerint

fuerint grauitati tuæ: quandoquidem quum tu ex omnibus quæ interrogasti vnum à me libellũ mitti velles, ego duos libros eosdémq; lõgissimos misi, & fortassè quæstionib⁹ tuis nequaquã diligẽter expeditéque respõdi. Quãobrem preces tuas pro erratis meis multas & assiduas peto fieri: sententiam verò de hoc opere tuam breuissimam, sed grauissimam flagito, & dum sit verissima, seueriss imam non recuso.

DIVI AVRELII AVGVSTIni, in Librum cõtra Epistolam Manichæi, quã vocant fundamenti, argumentum ex secundo Libro retractationum.

LIber contra Epistolam Manichæi, quam vocant fundamenti, principia eius sola redarguit: sed in cæteris illius partibus annotationes vbi videbatur affixæ sunt, quibus tota subuertitur, & quibus commonerer, si quando contra totam scribere vacauisset.

DIVI AVRELII AVGVSTIni, in Libros quæstionum Euangelicarum, ex secundo Libro retractationum.

Argumentum.

SVNT quædam expositiones quorundam locorum ex Euangelio secundum Matthæum, & aliæ similiter secundum Lucam: in vnum librum illæ, in alterum istę redactæ sunt. Titulus autẽ hui⁹ operis est, Quęstiones Euangeliorum. Sed quare illa sola de suprà dictis Euangelicis libris expositа fuerint, quæ iis libris meis continentur, & quę ista sint, prologus meus, adiunctis atque enumeratis eisdem quæstionibus, ita vt quisque legere quod voluerit, numeros secutus inueniat, satis indicat. In primo ergo libro in eo quod positum est, Dominum seorsum duobus discipulis suam retulisse passionem, mendosita codicis nos fefellit. Nam duodecim scriptum est, non duobus. In secundo libro volens exponere, quomodo duos patres potuerit habere Ioseph, cuius cõiunx dicta est virgo Maria, illud quod perhibetur fratrem duxisse defuncti fratris vxorem, vt ei semen secundum Legem suscitaret, ideo dixi esse infirmũ, quoniã qui nasceretur, nomen defuncti Lex cum iubebat accipere. nõ est verum. Nomẽ enim defuncti quod dictum est, ad hoc Lex valere præcepit, vt eius filius diceretur, nõ ad hoc vt hoc quod ille vocaretur.

Matth.19

Deut.25

Eiusdem Diui Augustini in quæstiones Euangeliorum Prologus, cum capitulorum eiusdẽ operis directorio ab eodem collecto.

HOc opus non ita scriptum est, ac si Euãgelium exponendũ ex ordine susceptũ esset à nobis, sed pro arbitrio & tempore cõsulentis cum quo legebatur, si quid ei videbatur obscurum. Idcóque multa & fortassis obscuriora prętermissa sunt, quia iam ea nouerat, qui ea quæ nõdum nouerat inquirebat, nec tenere volebat festinationem suam in iis quæ antea iam sic acceperat, vt etiam assiduitate audiendi atque tractandi, memorię stabiliter firméque mãdaret. Nonnulla etiam hîc non eodem ordine inueniuntur expositа, quo in Euangelio narrata sunt, quoniam quadam festinatione dilata, quum tempus daretur, retractabantur, & eo locõscribebantur, qui vacuus in ordine iam expositarum rerum subsequebatur. Quod posteaquam comperi, ne quis fortè quærens aliquid legere in hoc opere, quod eum in Euangelio mouisset, & ad quærẽdum excitasset, tędio perturbati ordinis offenderetur: quandoquidem ea quæ carptim, vt poteram, dictabantur, in vnum corpus collecta & contexta cognoui, feci vt ordo numerorum præscriptus titulis, quod cuique opus esset, facilè inuestigaret.

DIVI AVRELII AVGVSTIni quæstionum Euangelicarum Liber primus.

Quod ait, Nemo nouit Filium nisi Pater.

QVum diceret Domin⁹ Iesus, Nemo nouit Filium nisi Pater: non dixit, Et cui voluerit Pater reuelare, quemadmodum quum diceret, Nemo nouit Patrem nisi Fili⁹, addidit, Et cui voluerit Fili⁹ reuelare. Quod non ita intelligendum est, quasi Filius à nullo possit cognosci nisi à Patre solo: Pater autem non solùm à Filio, sed etiam ab eis quibus reuelauerit Filius. Sic enim potius dictum est, vt intelligamus & Patrẽ & ipsum Filium per Filiũ reuelari, quia ipse est mentis nostræ lumen: vt quod postea intulit, Et cui voluerit Fili⁹ reuelare, nõ tãtum Patrem, sed etiam Filium accipias. Ad totum enim quod dixit, illatum est. Verbo enim suo ipse Pater declaratur. Verbũ autem non solùm id quod per Verbum declaratur, sed etiam seipsum declarat. 1 Matt.11

Quòd discipuli Domini cœperunt vellere spicas & manducare.

Quòd discipuli Domini cœperunt vellere spicas & manducare, quod nisi cõfricantes eas facere non possent, hoc est, mortificate membra vestra quę sunt super terrã, id est, quia quisque non transit in corpus Christi, nisi carnalibus expoliatus. Hinc est, Exuite vos veterẽ hominem. Hinc est, Circunciſione nõ manufacta in expoliationem carnis. 2

De lino fumigante.

Arundinem quassatam Iudæos dicit, propter quod & vnum erant, & ab inuicem discrepabant. In lino fumigante notandum, quia deserto lumine facit putorem. 3 Matth.12

De cæco & muto.

Tunc oblatus est ei dæmonium habẽs, cæcus & mutus, id est, qui non credit, & subditus est diabolo, qui non intelligit, & nõ confitetur ipsam fidem, de qua dictum est, Ore autem confessio fit ad salutem, vel qui nõ dat laudẽ Deo. 4 Matth.12 Rom.10

Quòd ait, Si ego in Beelzebub eiicio dæmones.

Quòd dixit, Et si ego in Beelzebub eiicio 5

Matth. 12 dæmones, etiam secundum vestram sententiã: igitur peruenit in vos regnum Dei: quia regnum diaboli stare nõ potest, quod aduersum se diuisũ esse fatemini. Regnũ Dei nunc dicit, quo damnantur impii, & à fidelibus de peccatis suis pœnitentiam nunc agentibus secernuntur. Fortem illum appellat, quia ipse tenebat ne possent viribus suis ab illo se homines eruere, sed per gratiam Dei. Vasa eius dicit omnes infideles. Nisi prius alligauerit fortem. alligauerit dixit, potestatem illi ademerit impediendi voluntatem fidelium à sequendo Christum, & obtinendo regnum Dei.

Quod ait, Progenies viperarum.

6 Progeniem viperarum eos dicit, quia & diaMatth.12 boli filios eos appellat. Intantũ enim quisq; filiꝰ est diaboli, inquãtũ eum peccãdo imitatur.

Quòd ait, Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti, tribus diebus & tribus noctibus.

7 Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus
Matth.12 diebus & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Sextæ feriæ diei partẽ, qua sepultus est, cũ præterita nocte, pro nocte & die accipias, hoc est, pro toto die sabbati noctem & diem, & noctem Dominicam cum eodem die illucescẽte: ac per hoc accipiendo partem pro toto, habes triduum & tres noctes. Quòd enim dicũtur decem menses prægnantis, nouem sunt pleni, sed initium decimi pro toto accipitur. Et quòd se
Matt.27 Luc.9 Dominus ostendit in monte, post sex dies factũ dicit vnus Euangelista, alter verò post octo dies dicit, partẽ posteriorẽ primi diei, in quo futurum hoc Dominus promisit, & partẽ priorẽ nouissimi diei, in quo cõpletum est quod promisit, pro totis atque integris diebus annumerãs, vt intelligas eum qui dixit, Post sex dies, solos medios commemorasse, qui verè toti atque integri completi sunt. In Genesi enim à lumine incipit dies, & finit ad tenebras, ad significandum lapsum hominis. Nunc autem à tenebris
2.Cor.4 ad lucem, sicut dictum est, De tenebris lucem claresce re, quia à peccatis homo liberatus, peruenit ad lumen iustitiæ.

Quòd ait, Quum immundus spiritus exierit ab homine.

8 Quum spiritus immundus exierit ab homi-
Matt.12 ne: significat quosdã ita credituros, vt ferre nõ possint labores continentiæ, & ad seculum redituri sint. Quòd dictum est, Assumit secum alios septem: intelligitur quia quum quis ceciderit de iustitia, etiam simulationem habebit. Cupiditas enim carnis expulsa per pœnitentiã à consuetis operibus, cùm nõ inuenerit in quibus delectationibus requiescat, auidius redit, & rursus occupat mentem hominis: sic cùm expulsa esset iustitia, negligentia subsecuta est, vt non introduceretur tanquam habitator mundatæ domui, sermo Dei per sanam doctrinam. Et quoniam non solùm habebit illa septem vitia, quæ septem virtutibus spiritalibus sunt cõtraria, sed etiã per hypocrisim se illas virtutes habere simulabit, propterea assumptis secũ septem aliis nequioribus, hoc est, ipsa septenaria simulatione, redit illa cõcupiscentia, vt sint nouissima hominis peiora quam erant prima.

De fructu centeno, sexageno & tricæno.

Quòd dicit, Aliud centesimum, aliud sexa- 9
gesimum, aliud tricesimum. Cẽtesimum Mar- Matth.13
tyrum propter sanctitatẽ vitæ vel cõtemptum mortis. Sexagesimum virginum propter otium interius, quia non pugnant contra consuetudinem carnis. Solet enim otium concedi sexagenariis, post militiam vel post actiones publicas. Tricesimum coniugatorum, quia hæc est ætas prælianti um: ipsi enim habent acriorem conflictum ne libidinibus superentur.

Quòd ait, Colligite primum zizania.

Omnis immunditia in segete zizania dici- 10
tur. Quod primò separatur, zizania dicitur, Matt.13
quia tribulatione præcedẽte separabuntur impii, quod per bonos Angelos intelligitur fieri. Quia officia vindictæ possunt implere boni bono animo, quomodo lex, quomodo iudex. Officia verò misericordię mali implere nõ possũt.

De grano sinapis, quod maius sit omnibus oleribus.

Granum sinapis ob feruorem fidei, vel quod 11
dicatur venena expellere, maius fit omnibus Matt.13
oleribus, id est, dogmatibus. Dogmata autem sunt placita sectarum, id est, quod placuit singulis sectis.

De fermento quod accepit mulier, & abscondit in farinæ satis tribus.

Fermentum quod accepit mulier, & absco- 12
dit in farinæ satis tribus. Mulierem sapientiam Matth.13
dicit, fermẽtum dilectionem, quod feruere facit & excitat. In farinæ autẽ satis tribus, vel tria illa in homine, Ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente: vel tria illa fructifera, cẽtesimum, sexagesimum, tricesimum: vel tria illa genera hominum, Noe, Daniel, & Iob. Deut.6 Ezech.14

De thesauro in agro abscondito.

Thesaurum in agro absconditum, dixit duo 13
testamenta Legis in Ecclesia, quæ quis cùm ex Matth.13
parte intellectus attigerit, sentit illic magna latere, & vadit & vẽdit omnia sua, & emit illum, id est, contemptu temporalium comparat sibi otium, vt sit diues cognitione Dei.

Quod dixerunt Iudæi, Vnde huic sapientia hæc & virtutes?

Quòd dixerunt Iudæi, Vnde huic sapientia 14
hæc & virtutes? Sapientia in iis quæ loquebatur, Matth.13
virtutes in iis quæ operabatur: ideóque & 1.Cor.1
Apostolus quum dixit Christum Dei virtutẽ & Dei sapientiã, virtutem ad signa retulit propter Iudæos, sapientiam autem ad doctrinam propter Græcos, id est, gentiles.

Quòd ambulauit in mari ad discipulos.

Quòd dixerunt discipuli phantasma esse, 15
significat id quod dictum est, Putas inueniet fi- Matt.14 Luc.18
dem in terra? quia quidam qui cesserint diabolo, de Christi aduentu dubitabunt. Quòd autẽ Petrꝰ implorat à Domino auxilium ne mergatur, significat quibusdã tribulationibꝰ etiã post vltimam persecutionem purgandam esse Ecclesiam. Quod & Paulus significat dicens, Saluus 1.Cor.3
erit, sic tamen quasi per ignem. Quod sequitur, Vt adorantes omnes qui in naui erant, dicerẽt,

Vere

Verè Filius Dei es: significat claritatẽ eius tũc manifestam futuram per speciem iam videntibus, qui per fidem nunc ambulant.

Quid sit, Munus quodcunque est ex me tibi proderit,

16 Munus quodcunq; est ex me, tibi ꝓderit, id est, munus quod offers causa mei, ad te iam pertinebit. Quibus verbis significãt filii iam non sibi opus esse parentum pro se oblationes, quòd ad eã ętatem peruenissent vt posset iam ipsi offerre pro se. In hac ergo ætate constitutos, vt possent parentibus suis hoc dicere, cùm hoc dixissent, negabant Pharisæi reos esse, si parentibus suis nõ præstarent honorem.

Quod ait, Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus eradicabitur.

17 Omnis plantatio quam non plantauit Pa
Matt. 15 ter meus, eradicabitur, id est, carnalis cupiditas, secundum quam sentientes, offendebantur de prætermissis rerum signis, vel etiam traditionibus suis, & præcepta vitæ non curabãt, quæ à cupiditate animum purgant.

De puero Centurionis & filia Chananææ mulieris.

18 Quòd & puerum Centurionis & filiam Chananęæ mulieris non veniens ad domos eorum saluat, significãt gentes ad quas non venit saluas fore per verbũ suum. Quòd ipsis rogãtibus filii sanantur, intelligenda est Ecclesiæ persona, quæ sibi est & mater & filii. Nã simul omnes quibus constat Ecclesia, mater dicitur, singuli autem ipsi filii appellãtur.

Quid significent muti & cæci & surdi & claudi, qui curandi oblati sunt Domino.

19 Quòd turbæ obtulerunt Domino mutos: mutos qui Dominum non laudant, vel non confitentur fidem, cæcos qui non intelligunt etiam si obtemperent iubentibus, surdos qui non obtemperant, etiam si intelligunt, claudos qui præcepta non implent.

Quod ait, Facto vespere dicitis, Serenum erit, rubicundum est enim cælum.

20 Quòd dixit, Facto vespere dicitis, Serenũ erit, rubicundum est enim cælum, id est, sanguine passionis Christi, id est, in primo aduentu indulgẽtia peccatorum datur: & manè, Hodie tempestas, rubet enim cum tristitia cælum, id est, quòd secundo aduentu igne præcedente venturus est. Faciem ergo cæli iudicare nostis: signa autem temporum non potestis? Signa tẽporum dixit de aduentu suo vel passione, cui simile est roseum cælum vespere. Et item de tribulatione ante aduentum suum futura, cui simile est manè roseum cum tristitia cælum.

Quod ait, Helias quidem venturus est & restituet omnia.

21 Quòd dixit Dominus, Helias quidem vẽ
Matt. 17 turus est, & restituet omnia, id est, vel eos quos persecutio Antichristi cõturbauerit, vel vt ipse restituat moriendo quæ debet.

De illo qui sæpe cadebat in ignem & aliquando in aquam.

22 Quòd dixit, Sæpe cadit in ignem, & ali-
Matt. 17 quãdo in aquam: ignem ad iram, quòd alta petat, aquam ad voluptates carnis. Item quòd dicunt discipuli, Quare nos nõ potuimus eiicere eum? ne illis miraculis faciendis extolleren tur in superbiam, admoniti sunt potius per humilitatem fidei, quasi per sinapis granum, elationem terrenam, quæ montis nomine significata est, curare vt transiret.

Quod ait, Ergo liberi sunt filii, cùm tributum exigerent.

Quòd dixit, Ergo liberi sunt filii: in omni- 23
Matt. 17 regno intelligendum est liberos esse filios, id est, non esse vectigales. Multò ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filii regni illius, sub quo sunt omnia regna terræ.

Quòd ait, Qui autem scandalizauerit vnum ex pusillis istis.

Quòd Dominus dicit, Qui autem scanda- 24
Matt. 18 lizauerit vnum de pusillis istis, id est, ex humilibus, quales vult esse discipulos suos, non obtẽperando vel etiam contraueniendo, sicut de Alexandro ærario Apostolus dicit. Expedit ei vt molla asinaria suspendatur collo eius, & præcipitetur in profundum maris, id est, congruit ei vt cupiditas rerum temporalium, cui stulti & cæci colligantur, eum deuinctum pondere suo deducat ad interitum.

Quòd oblatus ei debitor decem millium talentorum, & iussit eum venundari.

Quòd oblatus est Domino debitor decẽ 25
millium talentorum, & iussit eum venundari, & vxorẽ eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi: intelligendum est decem præceptorũ Legis eũ fuisse debitorẽ, & pro cupiditate atque operib⁹ suis, tanquã vxore & filiis pœnas soluere debuisse, quod est pretiũ eius. Pretiũ enim vẽditi, supplicium damnati intelligitur. Quòd dixit, Noluit ignoscere conseruo suo, sed abiit & misit eum in carcerem, & reliqua: intelligendum, tenuit contra eum hunc animũ vt supplicia illi vellet. Conserui autem qui narrauerunt domino quæ fiebant, potest intelligi Ecclesia, quæ & illum soluit, & illum ligat.

De diuite qui non intrat in regnum Dei.

Quòd ait Dominus diuitem non intrare 26
Matt. 19 in regnum Dei: & discipuli dicunt, Quis potest saluus fieri? cùm pauci sint diuites in comparatione multitudinis pauperum: intelligendum quòd omnes qui talia cupiunt, in eorum numero haberi animaduerterint.

Quod duobus seorsum discipulis passuram se Dominus indicat.

Quòd Dominus seorsum se duobus disci- 27
Matt. 19 pulis passurum refert, ad confirmandum in posterum testimonium fecit, quia dixit, In ore duũm vel trium testium stabit omne verbum. Vt enim neq; vulgaretur quod dicebat, neque careret humani testimonii firmitate, pauciori b⁹ quã duobus dicere nõ potuit. Vel ad sacramẽtum charitatis ostendendum. Minus enim quàm inter duos charitas esse non potest. Erat autem ille non necessitate debiti propter peccatum suum, sed ad soluenda nostra peccata charitate passurus.

Quòd cùm ab Hiericho egrederetur, duos cæcos illuminauit.

Ab Hierico egreditur Dominus. Iam de 28-29
ista terra resurrectione discedens, sequuntur Ma

eum turbæ multæ, credunt in eum populi & gentes. Duo autem cæci sedentes iuxta viam, significant de vtroque populo quosdam iam cohærentes per fidem dispensationi temporali, secundum quam Christus via est, & desyderantes illuminari, id est, aliquid de Verbi æternitate intelligere, quod transeunte Iesu impetrare cupiebant, id est, per meritum fidei, qua creditur Filius Dei, & natus homo & passus propter nos. Per hanc enim dispensationem quasi transit Iesus, quia talis actio temporalis est. Oportebat autem vt tantum clamarent, donec resistentis sibi turbæ strepitum vincerent, id est, tam perseueranter animum intenderet orando atque pulsando, quousque consuetudinem desyderiorum carnalium, quæ tanquam turba obstrepit cogitationi, lucem veritatis æternæ videre conati, vel ipsam hominũ carnalium turbam, studia spiritalia impedientem, fortissima intentione superarent. Itaque audiens Iesus qui ait, Petenti dabitur, & quærens inueniet, & pulsanti aperietur, venientes ad seipsos, scilicet desyderii ardore peruenientes ad id quod desyderant, stans eos tangit atq; illuminat. Non enim sicut illa dispensatio temporalis, ita etiam Verbi æternitas transit, quæ in seipsa manẽs omnia innouat. Quapropter quia fides incarnationis temporalis ad æterna intelligenda nos præparat: transeunte Iesu admoniti sunt vt illuminarẽtur, & stante illuminati sunt. Temporalia enim transeunt, æterna stant.

Matth.7

Sapien.7

Quòd ait discipulis, Dicetis huic monti, Tollete & iacta te in mare.

29 Quòd Dominus dicit discipulis suis, Dicetis mõti huic, Tollete, & iacta te in mare: de superbia dixit, quæ ad seculares pertinet. Hoc sibi seruus Dei dicere debet, vt eam à se repellat, quia ipsi non cõgruit, vel quòd per eorum fidẽ, quia per eos Euãgelium prædicatum est, ipse Dominus, qui mons appellatus est, ablatus est à Iudæis, vt in gentes, tanquam in mare porrò iaceretur.

Matt.17

Quòd ait, Qui ceciderit super lapidem istum confringetur.

30 Quòd Dominus dicit, Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur: super quẽ verò ceciderit, conteret eum: de his dicit quòd cadent super eum, qui illum modò contẽnunt, vel iniuriis afficiunt: ideo nondum penitus intereunt, sed tamen confringuntur, vt non recti ambulent. Super quos autem cadit, veniet illis desuper in iudicio cum pœna perditionis. ideo dixit, Cõteret eos, vt sint impii tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.

Mat. 21

Psalmo 1

De homine rege qui fecit nuptias filio suo.

31 Quòd Dominus dixit, Simile est regnũ cælorũ homini regi, qui fecit nuptias filio suo: nuptias dixit Verbũ incarnatum, quia in ipso homine susceptо Ecclesia Deo copulata est. Quòd dixit, Tauri mei & altilia occisa sunt, tauros dixit principes plebium. Altiliaverò omnia saginata. Quòd dixit Dominus, Ite ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias: viæ intelliguntur dogmata gẽtium, quia ex omnibus illis ad nuptias venerũt, id est, Christo crediderunt.

Matth.22

De septem fratribus qui vnam vxorem habuerunt.

32 Quòd Sadducæi dicunt Domino, Fuerũt apud nos septẽ fratres, & vnus accepta vxore obiit, & secundus, & cæteri: intelliguntur homines impii, qui fructum iustitiæ non potuerunt afferre in terra per omnes septem mundi ætates, quibus ista terra consistit: postea enim & ipsa terra trãsiet, per quam omnes illi, quasi septem mariti, steriliter transierunt.

Matt.22

Quid sit quod ait, Tota Lex pendet in his duobus præceptis.

33 Quòd Dominus dicit, In his duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ, pẽdet dixit, id est, illò refertur, ibi habet finem.

Matt.22

Quòd ait, Quid enim maius est, aurum an templum quod sanctificat aurum?

34 Quòd Dominus dicit, Quid enim maius est, aurum an templum quòd sanctificat aurum? Et item dixit, Quid enim maius est, donum an altare quod sanctificat donum? intelligendum templum & altare ipsum Christũ: aurum & donum, laudes & sacrificia precũ, quæ in eo per eũ offerimus. Non enim ille per hæc, sed ista per istum sanctificantur.

Matt.23

Quod ait, Excolantes culicem, camelum autem glutientes.

35 Quòd Dominus dixit, Excolantes culicẽ, refertur ad id quod dixit, decimare illos minuta quæque. Camelum glutientes, refertur ad id quod dixit, Præteritis grauiora Legis, misericordiam & iudicium & fidem: vt iste sit sensus, minima obseruatis, maxima contemnitis. Ex hac enim peruersitate etiam illud eis accidit, quòd possunt hæc per allegoriam referri, vt dimitterent Barrabbam, quia videlicet non soluerat sabbatum, quòd magna diligẽtia carnaliter obseruabant. Occiderant autem Dominum spiritaliter sabbatum insinuãtem per misericordiam & iudicium & fidem, quæ illi maximè contemnebant. Nam & culicis nomine non absurdè figuratur seditiosus homicida: quia hoc animal & strepẽdo inquietat, & sanguine delectatur: & cameli nomine propter humilitatem se ad subeunda onera submittentis, propter magnitudinem intelligitur congruenter Dominus.

Matt.23

Quòd ait, Quoties volui congregare filios tuos sicut gallina.

36 Quòd dixit Dominus ad Hierusalem, Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, & noluisti? Hoc genus animantis magnum affectum in filios habet, ita vt eorum infirmitate affecta & ipsa infirmetur, & quod difficilius in cæteris animantibus inuenies, alis suis filios protegens contra miluum pugnat. sic etiam mater nostra sapientia Dei per carnis susceptionẽ infirmata est quodãmodo. Vnde & Apostolus dicit, Quod infirmũ est Dei, fortius est hominib⁹. Protegit infirmitatẽ nostram

Matt.23

strā,& resistit diabolo ne nos rapiat. In qua defensione quod illa aduersus miluū conatur affectu, hæc aduersus diabolum perficit potestate.

Quòd ait, Orate ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato.

Quòd ait, Orate ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato, id est, ne impedimēto aliquo
37 detineamini quia & hyeme imbribus vel frigore, & sabbato in quo proficisci non licebat, impediebatur quis ab itinere, vel aliud ne in tristitia aut lætitia rerum temporalium quis inueniatur à die illa. *Matth. 24*

Quod ait, Sicut fulgur exit ab Oriente, & peruenit ad Occidentem.

Quòd Dominus dicit, Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & peruenit vsque ad Occidē
38 tem, ità erit & aduentus filii hominis. Orientis & Occidētis nomine totum orbem voluit significare, per quem futura erat Ecclesia, incipiente Euangelio ab Hierusalem, secundum illum sensum quo dixit, A modo videbitis filiū hominis venientem in nubibus. Conuenienter enim Ecclesiam nunc fulgur nominauit quod maximè solet emicare de nubibus. Constituta ergo auctoritate Ecclesiæ per orbē terrarum clara atque manifesta, consequenter discipulos admonet, atque omnes fideles, & qui in eum credere voluerint, ne schismaticis atque hæreticis credant. Vnunquodque enim schisma & vnaquaque hæresis, aut locum suū habet in orbe terrarum, partē aliquam tenēs, aut obscuris atq; occultis cōuenticulis curiositatem hominum decipit. Ad quod pertinet quod ait, Si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus aut illic, quod significat terrarum partes & prouinciarū: aut in penetra lib⁹ aut inde serto, quod significat obscura & occulta conuenticula hæreticorum. Quod ergo dixit, Ab Oriente in Occidentem peruenturum aduentum suum, contra illos valet qui per terrarum particulas nominantur, & dicunt apud se esse Christum. Quòd autem ait, Sicut fulgur, contra illos valet qui occultè congregant tanquam in penetralibus, & paucos tanquam in deserto, ad manifestationē quippe claritatémque pertinet Ecclesiæ fulguris nomen, significans etiam noctem vel nubila seculi huius, tūc enim fulguris candor apparet. *Matt. 24* *Luc. 24* *matt. 26*

Quod ait ab arbore fici discite similitudinem.

Quòd dixit, Ab arbore autem fici discite
39 similitudinem: arborem fici genus humanum intellige propter pruritum carnis, cùm iam ramus eius tener fuerit, id est, cùm filii hominū per fidem Christi ad spiritales fructus profecerint, & in eis honor adoptionis filiorum Dei eminuerit. *Matth. 24*

Quod ait de Iuda, Bonum erat illi non nasci.

Quòd Dominus de Iuda dixit, Bonum erat
40 illi non nasci, vtrū in hanc vitam, vt vsitatè locutus sit. Nō enim potest bonum esse aliquid ei qui non est. & si quisquam contendit esse aliquam vitam ante istam, non Iudæ tantùm vt nasceretur, sed nulli expedire conuincitur. An diabolo dicit non nasci ad peccatum, an etiam bonum illi erat vt in Christo non nasceretur per vocationem, ne esset apostata?

Quod triginta argenteis venditus est Dominus.

Quòd Dominus tringinta argenteis vendi-
41 tus est, significat per Iudā Iudæos iniquos, qui sequentes carnalia & temporalia, quæ ad quinque sensus pertinent corporis, Christum habere noluerunt. Quod quia sexta mundi ætate fecerūt, sexies quinos eos tanquam pretium venditi Domini accepisse significatum est. Quo tempore & talibus insultat Prophetа dicens, Filii hominū vsquequo graues corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? Et si quinque ætatibus fuisset aliqua excusatio sequendæ vanitatis, vel sexta comprehenderent veritatem, quæ per Dominum Iesum prædicabatur & demonstrabatur, sicut sexta die homo factus est ad imaginem Dei. Quod quia noluerunt, habēt sexies quinquies impressam imaginem principis seculi, & non habent Christū, per quem signatum est in nobis lumen vultus tui Domine. Et quia eloquium Domini argentum est, illi etiam ipsam legem carnaliter intellexerunt, tanquam in argento impressam, secularis principatus imaginem amisso Domino tenuerunt. *Matt. 26* *Psal. 4* *Genes. 1* *Matt. 22* *Psal. 4* *Psalmo 11*

Quod ait, Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

Quòd Dominus dicit, Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ, id est, in cælū
42 quò hinc secum leuauit corpus in homine susceptо. Quod etiam cadauer ideo appellatum est, quia moriturus hæc loquebatur. Illuc congregabūtur aquilæ dictum est de spiritalibus, qui eius passionē humilitatémque imitando, tanquā de eius corpore saturarentur. Corpus enim propter humilitatem pro nobis passionémque susceptо. *Marc. 24*

Quod ait, Non bibam amodo de hoc genimine vitis.

Quòd Dominus dicit sub tempore pas-
43 sionis discipulis, Non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibā vobiscum nouum in regno Patris mei: vult intelligi hoc vetus esse, cùm illud nouum dicit. Quia ergo de propagine Adam, qui vetus homo appellatur, corpus susceperat, quod in passione morti traditurus erat: inde etiam per vini sacramentum commendat sanguinē suum. Quid enim aliud nouum vinum nisi immortalitatem renouandorum corporum intelligere debem⁹? Quod cùm dicit, Vobiscum bibam, etiam ipsis resurrectionem corporum, ad induendam immortalitatem promittit. Vobiscū enim nō ad illud tempus, sed ad eandem innouationem dictum accipiendū est. Nam & nos dicit Apostolus resurrexisse cum Christo, vt spes rei futuræ iam prēsentem lætitiam afferat. Quòd autē de hoc genimine vitis etiā illud nouū esse dicit, significat eadē vtique corpora resurrectura secundum innouationem cælestem, quæ nunc secundum terrenam vetustatem moritura sunt. Si autem vitem, de cuius vetustate hunc pas- *Matth. 27* *Col. 3*

sionis calicem bibit, ipsos Iudæos intellexeris, significatum est etiam ipsam gentem ad corpus Christi per nouitatem vitæ accessuram,
Romano.11 cùm ingressa plenitudine gentium omnis Israel saluus fiet.

Quòd dictum est, Expuerunt in faciem eius & colaphis eum cæciderunt.

44 Quòd dictum est, Spuerunt in faciem eius, significauit eos q eius præsentiã gratiæ re
Matt.26 spuunt. Itẽ tanquã colaphis eum cædunt, qui honores suos ei præferunt. Palmas in faciem eius dant, qui perfidia cæcati, eum non venisse affirmant, tanquam præsentiam eius exterminantes & repellentes.

De trina Petri negatione.

45 In trina Petri negatione, error hæreticorum de Christo tribus generibus terminatur
Matt.26 tur: aut enim de diuinitate eius, aut de humanitate, aut de vtroque falluntur. Notandum quòd Petrus semel ante primum gallicantũ negauit Dominum, illos significasse qui Christum ante resurrectionẽ Deum esse non putauerunt, eius morte turbati. Illud autem quòd bis ante secundum gallicantum, eos qui nunc in illo vel secundum Deum, vel secundũ hominem, vel secundum vtrunque errant, & ideo veritatem negant ante Ecclesiæ resurrectionem, vt primus gallicantus intelligatur capitis resurrectio, hoc est, ipsius Domini: secundꝰ autẽ ipsius, sed in corpore vniuersæ Ecclesiæ.

Quòd à longe secutus est Petrus Dominũ euntẽ ad passionem.

46 Quòd ad passionem euntem Dominum
Matt.26 à longe sequebatur Petrus, significat Ecclesiam secuturam quidem, hoc est, imitaturam passionem Domini, sed longè differenter. Ecclesia enim pro se patitur, at ille pro Ecclesia.

Quòd ter Dominus priusquam traderetur orauit.

47 Sicut tentatio cupiditatis trina est, ita etiam tẽtatio timoris trina est. Cupiditati quæ in curiositate est, opponitur timor mortis. Sicut enim in illa cognoscendarum rerum est auiditas, ita & in ista metus amittendæ talis notitiæ. Cupiditati vero honoris vel laudis opponitur timor ignominiæ & contumeliarum. Cupiditati autẽ voluptatis opponitur timor doloris. Non absurdè ergo intelligitur propter trinam tentationem passionis, ter Dominum orasse vt transiret calix, sed ita vt potius impleretur voluntas Patris.

DIVI AVRELII AVGVSTINI quæstionum Euangelicarum Liber secundus.

Quòd Zacharias oranti audiuit ab Angelo, Exaudita est oratio tua.

1 QVòd Zacharias orans pro populo, audiuit ab Angelo, Exaudita
Luc. 1 est oratio tua: Ecce Elizabeth vxor tua concipiet & pariet filiũ, & vocabis nomen eius Ioannẽ: primò hoc attendendum est, quàm non est verisimile, vt cùm pro populi peccatis, vel salute vel redemptione ille offerret (siquidem populꝰ eum expectabat offerentẽ) quòd potuerit relictis publicis votis homo iustꝰ, senex, vxorẽ habens anum, pro accipiendis filiis orare: præsertim quia nemo orat accipere quod se acceptum esse desperat. Vsqueadeo autẽ ille se habiturũ filiũ desperabat, vt hoc Angelo ꝓmittẽti nõ crederet. Ergo quòd ei dicitur, Exaudita est oratio tua, pro populo intelligendum est: cuius populi quoniam salus & redemptio & peccatorũ abolitio per Christum futura erat, ad hoc nũtiabatur Zachariæ filius nascitur: quia præcursor Christi destinabatur. Quòd autẽ ei non credenti Angelo, ab eodem Angelo dicitur, Et ecce eris tacens, donec impleantur hæc in tempore suo: intelligendum est significasse, quòd Prophetia vsque ad Ioannem tanquam à sono fileret intelligibili, quia non est intellecta donec in Domino cõpleretur.

Quòd de nauicula docet turbas. 2

Quòd Dominus de nauicula docet turbas Luc. 5
significauit hoc tempus quando Dominus de auctoritate Ecclesiæ docet gentes. Quòd Dominus ascendens in nauim quæ erat Petri, rogat eum à terra reducere pusillum, significat vel temperatè vtendũ verbo ad turbas, vt nec terrena eis præcipiantur, nec sic à terrenis in profundiora sacramentorum recedatur, vt ea penitus non intelligant: vel prius in proximis regionibus gentibus prædicandum, vt quod dicit item Petro, Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam, ad remotiores gentes, quibus postea prædicatum est, pertineat, sicuti Esaias dicit, Tolle signum in gentes ad eas quæ propè, & ad eas quæ longè. Vt quòd etiam retia rumpebantur piscium copia, & nauiculæ impletæ sunt, ita vt mergerentur: significat hominum carnalium multitudinem tantam futuram in Ecclesia, vt etiam diruptione pacis, exeuntibus inde hæresibus & schismatibus tãta remaneret, & tanta esset futura illi amissio fidei & bonorum morum, vt Christo dicere videatur talis Ecclesia, Exi à me, quia peccator homo sum: tanquam turbis carnalium repleta,
Luc. 5 & eorum moribus penè submersa, regimẽ spiritalium, in quibus maximè Christi persona eminet, à se repellat quodam modo. Non enim hoc voce linguæ dicunt homines bonis ministris Dei, vt eos à se repellant: sed voce morũ & actuum suorum suadent à se recedi, ne per bonos regantur: & eò vehementius, quò deferunt eis honorem, & tamen factis suis à se recedere admonent, vt honorificentiam eorum significauerit Petrus cadens ad pedes Domini: mores autem in eo quod dixit, Exi à me Domine, quia peccator homo sum. Quod tamẽ quia non fecit Dominus, non enim recessit ab eis, sed eos subductis nauibus ad litus perduxit: significat in bonis & spiritalibus viris non esse oportere hanc voluntatem, vt peccatis turbarum cõmoti, quò quasi securius tranquilliúsque viuant, munꝰ Ecclesiasticũ deserãt. Quòd ergo subductis ad terrã nauibus, relictis omnibus

bus secuti sunt cum Petrus & Iacobus & Ioannes, potest significare finem temporis, quo ab huius mundi salo qui Christo inhæserint penitus recessuri sunt.

Quodait, I profo mundato, Vade ostende te sacerdoti.

3 Quòd Dominus dicit leproso mundato, Vade, ostende te sacerdoti, & offer munus pro emundatione tua, sicut præcepit Moses in testimonium illis: hic videtur approbare sacrificium quod per Mosen præceptum est, cùm id receperit Ecclesia. Quod ideo iussisse intelligi potest, quia nondum esse cœperat sacrificium sanctum sanctorum, quod corpus eius est. Nõ dum enim in passione obtulerat holocaustum suum, quo sacrificio confirmato in credentibus populis, templum ipsum euersum est, vbi illa sacrificia offerri solebant. Hoc autem factũ est secundum Prophetiam Danielis. Nõ enim oportebat auferri significãtia sacrificia, priusquam illud quod significabatur confirmatum esset cõtestatione Apostolorũ prædicãtium, & fide credentium populorum.

De paralytico qui per tectum ante Christum est dimissus.

4 De paralytico potest intelligi anima dissoluta mẽbris, hoc est, bonis operationib⁹ Christum quærere, i. voluntatẽ verbi Dei: impediri autẽ turbis, nisi tecta, i. operta Scripturarũ aperiat, vt per hæc ad notitiã Christi perueniat, hoc est, ad eius humilitatem fidei pietate descendat. Ii autem à quibus deponitur, bonos in Ecclesia doctores possũt significare. Quòd autem cum lecto deponitur, significat ab homine in ista carne adhuc cõstituto Christum debere cognosci. Quem tamen lectum sanus postea iubetur portare, & ire in domum suam: vt remissionem peccatorum conualescentibus per spem bonam membris animæ, hoc opus restaurare intelligatur: vt iam non in carnalibus gaudiis, tanquam in lecto requiescat infirmitas animi: sed magis ipsa contineat affectiones carnales, & tendat ad requiem secretorum cordis sui.

Quomodo duos patres habere potuerit Ioseph.

5 Non absurdè quæstio proponitur, quomodo potuerit duos patres habere Ioseph. nã Matthæus eum dicit genitum ab eo qui vocabatur Iacob: Lucas verò filium esse dicit eius qui vocabatur Heli. Neque hoc loco illud dici potest, quòd vnus homo, sicut non solùm apud Gentes, sed etiam apud Iudæos accidere solere manifestum est, duo nomina habuerit. Cætera enim serie generationum, qui hoc putat, facilè refellitur. Quid enim de auis, atauis, proauis, cæterisque maioribus dicturus est, quorum diuersa nomina singuli Euangelistæ in sua quisque narratione cõtexuerũt? Quid postremò de ipso numero? quandoquidem Lucas à Domino vsque ad Dauid quadragintatres generationes enumerat: Matthæus autem à Dauid vsque ad Dominum viginti octo vel viginti septem. Certi enim sacramenti gratia vsque ad transmigrationem, & ab ipsa item transmigratione vnus bis numeratur. Quærendum igitur quomodo duos patres potuerit habere Ioseph. Et mihi quidẽ in præsentia tres occurrũt causæ, quarũ aliquã Euangelista secutus sit. Aut enim vnus erat Ioseph naturalis pater, & alter eum adoptauerat. Aut more Iudæorum cum sine filiis vnus decessisset, vxorem eius propinquus accipiẽs, filium quem genuit propinquo mortuo deputauit, vt cum ab altero alteri genitus esset Ioseph, conuenienter duos patres habere diceretur. Aut vnus Euangelista patrem eius à quo genitus est nominauit: alter verò vel auum maternum, vel aliquẽ de cognatis maioribus pessuit, cui propter consanguinitatis vinculum, in filii loco Ioseph non absurdè constitueretur, vt inde iã vsque ad Dauid non eundẽ quẽ Matthæus generationum ordinem texeret. In quibus causis illa videtur infirma, quam secundo loco posuimus: quia cùm quisque apud Iudæos defuncto fratre vel propinquo prolẽ de vxore eius exuscitat, illud quod nascitur nomen defuncti solet accipere. Ergo aut adoptio soluit istam quæstionem, aut origo maiorum aut aliqua alia causa, quæ nobis in præsenti non occurrit. Quapropter tanta est eorum dementia, qui facili⁹ dilabuntur ad Euangelistarum aliquem de mendacio criminandum, quã causas quærãt, cur diuersorum patrũ nomina singuli commemorauerint, vt temerè dicatur duas solas esse causas, quib⁹ id rectè fieri potuerit: cùm tamen ad soluendam quæstionẽ vel vnam inuenire sufficiat.

De septuaginta septem generationibus.

6 Quid sibi velit quod septuagintaseptem personæ, secundum generationes quas Lucas secutus est inueniuntur, quæri potest. Nam & huius numeri mentionem Dominus fecit, cùm eum Petrus de dimittendis peccatis fratris interrogasset. Ait enim, Non solùm septies, sed septuagiessepties esse dimittendum. Vnde rectè creditur commemoratione huius numeri omnia peccata iussisse dimitti: quandoquidem ipse per quem peccata omnia dimissa sunt, septuagesima & septima generatione, secũdum Euãgelistæ memorati testimonium, ad homines humaniter venire dignatus est. Conuenientissimè autẽ cùm sit iã etiã alia series generationum, quam Matthæus explicat, hanc ille tenuit qui baptizato Domino generationes ipsas per septuaginta & septem personas sursum versus enumerat. Nam & reditus est & tanquam ascensus ad Deum, cui post peccatorum abolitionem reconciliamur expressus, cùm sursum versus per illas generationes ascenditur. Et vtique per Baptismum fit omnium remissio peccatorum, quæ illo numero significatur. Non enim in Baptismo Domini ipsi Domino peccata dimissa sunt, sed ipsa remissio peccatorum omnium, quæ misericordia eius & potestate donata est hominibus, per illũ Baptismũ Domini, & per illũ numerum ge-

nerationum consecrata atque signata est. Nec temerè Dominus & frustra septuagesima & septima generatione venit, abolituros omnia peccata, nisi quia in illo numero aliquid latet, quod ad significationẽ pertineat omnium peccatorum. Hoc autem in vndenario & septenario consyderandum est, qui numeri per se multiplicati, ad tãtum perueniunt. Nam vndecies septem vel septies vndeni, septuaginta & septem fiunt: vndecim autem trangressionem denarii significãt. At si in denario perfectio beatitudinis significatur: vnde est etiam & illud, Mat. 20 quòd omnes conducti ad vineam denario remunerantur, quod fit cùm septenaria creatura Trinitati Creatoris adiungitur: manifestũ est quòd transgressio denarii peccatum significat, per superbiam plus aliquid habere cupientis, & integritatem perfectionémque amittentis. Hoc autem septies propterea dicitur, vt motu hominis facta significetur illa transgressio: ternario enim numero incorporea pars hominis significatur. Vnde est ꝙ ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mẽte iubemur diligere Deum. Dent. 6 Quaternario verò corpus: multis enim modis quadripertita inuenitur natura corporis. Ex his ergo coniunctis homo constãs, non absurdè septenario numero significatur. Motus autem in numeris non exprimitur cũ dicim⁹, vnũ, duo, tria, quatuor, &c. Sed cùm dicim⁹, semel, bis, ter, quater. Quapropter vt dixi, nõ septẽ & vndecim, sed septies vndecim significãt trãsgressionẽ, quæ motu facta est hominis peccãtis, hoc est, perfectionis suæ stabilitatẽ trãsgrediẽtis cupiditate ãplius aliquid habẽdi, vt tantò pòst per Prophetã animæ diceretur, Sperabas si à me discessisses aliquid amplius te habiturã? Ex quo initio superbiæ omnia peccata sylvescũt, quæ tamẽ dimittuntur, matth. 18 cùm septuagesies septies ignoscẽdũ esse admonemur, vt intelligamus nullum peccatũ excipi, quod pœnitenti & veniam deprecanti per Ecclesiam, cuius personam Petrus gestat, non dimittatur.

De eo qui habebat manum dexteram aridam.

7 Quòd dixit Dominus Iudæis, de eo qui Luce 6 habebat manum dexteram aridam, Interrogo vos si liceat sabbato bene facere, an malè, animã saluã facere, an perdere? quæritur, cũ corpuscurauerit, quare sic interrogauerit, si liceat animã saluã facere an perdere? vel dicit hoc ꝙ illa miracula propter fidem faciebat, vbi salus est animæ: vel quòd ipsa sanatio manus dextræ salutem animæ significabat, quæ à bonis operibus cessans, aridam quodammodo dexterã habere videbatur: vel animã pro homine posuit, sicut dici solet, Tot animæ ibi fuerunt.

Quod ait, Mensuram bonam, conf rtam & coagitatam dabunt in sinum vestrum.

8 Quòd Dominus dicit, Date & dabitur vo Luce 6 bis: mensuram bonam, & cõfertam & coagitatam & superefluentem dabunt in sinum vestrum: ex illa sententia accipi potest, qua dicit & alio loco, Vt ipsi recipiant vos in æterna ta Luce 16 bernacula: vt plebi præceptum esse videatur quod dictũ est, Date & dabitur vobis. Secun- Luce 6 dum quam sententiam dicit Aposto. Communicet qui catechizatur verbo Dei, ei qui se Gala. 6 catechizat in omnibus bonis. Non enim dicere t, Dabunt in sinum vestrũ, nisi quia per illo- Matth. 10 rum merita, quibus vel calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli dederint, mercedem cælestem recipere merebuntur.

Quod ait, Nunquid potest cæcus cæcum ducere?.

Quòd Dominus dicit, Nunquid potest 9 cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueã cadent? Fortasse hoc ideo subiunxit, ne sperarent à Leuitis se accepturos mensuram illam de qua dicit, Dabunt in sinum vestrum: quoniam ipsis dabant decimas, quos cæcos dixit, quia Euangelium non tenerent, vt illam remunerationẽ per discipulos Domini potius plebs iam inciperet sperare, quos imitatores suos volens ostendere, addidit etiam, Non est discipulus super magistrum.

De illo qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram.

Quòd Dominus dicit, Omnis qui venit 10 ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam vobis cui similis est. Similis est homini ędificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram. Fodere dixit humilitate Christiana omnia terrena exhaurire de corde suo, ne propter aliquid tale Deum colat. In altum autem fodere, donec ad petram perueniat, intantum Christum gratis sequi & gratis eum colere, vt non solùm non propter superflua, sed nec propter illa quæ videntur huic vitæ necessaria & quæ sine culpa à quouis iusto sumi & haberi possunt, tamen tẽporalia atque terrena sunt, colẽdus putetur.

De pueris sedentibus in foro, & adinuicem clamantibus.

De pueris sedentibus in foro & adinuicem 11 clamantibus, conuerso ordine ad proposita respondit. Nam quòd ait, Lamentauimus & nõ ploraſtis, ad Ioannem pertinet, cuius abstinentia à cibis & potu, luctum pœnitentiæ significabat. Quòd autem ait, Cantauimus tibiis & non saltastis, ad ipsum Dominum pertinet, qui vtendo cum cæteris cibo & potu, lætitiam regni figurabat. At illi nec humiliari cum Ioanne, nec cũ Christo gaudere voluerunt, dicẽtes illũ dæmonium habere, istum voracẽ & ebrio sum & amicum publicanorum & peccatorum. Quòd autem subiungit, Et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis, ostendit filios sapientiæ intelligere, nec in abstinendo nec in manducando esse iustitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, & intemperantia per abundantiam non se corrumpendi atque opportunè sumendi vel non sumendi ea quorum non vsus, sed concupiscentia reprehendenda est. Non enim interest omnino quid alimentorum sumas, vt succurras necessitati corporis, dummodo congruas in generibus alimentorum

limentorum his cum quibus tibi viuendum est. Neque quantum sumas multum interest, quum videamus aliorum stomachum citius satiari, & eos tamen illipsi paruo quo satiãtur, ardenter & intolerabiliter & omnino turpiter inhiare. Alios autem plusculo quidem satiari: sed tolerabilius inopiam perpeti, & vel ante horam positas epulas, si id in tempore aut opus sit, aut necesse sit, cum tranquillitate aspicere neque tangere. Magis ergo interest, non quid vel quantum alimentorum pro congruentia hominum atque personæ suæ & pro suæ valetudinis necessitate quis capiat: sed quanta facilitate atque serenitate animi careat, cũ his vel oportet vel etiam necesse est carere, vt illud in animo Christiani compleat quod A-
Philip. 4 postolus dicit, Scio & minus habere, scio & abundare in omnibus, & in omnibus imbutus sum, & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati, Omnia possum in eo qui me confortat. Et illud, Neque si manducauerimus abun-
1. Cor. 8 dabimus, neque si non manducauerimus egebimus. Et illud, Non est enim regnum Dei esca
Roma. 14 & potꝰ, sed iustitia & pax & gaudium. Et quia solẽt homines multum gaudere de carnalibus epulis, addidit, In Spiritu sancto. Iustificatur etiam sapientia ab omnibus filiis suis, qui intelligunt vrẽdis terrenis tempora opportuna esse debere: facilitatem verò carendi talibus, & amorem fruendi æternis, non variari oportere per tempora, sed perpetuò retineri.

Quòd ait, Nemo lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit.

12 Quòd Dominus ait, Nemo autem lucer-
Luca 8 nam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit: sed super candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen. Qui verbum Dei timore carnalium incommodorum abscondit, ipsam vtique carnem præponit manifestationi veritatis, & ea quasi cooperit verbum timendo prædicare. Eã itaque vasis & lecti nomine appellauit, sub quo lucernam ponere ait eum qui hoc facit.

De illo in quo erat legio dæmoniorum.

13 Quòd in regione Gerasenorum curauit
Luca 8 Dominus eum in quo erat legio dæmonum, significatæ sunt Gentes quæ multis dæmonibus seruiebant. Quòd sine vestimento erat, non habebat fidẽ. Quòd in domo non habitabat, in cõscientia sua nõ requiescebat. Quòd in monumentis manebat, in mortuis operibus, hoc est, peccatis delectabatur. Quòd autem compedibus ferreis & cathenis ligabatur, significat graues & duras leges Gentium, quibus & in eorum republica peccata cohibentur. Quòd etiam vinculis talibus diruptis agebatur à dæmonio in eremum, significat quòd etiam ipsis transgressis legibus ad ea scelera cupiditate ducebantur, quæ iam vulgarem consuetudinẽ excederent.

Quòd autem in porcos pascentes in montibꝰ dæmonia ire permissa sunt, significat immundos & superbos homines, quibus dæmonia dominantur per idolorum cultus. Quòd autem in stagnum præcipitati sunt, significat quòd iã clarificata est Ecclesia, & liberato populo gentium à dominatione dæmoniorum, in abditis agunt sacrilegos ritus suos, qui Christo credere noluerũt, cæca & profunda curiositate submersi. Quòd autem pastores porcorum fugiẽtes ista nuntiauerunt, significat quosdã etiam primates impiorum, quanquam Christianam Legem fugiant, potentiam tamen eius per gentes stupendo & mirando prædicare. Quòd Gerasseni pergunt videre quod factum est, & inueniunt hominem vestitum & mente sana sedere ad pedes Iesu, & cognoscentes quid factum sit, rogant Iesum vt ab eis discederet, magno timore perculsi, significat multitudinẽ vetustate sua vita delectatam, honorare quidem, sed nolle pati Christianam legem, dum dicunt quòd eam implere non possint, admirantes tamen fidelem populum à pristina perdita conuersatione sanatum. Quòd ille cupit iam esse cum Christo, & tamen dicitur ei, Redi in domum tuam, & enarra quanta tibi fecit Deus: ex illa Apostoli sententia rectè potest intelligi, cùm ait, Cupio dissolui & esse cum Christo, multò magis optimum: manere in carne necessarium propter vos: vt sic quisque intelligat, post remissionem peccatorum, redeundum sibi esse in conscientiam bonam, & seruiendum Euangelio propter aliorum etiam salutem, vt deinde etiam cum Christo requiescat, ne cùm properè iam vult esse cum Christo, negligat ministerium prædicationis fraternæ redemptioni accõmodatum.

De septuaginta duobus discipulis. 14

De septuaginta duobus discipulis. Sicut viginti quatuor horis totus orbis peragitur atque lustratur, ita ministerium illustrandi orbis per Euangelium Trinitatis, in septuaginta duobus discipulis intimatur. Vigintiquatuor enim ter in septuaginta duobꝰ ponimꝰ. Quòd autem binos mittit, sacramentum est charitatis: siue quia duo sunt charitatis præcepta, siue quia omnis charitas, minꝰ quàm inter duos esse non potest.

Quod ait, Si lumen quod in te est, tenebræ sunt. 15

Quòd Dominus dicit, Si lumen quod est in te tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quãtæ erunt? Lumen dicit bonam intentionem mentis, qua operamur, tenebras autem ipsa opera appellat. Siue quia ignoratur ab aliis quo animo illa faciamus, siue quia eorum exitum etiam ipsi nescimus, id est, quomodo exeant atque proueniant eis, quibus nos ea bono animo impendimꝰ. Plerunque enim beneficiis nostris malè vtendo corrumpuntur, quibus nos ea misericorditer beneuola intentione prẽstamus.

Quod ait, Nunc vos Pharisæi quod deforis est calicis & catini mundatis.

16 Nunc vos Pharisæi quod de foris est cali
Lucæ 11 cis & catini mundatis. Hinc & deinceps quod dicit in Pharisæos & Legis doctores, hoc est quod superius dixit, Obstirmauerat faciem suam in Hierusalem, vt eis apertè vera diceret vitia & peccata eorum.

De digito Dei.

17 Ideo dicitur Spiritus sanctus digitus Dei,
Luc. 9 propter partitionem donorum, quæ in eo dantur vnicuique propria, siue hominum siue Angelorum: in nullis enim membris nostris magis apparet partitio quàm in digitis.

De ieiunio filiorum sponsi.

18 Ieiuniũ aut in tribulatione est, aut in gau-
Lucæ 11 dio. In tribulatione ad propitiandum Deum pro peccatis, in gaudio verò cùm tantò minus delectant carnalia, quantò spiritalium maior sagina est. Cùm ergo Dominus interrogatus esset, cur discipuli eius non ieiunarẽt, de vtroque ieiunio respondit. Nanque ad illud quod in tribulatione ieiunari solet, pertinet quod ait, Sponsi filios tunc ieiunaturos cùm ablatus fuerit ab eis sponsus: tunc enim desolabuntur, & in mœrore ac luctu erunt, donec eis per Spiritum sanctum gaudia consolatoria retribuantur. Quo dono percepto, etiam ieiunii alterũ genus, quod fiat per lætitiam, iam renouati in vitam spiritalem, conuenientissimè celebrabunt. Quod antequam accipiant, dicit eos tanquam vetera vestimenta, quibus inconuenienter nouus pannus assuitur, id est, aliqua particula doctrinæ, quæ ad nouæ vitæ temperantiam pertinet. Quia si hoc fiat, & ipsa doctrina quodam modo scinditur, cuius particula quæ ad ieiunium ciborum valet, importunè traditur, quum illa doceat generale ieiunium, non à concupiscentia ciborum tantùm, sed ab omni lætitia temporalium delectationum, cuius quasi pannum, id est, partem aliquam quæ ad cibos pertinet, dicit non oportere hominibus adhuc veteri consuetudini deditis impertiri: quia & illinc quasi concisio videtur fieri, & ipsi vetustati non conuenit. Dicit etiam similes eos esse veteribus vtribus, quos vino nouo, id est, spiritalibus præceptis facilius disrumpi, quàm illud cõtinere posse dicit. Erant autem iam vtres noui, cùm post ascensum Domini desiderio consolationis eius orando &
Actũ 2 sperando innouabantur. Tunc enim acceperunt Spiritum sanctum, quo impleti cùm omnium qui de diuersis Gẽtibus aderant linguis loquerentur, dicti sunt musto pleni. Nouum enim vinum iam nouis vtribus venerat.

De illo qui descendens ab Hierusalem in Hiericho incidit in latrones.

19 Homo quidam descendebat ab Hieruſa-
Lucæ 10 lẽ in Hiericho, ipse Adã intelligitur in genere humano. Hierusalẽ ciuitas pacis illa cælestis, à cuius beatitudine lapsus est. Hiericho luna interpretatur, & significat mortalitatẽ nostrã: propter hoc quòd nascitur, crescit, senescit. Et incidit in latrones, diabolũ & angelos eius, qui eũ spoliauerũt immortalitate, & plagis impositis peccata suadendo reliquerunt semiuiuum: quia ex parte qua potest intelligere & cognoscere Deum, viuus est homo, ex parte qua peccatis contabescit & premitur, mortuus est, & ideo semiuiuus dicitur. Sacerdos autem & Leuita, qui eo viso præterierunt, sacerdotium & ministerium veteris testamenti significãt, quæ non poterant prodesse ad salutem. Samaritanus custos interpretatur. Et ideo ipse Dominus significatur hoc nomine. Alligatio vulnerum est cohibitio peccatorum. Oleum, consolatio spei bonæ, propter indulgentiã datam ad reconciliationem pacis. Vinum, exhortatio ad operandum feruentissimo spiritu. Iumentum eius est caro, in qua ad nos venire dignatus est. Imponi iumento, est in ipsam incarnationem Christi credere. Stabulum est Ecclesia, vbi reficiuntur viatores de peregrinatione redeuntes in æternam patriam. Altera dies est post resurrectionem Domini. Duo denarii, sunt duo præcepta charitatis, quam per Spiritum sanctum acceperunt Apostoli ad euangelizandum cæteris, vel promissio vitæ præsentis & futuræ. Secundum enim duas promissiones dictum est, Accipiet in hoc seculo cẽties *Matth. 19*
tantum, & in seculo futuro vitam æternam cõsequetur. Stabularius ergo est Apostol⁹. Quod *1. Cor. 7*
supererogat, aut illud est consiliũ quod ait, De virginibus autem præceptum Domini non habeo, cõsilium autem do: aut quòd etiam ma- *2. Thessa. 3*
nibus suis operatus est, ne infirmorum aliquẽ in nouitate Euangelii grauaret, cùm ei liceret pasci ex Euangelio.

Quod Martha excepit illum in domum suam vbi Maria sedebat ad pedes Domini.

Quòd Martha excepit illum in domum 20
Luc. 10 suam, significat Ecclesiam, quæ nunc est, excipientem Dominum in cor suum. Maria soror eius, quæ sedebat ad pedes Domini, & audiebat verbum eius, significat eandem Ecclesiam, sed in futuro seculo, vbi cessans ab opere ministerióque indigentiæ, sola sapientia perfruetur. Martha ergo occupata est circa multum ministerium, quia nunc talibus operibus exercetur Ecclesia. Quòd autem queritur quòd se soror eius non adiuuet, occasio datur sententiæ Domini, qua ostendit istam Ecclesiam solicitam esse & turbari circa plurima, cùm sit vnum necessarium, ad quod per ministerii huius merita peruenitur. Mariam verò dicit optimam partem elegisse, quæ non auferetur ab ea: & ideo intelligitur optima, quia & per hanc ad illam tenditur, & non auferetur. Illa verò pars ministerii, quanuis sit bona, tamen auferetur, quando indigentia cui ministratur transierit.

De illo qui media nocte petiit ab amico tres panes.

Amicus ad quem venitur media nocte, vt 21
accommodet tres panes, vtique ad similitudinem ponitur: secundum quam quis Deum rogat

gat in media tribulatione constitutus, vt ei tri buat intelligentiam Trinitatis, qua præsentis vitæ consoletur labores. Sed comparatio est à minore. Si enim amicus homo surgit de lecto, & dat, non amicitia, sed tædio cõpulsus: quantò magis Deus dat qui sine tædio largissimè donat quod petitur: sed ad hoc repeti vult, vt capaces donorum eius fiant qui petunt? In tribus autem panibus etiam illud significatur, vnius esse substantiæ Trinitatẽ. Amicus autem quem dicit ille qui petit venisse de via, & nõ se habere quod ponat ante illum, intelligitur ho minis appetit⁹, qui debet obtemperare rationi. Seruiebat autem consuetudini temporali, quam viam vocat propter omnia per tempus transeuntia. Cõuerso autẽ homine ad Deum, etiam ille appetitus à consuetudine reuocatur: sed si non consolatur interius gaudium de doctrina spirituali, qua Creatoris Trinitas prædicatur, magnæ angustiæ sunt in homine quẽ premit ærumna mortalis, cùm ab his quæ foris delectant præcipitur abstinentia, & intus non est refectio de lætitia doctrinæ salutaris: & ista angustia est media nox, qua cogitur vehementer instare petendo vt accipiat tres panes. Quòd autem ei dicitur deint⁹ iam ostium clausum esse, pueros quoque eius cum eo in cubili esse, significat tempus famis verbi, cum intelligentia clauditur, & illi qui Euãgelicam sapientiam tanquam panem erogantes, per orbem terræ prædicauerunt, pueri patrisfamilias iam sunt in secreta quiete cũ Domino: & tamen orando efficitur vt accipiat desyderans intellectum ab ipso Deo, etiam si homo desit per quem sapientia prædicetur.

22 *De pane, pisce & ouo.*

Luc. 11 De pane, pisce & ouo, quib⁹ contraria posuit lapidem, serpentem & scorpionem, intelligitur panis charitas, propter maiorem appetitum, & tam necessarium, vt sine illa cætera nihil sint: sicut sine pane mẽsa est inops. Cui cõtraria est cordis duritia, quem lapidi comparauit. Piscis autẽ intelligitur fides inuisibilium, vel propter aquam Baptismi, vel quia de inuisibilibus locis capitur. Quòd etiam fides huius mundi fluctibus circunlatrata non frangitur, rectè pisci comparatur. Cui contrarium posuit serpentem, propter venena fallaciæ, quæ etiam primo homini malè suadendo præseminauit. In ouo intelligitur spes: ouum enim nondum est fœtus perfectus, sed fouendo speratur. Cui contrarium posuit scorpionem, cuius aculeus venenatus retrò timendus est, sicut spei contrarium est retrò respicere, quum spes futurorum in ea quæ antè sunt se extẽdat.

Quòd ait, Tulistis clauem scientiæ.

23 Luc. 11 De eo quod dicit Dominus Scribis vel doctoribus Iudæorũ, Tulistis clauem scientiæ, & ipsi non introistis, & eos qui introibãt prohibuistis, accipiendũ quod in Scriptura de humanitate Christi dicitur, quam nec ipsi intelligere, nec ab aliis intelligi volebant.

Quod Anima plus est quàm esca.

Quòd Dominus dicit discipulis, Anima 24
pluris est quàm esca, & corpus quàm vestimen- Luc. 12
tum. Et vtique si hoc tibi dedit quod plus est, quantò magis dabit quod minus est?

Quod ait, Sint lumbi vestri præcincti.

Quòd Dominus dicit, Sint lumbi vestri 25
præcincti, propter continentiam ab amore re- Luc. 12
rum secularium: lucernæ ardentes, hoc ipsum vt vero fine & recta intentione faciatis.

De mensura tritici quam dat fidelis dispensator familiæ.

Quòd Dominus dixit Petro, Quis pu- 26
tas est fidelis dispensator & prudens, quem Luc. 12
constituet Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? Mensuram dicit propter modum capacitatis quorunque audientium.

Quod ait, Cùm videritis nubem orientem ab occasu.

Quòd Dominus dicit, Cùm videritis nu- 27
bem orientem ab occasu, carnem suam à mor- Luc. 12
te resurgentem significat. Ex illo enim omnibus terris imber Euangelicæ prædicationis infusus est. Austrum flantem ante æstus, tribulationes leuiores ante iudicium.

Quod ait de Statura corporis sui non possent aliquid addere.

Quòd Dominus dicit, Si enim quod mi- 28
nimum est non potestis, cùm de augenda cor- Luc. 12
poris statura diceret. Minimum enim est hoc, sed Deo, corpora operari.

Quod ait, Nolite in sublime extolli.

Cùm diceret discipulis non debere habe- 29
ri solicitudinem de cibis ait, Et nolite in su- Luc. 14
blime extolli. Primò enim hæc ad necessitatem implendam homo quærit. Cùm autem hæc abundauerint, incipit & superbire de talibus. Tale est hoc, ac si se vulnerat⁹ quis iactet, quia habeat multa emplastra in domo, quum hoc illi bonum esset vt vulnera non haberet, & ne vno quidẽ indigeret emplastro. Congruenter hydropicum animali quod cecidit in puteum comparauit: tumore enim laborabat, sicut illam mulierem quam decem & octo annis alligatam dixerat, & ab eadem alligatione soluebat, comparabat iumento quod soluitur vt ad aquam ducatur. Hydropicum autem rectè comparamus diuiti auaro. Sicut enim ille quantò magis abundat humore inordinato, tantò amplius sitit, sic iste quantò est copiosior diuitiis quibus non bene vtitur, tantò ardentius talia concupiscit. Illam verò ita morbo incuruatam vt se erigere non posset, animę assimilauit terrenis opinionibus vel operib⁹ debilitatæ vel oppressæ, ita vt diuina cogitare non valeat.

De inuitatis ad cœnam.

30
Quòd de ciuitate adducit inuitatos ad Luc. 14
cœnam, de ipsa gente Iudæorum qui crediderunt, significat debiles peccatis, non habentes superbiam quasi iustitiæ, quæ mendax primates eorum à gratia prohibebat. Quòd autem de sepib⁹ & viis alios adduci iussit, cùm adhuc locus esset, gentes significat, propter diuersas

vias sectarum,& spinas peccatorum.

De sumptibus ad turrim ædificandam,

31 Sūpt⁹ ad turrim ædificandā, vires sūt ad di
Luc.c.10 scipulatū Christi obtinendū,& decē millia prę-
liaturi cū rege qui habebat vigīti milia, simpli
citatem Christiani dimicaturi cum duplicita-
te diaboli, hoc est, cum dolis & fallaciis eius in
affectu constituti renuntiantis omnibus quæ
sunt eius. Ita enim concludit, Sic ergo omnis
ex vobis qui non renuntiauerit omnibus quæ
possidet, non potest meus esse discipulus. In-
ter quæ omnia etiam ipsa temporalis vita in-
telligatur, necesse est. Quam oportet sic possi-
dere ad tempus, vt non impediat ab ęterna, qui
eam fuerit minatus auferre. Sicut autem de
turri nō perfecta per opprobrium deterruit di
centium, Quia hic homo cœpit ædificare, &
non potuit consummare: sic in rege cum quo
dimicandum est, ipsam pacem accusauit, cùm
ait, Adhuc illo longè agente, legationem mit-
tens rogat ea quæ sunt pacis: significans mi-
nas imminentium à diabolo tētationum non
sustinere homines, qui nō renūtiant omnibus
quæ possident, & pacem cum eo facere con-
sentiendo illi ad committenda peccata. Tur-
rim quippe illum ædificare, & contra regem
illum dimicare, esse discipulum Christi est: ha-
bere autem sumptus ad perficiendam turrim,
& habere fortia decē millia cōtra viginti mil-
lia regis, renūtiare est omnibus quæ sunt eius.

De sale infatuato & de oue perdita.

32 Salem infatuatum apostatam dixit, ouem
Luca 14 perditam omnes peccatores dixit, qui per pœ-
nitentiam reconciliantur Deo. Quam humeris
suis portat, quia humiliando se tales erexit.
Ideo autem illas nonaginta nouem dixit, quas
reliquit in deserto, quia superbos significat
tanquam solitudinem gerentes in animo, dum
solos se videri volunt, quibus ad perfectio-
nem vnitas deest. Quum enim quisque à ve
ra vnitate superbia diuellitur, suæ quip-
pe potestatis esse cupiens, non sequitur vnum
quod Deus est. Ideóque & in nonaginta no-
uem ouibus, & in nouē drachmis, ponit eorum
significationem, qui de se præsumentes, pecca-
toribus ad salutem redeūtibus se præponunt.
Vnum enim deest ad nouem vt decem sint, &
ad nonaginta nouem vt centum sint. Et si per
cęteros numeros hoc consyderes: nam & non-
gentis nonaginta nouem vnum deest vt mille
sint, & ad nouem millia nongentos nonaginta
nouem, vnum deest vt decē millia sint. Variari
ergo per breuitatē & magnitudinem numeri
possunt, quibus vnum deest vt perficiantur. Ip
sū verò vnū sine varietate in se manēs, cùm ac-
cesserit perficit, cui deputat omnes per pœni-
tentiā recōciliatos, quæ humilitate obtinetur.

De filiis quorū minor profectus est in regionē lōginquā.

33 Homo habens duos filios, Deus ad duos
Luc.15 populos intelligitur, tanquā stirpes duas gene
ris humani, vnā eorū qui permanserunt in v-
nius Dei cultu, aliā eorū qui vsque ad colenda
idola deseruerunt Deū. Ab ipso autē exordi
creaturæ mortalium consideratio debet intel-
ligi vel intendi. Maior ergo filius ad cultum
vnius Dei pertinet. Minorem in regionem lō-
ginquam profectum esse dicit. Petiit enim vt
sibi pars substantiæ quæ eum tangeret daretur
à patre, tāquam anima sua potestate delectata,
id quod illi est viuere, intelligere, meminisse,
ingenio alacri excellere. Omnia ista diuina sūt
munera, quæ in potestatem accipiens per libe.
rum arbitrium, quia diuisit pater liberis sub-
stantiam, minor filius in regionem lōginquam
profectus, malè vtēdo naturalibus bonis, eoi-
pso quòd patrē deseruit cupiditate fruēdi cre
atura, relicto ipso Creatore. Quòd non post
multos dies dixit factum, vt cōgregatis omni-
bus peregrè proficisceretur in regionē lōgin
quā, quia non multò post institutionē humani
generis, placuit animæ per liberum arbitrium
ferre secum quandam velut potentiam naturę
suæ, & deserere eum à quo cōdita est, prędēs
viribus suis: quas vires tantò consumit citius,
quantò eum deserit à quo datæ sunt. Itaque
hanc vitam prodigam vocat amātem fundere,
atque spatiari pompis exterioribus, intus ina-
nescentem, cùm ea quisque sequitur quę ab il-
la procedunt, & relinquit eum qui sibi est in-
terior. Regio itaque longinqua, obliuio Dei
est: fames autem in illa regione est indigentia
verbi veritatis. Vn⁹ ciuium regionis illius, a-
liquis aereus princeps ad militiam diaboli per-
tinens. Villa eius, modus potestatis ei⁹. Porci,
immundi spiritus, qui sub ipso sunt. Siliquæ
quib⁹ porcos pascebat, seculares doctrinæ ste-
rili vanitate resonantes, de quibus laudes ido-
lorum fabularūmque ad deos gentium perti-
nentium, vario sermone atq; carminibus per-
crepant, quibus dæmonia delectantur. Vnde
cùm iste saturari cupiebat, aliquid solidum &
rectū, quod ad beatam vitam pertineret, inue
nire volebat in talibus, & non poterat. Hoc est
enim quod ait, Et nemo illi dabat. In se autem *Luc.15*
reuersus, iam scilicet ab eis quæ forinsecus fru
stra illiciunt & seducunt, in conscientiā interi
orem reducem faciens intentionē suam, dixit,
Quanti mercennarii in domo patris mei abū-
dāt panibus? Vnde hoc scire poterat in quo e-
rat tāta obliuio Dei, sicut in omnibus idolola
tris fuit, nisi quia ista recogitatio iam resipiscē
tis est, cùm Euangeliū prædicaretur? Iam enim
poterat talis animaduertere multos prædicare
veritatem, inter quos quidā essent nō ipsius a-
more veritatis ducti, sed cupiditate cōparando
rū secularium cōmodorum. De quibus dicebat
Apostolus, esse quosdā qui Euangeliū annūti- *Phili.1*
arēt non castè, existimantes quæstum esse pie-
tatē. Nō enim aliud annūtiabant, sicut hæreti
ci, sed hoc quod Apostol⁹ Paul⁹, nō eo tamē a-
nimo quo Apostol⁹ Paul⁹: vnde & mercēnarii
rectè appellātur, in eadē quidē domo eundē pa
nē verbi tractantes, nō tamē in hæreditatē ęter
nam vocati, sed tēporali mercede cōducti. De
talibus dictū est, Amen dico vobis, perceperūt *Matth.6*
Luc.15
merce-

mercedē ſuam. Ego ergo (inquit) hîc fame pereo. Deinde ait, Surgam (quia iacebat) & ibo (quia longè aberat) ad patrem meum, quia ſub principe porcorū erat. Cætera verba ſunt pœnitentiā meditātis in cōfeſsione peccati, nondū tamen agētis. Non enim iam dicit patri, ſed dicturum ſe eſſe promitit cùm venerit. Intelligas igitur hoc nunc accipiendum eſſe venire ad patrē, in Eccleſia conſtitui per fidē, vbi iam poſsit eſſe peccatorū legitima & fructuoſa confeſsio. Quid ergo patri dicturū ſe dicit? Pater peccaui in cęlum & corā te: & iam non ſum dign⁹ vocari filius tuus. fac me ſicut vnū de mercēnariis tuis. Vtrùm hoc eſt, Peccaui in cælū, quod eſt, Corā te, vt cęlum appellauerit ipſam ſummitatē patris? Vnde eſt etiam illud in Pſalmo, A ſūmo cælo egreſsio eius, cùm ab ipſo patre vellet intelligi. An poti⁹, Peccaui in cælum corā ſāctis animis, in quibus eſt ſedes Dei? Coram te autē, in ipſo penetrali interiore cōſcientiæ. Et ſurgens venit ad patrē ſuū. Cùm autem adhuc longè eſſet, antequā intelligeret Deum, ſed tamen cùm iam piè quæreret, vidit illū pater ipſius. Impios enim & ſuperbos cōuenienter non videre dicitur, tanquā ante oculos nō habere. Ante oculos enim haberi, non niſi qui diliguntur dici ſolent. Et miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collū eius. Non enim Pater vnigenitū Filium deſeruit, in quo vſque ad noſtrā longinquā etiam peregrinationē cucurrit atque deſcendit: quia Deus erat in Chriſto mundū recōcilians ſibi. Et ipſe Dominus ait, Pater in me manens, ipſe facit opera ſua. Quid eſt autē, Super collū eius cadere, niſi inclinare & humiliare in amplexū eius brachiū ſuum. & brachiū Domini cui reuelatum eſt? Quod eſt vtique Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Et oſculatus eſt illum, id eſt, cōſolari verbo gratiæ Dei ad ſpē indulgentiæ peccatorū, hoc eſt, poſt longa itinera remeantem, mereri à patre oſculū charitatis. Et incipit iā peccata cōſtitutus in Eccleſia cōfiteri. Nec dicit omnia quæ dicturū ſe eſſe promiſerat: ſed vſque ad illud, Nō ſum dign⁹ vocari filius tuus. Hoc enim vult fieri per gratiā, quò ſe indignū eſſe per merita fateatur. Nō addit quod in illa meditatione dixerat, Fac me ſicut vnū de mercēnariis tuis. Cùm enim panē non haberet, vel mercēnarius eſſe cupiebat, quod poſt oſculum patris generoſiſsimè iā dedignatur. Stola prima eſt dignitas, quā perdidit Adam. Serui qui eam ꝓferūt, recōciliationis prædicatores. Annulus in manu, pignus eſt Spiritus ſancti propter gratiæ participationē, quæ digito Dei bene ſignificatur. Calciamēta in pedes, præparatio euāgelizandi ad non tangenda terrena. Vitulus ſaginatus, ipſe itē Dominus, ſed ſecundū carnem ſatiatus opprobriis. Quòd autē impetrat vt adducant eū, quid aliud eſt niſi vt prædicent eum, & annuntiādo venire faciant inexhauſta fame viſcera filii eſurientis? Nam etiam vt occidāt eum iubet, hoc eſt, vt mortē eius inſinuēt. Tunc enim cuique occiditur, cùm credit occiſū. Et epulemur, inquit. hoc ad lętitiā valet ꝓpter illa quę conſequenter dicit, Quia hic fili⁹ me⁹ mortu⁹ erat & reuixit, perierat & inuentus eſt. Et iſtæ æpulæ atq; feſtiuitas nūc celebrātur per orbē terrarum Eccleſia dilatata atq; diffuſa. Vitulus enim ille in corpore & ſāguine Dominico offertur patri, & paſcit totā domū. Cùm interea maior filius popul⁹ Iſrael ſecundum carnem, non quidem ꝓfectus in lōginquā regionem, ſed tamen in domo non eſt: in agro autem eſt, id eſt, in ipſa hæreditaria opulentia Legis & Prophetarum, terrena poti⁹ operatur, & in quibuſcūq; Iſraelitis cōſyderatoribus. Nā multi tales inuēti ſunt in eis, & ſæpe inueniūtur. Veniens de agro domui ꝓpinquare cœpit, id eſt, labore ſeruilis operis improbato, ex eiſdem Scripturis Eccleſiæ liberatē cōſyderauit. Audit ſymphoniā & chorū, ſicilicet ſpiritu plenos vocibus cōſonis Euāgeliū prædicare. Quibus dictū eſt, Obſecro vos, fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & cōcorditer cōuerſātium animā & cor vnum in laudes Dei. Vocat vnū de ſeruis, & interrogat quæ illa ſint. Sumit vtiq; ad legendū aliquē Prophetarum, & in eo quærens quodam modo interrogat, vnde iſta feſta in Eccleſia celebrantur, in qua ſe eſſe nō videt. Reſpōdet ei ſeruus patris Propheta, Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum ſaginatum, quia ſaluū illum recepit. In extremis enim terræ fuit frater tuus. Sed inde maior exultatio cantantium Domino cāticum nouum, quia laus eius ab extremis terræ, & propter eū qui abſens erat occiſus eſt vir in plaga poſitus, & ſciens ferre imbecillitatem: quia quibus nō narratum de eo viderunt, & qui nō audierant, intellexerunt. Sed indignatur etiā nunc, & adhuc non vult introire. Cùm ergo plenitudo gentium intrauerit, egredietur opportuno tēpore pater eius, vt etiā omnis Iſrael ſaluus fiat: ex cuius parte cæcitas facta eſt velut abſentia in agro, donec plenitudo filii minoris, longè in idololatria gētium cōſtituti reducta ad māducandū vitulum intraret. Erit enim quādoq; aperta vocatio Iudæorum in ſalute Euangelii. Quā manifeſtationē vocationis, tanquam egreſſū patris appellat ad rogandū maiorē filiū. Deinde quę reſpōdet idē maior fili⁹, duas queſtiones habēt. Quomodo accipiatur ille populus nunquā mandatū Dei præteriiſſe: & quem dicat hœdum, quem nunquam accepit, vt cum amicis ſuis epularetur. Sed de mandato non prætergreſſo facilè illud occurrit, neque de omni mandato dictum eſſe, ſed de vno maximè neceſſario, quo nullum alium Deum præter vnum omnium Creatorē colere iuſſus eſt. Neque iſte filius in omnibus Iſraelitis, ſed in iis intelligitur habere perſonam, qui nūquam ab vno Deo ad ſimulachra cōuerſi ſunt. Quāquā enim tanquam in agro poſitus iſte filius terrena deſyderaret: ab vno tamen Deo iſta deſyde

Pſalm. 18

Luca 15

2. Cor 5
Ioan. 4

Eſaiæ 53

Luce 15

Luc. 15

1. Cor. 1

Luc. 15

Eſai 42

Eſai. 53

Eſai. 52

Roma 11

rabat bona, quãuis cõmunia cum pecoribus. Vnde in Psalmo ex persona synagogæ, quod interpretatur Asaph, conuenienter accipitur dictũ, Quasi pecus factus sum apud te, & ego sẽper tecum. Quod etiam patris ipsius testimonio comprobatur cùm dicit, Tu mecum es semper. Non enim quasi mentientẽ redarguit: sed secum perseuerantiam eius approbans, ad perfruitionẽ potioris atque iucundioris exultationis inuitat. Quis est ergo hœd⁹, quẽ nunquã accepit ad epulandum? Peccator profectò hœdi nomine significari solet. Sed absit vt Antichristũ intelligam. Nõ enim exitum inuenio huiusce sententiæ. Multũ enim absurdum est, eum cui dicitur, Tu mecũ es semper, hoc à patre optasse, vt Antichristo crederet. Neq; omnino in eis Iudæis, qui Antichristo credituri sunt, istũ filium fas est intelligi. Quomodo autem epularetur ex illo hœdo, si ipse esset Antichristus qui ei non crederet? Aut si hoc est epulari ex hœdi occisione, quod est de Antichristi perditione lætari, quomodo dicit filius quem recepit pater, hoc sibi non fuisse concessũ, cùm omnes filii Dei de illius aduersarii dãnatione lætaturi sunt? Nimirũ ergo quod in re obscurissima sine præiudicio diligentioris inquisitionis dixerim, ipsũ Dominũ sibi negatũ ad epulandũ cõqueritur, dũ eum peccatorẽ putat. Cùm enĩ hœd⁹ est illi genti, id est, cùm eum sabbati violatorẽ & prophanatorem Legis existimat iocũdari epulis ei⁹ nõ meruit, vt quod ait Nunq̃ dedisti mihi hœdũ vt cũ amicis meis epularer, tale sit ac si diceret, Eũ qui mihi hœd⁹ videbatur, nunquã dedisti mihi ad epulãdum eoipso mihi illũ nõ cõcedens, quò mihi hœd⁹ videbatur. Quòd autẽ dicit, Cũ amicis meis, aut ex persona principũ cũ plebe intelligitur, aut ex persona populi Hierosolymitani cũ cæteris populis Iuda. Meretrices autẽ cũ quibus dissipasse substantiã suam filius minor accusatus est, rectè intelliguntur superstitiones, relicto vno cõnubio legitimo verbi Dei, cum turba dæmoniorum, cupiditate turpissima fornicari. Quid deinde sibi vult, quòd cùm pater diceret, Tu mecum es semper (quod iam tractatum est) addidit, Et omnia mea tua sunt? Qua in re primò cauendum est, ne intelligas ita dictum, Omnia mea tua sunt, quasi nõ sint & fratris, aut tanquã in terrena hæreditate patiaris angustias. Quomodo possint omnia esse maioris, si habet & ibi iunior partem suã? Sic enim à perfectis & purgatis ac iam immortalibus filiis habentur omnia, vt sint & omnium singula, & omnia singulorũ. Vt enĩ cupiditas nihil sine angustia, ita nihil cum angustia charitas tenet. Sed quomodo omnia? Num & Angelos (ait aliquis) & virtutes sublimes ac potestates atque vniuersa cælestia Dei mysteria, Deus in possessionẽ tali filio subiecisse putand⁹ est? Si possessionẽ sic accipias, vt ei⁹ possessor ipse sit Domin⁹, nõ vtiq; omnia. Non enim Domini erunt, sed consortes potius Angelorum, de quibus dictum est, Erunt enim æquales Angelis Dei. Sin verò possessio sic intelligitur quomodo rectè dicimus possidere animas veritatem: non inuenio, cur non verè ac propriè accipere possimus omnia quæ dicta sunt omnia. Non enim illud ita loquimur vt dominas veritatis dicamus animas, quam ab eis dicimus possideri. Aut si nomine possessionis adhuc sensu impedimur, id quoque auferatur. Non enim ait pater, Omnia in possessionem tibi dabo, siue omnia mea possides vel possidebis: sed Omnia mea tua sunt. nec tamẽ ita sunt eius vt ipsius Dei. Quod enim est in nostra pecunia, potest familiæ nostrę vel alimentum esse vel ornamentũ, vel aliquid huiusmodi. Et certè cùm ipsum patrem rectè ille posset suum dicere, nõ video quæ ipsius rectè sua vocare nõ possit, diuersis duntaxat modis. Cùm enim beatitudinẽ illam obtinuerimus, nostra erunt ad viuẽdum superiora, nostra erunt ad conuiuendũ æqualia, nostra erunt ad dominandũ inferiora. Cõgaudeat ergo securissim⁹ maior frater, quia iunior frater mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus est. Matth.22

De villico quem Dominus eiiciebat de villicatione.

In villico quem Dominus eiiciebat de villicatione, & laudauit eum quòd in futurũ sibi prospexerit, nõ omnia debemus ad imitãdum sumere. Non enim aut Domino nostro facienda est in aliquo fraus, vt de ipsa fraude eleemosynas faciamus, aut eos à quibus recipi volumus in tabernacula æterna, tanquã debitores Dei & Domini nostri fas est intelligi, cùm iusti & sancti significentur hoc loco, qui eos introducant in tabernacula æterna, qui necessitatibus suis terrena bona cõmunicauerint: de quibus etiã dicit, quòd si quis alicui eorũ calicẽ aquæ frigidæ dederit tãtum in nomine discipuli, nõ perdet mercedem suam. Sed etiã ecõtrario dicuntur istæ similitudines, vt intelligam⁹ si laudari potuit ille à Domino, qui fraudẽ faciebat, quantò amplius placent Domino Deo, qui secundum eius præceptũ illa opera faciunt, sicut etiã de iudice iniquitatis qui interpellabatur à vidua, cõparationem duxit ad iudicẽ Deum, cui nulla ex parte iudex iniqu⁹ cõferendus est? Quòd autẽ de centũ cadis olei quinquaginta scribi fecit à debitore, & de centum coris tritici octoginta, ad nihil aliud valere arbitror, nisi vt ea quę similiter atq; in Leuitas Iudęi, quisq; operatur in Christi Ecclesia, abũdet iustitia ei⁹ super Scribarum & Pharisęorũ, vt cùm illi decimas darent, isti dimidias dent, sicut nõ de fructibus, sed de ipsis bonis suis fecit Zaccheus. Aut certè duplicet decimã, aut duas decimas dando superet impendia Iudæorum. Mammona verò iniquitatis ideo à Domino appellata est ista pecunia, quam possidemus ad tempus, quia mammona diuitiæ interpretãtur. Nec sunt istæ diuitiæ nisi iniquis, qui in eis constituunt spẽ atq; copiã beatitudinis suæ. A iustis verò cũ hęc possidẽtur, est quidẽ ista pecunia, sed 34 Luc.16 Matth.10 Luc.18 Luc.16 Matth.5 Luc.16

sed non sunt tamen illis diuitiæ nisi cælestes & spiritales, quibus indigentiam suam spiritaliter supplentes, exclusa egestate miseriæ, beatitudinis copia ditantur.

Quòd ait, Si in alieno fideles non fuistis.

35 Quòd dicit, Si in alieno fideles non fuistis. Alienas appellat terrenas facultates, quia nemo eas secũ moriẽs aufert, hoc est quod dicit Dauid, Ne timueris cùm diues fact⁹ fuerit homo, & quum multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam non quum morietur accipiet omnia, neque simul descendet cum eo gloria eius.

Quòd ait, Nemo potest duobus dominis seruire.

36 Quòd ait, Aut vnum odiet, & alterum diliget, aut vni adhærebit, & alterum cõtemnet: nõ sine cõsyderatione distinguenda sunt. Non enim passim aut quasi temerè dicta sunt. Nemo enim interrogatus vtrùm diligat diabolum, respõdet se diligere, sed potius odisse. Deum autem se diligere omnes ferè proclamant. Ergo aut vnum odiet, & alterum diliget, vt fieri debet, odiet scilicet diabolum, diliget verò Deũ. Quòd verò adiũxit, Aut alteri adhærebit & alterum contemnet: adhærebit scilicet diabolo, quum quasi eius præmia temporalia sectatur, contemnet autem Deum. Non dixit odiet, sed contemnet, sicut solent minas eius postponere cupiditatibus suis, qui de bonitate eius ad impunitatem sibi blandiuntur. Quibus per Salomonẽ dicitur, Fili, ne adiicias peccatum super peccatum & dicas, Miseratio Dei magna est.

Quòd Dominus ait, Regnum cælorum vim patitur.

37 Regnum cælorum vim patitur, & qui vim faciunt, diripiunt illud. Non solùm vt quisque ista contemnat, sed etiam linguas deridentium se talia contemnentem. Hic enim vi facta inuadit quodammodo quasi prædator violentus regna cælorum. hoc enim subiunxit Euangelista, quum dixisset derisum fuisse Iesum à Pharisæis, quum de contemnendis terrenis diuitiis loqueretur.

De diuite auaro ad cuius ianuam iacebat Lazarus vlceroſus.

38 Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie splendidè, &c. Per allegoriam sic accipi possunt vt in diuite intelligantur superbi Iudæorum, ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere. Purpura & byssus dignitas regni est. Et auferetur, inquit, à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti iustitiam. Epulatio splendida, iactãtia Legis est, in qua gloriabantur, pl⁹ ad pompam elationis abutentes ea, quàm ad necessitatem salutis vtentes. Mendicus autem nomine Lazarus, qui interpretatur adiutus, significat indigentem, veluti gentilem aliquem aut publicanum, qui tantò magis adiuuatur, quantò minus de suarum copia facultatũ præsumit. Tales erant illi duo qui orabant in templo, vnus Publicanus, & alter Pharisæus. Diues ergo dicit tanquam satiatus iustitia, non inter illos beatos numerandus qui esuriunt & sitiunt iustitiam, Gratias tibi ago, quia non sum sicut Publicanus iste. Pauper autẽ qui se adiuuari desyderat, dicit, Propitius esto mihi peccatori, Desyderat tamen saturari de micis quę cadunt de mensa diuitis, iacens ad ianuam. Nõ enim admittebatur ad epulas eius, qui nec bene illis vtebatur, nec egenti dabat, tanquã scriba habẽs claues regni cælorum, nec ipse intrãs nec alios intrare permittens. Micæ cadentes de mensa diuitis, sunt quædam verba Legis, quæ illi iactantes quasi proiiciebant in terram, cùm superbè populo loquerẽtur. Vlcera autem sũt confessiones peccatorum, velut mali humores à visceribus intimis foras erũpentes. Canes qui ea lingebãt, nequissimi homines sunt, amantes peccata, qui lata lingua etiã laudare nõ cessant, opera mala, quæ in se alius gemens & confitens detestatur. Sinus Abrahæ, requies est beatorum pauperum, quorum est regnum cælorũ, in quo post hanc vitam recipiuntur. Sepultura inferni, pœnarum profunditas, quæ superbos & immisericordes post hanc vitã vorat. Quos tamen Dominus in ista narratione dicit videre de longinquo, atque sentire beatorum requiem, quò sane transire nõ possunt. Quòd autem linguam sibi vult refrigerari, cùm in flamma vtique totus arderet, significat quod scriptum est, Mors & vita in manibus linguæ, & quia ore fit confessio ad salute m: quod per superbiam ille non fecit. Extremum autem digiti vel minimam operationem misericordiæ significat, qua per Spiritum sanctum subuenitur. Cùm autẽ ei dicitur, Recepisti bona in vita tua, illud tangitur, quia felicitatem dilexit seculi, nec aliam vitã præter istã, in qua superbus tumebat, adamauit. Lazarũ autẽ malà dicit recepisse, quia intellexit hui⁹ vitæ mortalitatẽ, labores, dolores, & ærumnas, pœnam esse peccati, de quo scriptum est, Fuimus & nos naturaliter filii iræ sicut & cæteri. De quo iterum scriptum est, Nec infantẽ cuius est vnius diei vita super terram mundum esse à peccato: quia omnes vtique in Adam morimur, qui factus est trãsgressione mortalis. Quòd autem dicit, ad ea quæ loca in quibus torquentur impii, iustos etiã si velint, non posse transire. quid aliud significat nisi post hanc vitã ita receptis in carcere, vt inde non exeant donec reddant nouissimum quadrãtem, per incõmutabilitatem Diuinæ sententiæ nullum auxilium misericordiæ posse præberi à iustis, etiam si velint illud præbere? Quo admonet scilicet vt in hac vita homines subueniãt quib⁹ possunt, ne postea etiam si optimè recepti fuerint, eis quos diligunt opitulari non valeant. Illud enim quod scriptum est, Vt & ipsi recipiant vos in æterna tabernacula, non de superbis & immisericordibus scriptum est, qualis iste diues fuisse demonstratur, quòd recipi à Sanctis in illa tabernacula mereãtur, sed de iis qui sibi amicos officiosissimos operib⁹ misericordię fecerit: quãquã nec ipsos iusti velut propria potestate quasi gratificando recipiãt, sed ꝑmissione atq; permissione illius

Luc.16 — Psalm.48 — Luc.16 — Eccles.5 — Luc.16 — Luc.16 — Rom.10 — Matt.21 — Luc.18 — Matth.5 — Luc.11 — Prouerb Rom.10 — Ephes.2 Iob.25 — Matth.5 — Luc.16

qui eos consilio præmonuit, vt sibi amicos facerent, & qui seipsum pasci, vestiri, hospitio recipi, visitari in vnoquoque minimorum suorum liberatoris bonitate dignatus est. Quanquam illa receptio vtrùm statim post istam vitam fiat, an in fine seculi in resurrectione mortuorum, atque vltima retributione iudicii, nō minima quæstio est: sed quandolibet fiat certè de talib⁹ qualis ille dives insinuatur, nulla Scriptura fieri pollicetur. Quinq; autē fratres quos habere se dicit in domo patris sui, Iudæos significāt. Appellati autē sunt quinque, quia sub Lege detinebātur, quę per Mosen data est, qui libros quinque cōscripsit. Quòd verò Lazarum petit mitti ad fratres suos, fēcit se vtique indignū qui testimoniū perhibeat veritati. Et quia nō impetrauerat paululū se refrigerari, multò min⁹ credit relaxari se posse ab inferis ad prędicationē veritatis. Quòd Abrahā dicit, si volūt credere, habēt Mosen & Prophetas, non istos Euāgelio prępositos, sed quia Euāgelium, sicut dicit Apostolus, testimonium habet a Lege & Prophetis, illis credendo posse eos significat ad Euāgelium peruenire. Sicut alio loco ipse Domin⁹ dicit, Si crederetis Mosi, crederetis & mihi: ille enim de me scripsit. Deniq; ad hoc pertinet quod etiā postea dicit, Si Mosen & Prophetas nō audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credēt: quia eū prænuntiauerūt Moses & Prophetę, qui resurrexit à mortuis, hoc ipsū etiā de illo quòd resurrecturus esset à mortuis, quibus nō credēdo vtique nec Christo volunt credere. Multò min⁹ ergo cuilibet possunt credere, qui à mortuis resurgeret, quādo ei nō credunt, cui⁹ resurrectionē Moses & Prophetæ prędicauerunt, quib⁹ credere nolunt. Aliter etiā intelligi potest ista narratio, vt Lazarum, Dominū significare accipiam⁹, iacētē ad ianuā illius diuitis, quia se ad aures superbissimas Iudæorū incarnationis humilitate deiecit, cupiēs saturari de micis quæ cadebāt de mēsa diuitis. Et querēs ab eis vel minima opera iustitię, quę suę mēsę, hoc est, suę potestati per superbiā nō vsurparēt, quę opera misericordię atq; humilitatis, quāuis minima, etsi nō disciplina & perseuerātia vitę bonę, saltē interdū vel casu facerēt, sicut micę de mēsa cadere solēt. Vlcera, passiones sunt Domini ex infirmitate carnis, quā p nobis susc̄ipere dignatus est. Canes ergo qui ea lingebāt, gētes sunt, quos homines peccatores & immūdos dicebāt Iudæi, & tamē passiones Domini in sacramētis corporis & sāguinis eius, per totum iā orbē suauitate lābunt deuotissima. Sinus Abrahæ intelligitur secretum patris, quò post passionem resurgēs assumptus est Dominus, quò eum portatum ab Angelis ideo dictum puto, quia ipsam receptionē qua in secretum Patris abscessit, Angeli annuntiauerūt discipulis intuētibus: dicendo enim, Quid statis aspicientes in cælum, quid aliud dixerunt, nisi nullo modo posse oculos hominum vsque adillud penetrare secretum, quò ibat Domin⁹, quum in conspectu discipulorum ferretur in cælum? Iam cætera secundum superiorem expositionē accipi possunt: quia secretum Patris bene intelligitur, vbi etiam ante resurrectionē iustorum animæ viuunt cum Deo. Tantò enim verius vbique est Deus, quantò nullo continetur loco, sicut & latroni dictum est, Hodie mecum eris in paradiso: vnde nunquam recessit Dei Filius, quāuis ab hominibus per susceptā carnem in ciuitate Iudæorum tanta pateretur.

Luc. 16 — Luc. 23

Quare dixerunt discipuli, Domine adauge nobis fidem.

Quòd dixerunt discipuli, Domine adauge nobis fidem, potest quidem intelligi hanc fidē sibi eos augeri postulasse, qua credūt ea quæ nō videntur: sed tamen dicitur etiam fides rerum, quando non verbis sed rebus ipsis præsentibus creditur quod futurum est, quum iam per speciem manifestam se contemplandam præbebit Sanctis ipsa Dei Sapientia, per quam facta sunt omnia. De qua fide rerum luce̅sque illius præsentatæ forsitan Paulus Apostolus dicit, Iustitia enim Dei reuelatur ex fide in fidē. Dicit enim & alio loco, Nos autē reuelata facie gloriā Domini speculātes, in eandē imaginem transformamur de gloria in gloriā, tanquā à Domini Spiritu. Sicut enim hic ait, De gloria in gloriā, ita & ibi, De fide in fidē. De gloria scilicet Euāgelii, quo nunc credētes illuminātur, in gloria ipsius incōmutabilis & manifestæ veritatis, qua tunc cōmutati perfruentur: ita ex fide verborum quibus nunc credimus quod nōdum videmus, in fidē rerū qua in ęternum quod nunc credimus obtinebim⁹. Secundū sententiā hāc etiā illud est, quod dictū est à Ioāne in Epistola ad Parthos, Dilectissimi, nunc filii Dei sumus, & nōdum apparuit quod erimus. Scimus quia quum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Vnde enim nūc filii Dei sumus, nisi quia potestatem dedit nobis filios Dei fieri, credentibus in nomine eius, vt videamus in ænigmate? Vnde autem tunc similes ei erimus, nisi quoniam vt ipse ait, Videbimus eum sicuti est? Quod etiam dictum est, Tunc autem facie ad faciem. Illam ergo fidem præsentissimæ veritatis, plerisque non intelligentibus videri potest Dominus noster discipulis, non ad id quod petiuerant respondisse. Quum enim dixissent, Domine adauge nobis fidem, ait illis, Si habueritis fidem tanquam granum sinapis, dicetis huic arbori moro, Eradicare & transplantare in mare, & obediet vobis. Deinde sequitur, Quis autem vestrūm habens seruum arantem aut pascentem, cui regresso de agro dicit illi statim, Transi, recumbe: & non dicit ei, Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes? Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ sibi imperauerat? Nō puto. Sic & vos cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui superuacui sumus, quod debuimus facere fecimus. Quid hæc pertineant ad id

Luc. 17 — Psalm. 103 — Rom. 1 — 2. Cor. 3 — 1. Ioan. 3 — Ioan. 1 — 1. Cor. 3 — Luc. 17

quod

quod dictum est, Domine, adauge nobis fidē, difficilè apparet, nisi intelligamus ex fide in fidem, id est, ex fide ista, qua ministratur Deo, in illam fidem eos significasse transferendos vbi fruantur Deo. Augebitur enim fides, quum primò verbis prædicantibus, deinde rebus apparentibus creditur. Sed illa cōtemplatio summam quietem habet, quæ in æterno Dei regno tribuitur. Summa verò quies illa præmium est iustorum laborū, qui in Ecclesiæ ministratione peraguntur. Et ideo quanuis in agro aret seruus aut pascat boues, hoc est, in vita seculari vel terrena versetur negotia, vel stultis hominibus tanquam pecoribus seruiat, opus est, vt post illos labores domum veniat, hoc est, Ecclesiæ societur, laboret etiā ibi ministrans Domino suo, donec manducet & bibat. Nam & esuriens ille quęsiuit poma in arbore, & à Samaritana aquam sitiens postulauit. Manducet ergo & bibat, cōfessionem & fidem gentium ministrantibus, hoc est, euāgelizantibus seruis suis. Quò pertinet etiam illud quod de grano sinapis eis primò respondit, prius illos fidem habere debere præsenti vitæ necessariā, quæ minima videtur, quandiu thesaurus est in vasis fictilib⁹, sed vi maxima efferuet & germinat. Dominus noster Iesus Christus, qui vult pasci ministerio seruorum suorū, hoc est, in corpus suum quasi mactatos & māducatos transferre credentes, etiam hic pascit eos sacramento passionis suę & verbo fidei. Non enim venit ministrari, sed ministrare. Dicant ergo illi serui per sinapis granū huic arbori moro, hoc est, ipsi Euāgelio crucis Dominicę per poma sanguinea, tanquam vulnera in ligno pendentia, victum populis præbituræ. Dicant ergo illi vt eradicetur de perfidia Iudæorum, & in mare gentium transferatur atque plantetur: hac enim domestica seruitute esurienti & sitienti Domino ministrabunt. Tunc demum quærant escis incorruptibilibus in æternum Diuinæ sapiētiæ perfrui, cùm dixerit, Serui superuacui sum⁹, quod debuimus facere fecimus: nihil in nobis operis restat, curſū cōsummauimus, agonē perfecim⁹: supersest nobis corona iustitiæ. Omnia enim dici possunt de illa ineffabili perfruitione veritatis, & tantò magis omnia dici possunt, quantò minus aliquid dignè dici potest. Nam & lux est illuminatorum, & requies exercitatorum, & patria redeuntium, & esca indigentium, & corona vincentium, & quæcunque bona temporaliter transeuntia, per creaturarum partes error appetit infidelium, veriora & in æternum manentia in Creatore omnium simul inuētura est pietas filiorum.

Matth. 12 Ioan. 4

2. Cor. 4

Matth. 20

2. Tim. 4

De decem leprosis.

40 In decem leprosis quos Dominus ita mundauit, cùm ait, Ite ostendite vos sacerdotibus, multa quæri possunt, quæ meritò quærētes mouent. Non solū de numero, quid sibi velit quòd decem sunt, & quòd vnus ex illis solus gratias egit (hæc enim liberè quæruntur, vt etiam non inuestigata, vel nihil vel non multum impediant intentionem legentis) sed illa potius, cur eos ad sacerdotes miserit, vt cùm irent mundarentur. Nullum enim eorum quibus hæc corporalia beneficia præstitit, inuenitur misisse ad sacerdotes nisi leprosos. Nam & illum à lepra mundauerat cui dixit, Vade & ostēde te sacerdotibus, & offer pro te sacrificium, quod præcepit Moses in testimonium illis. Deinde qualis mundatio spiritalis possit intelligi eorum quos ingratos extitisse redarguit. Secundū corpus enim facilè est videre posse hominem non habere lepram, & tamen animi esse non boni. Secundum significationem autem huius miraculi conturbat consyderantē, quomodo mundus dici possit ingratus. Quærendum igitur est quid ipsa lepra significet. Non enim sanati, sed mundati dicūtur qui ea caruerūt. Coloris quippe vitium est, non valetudinis, aut integritatis sensuum atque membrorum. Leprosi ergo non absurdè intelligi possunt, qui scientiam verę fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Non enim vel abscondunt imperitiam suam, sed pro summa peritia proferunt in lucem, & iactantia sermonis ostentant. Nulla porrò falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinatè permixta in vna disputatione vel narratione hominis, tanquam in vnius corporis colore apparentia, significant lepram tanquam veris falsisque colorum fucis humana corpora variantem atque maculantem. Hi autem tam vitandi sunt Ecclesiæ, vt si fieri potest, longius remoti magno clamore Christum interpellent: sicut isti decem steterunt à longè, & leuauerunt vocem dicentes, Iesu præceptor, miserere nostri. Nam & quòd præceptorem vocant, quo nomine nescio vtrùm quisquam Dominum interpellauerit pro medicina corporali, satis puto significare lepram falsam esse doctrinam, quam bonus præceptor abstergit. Sacerdotium verò Iudæorum nemo ferè fidelium dubitat figuram fuisse futuri sacerdotii regalis, quod est in Ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi, summi & veri principis sacerdotum. Nam nunc & omnes vnguntur, quod tunc regibus tantùm & sacerdotibus fiebat. Et quòd ait Petrus ad Christianum populum scribens, Regale sacerdotium, vtrunque nomen illi populo conuenire declarauit, quo illa vnctio pertinebat. Cætera itaque vitia tanquam valetudinis & quasi membrorum animæ atque sensuum, per seipsum interius in conscientia & intellectu Dominus sanat & corrigit: doctrina verò vel imbuendi per sacramenta, vel catechizandi per sermonem sonantem atque lectionem, vbi color quidam intelligitur verus atque syncerus, quia in promptu est & foris eminentissimus. Non enim in occultis cogitationibus, sed in manifestis operationibus hæc quæ agūtur Ecclesię propriè contributa sunt. Itaque &

Luc. 17

Luc. 5 Leuit. 14

Luc. 17

1. Petri 2

Act.9 Paulus voce Domini audita, Quid me persequeris? &, Ego sum Iesus quem tu persequeris: ad Ananiam tamen missus est, vt illo sacerdotio, quod in Ecclesia constitutum est, sacramẽtum doctrinę fidei perciperet, & verus eius approbaretur color. Non quia non potest per se ipsum Dominus omnia facere: nam quis alius hæc facit etiam in Ecclesia? Sed vt ipsa societas congregatorum fidelium, approbãdo inuicem atque communicãdo veræ fidei doctrinam, in omnibus quæ dicuntur verbis vel signantur sacramentis, tãquam vnam speciem veri coloris obducat. Ad hoc etiam pertinet quod idẽ dicit Galat.2 Apostol⁹, Deinde post annos quatuordecim ascẽdi Hierosolymam cum Barnabba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum reuelationem, & exposui cum eis Euãgelium quod prędico in gentibus. Seorsum autẽ iis qui videbãtur esse aliquid, ne fortè in vacuũ curro aut cucurri. Et paulò pòst, Quum cognouissent, inquit, gratiam quæ data est mihi, Iacobus, Petrus & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabbæ societatis. Ipia enim collatio vnam doctrinæ speciem, exclusa omni varietate monstrabat, quod salu-
1 Cor.1 briter etiam Corinthios monet dicens, Obsecro autem vos fratres, per nomen Domini no-
Act.10 stri Iesu Christi, vt idipsũ dicatis omnes. Cornelius etiam quum eleemosynæ eius acceptæ & preces eius auditæ illi ab Angelo nuntiarẽtur, propter doctrinæ tamen sacramentorúmque vnitatem ad Petrum iubetur mittere, tanquam illi & suis diceretur, Ite ostendite vos sa-
Luc.17 cerdotibus. Nam & quum irent mundati sunt. Iam enim ad eos venerat Petrus: sed tamen ipsi nondum accepto Baptismatis sacramento, nondum spiritaliter ad sacerdotes peruenerũt, & tamen infusione Spiritus sancti, & admiratione linguarum eorum mũdatio declarata est. Quæ quum ita se habeant, iam facilè est etiam illud videre fieri posse, vt quisquis in Ecclesiæ societate doctrinam integram verámque assequatur, & omnia secundum catholicæ fidei regulam edisserat, distinguat à Creatore creaturam, eóque manifestetur varietate mendaciorum tanquam lepra caruisse: & tamen ingratus sit Domino Deo mundatori suo, qui elatus superbia gratiarum agendarum pia humilitate non subditur, similísque efficitur illis de
Rom.1 quibus dicit Apostolus, Qui quum cognouissent Deum, non vt Deum magnificauerunt, aut gratias egerũt. Quòd enim dicit eos Deum cognouisse, ostẽdit quidem à lepra fuisse mundatos, sed tamen statim accusat ingratos. Ideóque tales ingrati in nouenario numero tanquam imperfecti remanebunt. Vnum enim si addatur ad nouẽ, quædam effigies vnitatis impletur, quo fit tanta completio, vt vltrà iam nõ progrediatur numerus, nisi rursus ad vnum redeatur, & hæc per infinitatem numeri regula custodiatur. Nouem itaque indigent vno, vt quadam vnitatis forma coagulentur vt decem sint: vnum autem non eis indiget vt custodiat vnitatem. Quamobrem vt illi nouem qui gratias non egerunt, reprobi effecti à consortio vnitatis excluſi sunt: ita vnus ille qui gratias egit, vnicæ Ecclesiæ significatione approbatus atque laudatus est. Et quia illi erant Iudæi, amisisse per superbiã declarati sunt regnum cælorum, vbi maximè vnitas custoditur. Iste verò qui erat Samaritanus, quod interpretatur custos, illi à quo accepit tribuens quod accepit, & quodammodo cantans illud è Psalmo, Fortitudinem meam ad te custodiam, per gratiarum actionem regi subiectus, humilitatem regni humili deuotione seruauit. Psal.58

De illo qui in tecto est, & vasa eius in domo.

Quid est quòd dicit Dominus, Qui fuerit 41
in tecto, & vasa eius in domo, non descendat Luc.17
tollere illa? In tecto est, qui excedens carnalia, tanquam in aura libera spiritaliter viuit. Vasa eius in domo sunt sẽsus carnales, quibus ad inuestigãdam veritatem, quæ intellectu capitur, multi vtentes penitus errauerunt. Huius ergo spiritalis viri iam vasa ista vacãt in domo, quia mente corpori supereminens per aciem intelligentię, tanquam in tecto positus, perspicuitate sapiẽtiæ veluti cælo apertissimo fruitur. Caueat ergo iste, ne in die tribulationis rursus vita carnali, quæ per sensus corporis pascitur delectatus, ad vasa huiusmodi tollenda descẽdat.

De illo qui in agro est, vt non redeat retrò.

Quid est quòd dictum est, Et qui in agro 42
fuerit, similiter non redeat retrò? Qui operatur Luc.17
in Ecclesia, sicut Paulus & Apollo, plantat & 1.Cor.3
rigat, non respiciat spem secularem cui renuntiauit.

De vxore Loth.

Quid significauit vxor Loth? Eos qui in tri- 43
bulatione retrò aspiciunt, & se à spe Diuinæ Luc.17
promissionis auertunt: & ideo statua salis facta est, vt admonendo homines ne hoc faciant, tãquam condiat cor eorum ne sint fatui.

De duobus in lecto, & duabus molentibus, & duobus in agro.

Qui sunt in illa nocte, duo in lecto, & duæ 44
molentes in vnum, & duo in agro: de quibus omnibus binis singuli assumentur & singuli relinquuntur? Tria genera hominum hic videntur significari. Vnum eorum qui otium & quietẽ eligunt, neque negotiis secularib⁹, neq; negotiis Ecclesiasticis occupati: quæ illorũ quies lecti nomine significata est. Alterũ eorum qui in plebibus constituti reguntur à doctioribus, agentes ea quæ sunt huius seculi: quos & fœminarum nomine significauit, quia cõsiliis vt dixi peritorum regi eis expedit. Et molentes dixit, propter temporaliũ negotiorum orbem atque circumitum, quas tamẽ in vno molentes dixit, inquantum de ipsis rebus & negotiis suis præbent vsibus Ecclesiæ. Tertium eorum qui operantur in Ecclesiæ ministerio tanquam in agro Dei, de qua agricultura Apostolus loqui- 1.Cor.3
tur. In his ergo tribus generibus bina sunt

rursus

rursus genera hominum in singulis, & pro robore suarum viarum discernuntur. Quum enim omnes ad Ecclesiæ membra pertinere videantur, adueniente tamen tentatione tribulationis, & ex illis qui sunt in otio, & ex illis qui sunt in negotiis seculi, & ex illis qui Deo ministrant in Ecclesia, aliqui permanent, aliqui cadunt. Qui permanẽt assumuntur, qui cadunt relinquuntur. Ergo vnus assumetur, & vnus relinquetur. Non quasi de duobus hominibus dictum est, sed de duobus generibus affectionum, in singulis generibus trium professionum. In illa ergo nocte dixit, in illa tribulatione, ad ipsa tria genera quæ assumuntur, pertinere arbitror etiam tria illa nomina virorum sanctorum, quos solos liberandos E-
Ezech.14 zechiel Propheta pronuntiat, Noe, Daniel,
& Iob. Videtur enim Noe pertinere ad eos,
Gene.7 per quos Ecclesia regitur, sicut per illum in aquis arca gubernata est, quæ figuram gestabat
Daniel.1 Ecclesiæ. Daniel autem qui elegit cœlibem vitam, id est, nuptias terrenas contempsit, vt si-
1.Cor.7 cut dicit Apostolus, sine solicitudine viueret, cogitans quæ sunt Dei, genus eorum significat qui sunt in otio, sed tamen fortissimi in
Iob.1 tentationibus, vt possint assumi. Iob autem quia vxorem & filios habuit, & amplas terrenarum rerum copias, ad illud genus pertinet cui molendinum deputatum est. Sed tamen vt sint fortissimi in tentationibus, sicut ille fuit. Non enim aliter assumi poterunt. Nec puto esse alia genera hominum, quibus constat Ecclesia, quàm ista tria, habentia binas differentias propter assumptionem & relictionem: quanuis in singulis multæ studiorum voluntatúmque diuersitates, ad concordiam tamen vnitatemque concurrentes possunt inueniri.

De iudice iniquo, quem vidua interpellabat.

45 Quid est quòd ad semper orandum & non deficiendum, de iudice iniquo voluit parabolam ponere? Qui quum Deum non timeret & hominẽ non reuereretur, viduæ tamen assiduis interpellationibus cessit, vt eam vindicaret, ne sibi ab illa tædium fieret. Nam hoc est, quod
Luc.18 ait, Ne veniens suggillet me. Quoniam parabolas Dominus aut secundum similitudinem
Matth.18 aliquam ponit, sicut de seruo illo cui Dominus dimisit, quod ratione reddita debere inuentus est, & ipse conseruo suo dilationem saltem dare noluit: & de fœneratore, qui cũ duo-
Luc.7 bus debitoribus donasset quod debebant, ab
Luc.15 eo plus dilectus est cui plus donauit: & de homine qui habebat duos filios, maiorem in agro sibi propinquantem, minorẽ autem in longinquo luxuriantem, & innumerabilia huiusmodi. De his enim, inquantum similia sunt, ducitur intellectus eius rei, cui adhibentur ad mysterium insinuandæ aut requirendæ veritatis, aut ex ipsa dissimilitudine aliquid pro-
Matth.7 bat, veluti est illud, Quòd si fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei? Ad hoc genus pertinet etiam illud quod de seruo ait, cui Dominus denuntiauerat vt à villicatu Luc.16 remoueretur. Fraudẽ quippe ille fecit domino suo, vt falsatis chirographis, debitoribus eius quantum commodum visum est relaxaret. Neque vllo modo nos Dominus vt sibi fraudẽ faciamus hortatur: sed si qui fraudãdo sibi prę-uidit in posterum, laudatum eum dicit à Domino, quantò maiore alacritate sibi prouidere debent in æternam vitam, quibus vt iustè operentur, iubetur de mammona iniquitatis, quod suo loco expositum est? Ad hoc genus pertinet Luc.11 & ille qui non propter amicitiam, sed vt tædio careret, iam dormiens excitatur, vt tres panes commodet amico suo. Si enim ille molestia cõ- Luc.18 pulsus dedit, quãtò magis Deus qui seruos suos diligens vt petamus hortatur, dabit bona petẽtibus se? Itaq; illud superius genus his verbis adiungi potest, Sicut illud, ita & illud. Hoc autem posterius his verbis, Si illud, quãtò magis illud, aut si non illud, quantò minus illud? Sed alicubi obscurè, alicubi apertè ista ponuntur. Hîc ergo iniquus iudex, non ex similitudine, sed ex dissimilitudine adhibitus est, vt ostenderet Dominus quantò certiores esse debeant, qui Deum perseueranter rogant, fontem iustitiæ atque misericordię, vel si quid excellentius dici aut audiri potest: cùm apud iniquissimum iudicem vsque ad effectum implendi desyderii valuerit perseuerantia deprecantis. Ipsa verò vidua potest habere similitudinẽ Ecclesiæ, quæ desolata videtur donec veniat Dominus, qui tamen in secreto etiam nunc curam eius gerit. Si autem mouet cur electi Dei se vindicari deprecentur, quod etiam in Apocalypsi Ioannis de Martyribus dicitur, quum apertissimè moneamur vt pro nostris inimicis & persecutoribus oremus: intelligendum est eam vindictam esse iustorum, vt omnes mali pereant. Pereunt autem duobus modis, aut conuersione ad iustitiam, aut amissa per supplicium potestate, qua nunc aduersus bonos, quandiu hoc ipsum bonis expedit, vel temporaliter aliquid valent. Itaque etiam si omnes homines conuerterentur ad Deum, inter quos sunt etiam inimici, pro quibus iubemur orare: diabolus tamen qui operatur in filiis diffidentiæ, remaneret in seculi fine damnandus. Quem finem iusti quum venire desyderant, quanuis pro inimicis suis orent, tamen non absurdè vindictam desyderare dicuntur.

De homine nobili, qui abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum.

Homo quidam nobilis abiit in regionem 46 Luc.19
longinquam, accipere sibi regnum & reuerti. Ipse Dominus noster Iesus Christus intelligitur. Regio longinqua Ecclesia gentium vsque ad fines terræ. Reuerti se tamen dicit. Abiit enim vt plenitudo gentium intraret. reuertetur, Rom.11
vt omnis Israel salu⁹ fiat. Per decem minas Legem significat propter Decalogum. Decem autem seruos, quibus sub illa positis gratia præ-

dicata est. Sic enim intelligendum est eis datas minas ad vsum, quum intellexerint eam ipsam Legem remoto velamine ad Euangelium pertinere. Ciues eius qui post eum miserunt legationem, dicentes se nolle vt regnet sibi, Iudæi sunt, qui etiam post resurrectionem eius miserunt persecutores Apostolis, & prædicationē Euangelii respuerunt. Redit autem accepto regno, quia in manifestissima & eminentissima claritate venturus est, qui eis humilis apparuit, Ioan.18 cùm diceret, Regnū meum nō est de hoc mundo. Quòd autē serui reddentes rationem, ex eo quod acceperāt laudantur quia lucrati sunt, significat eos bonā reddere rationē, qui bene vsi sunt eo quod acceperunt ad augendas diuitias Domini per eos qui credunt in eum. Quod qui facere nolunt, in illo significati sunt, qui minā suā in sudario seruauit. Sunt enim homines hac sibi peruersitate blādientes vt dicāt, Sufficit vt de se vnusquisque rationem reddat. Quid opus est aliis prædicare aut ministrare, vt etiam de ipsis reddere rationem quisque cogatur, cùm apud Dominū etiā illi sint inexcusabiles, quibus Lex data non est, neque audito Euangelio dormierunt: quia per creaturā poterant cognoscere Creatorem, Roma.1 cuius inuisibilia à constitutione mūdi, per ea quæ facta sunt intellecta cōspiciūtur? Hoc est enim quasi metere vbi nō seminauit, id est, etiam eos impietatis reos tenere, quibus verbum Legis aut Euangelii non ministratum est. Hoc autem veluti periculum iudicii deuitantes, pigro languore à verbi ministratione conquiescunt, & hoc est quasi in sudario ligare quod acceperunt. Mensā quò danda erat pecunia, professionem ipsam religionis accipimus, quæ tanquam publicè proponitur ad vsum necessarium saluti. Quòd autem vnus eorum qui bene vsi sunt, decem acquisiuit, & alter quinque, significat eos esse acquisitos in gregem Dei, à quibus ipsa Lex per gratiam intellecta est, siue quia Decalogo continetur, siue quia ille per quem lata est, libros quinque conscripsit: ad hoc pertinēt & decem & quinque ciuitates quibus eos præponit. Multiplicatio enim intelligentiæ in ipsa veritate, quæ de vnoquoque præcepto, vel de vnoquoque libro pullulat ad vnum redacta, quasi ciuitatem facit viuētium rationum æternarum. Est enim ciuitas non quorunlibet animātium, sed rationalium multitudo, legis vnius societate deuincta. Quòd autem ab illo qui vti noluit, auferetur quod acceperat, & ei datur qui decem habebat, significatur & illum posse amittere munus Dei, qui habens non habet, id est, non vtitur, & in eo augeri qui habēs habet, hoc est, bene vtitur. Inimicos ergo suos quos iubet coram se interfici, significat impietatem Iudæorum, qui ad eum conuerti noluerunt.

De camelo per foramen acus transeunte.

47 Quid est quod ait, Facilius est camelum per foramen acus trāsire, quàm diuitem intrare in regnum Dei? Diuitem hìc appellat cupidum rerum temporalium, & de talibus superbientem. His diuitibus contrarii sunt pauperes spiritu, Matth.5 quorum est regnum cælorum. Nam eo manifestatur omnes cupidos, etiam si facultatibus huius mundi careant, ad hoc genus diuitum quod est reprehensum pertinere, quia postea dixerūt qui audiebant, Et quis poterit saluus fieri? cùm incōparabiliter maior turba sit pauperū, videlicet intelligētes in eo numero deputari, etiam illos qui quanquā talia nō habeant, tamen habēdi cupiditate rapiuntur. Sensus est autē, facilius Christum pati pro dilectoribus seculi, quā dilectores seculi ad Christū posse conuerti. Cameli autē nomine se intelligi voluit, quia humiliatus onera sustulit. In quo enim manifesti° intelligitur, quā in ipso, quod scriptū est, Quātò magn° es, humilia te in omnibus? Per acum autem punctiones significat, per punctiones dolores in passione susceptos. Foramen ergo acus dicit angustias passionis. Quòd autem ait, Eccles.5 Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum, non ita accipiendum est, quòd cupidi & superbi, qui nomine illius diuitis significati sunt, in regnum cælorum sint intraturi cum suis cupiditatibus & superbia: sed possibile est Deo, vt per verbum eius, sicut & iam factum esse, & etiam quotidie fieri videmus, à cupiditate temporalium ad charitatem æternorum, & à pernitiosa superbia ad humilitatem saluberrimam conuertantur.

De cæco illuminato.

48 Possumus appropinquantibus ab Hiericho Luca 18 sic intelligere, vt iam inde egressi, propè tamē adhuc essent ad eam ciuitatem, quod quidem minus vsitatè dicitur: sed tamen videri possit hoc dictum, quoniam Matthæus egredientibus eis ab Hiericho, dicit illuminatos duos cæcos, qui iuxta viam sedebant. De numero quippe Matth.20 nulla esset quæstio, si alter Euangelistarum de vno tacuisset vnius reminiscens. Nam etiam Marcus vnum commemorat, quum & ipsis egredientibus ab Hiericho dicat illuminatum, Marcus cuius & nomen dixit & patrem, vt intelligamus eum fuisse notissimum: alterum ignotum, vt meritò ille notus etiam solus decenter commoraretur. Sed quoniam quæ consequuntur in Euangelio secundum Lucam, apertissimè ostendunt illud quod ipse narrat, adhuc venientibus eis Hiericho factum esse, nihil aliud restat intelligere, nisi bis esse factum hoc miraculum, semel in vno cæco, dum adhuc veniret in illam ciuitatem, & iterum in duobus, quum inde egrederetur, vt illud vnum Lucas, illud alterum Matthæus enarraret, neque hoc sine aliquo sacramento. Si enim Hiericho lunam & ob hoc mortalitatē interpretatur, morti propinquans Dominus, Iudæis solis lumen Euangelii iusserat prædicari: quod significauit ille vnus cæcus quem Lucas commemorat. A morte autem resurgens atque discedens, & Iudæis & Gentibus, quos duos populos significare videntur duo commemorati à Matthæo. Templum

plum in Euangelio ipsum Deũ hominẽ intelliges, vel etiã adiũcto corpore eius, quod est Ecclesia. Secundum autem illud quod est caput Ecclesiæ dictum est, Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud. Secundum id verò, quod etiam adiuncta Ecclesia intelligitur templum, videtur dixisse, Auferte ista hinc: scriptũ est enim, Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam domum negotiationis, vel speluncam latronum. Significauit enim futuros in Ecclesia, qui sua negotia potius agerent, vel receptaculum ibi haberent ad occultanda scelera sua, quàm vt charitatem Christi sequerentur, & peccatorum confessione accepta venia corrigerentur.

Ioannis 2
Esaiæ 65
Ezechiel. 7

De vita Sanctorum quam resurrexerint.

49 Ad illud quod dixit, Non enim vltrà incipiunt mori: quia connubia propter filios, filii propter successionem, successio propter mortem. Vbi ergo mors non est, neque connubia. Sicut enim nunc sermo noster decedentibus & succedentibus syllabis peragitur atque perficitur: ita & ipsi homines, quorum sermo est decedendo ac succedẽdo peragunt atque perficiunt ordinem huius seculi, qui temporalium rerum pulchritudine contexitur. In illa autẽ vita, quoniã verbum Dei est quo fruemur, nulla decessione & successione syllabarum completur, sed omnia quæ habet semper manendo simul habet: ita participes eius, quibus ipsum solum erit vita, neque moriendo sibi decedent, neque nascendo succedent.

Luc. 20

Quod ait, Orate ne intretis in tentationem.

50 Quòd dixit Dominus discipulis, Orate, ne intretis in tentationem, & ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis: tanquam hoc eos admonuerit, vt in eum dirigerẽt lapidem, id est, vsque ad eum perducerent intentionem Legis, quæ scripta erat in lapide. Vsque ad illũ enim potest peruenire ille lapis, quoniam finis Legis est Christus, ad iustitiam omni credenti.

Luc. 22
Deuteron. 9
Roman. 10

Quod scriptum est de Domino, Finxit se longius ire.

51 De eo quod scriptũ est de Domino, Finxit se longius ire: non ad mendaciũ pertinet. Non enim omne quod fingimus mendacium est: sed quando id fingimus quod nihil significat, tunc est mendacium. Quum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mẽdacium, sed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia quæ à sapientibus & sanctis viris, vel etiam ab ipso Domino figuratè dicta sunt, mendacia deputabuntur, quia secundum vsitatum intellectum non subsistit veritas in talibus dictis. Non enim homo qui habuit duos filios, quorum iunior accepta parte patrimonii sui, profectus est in regionem longinquã, & cætera quæ in illa narratione contexuntur, ita dicuntur tanquam verè fuerit quisquam homo, qui hoc in filiis suis duobus aut passus sit, aut fecerit. Ficta sunt ergo ista ad rem quandam significandam tam longè latéque maiorem, & tam incomparabiliter differentem, vt per illum fictum hominem Deus verus intelligatur. Sicut autem dicta, ita etiam facta finguntur sine mẽdacio, ad aliquam rem significandam. Vnde est etiam illud eiusdem Domini, quòd in fici arbore quęsiuit fructum eo tẽpore quo illa poma nõdum essent. Non enim dubium est illam inquisitionem non fuisse veram: quiuis enim hominũ sciret, si nõ Diuinitate, illo tẽpore poma illam arborem non habere. Fictio igitur quæ ad aliquam veritatem refertur, figura est: quæ non refertur, mendacium est. Quid ergo significat quòd se ire longius Dominus finxit, cùm comitaretur discipulis, exponẽs eis sanctas Scripturas, vtrùm ipse esset ignorãtibus? Quid putamus, nisi quia hospitalitatis officio ad suam cognitionem peruenire posse homines intimauit, vt cùm longius ipse ab hominibus abscesserit super omnes cælos: tamen ita cum eis sit, qui hęc exhibent seruis eius, vt cùm dicere cœperint, Domine quando te vidimus hospitem, & adduximus, tanquam eum scilicet qui longè abscesserat: respondeat ille, Cùm vni ex minimis meis feciſtis, michi feciſtis? Tenet ergo Christũ ne lõgius ab illo eat, quisquis catechizatus verbo, in omnibus bonis ei qui se catechizat cõmunicat sicut Apost. dicit, Cõmunicet qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis. Et alio loco cũ dixisset, Necessitatibus Sanctorũ communicãtes, statim subiecit, hospitalitatem sectantes. Et isti enim catechizati erant verbo, cùm eis exponeret Scripturas. Et quia hospitalitatem sectati sunt, eum quem in ipsa expositione Scripturarũ non cognouerunt, in panis fractione cognoscunt. Nõ enim auditores Legis iusti sunt apud Deum, sed factores Legis iustificabuntur.

Galat. 6

Roman. 2

DIVI AVRELII AVGVstini Episcopi, liber ad Deogratias de sex quæstionibus contra Paganos expositis.

Vtrùm Christi an Lazari resurrectio conueniat promissæ futuræ resurrectioni.

MOuet quosdam, & requirunt de duabus resurrectionibus, quæ conueniat promissę resurrectioni, vtrúmnam Christi, an Lazari. Si Christi, inquiunt, quomodo potest hæc cõuenire resurrectioni natorum ex femine, eius qui nulla seminis cõditione natus est? Si autem Lazari resurrectio conuenire asseritur, ne hęc quidem congruere videtur. Siquidem Lazari resurrectio facta sit de corpore nondum tabescente, de eo corpore quo Lazarus dicebatur: nostra autem multis seculis pòst ex cõfuso eruetur. Deinde si post resurrectionem status beatus futurus est, nulla corporis iniuria, nulla necessitate famis, quid sibi vult cibatum Christũ fuisse, & vulnera monstrauisse? Sed si propter incredulũ fecit, finxit. Si autem verum ostendit, ergo in resurrectione accepta futura sunt vulnera. Quibus respondetur, ideo nõ Lazari resurrectionem, sed potius

Ioannis 20

Ioannis 21

Christi congruere promisse resurrectioni: quia Lazarus ita resurrexit, vt iterum moreretur: Christus autem (sicut de illo scriptum est) surgens à mortuis iam non moritur, & mors illi vltrà non dominabitur. Quod etiam promissum est resurrecturis in fine seculi, & cũ illo regnaturis in æternum. Sic autem nõ pertinet ad resurrectionem differentia natiuitatis Christi & nostræ, quòd ille sine virili semine, nos autem non sine viro & fœmina creati sumus, sicut etiã non pertinet ad ipsius mortis differentiam. Nõ enim propterea illius non vera mors fuit, quia sine virili semine natus est: sicut nec ipsius primi hominis aliter exorta caro quàm nostra (quandoquidẽ ille sine parẽtibus de terra creatus est, nos verò ex parentibus) aliquid attulit ad differẽtiam mortis, vt aliter ille moreretur, aliter nos. Sicut autem ad mortis, sic nec ad resurrectionis differentiam valet diuersa natiuitas. Sed si nec hoc quod scriptum est de primo homine, similiter infideles homines volunt credere, querant vel animaduertãt, si vel hoc possunt, quàm multorum animalium genera sine parentibus ex terra procreentur, quæ tamen coeundo pariant etiam ipsa sui simile, nec propter diuersitatẽ natiuitatis intersit aliquid ad naturam eorum quæ procreata sunt ex terra, & eorum quę illis coeuntibus orta sunt. Similiter enim viuunt, similitérque moriuntur: quanuis dissimiliter nata sint. Ita non est absurdum, vt similiter resurgant corpora, quæ dissimiliter orta sunt. Huiusmodi autem homines non valentes intueri, ad quam rem interfit aliquid diuersum, & ad quam non interfit, vbi non aduerterint aliquam distantiam primordiorum, etiam omnia cõsequentia distare oportere cõtendunt. Possunt tales putare oleum ex adipibus non debere natare super aquam, sicut illud quod ex oliua est: quoniam longè est vtriusque origo dissimilis, quãdo illud ex ligno, hoc ex carne profluxerit. Quantùm autem attinet ad illam differentiam, quòd Christi corpus non dissolutum tabe atque putredine, die tertio resurrexit: nostra verò post lõgum tempus, ex quo soluta discesserant confusione, reparabuntur: humanæ facultati vtrũque impossibile est, Diuinæ autem potestati vtrunque facillimum. Vt enim radius oculi nostri, non citius peruenit ad propinquiora quàm ad lõginquiora: sed vtraque interualla pari celeritate contingit: ita quum in ictu oculi (sicut Apostolus dicit) fit resurrectio mortuorum, omnipotentiæ Dei, & ineffabili nutui tam facile est quæque recentia, quàm diuturno tempore dilapsa cadauera suscitare. Incredibilia sunt hæc quibusdam, quia inexperta, quum omnis natura rerum tam sit plena miraculis, vt non quasi facili peruestigatione rationis, sed videndi consuetudine mira non sint: atque ob hoc, nec consyderatione, nec inquisitione digna videantur. Nam ego & mecum quicunque inuisibilia Dei per ea quæ facta sũt intelligere moliuntur, aut non minus aut amplius admiramur in vno seminis tam paruulo grano, omnia quæ laudamus in arbore tanquam liciata latuisse, quàm mundi huius tam ingentem sinum, quæ de corporibus humanis dilabuntur assumit, resurrectioni futuræ tota & integra redditurum. Quomodo autem contrarium est, & Christum post resurrectionem cibatum, & in resurrectione quæ promittitur ciborum indigentiam non futuram: quum & Angelos legamus eiusdem modi escas codémq; modo sumpsisse, nõ ficto & inani phãtasmate, sed manifestissima veritate: nec tamen necessitate, sed potestate? Aliter enim absorbet terra aquam sitiens, aliter solis radius candens: illa indigẽtia, iste potentia. Futuræ ergo resurrectionis corpus imperfectę felicitatis erit, si cibos sumere non potuerit, imperfectæ felicitatis, si cibis eguerit. Possem hìc de commutationibus corporalium qualitatũ, & de præpotenti valentia in inferiora corpora corporũ superiorum latius disputare. Sed breuiter mihi respondere propositum est, & talibus ingeniis hoc scribitur, quæ admonere sufficerit. Sciat sanè qui has proposuit quæstiones, Christum post resurrectionem cicatrices non vulnera demonstrasse dubitantibus, propter quos etiam cibum ac potum sumere voluit, non semel, sed sæpius, ne illud non corpus, sed spiritum esse arbitrarentur, & sibi non solidè, sed imaginaliter apparere. Tunc autem illæ falsæ cicatrices fuissent, si nulla vulnera præcessissent, & tamen nec ipsæ essent, si eas esse noluisset. Voluit autem certæ dispensationis gratia, vt eis quos ædificabat in fide non ficta: non aliud pro alio, sed hoc quod crucifixum vi derant, resurrexisse monstraret. Quid est ergo quod dicitur, Si propter incredulũ fecit, finxit? quasi verò si quisquam vir fortis pro patria dimicans, multa aduersa vulnera exciperet, & peritissimo medico, qui hæc ita curare valeret, vt cicatrices nullę apparerent, ipse potius diceret, sic se velle sanari, vt magis esset in corpore suo vestigia vulnerum, tanquam tituli gloriarum: ideo ille medicus cicatrices finxisse diceretur: quia quum per artem efficere potuerit vt non essent, certa existente causa, per artem effecit potius vt essent, quæ vno solo modo (sicut superius dixi) falsè conuincerentur, si nulla vulnera sanarentur.

Luc. 24. Ioannis 21. Luc. 24.

Quum solus Christus sit via, veritas & vita, quid ante eius aduentum egerint tot seculorum homines.

Item alia proposuerunt, quæ dicerent de Porphyrio contra Christianos, tanquam validiora decreta. Si Christus se, inquiunt, salutis viam dicit, gratiam & veritatem, in séque solo ponit animis sibi credentibus reditum, quid egerũt tot seculorum homines ante Christum? Vt dimittam, inquit, tempora ante Latium regnatum: ab ipso Latio quasi principium humani nominis sumamus. In ipso Latio ante Albã dii culti sunt: in Alba æquè religiones ritúsque valuere templorum. Non paucioribus seculis

2

Ioannis 14

ipsa

1. Corinth. 15

Roman. 1

ipsa Roma, longo seculorum tractu, sine Christiana lege fuit. Quid, inquit, actum de tam innumeris animis, qui omnino in culpa nulla fuit: siquidem is cui credi posset, nondum aduentū suum hominibus commodarat? Orbis quoque cùm ipsa Roma in ritibus templorum caluit. Quare, inquit, Saluator qui dictus est, sese tot seculis subduxit? Sed ne, inquit, dicant lege Iudaica vetere hominum curatum genus, longo post tempore lex Iudęorum apparuit ac viguit angusta Syrię regione: postea verò prorepsit etiam in fines Italos, sed post Cæsarē Caiū, aut certè ipso imperāte. Quid igitur actum de Romanis animab⁹ vel Latinis, quæ gratia nondū aduenientis Christi viduatæ sunt, vsque in Cæsarum tempus? Huic propositioni respondetur, vt primò ipsi dicant, vtrùm profuerint hominibus deorum suorum sacra, quæ constat certis temporibus instituta. Quæ si negant aliquid profuisse ad animarum salutē, nobiscum ea destruunt, & esse inania confitētur. Nos quidem etiam pernicioſa mōstramus, sed paruum non est, vt ipsi interim prius inania fateantur. Si verò ea defendunt, & sapienter atque vtiliter asserunt instituta, quæro quid actum sit de iis qui antequam hæc instituta essent morte obierunt: hac enim vtique salute atque vtilitate fraudati sunt. Si autem potuerunt alio modo purgari, cur non idem modus perseuerauit in posteros? Quid opus erat instituere nouitias consecrationes, quæ antiquitus non fuerunt? Hìc si dicūt, deos quidem ipsos semper fuisse, & ad liberandos cultores suos pariter vbique valuisse, sed pro varietate rerum temporalium ac terrenarum, quæ scirent certis temporibus locisq; congruere, in his alias atque alias, alibi atq; alibi, aliter atq; aliter sibi voluisse seruiri: cur hāc quæstionē Christianæ religioni ingerūt, in qua nobis ipsi pro diis suis aut respōdere nō possunt, aut si possunt, in eoipso sibi etiā pro nostra religione respondeant, Ita nihil interesse pro diuersa temporum locorúmque cōgruentia, quàm diuersis sacramentis colatur, si quod colitur sanctum est: sicut nihil interest pro diuersa linguarū auditorúmque cōgruentia, quàm diuersis sonis dicatur, si quod dicitur verum est: dum hoc sanè intersit, quòd linguæ sonos, quibus inter se sua sensa communicent, etiam homines pacto quodam societatis sibi instituere possunt. Quibus autē sacris Diuinitati congruerent, voluntatem Dei sequuti sunt, qui rectè sapuerunt. Quæ omnino nunquam defuit ad salutē iustitię, pietatíque mortalium, & si qua in aliis atque aliis populis vna eadémque religione societatis variè celebrantur, quatenus fiat plurimum refert, quo & humana exhortetur vel toleretur infirmitas, & Diuina non oppugnetur auctoritas. Quamobrem cùm Christum dicamus verbum Dei, per quod facta sunt omnia: & ideo Filiū, quia Verbum, nec verbum dictum atque trāsactum: sed apud incommutabilem Patrem incommutabile ipsum atque incommutabiliter manens, sub cuius regimine vniuersa creatura spiritalis & corporalis, pro congruentia temporum locorúmque administratur, cuius moderandæ & gubernandæ, quid, quando & vbi circa eam fieri oporteat, sapientia & scientia penes ipsum est. Profectò & antequam propagaret Hebræorū gentem, per quam sui aduentus manifestationem congruis sacramentis prefiguraret, & ipsis temporibus Israelitici regni, & deinde quum se in carne de Virgine accepta mortalibus mortaliter mōstrauit, & deinceps vsque nunc cùm implet omnia, quæ per Prophetas antè prædixit, & abhinc vsque in finem seculi, quo sanctos ab impiis direpturus est, & sua cuique retributurus, idem ipse est Filius Dei, Patri coæternus, & incommutabilis sapientia, per quā creata est vniuersa natura, & cuius participatione omnis rationalis anima fit beata. Itaque ab exordio generis humani, quicunque in eum crediderunt, eúmque vtcunque intellexerunt, & secundum eius præcepta piè & iustè vixerunt, quandolibet & vbilibet fuerint, per eum proculdubio salui facti sunt. Sicut enim nos in eum credimus, & apud Patrem manentem, & qui in carne iam venerit: sic credebāt in eum antiqui, & apud Patrem manentem, & in carne venturum. Nec quia pro temporum varietate nunc factum annuntiatur, quod tunc futurum prænuntiabatur: ideo fides ipsa variata, vel salus ipsa diuersa est. Nec quia vna eadémque res aliis atque aliis sacris & sacramentis, vel prædicatur, vel prophetatur: ideo alias atque alias res vel alias atque alias salutes oportet intelligi. Quid autem quando fiat quod ad vnam eandémque fidelium & piorum liberationem pertineat, consilium Deo tribuamus, nobis obedientiam teneamus. Proinde aliis tunc nominibus & signis, aliis autem nunc, & prius occultius, postea manifestius, & prius à paucioribus, & postea à pluribus, vna tamen eadémque religio vera significatur & obseruatur. Nec nos eis obiicimus quòd aliter Numa Pompilius deos colendos Romanis instituit, atque aliter ab eis vel Italis antea colebantur. Nec quòd Pythagoreis temporibus illa Philosophia celebrata est, quę antea vel omnino non erat, vel in paucissimis eadem sentiētibus, non tamen eodem ritu viuētibus, fortasse latitabat. Sed vtrùm illi dii veri aut colendi sint, & vtrùm illa Philosophia animarū saluti aliquid prosit, hoc cum eis agimus, hoc in quæstionem vocamus, hoc disputādo conuellimus. Desinant igitur obiicere nobis, quod omni sectæ, & omni nomini religionis obiici potest. Quum enim non fortuitò labi, sed Diuina prouidentia tēpora ordinari fateantur, quid cuique tempori aptum & opportunum sit, humanum consilium prætergreditur, & illinc dispertitur, vnde ipsa prouidentia rebus consulit. Si enim dixerint propterea non semper nec vbique fuisse Pythagoricam disciplinā, quia Pythagoras homo fuit,

Ioannis 1

neque hoc in potestate habere potuit. Nũquid hoc etiam dicere possunt, eoipso tempore quãdo fuit, & in his terrarum locis, vbi illa Philosophia viguit, omnes qui eum audire potuerũt, etiam credere sectarisque eum voluisse? Ac per hoc magis si tantæ potestatis fuisset Pythagoras, & vbi vellet, & quando vellet, sua dogmata prædicaret. Et si haberet etiam cum ea potestate summam rerum præscientiam, nusquã & nunquam appareret, nisi vbi & quando sibi homines credituros esse prænosceret. Proinde cùm Christo nõ obiiciant, quòd eius doctrinã non omnes sequuntur: sentiunt enim & ipsi nequaquam hoc rectè obiici posse vel Philosophorum sapiẽtiæ, vel etiam numini deorum suorum: quid respondebunt si excepta illa altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, vbi fortassis aliud diuinũ consilium longè secretius latet, sine præiudicio etiam aliarum fortè causarum, quæ à prudentibus inuestigari queunt, hoc solùm eis breuitatis gratia, in huius quæstionis disputatione dicamus, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & vbi sciebat esse, qui in eum fuerãt crediturí? His enim temporibus & his locis, quibus Euangelium eius non est prædicatum, tales omnes in eius prædicatione futuros esse præsciebat, quales non quidem omnes, sed tamen multi in eius corporali præsentia fuerunt, qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt, quales etiam nunc multos videmus, cùm tanta manifestatione de illo compleãtur præconia Prophetarum, nolle adhuc credere, & malle humana astutia resistere, quàm tam claræ atque perspicuę, támque sublimi, & sublimiter diffamatæ Diuinæ credere auctoritati. Quãdiu paruus & infirmus est intellectus hominis, Diuinæ debet credere veritati. Quid ergo mirum si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus seculis nouerat, vt eis apparere vel prædicare meritò nollet, quos nec verbis nec miraculis suis credituros esse præsciebat? Neque enim incredibile est tales fuisse tũc omnes, quales ab eius aduentu, vsque ad hoc tempus, tam multos fuisse & esse miramur, & tamen ab initio generis humani, aliâs occultiº, aliâs euidentius, sicut cõgruere temporibus Diuinitus visum est, nec prophetari destitit, nec qui in eum crederent defuerunt, ab Adam vsque ad Mosen, & in ipso populo Israel, qui speciali quodam mysterio gens Prophetica fuit, & in aliis gẽtibus antequam veniret in carne. Cùm enim nonnulli commemorantur in sanctis Hebraicis libris, iam ex tempore Abrahæ, nec de stirpe carnis eius, nec ex populo Israel, nec ex aduentitia societate in populo Israel, qui tamẽ huius sacramenti participes fuerunt, cur non credamus etiam in cæteris hac atque illac gentibus, aliâs alios fuisse, quanuis eos commemoratos in eisdem auctoritatibus non legamus? Ita salus religionis huius, per quam solam veram salus vera veracitérque promittitur, nulli vnquã defuit qui dignus fuit, & cui defuit dignus non fuit. Et ab exordio propagationis humanę vsque in finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad iudicium prædicatur. Ac per hoc & quibus omnino annuntiata non est, non crediturí præsciebantur, & quibus non crediturís tamen annuntiata est, in illorum exemplo demõstrãtur. Quibus autem crediturís annuntiatur, hi regno cælorum & sanctorum Angelorum societati præparantur.

Quære fides catholica reprehendat ritus sacrorum, hostias, thura, & cætera quæ templorum cultus exercuit, quum idẽ cultus à Deo videatur primitus exorsus & institutus.

Iam videamus eam quæ sequitur quæstionem. Accusant, inquit, ritus sacrorum, hostias, thura, & cætera quæ templorum cultus exercuit, quum idem cultus ab ipsis, inquit, vel à Deo quem colũt, exorsus est tẽporibus priscis, quum inducitur Deus primitus eguisse. Huic respõdetur, quoniam ex illo Scripturarum nostrarum loco hęc quęstio proposita agnoscitur, vbi scriptum est, Cain ex fructibus terræ, Abel autẽ ex primitiuis ouiũ obtulisse munus Deo: hinc potius esse intelligendum, quàm sit res antiqua sacrificium, quod non nisi Deo vero offerri oportere, veraces & sacræ literæ monẽt. non quòd illo egeat Deus, cùm in eisdem ipsis literis apertissimè sit scriptum, Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Sed quòd etiam in iis vel acceptãdis, vel reprobandis, vel percipiendis, non nisi hominibus consulat. Nobis enim prodest colere Deum, non ipsi Deo. Quum ergo inspirat & docet quomodo colẽdus sit, nõ solùm sua nulla indigentia facit, sed nostra maxima vtilitate. Significatiua sunt autem omnia talia sacrificia, & quarundam rerum similitudines, quibus admoneri nos oporteat ad eaipsa quorũ similitudines sunt, siue scrutanda, siue noscenda, siue recolenda. De qua re quantum satis est differenda, non breuis sermo flagitandus est, quo nunc respondere nobis propositum non est: præsertim quia in aliis opusculis nostris, de hac re multa iam diximus. Et qui ante nos Dei eloquia tractauerunt, de similitudinibus sacrificiorum veteris Testamenti, tanquam vmbris figurísque futurorũ copiosè loquuti sunt. Hoc sanè nec in ista breuitate prætereundum est, quòd templum, sacerdotem, sacrificium, & alia quæcunque ad hæc pertinentia, nisi vni vero Deo deberi nossent dii falsi, hoc est, dæmones, qui sunt prævaricatores angeli, nunquam hæc sibi à cultoribus suis, quos decipiunt, expetissent. Verùm hæc cùm exhibentur Deo, secundum eius inspirationem atque doctrinam, vera religio est. Quum autem dæmonibus secundum eorum impiam superbiam, noxia superstitio. Quapropter qui Christianas literas vtriusque Testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus paganorũ, quòd construãt templa, & instituant sacerdotia, & faciant sacrificia,

Romans.11 — Genes.4 — psalm.15 — 3

crificia: sed quòd hæc idôlis & dæmoniis exhibeant. Et idôla quidem omni sensu carere quis dubitet? Veruntamen cùm iis locantur sedibus honorabili sublimitate, vt à precantibus atque immolantibus attendantur, ipsa similitudine animatorum membrorum atque sensuũ, quanuis insensata & exanimata afficiunt infirmos animos, vt viuere ac spirare videantur, accedente præsertim veneratione multitudinis, qua tantus eis cultus Dei impéditur. Quibus morbidis & pestilentiosis affectibus medetur Scriptura Diuina, quæ rem quidem notam, sed tamen salubri remedio admonitionis inculcat,
psalm.113 dicens, Oculos habent, & non vident, aures habent, & non audiunt, & cætera talia. Hæc enim verba quò magis aperta & populariter vera sũt, eò magis incutiũt salubrem pudorem illis, qui cum talibus simulachris Diuinum cum timore cultum exhibent, cáque viuentibus similia venerantes, adorantéque contuentur, eísque velut præsentibus preces allegãt, victimas immolant, vota persoluunt: sic afficiuntur omnino, vt ea sensu carentia putare non audeãt. Ne arbitrentur autem isti hoc solùm nostros libros velle sonare, quòd huiusce modi affectus humano cordi ex idôlis innascitur, apertissimè
psalm.95 scriptum est, Quoniam omnes dii gentium dæmonia. Vnde Apostolica disciplina non solùm
Ioannis 5 dicit quod apud Ioannem legitur, Fratres, cauete à simulachris: verumetiã quod apud Pau-
2.Corinth.15 lum, Quid ergo? Dico quòd idôlis immolatum sit aliquid, aut idôlum sit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmoniis & non Deo immolant: nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Vnde satis intelligi potest, non tam ipsam immolationẽ (nã vero Deo prisci Sancti immolauerũt) sed quòd diis falsis & impiis dæmoniis immolatur, reprehendi à vera religione, in superstitionibus gentiũ. Sicut enim veritas hortatur homines fieri socios sanctorum Angelorum, ita seducit impietas ad societatem dæmoniorum, cui præparatus ignis æternus, sicut regnum æternum societati Sanctorum. Neque illinc excusant impii sua sacrilega sacra & simulachra, quòd eleganter interpretantur quid quæque significent. Omnis quippe illa interpretatio ad creaturam refertur, non ad Creatorem, cui vni debetur seruitus religionis, illa quę vno nomine Latria Græcè appellatur. Nec nos dicimus terram, maria, cælum, solem, lunam, stellas, & quasdam non in promptu sitas cælestes potestates esse dæmonia, sed cũ omnis creatura partim corporalis sit, partim verò incorporalis, quam etiam spiritalem vocamus, manifestum est id quod à nobis piè ac religiosè fit, à voluntate animi proficisci: quæ creatura spiritalis est, & omni corporali præponenda. Vnde colligitur corporali creaturę non esse sacrificãdum. Restat spiritalis, quæ vel pia, vel impia est. Pia scilicet in hominibus & Angelis iustis, & Deo ritè seruientibus: impia verò in hominibus & angelis iniquis, quos etiam dæmones dicimus. Aeper hoc nec spiritali, quanuis iustæ, creaturę sacrificandum est. Quoniam quantò magis pia est & subdita Deo, tantò minus se tali honore dignatur, quem scit non deberi nisi Deo. Quantò ergo perniciosius est sacrificare dęmoniis, hoc est, iniquę spiritali creaturæ, quæ in hoc proximo & caliginoso cælo inhabitans, tanquam in aereo carcere suo prædestinata est supplicio sempiterno? Quamobrem etiam quum se homines superioribus cælestibus potestatibus, quæ non sunt dæmonia, sacrificare dicunt, & solius nominis interesse arbitrãtur, quòd illi deos, nos eos Angelos appellamus, non se opponunt eis ludificãdis multiplici fallacia, nisi dæmones qui errore delectantur, & quodam modo pascuntur humano, quoniam sancti Angeli non approbant sacrificium, nisi quod ex doctrina veræ sapientiæ, veręque religionis offertur vni vero Deo, cui sancta societate deseruiunt. Proinde sicut impia superbia, siue hominum, siue dæmonum, sibi hos diuinos honores exhiberi vel iubet vel cupit: ita pia humilitas vel hominum, vel Angelorum sanctorum, hæc sibi oblata recusauit, & cui deberentur ostendit. Cuius rei manifestissima in sacris literis nostris exempla monstrantur. Dispertita autem diuinis eloquiis sacrificia pro temporum congruentia, vt alia fierent ante manifestationem noui Testamenti, quod ex ipsa vera & in vnius sacerdotis victima, hoc est, effuso Christi sanguine ministratur, & aliud nunc quod huic manifestationi est congruum, qui iam declarato nomine Christiani appellamur, offeramus: non solùm Euãgelicis, verumetiam Propheticis literis demonstratur. Mutatio quippe non Dei, non ipsius religionis, sed sacrificiorum & sacramentorum impudẽter nunc videretur prædicata, nisi fuisset antè prędicta. Quemadmodum enim vnus idémque homo, si Deo manè aliud offerat, aliud vespere, pro congruentia diurni temporis, non Deum mutat, non religionem, sicut nec salutem, qui alio modo manè, alio vespere salutat: ita in vniuerso tractu seculorum, cùm aliud oblatum est ab antiquis Sanctis, aliud ab eis qui nunc sunt offertur, non humana præsumptione, sed auctoritate Diuina temporibus congrua sacra mysteria celebrantur, non Deus aut religio commutatur.

Quomodo Christus quam in Euangelio dixerit, Qua mẽsura mensi fueritis, remetietur & vobis: alio loco minetur sibi non credentibus æterna supplicia, & sic pœnam infinitam pro temporali peccato.

4 Iam nunc deinde videamus, quale sit quod de mensura peccati atque supplicii proposuit, sic Euangelio calumniatus. Minatur, inquit, Christus sibi non credentibus æterna supplicia. Et alibi ait, In qua mẽsura mẽsi fueritis, re- *Matthæi 7* metietur vobis. Satis, inquit, ridiculè atq; cõtrariè. Nam si ad mensuram redditurus est pœnã, & omnis mẽsura circunscripta est fine temporis, quid sibi volunt minæ infiniti supplicii? I-

ſtam quęſtionẽ à qualicunque Philoſophõ eſſe obiectam atque propoſitam, difficile eſt credere. Quippe qui ait, Omnis menſura circunſcribitur tempore, quaſi non ſoleat niſi temporum eſſe menſura, ſicut horarum & dierum & annorum. Vel ſicut dicimus breuem ſyllabam ſimplum habere temporis ad ſyllabam longã. Puto enim modios, rabones, vrnas & amphoras, non tẽporum eſſe menſuras. Quomodo ergo omnis menſura circũſcribitur tẽpore? Nõne ipſi dicunt, ſolem iſtum ſempiternum eſſe, qui tamen quãtus ſit ad terram, menſuris geometricis perſcrutari audẽt & enuntiare? Quod ſiue poſsint ſiue non poſsint, conſtat eum tamẽ propriam ſui orbis habere mẽſuram. Quia & ſi comprehendunt quantus ſit, menſuram eius comprehẽdunt, & ſi hoc non aſſequuntur, mẽſuram eius vtique non comprehendunt: nec ideo nulla eſt, quia homines eam noſſe nõ poſſunt. Poteſt igitur aliquid & ſempiternum eſſe, & certam ſui modi habere menſuram. Secundum ipſos enim de ſolis æternitate locutus ſum, vt ſua ſententia conuincantur atque concedãt eſſe poſſe aliquid cum mẽſura ſempiternum. Ac ſic non ideo putent non eſſe credendum de ſupplicio ſempiterno, quod minatus eſt Chriſtus, quia idem dixit, In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Si enim dixiſſet, Quod menſi fueritis, hoc metietur vobis, etiam ſic non omnino ad eandem rem ex omni parte neceſſe eſſet referre ſententiam. Poſſumus enim rectè dicere, Quod plantaueris, hoc decerpes, quanuis nemo plantet pomum, ſed lignum: decerpit autem pomum magis quàm lignum: ſed illud dicimus ſecundum arboris genus, quia non ficum plãtat, vnde nucem decerpat. Ita dici poſſet, Quod feceris, patieris, non vt ſi ſtuprum fecerit, ſtuprũ patiatur, ſed quod peccato iſto fecit Legi, hoc ei Lex faciat, id eſt, quia Legem talia prohibentem de ſua vita abſtulit, auferat eum etiam ipſa Lex de hominum vita, quam regit. Item ſi dixiſſet, Quãtum menſi fueritis, tantum remetietur vobis: nec ſic eſſet conſequẽs, vt omni modo æquales peccatis pœnas intelligere deberemus: neq; enim æqualia ſunt, verbi gratia, triticum & hordeum, & profectò dici poſſet, Quantum menſi fueritis, tantum remetietur vobis, hoc eſt, quantum tritici, tantum hordei. Quòd ſi de doloribus ageretur atque diceretur, Quãtum dolorem ingeſſeritis, tantus ingeretur vobis, fieri poſſet vt tantus dolor eſſet, quãuis tempore diuturnior, hoc eſt, mora maior, vi par. Neque enim ſi de duabus lucernis dicamus, Tãtum ignis iſte caluit, quantum ille: ideo falſum erit, quia vna earum fortè citius extincta eſt. Non itaque ſi aliquid ſecundum aliud tantum eſt, ſecundum aliud non eſt tantum: quia non omnino tãtum eſt, ideo falſus eſt modus, in quo tantum eſt. Cùm verò dixerit, In qua mẽſura menſi fueritis, remetietur vobis: cúmq; manifeſtum ſit, aliud eſſe mẽſurã, in qua metitur aliquid, aliud ipſam rem quæ metitur, iam fieri poteſt, vt in qua mẽſura homines menſi eſſent: verbi gratia, modiũ tritici, in ea illis metiãtur millia modiorum, vt tam multum intereſſet in quãtitate frumenti, & nihil in menſura, vt taceam de ipſarum rerum diuerſitate: quia non ſolùm fieri poteſt, vt in qua menſura quis menſus fuerit hordeum, in ea illi metiatur triticum: ſed qua mẽſus fuerit frumẽtum, in ea illi metiatur aurũ, & frumenti ſit vnus modius: auri autẽ quàm pluri mi. Ita cùm ſine cõparatione rerũ ipſarũ, & genus & quãtitas differat, dici tamẽ rectiſsimè poteſt, In qua menſura mẽſus eſt, in ea illi metitũ eſt. Vnde autẽ hoc dixerit Chriſtus, paulò ſuperiꝰ ſatis elucet. Nolite, inquit, iudicare, vt nõ iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Nũquid ſi iniquo iudicio iudicabũt, iniquo iudicabũtur? Abſit. Nulla quippe iniquitas apud Deũ. Sed ita dictũ eſt, In quo iudicio iudicaueritis, in eo iudicabimini, tãquã diceretur, In qua voluntate bene feceritis, in ipſa liberabimini, vel in qua voluntate malè feceritis, in ipſa puniemini. Velut ſi quiſpiã ad turpẽ concupiſcentiam oculis vtẽs, excæcari iuberetur, rectè vtique audiret, In quibus oculis peccaſti, in eis ſupplicium meruiſti. Iudicio enim quiſq; animi ſui, ſeu bono, ſeu malo vtitur, vel ad benefaciẽdum, vel ad peccandum. Vnde nõ iniquum eſt, vt in quo iudicat, in eo iudicetur, hoc eſt, vt in ipſo animi ſui iudicio pœnas luat, quum ea mala patitur, quæ malè iudicantem animum conſequuntur. Alia nanque ſunt manifeſta tormenta, quæ poſt futura præparãtur, etiam ipſa ex eodem malæ voluntatis cardine extracta. In ipſo autem animo, vbi appetitus voluntatis hominum eſt, humanorum menſura factorum cõtinuò pœna ſequitur culpam, plerunque maior, non ſentientis cæcitate grauiore. Ideo quum dixiſſet, In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini, ſequutus adiũxit, Et qua menſura mẽſi fueritis, metietur vobis. In volũtate quippe ꝓpria metitur bonus homo bona facta, & in ea metietur ei beatitudo. Itémque in mala volũtate ꝓpria metitur malus homo mala opera, & in ea metietur ei miſeria: quoniã vbiquiſq; bonus eſt, cùm bene vult: ibi etiã malꝰ, cùm malè vult. Ac per hoc ibi etiã fit vel beatꝰ, vel miſer, hoc eſt, in ipſo ſuæ volũtatis affectu, quę omniũ factorum meritorúmq; mẽſura eſt. Ex qualitatibus quippe voluntatum, non ex tẽporum ſpatiis, ſiue rectè facta, ſiue peccata metimur. Alioquin maius peccatum haberetur, arborem deiicere, quàm hominem occidere. Illud enim fit longa mora, ictibus multis, hoc vno ictu breuiſsimo tẽpore: pro quo tamen exigui temporis tam grandi peccato, ſi perpetua deportatione homo puniretur, etiam mitius cum illo actum quàm dignus fuerat diceretur: quanuis in ſpatio temporali, longitudo pœnæ cum breuitate facinoris nullo modo ſit comparanda. Quid ergo contrarium eſt, ſi erunt pariter longa, vel etiam pariter æterna ſupplicia,

Matth. 7

Roman. 9
Matth. 7

cia, sed aliis alia mitiora vel acriora, vt quibus tempus æquale est, non sit æqualis asperitas, propter mensuram etiam peccatorum, non in productione temporum, sed in voluntate peccantium? Voluntas quippe ipsa punitur, siue animi supplicio, siue corporis, vt quæ delectatur in peccatis, ipsa plectatur in pœnis, & vt qui iudicat sine misericordia, sine misericordia iudicetur. Et in hac quippe sententia, ad hoc solùm eadem mensura est, vt quod non præstitit, non ei præstetur. Atque ita quòd ipsa iudicatur, æternum erit, quanuis quod iudicauit æternum esse nequiuerit. In eadem igitur mensura, quanuis non æternorum malefactorum æterna supplicia remetiuntur, vt quia æternam voluit habere peccati perfruitionem, æternam vindictæ inueniat seueritatem. Non autem sinit proposita breuitas responsionis meæ, vt colligam omnia, vel certè quàm plurima, quæ de peccatis, & de peccatorum pœnis sancti libri habent, atque ex his vnam eruam sine vlla ambiguitate sententiam, si tamen id valeam viribus mentis, etiam si cõgruum nanciscar otium. Nunc tamen arbitror satis esse monstratum, non esse contrarium æternitati suppliciorum, quod in eadem mensura redduntur, in qua peccata commissa sunt.

An Salomon Deum habuisse filium dixerit.

5 Post hanc quæstionem, qui eas ex Porphyrio proposuit, hoc adiunxit, Sanè etiam de illo, inquit, me dignaberis instruere, si verè dixit Salomon, Filium Deus non habet. Citò respondetur, Non solùm hoc non dixit, verumetiam dixit quòd Deus habeat Filium. *prouerb.8* Apud eum enim Sapientia loquens ait, Ante omnes colles genuit me. Et quid est Christus, nisi Dei Sapientia? *prouerb.30* Item quodam loco Prouerbiorum, Deus, inquit, docuit me sapientiam, & scientiam Sanctorum cognoui. Quis ascendit in cælum & descendit? Quis collegit ventos in sinum? Quis conuertit aquam in vestimento? Quis tenuit fines terræ? Quod nomen est ei, aut quod nomen est Filii eius? Horum duorum quæ in extremo commemoraui, vnum retulit ad Patrem, id est, quod nomen est ei, propter quod dixerat, Deus docuit me sapientiam. Et alterum euidenter ad Filium, quum ait, Aut quod nomen est Filii eius? propter cætera quæ de Filio magis intelliguntur, hoc est, Quis ascendit in cælum, & descendit? *Ephes.4* Quod Paulus ita commemorat, Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos. Quis collegit ventos in sinum, id est, animas credentium in occultum atque secretum? Quibus dicitur, Mortui enim estis: & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Quis conuertit aquam in vestimento, vt dici posset, *Galat.3* Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis? Quis tenuit fines terræ? Qui dixit discipulis suis, *Actorum 1* Eritis mihi testes in Hierusalem, & in tota Iudæa & Samaria, & vsque in fines terræ.

Quomodo Ionas in corde pisces dicatur fuisse. Quid etiam sibi velit supra cuomitum Ionam cucurbitam natam, & quid causæ fuerit, vt hæc nasceretur.

Postrema quæstio proposita est de Iona, nec ipsa quasi ex Porphyrio, sed tanquam ex irrisione paganorum. Sic enim posita est, Deinde quid sentire, inquit, debemus de Iona, qui dicitur in ventre ceti triduo fuisse, quod satis ἀπίθανον est & incredibile, transuoratum cum veste hominem fuisse in corde piscis. Aut si figura est, hanc dignaberis pãdere. Deinde quid sibi etiam illud vult, Supra euomitum Ionam cucurbitam natam: quid causæ fuit vt hæc nasceretur. Hoc enim genus quæstionis, multo cachinno à paganis grauiter irrisum animaduerti. Ad hoc respondetur, quòd aut omnia Diuina miracula credenda non sint, aut hoc cur non credatur causa nulla sit. In ipsum autem Christum, quòd tertio die resurrexerit non crederemus, si fides Christianorum cachinnum metueret paganorum. Quum autem hinc quæstionem non proposuerit amicus noster, vtrùm credendum sit vel Lazarum resuscitatum esse quarto die, vel ipsum Christum tertio die resurrexisse, multum miror hoc quod factum est de Iona, eum pro incredibili posuisse: nisi fortè facilius putat mortuum de sepulchro resuscitari, quàm viuum in tam vasto vẽtre beluæ potuisse seruari. Vt enim omittam cõmemorare quanta magnitudo beluarum marinarum ab eis qui experti sunt iudicetur, venter quem costæ illæ muniebant, quæ Carthagine in publico fixæ populo notæ sunt, quot homines in spatio suo capere posset? Quis non cõiiciat quãto hiatu patebat os illud, quod velut ianua spelunce illius fuit? nisi fortè vt posuit, vestis esset impedimẽto ne Ionas deuorari posset illæsus, quasi per angusta sese coarctauerit, qui per abruptũ aeris prȩcipitatus, sic exceptus est, vt prius reciperetur ventre bestiæ, quàm dente laceraretur. Quanquam Scriptura neque nudũ neq; vestitũ in illud antrũ deiectũ esse dixerit, vt possit intelligi illuc etiam nudus irruisse, si fortè opus erat tanquam ouo corium, ita illi vestem detrahi, quò facilius sorberetur. Sic enim sunt homines de Prophetæ hui" veste soliciti, quasi aut per fenestram paruam repsisse, aut in balneas intrasse dicatur, quò etiam si necesse esset intrare vestitum, vix molestum esset, nõ tamen mirum. Sed habent re vera quod non credant in Diuino miraculo, vaporem vẽtris, quo cibi madescunt, potuisse ita temperari, vt vitam hominis conseruaret. Quantò incredibilius ergo proponerent tres illos viros, ab impio rege in caminum missos, deambulasse in medio ignis illæsos? Quapropter si nulla isti Diuina miracula volunt credere, alia disputatiõne refellendi sunt. Neque enim debent vnum aliquid tanquam incredibile proponere, & in quæstionem vocare, sed omnia quæ vel talia, vel etiam mirabiliora narrantur. Et tamen *Ionæ 2 Matth.12* *ioannis 11*

si hoc quod de Iona scriptum est, Apuleius Madaurensis vel Apollonius Tyaneus fecisse diceretur, quorum multa mira nullo fideli auctore iactitant: quanuis & dæmones nonnulla faciant Angelis sanctis similia, non veritate, sed specie, non sapientia, sed planè fallacia: tamen si de istis, vt dixi, quos Magos vel Philosophos laudabiliter nominant, tale aliquid narraretur, non iam in buccis crepare risus, sed typhus. Ita rideant Scripturas nostras, quantum possunt rideant, dum per singulos dies rariores, paucioresque se videant, vel moriendo, vel credendo: dum implentur omnia quæ prædixerunt, qui hos contra veritatem inaniter pugnaturos, vanè latraturos, paulatim defecturos, tantò antè riserunt, nobis que posteris suis, non solùm ea legenda dimiserunt, verùm experienda promiserunt. Nō sanè absurdè, neq; importunè requiritur quid ista significent, vt quum hoc expositum fuerit, non tantùm gesta, sed etiam propter aliquam significationem conscripta esse credantur. Prius ergo non dubitet Ionam Prophetam in aluo ingenti marinæ beluæ triduo fuisse, qui vult scrutari, cúrnam hoc factum sit. Non enim frustra factum est, sed tamen factum est. Si enim mouent ad fidem, quæ figuratè tantum dicta non facta sunt, quantò magis mouere debent, quæ figuratè non tantùm dicta, sed facta sunt? Nam sicut humana consuetudo verbis, ita Diuina potentia etiam factis loquitur. Et sicut sermoni humano verba noua, vel minus vsitata, moderatè ac decenter aspersa, splendorem addunt: ita in factis mirabilibus congruenter aliquid significantibus, quodam modo luculentior est Diuina eloquentia. Proinde quid figurauerit quòd Prophetam belua illa deuoratum, tertio die viuum reddidit, cur à nobis quæritur, cùm hoc Christus exponat? Generatio, inquit, praua & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus. De ipso autem triduo mortis Domini nostri Iesu Christi, quomodo ratio reddatur, quum à parte totum intelligitur, in die primo & nouissimo, vt toti tres dies iidem cum suis noctibus computentur, longum est differere, & in aliis sermonibus iam sæpissimè dictum est. Sicut ergo Ionas ex naui in aluum ceti, ita Christus ex ligno in sepulchrum, vel in mortis profundum. Et sicut ille pro iis qui tempestate periclitabantur, ita Christus pro iis qui in hoc seculo fluctuant. Et sicut primò visum est, vt prædicaretur Niniuitis à Iona, sed non ad eos peruenit Prophetia Ionæ, nisi posteaquam eum cetus euomuit: ita Prophetia præmissa est ad gentes, sed nisi post resurrectionem Christi non peruenit ad gentes. Iam verò quòd tabernaculum sibi constituit, & consedit ex aduerso ciuitatis Niniuæ, quid ei futurum esset expectans, alterius significationis personā Propheta gestabat. Præfigurabat enim carnalem populum Israel. Nam huic erat & tristitia de salute Niniuitarum, hoc est, de redemptione & liberatione gentium. Vnde venit Christus *Luc. 5* vocare non iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Vmbraculum ergo cucurbitę super caput eius, promissiones erant veteris Testamenti, vel ipsa iam munera, in quibus erat vtiq; (sicut dicit Apostolus) vmbra futurorum, tanquā ab *Coloss. 2* æstu temporalium malorum in terra promissionis defensaculum præbēs. Vermis autem matutinus, quo rodente cucurbita exaruit, idem ipse rursus Christus occurrit, ex cuius ore Euāgelio diffamato, cuncta illa quæ temporaliter apud Israelitas velut vmbratili prius significatione viguerunt, euacuata marcescunt. Et cunctus ille populus amisso Hierosolymitano regno, & sacerdotio & sacrificio (quod totum vmbra erat futuri in captiua dispersione) magno æstu tribulationis aduritur, sicut Ionas, quod scriptū est, à solis ardore, & dolet grauiter, & tamen dolori eius atque vmbræ, quā diligebat, salus gentium pœnitentiúmque præponitur. Adhuc cachinnent pagani etiam vermem Christum, & hanc interpretationem Prophetici sacramenti superbiore garrulitate derideant, dum tamen & ipsos sensim paulatímque consumat. Nam de omnibus talibus Esaias prophetat, per quem nobis dicit Deus, Audite *Esaiæ 13* me qui scitis iudicium, populus meus, in quorum corde Lex mea est. Opprobria hominum nolite metuere, & detractione eorum ne superemini, nec quòd vos spernant magni duxeritis. Sicut enim vestimentum, ita per tēpus absumentur, & sicut lana à tinea comedentur: iustitia autem mea in æternum manet. Nos ergo agnoscamus vermem matutinū, quia & in illo *Matt. 12* Psalmo, cuius titul° inscribitur, Pro susceptione matutina, hoc se ipse nomine appellare dignatus est. Ego, inquit, sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Hoc opprobriū de illis opprobriis est, quæ iubemur non metuere, per Esaiam dicentem, Opprobria hominum nolite metuere. Ab isto verme tanquam à tinea comeduntur, qui sub eius dente Euangelico, per singulos dies paucitate sua deficiendo minorantur. Nos hunc agnoscamus, & pro salute Diuina humana opprobria sufferamus. Vermis est propter humilitatem carnis, fortasis etiam propter Virginis partum. Nam hoc animal plerunque de carne, vel de quacunque re terrena, sine vllo concubitu nascitur. Matutinus est, quia diluculo resurrexit. Poterat vtique illa cucurbita & sine vllo vermiculo arescere. Postremò si habebat Deus adhuc vermen necessarium, quid opus erat addere Matutinum, nisi vt ille vermis agnosceretur, qui cantat pro susceptione matutina, Ego autem sum vermis & non homo? Quid ista Prophetia, iam ipso rerum *Psalm 21*

rum effectu, & adimpletione lucidius? Si irrisus est vermis iste, quum penderet in cruce, sicut in eodem Psalmo scriptum est, Loquuti sunt labiis, & mouerunt caput. Sperauit in Deum, eruat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum. Quum completa sunt quæ prædixit, Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea, Ipsi verò considerauerunt & conspexerunt me, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem: quod tanta manifestatione futurum in libro antiquo prophetatur, quanta manifestatione factum id nouo Euangelio recitatur? Sed si in hac humilitate (vt dicere cœperam) iste vermis irrisus est, nunquid adhuc irridendus est, quum ea compleri cernimus, quæ consequentia Psalmus ipse habet, Commemorabuntur & conuertentur ad Dominum, vniuersi fines terræ, Et adorabunt in conspectu eius, vniuersæ patriæ gẽtium: Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium? Sic commemorati sunt Niniuitæ, & conuersi sunt ad Dominum. Hanc salutem pœnitentiæ gentium, tantò antè præfiguratam in Iona, dolebat Israel, sicut nunc dolet vmbra nudatus, & æstu sauciatus. Liceat sanè cuilibet quanlibet aliter, dum tamen secundum regulam fidei, cætera omnia quæ de Iona Propheta mysteriis operta sunt, aperire. Illud planè quod in ventre ceti triduo fuit, fas non est aliter intelligere, quàm Matthæi 12 ab ipso cælesti magistro in Euangelio commemorauimus reuelatum. Proposita exposuimus vt potuimus. Sed ille qui proposuit, iam sit Christianus, ne fortè quum expectat antè librorum sanctorum finire quæstiones, prius finiat vitam istam, quàm transeat à morte ad vitam. Fieri enim potest, quòd antequam Christianis sacramentis imbuatur, quærit de resurrectione mortuorum. Concedendum etiam fortasis quod de Christo quæsiuit, Cur tantò pòst venerit, vel si quæ sunt aliæ paucæ & magnæ quæstiones, quibus cætera inseruiunt. Si Matth. 7 autem qualis est illa, In qua mensura mensi fueritis, metietur vobis. Vel qualis ista de Iona, etiam omnes tales antequam sit Christianus, finire cogitat, perparum cogitat, vel conditionem humanam, vel ætatem iam suam. Sunt enim innumerabiles, quæ non sunt finiendæ ante fidem, ne finiatur vita sine fide. Sed planè retenta iam fide, ad exercendam piam delectationem mentium fidelium studiosissimè requirendæ, & quod in eis eluxerit, sine typho arrogantiæ communicandum: quod autem latuerit, sine salutis dispendio tolerandum.

FINIS LIBRI AD DEOGRATIAS.

DIVI AVRELII AVGVstini in libros ad inquisitiones Ianuarii, ex secundo libro Retractationum, Argumentum.

LIbri duo, quorum est titulus ad inquisitiones Ianuarii, multa de sacramẽtis continent disputata, siue quæ vniuersaliter, siue quæ particulariter, id est, non per ea quæ in omnibus locis obseruat ecclesia: nec tamen omnia commemorari potuerunt, sed satis ad inquisita responsum est. Quorum librorum prior Epistola est. Habẽt quippe in capite quis ad quem scribat. Sed ideo inter libros annumeratur hoc opus, quoniam sequens qui nomina nostra non habet, multò est prolixior, & in eo multò plura tractantur. In primo igitur quod de manna dixi, quoniam vnicuique secundum propriam voluntatem in ore sapiebat, non mihi occurrit vnde possit probari, nisi ex libro Sapientiæ, quem Iudæi non recipiunt in auctoritatem canonicam: quod tamen fidelibus potuit prouenire, non illis aduersus Deum murmuratoribus, qui profectò alias escas non desyderarent, si hoc eis saperet manna quod vellent. Sapient. 16

EIVSDEM DIVI AVRElii Augustini ad inquisitiones Ianuarii primus Liber, cuius prænotatio talis est, Dilectissimo filio Ianuario, Augustinus in Domino salutem.

Quòd Christus societatem noui populi sacramentis numero paucissimis colligauit.

AD ea quæ me interrogasti, mallẽ 2 prius nosse quid interrogatus ipse respõderes. Ita enim vel approbando vel emendãdo respõsiones tuas, multò breuius possem respondere, & te facillimè aut confirmare aut corrigere. Hoc quidem, vt dixi, mallem. Sed tamen vt nunc respõderem, malui longiorem facere sermonem quàm dilationẽ. Primò itaque tenere te volo, quod est huius disputationis caput, Dominum nostrum Iesum Christum, sicut ipse in Euangelio loquitur, leni iugo suo nos subdidisse & sarcinæ leui. Vnde Matt. 11 sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi colligauit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsi⁹, & si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur, exceptis iis quæ seruitutem populi veteris pro congruentia cordis illorum, & Prophetici temporis onerabant, quæ & in quinque libris Mosi leguntur. Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, cõ-

mendata atque ſtatuta retineri, ſicuti quòd Domini paſsio, & reſurrectio, & aſcēſio in cælum, & aduentus de cælo Spiritus ſancti, anniuerſaria ſolennitate celebrantur, & ſi quid aliud tale occurrerit, quod ſeruatur ab vniuerſa quacunque ſe diffundit Eccleſia.

Quòd illa quæ per loca terrarum, regionéſque variantur, vt quòd alii ieiunant ſabbato, alii non, &c. liberas habent obſeruationes pro eorum inter quos viuitur ſocietate ſeruandas.

2 Alia verò quæ per loca terrarum regionéſque variantur, ſicuti eſt quòd alii ieiunant ſabbato, alii verò non: alii quotidie communicant corpori & ſanguini Dominico, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi ſabbato tantùm & Dominico, alibi tantùm Dominico: & ſi quid aliud huiuſmodi animaduerti poteſt, totum hoc genus rerum liberas habet obſeruationes. Nec diſciplina vlla eſt in his melior graui prudentíque Chriſtiano, quàm vt eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam ad quancunque fortè deuenerit. Quod enim neque cōtra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferēter eſt habendum, & pro eorum inter quos viuitur ſocietate ſeruandum. Credo te aliquando ex me audiſſe: ſed tamen etiam nunc commemoro. Mater mea Mediolanum me conſecuta, inuenit Eccleſiam ſabbato non ieiunantem, cœperat perturbari & fluctuare quid ageret. Tunc ego talia non curabam, ſed propter ipſam conſului de hac re beatiſsimæ memoriæ virum Ambroſium. Reſpondit ſe nihil docere me poſſe, niſi quod ipſe faceret, quia ſi melius noſſet, id potius obſeruaret. Cúmque ego putaſſem nulla reddita ratione, auctoritate ſola ſua nos voluiſſe admonere, ne ſabbato ieiunaremus, ſubſequutus eſt & ait mihi, Quum Romam venio, ieiuno ſabbato, cùm hic ſum, non ieiuno. Sic etiā tu, ad quam fortè Eccleſiam veneris, eius morem ſerua, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quenquam tibi. Hoc quum matri renuntiaſſem, libēter amplexa eſt. Ego verò de hac ſententia etiam atque etiam cogitans, ita ſemper habui tanquam eam cęlesti oraculo ſuſceperim. Senſi enim ſæpe dolēs & gemēs multas infirmorum perturbationes fieri, per quorundam fratrum contentioſam obſtinationem & ſuperſtitioſam timiditatē, quæ in rebus huiuſmodi, quæ neque Scripturæ ſanctę auctoritate, neque vniuerſalis Eccleſiæ traditione, neque vitæ corrigēdæ vtilitate ad certum poſſunt terminum peruenire, tantùm quia ſubeſt qualiſcunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in ſua patria ſic ipſe conſuecuit, aut quia ibi vidit vbi peregrinationem ſuam, quò remotiorem à ſuis, eò doctiorem factam putat, tam litigioſos excitant quæſtiones, vt niſi quod ipſi faciunt, nihil rectum exiſtiment.

De Euchariſtia, an quotidie an varius ſit accipienda, faciat vnuſquiſque quod ſecundam ſuam fidem pie credit eſſe faciendum.

3 Dixerit aliquis, non quotidie accipiendam Euchariſtiam. Quæſieris quare? Quoniā, inquit, eligendi ſunt dies, quibus purius homo continentiúſque viuit, quò ad tantum ſacramentum dignius accedat. Qui enim manducauerit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Alius contrà, Imò, inquit, ſi tanta eſt plaga peccati atque impetus morbi, vt medicamenta talia differenda ſint, auctoritate Antiſtitis debet quiſque ab altario remoueri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Hoc eſt enim indignè accipere, ſi eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non vt arbitrio ſuo, quum libet, vel auferat ſe communioni, vel reddat. Cæterùm ſi peccata tanta non ſunt, vt excommunicandus quiſquam homo iudicetur, non ſe debet à quotidiana medicina Dominici corporis ſeparare. Rectius inter eos fortaſſe quiſquam dirimit litem, qui monet vt præcipuè in Chriſti pace permaneant. Faciat autem vnuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam piè credit eſſe faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & ſanguinem Domini, ſi ſaluberrimum ſacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigauerunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri prępoſuit, Zacheus & ille Centurio, cùm alter eorum gaudens in domum ſuam ſuſceperit Dominum, alter dixit, Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum. Ambo Saluatorem honorificantes diuerſo & quaſi contrario modo, ambo peccatis miſeri, ambo miſericordiam conſequuti. Valet etiam ad hanc ſimilitudinem, quod in primo populo vnicuique manna ſecundum propriam voluntatem in ore ſapiebat: ſic in in ore cuiuſq; Chriſtiani ſacramentū illud, quomodo ſumatur ęſtimandum. Nā & ille honorādo non audet quotidie ſumere, & ille honorando non audet vllo die prætermittere. Contemptum ſolum non vult cibus ille, ſicut māna faſtidium. Inde enim & Apoſtolus indignè dicit acceptum ab eis qui hoc nō diſcernebāt à cęteris cibis veneratione ſingulariter debita. Continuò quippe cùm dixiſſet, Iudicium ſibi manducat & bibit, addidit vt diceret, Non diiudicans corpus Domini, quod ſatis toto ipſo loco in Epiſtola ad Corīthios prima, ſi diligenter attendatur, apparet.

1. Corinth. 11

Luce 19

Matth. 8

Quid faciēdum ſit peregrino, qui videt in alieno loco perſeuerantes in obſeruatione quadrageſimæ, nec quinta ſabbati lauare, relaxāque ieiunium, quòd in patria ſua non vidit.

4 Sit aliquis peregrinus in eo fortè loco, vbi perſeuerantes in obſeruatione quadrageſimæ, nec quinta ſabbati lauant, relaxántque ieiunium. Non, inquit, hodie ieiunabo. Quæritur cauſa. Quia non fit, inquit, in patria mea. Quid aliud ille niſi conſuetudinem ſuam conſuetudini alterius præponere conatur? Non enim mihi de libro Dei hæc recitaturus eſt, aut vniuerſæ quacunque dilatatur Eccleſiæ plena voce certabit, aut oſtendet iſtum contra fidem facere, ſe autem ſecundum fidem, moréſque hinc

hinc optimos aut illum violare, aut se custodire conuincet. Violant sanè quietem & pacem suam de superflua quæstione rixando. Mallem tamẽ in rebus huiusmodi, vt & ille in huius, & hic in illius patria, ab eo quod cæteri faciunt non abhorreret. Si verò etiam in aliena patria quum peregrinetur, vbi maior & frequentior est populus Dei, vidit, verbi gratia, bis offerri quinta sabbati hebdomadæ vltimæ quadragesimæ & manè & ad vesperam, veniénsque in patriam suam, vbi in fine diei mos est offerri, malè illicitéque fieri contendat, quoniam alibi aliter ipse viderit: puerilis est sensus ille cauendus in nobis, tolerandus & corrigendus in nostris.

Respondet ad quæstionem, an quinta feria vltimæ hebdomadæ Paschæ offerendum sit manè, & rursus poste cænam, an ieiunandũ & post cænã tãtummodo offerendũ, an etiam ieiunandum, & post oblationem cænandum.

5 Prima ergo inquisitio tua, quam in cõmonitorio posuisti, ex quo trium istorum generũ sit, attende. Quæris enim his verbis, quid per quintam feriam vltimę hebomadæ Paschæ fieri debeat: an offerendum sit manè, & rursus post cœnam, propter illud quod dictum est, Similiter postquam cœnatum est: an ieiunandum, & post cœnam tantummodo offerendũ: an etiam ieiunandum, & post oblationem, sicut facere solemus, cœnandum. Ad hæc itaque ita respondeo, vt quid horum sit faciẽdum, si Diuinæ Scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus vt legimus, vt iam non quomodo faciẽdum, sed quomodo sacramẽtum intelligendum sit disputemus. Similiter etiã si quid horum tota die per orbem frequentat Ecclesia. Nam hoc quin ita faciendum sit disputare, insolẽtissimæ insaniæ est. Sed neque hoc, neq; illud inest in eo quod tu quæris. Restat igitur vt de illo tertio genere sit, quod per loca regionésque variatur. Faciat ergo quisque quod in ea Ecclesia, in quam venit, inuenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem est, aut cõtra mores, hinc vel inde meliores. His enim causis, id est, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel institui quod nõ fiebat. Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiã quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat. Qua propter quæ vtilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est. Nec ideo putari debet institutum esse multis locis, vt in illo die post resurrectionem offeratur, quia scriptum est identidem, Et calicem accipiens post cœnam, dicens, &c. Ipsam enim potuit appellare cœnam, qua iam corpus acceperant, vt deinde calicem acciperent. Apostolus nanque alibi dicit, Conuenientibus ergo vobis in vnum, non est Dominicam Cœnam manducare: hanc ipsam acceptionem Eucharistiæ Dominicam Cœnam vocans.

Luce 22
1. Corinth. 11
Luce 22

Non ideo calumniandum esse vniuersæ Ecclesiæ, quòd à ieiunis corpus Christi semper accipitur, quum primùm illud discipulos non ieiunos accepisse constet.

Illud magis mouere potuit homines, vtrùm 6
iam refecti die illa, vel offerrent, vel sumerent Eucharistiam, quòd in Euangelio dicitur, Quum autem illi manducarent, accepit Iesus panem, & benedixit: quum etiam superius dixisset, Cùm sero factum esset, recumbebat cum duodecim, & manducantibus eis dixit, Quoniam vnus ex vobis me tradet. Pòst enim tradidit sacramentum. Et liquidò apparet, quando primùm acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ, quòd à ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm exteri cibi. Nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cœnati fratres ad illud sacramẽtum accipiendum conuenire debent, aut sicut faciebãt quos Apostolus arguit & emendat, mensis suis ista miscere. Nãque Saluator quò vehementius commendaret mysterii illius altitudinẽ, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Et ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, vt post cibos alios semper acciperetur, credo quòd eum morem nemo variasset. Cùm verò ait Apostolus de hoc sacramento loquẽs, Propter quod fratres quum conuenitis ad mãducandum, inuicem expectate. Si quis esurit, domi mãducet, vt non ad iudicium conueniatis: statim subtexuit, Cætera autem, quum venero, ordinabo. Vnde intelligi datur, quia multum erat, vt in Epistola totum illum agendi ordinem insinuaret, quem vniuersa per orbẽ seruat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diuersitate variatur.

1. Corint. 11

Dicit nonnullorum esse probabilem rationem, vt vno certo die per annum post cibos offerri & accipi corpus & sanguinem Domini liceat: ipse tamen arbitretur ea honestius fieri ieiunando. Ostendit etiam vnde mos lauandi in quinta feria ortus sit.

Sed nonnullos probabilis quædam ratio 7
delectauit, vt vno certo die per annum, quo ipsam Cœnam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem, post cibos offerri & accipi liceat corpus & sanguis Domini. Honestius autem arbitror ea hora fieri, vt qui etiam ieiunauerit post refectionem, quæ hora nona fit, ab oblationem possit occurrere. Quapropter neminem cogimus Dominica illa Cœna prãdere, sed nulli etiã cõtradicere audemus. Hoc tamen non arbitror institutum, nisi quia plures & propè omnes, in pleriſq; locis eo die cœnare consueuerunt. Et quia nonnulli etiam ieiunium custodiunt, manè offertur Christo propter prandentes, quia ieiunia simul & lauachra tolerare non possunt, ad vesperam verò propter ieiunantes. Si autem quæris

cur etiam lauandi mos ortus sit. Nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit, nisi quia baptizãdorum corpora per obseruationẽ quadrageſimæ ſordidata, cum offenſione ſenſus ad fontem tractarentur, nisi aliqua die lauarentur. Istum autem diem potius ad hoc electum, quo Cœna Dominica anniuersariè celebratur. Et quia conceſſum est hoc Baptiſmum accepturis, multi cum his lauare voluerunt, ieiuniúmque relaxare. His vt potui diſputatis, moneo vt ea quæ præloquutus ſum, ſerues quantum potes, vt decet Eccleſiæ prudentem ac pacificum filium. Alia quæ interrogaſti, ſi Deus voluerit alio tempore expediam.

EIVSDEM DIVI AVRELII Auguſtini, ad inquiſitiones Ianuarii Liber ſecundus.

Soluit quæſtionem, cur anniuerſarius Paſchæ dies, quitranſitus de morte ad vitam interpretatur, nõ ad eundem anni diem redeat, ſicut dies qua traditur natus.

1 LEctis literis tuis, vbi me commonuiſti, vt debitũ redderem de reſiduis enodandis quæſtionibus, quas iam longè antè quæſiueras, gratiſsimum mihíque chariſsimũ deſyderium ſtudii tui amplius differri tolerare non potui. Et quanuis in mediis aceruis occupationum mearum, hãc feci præcipuam, vt ad ea quæ me interrogaſti, reſpõderem tibi. Diutius autem de tua Epiſtola diſputare nolo, ne hocipſum me impediat iam tandem reddere quod debeo. Quæris quę cauſa ſit, cur anniuerſarius dies celebrandæ Dominicæ paſsionis, nõ ad eundem redeat anni diem, ſicut dies qua traditur natus. Et deinde ſubiungis, ſi hoc ſit propter ſabbatum & lunam, quid ſibi velit in hac re obſeruatio ſabbati & lunæ. Hic primùm oportet vt noueris diem natalem Domini, non in ſacramẽto celebrari, ſed tantùm in memoriam reuocari quòd natus ſit, ac per hoc nihil opus erit, niſi reuolutum anni diem, quo ipſa res acta eſt, feſta deuotione ſignificari. Sacramentum est autem in alia celebratione, cùm rei geſtæ ita rememoratio fit, vt aliquid etiam ſignificari intelligatur, quod ſanctè accipiendum eſt. Eo itaque modo agimus Paſcha, vt non ſolùm in memoriam quod geſtum eſt, reuocemus, id eſt, quòd mortuus eſt Chriſtus, & reſurrexit, ſed etiam cætera quæ circa ea atteſtantur, ad ſacramenti ſignificationem non omittamus. Quia enim ſicut dicit Apoſtolus, Mortuus eſt ꝓpter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationẽ noſtram: tranſitus quidem de morte ad vitam in illa paſsione Domini & reſurrectione ſacratus eſt. Nam etiam vocabulum ipſum quod Paſcha dicitur, non Græcum, ſicut vulgò videri ſolet, ſed Hebrẽum eſſe dicunt, qui linguam vtranque nouerunt. Neque enim à paſsione, quoniam Græcè πάθος dicitur pati: ſed ab eo quòd tranſitur, vt dixi, de morte ad vitam, Hebræo verbo res appellata eſt. In quo eloquio Paſcha tranſitus dicitur, ſicut perhibent qui hoc ſciunt. Quod voluit & ipſe Dominus tangere, quum dicit, Qui credit in me, tranſiet de morte ad vitam. Et maximè idem Euangeliſta hoc exprimere voluiſſe intelligitur, cùm celebraturo Domino Paſcha cum diſcipulis ſuis, vbi Cœnam eis myſticam dedit, Quum vidiſſet, inquit, Ieſus, quia venit eius hora, vt tranſiret de mundo ad Patrem. Tranſitus ergo de hac vita mortali in aliam vitam immortalem (hic eſt enim de morte ad vitam) in paſsione & in reſurrectione Domini commendatur.

Roman. 4

Ioannis 5

Ioannis 13

Quòd tranſitus noſter de morte ad vitam, ſpe peragitur futuræ reſurrectionis, quæ in Chriſti corpore præmonſtrata eſt.

2 Hic tranſitus à nobis modò agitur per fidem, quæ nobis eſt in remiſsionem peccatorum, in ſpem vitæ æternæ diligentibus Deum & proximum: quia fides per dilectionem operatur, & iuſtus ex fide viuit. Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes. Quod enim videt quis quid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamus. Secundum hãc fidem & ſpem & dilectionem, qua cœpimus eſſe ſub gratia, iam quum mortui ſumus cum Chriſto, & conſepulti illi per Baptiſmum, ſicut dicit Apoſtolus, Quia & vetus homo noſter ſimul confixus eſt cruci cum illo, & reſurreximus cum illo, quia ſimul nos excitauit, & ſimul ſedere fecit in cæleſtibus. Vnde eſt & illa exhortatio, Si autem reſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt ad dexteram Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Sed quia ſequitur & dicit, Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: quum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria: ſatis indicat quid velit intelligi, quia tunc tranſitus noſter de morte ad vitam, qui fit per fidem, ſpe peragitur futuræ in fine reſurrectionis & gloriæ, quum corruptibile hoc, id eſt, caro iſta in qua gemimus modò, induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem. Nunc enim quidem iam habemus primitias Spiritus per fidem: ſed adhuc in nobiſipſis ingemiſcimus adoptionem expectantes redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalui facti ſumus. In hac ſpe quum ſumus, corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, ſpiritus autem vita eſt propter iuſtitiam. Sed vide quod ſequitur, Si autem ſpiritus eius, inquit, qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis, habitat in vobis, qui ſuſcitauit Chriſtum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra per inhabitantem Spiritum eius in vobis. Hoc igitur vniuerſa Eccleſia, quę in peregrinatione mortalitatis inuenta eſt, expectat in fine ſeculi, quod in Domini noſtri Ieſu Chriſti corpore præmonſtratum eſt, qui eſt ex mortuis primogenitus, quia & corpus e-

Galat. 5
Roman. 8

Roman. 6

1. Corinth. 15

Roma. 8

ius

ius cuius caput est ipse, non nisi Ecclesia est.

Quod propter vitæ nouitatem, quæ quidem transitus est de morte ad vitam, primus mensis in anni mensibus celebrationi Paschæ attributus sit.

3 Nonnulli enim attendentes verba quæ assiduè dicit Apostolus, Quia & mortui sumus cum Christo, & resurreximus cum eo, nec intelligentes quatenus dicatur, arbitrati sunt iam factam esse resurrectionem, nec vllam vlterius
2.Tim.2 in fine temporum esse sperandam. Ex quibus est, inquit, Hymenæus & Philetus, qui circa veritatem aberrauerunt, dicentes resurrectionem iam factam esse, & fidem quorũdam subuerterunt. Idem Apostolus eos arguens detestatur,
Roma.8 qui tamen dicit nos resurrexisse cum Christo. Vnde? nisi quia hoc per fidem & spem & dilectionem factum esse dicit, in nobis secundum primitias Spiritus? Sed quia spes quæ videtur non est spes, & ideo si quod non videmus speramus, per patientiam expectamus, restat vtique redẽptio corporis nostri, quam expectãtes in nobismetipsis ingemiscimus. Vnde
Rom.12 est illud, Spe gaudentes, in tribulatione patiẽtes. Hæc igitur innouatio vitæ nostræ, est quidam transitus de morte ad vitam, qui primò fit per fidem, vt in spe gaudeamus & in tribulatione patientes simus, dum adhuc exterior noster
2.Cor.4 homo corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem, propter initium nouæ vitæ, propter nouum hominem, quem iubemur induere, & exuere veterem, expurgantes vetus fermẽtum vt simus noua conspersio, quoniam Pas-
1.Cor.5 cha nostrum immolatus est Christus. Propter hanc ergo vitæ nouitatẽ, primus mensis in anni mensibus, celebrationi huic attributus est. Nã & ipse dicitur mensis nouorum. Quia verò in toto tempore seculi, nunc tertium tempus apparuit, ideo resurrectio Domini triduana est. Primum enim tempus est ante Legem, secundum sub Lege, tertium sub gratia, vbi iam manifestatio est sacramenti prius occulti in Prophetico ænigmate. Hoc ergo & in lunari numero significatur. Quia enim septenari⁹ numerus solet in Scripturis ad quandam perfectionem mystic⁹ apparere, tertia hebdomada lunæ Pascha celebratur, id est, q̃ dies occurrerit à quartadecima in vicesimam primam.

Vnde incrementum & decrementum lunæ causetur, & de stulta opinione Manichæorum de luna.

4 Est illic & aliud sacramentum, quod si tibi obscurum fuerit, quia in talibus inquisitionibus minus eruditus es, non contristeris. Nec ideo me putes meliorẽ, quia hæc in studiis puerilibus didici. Qui enim gloriatur, in eo glorietur, inquit, scire & intelligere, quoniã ego sum Dominus. Nonnulli ergo studiosi talium rerũ, quæ fuerunt multa de numeris & motibus syderum. Et qui subtilius ista scrutati sunt, incrementa & decrementa lunaria ex conuersione globi eius coniecerunt: non quòd aliquid substãtiæ vel accedat ad eam cùm augetur, vel decedat cùm minuitur: quod deliramentum imperiti Manichęi opinãtes, repleri eã dixerunt, sicut repletur nauis, ex fugitiua Dei parte, quã commixtam principibus tenebrarum & eorum sordibus inquinatam, corde & ore sacrilego & credere & loqui non dubitant. Hinc ergo impleri lunam dicunt, quum eadem magna pars Dei magnis laboribus ab inquinamento purgata, de toto mundo atque omnibus cloacis fugiens, redditur Deo lugenti dum redeat. Repleri verò per mensem dimidium, & alio dimidio in solem refundi, velut in aliam nauem. Nec tamẽ inter istas anathematizãdas blasphemias aliquid vnquã fingere potuerunt, cur vel incipiens lucere, vel desinẽs, corniculato lumine fulgeat, aut cur à dimidio mẽse incipiat minui, & nõ ad refundẽdum plena perueniat. Illi autẽ qui hoc certis numeris indagarunt, ita vt & defectus solis & lunę, non solùm cur fierent, sed etiam quando futuri essent lõgè ante prædicerẽt, & eos determinatis interuallis temporum canonica supputatione præfigerẽt, literísque mandarẽt, quas modò qui legunt atque intelligunt, nihilomin⁹ eos prædicunt, nec aliter aut aliãs accidunt quam prædicunt. Tales ergo (quibus non est ignoscendum, sicut sancta Scriptura dicit, quia quum tantum scire valerẽt vt possent æstimare seculum, quomodo Dominũ eius supplici pietate non facilius inuenerunt?) ex ipsis cornibus lunæ, quæ à sole auersa sunt, siue crescentis siue decrescẽtis, coniecerunt eã vel à sole illustrari, & quantò magis ab eo recederet, tantò magis ab ea parte, quæ terris apparet radios eius excidere, quantò autem ad eum magis post dimidium mensem ex alio semicirculo propinquaret, tãtò magis à superiori parte illustrata, ab ea parte quam terris aduerteret non posse excipere radios, & propterea videri decrescere: vel si haberet suum lumen, illud haberet ex vna parte in hemispherio, quam partẽ cùm recedens à sole paulatim terris ostẽderet, donec totã ostenderet, quasi augmẽta mõstrare, dum nõ addatur quod deerat, sed perdatur quod inerat: ac rursũ⁹ paulatim abscõdere quod patebat, & ideo videri decrescere. Sed quodlibet horum sit duorum, illud certum atque manifestũ est, & cuiuis aduertenti facile cognitu, quòd luna non augeatur ad oculos nostros, nisi à sole recedendo, neque minuatur nisi ad solem ex parte alia propinquando.

Quod significet, Sapiens sicut sol permanet, stultus autem vt luna mutatur, & cur transitus ille de morte ad vitã, quod Pascha nominatur, à quartadecima luna præcipitur obseruari.

Attende nunc quod in Prouerbiis legitur, 5
Sapiens sicut sol permanet, stultus autem sicut Eccles.27.
luna mutatur. Et quis est sapiẽs qui permanet, Malach.4
nisi sol ille iustitiæ, de quo dicitur, Ort⁹ est mihi sol iustitiæ, & quem sibi non fuisse ortum in Sapient.7
die nouissima plangẽtes impii dicturi sunt, Et Matt 5
iustitiæ lumẽ nõ luxit nobis, & sol nõ ortus est nobis? Nam istum carnis oculis visibilem solẽ oriri facit super bonos & malos Deus, qui etiã

pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Ducuntur autem ſæpe ex rebus viſibilibus inuiſibilium cõgruæ ſimilitudines. Quis eſt ergo ille ſtultus, qui tan quam luna mutatur, niſi Adam in quo omnes peccauerunt? Anima quippe humana recedens à ſole iuſtitiæ, ab illa ſcilicet interna contemplatione incommutabilis veritatis, omnes vires ſuas in terrena cõuertit, & eò magis magíſque obſcuratur in interioribus ac ſuperioribus ſuis. Sed quum redire cœperit ad illam incommutabilem ſapientiam, quantò magis ei appropinquat affectu pietatis, tantò magis exterior
2. Cor. 4 homo corrumpitur, ſed interior renouatur de die in diem, omníſque lux illa ingenii, quæ ad inferiora vergebat, ad ſuperiora conuertitur, & à terrenis quodammodo aufertur, vt magis magíſque huic ſeculo moriatur, & vita eius abſcondatur cum Chriſto in Deo. Mutatur ergo in deterius ad exteriora progrediens, & in vita ſua proiiciens intima ſua, & hoc terræ, id eſt, e-
Pſal 9 is qui terrena ſapiunt, melius videtur, quum laudatur peccator in deſyderiis animæ ſuæ, & qui iniquè gerit benedicitur. Mutatur autem in melius, quum intentionem ſuam & gloriam à terrenis, quæ in hoc ſeculo apparent, paulatim auertit, & ad ſuperiora ab inferioribus cõuertit: & hoc terræ, id eſt, eis qui terrena ſapiunt deterius videtur. Vnde illi impii poſtremam infructuoſam agentes pœnitentiam, etiam hoc inter multa dicturi ſunt, Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitã illorum æſtimabamus inſaniã. Ac per hoc Spiritus ſanctus de viſibilibus ad inuiſibilia, & de corporalibus ad ſpiritalia ſacramenta ſimilitudinẽ ducens, tranſitum illum de alia vita in aliam vitã, quod Paſcha nominatur, à quartadecima luna voluit obſeruari, vt non ſolùm propter temp⁹ tertium, quod ſuprà commemorauí, quia inde incipit hebdomada tertia, ſed etiam propter ipſam tertiam conuerſionem ab exterioribus ad interiora, de luna ſimilitudo aſſumeretur: vſque ad viceſimam verò & primam propter ipſum numerum ſeptenarium, quo vniuerſitatis ſignatio ſæpe figuratur, qui etiam ipſi Eccleſiæ tribuitur propter inſtar vniuerſitatis.

Quòd per mutabilitatem lunæ, Eccleſia in Scripturis ſignificatur, quæ in iſta mortalitate peregrinatur, quæ tamen luna non eſt adoranda, quia ducitur ex ea aliqua ſimilitudo ad Diuina myſteria ſignificanda.

6 Ideo Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi,
Apoc. 1 ad ſeptem ſcribit Eccleſias. Eccleſia verò adhuc in iſta mortalitate carnis conſtituta, propter ipſam mutabilitatẽ lunæ nomine in Scri-
Pſal. 10 pturis ſignatur. Vt eſt illud, Parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcura luna rectos corde. Prius enim quã fiat illud quod
Coloſſ. 3 dicit Apoſtolus, Quum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria: obſcura videtur Eccleſia in tẽpore peregrinationis ſuæ, inter multas iniquitates gemens, & tunc ſunt timendæ inſidiæ fallacium ſeductorum, quas nomine ſagittarum intelligi voluit. Vnde alio loco propter nuntios fideliſſimos veritatis, quos vbique parit Eccleſia, dicitur, Luna teſtis in cælo fidelis. Et quum de re Pſalm. 88
gno Domini Pſalmus cantaret, Orietur, in- Pſalm. 71
quit, in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis, donec auferatur luna, id eſt, abundantia pacis intantum creſcet, donec omnem mutabilitatem mortalitatis abſumat. Tunc nouiſſima inimica deſtruetur mors, & quidquid nobis reſiſtit ex infirmitate carnis, vnde nobis perfecta pax nondum eſt, conſumetur omnino, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem. Vn-
de & illius ciuitatis muri, quæ Hiericho appel- Ioſue 6
latur, quia in Hebræo eloquio luna interpretari dicitur, ſeptimo circumitu teſtamenti arcæ corruerunt. Quid enim nunc aliud agit annuntiatio regni cælorum, quam circumitio arcæ ſignificauit, niſi vt omnia munimenta mortalis vitæ, id eſt, omnis ſpes huius ſeculi, quę reſiſtit ſpei futuri ſeculi, in dono ſeptenario Spiritus ſancti, per liberum arbitrium deſtruatur? Ob hoc enim circumeunte arca, non impulſu violento illi muri ceciderunt, ſed ſponte. Sunt & alia teſtimonia Scripturarum, quæ nobis ingerunt per commemorationem lunæ Eccleſiæ ſignificationem, quæ in iſta mortalitate ab illa Hieruſalem, cuius ciues Angeli ſunt, in ærumnis & laboribus peregrinatur. Non ideo tamen putare debent ſtulti, qui nolunt in melius cõmutari, adorãda eſſe illa luminaria, quia ducitur ex eis aliquãdo ſimilitudo ad Diuina myſteria figuranda. Ex omni enim creatura ducitur. Nec ideo debemus in ſententiam damna- Roma 1
tionis irruere, quæ ore Apoſtolico de quibuſdam profertur, qui coluerũt & ſeruierunt creaturæ potius quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Sicut enim non adoramus pecora, quanuis dictus ſit Chriſtus & agnus & vitulus, Ioan 1
nec feram, quia dictus eſt Leo de tribu Iuda, Apoc. 5
nec lapidem, quia petra erat Chriſtus, nec mon- 1. Cor. 10
tem Sió, quia in ipſo figuratur Eccleſia, ſic nec ſolem nec lunam, quanuis ex ea cæleſti creatura, ſicut ex multis terreſtribus, ſacramentorum figuræ ad informationes myſticas aſſumantur.

Quòd cùm ad ſolis & lunæ computationem Paſcha celebramus, non obſeruamus dies, & annos, & menſes, & tempora, ſicut Manichæi & Mathematici nobis obiiciunt.

Quapropter Manichæorum vel Mathema- 7
ticorum deliramenta cum deteſtatione irridẽda ſunt: quibus quum obiecerimus vana commenta, vnde homines in errorem præcipitant, quò prius præcipitati ſunt, garruli ſibi videntur, quum dicunt nobis, Cur & vos ad ſolis & lunæ computationem Paſcha celebratis? Quaſi nos ordines ſyderum ac viciſſitudines temporum à ſummo atque optimo Deo conditas arguamus, & nõ eorum peruerſitatem, quæ rebus ſapienti iſſimè conditis ad ſtultiſſimas opiniones

niones abutitur. Nam si Mathematicus nobis contradicturus est de syderibus & luminaribus cæli ad sacramenta mysticè figuranda similitudines ducere: contradicant & augures,
Matt.10 ne dicatur nobis, Estote simplices vt columbę. Contradicant & Marsi, ne dicatur nobis, Astuti sicut serpentes. Contradicant histriones, ne in Psalmis citharam nominemus. At quia ex iis rebus ad mysteria verborum Dei similitudinum signa sumuntur, dicant si placet, vel auspicia nos captare, vel venena conficere, vel theatricas affectare luxurias: quod dementissimum est dicere. Non igitur nos de sole & luna annuis menstruisve temporibus actionum nostrarum euenta coniicimus, ne in vitæ humanæ periculosissimis tempestatibus tãquam in scopulos miseræ seruitutis illisi à libero arbitrio naufragemus: sed ad rem sacratè significandam similitudines aptas religiosissima deuotione suscipimus, sicut de cætera creatura, de ventis, de mari, de terra, de volatilibus, de piscibus, de pecoribus, de arboribus, de hominibus. Ad sermonem quidem multipliciter, ad celebrationem verò sacramentorum iam Christiana libertate parcissimè, sicut de aqua, de frumento, de vino, de oleo. In seruitute autem veteris populi etiam multa celebrari imperata sunt, quæ nobis tãtummodo intelligenda traduntur. Nõ itaque dies obseruamus, & annos, & menses,
Galat.4 & tempora, ne audiamus ab Apostolo, Timeo ne fortè sine causa laborauerim in vobis. Eos enim inculpat qui dicunt, Nõ proficiscar quia posterius dies est, aut quia luna sic fertur, vel proficiscar vt prospera cedant, quia ita se habet positio syderum. Non agam hoc mense cõmercium, quia illa stella mihi agit mensem, vel agam quia suscepit mẽsem. Non plantẽ hoc anno vineam, quia bisextus est. Non autem quisquam sapiens arbitretur obseruatores temporum reprehendendos qui dicunt, Non proficiscar hodie, quia tempestas exorta est: aut nõ nauigem, quia adhuc sunt hybernæ reliquiæ: aut tempus seminandi est, quia imbribus autũnalibus terra satiata est: vel si qui fortè alii naturales effectus circa motum aeris & humoris ad variandas temporum qualitates in syderum
Gene.1 ordinatissima cõuersione notati sunt, de quib⁹ dictum est quum cõderentur, Et sint in signis, & temporibus, & diebus, & in annis. Si quæ autem figuræ similitudinum, non tantùm de cælo & de syderibus, sed etiam de inferiori creatura ducuntur ad dispẽsationem sacramentorum, eloquentia quædam est doctrinæ salutaris, mouẽdo affectui discentium accommodata à visibilibus ad inuisibilia, à corporalibus ad spiritalia, à temporalibus ad æterna.

Quid significet, quòd eo tempore Pascha celebramus, quo sol est in ariete.

8 Nec quisquam nostrùm attendat quòd eo tempore quo Pascha celebramus, sol in ariete est, sicut illi appellant quendã syderum locum, vbi re vera mense nouorum sol inuenitur. sed siue illi arietem, siue aliquid aliud eãdem partem cæli vocare voluerint, nos de Scripturis sanctis hoc didicimus, quòd omnia sydera Dei condidit, & locis cælestibus quibus voluit, ordinauit, quæ stellis distincta & ordinata in quaslibet partes diuidant, quibuslibet vocabulis vocent, vbicunque sol esset mense nouorum, illic eum reperiet hæc celebratio, propter similitudinem sacramenti renouandæ vitæ, de qua satis suprà disseruimus. Quòd si etiam locus ille syderum aries vocari posset propter aliquam figuræ congruentiam, neque huiusmodi timeret sermo Diuinus aliquam sacramenti similitudinem ducere, sicut de aliis non solùm cælestibus, sed etiam terrestribus creaturis, sicut de Orione & Pleiadibus, sicut de mõte Sina, & de monte Sion, sicut de fluminibus quæ vocantur Geon, Phison, Tigris, Euphrates, sicut de ipso toties in sanctis mysteriis nobilitato fluuio Iordane, rerum figuratè insinuandarũ mysticas similitudines adduxit. Sed quãtum interest inter syderum obseruationes ad aereas qualitates accommodatas, sicut agricolæ vel nautæ obseruant, aut ad notandas partes mundi, cursúmque aliquò & alicunde dirigendum, quod gubernatores nauium faciunt, & ii qui per solitudines arenosas in interiora Austri nulla semita certa, vel recta gradiuntur, aut quum ad aliquid in doctrina vtili figuratè significandum, fit nonnullorum syderum aliqua cõmemoratio. Quãtum ergo interest inter has vtilitates & vanitates hominũ, ob hoc obseruantium sydera, vt nec aeris qualitates, nec regionum vias, nec solos tẽporum numeros, nec spiritalium similitudines, sed quasi fatalia rerum iam euenta perquirant, quis non intelligat?

Soluit quæstionem, cur id obseruaretur quum Pascha celebratur, vt sabbatum occurrat.

Sed iam deinceps videamus, cur etiam id 9
obseruetur quum Pascha celebratur, vt sabbatum occurrat. Hoc enim proprium Christianæ religionis est. Nam Iudæi mensem nouorum tantummodo & lunam obseruant, à quartadecima vsque ad viceſimamprimam. Et quia illud eorum Pascha, quo passus est Dominus, ita Exod.12
occurrit, vt inter mortem eius & resurrectionem medius esset sabbati dies, addendum patres nostri censuerunt, vt & nostra festiuitas à Iudæorum festiuitate distingueretur. Et quod non frustra factum esse credendum est ab illo qui est ante tempora, & per quem facta sunt tempora, & qui venit in plenitudine tempo- Galat.4
rum, & qui potestatem habebat ponendi ani- Ioan.10
mam suam, & iterum recipiendi eam: & ideo non fatalem, sed opportunã sacramento, quod commendare instituerat, horã expectabat cùm diceret, Nõdum venit hora mea. Vt igitur an- Ioan.2
niuersaria passionis eius celebratione à posteris seruarentur: quod enim nunc vt superius dixi, fide ac spe gerimus, atque vt ad id perueniamus dilectione satagimus: requies est quædam ab omni labore omnium molestiarum sancta

atque perpetua, in eadem nobis ex hac vita fit transitus, quem Dominus noster Iesus Christus sua passione demonstrare ac consecrare dignatus est. Inest autem in illa requie non desidiosa segnitia, sed quædam ineffabilis tranquillitas actionis otiosæ. Sic enim ab huius vitæ operibus in fine requiescitur, vt in alterius vitæ actione gaudeatur. Sed quia talis actio in Dei laude agitur, sine labore membrorum, sine angore curarum, non ad eam sic transitur per quietem, vt ipse labor succedat, id est, non sic esse incipiat actio, vt esse desinat quies. Neque enim reditur ad labores & curas, sed permanet in actione, quod ad quietem pertinet: neque enim in opere laboratur, neque in cogitatione fluctuatur. Quia ergo per requiem ad primam vitam reditur, vnde anima lapsa est in peccatũ, propterea sabbato requies significatur. Illa autem vita prima, quę de peregrinatione redeuntibus, & primam stolam accipientibus redditur, per vnã sabbati, quem diẽ Dominicum dicimus, figuratur. Quęre septem dies Genesim Gene.2 legẽs, inuenies septimum sine vespera, quia requiem sine fine significat. Prima ergo vita non fuit sempiterna requies peccanti: requies autẽ vltima sempiterna est, ac per hoc & octauus sempiternam beatitudinem habebit, quia requies illa, quæ sempiterna excipitur ab octauo, non extinguetur. neque enim aliter sẽpiterna esset. Ita ergo erit octauus qui primus, vt prima vita non tollatur, sed reddatur æterna.

Quod sabbatum commendatum sit priori populo in otio corporali temporaliter, vt figura esset sanctificationis in requiem Spiritus sancti.

10 Sabbatum tamen commendatum est priori populo in otio corporali temporaliter celebrandũ, & vt figura esset sanctificationis in requiem Spiritus sancti. Nusquam enim legimus Gene.2 in Genesi sanctificationem per omnes priores dies, sed de solo sabbato dictum est, Et sanctificauit Deus diem septimum. Amant enim requiem siue piæ animæ siue iniquæ: sed an perueniãt ad illud quod plurimũ amant, nesciunt, nec aliquid appetunt etiã ipsa corpora põderibus suis, nisi quiescere à motibus suis. Nam sicut corpus tandiu nititur pondere, siue deorsum versus, siue sursum versus, donec ad locũ quo nititur veniens cõquiescat (pondus quippe olei si dimittatur in aerẽ, deorsum, si autem sub aquis, sursum nititur) sic animæ ad ea quæ amant propterea nituntur, vt perueniendo requiescant. Et multa quidem per corpus delectant, sed non est in eis æterna requies, nec saltem diuturna: & propterea magis sordidant animam, & aggrauant potius vt syncerum eius põdus, quo in superna fertur, impediant. Cùm ergo anima in seipsa delectatur, nondum re incommutabili delectatur: & ideo adhuc superba est, quia se pro summo habet, quum superior sit Deus. Nec in tali peccato impunita relinquitur, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Quum autem Deo de- Iacob.4 lectatur, ibi veram, certam, æternam inuenit requiem, quam in aliis quærebat nec inueniebat. Proinde admonetur in Psalmo, Delectare in Psalm.36 Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Quia ergo charitas Dei diffusa est in cordibus Rom.5 nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis: ideo sanctificatio in septimo die commemorata est, vbi requies commẽdatur. Quia verò nec bene operari possumus nisi dono eius adiuti, sicut dicit Apostol⁹, Deus enim est qui Philip.2 operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate: nec agere nec requiescere poterimus post omnia bona opera nostra, quæ in hac vita gerimus, nisi eius dono ad æternitatem sanctificati atque perfecti. Propterea de ipso Deo dicitur, Cùm fecisset omnia opera valde bona, septimo die requieuit ab omnibus operibus suis quæ fecit. Futurã enim requiem significabat, quam post bona opera daturus erat nobis hominibus. Sicut enim quum bene operamur, ipse dicitur operari in nobis, cuius munere operamur, ita cùm requiescim⁹ ipse requiescere dicitur, quo donante requiescimus.

Cur in tribus primis præceptis quæ ad Deum pertinent, tertium ibi de obseruatione sabbati positum sit.

Hinc est quòd etiam in tribus primis præ- 11
ceptis decalogi quæ ad Deum pertinent (cætera enim septem ad proximum pertinent, id est, ad hominem, quia in duobus præceptis to- Matth.22
ta Lex pendet) tertium ibi de obseruatione sabbati positum est. Vt in primo pręcepto Patrem intelligamus, vbi prohibetur coli aliqua in figmentis hominum Dei similitudo: non quia nõ habet imaginem Deus, sed quia nulla imago eius coli debet, nisi illa quæ hoc est quod ipse, nec ipsa pro illo, sed cum illo. Et quia creatura mutabilis est, ac propterea dicitur, Omnis Roma.8 creatura vanitati subiecta est, quoniam natura etiam vniuersa in parte demonstratur: ne quisquam Filium Dei Verbum, per quod facta sunt omnia, putaret esse creaturam, sequitur aliud præceptum, Non accipies in vanum nomẽ Deut.5 Dei tui. Spiritus autem sanct⁹, in quo nobis illa requies tribuitur, quam vbique amamus, sed nisi Deum amando non inuenimus, quum charitas eius diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. Quia ergo sanctificauit Deus diem septimum, in quo Rom.5 requieuit, tertio præcepto Legis insinuatur quod scriptũ est de obseruatione sabbati, non vt iam in ista vita nos quiescere existimemus, sed vt omnia quæ bene operamur, non habeant intentionem, nisi in futuram requiem sempiternam. Memento enim maximè quòd iam suprà commemoraui, quia spe salui facti sum⁹ Rom.8 (spes enim quę videtur nõ est spes:) ad ipsũ autem ignem amoris nutriendum & flãmandum quodammodo, quo tanquam pondere sursum vel introrsum feramur, ad requiem hæc omnia pertinent, quæ insinuantur nobis figuratè. Plus enim mouent & accendunt amorem, quã si nuda & sine vllis sacramentorum similitudinibus

nibus ponerẽtur. Cuius rei cauſam difficile eſt dicere. Sed tamẽ iſta ita ſe habet, vt aliquid per allegoricam ſignificationẽ intimatum, plus moueat, plus delectet, plus honoretur, quàm ſi verbis propriis diceretur apertiſſimé. Credo quòd ipſe animę motus, quandiu rebus adhuc terrenis implicatus, pigrius inflammatur: ſi verò feratur ad ſimilitudines corporales, & inde feratur ad ſpiritalia, quæ illis ſimilitudinibus figurantur, ipſo quaſi tranſitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus accenditur, & ardentiore dilectione rapitur ad requiem & quietem.

Quòd inter omnia decem præcepta, ſolùm quod de ſabbato poſitum eſt, figuratè obſeruandum præcipitur.

12 Ideóque inter omnia illa decem præcepta, ſolùm ibi quod de ſabbato poſitum eſt, figuratè obſeruandum præcipitur: quam figuram nos intelligendam, non etiam per otium corporale celebrandam ſuſcepimus. Quum enim ſabbato ſignificetur ſpiritalis requies, de qua
Pſalm.45 dictum eſt in Pſalmo, Vacate & videte quoniã ego ſum Deus, & quo vocantur homines ab ipſo
Matth.11 Domino dicente, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos reficiam, Tollite iugum meũ ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus veſtris: cætera tamen ibi præcepta propriè ſicut præcepta ſunt, ſine vlla figurata ſignificatione obſeruamus. Nã & idola nõ
Exod.20 *Deut.5* colere manifeſtè didicimus, & non accipere in vanum nomen Domini Dei noſtri, & honorare patrem & matrem, & non mœchari, non occidere, non furari, non falſum teſtimonium dicere, non concupiſcere vxorem aut rem proximi. non figuratè aliud prætendunt, & myſticè aliud ſignificant: ſed ſic obſeruantur vt ſonant. Obſeruare tamen diem ſabbati, nõ ad literam iubemur ſecundum ótium ab opere corporali, ſicut obſeruant Iudæi. Et ipſa eorum obſeruatio, quia ita præcepta eſt, nihil aliam quandam ſpiritalem requiem ſignificet, ridenda iudicatur. Vnde non inconuenienter intelligimus ad amorem excitandum, quo ad requiem tendimus, valere omnia quę figuratè in Scripturis dicuntur: quandoquidem non ſolùm in Decalogo figuratè præcipitur, vbi requies commendatur, quæ vbique amatur, ſed in ſolo Deo certa & ſancta inuenitur.

Quòd dies Dominicus non Iudæis, ſed Chriſtianis reſurrectione Domini declaratus ſit, & ex illo habere cœperit feſtiuitatem ſuam.

13 Dies tamen Dominicus non Iudæis, ſed Chriſtianis reſurrectione Domini declaratus eſt, & ex illo habere cœpit feſtiuitatẽ ſuam. Animæ quippe omnium Sanctorum ante reſurrectionem corporis ſunt quidem in requie, ſed in ea non ſunt actione qua corpora recepta vegetãtur. Talem quippe actionem ſignificat dies octauus, qui & primus, quia non aufert illam requiem, ſed glorificat. Non enim redit cum corpore difficultas ex corpore, quia nec corruptio. Oportet enĩ corruptibile hoc induere *1.Cor.15* incorruptionẽ, & mortale hoc induere immortalitatem. Quapropter ante reſurrectionẽ Domini, quanuis ſanctos patres plenos Spiritu Prophetico octaui ſacramentum nequaquam lateret, quo ſignificatur reſurrectio (nam & pro octaua Pſalmus inſcribitur, & octauo die circuncidebantur infantes: & in Eccleſiaſte, ad *Pſal.11* *Geneſ.17* *Eccleſi.11* duorum teſtamentorum ſignificationem dicitur, Illis ſeptem & illis octo reſeruatum eſt:) tamen illis eſt occultatum, & ſolum celebrãdum ſabbatum traditum eſt: quia erat antea requies mortuorum, reſurrectio autem nullius erat donec veniret Chriſtus, qui reſurgens ex mortuis *Rom.6* iam non moreretur, & mors illi vltra non dominaretur. Sed poſtquam facta eſt talis reſurrectio in corpore Dominico, vt præiret in capite Eccleſiæ, quod corpus Eccleſiæ ſperaret in fine, iam etiam dies Dominicus, id eſt octauus, qui & primus, inciperet celebrari. Ipſa etiam cauſa intelligitur cur obſeruandum Paſcha, vbi agnum occidere & comedere iubẽtur, quod manifeſtiſſimè paſſionem Domini præfigurat: non eis ita præceptum eſt vt attenderent occurrere ſabbatum, & cum menſe nouorum, & tertiam lunæ hebdomadam cõcurrere, vt eundem quoque diem Dominus potius ſua paſſione ſignaret, qui etiam Dominicũ, id eſt, octauũ, qui & primꝰ eſt, declaratꝰ aduenerat.

Qui ſit myſtice ſignificet triduum crucifixi, ſepulti & reſuſcitati.

Attende igitur ſacratiſſimum triduum cru- 14
cifixi, ſepulti, ſuſcitati. Horum trium quod ſignificat crux, in præſenti agimus vita: quod autem ſignificat ſepultura & reſurrectio, fide ac ſpe gerimus. Nunc enim dicitur homini, Tol- *Matth.16* le crucem tuam, & ſequere me. Cruciatur autem caro, quum mortificantur membra noſtra *Coloſſ.3* quæ ſunt ſuper terram, fornicatio, immunditia, luxuria, auaritia, & cætera huiuſmodi, de quibus idem dicit, Si ſecundum carnem vixe- *Roma.8* ritis, moriemini, ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. Hinc etiam de ſeipſo dicit, Mundus mihi crucifixus eſt & ego mun- *Galat.6* do. Et in alio loco, Scientes, inquit, quia vetus *Roman.6* homo noſter ſimul confixus eſt cruci cum illo, vt euacuaretur corpus peccati, vt vltrà non ſeruiamus peccato. Quandiu ergo id agunt opera noſtra, vt euacuetur corpus peccati, quãdiu exterior homo corrumpitur vt interior re- *2.Cor.4* nouetur de die in diem, tempus eſt crucis. Hæc ſunt etiam bona opera quidem, tamen adhuc laborioſa, quorũ merces eſt requies. Sed ideo dicitur, Spe gaudentes, vt cogitantes requiem *Rom.12* futuram, cum hilaritate in laborib⁹ operemur. Hanc hilaritatem ſignificat crucis latitudo in tranſuerſo ligno, vbi figuntur manus. Per manus enim opera intelligimus. Per latitudinem hilaritatem operantis, quia triſtitia facit anguſtias. Per altitudinem verò cui caput adiungitur, expectationem retributionis de ſublimi

Matt.16 Rom.2 iustitia Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua, iis quidem qui secundum tolerantiam boni operis gloriam & honorem & incorruptionem quærentibus vitam æternam. Itaque etiam longitudo qua totum corpus extenditur, ipsam tolerantiam significat, vnde longanimes dicuntur qui tolerant. Profundum autem quod terræ infixum est, secretum sacramenti præfigurat. Recordaris enim, nisi fallor, quæ verba Apostolus in ista designatione crucis expediat, vbi ait, In charitate radicati atque fundati, vt possitis comprehẽdere cum omnibus Sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas & profundum. Ea verò quæ nondum videmus & nondum tenemus, sed fide & spe gerimus, in alio biduo figurata sunt. Hæc enim quæ nunc agimus, tanquam clauis præceptorum, in Dei timore confixi, sicut scriptum est, Confige clauis à timore tuo carnes meas: in necessariis deputantur, non in eis quæ per seipsa appetenda & concupiscenda sunt. Vnde illud quod est optimum se dicit concupiscere, Dissolui & esse cum Christo, manere autem in carne, necessarium, inquit, propter vos. Quod ergo inquit, Cupio dissolui & esse cum Christo, inde incipit requies, quæ nõ interrumpitur resurrectione, sed clarificatur, quæ tamen nunc fide retinetur, quia iustus ex fide viuit. An ignoratis, inquit, quoniam quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti ergo illi sumus per Baptismum in mortem. Vnde nisi fide? Neque enim iam in nobis perfectum est, adhuc in nobismetipsis ingemiscentibus, & adoptionem expectantibus redemptionem corporis nostri. Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ videtur non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Quod memento quàm sæpe commemorem, ne iam nunc in ista vita nos beatos fieri debere arbitremur, & ab omnibus difficultatibus liberos, ac sic in angustiis rerum temporaliũ aduersus Deum ore sacrilego murmuremus, quasi non exhibeat quod promisit. Promisit quidem etiam huic vitæ necessaria. Sed alia sunt solatia miserorum, alia gaudia beatorum, Domine, inquit, secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, exhortationes tuæ iocundauerunt animam meam. Non ergo murmuremus in difficultatibus, ne perdamus latitudinem hilaritatis, de qua dicitur, Spe gaudentes: quia sequitur, In tribulatione patientes. Noua ergo vita in fide nunc inchoatur & spe geritur. Nam tunc perfecta erit, quum absorbebitur mortale à vita, quum absorbebitur mors in victoriam, quum illa nouissima inimica destruetur mors, quum immutati fuerimus & æquales Angelis facti. Omnes enim, inquit, resurgemus, sed non omnes immutabimur. Et Dominus, Erunt, inquit, æquales Angelis Dei. Apprehensi enim sumus modò in timore per fidem, tunc autem apprehendemur in charitate per speciẽ. Quandiu enim sumus in corpore, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem. Ipse itaque Apostolus qui dicit, Tũc apprehendam sicut apprehensus sum, apertè se non apprehendisse confitetur. Fratres, inquit, ego me non arbitror apprehendisse. Sed tamen quia ipsa spes ex promissione veritatis certa nobis est, quum diceret, Consepulti igitur sumus illi per Baptismum in mortem, subiunxit & ait, Vt quemadmodum surrexit Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Ambulamus ergo in re laboris, sed in spe quietis, in carne vetustatis, sed in fide nouitatis. Dicit enim, Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem viuit propter iustitiam. Si autem Spiritus eius qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, habitat in vobis, qui suscitauit Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem Spiritum eius in vobis. Hoc ex auctoritate Diuinarum Scripturarum in vniuersæ Ecclesiæ, quæ toto orbe diffunditur, consensione, per anniuersarium Pascha celebratur.

Ephe.3 Psalm.118 Philip.3 Roma.6 Roma.6 1.Cor.5 Romano.6 Romano.8

Quòd ex auctoritate Diuinarum Scripturarum & consensione Ecclesiæ celebretur anniuersarium Pascha, & per patrum concilia institutum: quòd obseruatio quadragesimæ sit contigua Dominicæ passioni.

In magno vtique, sicut iam intelligis, sacramento, & in Scripturis quidem veteribus ad agendum Pascha non est præceptum tempus, nisi ex mense nouorum, à luna quartadecima vsque ad vicesimam primam. Ex Euangelio tamen quia iam manifestum est quo etiam die Dominus crucifixus sit, & in sepultura fuerit, & resurrexerit, adiuncta est etiam ipsorum dierum obseruatio per patrum concilia: & orbi vniuerso Christiano persuasum est, eo modo Pascha celebrari oportere. Quadragesima sanè ieiuniorum habet auctoritatem, & in veteribus libris ex ieiunio Mosi & Heliæ, & ex Euangelio: quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonstrans Euangelium non dissentire à Lege & Prophetis. In persona quippe Mosi Lex, in persona Heliæ Prophetæ accipiuntur. Inter quos & in monte gloriosus apparuit, vt euidentius emineret quod de illo dicit Apostolus, testimonium habens à Lege & à Prophetis. In qua ergo parte anni congruentius obseruatio quadragesimæ constitueretur, nisi confinis atque contigua Dominicæ passioni? Quia in ea significatur hæc vita laboriosa, cui opus est continentia, vt ab ipsius mundi amicitia ieiunetur, quæ vtique fallaciter blandiri, & illecebrarum fucos circunspergere atque iactare non cessat. Numero autem quadragenario vitam istam propterea figurari arbitror, quia denarius, in quo est perfectio beatitudinis nostræ, sicut in octonario, quia redit ad primum, ita in hoc mihi videtur exprimi, 15 Ioan.19

primi, quia creatura quæ ſeptenario figuratur, adhęret Creatori, in quo declaratur vnitas Trinitatis pervniuerſum mundum temporaliter annuntianda: quia mundus & à quatuor ventis delimatur, & quatuor elementis erigitur, & quatuor anni temporum vicibus variatur. Decem autẽ quaterni in quadraginta cõſumuntur. Quadragenarius autem parti b° ſuis computatus, addit ipſum denarium, & fiunt quinquaginta, tanquam merces laboris & continẽtię. Neq; enim fruſtra ipſe Domin° & quadragĩta dies poſt reſurrectionem in hac vita & terra cum diſcipulis conuerſatus eſt, & poſteaquam aſcendit in cælum, decem diebus interpoſitis miſit Spiritum ſanctum, completo die Pentecoſtes, qui dies quinquageſimus habet aliud ſacramentum, quòd ſepties ſeptem quadragintanouem fiũt: & cùm reditur ad initiũ, quod eſt octauus, qui & primus dies, quinquaginta cõplentur, qui celebrantur poſt Domini reſurrectionem, iam in figura nõ laboris, ſed quietis & lętitię: propter hoc & ieiunia relaxantur, & ſtantes oramus, quod eſt ſignum reſurrectionis. Vnde etiam omnibus diebus Dominicis id ad altare obſeruatur, & hallelúia canitur, quod ſignificat actionẽ noſtram futuram non eſſe niſi laudare Deum, ſicut ſcriptum eſt, Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. *pſalm.83*

Quòd quinquageſimus dies non tantùm in Euangelio, ſed etiam in veteribus libris commendetur.

Sed dies quinquageſimus & in Scripturis cõmendatur, non tantùm in Euangelio, quia tũc Spiritus ſanctus aduenit: ſed etiam in veteribus libris. Nam & ibi poſteaquam Paſcha occiſo agno celebrauerunt, dies quinquagin ta numerãtur vſque ad diem, quo Lex data eſt in monte Sina famulo Dei Moſi, digito Dei ſcripta. In libris autem Euangelii apertiſsimè declaratur digitum Dei ſignificare Spiritum ſanctum. Cùm enim vnus Euangeliſta dixiſſet, In digito Dei eiicio dæmonia: alius hoc idẽ ita dixit, In Spiritu Dei eiicio dæmonia. Quis hanc lætitiam Diuinorum ſacramentorum, cùm ſanę doctrinæ luce clareſcunt, non præferat vniuerſis mundi huius imperiis, etiam inuſitata felicitate pacatis? Nõne tanquam duo Seraphim clamant adinuicem concinentiam laudis Altiſsimo, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus ſabaoth? Ita duo teſtamenta fideliter concordantia, ſacratam concinunt veritatem Deo. Occiditur ouis, celebratur Paſcha, & interpoſitis quinquaginta dieb°, datur Lex ad timorẽ ſcripta digito Dei. Occiditur Chriſtus, qui tanquam ouis ad immolandum ductꝰ eſt, ſicut Eſaias teſtatur: celebratur verum Paſcha, & interpoſitis quinquaginta diebus datur ad charitatem Spiritus ſanctus, qui eſt digitus Dei, contrarius hominibus ſua quærentibus, & ideo iugum aſperum & ſarcinam grauem portantibus, nec inuenientibus requiẽ animabus ſuis: quia charitas nõ quęrit quæ ſua ſunt. Ideo animoſitas hæreticorum ſemper inquieta eſt, quos magorum Pharaonis habere conatum, declarat Apoſtolus dicens, Sicut enim Iamnes & Mambres reſiſterunt Moſi, ſic & iſti reſiſtunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem: ſed vltrà non proficient. Demẽtia verò eorum erit manifeſta omnibus, ſicut & illorum fuit. Quia enim per ipſam corruptionem mentis inquietiſsimi fuerunt, in ſigno tertio defecerunt, fatẽtes ſibi aduerſum eſſe Spiritum ſanctum, qui erat in Moſe. Nam deficientes dixerunt, Digitus Dei eſt hic. Sicut autem conciliatus & placatus Spiritus ſanctus, requiem præſtat mitibus & humilibus corde, ita contrarius & aduerſus, immites ac ſuperbos inquietudine exagitat. Quam inquietudinem muſcæ illæ grauiſsimę ſignificauerũt, ſub quib° magi Pharaonis defecerunt dicẽtes, Digitus Dei eſt hic. Exodũ lege, & vide vbi Paſcha celebrauerũt, poſt quot dies data ſit Lex. Loquitur Deus ad Moſen in monte Sina die tertio menſis tertii. Nota ergo vnum diem egreſſus ipſius tertii menſis, & vide quid dicat inter cætera, Deſcẽde, inquit, teſtare populo, & purifica illos hodie & cras, & lauent veſtimenta ſua, & ſint parati in diem tertium. Tertia enim die deſcendit Dominus in montẽ Sina coram omni populo: tunc data eſt Lex, tertio ſcilicet die tertii menſis. Numera itaque à quartodecimo primi menſis die, quo factum eſt Paſcha, vſque ad diem tertium tertii menſis, & inuenies decem & ſeptẽ dies primi menſis, triginta ſecundi, tres tertii, qui ſiunt quinquaginta. Lex in arca eſt, ſanctificatio in corpore Domini, per cuius reſurrectionem nobis requies futura promittitur, ad quam percipiẽdam Spiritu ſancto charitas inſpiratur. Spiritus autem nondum erat datus, cùm Ieſus nondum erat clarificatus. Vnde Prophetia illa cantata eſt, Exurge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ. Vbi requies, ibi ſanctificatio. Vnde nunc vt amemus & deſyderem°, pignus accepimus. Vocãtur autem ad requiem alterius vitæ, quo ab iſta tranſitur, quod Paſcha ſignificat, omnes in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. *1.Cor.13.* *2.Timot.3* *Exod.7* *Exod.8* *Exo.19.* *Ioan.7.* *Pſalm.131* *Ioan.20* *Pſal.11*

De numero quinquagenario quid ſignificet.

Propterea quinquagenarius numerus ter multiplicat°, addito ad eminentiã ipſius ſacramẽti ipſo ternario, ĩn illis magnis piſcib° inuenitur, quos iã Dominus poſt reſurrectionem nouam vitam demonſtrans, à dextera parte leuari imperauit: nec retia rupta ſunt, quia tũc hæreticorum inquietudo non erit. Tunc homo perfectus & quietus, purificatus in anima & in corpore per eloquia Domini caſta, argentum igne examinatum terræ purgatum ſeptuplum, accipiet mercedem denarium, vt ſint decem & ſeptem. Nam & in hoc numero, ſicut in aliis multiplices figuras exhibentibus, ſicut in aliis multiplices figuras exhibentibus, ſacramentũ mirabile reperitur. Nec immeritò

Psalm.17 2.Reg.22. etiam Psalmus septimusdecimus in Regnorum libris solus integer legitur, quia regnum illud significat vbi aduersarium non habebimus. Titulus enim eius est, In die qua eruit eũ Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul. Quis enim figuratur in Dauid, nisi ille qui venit secundum carnem ex semine Dauid? Qui vtique in corpore suo, quod est Ecclesia, adhuc patitur inimicos. Vnde illi persecutori, quem voce mactauit, & in suum corpus traiiciens, quodam modo mandu

Act.9 cauit, sonuit de cælo, Saule, Saule, quid me persequeris? Quando autem eruetur hoc corpus de manu omnium inimicorum eius, nisi

1.Cor.15 cùm & illa nouissima inimica destruetur mors? Ad hoc tempus pertinet numerus ille cẽtum quinquagintatrium piscium. Nam & ipse numerus septimusdecimus surgens in trigonum, centum quinquaginta trium summam complet. Ab vno quippe vsque ad decem & septem surgens, omnes medios adde, & inuenies centum quinquaginta tria: ad vnum scilicet adde duo, fiunt vtique tria, adde tria fiunt sex, adde quatuor fiunt decem, adde quinque fiunt quindecim, adde sex fiunt viginti vnum, adde ita & cæteros & ipsum decimumseptimum, fiunt centum quinquaginta tria. Hæc de Scripturis firmissimè tenẽtur, id est, Pascha & Pentecoste. Nam vt quadraginta illi dies ante Pascha obseruentur, Ecclesiæ cõsuetudo robo rauit. Sic etiam vt octo dies neophytorum, distinguãtur à cæteris, id est, vt octauus primo concinat. Vt autem Hallelu-ia per illos solos dies quinquaginta in Ecclesia cantetur, non vsquequaq; obseruatur. Nam & in aliis dieb⁹ variè cantatur alibi atque alibi, ipsis tamen diebus vbique. Vt autem stantes in illis diebus & omnibus Dominicis oremus, vtrùm vbique seruetur ignoro: tamen quid in eo sequatur Ecclesia dixi vt potui, & arbitror esse manifestum.

Inconsuetudinibus de lauãdis pedibus in cœna Domini, aut de Psalmis aut Hymnis cantãdis in Ecclesia, quæ regula tenenda sit.

18 De lauandis verò pedibus, cùm Dominus hoc propter formam humilitatis, propter quã docendam venerat commendauerit, sicut ipse consequenter exposuit: quæsitũ quónã tempore potissimũ res tanta etiam facto doceretur, & illud tempus occurreret, quo ipsa cõmendatio religiosius inhæreret. Sed ne ad ipsũ sacramentum Baptismi videretur pertinere, multi hoc in consuetudinẽ recipere noluerũt. Nonnulli etiã de consuetudine auferre dubitauerunt. Aliqui autẽ vt hoc sacratiore tẽpore cõmẽdaretur, & à Baptismi sacramento mutuaretur, vel diẽ tertium octauarũ, quia ternarius numerus in multis sacramentis maximè excellit, vel etiã ipsum octauũ, vt hoc facerent elegerunt. Miror sanè quid ita volueris, vt de iis quę variè p diuersa loca obseruantur, tibi aliqua conscriberẽ, quum & non sit necessarium, & vna in his saluberrima regula retinenda sit, vt quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solùm nõ improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquortum infirmitas non ita impedit vt amplius detrimentum sit. Si enim eo modo impediat, vt maiora studiorum lucra speranda sint, quàm calumniatorum detrimenta metuenda, sine dubitatione faciendum est, maximè illud quod etiam de Scripturis defendi potest, sicut de hymnis & Psalmis canendis, cùm & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta de hac re tam vtilia. Ad mouendum piè animum & accendendum diuinæ lectionis affectum varia consuetudo est, & pleraque in Aphrica Ecclesiæ membra pigriora sunt, ita vt Donatistæ nos reprehendant quòd sobriè psallim⁹ in Ecclesia diuina cantica Prophetarum, cùm ipsi ebrietates suas ad canticum psalmorum humano ingenio compositorum, quasi tubas exhortationis inflamment. Quando autẽm non est tempus cùm in Ecclesia fratres congregantur sancta cantandi, nisi cùm legitur aut disputatur, aut Antistites clara voce deprecantur, aut communis oratio voce diaconi indicitur?

Quòd resecanda sint omnia quæ auctoritate sanctæ Scripturæ vel consuetudine vniuersæ Ecclesiæ non sint roborata. 19

Aliis verò particulis temporum, quid melius à cõgregatis Christianis fiat, quid vtilius, quid sanctius, omnino non video. Quod autẽ instituitur præter consuetudinem, vt quasi obseruatio sacramenti sit, approbare non possũ. Etiamsi multa huiusmodi propter nonnullarum vel sanctarum vel turbulentarum personarum scandala deuitanda, liberius improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo, quia multa quæ in diuinis libris saluberrima præcepta sunt, minus curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, vt grauius corripiatur qui per octauas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentia sepelierit. Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in conciliis episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix aut omnino nunquam inueniri possint causæ, quas in eis instituẽdis homines secuti sunt, vbi facultas tribuitur, sine vlla dubitatione resecanda existimo. Quanuis enim ne que hoc inueniri possit quomodo contra fidẽ sint: ipsam tamen religionem quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramẽtis misericordia Dei esse liberam voluit, seruilibus oneribus premunt, vt tolerabilior fit cõditio Iudæorum, qui etiam si tempus libertatis non agnouerint, Legalibus tamen sarcinis, non humanis præsũptionibus subiiciũtur. Sed

Ecclesia

Ecclesia Dei inter multam paleam multáque zizania constituta, multa tolerat, & tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitã non approbat, nec tacet, nec facit.

Reprehendit illos qui ita se temperant à carnibus edẽdis, vt immundos æstiment qui comederint, & qui de paginis euangelicis sortes legũt.

Itaque illud quod scripsisti, quosdam fratres ita temperare à carnibus edendis, vt immundos qui comederint arbitrentur, apertissimè contra fidem sanámque doctrinã est. Sed hîc ego si diutius disputare voluero, possit putari à nonnullis obscuri aliquid hinc Apostolum præcepisse, qui etiam inter multa quæ de hac re dixit, sic detestatus est hæreticorum impiam opinionẽ, vt diceret, Spiritus autẽ manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus recedent quidam à fide, intendentes spiritibus seductoribus & doctrinæ dæmoniorum, in hypocrisi mendaciloquorũ, cauteriatam habentes conscientiam suam, prohibentes nubere, abstinentes à cibis quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarũ actione fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona est, & nihil abiiciendum est quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbũ Dei & orationem. Et alio loco de his rebus loquitur, Omnia (inquit) munda mundis, immundis autem & infidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt eorum & mens & conscientia. Tu ipse lege cætera, & recita quibus potes, ne in se irritam faciãt gratiam Dei, quia in libertatem vocati sunt: tantùm ne libertatem in occasionem carnis assumant. Et ideo iam voluit refrenandæ carnalis cõcupiscentiæ causa à quibuslibet cibis temperari, quia non eis hoc permittitur superstitiosè atque infideliter facere. Hi verò qui de paginis Euangelicis sortes legunt, & si optandũ est vt hoc potius faciant, quàm vt ad dæmonia consulenda concurrant, tamen etiã ista mihi displicet cõsuetudo, ad negotia secularia & ad vitæ huius vanitatem, propter aliam vitam loquentia oracula Diuina velle conuertere. 1 Tim. 4

Concludit librum, & dicit quòd nullum sacramentum aut sermo obscurus de sacris literis aperiatur, vbi non duo præcepta charitatis reperiantur.

Hæc tibi si satis esse ad ea quæ requisisti non putaueris, nimis ignoras & vires & occupationes meas. Tantũ enĩ absũ ab eo quod putasti nihil me latere, vt nihil in epistola tua legerim tristius: quia & apertissimè falsum est. Et miror quia hoc te latet, quòd nõ solùm in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis sanctis Scripturis multò nescio plura quàm sciam. Et ideo spem in nomine Christi non infructuosam gero: quia non solùm credidi Deo meo in illis duobus præceptis totã Legẽ Prophetásque pendere, sed etiã expertus sum experiórque quotidie: quando quidẽ nullũ mihi sacramentũ, aut aliquis sermo admodum obscurior de sacris literis aperitur, vbi non eadem præcepta reperiam. Finis enim præcepti est charitas de corde puro, & cõ scientia bona, & fide nõ ficta. Et plenitudo Legis charitas. Itaque & tu charissime, siue ista siue alia sic lege, sic disce, vt memineris verissimè dictũ, Scientia inflat, charitas ædificat. Charitas autem non æmulatur, non inflat. Sic itaq; adhibeatur scientia tanquam machina quædã, per quam structura charitatis assurgat, quæ maneat inæternum, etiam cùm sciẽtia destruetur, quæ ad finem charitatis adhibita, multum est vtilis: per se autem ipsam sine tali fine, non modò superflua, sed etiam pernicioſa probata est. Scio autem quàm te cogitatio sãcta custodiat sub vmbraculo alarum Domini Dei nostri. Sed ideo hæc, etsi breuiter, monui, quoniam noui eandam ipsam charitatem tuam, quæ non æmulatur, hanc epistolam multis daturam atque lecturam. 1 Tim. 1 Rom. 13 1 Cor. 8 2 Cor. 13.

AVRELII AVGVSTINI Liber de Hæresibus ad Quoduultdeum.

SImoniani à Simone mago, qui baptizatus à Philippo diacono, sicut in Actibus Apostolorũ legitur, pecunia voluit emere à sãctis Apostolis, vt etiam per impositionẽ manuum eius daretur Spiritus sanctº. Hic magicis fallaciis deceperat multos. Docebat autẽ detestandã turpitudinẽ, indifferenter vtẽdi fœminis. Nec Deũ mundũ fecisse docebat. Negabat etiam carnis resurrectionẽ, & asserebat se esse Christũ. Itémq; Iouẽ se credi volebat: Mineruã verò meretricẽ quandã Selenẽ, quam sibi sociã scelerum fecerat: imaginésq; & suã & eiusdẽ meretricis discipulis suis præbebat adorãdas, quas & Romæ tanquã deorũ simulachra auctoritate publica constituerat. In qua vrbe beatus Apostolus Petrus eum vera omnipotentis Dei virtute extinxit. Dixerat enim se in mõte Sina Legẽ Mosi in Patris persona dedisse Iudæis. Tẽpore Tyberii in Filii persona putatiuè apparuisse: postea se in linguis igneis Spiritum sanctum super Apostolos venisse. Christum autem nec venisse, nec à Iudæis quidquam pertulisse. Act. 8

2 MEnandriani, à Menãdro etiam ipso mago discipulo eius, qui mundum asserebat nõ à Deo, sed ab Angelis factum.

3 SAturniani, à quodã Saturnino, qui turpitudinẽ Simonianã in Syria cõfirmasse perhibetur, qui etiã mũdum solos Angelos septem prẽter conscietiam Dei patris fecisse dicebat.

4 BAsilidiani, à Basilide, qui hoc distabat à Simonianis, quòd trecentos sexaginta quinq; cælos esse dicebat, quo numero dierum annus includitur. Vnde etiam quasi sanctum nomen commendabat, quod est ἀβραξας, cuius nominis literæ secundum græcam supputationem eundẽ numerum cõplent. Sunt enim septẽ α & β & ρ & α & ξ & α & ς, id est, vnũ & duo & cẽtum, & vnum & sexaginta & vnũ & ducenta, quę fiũt in summa trecẽta sexagĩta quinq;.

Mundum istum vel hominem non credunt à Deo factum, sed à trecentesimo sexagesimo quinto cælo. Amatoria carmina studiosè discunt. A Iudæis non credunt Christum crucifixum, sed Simonem Cyrenensem, qui angariatus sustulit crucem eius.

5 NIcolaitę à Nicolao nominati sunt, vno, vt perhibetur, ex illis septem, quos Apostoli Diaconos ordinauerant. Iste cùm de zelo pulcherrimæ coniugis culparetur, velut purgandi se causa permisisse fertur, vt ea qui vellet vteretur. Quod eius factum in sectam turpissimam versum est, qua placet vsus indifferens fœminarum. Hi nec ab his quæ idolis immolantur cibos suos separant, & alios ritus Gentilium superstitionum non auersantur. Narrant etiam quædam fabulosa de mundo, nescio quæ barbara principũ nomina miscentes disputationibus suis, quibus terreant auditores, quæ prudẽtibus risũ potius faciunt quàm timorẽ. Intelligũtur autem etiã isti non Deo tribuere creaturã, sed quibusdã potestatibus, quas mirabili, vel fingũt vanitate vel credunt.

6 GNostici propter excellentiam scientiæ sic esse appellatos esse, vel appellari debuisse gloriãtur, quũ sint superioribus omnibus vaniores atque turpiores. Deniq; quum ab aliis atque aliis per diuersas terrarum partes aliter atque aliter nuncupentur, nonnulli etiam eos Borboritas vocant, quasi cœnosos, propter nimiam turpitudinẽ quã in suis mysteriis exercere dicũtur. Aliqui eos à Nicolaitis exortos putant. Alii à Carpocrate, de quo pòst loquemur. Tradunt autem dogmata fabulosissimis plena figmẽtis. Etiã ipsi principũ vel Angelorũ nominib⁹ terribilibus infirmas animas capiunt, & de Deo rerúmque natura fabulosa & à sanitate veritatis aliena multa cõtexunt. Animarum substantiã Dei dicunt esse naturam, earúmque aduentum in hæc corpora cum aliis aeris animalibus dicunt fieri, per quas peccata in corporibus committuntur. Nam illas animas, quæ ex Dei procedunt substantia, reuerti ad Deum immaculatas. Dicuntur quoque bonũ deũ & malũ deũ in suis habere dogmatib⁹.

7 CArpocratiani sunt à Carpocrate, qui docebat omnẽ turpẽ operationẽ omnémque adinuẽtionem peccati: nec aliter euadi atque trãsiri principat⁹ & potestates, quib⁹ hęc placẽt, vt possit ad eęlum superius perueniri. Hic etiã Iesum hominẽ tantũmodo, & de vtroque sexu natũ putasse perhibetur: sed accepisse talem animã, quæ sciret ea quæ supernæ essẽt atq; nuntiaret. Resurrectionem corporis simul cũ Lege abiiciebat. Negabat mundũ à Deo factum, sed nescio à quibus virtutibus. Sectæ ipsius fuisse traditur socia quædã Marcellina, quæ colebat imagines Iesu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incensúmque ponendo.

8 CErinthiani à Cerintho iidémque Merinthiani à Merĩtho, mundũ ab Angelis factũ esse dicẽtes, & carne circũcidi oportere, atque alia huiusmodi Legis præcepta seruari. Iesum tãtummodo fuisse hominem, nec resurrexisse, sed resurrecturum asseuerantes. Mille quoque annos post resurrectionem in terreno regno Christi, secundum carnales ventris & libidinis voluptates, futuros fabulantur: vnde etiam Chiliastæ sunt appellati.

NAzarei cùm Dei Filium confiteantur esse 9
Christum, omnia tamẽ veteris Legis obseruãt, quæ Christiani per Apostolicam traditionem non obseruare carnaliter, sed spiritaliter intelligere didicerunt.

HEbionei Christum etiã tantũmodo homi 10
nẽ dicunt. Mandata carnalia Legis obseruant, circunci sionem scilicet carnis, & cętera, à quorũ oneribus per nouũ Testamentum liberati sumus. Huic hæresi Epiphanius Samseos & Elcesęos ita copulat, vt sub eodem numero tanquam vna sit hæresis, ponat: aliquid tamen interesse significans. Quanuis & in consequẽtibus loquatur de illis, ponens eos sub numero suo. Eusebi⁹ verò Elcesęitarum sectã commemorans, fidem in persecutione dicit negãdam docuisse, & in corde seruandam.

VAlentiniani, à Valẽtino, qui de natura re- 11
rum multa fabulosa cõfinxit, triginta æonas, id est, secula asserens extitisse, quorũ principium esse ,,profundum & silentium, quod ,,profundum etiã patrẽ appellat. Ex quibus duob⁹ velut ex cõiugio processisse perhibet intellectũ & veritatẽ, & protulisse in honorẽ patris æonas, octo. De intellectu autẽ & veritate processisse verbũ & vitã, & protulisse æonas decem. Porrò de verbo & vita processisse hominẽ & Ecclesiam, & protulisse æonas duodecim. Itaque octo & decẽ & duodecim fieri triginta æonas, habẽtes, vt diximus, primum principium de profundo & silentio. Christum autẽ à patre missum, id est, à profundo, spiritale vel cæleste corpus secum attulisse, nihilque assumpsisse de virgine Maria, sed per illã tanquã per rimam, aut per fistulã sine vlla de illa assũpta carne trãsisse. De tricesimo seculo dicit diabolum genitũ, & à diabolo alios natos qui fecerint hunc mundũ. Et ideo malitiã non arbitrio tribuit, sed naturæ mundi, id est, generi diabolico. Carnis resurrectionem negat. Animam tantùm & spiritum affirmat per Christum saluari.

SEcundiani hoc à Valentinianis distare di- 12
cuntur, quòd addunt opera turpitudinis.

PTolemæus quoque discipulus Valentini, hæresim nouam condere cupiens, quatuor æonas & alias quatuor asserere maluit.

MArc⁹ etiã nescio qs hęresim cõdidit, negãs 13
resurrectionẽ carnis, & Christũ nõ verè, sed putatiuè passũ asseuerãs. duo quoq; opinat⁹ est ex aduerso sibi esse principia. Quiddã tale etiã ipse de çonib⁹ sicut Valentin⁹ affirmãs.

COlarbas⁹ secutus est istos nõ multũ aliter 14
sentiẽs, vitã omnium hominũ & generationem in septem syderibus cõsistere affirmans.

Heracle-

16 HEracleonitæ ab Heracleone discipulo superiorum, duo asserunt principia, vnum ex altero,& ex his duobus alia plurima. Ferun tur autem suos morientes nouo modo quasi redimere,id est,per oleum,balsamũ,& aquam, & inuocationes quas Hebraicis verbis dicunt super capita eorum.

17 OPhitæ à colubro nominati sunt: coluber enim Græcè ophis dicitur. Hunc autem Christum arbitrantur. Sed habent etiam verum colubrum quem nutriunt & venerantur. Qui & incãtante sacerdote egreditur de spelũca, & ascendit subter altare innixum spelun cæ, & oblationes eorum lambit, & inuoluens se circa eas, regreditur ad speluncam: & ita confringunt oblationes in eucharistiam quasi à serpẽte Christo (vt illi putant) sanctificatas. Tradunt huius serpentis cultum à Nicolaitis ad istos deductum.

18 CAiani ꝓpterea sic appellati,quoniã Cain honorant, dicentes eum fortissimæ esse virtutis,simul & Iudam traditorem Diuinum aliquid putant esse, & scelus eius beneficium deputant, asserentes eum præscisse quantum esset generi humano Christi passio profutura, & occidendum Iudæis propterea tradidisse. Illos etiam qui schisma facientes in primo populo Dei,terra dehiscente perierunt, Chore, Dathan,& Abiron,& Sodomitas, colere perhibentur. Blasphemant Legem & Deum Legis auctorem, carnisque resurrectionem negant.

19 SEthiani nomen acceperunt à filio Adæ, qui vocatus est Seth: eum quippe honorant,sed fabulosa & hæretica vanitate. Dicunt enim eum de supẽrna matre natum, quem perhibent conuenisse cum superno patre, vnde Diuinum semen aliud nasceretur,tanquam filiorũ Dei. Hi quoque multa de principatibus & potestatibus vanissima fabulantur. Quidam eos dicũt Sem filium Noe Christum putare.

20 ARchontici à principibus appellati, vniuersitatem,quam Deus condidit,opera esse principum dicunt. Operantur etiam quandam turpitudinẽ. Resurrectionẽ carnis negãt.

21 CErdoniani à Cerdone nominati, qui duo principia sibi aduersantia dogmatizant, Deúmque Legis ac Prophetarum non esse patrem Christi, nec bonum Deum esse,sed iustum. Patrem verò Christi bonum, Christúmque ipsum neque natum ex fœmina, neque habuisse carnem, nec verè mortuum vel quicquam passũ, sed simulasse passionem. Quidam verò in duobus principiis suis duos deos ita eum dixisse perhibent, vt vnus eorũ esset bonus,alter autẽ malus. Resurrectionẽ mortuorũ negant. Spernunt etiam testamentum vetus.

22 MArciõ quoque, à quo Marcionistæ sunt, qui Cerdonis secutus est dogma de duobus principiis. Quanuis Epiphanius eum tria dicat asseruisse principia,bonum,iustum,prauum: sed Eusebius Synerum quendam non Marcionem, trium principiorum atque naturarum scribit auctorem.

23 APellitæ sunt, quorum Apelles est princeps, qui duos quidem introducit deos, vnum bonum, alterum malum: non tamen in duobus diuersis atque inter se aduersis esse principiis, sed vnum esse principium, Deum scilicet bonum, & ab illo factum alterum, qui cùm malignus esset,inuẽtus est in sua mũdum natiuitate fecisse. Hunc Apellem dicunt quidam etiam de Christo tam falsa sensisse,vt dicerent eum,non quidem carnem duxisse de cælo, sed ex elementis mundi accepisse quæ mundo reddidit, cum sine carne resurgens in cælum ascendit.

24 SEueriani à Seuero exorti, vinum non bibunt, eò quòd fabulosa vanitate de satana & terra germinasse asserunt vitem. Etiam ipsi non sanam doctrinam suam, quibus volunt inflant nominibus principum. Carnis resurrectionem cum veteri testamento respuentes. Hic præterea Philumenem quandam puellam dicebat inspiratam Diuinitus ad prænuntianda futura, ad quam somnia, ad quæ æstus sui animi referens,diuinationibus seu præsagiis eius,secretim erat solitus præmoneri,eodem phantasmate eidem Philumenæ pueri habitu se demonstrante. Qui puer apparens Christũ se aliquando, aliquando esse assereret Paulum. A quo phãtasmate sciscitans,ea soleret respõdere,quæ se audiẽtibus diceret. Nõnulla quoque illam miracula operari solitam: inter quæ illud præcipuum,quòd in angustissimi oris ampullam vitream panem grandem immitteret, eũmque extremis digitulis leuare soleret illæsum,eóque solo quasi Diuinitus sibi cibo dato fuisset contenta.

25 TAciani à Tacio quodam, qui & Encratitę appellati sunt,nuptias damnant,atque omnino pares eas fornicationibus aliisq; corruptionibus faciunt,nec recipiunt in suorum numerum coniugio vtentem,siue marem, siue fœminam, non vescuntur carnibus, eásque omnes abominantur. Prolationes quasdam fabulosas seculorum etiam ipsi sapiunt,saluti primi hominis contradicunt. Epiphanius Tacianos & Encratitas ita discernit, vt Encratitas Taciani schismaticos dicant.

26 CAtaphryges sunt, quorum auctores fuerunt, Montanus tanquam paracletus, & duæ prophetissæ ipsius, Prisca & Maximilla. His nomẽ prouincia Phrygia dedit, quia ibi extiterunt ibíq; vixerunt,& etiã nunc in eiusdem partibus populos habent. Aduẽtum Spiritus sancti à Domino promissum in se potius quàm in Apostolis eius fuisse asserunt redditum. Secundas nuptias pro fornicationib⁹ habent. Et ideo dicunt eas permisisse Apostolum Paulum,quia ex parte sciebat,& ex parte prophetabat. Nondum enim venerat quod perfectum est. Hoc autẽ perfectũ in Mõtanum & in ei⁹ ꝓphetissas venisse delirãt. Sacramẽta phibẽ

tur funesta habere. Nam de infantis anniculi sanguine, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quasi eucharistiam suam conficere perhibētur, miscentes eū farinæ, panēque inde facientes: qui puer si mortuus fuerit, habetur apud eos pro martyre, si autem vixerit, pro magno sacerdote.

27 PEpuziani à loco quodā nominati sūt, quā ciuitatem desertam dicit Epiphanius. Hāc autem isti Diuinum aliquid esse arbitrantes, Hierusalem vocant. Tantum dantes mulieribus principatum, vt sacerdotio quoque apud eos honorētur. Dicunt enim Quintillæ & Priscillæ in cadē ciuitate Pepuza, Christū specie fœminæ reuelatum. Vnde ab hac Quintiliani etiam nuncupātur. Faciunt & ipsi de sanguine infantis quod Cataphryges facere suprà diximus. Nam & ab eis perhibentur exorti. Denique alii hanc Pepuzam non esse ciuitatem: sed villam dicunt fuisse Montani, & prophetissarum eius Priscæ & Maximillæ. & quia ibi vixerunt, ideo locum meruisse appellari Hierusalem,

28 ARtotyritæ sunt, quibus oblatio eorū hoc nomē dedit. Offerunt enim panem & caseum, dicentes à primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ouium fuisse celebratas. Hos Pepuzianis iungit Epiphanius.

29 TEssareseçdecatitę hinc appellati sūt, quòd non nisi quartadecima luna mense Martio Pascha celebrant, quilibet septem dierum occurrat dies. Et si dies Dominicus occurrerit, ipso die ieiunant & vigilant.

30 ALogiani propterea sic vocantur, tanquam sine verbo. Logos enim Græcè verbū dicitur, quia Domini Verbum recipere noluerunt, Ioannis Euangelium respuentes, cuius nec Apocalypsim accipiunt. has videlicet scripturas negant esse ipsius.

31 ADamiani ex Adam dicti, cuius imitantur in paradiso nuditatem, quæ fuit ante peccatum. Vnde & nuptias auersantur, quia nec prius quàm peccasset Adam, nec prius quàm dimissus esset de paradiso, cognouit vxorem. Credunt ergo quòd nuptiæ futuræ non fuissent, si nemo peccasset. Nudi itaque mares fœminæque cōueniunt. Nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant sacramenta: & ex hoc paradisum suam arbitrantur ecclesiam.

32 ELcesæos & Samsæos hîc tanquam ordine suo commemorat Epiphanius, quos dicit à quodam pseudopropheta esse deceptos, qui vocabatur Elcai: ex cuius genere duas mulieres tanquam deas ab eis perhibet adoratas. Cætera Hebionæis tenere similia.

33 THeodotiani à Theodotione quodam instituti, hominem tātummodo Christum asseuerant. Quod dicitur quidem Theodotion propterea docuisse, quia in persecutione lapsus, isto modo se casus sui deuitare putabat opprobrium, si nō Deum negasse, sed hominem videretur,

34 MElchisedechiani, Melchisedech sacerdotem Dei excelsi, non hominem fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrantur.

35 BArdesanistæ, à quodam Bardesane, qui in doctrina Christi prius extitisse perhibetur insignis, quanuis postea per omnia in Valentini hæresim lapsus est, addens de suo, vt fato adscriberet conuersationes hominum.

36 NOetiani à quodam Noeto, qui dicebat Christum eundem ipsum esse Patrem & Spiritum sanctum.

37 VAlesii & seipsos castrant, & hospites suos: hoc modo existimantes Deo se debere seruire. Alia quoque hæretica docere dicuntur & turpia, sed quæ illa sint, nec ipse commemorauit Epiphanius, nec vspiam potui reperire.

38 CAthari, qui seipsos isto nomine quasi propter munditiam superbissimè atque odiosissimè nominā̄t, secundas nuptias non admittunt, pœnitentiam denegāt, Nouatum sectantes hæreticum, vnde etiam Nouatiani appellantur.

39 ANgelici, in Angelorum cultu inclinati, quos Epiphanius iam omnino defecisse testatur.

40 APostolici, qui se isto nomine arrogantissimè vocauerunt, eò quòd in suam communionem non reciperent vtentes coniugibus, & res proprias possidentes, quales habet catholica Ecclesia & Monachos & Clericos plurimos. Sed ideo isti hæretici sunt, quoniam se ab Ecclesia separātes, nullam spem putant eos habere qui vtuntur his rebus, quib⁹ ipsi carēt. Encraticis isti similes sunt: nam & Apotactitæ appellantur. Sed alia nescio quæ propria hęretica docere perhibentur.

41 SAbelliani ab illo Noeto, quem suprà memorauimus, defluxisse dicuntur. Nam & discipulum eius quidam perhibent fuisse Sabellium. Sed qua causa duas hæreses eas Epiphanius cōputet, nescio: cùm fieri potuisse videamus vt fieret Sabellius iste famosior, & ideò ex illo celebrius hæc hæresis nomen acceperit. Noetiani enim difficillimè ab aliquo sciūtur: Sabelliani autem sunt in ore multorum. Nam & Praxeianos à Praxea quidam vocant, & Hermogeniani vocari ab Hermogene potuerunt: qui Praxeas & Hermogenes eadem sentientes in Aphrica fuisse dicuntur. Nec tamen istæ plures sectæ sunt, sed vnius sectæ plura nomina ex his hominibus, qui in ea maximè innotuerunt, sicut Donatistæ, iidem Parmenianistæ, sicut Pelagiani iidem Cælestiani. Vnde ergo sit factum, vt Noetianos & Sabellianos, non vnius hæresis duo nomina, sed tanquam duas hæreses suprà dictus Episcopus poneret, liquidò inuenire non potui. Quia si quid inter se differunt, tam obscurè dixit, studio forsitan breuitatis, vt nō intelligam. Loco quippe isto, quo & nō tā lōgè à Noetianis Sabellianos

comme

commemorans, Sabelliani (inquit) similia Noeto dogmatizantes, præter hoc quòd dicunt Patrē nō esse passū, quo modo de Sabellianis intelligi potest, quum sic innotuerint dicere Patrem passum, vt Patripassiani quàm Sabelliani crebrius nuncupentur. Aut si fortè in eo quod ait, Præter hoc quod dicunt Patrem nō esse passum, Noetianos hoc dicere intelligi voluit: quis eos in hac ambiguitate discernat? vel quomodo possūt intelligi quilibet eorum Patrem passum fuisse non dicere, cùm dicant eūdem ipsum esse & Patrem & Filium & Spiritum sanctum? Philaster autem Brixianus Episcopus in prolixissimo libro quem de hæresib⁹ cōdidit, & cxxviii. hæreses arbitratus est computandas, Sabellianos continuò post Noetianos ponēs, Sabellius, inquit, discipulus eius, q̄ similitudinē sui doctoris itidē secut⁹ est, vnde & Sabelliani postea sunt appellati, qui & Patripassiani, & Praxeiani à Praxea, & Hermogeniani ab Hermogene, qui fuerunt in Aphrica, qui & ista sentientes abiecti sunt ab Ecclesia catholica. Certè iste eosdem postea Sabellianos dixit appellatos, qui ea quæ Noetus sentiebant. Et alia nomina eiusdē sectæ cōmorauit, & tamen Noetianos & Sabellianos sub duodus numeris, tāquam duas hæreses posuit: qua causa ipse viderit.

42 ORigeniani à quodam Origene dicti sunt: non ab illo q̄ ferè omnibus notus est, sed ab alio nescio quo, de quo vel sectatoribus eius Epiphanius loquens, Origeniani, inquit, cuiusdam Origenis discipuli: turpis autē fūt operationis. isti sunt nephanda facientes, sua corpora corruptioni tradentes.

43 ALios autem Origenianos continuò subiiciens, Origeniani, inquit, alii qui & Adamantii tractatoris illius, qui & mortuorum resurrectionem negant: Christum autē & Spiritum sanctum creaturam dicunt, paradisum autem & cælos & alia non credunt esse secundum literam, sed in allegoria. Hæc quidem de Origene Epiphanius refert. Sed defensores eius dicunt Origenē Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnius eiusdémque substantiæ docuisse, neque resurrectionem repulisse mortuorum, sed qui eius plura legerunt contradicunt. Sunt & alia Origenis dogmata, quæ catholica Ecclesia omnino non recepit, in quibus nec ipsum falsò arguit, nec potest ab eius defensoribus excusari, maximè de purgatione & liberatione, ac rursus post longum tēpus ad eadē mala reuolutione rationalis vniuersæ creaturæ. Quis enim catholic⁹ Christianus vel doctus vel indoctus, non vehementer exhorreat, eam quam dixit purgationem malorum, id est, etiam eos qui hanc vitam in flagitiis & facinoribus & sacrilegiis, atque impietatibus quanlibet maximis finierunt, ipsum etiā postremò diabolum atque angelos eius, quanuis post longissima tempora, purgatos atque liberatos regno Dei lucíque restitui, & rursus post longissima tempora, omnes qui liberati sunt, ad hæc mala denuò relabi & reuerti: & has vices alternantes beatitudinum & miseriarum rationalis creaturæ semper fuisse, sē per fore? De quavanissima impietate aduersus Philosophos, à quibus ista didicit Origenes, in libris de ciuitate Dei diligentissimè disputaui. Dicit præterea ipse Origenes, quòd Filius Dei sanctis hominibus comparatus, veritas sit, Patri collatus mendacium, & quantum distant Apostoli Christo, tantum Filius Patri. Vnde nec orandus est Filius cum Patre, quia non est auctor indulgēdarum petitionum, sed supplicator.

44 PAuliani à Paulo Samosateno, Christum non semper fuisse dicunt, sed eius initium ex quo de Maria natus est, asseuerant: nec eum aliquid amplius quam hominem putant. Ista hæresis aliquando cuiusdam Artemonii fuit: sed cùm defecisset, instaurata est à Paulo, & postea sic à Fotino confirmata, vt Fotiniani quā Pauliani celebrius nuncupētur. Istos sanè Paulianos baptizandos esse in Ecclesia catholica Niceno concilio constitutum est. Vnde credē dum est eos regulam Baptismatis non tenere, quam secum multi hæretici, cùm de Catholica discederent abstulerunt, eámque custodiunt.

45 FOtinus ab Epiphanio non continuò post Paulum, siue pro Paulo, sed aliis interpositis ponitur. Non tacetur sanè similia credidisse: secundum aliquid tamen aduersatus ei dicitur: sed quid sit ipsum aliquid, omnino non dicitur. Philaster autē continuatim ponit ambos sub singulis & propriis numeris, quasi hæreses duas, cùm dicat Fotinū in omnibus Pauli secutum fuisse doctrinam.

46 MAnichæi, à quodam Persa extiterunt, qui vocabatur Manin: quanuis & ipsum, cū eius insana doctrina cœpisset, nomen prædicari, nam antehac Vrbicus vocabatur. Sed in Græcia discipuli eius vitantes nomen insaniç, quasi doctiores & eoipso mēdaciores, gemina ta n litera, Mannichæum quasi manna fundentem, pro Manichæo, id est, insano appellauerunt. Iste duo principia inter se diuersa, atque aduersa eadémque æterna & coæterna, hoc est semper fuisse composuit: duásque naturas atque substantias, boni scilicet & mali, sequens alios antiquos hęreticos opinatus est: quarum inter se pugnam & commixtionem, & boni à malo purgationem, & boni quod purgari non poterit, cum malo in æternum damnationem, secundum sua dogmata asseuerans, multa fabulatur, quæ cuncta intexere huic operi nimis lō gum est. Ex iis autem suis fabulis vanis atque impiis coguntur dicere, animas bonas, quas cēsent ab animarum malarum, naturæ scilicet contrariæ commixtione liberandas, eius cuius Deus est, esse naturæ. Proinde mundum à natura boni, hoc est, à natura Dei factum, confitentur quidem, sed de commixtione boni & mali, quæ facta est, quando inter se vtraque na

tura pugnauit. Ipsam verò boni à malo purgationem ac liberationem, non solùm per totum mundum & de omnibus elemẽtis virtutẽ Dei facere dicũt: verũetiam electos suos per alimẽta quæ sumunt. Et eis quippe alimentis sicut vniuerso mundo, Dei substantiã perhibent esse commixtam, quam purgari putant in electis suis, eo genere vitæ quo viuũt electi Manichæorum, velut sanctius & excellentius auditoribus suis. Nam his duabus professionibus, hoc est, electorum & auditorum, ecclesiam suam constare voluerunt. In cæteris autem hominibus, etiam in ipsis auditoribus suis, hanc partem bonæ diuinęque substantiæ, quæ mixta & colligata in escis & potibus detinetur, maximè que in eis qui generant filios, arctius & inquinatius colligari putant. Quidquid verò vndique purgatur luminis, per quasdã naues, quas esse lunam & solem volunt, regno Dei, tanquã propriis sedibus reddi. Quas itidem naues de substantia Dei pura perhibent fabricatas, lucémque istam corpoream animantium mortalium oculis adiacentem, non solùm in iis nauibus, vbi eam purissimam credunt, verumetiam in aliis quibusque lucidis rebus, vbi secũdum ipsos tenetur admixta, creditúrque purganda, Dei dicunt esse naturam. Quinque enim elementa, quæ genuerunt principes proprios, genti tribuunt tenebrarum, eáque elementa his nominibus nuncupant, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum. In fumo nata animalia bipedia, vnde homines ducere originem censent: in tenebris serpẽtia, in igne quadrupedia, in aquis natatilia, in vento volatilia. His quinque elementis malis debellandis, alia quinque elementa de regno & substantia Dei missa esse, & in illa pugna fuisse permixta, fumo aera, tenebris lucẽ, igni malo ignem bonum, aquæ malæ aquam bonam, vento malo ventum bonum. Naues autem illas, id est, duo cæli luminaria ita distingunt, vt lunam dicant factã ex bona aqua, solẽ verò ex igne bono. Esse autẽ in eis nauibus sanctas virtutes, quæ se in masculos transfigurant, vt illiciant, fœminas gentis aduersæ, & per hanc illecebrã commota eorum concupiscentia, fugiat de illis lumen quod membris suis permixtum tenebant, & purgandum suscipiatur ab Angelis lucis: purgatúmque, illis nauibus imponatur ad regna propria reportandum. Qua occasione, vel potius execrabilis superstitionis quadam necessitate, cogũtur electi eorum, velut Eucharistiam cõspersam cum semine humano sumere, vt etiam inde sicut de aliis cibis, quos accipiunt, substantia illa Diuina purgetur. Sed hoc se facere negant, & alios nescio quos sub nomine Manichæorum facere affirmant. Detecti sunt tamen in Ecclesia, sicuti scis, apud Carthaginem, iam te ibi Diacono constituto, quãdo instante Vrso tribuno, qui tunc domui regiæ præfuit, aliqui adducti sunt. Vbi puella illa nomine Margarita, istam nefariam turpitudinem prodidit. Quæ cùm esset annorum nõdum duodecim, propter hoc sceleſtum mysterium se dicebat esse violatam. Tunc Eusebiam quandam Manichæam quasi sanctimonialem, idipsum propter hocipsum passam, vix compulit confiteri. Cùm primùm illa se asseruisset integrã, atque ab obstetrice inspici postulasset, quæ inspecta, & quid esset inuẽta, totum illud turpissimum scelus, vbi ad excipiendum & cõmiscendũ concumbentium semen farina substernitur, quod Margarita indicante absens nõ audierat, similiter indicauit. & recenti tempore nonnulli eorum reperti, & ad Ecclesiam ducti, sicut gesta Episcopalia, quæ nobis missti ostendunt, hoc non sacramentum, sed execramentum sub diligenti interrogatione confessi sunt. Quorum vnus nomine Viator, eos qui ista faciunt, propriè Catharistas, id est, mũdatores vel purgatores vocari dicens, cùm alias eiusdem Manichææ sectæ partes in Macharios, & specialiter Manichæos distribui perhiberet: omnes tamen has tres formas ab vno auctore propagatas, & omnes generaliter Manichæos esse negare nõ potuit. Certè illi libri Manichæi sunt omnibus sine dubitatione cõmunes: in quibus libris illa portenta ad illicitẽ dos, & per concupiscentiam dissoluendos vtriusque sexus principes tenebrarum, vt liberata fugiat ab eis quæ captiuata tenebatur in eis Diuina substantia, de masculorum in fœminas, & fœminarum in masculos transfiguratione cõscripta sunt. Vnde ista eorum, quanlibet negãt ad se pertinere, turpitudo defluxit. Diuinas enim virtutes quantum possunt imitari se putant, vt purgent Dei sui partem, quã profectò, sicut in omnibus corporibus cælestibus & terrestribus, atque in omnium rerum seminibus, ita & in hominis semine teneri existimant inquinatam. Ac per hoc sequitur eos, vt sic eam etiam de semine humano, quemadmodum de aliis seminibus, quę in alimentis sumunt, debeant manducando purgare. Vnde etiam Catharistæ appellantur, quasi purgatores, tãta eam purgantes diligentia, vt nec se ab hac tam horrenda cibi turpitudine abstineãt: nec vescuntur tamẽ carnibus, tanquã de mortuis vel occisis fugerit Diuina substantia, tantúmque ac tale inde remanserit, quod iam dignum non sit in electorum vẽtre purgari. Nec oua saltem sumunt, quasi & ipsa cùm franguntur expirent, nec oporteat vllis mortuis corporibus vesci, & hoc solùm viuat ex carne, quod in farina ne moriatur excipitur. Sed nec alimonia lactis vtuntur, quanuis de corpore animantis viuente mulgeatur siue fugatur: nõ quia putant Diuinæ substãtiæ nihil ibi esse permixtũ, sed quia ipse sibi error nõ cõstat. Nã & vinũ non bibunt, dicentes fel esse principũ tenebrarum, cùm vescantur vuis. Nec musti aliquid, vel recentissimi sorbent. Animas auditorum suorum in electos reuolui arbitrãtur, aut feliciore compendio in escas electorũ

suorum

ſuorum,vt iam inde purgatæ in nulla corpora reuertantur. Cęteras autem animas & in pecora redire arbitrantur, & in omnia quæ radicibus fixa ſunt atque aluntur in terra. Herbas enim atque arbores ſic putãt viuere, vt vitam quæ illis ineſt & ſentire credãt, & dolere cùm lædũtur,nec aliquid inde ſine cruciatu eorũ quenquam poſſe vellere aut carpere. Propter quod agrum etiam ſpinis purgare nefas habẽt, Vnde agriculturam, quæ omnium artium eſt innocentiſſima, tanquam plurium homicidiorum ream,dementes accuſant,ſuiſque auditoribus ideo hæc arbitrantur ignoſci, quia præbent inde alimenta electis ſuis, vt diuina illa ſubſtantia in eorum ventre purgata, impetret eis veniam,quorum traditur oblatione purgãda. Itaque ipſi electi,nec in agris operantes, nec poma carpẽtes,nec ſaltem folia vlla vellẽtes,expectant hæc afferri vſibus ſuis ab auditoribus ſuis,viuentes de tot ac tantis,ſecundum ſuam vanitatẽ,homicidiis alienis. Monent etiam eoſdẽ auditores ſuos, vt ſi veſcuntur carnibus,animalia nõ occidant,ne offendant principes tenebrarum in cæleſtibus colligatos, à quibus omnem carnem dicunt originem ducere. Et ſi vtuntur coniugibus,conceptum tamẽ generationémque deuitent,ne diuina ſubſtantia,quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole. Sic quippe in omnem carnem,id eſt,per eſcas & potus venire animas credunt. Vnde nuptias ſine dubitatione condemnant,& quantum in ipſis eſt prohibẽt, quando generare prohibent,propter quod cõiugia copulanda ſunt. Adam & Euam ex parẽtibus principibus fumi aſſerunt natos, cùm pater eorum nomine Saclas ſociorum ſuorũ fœtus omnium deuoraſſet, & quicquid inde cõmixtum diuinæ ſubſtantiæ ceperat,cum vxore concũbens in carne prolis tanquã tenaciſſimo vĩculo colligaſſet. Chriſtum autem fuiſſe affirmant,quem dicit noſtra Scriptura ſerpentem à quo illuminatos eos aſſerunt, vt cognitionis oculos aperirent,& bonum malúmque dignoſcerent. Eúmque Chriſtum nouiſſimis temporibus veniſſe ad animas,non ad corpora liberãdas. Nec fuiſſe in carne vera, ſed ſimulatam ſpeciem carnis ludificandis humanis ſenſibus præbuiſſe. Vbi non ſolùm mortem, verumetiam reſurrectionem ſimiliter mẽtiretur. Deũ qui Legem per Moſen dedit, & in Hebræis Prophetis locutus eſt,non eſſe verum. Deum, ſed vnum ex principibus tenebrarum. Ipſiúſque noui Teſtamenti Scripturas tanquam infalſatas ita legunt,vt quod voluerint inde accipiant,quod nolunt reiiciant, eſſque tanquã non totum verũ habentibus nonnullas apocryphas anteponant. Promiſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti de Paracleto Spiritu ſancto,in ſuo Archimanichæo dicunt eſſe completã. Vnde ſe in ſuis literis,Ieſu Chriſti Apoſtolum dicit,eò quòd Ieſus Chriſtus ſe miſſurũ eſſe promiſerit,atque in illo miſerit Spiritum ſanctũ. Propter quod etiã ipſe Manichæus duodecim diſcipulos habuit adinſtar Apoſtolici, numeri,quẽ numerũ Manichæi hodiéque cuſtodiunt. Nam ex electis ſuis habent duodecim, quos appellant magiſtros,& tertiumdecimum principem ipſorum. Epiſcopos autem ſeptuagintaduos,qui ordinantur à magiſtris, & preſbyteros,qui ordinantur ab Epiſcopis. Habent etiam Epiſcopi Diaconos. Iam cæteri tantum modo electi vocantur. Sed mittuntur etiam ipſi,qui videntur idonei,ad hunc errorem,vel vbi eſt ſuſtentandum & augendum,vel vbi nõ eſt etiam ſeminandum. Baptiſmum in aqua nihil cuiquam perhibent ſalutis afferre,nec quẽquam eorum quos decipiunt, baptizandum putant. Orationes faciunt ad ſolem per diem quaquauerſum circumit, ad lunam per noctẽ ſi apparet: ſi autem non apparet, ad aquiloniã partem, qua ſol cùm occiderit, ad Orientem reuertitur. ſtant orantes. Peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, ſed ſubſtãtiæ tribuunt gentis aduerſæ,quam dogmatizantes eſſe hominibus mixtam, omnem carnem non Dei,ſed malæ mentis perhibent eſſe opificium,quã à cõtrario principio Deo coæternam eſſe aiunt. Carnalem concupiſcentiã, qua caro concupiſcit aduerſus ſpiritum: non ex vitiata in primo homine natura nobis ineſſe infirmitatem,ſed ſubſtantiam volunt eſſe cõtrariam,ſic nobis adhærentem,vt quando liberamur atque purgamur,ſeparetur à nobis, & in ſua natura etiam ipſa immortaliter viuat. Eáſque duas animas,vel duas mentes,vnã bonam,alteram malam in vno homine inter ſe habere conflictum,quando caro concupiſcit aduerſus ſpiritum & ſpiritus aduerſus carnem. Nec in nobis ſanatum hoc vitium,ſicut nos dicimus nunquam futurum,ſedà nobis ſeiunctã atque ſeclusã ſubſtantiam iſtam mali: & finito iſto ſeculo, poſt conflagrationem mũdi,in globo quodam,tanquam in carcere ſempiterno eſſe victuram. Cui globo affirmant acceſſurũ ſemper & adhæſurum,quaſi coopertorium atque tectorium ex animabus, natura quidem bonis,ſed tamen quæ non potuerant à naturæ malæ contagione purgari.

47 Hierachitæ,quorum auctor Hieracha nuncupatur,reſurrectionem carnis negãt: monachos tantum & monachas, & coniugia non habentes in communionem recipiunt. Ad regnum cælorum non pertinere paruulos dicũt: quia non ſunt eis merita vlla certaminis,quo vitia ſuperentur.

48 Melitiani à Melitio nuncupati, nolentes orare cum conuerſis,id eſt, eis qui in perſecutione ceciderant, ſchiſma fecerunt. Nunc autem dicuntur Arrianis eſſe coniuncti.

49 Arriani ab Arrio, in eo ſunt notiſſimi errore,quo Patrem & Filium,& Spiritum ſanctum nolunt eſſe vnius eiuſdémque naturæ atque ſubſtantiæ,aut vt expreſsius dicatur eſſentiæ, quæ οὐσία Græcè appellatur: ſed eſ-

se Filium creaturam, Spiritum verò sanctum creaturam creaturæ, hoc est, ab ipso Filio creatum volunt. In eo autem quòd Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrantur, minus noti sunt, nec aduersus eos ab aliquo inueni de hac re aliquando fuisse certatū. Sed hoc verum esse & Epiphanius non tacuit, & ego ex eorum quibusdam scriptis & collocutionibus certissimè cōperi. Rebaptizari quoque ab his catholicos nouimus, vtrùm & non catholicos, nescio.

50 VAdianos quos appellat & Epiphanius, schismaticos non hæreticos vult videri. Alii vocant Anthropomorphitas, quoniam Deum sibi fingunt cogitatione carnali, in similitudinē imaginis corruptibilis hominis, quod rusticitati eorum tribuit Epiphanius, parcens eis ne dicantur hæretici. Eos autē separasse se dicit à communione nostra, culpando Episcopos diuites, & Pascha cum Iudæis celebrādo. Quānis sint qui eos in AEgypto Ecclesiæ catholicæ communicare asseuerent. De Fotinianis autem, quos isto loco Epiphanius commemorat, iam superius satis locutus sum.

51 SEmiarrianos Epiphanius dicit, qui similis essentiæ dicunt Filium, tanquam non plenos Arrianos, quasi Arriani nec similē velint, cùm hoc Eunomiani dicere celebrentur.

52 MAcedoniani sunt à Macedonio Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopo, quos & πνευματομάχους Græci dicunt, eò quòd de Spiritu sancto litigent. Nam de Patre & Filio rectè sentiunt, quòd vnius sint eiusdémq; substantiæ vel essentiæ: sed de Spiritu sancto hoc nolunt credere, creaturam eum esse dicentes. Hos potius quidā Semiarrianos vocant, quòd in hac quæstione ex parte cum illis sint, ex parte nobiscum. Quanuis à nonnullis perhibeantur, non Deum sed Deitatem Patris & Filii dicere Spiritum sanctum, & nullam propriam habere substantiam.

53 AEriani ab Aerio quodam sunt: qui cùm esset presbyter doluisse fertur, quòd Episcopus non potuit ordinari, & in Arrianorū hæresim lapsus, propria quoque dogmata addidisse nōnulla, dicens orare vel offerre pro mortuis oblationem nō oportere, nec statuta solēniter celebranda esse ieiunia, sed cùm quisque voluerit ieiunandum, ne videatur esse sub Lege. Dicebat etiam presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni. Quidam perhibent istos, sicut Encratitas vel Apotactitas non admittere ad communionem suā nisi continentes, & eos qui seculo ita renuntiauerint, vt propria nulla possideant: ab esca tamen carnium non eos abstinere dicit Epiphanius. Philaster verò & hanc eis tribuit abstinētiam.

54 AEtiani ab Aetio sunt vocati, iidémq; Eunomiani ab Eunomio Aetii discipulo, in quo nonine magis innotuerunt. Eunomius quippe in dialectica prævalens, acutius & celebrius defendit hanc hæresim, dissimilem per omnia Patri asserens Filium, & Filio Spiritū sanctum. Fertur etiam vsqueadeo fuisse bonis moribus inimicus, vt asseueraret, quòd nihil cuique obesset quorūlibet perpetratio ac perseuerantia peccatorum, si huius quæ ab illo docebatur fidei particeps esset.

55 APollinaristas Apollinaris instituit, qui de anima Christi à Catholica dissēserunt, dicentes sicut Arriani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse. In qua quæstione testimoniis Euangelicis victi, mentem qua rationalis est anima hominis, nō fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse dixerunt. De ipsa verò eius carne sic à recta fide dissensisse perhibentur, vt dicerent carnem illam & Verbum, vnius eiusdémque substantiæ, cōtentiosissimè asseuerantes Verbum carnem factum, hoc est, Verbi aliquid in carnem fuisse conuersum atque mutatum, non autem carnē de Mariæ carne susceptam.

56 ANtidicomarianitæ appellati sunt hæretici q Marię virginitati vsqueadeo cōtradicunt, vt affirment eam post Christum natum viro suo fuisse commixtam.

57 PSallianorum postremam ponit Epiphanius hæresim, Quod nomen ex lingua Syra est. Græcè autem dicuntur Ἐυχῖται, ab orando sic appellati. Tantum enim orant, vt eis qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur. Nam quum Dominus dixerit, Oportet semper orare & non deficere: & Apostolus, Sine intermissione orate: quod sanissimè sic accipitur, vt nullo die intermittantur certa tempora orandi: isti ita nimis hoc faciunt, vt hinc iudicentur inter hæreticos nominandi. Quanuis nonnulli eos dicant de purgatione animarum nescio quam phantasticam & ridiculam fabulam narrare, Porcam scilicet cum porcellis suis videri exire de ore hominis, quando purgatur, & in eū visibili similiter specie ignē qui non comburat intrare. His adiungit Epiphanius Euphemitas Martyrianos, & Satamanos: & hos omnes cum illis tanquam vnam hæresim ponit. Dicuntur Euchitæ opinari monachis non licere sustentandæ vitæ suæ causa aliquid operari: atq; ita seipsos monachos profiteri, vt omnino ab operibus vacent. Vsque ad istos ergo de hæresibus opus suum supradictus Episcopus Cyprius apud Græcos inter magnos habitus, & à multis in catholicæ fidei sanitate laudatus. Cuius ego in cōmemorandis hæreticis non modum, sed ordinem sum secutus. Nam & aliqua ex aliis posui, quæ ipse non posuit, & aliqua non posui, quæ ipse posuit. Itaq; alia latius quàm ipse, alia etiam breuius explicaui, parémque in nonnullis exhibui breuitatem, omnia moderans sicut intentionis meæ ratio postulabat. Proinde ille de octoginta hęresibus, separatis viginti, quas ante Domini aduentum extitisse, sicut ei visum est computauit, reliquas post Domini ascensum natas se-

xaginta

xaginta breuissimis libris quinque comprehẽdit, atque omnes in sex libros totius eiusdem sui operis fecit concludi. Ego autem quia secundum petitionem tuam eas hæreses memorare institui, quæ post glorificationem Christi se aduersus doctrinam Christi, etiam sub velamine Christiani nominis extulerunt, quinquagintaseptem ex Epiphanii ipsius opere in meum transtuli, duas in vnã referens, vbi nullam differentiam potui reperire: & rursus vbi ille ex duabus vnam facere voluit, sub numeris suis singulas posui. Sed adhuc commemorare debeo, siue quas apud alios reperi, siue quas ipse reminiscor. Nunc ergo addo quas Philaster posuit, nec posuit Epiphanius.

58 METangismonitæ dici possunt qui Metangismon asserunt, dicentes sic esse in Patre Filium, quomodo vas in vase, quasi duo corpora carnaliter opinantes, ita vt Filius intret in Patrẽ, tanquã vas minus in vas maius: vnde & tale nomen hic error accepit, vt μετανγισμὸς Græcè diceretur. ἀγγεῖον quippe illa lingua vas dicitur. Sed introitus vnius vasis in alterum, Latinè vno nomine non potest dici, sicut Græcè potuit.

59 SEleuciani vel Hermiani ab auctoribus Seleuco & Hermia, qui elementorum materiam de qua factus est mundus, non à Deo, factam dicunt, sed Deo coæternam. Nec animã Deo tribuunt Creatori, sed creatores esse animarum Angelos volunt de igne & spiritu. Malum autem asserunt esse aliquando à Deo, aliquando à materia. Negant Saluatorem in carne sedere ad dexteram Patris: sed ea se exuisse perhibent, eamque in sole posuisse, accipientes occasionem de Psalmo vbi legitur, In sole posuit tabernaculum suum. Negant etiam visibilem paradisum. Baptismum in aqua nõ accipiunt. Resurrectionem nõ putant futuram, sed quotidie fieri in generatione filiorum. *Psalmo 18*

60 PRoclianitæ secuti sunt istos, & addiderũt Christum non in carne venisse.

61 PAtriciani à Patricio nuncupati, substantiã carnis humanæ non à Deo, sed à diabolo conditam dicunt, eámque sic fugiendam & detestandam putant, vt quidam eorum perhibeantur, etiam morte sibi illata carere carne voluisse.

62 AScitæ abutre sic appellati sunt. ἄσκος enim Græcè, Latinè vter dicitur, quẽ perhibẽtur inflatum & opertum circumire bacchãtes, tanquam ipsi sint Euangelici vtres noui, vino nouo repleti.

63 PAttalorinchitę intantum silentio student, vt naribus & labiis suis digitum opponãt, ne vel ipsã taciturnitatẽ voce prȩripiant, quãdo tacendum sibi esse arbitrantur: vnde etiam illis est nomen inditum. πάλπαλος enim dicitur Græcè palus, & εἴνχος nasus. Cur autem per palum digitum significare maluerint, à quibus hoc nomen compositum est, nescio, cùm Græcè dicatur digitus δάκτυλος, & possint vtique Dactilorinchitæ multò euidentius nuncupari.

64 AQuarii ex hoc appellati sunt, quòd aquã offerunt in poculo sacramenti, non illud quod omnis Ecclesia.

65 COluthiani à quodam Colutho, qui dicebat Deum non facere mala, contra illud quod scriptum est, Ego Deus creans mala.

66 FLorinniani à Florino, qui econtrario dicebat Deum creasse mala, cõtra id quod scriptum est, Fecit Deus omnia, & ecce bona valde. Ac per hoc quanuis contraria inter se dicẽtes, tamen ambo diuinis eloquiis resistebant. Creat enim Deus mala, pœnas iustissimas irrogando, quod Coluthus non videbat, non autem malas creãdo naturas atq; substantias, inquantũ sunt naturæ atque substantiæ, vbi Florinus errabat.

67 HAeresim quandam sine auctore & sine nõmine Philaster commemorat, quæ dicit hunc mundum etiam post resurrectionẽ mortuorum in eodem statu, in quo nũc est, esse mãsurum: neque ita esse mutandum, vt fit cælum nouum & terra noua, sicut sãcta Scriptura promittit.

ESt alia hæresis nudis pedibus semper ambulantium, in eo quòd Dominus dixerit ad Mosen vel ad Iosue, Solue calceamentum de pedib⁹ tuis, & quòd Propheta Esaias nudis pedibus iussus fuerit ambulare.

68 DOnatiani vel Donatistæ sunt, qui primũ propter Cecilianum contra suam voluntatem ordinatum Ecclesiæ Carthaginensis Episcopum schisma fecerunt, obiicientes ei crimina non probata, & maximè quòd à traditoribus diuinarum Scripturarum fuerit ordinatus. Sed post causã cum eo dictam atque finitam, falsitatis rei deprehensi, pertinaci dissensione firmata in hæresim schisma verterũt: tanquam Ecclesia Christi propter crimina Ceciliani, seu vera, seu quod magis apparuit iudicibus, falsa, de toto terrarum orbe perierit, vbi futura promissa est atque in Africa Donati parte remanserit, in aliis terrarum partibus quasi contagione cõmunionis extincta. Audẽt etiam rebaptizare catholicos. Vbi se amplius hæreticos esse firmarunt: cùm Ecclesiæ catholicæ vniuersæ placuerit, nec in ipsis hæreticis Baptisma commune rescindere. Huius hæresis principem accipimus fuisse Donatum, qui de Numidia veniens, & contra Cecilianum Christianam diuidens plebem, adiunctis sibi eiusdẽ factionis Episcopis, Maiorinum apud Carthaginem ordinauit Episcopum. Cui Maiorino Donatus alius eadẽ diuisione successit: qui eloquentia sua sic confirmauit hanc hæresim, vt multi existiment propter ipsum potius Donatistas vocari. Extant scripta eius, vbi apparet eum etiam non catholicã de Trinitate habuisse sententiam. Sed quanuis eiusdem substantiæ, minorem tamẽ Patre Filium, & minorem Filio putasse Spiritum sanctũ. Verùm in hunc

quem de Trinitate habuit eius errorem, Donatistarum multitudo intenta non fuit, nec facilè in eis quisquam, qui hoc illum sensisse nouerit, inuenitur. Isti hæretici in vrbe Roma Montenses vocantur, quibus hinc ex Africa solent Episcopum mittere, aut hinc illuc Afri Episcopi eorum pergere, si fortè ibi eum ordinare placuisset. Ad hanc hæresim in Africa & illi pertinent, qui appellantur Circumcelliones, genus hominum agreste & famosissimæ audaciæ, nō tolùm in alios immania facinora perpetrando, sed nec sibi eadem insana feritate parcendo. Nam per mortes varias, maximè præcipitiorum & aquarum & ignium, seipsos necare consueuerunt, & in istum furorē alios quos potuerint sexus vtriusque seducere, aliquando vt occidantur ab aliis, mortem nisi fecerint comminantes. Veruntamen plerisque Donatistarum displicent tales, nec eorum cōmunione contaminari se putant, qui Christiano orbi terrarum demētes obiiciunt ignotorum crimen Afrorum. Multa & inter ipsos facta sūt schismata, & ab eis se diuersis cœtib⁹ alii atque alii separarunt, quorum separationē cætera grādis multitudo non sensit. Sed apud Carthaginem Maximianus cōtra Primianum ab eiusdem erroris centū fermè Episcopis ordinatus, & à reliquis trecentis decem cum eis duodecim qui ordinationi eius etiam præsentia corporali interfuerunt, atrocissima criminatione damnatus, compulit eos nosse etiam extra Ecclesiam dari posse Baptismum Christi. Nam quosdam ex eis, cum eisquos extra eorū Ecclesiā baptizauerant, in suis honoribus sine vlla in quoquā repetitione Baptismatis receperunt, nec eos vt corrigerent, per publicas potestates agere destiterunt: nec eorum criminibus per iuri concilii sententiam vehementer exaggeratis, communionem suam contaminare timuerunt.

70 PRiscillianistæ, quos in in Hispania Priscillianus instituit, maximè Gnosticorum & Manichæorum dogmata permixta sectantur: quanuis & ex aliis hæresibus in eas sordes, tāquam in sentinam quandam, horribili confusione confluxerint. Propter occultandas autē contaminationes & turpitudines suas, habent in suis dogmatib⁹ & hæc verba, Iura, periura, secretum prodere noli. Hi animas dicunt eiusdem naturæ atque substantiæ, cuius est Deus, ad agonem quendam spontaneum in terris exercendum, per septem cælos & per quosdam gradatim descendere principatus, & in malignum principem incurrere, à quo istum mundum factum volunt: atque ab hoc principe per diuersa carnis corpora seminari. Astruunt etiam fatalib⁹ stellis homines colligatos, ipsúmque corpus nostrum secundum duodecim signa cæli esse compositum, sicut ii qui mathematici vulgò appellantur, constituentes in capite arietē, taurum in ceruice, geminos in humeris, cancrum in pectore, & cætera nominatim signa per currentes, ad plantas vsque perueniunt, quas piscibus tribuunt, quod vltimum signum ab Astrologis nuncupatur. Hæc & alia fabulosa, vana, sacrilega, quæ persequi lōgum est, hæresis ista contexit. Carnes tanquam immūdas escas etiam ipsa deuitat. Cōiuges, quibus hoc malū potuerit persuadere, diuungēs, & viros à nolentibus fœminis, & fœminas à nolentibus viris. Opificium quippe omnis carnis non Deo bono & vero, sed malignis angelis tribuunt. Hoc versutiores etiā Manichæis, quòd nihil Scripturarum canonicarum repudiant, simul cum apocryphis legētes omnia, & in auctoritatem sumentes, sed in suos sensus allegorizando vertentes quidquid in sanctis libris est, quod eorum euertat errorē. De Christo Sabellianam sectam tenent, eundem ipsum esse dicentes, non solùm Filium, sed etiam Patrem, & Spiritum sanctum.

71 DIcit Philaster esse alios hæreticos, qui cū hominibus non sumunt escas, sed vtrùm cum aliis qui eiusdem sectæ non sunt, an etiam inter seipsos id faciant, non exprimit. Dicit etiam eos de Patre & Filio rectè, de Spiritu autem sancto nō catholicè sapere, sed quòd eum opinentur esse creaturam.

72 ARhetorio quodam exortam hæresim dicit nimium mirabilis vanitatis, quæ omnes hæreticos rectè ambulare, & vera dicere affirmat: quod ita est absurdum, vt mihi incredibile videatur.

73 ALia est hæresis, quæ dicit in Christo Diuinitatem doluisse, cùm figeretur caro eius in cruce.

74 EStalia, quæ triformem sic asserit Deum vt quędam pars eius sit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus sanctus, hoc est, quòd Dei vnius partes sint, quæ istam faciunt Trinitatem, velut ex his tribus partibus compleatur Deus, nec sit perfectus in seipso, vel Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus.

75 ALia est quæ dicit aquam non à Deo creatam, sed ei semper fuisse coæternam.

76 ALia dicit corpus hominis, non animam esse imaginem Dei.

77 ALia dicit innumerabiles mundos, sicut opinati sunt quidā Philosophi gentium.

78 ALia sceleratorum animas conuerti in dæmones dicit, & in quæque animalia suis meritis congrua.

79 ALia descendente ad inferos Christo, credidisse incredulos, & omnes inde existimat liberatos.

80 ALia sempiternè natum non intelligens Filiū, putat illā natiuitatē sumpsisse à tēpore initium: & tamen volens coæternum Patri Filium confiteri, apud illum fuisse antequam de illo nasceretur existimat, hoc est, semper eum fuisse: veruntamen semper eum Filium non fuisse, sed ex quo de illo natus est, Filium esse cœpisse. Has hæreses quæ absque auctorum nominibus sunt, putaui in hoc opus

meum

meum de Philastri opere trãsferendas: & alias quidem ipse commemorat, sed mihi appellandæ hæreses non videntur. Quascunque autem sine nominibus posui, nec ipse earum nomina commemorauit.

81 LVciferianos à Lucifero Caralitano Episcopo exortos, & celebriter nominatos, nec Epiphanius, nec Philaster inter hæreticos posuit: credo tantummodo schisma non hæresim eos condidisse credentes. Apud quendã tamen, cuius nomen in eodẽ eius opusculo nõ inueni, in hæreticis Luciferianos positos legi, per hæc verba, Luciferiani, inquit, cùm teneãt in omnibus catholicã veritatẽ, in hũc errorẽ stultissimũ prolabuntur, vt animam dicant ex transfusione generari, eandẽque dicunt & de carne, & carnis esse substantiã. Vtrùm ergo iste propter hoc quod de anima ista sentiunt, si tamẽ verè ita sentiunt, eos inter hęreticos ponẽdos esse crediderit, rectéque crediderit: an etiã si id nõ sentirent, siue nõ sentiunt, ideo tamen sint hæretici, quia dissensionẽ suã pertinaci animositate firmarũt, alia quæstio est, neque hoc loco mihi videtur esse tractanda.

82 IOuinianistas quoq; apud istũ reperi, quos iã nouerã. A Iouiniano quodã monacho ista hæresis orta est ætate nostra, cùm adhuc iuuenes essemus. Hic omnia peccata sicut Stoici philosophi, paria esse dicebat, nec posse peccare hominem lauacro regenerationis accepto: nec aliquid ꝓdesse ieiunia vel à cibis aliquib⁹ abstinentiã. Virginitatẽ Mariæ destruebat, dicens eã pariendo fuisse corruptã. Virginitatẽ etiam sanctimonialiũ, & continentiam sexusvirilis in sanctis eligentibus cælibẽ vitam, cõiugiorum castorum atque fidelium meritis adæquabat: ita vt quædã virgines sacræ, prouectæ iam ætatis in vrbe Roma, vbi hæc docebat, eo audito nupsisse dicãtur. Nõ sanè ipse vel habebat, vel haberevolebat vxorẽ, ꝙ non ꝓpter aliquod apud Deum maius meritum in regno vitę perpetuæ profuturum, sed propter præsentẽ prodesse necessitatem, ne homo coniugales patiatur molestias, disputabat. Citò tamẽ ista hæresis oppressa & extincta est, nec vsq; ad deceptionẽ aliquorũ sacerdotũ potuit peruenire.

83 CVm Eusebii historiam perscrutatus essẽ, cui Ruffinus, à se in Latinã translatæ, subsequẽtium etiã tẽporum duos libros addidit, non inueni aliquã hæresim, quam non legerim apud istos, nisi quam in 6. lib. ponit Eusebius, narrans eã extitisse in Arabia. Itaque hos hęreticos, quoniã nullum eorum ponit auctorẽ, Arabicos possumus nuncupare, qui dixerunt animas cum corporibus mori atque dissolui, in fine seculi vtrunque resurgere. Sed hos disputatione Origenis præsentis, & eos alloquentis celerrimè dicit fuisse correctos. Iam nunc illæ commemorandæ sunt hæreses, quæ apud nos nõ apud istos repertæ sunt, sed in recordationẽ nostram quomodocunque venerunt.

84 HEluidiani exorti ab Heluidio, ita virginitati Mariæ contradicunt, vt eam post Christum alios etiam filios de vtero suo Ioseph peperisse contendant. Sed mirũ ni istos prætermisso Heluidii nomine, Antidicomaritas Epiphanius appellauit.

85 PAterniani, inferiores partes humani corporis non à Deo, sed à diabolo factas opinantur, & omnium ex illis partibus flagitiorũ licentiam tribuentes impurissimè viuunt. Hos etiã Venustianos quidam vocant.

86 TErtullianistæ, à Tertulliano, cuius multa leguntur opuscula eloquẽtissimè scripta, vsque ad nostrũ tempus paulatim deficientes, in extremis reliquiis durare potuerũt in vrbe Carthaginẽsi. Me autẽ ibi posito ante aliquot annos, quod etiã te meminisse arbitror, omni ex parte cõsumpti sunt. Paucissimi etiã qui remãserant in catholicã transierũt, suámque basilicã, quę nunc etiã notissima est, catholicę tradiderunt. Tertullianus ergo sicut scripta eius indicant, animã dicit immortalẽ quidem, sed eã effigiatum corpus esse contẽdit: neque hãc tantùm, sed ipsum etiã Deum corporeum esse dicit, licet nõ effigiatum. Nec tamen hinc hæreticus creditur factus. Posset enim quoquo modo putari ipsã naturã substantiámque Diuinã corpus vocare, non tale corpus cuius partes aliæ maiores aliæ minores valeãt vel debeant cogitari, qualia sunt omnia, quæ propriè dicimus corpora, quãuis de anima tale aliquid sẽtiat. Sed potuit, vt dixi, propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas, sed vbique totus, & per locorum spatia nulla partit⁹, in sua tamẽ natura atque substãtia immutabiliter ꝑmanet. Nõ ergo ideo est Tertullian⁹ fact⁹ hæreticus: sed quia transiẽs ad Cataphryges, quos antè destruxerat, cœpit etiã secũdas nuptias, cõtra Apostolicã doctrinã tanquã stupra dãnare, & postmodum etiã ab ipsis diuisus, sua conuenticula propagauit. Dicit sanè ipse animas hominum pessimas post mortẽ in dæmones verti: statum autem animæ credit per traducem propagari.

87 ESt quædã hæresis rusticana in cãpo nostro id est, Hipponẽsi, vel potius fuit: paulatim enim diminuta in vna exigua villa remãserat, in qua quidem pauciss imi, sed omnes hoc fuerũt. Qui omnes modò correcti & catholici facti sunt, nec aliquis illius superfedit erroris. Abelonii vocabãtur, Punica declinatione nominis. Hos nonnulli dicunt ex filio Adæ nominatos qui est vocatus Abel, vnde Abelianos vel Abeloitas eos nos possumus dicere. Non miscebantur vxoribus, & eis tamẽ sine vxoribus viuere sectæ ipsius dogmate non licebat. Mares ergo & fœminas sub continentiæ professione simul habitantes, puerum & puellam sibi adoptabant in eiusdem coniunctionis pacto, successores suos futuros: morte præuentis quibúsque singulis alii surrogabantur, dũ tamen duo duobus disparis sexus in illius

domus societate succederent. Vtrolibet quippe parente defuncto, vno remanenti vsque ad eius quoque obitum filii seruiebant. Post cuius mortem etiam ipsi puerum & puellam si militer adoptabant, nec vnquam eis defuit vn de adoptarent, generantibus circunquaque vicinis, & filios suos inopes ad spem hæreditatis alienæ libenter dantibus.

88 PElagianorum est hæresis hoc tempore omnium recentissima, à Pelagio monacho exorta. Quem magistrum Cælestius sic secutus est, vt sectatores eorum Cælestiani etiam nuncupentur. Hi Dei gratiæ qua prædestinati sumus in adoptionẽ filiorum per Iesum Christum in ipsum, & qua eruimur de potestate tenebrarũ, vt in eũ credamus, atque in regnum ipsius transferamur, propter quod ait, Nemo venit ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo: & qua diffunditur charitas in cordibus nostris, vt fides per dilectionem operetur: intantum inimici sunt, vt sine hac posse hominem credant facere omnia Diuina mandata, cùm si hoc verũ esset, frustra Dominus dixisse videretur, Sine me nihil potestis facere. Denique Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei ad eius mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, vt nõ eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens ad hoc eã dari hominibus, vt quæ facere per liberum iubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam. Dicendo vtique, Vt facilius possint, voluit credi, etiam si difficilius, tamẽ posse homines sine gratia facere iussa Diuina. Illam verò gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura, ad hoc tantũ ipso adiuuante per suam Legem atque doctrinam, vt discamus quæ facere & quæ sperare debeamus, Nos autem ad hoc per donum Spiritus sancti, vt quæ didicerimus esse faciẽda faciamus. Ac per hoc Diuinitus nobis dari scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur: charitatem autem dari negant qua piè viuitur, vt scilicet cũ sit Dei donum, scientia quæ sine charitate inflat, non sit Dei donum ipsa charitas, quæ vt scientia non inflet, ædificat. Destruunt etiam orationes quas facit Ecclesia, siue pro infidelibus & doctrinæ Dei resistentibus, vt conuertãtur ad Deũ, siue pro fidelibus, vt augeatur eis fides, & perseuerẽt in eo. Hæc quippe nõ ab ipso accipere, sed à seipsis homines habere contendunt, gratiã Dei, qua liberamur ab impietate, dicentes secundum merita nostra dari. Quod quidẽ Pelagius in Episcopali iudicio Palæstino dãnari metuens, dãnare compulsus est: sed in posterioribus suis scriptis hoc inuenitur docere. In id etiam progrediuntur, vt dicant vitã iustorũ in hoc seculo nullum omnino habere peccatũ, & ex his Ecclesiã Christi in hac mortalitate perfici, vt sit omnino sine macula & ruga, quasi non sit Christi Ecclesia quæ in toto terrarũ orbe clamat ad Deum, Dimitte nobis debita nostra. Paruulos etiam negant secundum Adam carnaliter natos, contagium mortis antiquæ prima natiuitate, contrahere. Sic enim eos sine vllo peccati originalis vinculo asserunt nasci, vt prorsus non sit quod de eis oporteat secunda natiuitate dimitti: sed eos propterea baptizari, vt regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei, de bono in melius translati: non ista renouatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti. Nam etiã si nõ baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternã & beatã quandã vitam suã. Ipsum quoq; Adã dicunt etiã si non peccasset, fuisse corpore moriturũ, neque mortuum merito culpæ, sed conditione naturę. Obiiciuntur eis & alia nõnulla: sed ista sunt maximè ex quibus intelliguntur etiã illa vel cuncta, vel penè cuncta pendere. Ecce quàm multas cõmemorauimus hæreses, nec tamen modũ tuæ postulationis impleuimus. Ex quo enim Christiana religio, vt verbis tuis vtar, hæreditatis promissæ nomen accepit, quæ hæreses ortæ sint, quomodo cõmemorare omnes potui, qui omnes nosse non potui? Quod ideo existimo, quia nullus eorũ quorum de hęresi scripta legi, omnes posuit. Quandoquidẽ inueni apud alium, quas apud alium non inueni: & rursus apud istum quas ille nõ posuit. Ego autẽ propterea plures quàm ipsi posui, quia collegi ex omnibus quas omnes apud singulos non inueni. Additis etiã his, quas ipse recolẽs apud vllũ illorũ inuenire nõ potui. Vnde meritò credo nec me posuisse omnes: quia nec omnes qui de hac re scripserũt legere potui, neq; hoc quẽq; eorũ video fecisse quos legi. Postremò etiã si omnes forsitan posui, quod non puto, vtrùm omnes sint vtique nescio. Et ideo quod vis me loquẽte finiri, nõ saltẽ potest me cognoscente comprehendi. Audiui scripsisse de hæresibus sãctum Hieronymum: sed ipsum eius opusculum nec in nostra bibliotheca inuenire potuimus, nec vnde possit accipi scim⁹. Quod si tu scieris, perueniat illud, & forsitan habebis melius aliquid quã hoc nostrum: quãuis nec ipsum, licet hominem doctissimum, omnes hæreses arbitrer indagare potuisse. Et certè Abeloitas nostrę regionis hęreticos, quãtum existimo, ille nescivit. Sic fortè & alibi alios in obscurissimis locis reconditos, eiusque notitiã ipsa locorum obscuritate fugientes. Iã verò illud quod habẽt tuæ literæ, vt omnia omnino dicamus, quibus hæretici à veritate dissentiunt, etiam si omnia scirem, facere non possum: quantò minus possim qui omnia scire non possum? Sunt enim hæretici, quod fatendum est, qui singulis vel non multò amplius dogmatibus oppugnant regulam veritatis, sicut Macedoniani vel Fotiniani, atque alii quicunque ita sese habẽt. Illi autẽ, vt ita dixerim fabulones. i. q fabulas vanas easdẽq; õgas

epist.1 cælest.1

Ioannis6 romano.5 Gala.5

ieron.15

1.Corint.3

Matth.6

gas perplexásque contexerunt, tam multis falsis dogmatibus pleni sunt, vt ipsi quoque illa numerare nō possint, aut difficillimè possint. Nec vlli alieno vlla hęresis facilè sic innotescit vt suis : vnde nec earū quas cōmemoraui omnia dogmata me dixisse vel didicisse profiteor. Quis enim non videat quantam res ista operam & quàm multas literas flagitet? Nec ideo tamen parum prodest errores istos, quos huic operi intexui, lectos cognitósque vitare. Quid enim contra ista sentiat catholica Ecclesia, quod à me dicendum putasti, superfluò quæritur: cùm propter hoc scire sufficiat, eam contra ista sentire, nec aliquid horum in fidē quē quam debere recipere. Quomodo autem quæ contra hæc veritas habet, asserenda vel defendenda sint, modulū operis huius excedit. Sed multum adiuuat cor fidele, nosse quid credendum non sit, etiam si disputandi facultate id refutare non possit. Omnis itaque Christian⁹ catholicus ista non debet credere: sed non omnis qui ista non credit, cōsequenter debet se Christianum catholicum iam putare vel dicere. Possunt enim & hæreses alię, quæ in hoc opere nostro commemoratæ non sunt, vel esse vel fieri, quarum aliquam quisquis tenuerit, Christianus catholicus non erit. Quid ergo faciat hæreticum deinceps requirendum est, vt cùm hoc Domino adiuuante vitamus, non solùm ea quæ scimus, verūetiam quæ nescimus, siue quæ iā orta sunt, siue quæ adhuc oriri poterunt hæretica venena vitemus. Huius autē sit iam voluminis finis. Quem propterea vobis antequam totum hoc opus perficerem, credidi esse mittendum, vt eum quicunque legeritis, ad id quod restat implendum, quod tā magnum esse cernitis, me orationibus adiuuetis.

DIVI AVRELII AVGVSTINI in Libros Retractationum Prologus.

IAm diu est quod istud facere cogito atque dispono, quod nunc adiuuāte Domino aggredior. Quia differendum esse non arbitror, vt opuscula mea, siue in libris, siue in epistolis, siue in tractatibus, cum quadam iudiciaria seueritate recenseam, & quod me offendit, velut censorio stylo denotem. Neque enim quisquam nisi imprudens, ideo quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit. Sed si dicit non ea debuisse à me dici, quæ postea mihi etiam displicerent: verum dicit, & mecum facit. Eorum quippe reprehensor est, quorum & ego. Neque enim ea reprehēdere deberē, si dicere debuissem. Sed vt volet quisque accipiat hoc quod facio. Me tamen illam Apostolicam
1. Corin. 11 sententiam & in hac re oportuit intueri, vbi
Psal. 10 ait, Si nosipsos iudicaremus, à Domino nō iudicaremur. Illud etiam quod scriptum est, Ex multiloquio non effugies peccatum, terret me plurimum, non quia multa scripsi, vel quia multa etiam quæ dictata nō sunt, tamen à me dicta, conscripta sunt. Absit enim vt multiloquium deputetur, quādo necessaria dicuntur, quanta libet sermonum multitudine ac prolixitate dicātur. Sed istam sententiam Scripturæ sanctæ propterea timeo, quia de tam multis disputationibus meis sine dubio multa colligi possunt, quæ si non falsa, at certè videantur, siue etiam conuincantur non necessaria. Quē verò Christus fidelium suorum non terruit, vbi ait, Omne verbum otiosum quodcunque *Matth. 12* dixerit homo, reddet pro eo rationem in die iudicii? Vnde & eius Apostolus Iacobus, Sit, *Iacob. 1* inquit, omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Et alio loco, Noli- *Iacob. 3* te, inquit, plures magistri fieri fratres mei, sciētes quoniam maius iudicium sumitis: in multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Ego mihi hanc perfectionem nec nunc arrogo, cùm iam sim senex, quantò minus cùm iuuenis cœpiscribere, vel apud populos dicere: tantúmque mihi tributum est, vt vbicunque me præsente loqui opus esset ad populum, rarissimè tacere, atque alios audire permitterer, & esse velox ad audiendū, tardus autē ad loquendum? Restat igitur vt me ipse iudicē sub magistro vno, cuius de offēsionibus meis iudiciū euadere cupio. Magistros autē plures tūc fieri existimo, cū diuersa atq; inter se aduersa sentiūt. Cùm verò idipsum dicūt omnes, & verū dicunt, ab vnius veri magistri magisterio nō recedunt. Offendunt, autē non cùm illius multa dicunt, sed cùm addunt sua. Sic quippe incidunt ex multiloquio in falsiloquium. Scribere autem ista mihi placuit, vt hæc emittam in manus hominum, à quibus ea quæ iam edidi, emēdanda reuocare non possum. Nec illa sanè prætereo, quę catechumenus iam, licet relicta spe, quam terrenam gerebam, sed adhuc secularium literarum inflatus consuetudine scripsi: quia & ipsa exierunt in notitiam describētium atque legentium, & leguntur vtiliter, si nonnullis ignoscatur, vel si non ignoscatur, non tamē inhæreatur erratis. Quapropter quicunque ista lecturi sunt, non me imitentur errantem, sed in melius proficientem. Inueniet enim fortasse quomodo scribendo profecerim, quisquis opuscula mea, ordine quo scripta sunt legerit. Quod vt possit, hoc opere quantum potuero, curabo vt eundem ordinem nouerit.

RETRACTATIONVM LIBER primus.

Contra Academicos Libri tres.

CVm ergo reliquisse vel quæ adeptus fuerā in cupiditatibus huius mundi, vel quæ adipisci volebā, & me ad Christianæ vitæ otiū contulisse, nondū baptizat⁹, cōtra Academicos vel de Academicis primū scripsi, vt argumēta eorū, quę multis ingerūt veri inueniēdi desperationē, & phibēt cuiq

rei assẽtiri, tãquam & omnino aliquid manifestũ certúmque sit approbare sapientẽ, cùm eis omnia videãtur obscura & incerta, ab animo meo, quia & me mouebãt, quãtis possem rationib⁹ amouerẽ. Quod miserãte atque adiuuãte Deo factũ. Sed in eisdẽ trib⁹ libris meis, nõ mihi placet toties me appellasse fortunam: quanuis non aliquam deam voluerim hoc nomine intelligi, sed fortuitum rerum euentum, vel in corporis nostri, vel in externis bonis aut malis. Vnde & illa verba sunt, quæ nulla religio dicere prohibet, fortè, forsitã, fortasse, fortuitõ. Quod tamẽ totum ad Diuinam reuocãdum est prouidentiam. Hoc enim ibi non tacui dicens, Etenim fortasse quæ vulgo fortuna nominatur, occulto quodam ordine regitur, nihilque aliud in rebus casum nominam⁹, nisi cuius ratio & causa secreta est. Dixi quidẽ hoc: veruntamen pœnitet me sic illic nominasse fortunam, cùm videã homines habere in pessima cõsuetudine, vt vbi dici debet, Hoc De⁹ voluit, dicere, hoc voluit fortuna. Quod autẽ quodam loco dixi, Ita comparatũ est, siue pro meritis nostris, siue pro necessitate naturæ, vt Diuinum animum mortalib⁹ inhærentem, ne quaquã philosophiæ portus accipiat, &c. aut nihil duorum horum dicendum fuit, quia etiã sic sensus posset esse integer: aut satis erat dicere, Pro meritis nostris, sicut verum est ex Adã tracta miseria, nec addere, Siue p necessitate naturæ: quãdoquidem naturæ nostræ dura necessitas merito præcedentis iniquitatis exorta est. Itémque illic quod dixi, Nihil omnino colendum esse, totúmque abiiciendum quidquid mortalibus oculis cernitur, quidquid vllus sensus attingit: addenda erant verba, vt diceretur, quidquid mortalis corporis vll⁹ sẽsus attingit. Est enim sensus & mentis. Sed eorum more loquebamur tunc, qui sensum non nisi corporis dicunt, & sensibilia nõ nisi corporalia. Itaque vbicunque sic locutus sum, parum est ambiguitas euitata, nisi apud eos quorum cõsuetudo est locutionis huius. Itẽ dixi, Quid censeas aliud esse beatè viuere, nisi secundum id quod in homine optimum est, viuere? Et quid dixerim in homine esse optimum, paulò pòst explicans, Quis, inquam, dubitauerit, nihil esse aliud hominis optimum, quàm eã partem animi, cui dominanti obtemperare cõuenit cætera quæcũque in homine sunt? Hæc autẽ ne aliam postules definitionem, mens aut ratio dici potest. Hoc quidem verum est. Nam quãtum attinet ad hominis naturã, nihil est in eo melius quàm mens & ratio: sed non secundum ipsam debet viuere, qui beatè vult viuere. Alioquin secundum hominẽ viuit, cùm secundum Deum viuendum sit, vt possit ad beatitudinem peruenire, propter quam consequẽdam, non seipsa debet esse contenta, sed Deo mens nostra subdenda est. Itẽ respõdens ei cũ quo disputabatur, Hic planè, inquã, nõ erras, quod, vt tibi omen sit ad reliqua, libẽter optauerim. Hoc licet non serio, sed ioco dictum sit, nollem tamen eo verbo vti. Omen quippe me legisse non recolo, siue in sacris literis nostris, siue in sermone cuiusquam Ecclesiastici sermonis disputatoris: quanuis abominatio inde sit dicta, quæ in Diuinis libris assiduè reperitur. In secundo autem libro prorsus inepta est & insulsa illa quasi fabula de Philocalia & Philosophia, quòd sint germanæ, & eodẽ parente procreatæ. Aut enim Philocalia, quæ dicitur, nõ nisi in nugis est, & ob hoc Philosophiæ nulla ratione germana. Aut si propterea est hoc nomen honorandum, quia Latinè interpretatum, amorem significat pulchritudinis, & est vera ac sũma sapientiæ pulchritudo, eadem ipsa est in rebus corporalibus atq; summis Philocalia quæ & Philosophia, neq; vllo modo sunt quasi sorores duæ. Alio loco cùm agerem de animo dixi, Securior rediturus in cælum. Iturus autem, quàm rediturus dixissem se curius, propter eos qui putant animos humanos pro meritis peccatorum suorũ de cælo lapsos siue deiectos, in corpora ista detrudi. Sed hoc ego propterea nõ dubitaui dicere, quia ita dixi in cælum, tanquã dicerẽ ad eum qui eius est auctor & conditor, sicut beatus Cyprianus non cunctatus est dicere. Nam cùm corpus è terra, spiritum possideamus è cælo, ipsi terra & cęlũ sumus. Et in libro Ecclesiastæ scriptum est, Spiritus reuertatur ad Deum, qui dedit illum. Quod vtique sic intelligendũ est, vt non resistatur Apostolo dicenti, nõdum natos nihil egisse boni aut mali. Sine controuersia ergo quædam originalis regio beatitudinis animi Deus ipse est. Qui eum non quidem de seipso genuit, sed de nulla re alia condidit, sicut condidit corpus è terra. Nam quòd attinet ad eius originẽ, qua fit vt sit in corpore, vtrũ de illo vno sit qui primùm creatus est, quãdo factus est homo in animam viuam, an semper ita fiant singulis singuli, nec tunc sciebam, nec adhuc scio. In libro tertio, Si quid mihi videatur quæris, inquam, in mente arbitror esse summum hominis bonum. Verius dixissem, in Deo. Ipso enim mens fruitur vt beata sit, tanquam summo bono suo. Nec mihi illud placet quod dixi, Libet deierare per omne Diuinũ. Item quod dixi de Academicis, quia nouerãt verum, cuius simile appellabant verisimile, idque ipsum verisimile appellaui falsum, quod approbant: duas ob causas non rectè dictum est, vel quòd falsum esset, quod aliquo modo esset simile alicuius veri, quia in genere suo & hoc verum est, vel quòd approbant ista falsa, quæ vocabant verisimilia, cùm illi nihil approbarent, & affirmarẽt, nihil approbare sapientem. Sed quia hoc ipsum verisimile etiã probabile nuncupabant: hinc factum est vt hoc de illis dicerem. Laus quoque ipsa qua Platonem vel Platonicos siue Academicos philosophos tantum extuli, quantum impios homines nõ oportuit, nõ immeritò mihi displicuit, præsertim

Libr. 1. contra Academicos cap. 17

Ibidem

Ibidem

Lib. 1. cap. 2

Lib. 1. cap. 4.

Libr. 2. cap. 9 Li. 1. de lib. ar. Cap. 12

Eccle. 12

Lib. 3. ca. 12

cap. 16

cap. 17, & 19

Lib. 3. cap. 17

sertim contra quorum errores magnos defen-
Libro 3. Cap. 20 denda est Christiana doctrina. Illud etiã quod in comparatione argumentorum Ciceronis, quibus in libris suis Academicis vsus est, meas nugas esse dixi, quibus argumenta illa certissima ratione refutaui: quanuis iocando dictum sit, & magis ironia videatur, non debuit tamen dici. Hoc opus sic incipit, O vtinã Romaniane, hominem sibi aptum.

De beata vita Liber vnus.

2 LIbrum de beata vita, non post libros de Academicis, sed inter illos vt scriberem contigit. Ex occasione quippe ortus est diei natalis mei, & tridui disputatione completus, sicut ipse satis indicat. In quo libro constitit inter nos, qui simul quærebamus, non esse beatã vitam, nisi perfectã cognitionem Dei. Displicet tamẽ illic, quòd Manlio Theodoro, ad quẽ
De beata vita in præfatione librum ipsum scripsi, quãuis docto & Christiano viro, plus tribui quàm deberem. Et quòd fortunam etiam illic sæpe nominaui. Et quòd tempore vitæ huius in solo animo sapientis dixi habitare vitam beatam, quomodolibet se habeat corpus eius, cùm perfectam cognitionem Dei, hoc est, qua homini maior esse non possit, in futura vita speret Apostolus, quæ sola beata vita dicenda est, vbi & corpus incorruptibile atque immortale, spiritui suo sine vlla molestia vel reluctatione subdetur. Sanè istum librum in nostro codice interruptum reperi, & nõ parũ minus habere, & sic à fratrib⁹ quibusdam descriptus est: nec adhuc apud aliquem integrum inueneram, ex quo emendarem, quando hæc retractaui. Hic liber sic incipit, Si ad Philosophiæ portum.

De ordine Libri duo.

3 PEr idem tempus inter illos qui de Academicis scripti sunt, duos etiam libros de or-
Libro 2. de ordine, cap. 7 dine scripsi, in quibus magna quæstio versatur, vtrùm omnia bona & mala Diuinæ prouidentiæ ordo contineat. Sed cùm rem viderem
Cap. 11 ad intelligendum difficilẽ, satis ægrè ad eorũ perceptionem cum quibus agebam disputãdo
Cap. 8 posse perduci, de ordine studendi loqui malui, quo à corporalib⁹ ad incorporalia potest proficI. Verùm & in his libris displicet mihi sæpe interpositum fortunæ vocabulum. Et quòd
Cap. 14 non addebam, Corporis, quando sensus hominis nominaui. Et quòd multum tribui liberalibus disciplinis, quas multi Sãcti nesciũt, quidam autem qui sciunt eas, Sancti non sunt. Et
Cap. 3 quòd Musas quasi aliquas deas, quanuis iocando commemoraui. Et quòd admirationem vitium nuncupaui. Et quòd Philosophos nõ vera pietate præditos, dixi virtutis luce fulsisse. Et quòd duos mundos, vnum sensibilem, alterum intelligibilem, non ex Platonis vel ex Platonicorum persona, sed ex mea sic commendaui, tanquam hoc etiam Dominus significare
ioann. 19 voluerit, quia non ait, Regnum meum non est de mundo, sed Regnum meum non est de hoc mundo: cùm possit & alia locutione dictum in ueniri. Et si alius à Domino Christo significatus est mũdus, ille cõgruentius possit intelligi, in quo erit cælum nouũ & terra noua, quando complebitur quod oramus, dicentes, Adue
Matt. 6 niat regnum tuum. Nec Plato quidem in hoc errauit, quia esse mũdum intelligibilem dixit, si non vocabulum quod Ecclesiasticæ consuetudini in re illa non vsitatum est, sed ipsam rẽ velimus attendere. Mũdum quippe ille intelligibilem nuncupauit ipsam rationẽ sempiternam atque incommutabilem, qua fecit Deus mundum. Quam qui esse negat, sequitur vt dicat, irrationabiliter Deũ fecisse quod fecit: aut cùm faceret vel antequam faceret, nescisse quid faceret, si apud eum faciendi ratio non erat. Si verò erat, sicut erat, ipsam videtur Plato vocasse intelligibilem mundum. Nec tamẽ isto nomine nos vteremur, si iam satis essemus literis Ecclesiasticis eruditi. Nec illud mihi
Lib 2. cap. 20 placet, quòd cùm dixissem, Summa opera danda est optimis moribus, mox addidi, Deus enim noster aliter nos exaudire nõ poterit. Bene autẽ viuentes facillime exaudiet. Sic enim dictum est tanquam Deus non exaudiat peccatores, quod quidam dixit in Euangelio: sed il-
Cap. 20 le qui nondũ cognouerat Christũ, à quo fuerat iam illuminatus in corpore. Nec illud placet mihi quòd Pythagoræ Philosopho tan-
ioann 9 tũ laudis dedi, vt qui hanc legit vel audit, possit putare me credidisse nullos errores in Pythagorica esse doctrina, cùm sint plures, iidémque capitales. Hoc opus sic incipit, Ordinem rerum Zenobi.

Soliloquiorum Libri duo.

4 INter hæc scripsi etiam duo volumina secundũ studium meum & amorẽ, ratione indagandæ veritatis, de his rebus quas maxime scire cupiebam, me interrrogans, mihiq; respondens, tanquam duo essemus, ratio & ego,
Libr. 1. cap. 7 cùm solus essem. Vnde hoc opus soliloquia nominaui, sed imperfectum remansit. Ita tamen vt in primo libro quæreretur, & vtcunq; appareret qualis esse debeat, qui vult percipere sapientiam, quæ vtique non sensu corporis, sed
cap. 15 mente percipitur. Et ex quadam ratiocinatione in fine libri colligitur, ea quæ vera sunt immortalia esse. In secundo autem de immortalitate animæ diu res agitur, & non peragitur. In his sanè libris nõ approbo, quod in oratione
Cap. 1. dixi, Deus qui nisi mũdos verũ scire noluisti. Respõderi enim potest, multos etiã non mundos multa scire vera. Neque enim definitũ hìc quid sit verũ, quod nisi mundi scire non possint, & quid sit scire. Et illud quod ibi positum
ibidem est, Deus cuius regnum est totus mundus, quẽ sensus ignorat. Si Deus intelligendus, addenda fuerãt verba vt diceretur, quẽ mortalis corporis sensus ignorat. Si autẽ mũdus dictus est
Apoc. 21 quẽ sensus ignorat, ille rectè intelligitur. q futur⁹ est in cælo nouo & terra noua. Sed etiam hìc addenda erãt illa verba, vt diceretur, mortalis corporis sensus. Sed illo more adhuc lo-

quebar,quo sensus propriè corporis appellatur. Nec assiduè repetendum est,quod & superius inde iam dixi:sed hoc recolendum, vbicunque ista locutio in meis literis inuenitur. Et vbi dixi de Patre & Filio, Qui gignit, & quem gignit,vnum est: dicendum fuit, vnum sunt, sicut apertè ipsa veritas loquitur dicens, Ego & Pater vnum sumus. Nec illud mihi placet,quòd in ista vita Deo intellecto iam beatã esse animam dixi,nisi fortè spe. Item quod dixi,Ad sapientiæ cognitionem non vna via perueniri,nõ bene sonat,quasi sit alia prꝛter Christum,qui dixit, Ego sum via. Vitanda ergo erat liçe offensio auriũ religiosarũ,quanuis alia sit illa vniuersalis via, aliæ autem viæ de quibus in Psalmo canimus, Vias tuas Domine notas fac mihi, & semitas tuas doce me. Et in eo quod ibi dictum est,Penitus esse ista sensibilia fugienda, cauendum fuit ne putaremur illam Porphyrii falsi philosophi tenere sententiam, qua dixit, Omne corpus esse fugiendum. Non autem dixi ego omnia sensibilia,sed ista, hoc est,corruptibilia. Sed hoc potius dicendum fuit. Non autem talia sensibilia futura sunt in futuri seculi cælo nouo & terra noua. Itẽ quodam loco dixi, quòd in disciplinis liberalibus eruditi, sine dubio in se illas obliuione obrutas eruunt discendo, & quodã modo refodiũt. Sed hoc quoq; improbo. Credibilius est enim propterea vera relpõdere de quibusdam disciplinis,etiã imperitos earũ,quãdo beneinterrogantur,quia præsens est eis, quãtum id capere possunt,lumẽ rationis internæ, vbi hæc immutabilia vera conspiciunt: non quia ea nouerãt aliquando & obliti sunt,quod Platoni vel talibus visum est. Cõtra quorum opinionẽ quãta pro suscepto opere dabatur occasio, in libro duodecimo de Trinitate disserui. Hoc opus sic incipit, Voluenti mihi multa ac varia mecum.

1. soliloquiorũ cap. prima

1. soliloquiorũ cap.7

ioan.10

1. soliloquiorũ cap.13

ioan.14

psalmo 24

1. soliloquiorũ cap 14

2. soliloquiorũ 20

cap.15

De *immortalitate animæ* Liber vnus

5 POst libros soliloquiorum,iam de agro Mediolanum reuersus,scripsi librũ de immortalitate animæ,quem mihi quasi commonitorium esse volueram propter soliloquia terminanda,quæ imperfecta remanserãt. Sed nescio quomodo me inuito exiit in manus hominum,& inter mea opuscula nominatur. Qui primò ratiocinatione, contorsione,atque breuitate sic obscurus est, vt fatiget cùm legitur etiam intentionem meam, víxque intelligatur à meipso. Deinde cogitans nihil aliud quã animos hominum, in quadam argumentatione eiusdẽ libri dixi, Nec esse in eo quod nihil discit disciplina potest. Item quod alio loco dixi, Nec vllam rem scientia complectitur, nisi quæ ad aliquam pertinet disciplinam: nec venit in mẽtem Deum non discere disciplinam, sed habere omnium rerum scientiam, in qua etiam præscientia est futurorum. Tale est & illud quod ibi dictum est, Non esse vitam cum rationẽ vlli nisi animæ. Neque enim Deo sine ratione vita est,cùm apud eum & summa vita & summa sit ratio. Et illud quod aliquando superius dixi,Id quod intelligitur eiusmodi esse semper,cùm intelligatur & animus,qui vtique non eiusmodi est semper. Quod verò dixi, Animum propterea non posse ab æterna ratione separari,quia non ei localiter iungitur,profectò non dixissem,si iã tunc essem literis sacris ita eruditus, vt recolerem quod scriptum est, Peccata vestra separant inter vos & Deũ. Vnde intelligi datur etiam earũ rerum posse dici separationem,quæ non locis,sed incorporaliter iunctæ fuerant. Quid sit etiam quod dixi, Anima si caret corpore,in hoc mundo nõ est. Non potui mortuos recordari. Nunquid enim animæ mortuorum,aut non carent corpore, aut in hoc mundo non sunt? Quasi verò inferi non sint in hoc mundo. Sed quia carere corpore in bono posui,fortasse nomine corporis pestes corporeas appellaui. Quòd si ita est, nimis insolenter verbo vsus sum. Illud quoq; temerè dictum est, A summa essentia speciem corpori per animam tribui, qua est inquantũcũque est. Per animam ergo corpus subsistit, & eoipso est quo animatur, siue vniuersaliter vt mundus, siue particulariter, vt vnunquodque animal intra mundum. Hoc totum prorsus temerè dictum est. Hic liber sic incipit, Si alicubi est disciplina.

De immortalitate animæ cap.1

Cap.4

Cap.2

Cap.6

Esa.59

Cap.13

Cap.19

De *libris disciplinarum* Libri sex.

6 PEr idem tempus quo Mediolani fui Baptismum percepturus,etiam disciplinarum libros conatus sum scribere,interrogãs eos qui mecum erant,atque ab huiusmodi studiis non abhorrebant,per corporalia cupiens ad incorporalia quibusdã quasi passibus certis vel peruenire vel duci. Sed earum solùm de grammatica librum absoluere potui,quem postea de armario nostro perdidi,& de musica sex volumina,quantùm attinet ad eam partem quæ Rithmus vocatur. Sed eosdem sex libros iam baptizat",iamque ex Italia regressus, in Africa scripsi. Inchoaueram quippe tantummodo istam apud Mediolanum disciplinam. De aliis verò quinq; disciplinis illic similiter inchoatis, de dialectica, de rhetorica, de geometria, de arithmetica, de philosophia, sola principia remãserunt: quæ tamen etiam ipsa perdidimus: sed haberi ab aliquibus existimo. Hoc opus sic incipit, Omnia nomina tredecim.

De *moribus Ecclesiæ catholicæ, & de moribus Manichæorum* Libri duo.

7 IAm baptizatus autem cùm Romæ essem, nec ferre tacitus possem Manichæorũ iactantiam,de falsa & fallaci continentia vel abstinentia,qua se ad imperitos decipiendos veris Christianis,quibus comparandi non sunt, insuper præferunt, scripsi duos libros, vnum de moribus Ecclesiæ catholicæ,alterum de moribus Manichæorum. In eo igitur qui est de

moribus

moribus Ecclesiæ catholicæ, vbi posui testimonium in quo legitur, Propter te afficimur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis: mendositas nostri codicis me fefellit, minus memorem Scripturarum, in quibus nondum assuetus eram. Nam eiusdem interpretationis alii codices nō habēt, Propter te afficimur, sed Propter te morte afficimur, quod vno verbo alii dixerunt mortificamur. Hoc esse verius Græci libri indicāt, ex qua lingua in Latinam secundum Septuaginta interpretes, veterum diuinarum Scripturarum est facta translatio: & tamen secundum hæc verba, id est, propter te afficimur, multa disputans dixi, quæ in ipsis rebus non tanquam falsa improbo, veruntamen conuenientiam Scripturarum veterum & nouarum, quam demonstrare cupiebam, ex his duntaxat verbis non vtique demonstraui. Vnde autem mihi error obrepserit, dixi, & aliis testimoniis eandem conuenientiam sufficienter ostendi. Similiter & paulò pòst testimonium posui de libro Sapientiæ, secundum codicem nostrum, in quo scriptum erat, Sobrietatem enim sapientia docet, & iustitiam, & virtutem. Et secundum hæc verba differui res quidem veras, sed ex occasione mendositatis inuētas. Quid enim verius, quàm quòd Sapientia doceat virtutem contemplationis, quam nomine sobrietatis significatam putaui, & actionis probitatem, quam per duo alia intelligi volui, per iustitiam atque virtutem: cùm codices eiusdem interpretationis veriores habeāt, Sobrietatem enim & sapientiam docet, & iustitiam & virtutem? His enim nominibus Latinus interpres quatuor illas virtutes, quę maximè in ore philosophorum esse assolent, nominauit, sobrietatem appellās temperantiam, & prudentiæ imponens nomen sapientiam, fortitudinem verò virtutis vocabulo enuntians, solam iustitiam suo nomine interpretatus est. Has autem quatuor virtutes in eodem libro Sapiētiæ suis nominibus appellatas, sicut à Græcis vocantur, longè postea reperimus in codicib⁹ Græcis. Item quod posui de libro Salomonis, Vanitas vanitatum dixit Ecclesiastes, in multis quidem codicibus legi, sed hoc Græcus nō habet. Habet autem, Vanitas vanitantium, quod postea vidi, & inueni eos Latinis esse veriores, qui habent vanitantium, non vanitatum. Ex occasione tamen huius mē dositatis quæcunque differui, vera esse in ipsis rebus apparent. Quòd autem dixi, Eumipsum quem cognoscere volumus, hoc est, Deum prius plena charitate diligamus, melius diceretur syncera quàm plena. Nisi fortè putaretur charitatem Dei non futuram esse maiorem, quando videbimus eum facie ad faciem. Sic itaque hoc accipiatur, tanquam plena dicta sit, qua maior esse non possit, quādiu ambulamus per fidem. Erit enim plenior, imò plenissima, scilicet per speciem. Item quod dixi de iis qui subueniunt indigentibus, quia misericordes

Psalm.43 Roma.8 De moribus Eccle. ca.9

Sapie. 8 De moribus eccle. ca 16

Tullius li.1 Officiorum.

eccles. 1 De moribus Eccle. ca. 21

De moribus eccle. ca.25 infine. 1.Cor. 13

2.Corin.5 De moribus eccle. ca. 27

vocantur, etiam si sapientes vsqueadeo sint, vt iam nullo animi dolore turbentur: non sic accipiendum est, tanquam definierim in hac vita esse tales sapiētes. Nō enim dixi, Cùm sint, sed dixi, Etiam si sint. Alio loco vbi dixi, Iam verò cùm hæc humana dilectio inhærentem vberibus tuis nutriuerit & roborauerit animū, sequendo Deum factus idoneus, vbi eius maiestas ex tanta parte, quanta homini, dum terrę huius inhabitator est, sufficit, aperire se cœperit: tantus charitatis ardor innascitur, & tā tum Diuini amoris consurgit incendium, vt exustis omnibus vitiis, & homine purgato atque sanctificato, satis appareat, quàm diuinè dictum sit, Ego sum ignis consumens. Possunt putare Pelagiani, istam perfectionē in hac mortali vita me dixisse posse contingere. Sed non hæc putent. Ardor quippe charitatis sequēdo Deum factus idoneus, & tam magnus, vt vitia cuncta consumat, in hac vita nasci & crescere potest: perficere verò propter quod nascitur, vt nullum insit homini vitium, non cōsequenter hìc potest. Quanuis tanta ista res eodem ardore charitatis perficiatur, vt perficiat quando perfici potest, vt quemadmodum lauacrum regenerationis purgat à reatu omnium peccatorum, quæ humana traxit natiuitas, & cōtraxit iniquitas: ita illa perfectio purget ab omni labe vitiorum, sine quibus esse non potest humana in hoc seculo infirmitas. Sicut accipiendum est etiam quod ait Apostolus, Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, mūdans eam lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi. Hoc est enim lauacrū aquę in verbo, quo mundatur Ecclesia. Sed cùm tota dicat Ecclesia quandiu hìc est, Dimitte nobis debita nostra, non vtique hìc est sine macula & ruga, aut aliquid eiusmodi. Ex eo tamen quod hìc accipit, ad illam gloriam, quæ hìc non est, perfectionē que perducitur. In alio libro cuius est titulus De moribus Manichæorum, illud quod dixi, Dei bonitas omnia deficientia sic ordinat, vt ibi sint vbi congruentissimè possunt esse, donec ordinatis motib⁹ ad id recurrant, vnde defecerūt: non sic accipiendum est tanquam omnia recurrant ad id vnde defecerunt, sicut Origeni visum est: sed ea omnia quæ recurrunt. Nō enim recurrēt ad Deum à quo defecerūt, qui sempiterno igne punientur, quanuis omnia deficientia sic ordinētur, vt ibi sint, vbi cōgruentissimè possunt esse: quia & illi qui non recurrunt, congruētissimè in pœna sunt. Alio loco, Nemo ferè, inquā, de scarabeis dubitat, quin de fimo in pilam rotundato ab his atque obruto existāt: cùm hoc vtrùm verū sit multi dubitent, multi nec audiuerint quidē. Hoc opus sic incipit. In aliis libris satis opinor.

Demoribus ecc. ca. 30

Deut. 4. Hebr. 12

ephes. 5

Matth. 6

De moribus Manichæo. Cap. 7

Cap. 17

De animæ quantitate, Liber vnus.

IN eadem vrbe scripsi Dialogum, in quo de anima multa quæruntur ac differuntur, id

est, vnde sit, qualis sit, quãta sit, cur corpori fuerit data: cùm ad corpus venerit qualis efficiatur, qualis cùm abscesserit. Sed quoniã quanta sit diligentissimè ac subtilissimè disputatum est, vt eam si possemus ostenderemus corporalis quantitatis non esse, & tamen magnum aliquid esse, ex hac vna inquisitione totus liber nomẽ accepit, vt appellaretur, De animæ quã
Cap. 2 titate. In quo libro illud quod dixi, Omnes artes animam secum attulisse mihi videri, nec aliud quidquam esse id quod dicitur discere, quàm reminisci ac recordari: non sic accipiendum est, quasi ex hoc approbetur anima, vel hìc in alio corpore, vel alibi siue in corpore siue extra corpus aliquando vixisse, & ea quæ interrogata respõdet, cùm hìc non didicerit, in alia vita antè didicisse. Fieri enim potest, sicut iam in hoc opere suprà diximus, vt hoc ideo posit, quia natura intelligibilis est, & connectitur, non solùm intelligibilibus, verumetiam immutabilibus rebus. Eo ordine facta est, vt cùm se ad eas res mouet, quibus connexa est, vel ad seipsam, inquantum eas videt, intantũ de his vera respondeat. Nec sanè omnes artes eo modo secum attulit, ac secum habet. Nam de artibus quæ ad sensus corporis pertinent, sicut multa medicinæ, sicut astrologiæ omnia, nisi quod hìc didicerit, nõ potest dicere. Ea verò quæ sola intelligẽtia capit, propter id quod dixi, cùm vel à seipsa vel ab alio fuerit bene interrogata, & recordata respondet. Alio loco,
Cap. 28 Vellem, inquam, hinc plura dicere, ac meipsũ constringere, dum quasi tibi præcipio, vt nihil aliud agerem, quàm redderer mihi, cui me maximè debeo. Vbi videor dicere potius debuisse, Redderer Deo, cui me maximè debeo. Sed quoniam prius sibi ipse homo reddendus est, vt illi quasi gradu facto inde surgat atq; attollatur ad Deum, sicut filius ille minor prius reuersus est ad semetipsum, & tunc ait, Surgam & ibo ad patrem meum, ideo sic sum locutus. Denique mox addidi, Atque ideo Deo fieri amicum mancipium Domino. Quod ergo dixi, Cui me maximè debeo, ad homines retuli. Magis enim mihi me debeo, quàm hominibus cæteris: quanuis Deo magis quàm mihi. Hic liber sic incipit, Quoniã video te abũdare otio.

De libero arbitrio Libritres.

9 CVm adhuc Romæ remoraremur, voluimus disputãdo quærere, vnde sit malum. Et eo modo disputauimus, vt si possemus id quod de hac re Diuinæ auctoritati subditi credebam⁹, etiam ad intelligentiã nostram, quantum differendo opitulante Deo agere possumus, ratio consyderata & tractata perduceret. Et quoniã constitit inter nos diligẽter ratione discussa, malum non exortum nisi ex libero voluntatis arbitrio, tres libri quos eadem disputatio peperit, appellati sunt de libero arbitrio. Quorum secundum & tertium in Africa iam etiam Hippone regio Presbyter ordinatus, sicut tunc potui terminaui. In his libris ita multa differta sunt, vt incidentes nõnullæ quæstiones, quas vel enodare non poteram, vel lõgam sermocinationẽ in præsenti requirebãt, ita differrẽtur, vt ex vtraque parte, vel ex omnibus earundem quæstionum partibus, in quibus non apparebat quid potius congrueret veritati: ad hoc tamen ratiocinatio nostra concluderetur, vt quodlibet eorum verum esset, laudandus crederetur Deus, vel etiam ostenderetur. Propter eos quippe disputatio illa suscepta est, qui negant ex libero voluntatis arbitrio mali originem duci, & Deum, si ita est, Creatorem omnium naturarum culpandum esse contendunt, eo modo volentes secundum suæ impietatis errorem (Manichęi enim sunt) immutabilem quandam & Deo coæternam inducere mali naturam. De gratia verò Dei, qua suos electos sic prædestinauit, vt eorum qui iam in eis vtuntur libero arbitrio, ipse iam voluntates præparet: nihil in his libris disputatum est propter hãc propositam quæstionem, Vbi autem incidit locus vt huius gratiæ fieret commemoratio, transeunter commemorata est, non quasi inde ageretur operosa ratiocinatione defensa. Aliud est enim quærere vnde sit malum, & aliud est quærere vnde redeatur ad pristinũ, vel ad maius perueniatur bonum. Quapropter noui hæretici Pelagiani, qui liberum sic asserunt voluntatis arbitrium vt gratiæ Dei non relinquant locum (quando quidem eam secundum merita nostra dari asserunt) non se extollãt, quasi eorum egerim causam, quia multa in his libris dixi pro libero arbitrio, quæ illi⁹ disputationis causa poscebat. Dixi quippe in libro primo, Malefacta iustitia Dei vindicari. Et addidi, Non enim iustè
1. De Libero arbitrio, Cap. 1 vindicarentur, nisi fierent voluntate. Item, Cùm ipsam volũtatem bonam tam magnum bonum esse monstrarẽ, vt omnibus corporeis & externis bonis meritò anteponerem, dixi,
Cap. 12 Vides igitur iam, vt existimo, in voluntate nostra esse constitutum, vt hoc vel fruamur, vel careamus tanto & tam vero bono. Quid enim tam in voluntate, quàm ipsa voluntas sita est? Et alio loco, Quid ergo causæ est, inquam, cur dubitãdum putemus, etiamsi nunquam antea sapientes fuimus, voluntate nos tamen laudabilem & beatam vitam, voluntate turpẽ ac miseram mereri degere? Item alio loco, Ex quo
Cap. 13. cõficitur, inquam, vt quisquis rectè honestèq; vult viuere, si id se velle præ fugacibus rebus velit, assequatur rãtam rem tanta facilitate, vt nihil aliud ei quàm ipsũ velle sit habere quod voluit. Item quæ alibi dixi, Hæc enim æterna
Cap. 14 Lex illa, ad cuius considerationem redire iam tempus est, incommutabili stabilitate firmauit, vt in voluntate meritum sit, in beatitate autem & miseria, præmium atque supplicium.
Cap. 16 Et alio loco, Quid, inquam, quisque sectandum & amplectandum eligat, in voluntate esse positum constitit. Et in libro secundo, Ho-
Secundo de Lib. ar. Cap. 1 mo enim ipse, inquam, inquantum homo est,

aliquod

aliquod bonum est, quia rectè viuere cùm vult
Lib. 2, Cap. 18 potest. Et alio loco dixi rectè fieri non posse, nisi in eodem libero voluntatis arbitrio. Et
Lib. 3, Cap. 1 in Libro tertio, Quid, inquam, opus est quæri vnde iste motus existat, quo voluntas auertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum, cùm eum non nisi animi, & voluntarium, & ob hoc culpabilem esse fateamur, omnisque de hac re disciplina vtilis ad id valeat, vt eo motu improbato atque cohibito, voluntatem nostram ad perfruēdum sempiterno bono, à lapsu temporalium conuertamus? Et alio
Cap. 3 loco, Optimè, inquam, de te veritas clamat. Non enim possum aliud sentire esse in potesta te nostra, nisi quod cùm volumus facimus. Quapropter nihil tā in nostra potestate, quā ipsa volūtas est. Ea enim prorsus nullo interuallo mox vt volumus præsto est. Item alio lo-
Cap. 16 co, Si enim tu laudaris, inquam, videndo quid facere debeas, cùm id non videas, nisi in illo qui est incommutabilis veritas, quantò magis ille qui & velle præcepit, & posse præbuit, & non impunè nolle permisit? Deinde subiunxit dicens, Si enim hoc debet quisque quod accepit, & sic homo factus est vt necessario peccet. hoc debet vt peccet. Cùm ergo peccat, quod debet facit. Quod si scel⁹ est dicere, neminem cogit natura sua vt peccet. Et iterum, Quæ tā-
Cap. 17 dem esse poterit, inquam, ante volūtatem causa voluntatis? Aut enim & ipsa voluntas est, & à radice ista voluntatis non receditur, aut non est volūtas, & peccatum nullum habet. Aut igitur voluntas est prima causa peccādi, aut nullum peccatum est prima causa peccandi. Nec est cui rectè imputetur peccatum, nisi peccāti. Non ergo est cui rectè imputetur peccatum ni
Cap. 18 si volenti. Et paulò pòst, Quis, inquam, peccat in eo quod nullo modo caueri potest? Peccatur autem: caueri igitur potest. Quo testimonio meo in quodam libro suo Pelagius vsus est. Cui libro cùm respondissem, titulum libri mei esse volui, De natura & gratia. In his atq; huiusmodi verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani vel putare possunt, suam nos tenuisse sententiam. Sed frustra hoc putant. Voluntas quippe est, qua & peccatur, & rectè viuitur: quod his verbis egimus. Voluntas ergo ipsa nisi gratia Dei liberetur à seruitute, qua facta est serua peccati, & vt vitia superet, adiuuetur, rectè piéque viui non potest à mortalibus. Et hoc Diuinum beneficiū, quo liberatur, nisi eam præueniret, iam meritis eius daretur, & non esset gratia, quæ vtique gratis datur. Quod in aliis opusculis nostris satis egimus, istos inimicos huius gratiæ nouos hæreticos refellentes. Quāuis & in his libris, qui non contra illos, omnino quippe illi nondum erant, sed contra Manichæos conscripti sunt de libero arbitrio, non omni modo de ista Dei gratia reticuimus, quam nephanda impietate conantur auferre. Diximus quippe in secun-

do libro, non solùm magna, sed etiam minima bona non esse posse, nisi ab illo à quo sunt omnia bona, hoc est Deo. Et paulòpòst, Virtutes, inquam, quibus rectè viuitur, magna bona sunt. Species autem quorūlibet corporū, sine quib⁹ rectè viui potest, minima bona sunt. Potentiæ verò animæ, sine quibus rectè viui non potest, media bona sunt. Virtutibus verò nemo malè vtitur. Cæteris autem bonis, id est, mediis & minimis, non solùm bene, sed etiam malè quisque vti potest. Et ideo virtute nemo malè vtitur, quia opus virtutis est bonus vsus istorum, quibus etiam nō bene vti possumus. Nemo autem bene vtendo malè vtitur. Quare abundantia & magnitudo bonitatis Dei, non solùm magna, sed etia media & minima bona esse præstitit. Magis laudanda est bonitas eius in magnis quàm in mediis, & magis in mediis, quàm in minimis bonis: sed magis in omnibus, quàm si non omnia tribuisset. Et
Cap. 19 alio loco, Tu tantum, inquam, pietatem
Cap. 20 inconcussam tene, vt nullum tibi bonum, vel sentienti, vel intelligenti, vel quoquo modo cogitāti occurrat, quod non sit ex Deo. Item quod alio loco dixi, Sed quoniam non sicut sponte homo cecidit, ita etiam spōte surgere potest: porrectam nobis desuper dexteram Dei, id est, Dominum nostrum Iesum Christum firma fide teneamus. Et in libro tertio, cùm dixissem illud, quod & Pelagium de meis opusculis vsum fuisse commemoraui, Quis enim, inquam, peccat in eo quod nullo modo caueri potest? Peccatur autem: caueri igitur potest: continuo secutus adiunxi, Et tamen etiam per ignorantiam facta quædā improbantur, & corrigenda iudicantur, sicut in Diuinis auctoritatibus legimus. Ait enim Apostolus, Misericordiam dei consecutus sum, 1. Timot. 1
quia ignorans feci. Ait & Propheta, Delicta Psalm. 24
iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Sunt etiam necessitate facta improbanda, vbi vult homo rectè facere & non potest. Nam vnde sunt illæ voces, Non enim quod vo Roma 7.
lo facio bonū, sed quod odi malum, hoc ago? Et illud, Velle adiacet mihi, perficere autem Ibidem
bonum non inuenio. Et illud, Caro concu- Galat. 5
piscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc enim inuicem aduersantur, vt non ea quæ vultis faciatis. Sed hæc omnia hominum sunt, ex illa mortis damnatione venientium. Nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt. Si enim non receditur ab eo modo, quo naturaliter factus est, ita vt melius esse non possit, ea quæ debet facit, cùm hæc facit. Si autem bon⁹ homo esset, aliter esset. Nunc autem quia ita est, non est bonus, nec habet in potestate vt bonus sit, siue non vidēdo qualis esse debeat, siue videndo & non valendo esse, qualem se debere esse videt: pœnam istam esse quis dubitet? Omnis autem pœna si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur. Si autem iniusta

est pœna (quoniã pœnam esse nemo ambigit) iniusto aliquo dominãte, homini imposita est. Porrò quia de omnipotẽtia Dei & iustitia dubitare dementis est, iusta hæc pœna est, & pro peccato aliquo pẽditur. Non enim quisquam iniustus dominator, aut surripere hominẽ potuit velut ignorante Deo, aut extorquere inuito, tanquam inualidiori, vel terrendo vel cõfligendo, vt hominem iniusta pœna cruciaret. Relinquitur ergo vt hæc pœna iusta damnatione hominis veniat. Et alio loco, Approbare, inquam, falsa pro veris, vt erret inuitus, *Lib.2 cap.18* & resistente atque torquente calore carnalis vinculi, non posse à libidinosis operibus tẽperare, nõ est natura instituti hominis, sed pœna damnati: Cùm autem de libera volũtate rectè faciẽdi loquimur, de illa scilicet in qua homo factꝰ est loquimur. Ecce tam lõgè antequã Pelagiana hæresis extitisset, sic disputauimus, velut iam contra illos disputaremus. Cùm enim omnia bona dicerẽtur ex Deo, id est, & magna & media & minima, in mediis quidem bonis inuenitur liberum voluntatis arbitrium, quia & malè illo vti possumus: sed tamen tale est, quòd sine illo rectè viuere nequeamus. Bonus autem vsus eius iam virtus est, quæ in magnis reperitur bonis, quibꝰ malè vti nullus potest. Et quia omnia bona, sicut dictũ est, & magna & media & minima ex Deo sunt, sequitur vt ex Deo sit & bonus vsus liberæ volũtatis, quæ virtus est, & in magnis numeratur bonis. De- *Lib.2.cap.20* inde dictum est, Ex qua miseria peccãtibus iustissimè inflicta, liberet Dei gratia, quia spõte homo, id est, libero arbitrio cadere potuit, nõ etiam surgere. Ad quam miseriam iustæ dãnationis pertinet ignorãtia & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio natiuitatis suæ: nec ab isto malo liberatur quisquam, nisi *Lib.3.cap.2* Dei gratia. Quam miseriã nolũt Pelagiani ex iusta damnatione Dei descendere, negantes originale peccatum, quanuis ignorantia & difficultas, etiam si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpãdus, sed laudãdus esset Deꝰ: sicut in eodem tertio libro disputauimꝰ. Quæ disputatio contra Manichæos habẽda est, qui non accipiũt Scripturas sanctas veteris instrumenti, in quibus peccatum originale narratur, & quidquid inde in literis Apostolicis legitur, detestabili impudentia immissum fuisse cõtendunt à corruptoribus Scripturarum, tãquam non fuerit ab Apostolis dictum. Contra Pelagianos autem hoc defendẽdum est, quòd vtraque Scriptura cõmendat, quã se accipere ꝓfitẽtur. Hoc opus sic incipit, Dic mihi quęso te.

De Genesi aduersus Manichæos, Libri duo.

10 IAm verò in Aphrica constitutus, conscripsi duos libros de Genesi contra Manichæos. Quãuis enim in superioribus libris quidquid disputaui, vnde ostendere Deum sũmè bonum & immutabilem Creatorẽ esse omnium mutabilium naturarũ, nec vllam esse naturã malam siue substantiã, inquantũ natura est atq; substãtia, aduersus Manichæos nostra inuigilaret intentio: isti tamen duo libri apertissimè aduersus eos editi sunt in defensionẽ veteris Legis, quam vehementi studio vesani erroris oppugnant. In primo libro, ab eo quod scriptum est, In principio fecit Deus cælum & terrã, do- *Lib.1.cap.1 Gene.1* nec septẽ peragantur dies, vbi legitur Deus requieuisse in die septimo. In secundo autem ab eo quod scriptum est, Hic liber creaturæ cæli & terræ: donec Adam & mulier eius dimissi sunt de paradiso, & custodia posita est ligno vitæ. Deinde in fine libri, errori Manichæorũ fidem catholicæ veritatis opposui, quid illi dicant, & quid nos dicamus breuiter apertéque *Lib.1.cap.3* complectens. Quod verò dixi, Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credũt. & ab amore visibilium rerum & temporalium se ad eius præcepta implenda cõuertunt, quod omnes homines possunt si velint: nõ existimẽt noui hæretici Pelagiani secundum eos esse dictum. Verum est enim omnino omnes homines hoc posse si velint, sed præparatur voluntas à Domino, & tãtum augetur munere charitatis vt possint. Quod hîc ideo dictum non est, quoniam præsenti non erat necessarium quæstioni. Quòd verò ibi legitur de benedi- *Lib.1.cap.19. Gene.1.* ctione Dei qua dictum est, Crescite & multiplicamini: in carnalem fœcũditatem post peccatum conuersam esse credendam, si non potest alio modo dictum inueniri, nisi vt putẽtur illi homines non habituri fuisse filios homines nisi peccassent, omnino non approbo. Illud e- *Lib.1.cap20.* tiã non est cõsequens, vt ideo intelligatur in allegoria tantũmodo esse accipiẽdum, quòd herbæ virides, & ligna fructifera omni generi bestiarũ, & omnibꝰ auibus & omnibꝰ serpẽtibus in libro Geneseos dantur ad cibũ, quia sunt & *Li.15.de Ciu. Dei,cap.27* quadrupedia & volatilia, quæ solis carnibꝰ viuere videantur. Fieri enim posset vt alerentur ab hominibus etiam de fructibus terræ, si propter obedientiam, qua ipsi homines Deo sine vlla iniquitate seruirent, mererẽtur omnes bestias & aues omni modo habere seruientes. Item mouere potest, quomodo dixerim de populo Israel adhuc corporali circuncisione & sacrificiis, Tãquam in mari gentium populus Legi seruiebat. Quandoquidem apud gentes sacrificare non poterant, sicut eos & nunc videmus sine sacrificiis remansisse, nisi fortè quòd per Pascha immolant ouem, hoc in sacrificiis deputetur. In secũdo etiã libro illud quod po- *Lib.1.cap.23.* *Lib.2.cap.3.* sui, nomine pabuli significari posse vitam, cùm melioris interpretationis codices nõ habeant pabulum, sed fœnum, non satis aptè dictum videtur. Non enim congruit fœni nomini significatio vitę quomodo pabuli. Itẽ videor nõ rectè appellasse verba Prophetica quibꝰ scriptũ est, Quid superbit terra & cinis? quia non in eius libro legitur, quem certi simus appellatũ esse Prophetam. Nec illud Apostoli, vbi adhibet testimonium de Genesi dicens, Factus est

primus

primus homo Adam in animā viuētem, ſicut voluit, intellexi, cùm exponerē quod ſcriptum eſt, Inſufflauit Deus in faciē eius flatum vitę: & factus eſt homo in animam viuam, vel in animam viuētem. Apoſtolus enim ad hoc adhibuit illud teſtimonium, vt probaret corpus eſſe animale: ego autem hinc putaui hoc eſſe mō ſtrandum animalē factum prius hominem, nō
Lib.2.cap.29 corpus hominis ſolùm. Quòd autem dixi, Nulli naturę nocere peccata niſi ſua: ideo dixi, quoniam iuſto qui nocet, non ei verè nocet, quādoquidem etiam mercedem eiº auget in cælis: ſibi autem peccando verè nocet, quia propter ipſam voluntatem nocendi, recipiet id quod nocuit. Poſſunt ſanè Pelagiani ad ſuum dogma trahere iſtam ſentētiam, & ideo dicere paruulis aliena non nocuiſſe peccata, quia dixi, nulli naturę nocere peccata niſi ſua, non intuentes ideo paruulos, qui vtique pertinent ad humanam naturam, trahere originale peccatum, quia in primis hominibus natura humana peccauit, ac per hoc naturæ humanæ nulla nocere peccata niſi ſua. Per vnum quippe hominem, in quo omnes peccauerunt, peccatum intrauit in mundum. Non enim nulli homini, ſed nulli naturæ dixi peccata nocere niſi ſua. Item in eo quod paulò pòſt dixi, Nullum eſſe malum naturale, poſſunt quærere ſimilem latebram, niſi hoc dictum ad naturam talem referatur, qualis ſine vitio primitus condita eſt. Ipſa enim verè ac propriè natura hominis dicitur. Tranſlato autem verbo vtimur, vt naturā dicamus etiam qualis naſcitur homo. Secundum quā locutionem dixit Apoſtolº, Fuimus enim & nos aliquando natura filii iræ, ſicut & cæteri. Hoc opus ſic incipit, Si eligerent Manichæi quos deciperent.

De muſica, Libri ſex

11 DEinde vt ſuprà cōmemoraui, ſex libros de muſica ſcripſi, quorum ipſe ſextus maximè innotuit, quoniam in eo res cognitione digna verſatur, quo modo à corporalibus & ſpiritalibus, ſed mutabilibus numeris perueniatur ad immutabiles numeros, qui iam in ipſa ſunt immutabili veritate, & ſic inuiſibilia Dei, per ea quę facta ſunt intellecta cōſpiciantur. Quod qui nō poſſunt, & tamen ex fide Chriſti viuunt, ad illa certius atque felicius cō ſpicienda poſt hanc vitam veniunt. Quid autē poſſunt ſi deſit eis fides Chriſti, qua vnus Mediator eſt Dei & hominum? cum tota ſapiētia
Lib.6.cap.4 ſua pereunt. In hoc libro illud quod dixi, Corpora enim tantò meliora ſunt, quantò numeroſiora talibus numeris: anima verò iſtis, quæ per corpus accepit, carendo fit melior, cùm ſeſe auertit à carnalibus ſenſibus, & Diuinis ſapientiæ numeris reformatur: non ſic accipiendum eſt, quaſi non ſint futuri numeri corporales in corporibº incorruptibilibus & ſpiritalibus, cùm multò ſpecioſiora & decētiora futura ſint, aut anima eos ſenſura non ſit, quando erit optima, quemadmodum hìc eis carēdo fit melior. Hìc enim opus habet auertere ſe à carnalibus ſenſibus ad intelligibilia capienda, quia infirma eſt, & minus idonea vtriſq; ſimul adhibere intētionem ſuam. Et in his corporalibus nunc illecebra cauenda eſt, quandiu anima illici ad delectationem turpem poteſt. Tūc autem tam firma erit atq; perfecta, vt numeris corporalibus nō auertatur à contēplatione ſapiētiæ, & ita ſentiat eos, vt nō illiciatur ab eis, nec eis carēdo fiat melior: ſed ita ſit bona & recta, vt nec latere poſsint eam nec occupare. Item quòd dixi, Hæc autem ſanitas tunc firmiſ- Lib.6.cap.5
ſima erit atq; certiſsima, cùm priſtinæ ſtabilitati certo ſuo tempore atq; ordine hoc corpus fuerit reſtitutum: non ita dictum putetur, quaſi non ſint futura per reſurrectionem corpora meliora, quàm primorum hominum in paradiſo fuerunt, cùm illa iam nō ſint alēda corporalibus alimēntis quibus alebātur iſta: ſed priſtina ſtabilitas hactenus accipienda eſt, quatenus ægritudinē ita nullā corpora illa patientur, ſicut nec iſta pati poſſent ante peccatū. Alio loco, Laboriоſior eſt, inquam, huius mūdi amor. Cap.14
Quod enim anima in illo quęrit, conſtantiā ſcilicet, æternitatémq; non inuenit, quoniā rerū tranſitu cōpletur infima pulchritudo, & quòd in illa imitatur conſtantiā, à ſummo Deo per animam traiicitur: quoniā prior eſt ſpecies, tantūmodo tēpore cōmutabilis, quàm eſt ea quæ & tēpore & locis. Hęc verba ſi eo modo accipi poſſent, vt non intelligatur infima pulchritudo niſi in corporibus hominum, omniúmq; animalium, quæ cum ſenſu corporis viuunt, ratio manifeſta defendit. Hoc quippe in ea pulchritudine imitatur conſtantiā, quòd in cōpage ſua manēt eadē corpora, inquantū manēt. Id autem à ſummo Deo in eam per animā traiicitur. Anima quippe ipſā cōpagem tenet ne diſſoluatur & defluat: quod videmus in corporibus animalium anima diſcedente cōtingere. Si autē infima pulchritudo in omnibus corporibus intelligatur, cogit iſta ſentētia etiam ipſum mundū animal credere, vt etiā in ipſum quod in illo imitatur conſtantiā, à ſūmo Deo traiiciatur. Sed animal eſſe iſtum mundū, ſicut Plato ſenſit aliíq; philoſophi quàm plurimi, nec ratione certa indagare potui, nec diuinarū Scripturarum auctoritate perſuaderi poſſe cognoui: vnde tale aliquid àme dictū, quo id accipi poſsit, etiam in libro De immortalitate animę temerè dictū notaui. Non quia hoc falſum Cap.15
eſſe confirmo, ſed quia nec verum eſſe comprehendo, quòd ſit animal mundus. Hoc ſanè inconcuſsè retinēdum eſſe nō dubito, Deum nobis non eſſe iſtum mundum, ſiue anima eius vlla, ſiue nulla ſit. Quia ſi vlla eſt, ille qui eam fecit, eſt Deus noſter. Si autem nulla eſt, nullorū Deus poteſt eſſe iſte, quantò minus noſter? Eſſe tamen ſpiritalem vitalémque virtutem, etiam ſi non ſit animal mundus, quæ virtus in Angelis ſanctis ad decorandum atque adminiſtrādum omnium Deo ſeruit: & à quibus non

intelligitur, rectissimè creditur. Angelorum autem sanctorum nomine, omnem sanctam creaturam spiritalem, in Dei secreto atq; occulto mysterio constitutã nunc appellauerim. Sed spiritus Angelicos sancta Scriptura nomine animarum significare non solet. Proinde verò in eo quod circa finem huius libri dixi, Rationales & intellectuales numeri beatarum animarum atque sanctarũ, legẽ ipsam Dei, sine qua folium de arbore non cadit, & cui nostri capilli numerati sunt, nulla interposita natura excipientes, vsque ad terrena & inferna iura transmittunt: non video quemadmodum vocabulum animarum secundum Scripturas sanctas possit ostendi: quandoquidem non nisi Angelos sanctos intelligi volui, quos habere animas nusquã me legisse in Diuinis eloquiis canonicis recolo. Hic liber primus sic incipit, Modus, qui pes est. Sextꝰ autẽ, Satis diu penes.

Lib. 6. musicæ cap. 17

De magistro, Liber vnus.

12 PEr idem tempus scripsi librum, cuius est titulus, De magistro: in quo disputatur & quęritur & inuenitur, magistrum non esse qui docet hominem scientiam, nisi Deum. Secundum illud etiã quod in Euãgelio scriptum est, Vnus est magister vester Christus. Hic liber sic incipit, Quid tibi videmur efficere velle?

De vera religione, Liber vnus.

13 TVnc etiam de vera religione librum scripsi, in quo multipliciter & copiosissimè disputatur, vnum verum Deũ, id est, Trinitatẽ, Patrẽ & Filium & Spiritũ sanctum, religione vera colendum, & quãta misericordia eius per tèporalem dispensationẽ cõcesserit hominibus, Christiana religio, quæ vera religio est, & ad eundẽ cultũ Dei, quemadmodum sit homo quadam vita sua coaptandus. Maximè tamen contra duas naturas Manichæorum liber hic loquitur. In hoc libro quodã loco, Sit, inquã, tibi manifestum atque perceptum, nullum errorem in religione esse potuisse, si anima pro Deo suo non coleret animam, aut corpus, aut phantasmata sua. Hic animam pro vniuersa creatura incorporali posui, non loquens more Scripturarum, quæ animã, quando non translato verbo vtuntur, nescio vtrùm velint intelligi, nisi eam qua viuunt animalia mortalia, in quibus & homines sunt quãdiu mortales sunt. Paulò pòst autem eundem sensum melius sum breuiúsque complexus, vbi dixi, Non ergo creaturæ potius quàm Creatori seruiamus, nec euanescamus in cogitationibus nostris, & perfecta religio est. Creaturam quippe vno nomine vtranque, id est, spiritalem corporalémque significaui. Restat quod ibi dixi, Aut phantasmata sua. propter quod hìc dixi, Nec euanescamus in cogitationibꝰ nostris. Item quod dixi, Ea est nostris temporibus Christiana religio, quam cognoscere ac sequi securissima & certissima salus est: secundum hoc nomen dictum est, nõ secundũ ipsam rẽ, cuius hoc nomen est. Nam res ipsa, quæ nunc Christiana religio nuncupatur, erat & apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carne: vnde vera religio, quæ iã erat, cœpit appellari Christiana. Cùm enim eum post resurrectionem ascensionémque in cælum cœpissẽt Apostoli prædicare, & plurimi crederent, primùm apud Antiochiam, sicut scriptum est, appellati sunt discipuli Christiani. Propterea dixi, Hæc est nostris temporibus Christiana religio, non quia prioribus temporibus non fuit, sed quia posterioribus hoc nomen accepit. Alio loco, Intende igitur, inquã, in hæc quæ sequũtur diligenter & piè, quantũ potes: tales enim adiuuat Deus. Quod nõ ita intelligẽdum est, quasi tantummodo tales adiuuet, cùm adiuuet etiam nõ tales, vt sint tales, id est, vt diligẽter & piè quærant. Tales autem adiuuat vt inueniant. Itémque alibi, Deinde, inquam, iam erit consequens, vt post mortem corporalem, quam debemus primo peccato, tempore suo atque ordine suo, hoc corpus restituatur pristinæ stabilitati. Quod sic accipiendũ est, quia etiã pristina stabilitas corporis, quam peccando amisimus, habebat tantam felicitatẽ vt in defectum nõ vergeret senectutis. Huic ergo pristinæ stabilitati restituetur hoc corpꝰ in resurrectione mortuorũ. Sed habebit amplius, vt nec corporalibus alimẽtis sustentetur. sed ad sufficientiam viuificetur solo spiritu, cùm resurrexerit in spiritum viuificantem: qua causa etiã spiritale erit. Illud autem quod primum fuit, quanuis non moriturum nisi homo peccasset, tamen animale factum est, hoc est, in animã viuentẽ. Et alibi, Vsqueadeo, inquam, peccatum volũtarium est malum, vt nullo modo sit peccatũ, si non sit voluntarium. Potest videri falsa hæc definitio, sed si diligenter discutiatur, inuenietur esse verissima. Peccatum quippe illud intelligendum est, quod tantummodo peccatũ est, non quod est etiam pœna peccati, sicut superius ostẽdi, cùm quædam cõmemorarem ex libro tertio de libero arbitrio. Quanuis & illa quæ immeritò non voluntaria peccata dicuntur, quia vel à nescientibus vel à coactis perpetrantur, non omnino possunt sine voluntate committi: quoniam & ille qui peccat ignorans, voluntariè vtiq; peccat, quod cùm faciendũ nõ sit, putat esse faciendũ. Et ille qui concupiscente aduersus spiritum carne, non ea quæ vult facit, concupiscit quidem nolens, & in eo non facit quod vult. Sed si vincitur, concupiscentiæ consentit volens, & in eo non facit quod vult, liber scilicet iustitiæ, seruúsque peccati. Et illud quod in paruulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc nõ vtantur libero arbitrio voluntatis, non absurdè vocatur etiã voluntariũ, quia ex primi hominis mala volũtate cõtractũ, factũ est quodã modo hęreditariũ. Non itaq; falsum est quod dixi, Vsqueadeo peccatum voluntarium malum est, vt nullo modo sit peccatum, si non sit voluntariũ. Ideo gratia Dei non solùm reatus

De vera religione, cap. 10

Ibidem

Ibidem

Cap. 14.

Cap. 18

omniũ

omnium præteritorum soluitur in omnib⁹ qui baptizantur in Christo, quod fit Spiritu regenerationis: verumetiam in grandibus voluntas ipsa sanatur & præparatur a Domino, quod fit Cap.16 Spiritu fidei & charitatis. Alio loco in eo quod dixi de Domino Iesu Christo, Nihil egit vi, sed omnia suadendo & monēdo: non mihi occurrerat quòd vendentes & ementes flagello eiecit de templo. Sed quid hoc aut quantum est? Matth.21 Matth.3 Quanuis & dæmones nolentes ab hominibus non sermone suasionis, sed vi potestatis eiecerit. Item alio loco, Prius, inquam, isti sequendi sunt, qui vnum Deum summum solum verum Deum, & solum colendum esse dicunt, si apud hos veritas nō eluxerit, tunc demum migrandum est. Quod ita potest videri dictum, quasi de huius religionis veritate dubitauerim. Dixi autem sicut ei congruebat ad quem scribebam. Sic enim dixi, Si apud hos veritas non eluxerit, nihil dubitans quòd apud eos eluceret, quemadmodum ait Apostolus, Si Chri 2.Cor.15 stus non resurrexit, non vtique dubitans quod resurrexerit. Item quod dixi, Nec miracula ista ibidem. in nostra tempora durare permissa sunt, ne anima semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorū nouitate flagrauit: verum est quidem. Non enim nunc vique, quum manus imponitur baptizatis, sic accipiunt Spiritum sanctum vt loquantur linguis omnium gētium, aut nunc vsque ad vmbram transeuntium prædicatorum Christi sanantur infirmi, & si qua talia tunc facta fūt, quæ postea cessasse manifestum est. Sed non sic accipiendum est quod dixi, vt nunc in Christi nomine fieri nulla miracula credantur. Nam ego ipse quando istum librum scripsi, ad Mediolanensium corpora Martyrum, in eadem ciuitate cæcum illuminatum fuisse iam noueram, & alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, vt nec omnia cognoscere, nec ea quæ cognoscimus, enumerare possimus. Et alio loco illud quod dixi, Sicut a- Cap.41 Roma.13 it Apostolus, Omnis ordo à Deo est. non eisdem verbis hoc dixit Apostolus, quanquis eadem videatur esse sententia. Ait quippe ille, Quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Et alibi, Prorsus, inquam, nemo vos fallat. Quidquid rectè vituperatur, in melioris comparatione respuitur. Hoc de substantiis atque naturis dictum est: inde enim disputabatur, non de bonis actionibus atque peccatis. Itémque Cap.46 alibi, Sed nec sic quidem, inquam, ab homine homo diligendus est, vt diligūtur carnales fratres, vel filii, vel coniuges, vel quicunque cognati, aut affines, aut ciues. Nam & ista dilectio temporalis est. Non enim vllas tales necessitudines haberemus, quæ nascendo & moriendo contingunt, si natura nostra in præceptis & imagine Dei manens, in istam corruptionem nō relegaretur. Hunc sensum prorsus improbo, Liber de Genesi contra Manichæos cap.19 quem iam & superius improbaui in primo libro De Genesi contra Manichæos. Ad hoc enim ducit, vt credantur illi cōiuges primi non generaturi posteros homines, nisi peccassent, tanquā necesse fuerit vt morituri gignerentur, si de concubitu maris & fœminæ gignerentur. Nondum enim videram fieri potuisse, vt non morituri de non morituris nascerentur, si peccato illo magno non mutaretur in deterius humana natura, ac per hoc si & in parentibus & in filiis fœcunditas felicitásque mansisset, vique ad certum Sanctorum numerum, quem prædestinauit Deus, nascerentur homines, non parentibus succedituri morientibus, sed cum viuētibus regnaturi. Essent ergo etiam istæ cognationes atque affinitates, si nullus delinqueret, nullúsque moreretur. Item alio loco, Ad vnum Cap.55 Deum tendentes, inquam, & ei vni religantes animas nostras, vnde religio dicta creditur, omni superstitione careamus. In his verbis meis ratio quę reddita est, vnde sit dicta religio, plus mihi placuit. Nam non me fugit aliam nominis huius originem exposuisse Latini sermonis auctores, quod inde sit appellata religio, quòd religatur. Quod verbum compositum est à legēdo, id est, eligendo, vt ita Latinum videatur religo, sicut eligo. Hic liber sic incipit, Quum omnes vitæ bonæ.

De vtilitate credendi ad Honoratum, Liber vnus.

IAm verò apud Hipponem regium presby- 14
ter scripsi librum de vtilitate credendi ad amicum meum, quem deceptum à Manichæis, adhuc eo errore noueram detineri, & irridere in catholicæ fidei disciplina, quòd iuberentur homines credere, non autem quid esset verum certissima ratione docerentur. In hoc libro dixi, In quibus tamen Legis præceptis atque mā- De vtilitate credendi, cap.3 datis, quibus nunc Christianos vti fas non est, Exod.20 quale vel sabbatum est, vel circuncisio, vel sa- Gene.17 crificia, & si quid huiusmodi est, tanta mysteria cōtinentur, vt omnis pi⁹ intelligat nihil esse pernicioſius, quam quidquid ibi est, accipi ad literam, id est, ad verbum: nihil autē salubrius quàm Spiritu reuelari. Inde est, Litera occidit, 2 Cor 13 Spiritus autem viuificat. Sed aliter exposui verba ista Apostoli Pauli, & quantùm mihi videtur, vel potius ipsis rebus apparet, multò conuenientius in eo libro qui inscribitur, De spi- De Spiritu & litera, cap.4. & 5 ritu & litera, quanuis non sit & sensus iste respuendus. Item dixi, Duæ sunt enim personæ Cap.11 in religione laudabiles. Vna eorum qui iam inuenerunt, quos etiam beatissimos iudicare necesse est. Alia eorum qui studiosissimè & rectissimè inquirunt. Primi ergo sunt iam in ipsa possessione. Alteri in via, qua tamen certissimè peruenitur. In his verbis meis, si illi qui iam inuenerunt, quos in ipsa possessione esse iam diximus, sic accipiantur beatissimi, vt non in hac vita, sed in ea quam speramus, & ad quam per fidei viam tendimus sint, non habet iste sensus errorem. Ipsi enim iudicandi sunt quod quærendum est inuenisse, qui iam ibi sunt, quò nos quærendo & credendo, id est,

viâ fidei tendendo cupimus peruenire. Si autem in hac vita putantur esse isti, vel fuisse: id verum esse non mihi videtur. Non quia in hac vita nihil veri omnino inueniri potest, quod mente cernatur, non fide credatur, sed quia tãtùm non est quidquid est, vt nos faciat beatissimos. Neque enim quod ait Apostolus, Videmus nunc per speculum in ænigmate, & nũc cernitur ex parte, non cernitur mente, cernitur planè: sed beatissimos nondum facit. Illud enim beatissimos facit quod ait, Tunc autem facie ad faciem, & tunc cognoscam sicut & cognitus sum. Qui hoc inuenerunt, ipsi dicendi sunt in beatitudinis possessione consistere, ad quam ducit via fidei, quam tenemus, & quò credendo cupimus peruenire. Sed quinam sint illi beatissimi, qui iam sunt in ea possessione quò ducit hæc via, magna quæstio est. Et Angeli quidem sancti quòd ibi sint, nulla quæstio est. Sed de sanctis hominibus iam defunctis, vtrùm ipsi saltem dicendi sint, iam in illa possessione consistere, meritò quæritur. Iam enim corpore quidem corruptibili, quo anima aggrauatur, exuti sunt, sed adhuc expectant etiam ipsi redemptionem corporis sui, & caro eorum requiescit in spe, nondum in futura incorruptione clarescit. Sed vtrùm ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est, facie ad faciem, nihil ex hoc minus habeant, non hîc locus est disputando inquirere. Item quod dixi, Nam scire magna & honesta vel etiam Diuina, beatissimum est, ad eandem beatitudinẽ referre debemus. In hac vita quantuncunque id sciatur, nõdum est beatissimum, quoniam incomparabiliter longè est amplius quod inde nescitur. Et quod dixi, Multum interesse vtrùm aliquid mentis certa ratione teneatur, quod scire dicimus, an famæ vel literis credendum posteris vtiliter commendetur. Et paulò pòst, Quod scimus igitur, debemus rationi, quod credimus auctoritati: non sic accipiendum est, vt in sermone vsitatiore vereamur nos scire, quod idoneis testibus credimus. Propriè quippe quum loquimur, id solùm sciri dicimus, quod mentis firma ratione comprehendimus. Quum verò loquimur verbis consuetudini aptioribus, sicut loquitur etiam Diuina Scriptura, non dubitemus dicere scire nos, & quod percipimus nostri corporis sensibus, & quod fide dignis credimus testibus: dum tamẽ inter hæc & illud quid distet intelligamus. Item quod dixi, Nemini dubium est, omnes homines aut stultos esse, aut sapientes, potest videri cõtrarium illi quod legitur in libro tertio de libero arbitrio, quasi verò natura humana præter stultitiam, & sapientiam, nullam mediam recipiat affectionem. Sed illud ibi dictum est, vbi de primo homine quærebatur, vtrùm sapiens fuerit factus, an stultus, an neutrum: quoniam nullo modo stultum dicere poteramus qui sine vitio factus est, cùm sit stultitia magnum vitium, & sapientem quomodo diceremus, qui potuit seduci, nõ satis apparebat. Ideóque ad compẽdium dicere volui, quasi verò natura humana prẽter stultitiam & sapientiam nullam mediã recipiat affectionem. Intuebar quippe & paruulos, quos licet confiteamur trahere originale peccatum, tamen nec sapientes nec stultos possumus propriè dicere, nõdum vtentes libero arbitrio, seu bene, seu malè. Nunc autẽ aut sapiẽtes, aut stultos esse omnes homines dixi, eos volẽs intelligi qui iam ratione vtuntur, qua discernũtur à pecoribus, vt homines sint, sicut dicimus beatos omnes homines esse velle. Nũquid enim in hac sententia, tam vera atque manifesta, metuimus ne intelligantur & paruuli, qui hoc adhuc velle non possunt? Alio loco cùm miracula cõmemorassem quæ Dominus Iesus fecit, quum hîc esset in carne, adiunxi dicẽs, Cur, inquietis, ista modò non fiunt? Atque respõdi, Quia nõ mouerent nisi mira essent: si autẽ solita essent, mira non essent. Hoc autem dixi, quia non tanta nec omnia modò, nõ quia nulla fiunt etiã modó. In fine autẽ libri, Sed quoniam sermo iste noster, inquam, multò processit longius quàm putabam, hîc finem libro faciamus, in quo memineris volo, nondum me Manichæos cœpisse refellere, & illas nugas nondum inuasisse, neque de ipsa catholica doctrina magnũ aliquid aperuisse, sed voluisse tantummodo eruere tibi, si possem, falsam opinionem de veris Christianis malitiosè aut imperitè vobis insinuatã, & erigere ad magna quędã & Diuina discenda. Quare hoc volumen ita sese habeat: placatiore autem animo tuo facto, ero fortassis in cæteris promptior. Hęc non ita dixi, quasi nihil aduersus Manichæos adhuc scripsissem, vel nihil de doctrina catholica mandassem literis, cùm tot superius edita volumina de vtraque re non me testẽtur tacuisse: sed in hoc libro ad illum scriptum, nondum Manichæos refellere cœperam, & illas nugas nõdum inuaseram, neque de ipsa catholica magnum aliquid aperueram: quoniã sperabã hoc initio facto, ad eum ipsum me scripturum fuisse, quæ hîc nõdum scripseram. Hîc liber sic incipit, Si mihi Honorate.

Sapient. 9 Romano. 8 Psal. 15

Cap. 11

ibidem.

ibidem

Cap. 12, & 15

Lib. 3. de libero arbitr. cap. 24

Contra Manichæos de duabus animabus, Liber vnus.

POst hunc librũ scripsi adhuc presbyter contra Manichæos de duabus animabus, quarum dicunt vnam partem Dei, alteram de gente tenebrarum quam non condiderit Deus, & quæ sit Deo coæterna: & has ambas animas, vnam bonam, alteram malã, in vno homine esse delirant, istam scilicet malam propriam carnis esse dicentes, quam carnem etiam dicunt gentis esse tenebrarum. Illam verò bonam ex aduenti tia Dei parte, quæ cum tenebrarum gente conflixerit, atque vtrũq; miscuerit. Et omnia quidẽ bona hominis illi bonæ animæ, omnia verò mala illi malę animę tribuũt. In hoc libro illud quod dixi, Nullã esse qualẽcunq; vitã, quę non eoipso quo vita est, & inquantum omnino vita est, ad summum vitę fontem principiúmque pertineat, 15

Cap. 16

Cap. 18

De duabus animabus cap. 1

pertineat: ita dixi, vt tanquã creatura ad Creatorem pertinere intelligatur, non autem de illo esse tanquã pars eius existimetur. Item quod
Cap. 10 dixi, Nusquã scilicet nisi in voluntate esse peccatum, possunt Pelagiani pro se dictum putare propter paruulos, quos ideo negant habere peccatum, quod eis in Baptismate remittatur, quia nondũ arbitrio voluntatis vtuntur. Quasi verò peccatum, quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id est, reatu eius implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri, nusquã esse potuerit nisi in voluntate, qua volũtate cõmissum est, quando Diuini præcepti est facta transgressio. Potest etiam putari falsa esse ista
Rom. 7 sententia qua diximus, Nusquam nisi in voluntate esse peccatum, quia dixit Apostolus, Si autem quod nolo hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Hoc enim peccatum vsqueadeo non est in voluntate, vt dicat, Quod nolo hoc facio. Quomodo ergo nusquam est nisi in voluntate peccatum? Sed hoc peccatum de quo sic locut⁹ est Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccatum factum est, & pœna peccati est, quandoquidem hoc de concupiscentia carnis dicitur: quod aperit in cõsequentibus dicẽs, Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonũ: velle enim adiacet mihi, perficere autẽ bonum non inuenio. Perfectio quippe boni est, vt nec ipsa concupiscentia peccati sit in homine, cui quidem quando bene viuitur, non consentit voluntas. Veruntamen non perficit bonũ, quia inest adhuc concupiscentia cui repugnat voluntas, cuius concupiscentiæ reatus in Baptismate soluitur: sed infirmitas manet, cui donec sanetur, omnis fidelis qui bene proficit, studiosissimè reluctatur. Peccatum autem, quod nusquam est nisi in voluntate, illud præcipuè intelligendum est quod iusta damnatio cõsecuta est. Hoc enim per vnum hominem introiuit in mundum, quanquam & hoc peccatum quo cõsentitur peccati concupiscentiæ, non nisi voluntate committitur. Propter hoc & alio loco
ibidem. dixi, Non igitur nisi voluntate peccatur. Itémque alio loco ipsam voluntatem definiui, dicens, Voluntas est animi motus cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscẽdum. Quod propterea dictum est, vt hac definitione volens à nolente discerneretur, & sic ad illos referretur intentio, qui primi in paradiso fuerunt humano generi origo mali, nullo cogente peccando, hoc est, libera voluntate peccando: quia & sciendo contra præceptum fecerunt, & ille tentator suasit vt hoc fieret, nõ coegit. Nam & qui nesciens peccauit, non incongruẽter nolens peccasse dici potest, quamuis & ipse quod nesciens fecit, volens tamen fecit: ita nec ipsius esse potuit sine voluntate peccatum. Quæ voluntas vtique sicut definita est, animi motus fuit cogente nullo, ad aliquid vel non amittendum, vel adipiscendum. Quod enim si noluisset, non fecisset, non coactus est facere. Quia voluit ergo fecit: & si non quia voluit peccauit, nesciens peccatum esse quod fecit. ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati. Quòd tamen factum peccatum fuit: hoc enim factum est quod fieri nõ debuit. Quisquis autem sciens peccat, si potest cogenti ad peccatum sine peccato resistere, nec tamẽ facit, vtique volens peccat. quoniam qui potest resistere non cogitur cedere. Qui verò volenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepta iustitiæ, iam hoc ita peccatum est, vt sit etiã pœna peccati. Quapropter peccatum sine voluntate esse non posse verissimum est. Itémque definitio peccati, qua di
Cap. 11 ximus, Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere: propterea vera est, quia id definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est pœna peccati. Nam quando est, vt idem sit tale & pœna peccati, quantum est quod valet voluntas sub dominante cupiditate, nisi fortè si pia est, vt oret auxilium? Intantum enim libera est, quia intantum liberata est, & intantum appellatur voluntas. Alioquin tota cupiditas, quę voluntas propriè nuncupãda est, quę non est, sicut Manichæi desipiunt, alienę naturę additamẽtum, sed nostrę vitium, à quo nõ sanamur nisi gratia Saluatoris. Quòd si quisquã dicit etiã ipsam cupiditatem nihil esse aliud quàm voluntatẽ, sed vitiosam peccatóque seruientẽ, non resistendum est, nec de verbis, cùm res cõstat, cõtrouersia facienda est. Sic enim ostenditur sine voluntate nullum
Cap. 12 esse peccatũ, siue in opere, siue in origine. Rursus in eo quod dixi, Iam quærere cœperam, vtrùm illud malum genus animarum, antequam bono misceretur, habuisset aliquã voluntatem. Si enim non habebat, sine peccato atque innocens erat: & ideo nullo modo malum. Cur ergo, inquiũt, peccatum dicitis paruulorũ, quorum voluntatem non tenetis ream? Respondetur, non eos proprietate voluntatis, sed origine reos teneri. Omnis enim homo terrenus quid est origine, nisi Adam? Porrò autem Adam habebat vtique voluntatem, qua voluntate cùm peccasset, peccatum per eum intrauit
ibidem. in mundum. Itémque in eo quod dixi, Natura esse malæ animæ nullo modo queunt. si quæritur quomodo accipiamus quod ait Apostolus,
Ephe. 2 Fuimus & nos natura filii iræ, sicut & cæteri: respondemus naturam in his verbis meis me intelligi voluisse illam, quæ propriè dicitur natura, in qua sine vitio creati sumus. Nã ista propter originem natura appellatur, quæ origo vtique habet vitium, quod est contra naturam.
ibidem. Et iterum in eo quod dictum est, Peccati reum teneri quenquã quia non fecit quod facere nõ potuit, summę iniquitatis est & insanię: cur ergo, inquiunt, paruuli tenentur rei? Respondetur, quia ex eius origine tenentur, qui non fecit quod facere potuit, Diuinũ scilicet ferua-

re mandatũ. Quòd autẽ dixi, Ille animæ quidquid faciunt, si natura non voluntate faciunt, id est, si libero & ad faciendũ & ad non faciendum motu animi carent: si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccato earum teneri non possumus: propterea non perturbat de paruulis quæstio, quia ex illius origine rei tenentur qui volũtate peccauit, quãdo libero & ad faciendũ & ad nõ faciẽdũ motu animi nõ carebat, eíque ab opere malo abstinẽdi summa potestas erat. Quod Manichæi de tenebrarũ gente non dicunt, quã fabulosissimè inducunt, eámque naturam semper malam, nunquam bonam fuisse contendunt.

Cap. 13 Illud autem quæri potest quomodo dixerim, Etiam si sunt animæ, quod interim incertum est, corporeis officiis, non peccato, sed natura deditæ, nósque quanquam sint inferiores, aliqua tamen interiore vicinitate contingunt: nõ illas ideo malas haberi oportere, quia & nos cùm eas sequimur, & corporea diligimus, mali sumus: quandoquidem de illis hoc dixi, de quibus superius loqui cœperam dicens, Quanquam etiã si eis quidẽ cõcedatur inferiore alio genere animarum nos illici ad turpia, non inde conficiunt, aut illas natura malas esse, aut istas summum bonum. De his enim disputationem vsque ad hunc locum perduxi, vbi dixi, Etiam si sunt animæ, quod interim incertum est, corporeis officiis, non peccato, sed natura deditæ, & cætera. Quæri ergo potest, cur dixerim quod interim incertum est, quum prorsus dubitare non debuerim non esse tales animas. Sed hoc ideo dixi, quia expertus sum qui dicerent diabolũ & angelos eius bonos esse in genere suo, & in ea natura in qua eos creauit Deꝰ ordine proprio tales quales sunt: sed nobis malum esse, si illiciamur & seducamur ab eis: si autem caueamus eos atque vincamus, decorum atque glorioſum. Et hoc qui dicunt, videntur sibi vt id probent, de Scripturis adhibere idonea testimonia. Vel illud quod scriptum est in

Iob. 40 libro Iob, cùm diabolus describeretur, Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit ad illudẽdum cũ Angelis suis. Vel illud in Psalmo cẽtesimotertio,

Psalm. 103 Draco hic quem finxisti ad illudẽdum ei. Quam quæstionem quia non aduersus Manichæos, qui hoc nõ sentiunt, sed aduersus alios qui hoc sentiunt, suscipienda esset atque soluẽda, pertractare atque enodare tunc nolui, ne librum multò quàm vellẽ facerẽ lõgiorem: cùm viderem etiam si hoc concederetur, tamẽ debere Manichæos, ac posse conuinci, introducentes insanissimo errore, naturam mali æterno bono coæternam. Ideo ergo dixi, quod interim incertum est, non quòd ego inde dubitarem, sed quòd inter me & illos, quos ita sapere inueneram, nondum esset ista quæstio dissoluta: quam tamen in aliis lõgè posterioribus libris meis De Genesi ad literã, secundum Scripturas sanctas quanta potui manifestatione dis-

Cap. 13 solui. Alio loco, Propterea, inquã, corporea diligendo peccamus, quâ spiritalia diligere & iustitia iubemur, & natura possumꝰ: & tunc ingenere nostro optimi & beatissimi sumus. Vbi quæri potest, cur natura & non gratia potius dixerim. Sed contra Manichæos de natura quæstio versabatur. Et vtique id agitur gratia, vt sanata natura, quod vitiata non potest, possit per eum qui venit quærere & saluum facere quod perierat. Quam tamen gratiam etiam tunc recolẽs, oraui pro familiarissimis meis, qui mortiferõ illo adhuc tenebãtur errore, & dixi, Deꝰ magne, Deus omnipotens, Deus summæ bonitatis, quem inuiolabilẽ & incorruptibilẽ atq; immutabilẽ credi atque intelligi fas est, Trina vnitas, quam catholica Ecclesia colit, supplex oro, expertꝰ in me misericordiam tuam, ne homines cum quibus mihi à pueritia in hominum victu fuit summa consensio, in tuo cultu à me dissentire permittas. Sic vtique orans, iam fide retinebam, non solùm conuersos ad Deum gratia eius adiuuari, vt proficiant ac perficiantur: vbi adhuc dici potest pro merito conuersionis illorum istam dari gratiam, verumetiam vt conuertantur ad Deum ad ipsam Dei gratiam pertinere: quandoquidem pro eis oraui, qui erant ab illo nimis auersi, atque vt ad illum conuerterentur oraui. Hic liber sic incipit, Opitulante Dei misericordia.

Matth. 18

Acta contra Fortunatum Manichæum, Liber vnus.

16 EOdem tẽpore presbyterii mei, contra Fortunatum quendam Manichæorum presbyterum disputaui, qui plurimum temporis apud Hipponem vixerat, seduxerátque tam multos, vt propter illos ibi eum delectaret habitare. Quæ disputatio nobis altercantibus, excepta est à notariis, veluti gesta conficerentur: nã & diem habet & Cõsulem. Hanc in librum memoriæ mandandam conferre curauimus. Versatur ibi quæstio vnde sit malum. Me asserente exortum fuisse hominis malum ex libero voluntatis arbitrio. Illo autem naturam mali Deo coæternã persuadere moliente. Sed cõsequenti die tandem cõfessus est nihil se aduersus nos inuenire quod diceret. Nec sanè catholicus factus est, sed tamẽ ab Hippone discessit. In hoc libro illud quod dixi, Animã dico esse factam à Deo, vt cætera omnia quæ à Deo facta sunt, & inter illa quæ Deus omnipotens fecit, principalẽ locum datum esse animæ, ita dixi, vt hoc generaliter de vniuersa creatura rationali accipi vellem, quãuis in Scripturis sanctis animas dictas esse Angelorum, aut nõ omnino aut non possit facilè reperiri, sicut suprà iam diximus. Item alio loco, Ego dico, inquam, peccatum nõ esse, si non propria voluntate peccetur: vbi peccatum illud intelligi volui, quod non est etiam pœna peccati. Nã de tali pœna dixi alibi in eadem disputatione, quod dicendum fuit. Itémque dixi, Vt postea eadem ipsa caro quæ nos in pœnis torsit in peccatis manentes, subiiciatur nobis in resurrectione, & nos nulla aduersitate quatiat, quò minꝰ Legẽ & præcepta Diuina seruemus.

Contra Fortunatũ, disputatione prima.

Contra Fortunatũ disputatione secunda.

uemus. Quod non ita est accipiendum, tanquã & in illo Dei regno, vbi incorruptibile & immortale corpus habebimus, de Scripturis Diuinis lex & præcepta sumẽda sint: sed quia perfectissimè ibi Lex ęterna seruabitur, & illa duo prȩcepta de diligendo Deo & proximo, non in lectione, sed in ipsa perfecta & sempiterna dilectione tenebim⁹. Hoc opus sic incipit, Quinto Calendas Septembris.

De fide & symbolo, Liber vnus.

17 PEr idem tempus coram Episcopis hoc mihi iubentibus, qui plenarium totí⁹ Aphricæ concilium Hippone regio agebant, de fide & symbolo presbyter disputaui. Quam disputationem nonnullis eorum, qui nos familiarius diligebant, studiosissimè instantibus, in librum cõtuli, in quo de rebus ipsis ita differitur, vt tamen non fiat verborum illa contextio, quæ tenenda memoriter competentibus traditur. In hoc libro quum de resurrectione carnis ageretur, Resurget, inquam, corpus secũdum Christianam fidẽ, quæ fallere non potest. Quod cui videtur incredibile, qualis sit nunc caro attendit, qualis autẽ futura sit non consyderat: quia illo tẽpore immutationis Angelicæ, iam nõ erit caro & sanguis, sed tãtum corpus: & cætera quæ ibi de corporũ terrestrium in corpora cælestia mutatione differui. Quoniam dixit Apostolus cùm inde loqueretur, Caro & sanguis regnum Dei nõ possidebunt. Sed quisquis ea sic accipit, vt existimet ita corpus terrenum, quale nunc habemus, in corpus cæleste resurrectione mutari, vt nec membra ista, nec carnis sit futura substantia: proculdubio corrigendus est, cõmonitus de corpore Domini, qui post resurrectionem in eisdem membris, non solùm cõspiciendus oculis, verumetiam manibus tangendus apparuit, carnémque se habere etiã firmauit dicens, Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Vnde constat Apostolum, non carnis substantiam negasse in regno Dei futuram, sed aut homines qui secundum carnem viuunt, carnis & sanguis nomine nuncupasse, aut ipsam carnis corruptionem, quæ tunc vtique nulla erit. Nã quum dixisset, Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt: bene intelligitur, tanquam exponendo quid dixerit continuò subdidisse. Neque corruptio incorruptionem possidebit. De qua re ad persuadendũ infidelib⁹ difficili, diligẽter quantũ potui, me differuisse reperiet, quisquis de ciuitate Dei librum legerit nouissimũ. Hoc opus sic incipit, Quoniã scriptum est.

De fide & symbolo cap. 10

1. Cor. 15

Luc. 24

libro 22. de ciuitate Dei, cap. 5. & 21

De Genesi ad literam imperfectus Liber vnus.

18 QVum de Genesi duos libros contra Manichæos condidissem, quoniam secundum allegoricam significationem Scripturæ verba tractaueram, non ausus naturalium rerum tãta secreta ad literam exponere, hoc est, quemadmodum possent secundum historicam proprietatem, quæ ibi dicta sunt accipi, volui experiri, in hoc quoque negotiosissimo ac difficillimo opere quid valerem. sed in Scripturis exponẽdis tyrocinium meum sub tanta sarcinæ mole succubuit. Et nõdum perfecto vno libro, ab eo quem sustinere non poteram, labore cõquieui. Sed in hoc opere cùm mea opuscula retractarẽ, isteipse, vt erat imperfectus, venit in man⁹, quẽ neque edideram, & abolere decreueram: quoniam scripsi postea duodecim libros, quorum titul⁹ est, De Genesi ad literã. In quibus quãuis multa quæsita potius quàm inuenta videãtur: tamen eis iste nullo modo est cõparandus. Verùm & hunc posteaquam retractaui, manere volui, vt esset index, quantum existimo non indocilis rudimentorum meorum in enucleãdis atque scrutandis Diuinis eloquiis, eiúsque titulum esse volui, De Genesi ad literam imperfectus. Inueni quippe eum vsque ad hæc verba dictatum, Pater tantùm Pater est, nec Filius aliud est quàm Filius: quia & cùm dicitur similitudo Patris, quanquã ostendat nullã interuenire dissimilitudinẽ, nõ tamen solus est Pater, sed habet similitudinem. Post hæc repetiui verba Scripturæ rursus consyderãda atque tractãda. Et dixit Deus, Faciam hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Hucusque dictatum librum imperfectum reliquerã. Quod autem ibi sequitur, addẽdum putaui cùm eum retractarem, nec sic tamẽ perfeci: sed hoc quoque addito imperfectum reliqui. Si enim perfecissem, saltẽ de omnibus operibus & verbis Dei, quæ ad sextum diem pertinerent, disputassem. In hoc libro ea notare quæ mihi displicent vel defendere, quæ aliis non bene intellecta displicere possunt, superfluũ mihi visum est. Breuiter enim admoneo, vt illi duodecim libri legãtur, quos lõgè postea Episcopus feci, & ex ipsis de isto iudicetur. Hic liber sic incipit, De obscuris naturalium rerum.

Cap. 16

De sermone Domini in monte Libri duo.

19 PEr idem tẽpus, de sermone Domini in mõte secundum Matthæũ, duo volumina scripsi. In quorum primo propter id quod scriptũ est, Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur, Sapientia, inquam, congruit pacificis, in quibus iam ordinata sunt omnia, nullúsque motus aduersus rationem rebellis est: sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cùm & ipse obtemperet Deo. Quod meritò mouet quomodo dixerim. Non enim cuiquam prouenire in hac vita potest, vt lex repugnans legi mentis omnino non sit in membris. Quando quidem etiã si ei sic resisteret spiritus hominis, vt in nullum eius laberetur assensum, non ideo tamen illa nõ repugnaret. Hoc ergo quod dictum est, nullum esse motum aduersus rationem rebellem, rectè accipi potest, id nunc agentibus pacificis domando concupiscentias carnis, vt ad istam pacem plenissimam quandoque veniatur. Proinde quod alio loco, quum eandem sententiã Euangelicã repetens dixissem, Beati pacifici, quoniã ipsi filii Dei vocabuntur, adiũxi dicens, Et ista quidem in hac vita compleri

Matth. 5 lib. 1 de sermo. Domini in mon. ca.

possunt, sicut completa esse in Apostolis credimus, sic accipiendū est, non vt in Apostolis hîc viuentibus nullum carnis motum arbitremur spiritui repugnasse: sed hactenus hîc ista posse compleri, quatenus in Apostolis credimus esse completa, ea mensura scilicet perfectionis humanæ, quanta in hac vita potest esse perfectio. Non enim dictum est, Ista in hac vita compleri possunt, nam completa esse in Apostolis credimus: sed ita dictum est, Sicut cōpleta esse in Apostolis credimus, vt ita compleantur sicut in illis completa sunt, id est, quadam perfectione, cui⁹ capax est ista vita, nō sicut fūt illa quę speramus pace plenissima, quādo dicetur, Vbi est mors cōtentio tua? Alio loco quod interposui testimonium, Non enim ad mensurā dat Deus Spiritum, nondum intellexerā de Christo propriè verius accipi. Aliis quippe hominibus nisi ad mensurā daretur Spiritus, nō duplum peteret Helisæus, quàm fuit in Helia. Itē quod scriptum est, Iota vnum, aut vnus apex nō transiet à Lege, donec omnia fiant, quum exponerem, dixi nihil posse aliud intelligi, nisi vehemētem perfectionis expressionē. Vbi meritò quęritur, vtrùm ista perfectio sic possit intelligi, vt tamē verum sit, neminē iam vtentem voluntatis arbitrio hîc viuere sine peccato. A quo enim vsq; ad vnū apicē Lex perfici potest, nisi à quo fiunt vniuersa Diuina mandata? Sed in eisdem mādatis est etiā quod iubemur orare, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quam orationē vsque in finem seculi tota dicit Ecclesia. Omnia ergo mandata facta deputantur, quādo quidquid non fit ignoscitur. Sanè quod ait Dominus, Quicūque soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, &c. vsque ad eum locum vbi ait, Nisi abundauerit iustitia vestra plusquā Scribarum & Pharisæorū, non intrabitis in regnum cælorum, multò melius & conueniētius exposui in aliis posterioribus sermonibus meis, quod etiam hîc retexere longum est. Ad hoc autē iste ibi perducitur sensus, vt eorum sit iustitia maior quā Scribarū & Pharisæorum, qui dicunt & nō faciunt. De Scribis quippe & Pharisæis alio loco ipse Dominus ait, Dicunt enim & nō faciunt. Illud etiam melius intelleximus postea quod scriptū est, Quia qui irascitur fratri suo. Codices enim Gręci nō habēt, sine causa, sicut hîc positum est, quanuis ipse sit sensus. Illud enim diximus intuendum, quid sit irasci fratri suo, quoniam nō fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur. Qui ergo nō peccato fratris irascitur, sine causa irascitur. Item quod dixi, Hoc & de patre & matre, & cæteris vinculis sanguinis intelligendum est, vt in eis oderimus quod genus humanum nascendo & moriendo sortitum est, ita sonat, quasi non essent futuræ istę necessitudines, si nullo naturę humanę prę cedente peccato, nemo moreretur. Quem sensum iam superius improbaui. Essent enim profectò cognationes & affinitates, etiam si originali nullo existente peccato, sine morte crescerent & multiplicaretur gen⁹ humanū. Ac p hoc aliter soluēda est quæstio, cur Dominus pręceperit diligēdos inimicos, cùm alio loco præcipiat odio habēdos & parētes & filios: non sicut hîc soluta est, sed sicut eā posterius sæpe soluim⁹, id est, vt diligam⁹ inimicos lucrādos regno Dei, & oderimus in propinquis, si impediūt à regno Dei. Itē de præcepto quo prohibetur vxor nō dimitti, nisi ꝓpter fornicationē, hîc qui dē scrupulosissimè disputaui. Sed quāvelit Domin⁹ intelligi fornicationē, propter quā liceat dimittere vxorē, vtrùm eā quæ dānatur in stupris, an illā de qua dicitur, Perdidisti omnem qui fornicatur abs te, in qua vtique & ista est, (neque enim nō fornicatur à Domino, qui tollens mēbra Christi, facit ea mēbra meretricis) etiā atque etiam cogitandum est, atque requirendum. Nec volo in re tāta támque ad dignoscendum difficili, putare lectorē istā sibi nostrā disputationē debere sufficere: sed legat & alia, siue nostra, quæ postea scripta sunt, siue aliorū melius cōsyderata atque tractata, vel ipse si potest ea quæ hîc meritò mouere possunt, vigilātiore atque intelligentiore mente discutiat. Nō quia omne peccatū fornicatio est: neque enim omnē peccantē Deus perdit, qui quotidie sanctos suos exaudit dicentes, Dimitte nobis debita nostra: cū perdat omnē q fornicatur ab eo. Sed quatenus intelligēda atq; eliminānda sit hęc fornicatio, & vtrùm etiam propter hanc liceat dimittere vxorem, latebrosissima quæstio est. Licere tamen propter istam quæ in stupris cōmittitur, nulla quæstio est. Et vbi dixi hoc permissum esse, non iussum, non attendi aliā Scripturam dicentem, Qui tenet adulteram, stultus & impius est. Nec sanè dixerim adulteram fuisse deputādam illam mulierem, etiam postcaquam audiuit à Domino, Nec ego te damnabo: vade, deinceps iam noli peccare: si hoc obedienter audiuit. Loco alio peccatum fratris ad mortem, de quo dicit Ioannes Apostolus, Non pro illo dico vt roget quis, ita definiui vt dicerem, Peccatum ergo fratris ad mortem puto esse, quum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Iesu Christi, quisque oppugnat fraternitatem, & aduersus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, inuidentiæ facibus agitatur. Quod quidem non confirmaui, quoniam hoc putare me dixi: sed tamen addendum fuit, si in hac tam scelerata mētis peruersitate finierit hanc vitam: quoniam de quocunque pessimo in hac vita constituto, non est vtique desperandum, nec pro illo imprudēter oratur, de quo non desperatur. In secundo item libro, Nulli inquam licebit ignorare Dei regnum, quum eius Vnigenitus non solùm intelligibiliter, sed etiam visibiliter in homine Dominico de cælo venerit, iudicatur⁹ & viuos & mortuos. Sed non video vtrùm rectè dicatur homo Dominicus, qui est Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, quum sit vtique Dominus,

1. Cor. 15 — ibidem. — ibidem. — Matth. 6 — ibidem. — ibidem. — ibidem. — ibidem. — Psal. 72 — 1. Cor. 6 — ibidem. — Prouerb. 8 — ibidem. — Libro 2. de ser. Domini in mō te. — 1. Tim. 2

Dominus. Dominicus autẽ homo quis in eius ſancta familia poteſt nõ dici? Et hoc quidem vt dicerem, apud quoſdam legi tractatores catholicos Diuinorum eloquiorum. Sed vbicunque hoc dixi, dixiſſe me nollem. Poſtea quippe vidi non eſſe dicendum: quanuis nonnulla poſsit ratione defendi. Item quod dixi, Nullius enim ferè cõſcientia Deum poteſt odiſſe, video non fuiſſe dicendũ. Multi enim ſunt, de quibus ſcriptum eſt, Superbia eorum qui te oderunt. Alio loco in eo quod dixi, ob hoc dixiſſe Dominũ, Sufficit diei malitia ſua, quia cibos ſumere vrgebit ipſa neceſsitas: quam propterea malitiã nominatam arbitror, quia pœnalis nobis eſt, (pertinet enim ad hanc fragilitatem, quam peccando meruimus) non attẽdi etiam primis hominibus data fuiſſe in paradiſo corporalia alimenta, antequam iſtam mortis pœnam peccãdo meruiſſent. Sic enim erãt immortales in corpore nondum ſpiritali, ſed animali, vt tamen in eiuſmodi immortalitate corporalibus alimentis vterentur. Item quod dixi, Quam ſibi Deus elegit glorioſam Eccleſiã, non habẽtem maculam vel rugã: non ideo dixi, quia nunc ex omni parte iam talis eſt, quãuis ad hoc electa nõ dubitetur, vt talis ſit quãdo Chriſtus apparuerit vita eius: tunc enim & ipſa cum illo apparebit in gloria. Propter quam gloriam dicta eſt Eccleſia glorioſa. Item quod Dominus ait, Petite, & accipietis: quærite & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis: operoſe quidem tria iſta quid inter ſe differant, exponendum putaui: ſed longè melius ad inſtãtiſsimam petitionem omnia referuntur. Hoc quippe oſtendit, vbi eodem verbo cuncta concluſit, dicens, Quantò magis Pater veſter qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe? Non enim dixit, Petentibus, & quærẽtibus, & pulſantibus. Hoc opus ſic incipit, Sermonem quem loquutus eſt Dominus.

Libro 2 de ſer. Dom. in mõte.

Pſalm. 73

Matth. 6

Ibidem.

Epheſ. 5

Ibidem.

Matthæi 7

Lib. 2. de ſerm. Dom. in mõte.

Pſalmus contra partem Donati, Liber vnus.

20 VOlens etiam cauſam Donatiſtarum ad ipſius humillimi vulgi, & omnino imperitorum atq; idiotarum notitiã peruenire, & eorũ quantùm per nos fieri poſſet, inhærere memoriæ, Pſalmum qui eis cantaretur, per Latinas literas feci: ſed vſque ad v literam. Tales enim abecedarios appellãt. Tres verò vltimas omiſi, ſed pro eis nouiſsimum quaſi epilogum adiunxi, tanquam eos mater alloqueretur Eccleſia. Hypopſalma etiam quod reſpõdetur, & proœmium cauſæ, quod nihilominus cantatur, non ſunt in ordine literarum. Earum quippe ordo incipit poſt proœmium. Ideo autem nõ aliquo carminis genere id fieri volui, ne me neceſsitas metrica ad aliqua verba, quę vulgò minus ſunt vſitata, compelleret. Iſte Pſalmus ſic incipit, Omnes qui gaudetis.

Contra Epiſtolam Donatiſtæ cuiũ, Liber vnus.

21 LIbrum etiam contra Epiſtolam Donati, qui partis Donati ſecundus poſt Maiorinũ Epiſcopus apud Carthaginẽ fuit, eodem preſbyterii mei tempore ſcripſi, in qua Epiſtola ille agit, vt non niſi in eius communione Baptiſma Chriſti eſſe credatur, cui nos contradicimus. In hoc libro, dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quòd in eo tanquam in petra fundata ſit Eccleſia. Qui ſenſus etiam cõtatur ore multorum in verſibus beatiſsimi Ambroſii, vbi de gallo gallinaceo ait, Hoc ipſa petra Eccleſia canẽte, culpam diluit. Sed ſcio me poſtea ſæpiſsime ſic expoſuiſſe quod à Domino dictum eſt, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ędificabo Eccleſiam meam: vt ſuper hanc intelligeretur quem confeſſus eſt Petrus, dicẽs, Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Ac ſi Petrus ab hac Petra appellatus, perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc Petram ædificatur, & accepit claues regni cælorum. Non enim dictum eſt illi, Tu es Petra, ſed Tu es Petrus. Petra autem erat Chriſtus, quem cõfeſſus Simon, ſicut eum tota Eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus. Harum autem duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior, eligat lector. Alio loco dixi, Nullius mortem Deus quærit: quod ſic accipiendum eſt, quia homo ſibi acquiſiuit mortẽ, deſerens Deum, & acquirit qui non recurrit ad Deum, ſecundũ quod ſcriptum eſt, Deus mortem non fecit. Sed etiam illud non minus verũ eſt. Vita & mors à Domino Deo, vita ſcilicet à donante, mors à vindicante. Item quod dixi Donatum cuius Epiſtolam refellebam, rogaſſe vt Imperator inter ipſum & Cecilianum tranſmarinos Epiſcopos iudices daret: non ipſum, ſed alium Donatum, eiuſdem tamẽ ſchiſmatis hoc feciſſe probabilius inuenitur. Ille autem non erat Carthaginenſis Donatiſtarum Epiſcopus, ſed à Caſis nigris. Qui tamen primus apud Carthaginẽ ipſum nefarium ſchiſma promiſit. Nec ſanè Donatus Chartaginenſis vt Chriſtiani rebaptizarentur, inſtituit: quod ego eum inſtituiſſe credideram, quãdo Epiſtolæ reſpondebam. Nec de libro Sapientiæ ipſe abſtulit dimidiam ſentẽtiam, verba ad rem neceſſaria: vbi quum ſcriptum ſit, Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio eius? Sic iſte poſuit tanquam ſcriptum ſit, Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lauatio? Nos autem & antequam eſſet pars Donati ſic habuiſſe codices plurimos, verumetiam Afros, vt non eſſet in medio, Et iterum tangit, poſtea didicimus. Quod ſi tunc ſcirem, non in iſtum tanquam furem Diuini eloquii, vel violatorem tanta dixiſſem. Hic liber ſic incipit, Abs teipſo præſente audieram.

Matt. 16

1. Corinth. 10

Sapient. 1

Eccleſ. 2

Contra Adimantum Manichæi diſcipulum, Liber vnus.

22 EOdem tempore venerunt in manus meas quædã diſputationes Adimanti, qui fuerat Manichæi diſcipulus, quas conſcripſit aduerſus Legem & Prophetas, velut contraria eis Euangelica & Apoſtolica ſcripta demonſtrare conatus. Huic ergo reſpondi, verba eius apponens, eſſque reddẽs reſponſionẽ meam. Quod opus vno volumine concluſi, & in eo quibuſdam quæſtionibus non ſemel, ſed iterum re-

ſpondi, quoniam quod primùm reſponderam perierat: & tunc inuentum eſt, quum iam iterũ reſpondiſſem. Aliquas ſanè earũdem quæſtionum popularibus Eccleſiaſticis ſermonib⁹ ſolui: adhuc etiam quibuſdam non reſpondi. Aliquæ remanſerunt, quę rebus aliis magis vrgentibus prætermiſſa ſunt, cumulo quoque obliuionis adiuncto. In hoc ergo dixi, Certis enim *Contra Adimantum, cap. 5* quibuſdam vmbris & figuris rerum, ante Domini aduentum, ſecũdum mirabilem atque ordinatiſsimam diſtributionem temporum populus ille tenebatur, qui Teſtamentum vetus accepit: tamen in eo tanta prædicatio & prænuntiatio noui Teſtamenti eſt, vt nulla in Euangelica atque Apoſtolica diſciplina reperiãtur, quanuis ardua & Diuina præcepta & promiſſa, quæ illis etiã libris veteribus deſint. Sed addẽdum erat atque dicendum, Vt penè nulla in Euãgelica atque Apoſtolica doctrina reperiantur, quanuis ardua & Diuina præcepta & promiſſa, quæ illis etiã libris veteribus deſint. Quid eſt enim quod in ſermone Euangelico in *Matt. 5* mõte Dominus dicit, Audiſtis quia dictum eſt antiquis hoc: ego autem dico vobis hoc, ſi nihil ipſe amplius præcepit, quàm præceptum eſt in illis veteribus libris? Deinde regnũ cęlorum illi populo fuiſſe promiſſum non legimus, in his *Exod. 19* quæ promiſſa ſunt Lege data per Moſen in mõte Sina, quod propriè dicitur vetus Teſtamentum, *Galat. 4* quod præfiguratum dicit Apoſtolus per ancillam Saræ & filium eius: ſed & ibi figuratum eſt & nouum per ipſam Saram & filium eius. Proinde ſi figuræ diſcutiantur, omnia ibi prophetata reperiuntur, quæ ſunt præſentata, vel expectantur præſentãda per Chriſtum. Verũtamen propter quędam præcepta non figurata, ſed propria, quæ non in veteri Teſtamento, ſed in nouo inueniũtur, cautius & moderatius diceretur, Penè nulla, quàm nulla hîc eſſe quę non ſint & illic: quãuis & illic ſint illa duo prȩcepta de dilectione Dei & proximi, quò rectiſsimè omnia & legitimè, & Prophetica & Euãgelica & Apõſtolica referuntur. Itẽ quod di *cap. 5* xi, Tribus modis in Scripturis ſanctis filiorum nomen accipitur, minus conſyderatè dictũ eſt. Et alios enim quoſdam modos ſine dubio prętermiſimus, ſicut dicitur filius gehennæ, vel filius adoptionis. Quę vtique nec ſecundum naturam, nec ſecundum doctrinã, nec ſecundum imitationem dicuntur. Quorum trium modorum tãquam ſola ſint, exempla reddidimus. Secundum naturam, ſicut Iudæi filii Abrahæ, ſecundum doctrinã, ſicut filios ſuos, quos Euangelium docuit, Apoſtolus vocat. Secundum imitationem, ſicut filii Abrahæ nos ſumus, cuius imitamur fidem. *cap. 12* Quod autem dixi, Quum induerit incorruptionem & immortalitatem, iam non caro & ſanguis erit: ſecundum corruptionem carnalem dictum eſt carnem non futuram, non ſecundum ſubſtantiam, ſecundum quam Domini corpus etiam poſt reſurrectionẽ caro appellata eſt. Alio loco, Niſi quiſque, *cap. 26* inquam, voluntatem mutauerit, bonum operari non poteſt, quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum alio loco docet, vbi ait, Aut facite ar- *Matth. 12* borem bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Quod non eſt contra gratiam Dei, quam prædicamus. In poteſtate quippe hominis eſt mutare in melius voluntatem: ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi à Deo detur, de quo dictum eſt, De- *Ioannis 1* dit eis poteſtatem filios Dei fieri. Cùm enim hoc ſit in poteſtate, quod quum volumus facimus: nihil tam in poteſtate quàm ipſa voluntas eſt, ſed præparatur volũtas à Domino. Eo modo ergo dat poteſtatem. Sic intelligendum eſt & quod dixi poſtea, In noſtra poteſtate eſſe, vt *cap. 27* vel inferi bonitate Dei, vel excidi eius ſeueritate mereamur: quia in poteſtate noſtra non eſt, niſi quod noſtram ſequitur voluntatem. Quæ quum fortis & potens præparatur à Domino, facilè fit opus pietatis, etiam quod difficile atque impoſsibile fuit. Hic liber ſic incipit, De eo quod ſcriptum eſt.

Expoſitio quarundam propoſitionum ex Epiſtola Pauli ad Romanos, Liber vnus.

CVm presbyter adhuc eſſem, contigit vt a- 23
pud Carthaginem inter nos qui ſimul eramus, ad Romanos Epiſtola Apoſtoli legeretur, & quædam interrogabar à fratrib⁹, quibus cùm ſicut poteram, reſponderem: voluerunt ſcribi potius quæ dicebam, quàm ſine literis fundi. Vbi quum eis obtemperarem, liber vnus acceſsit ſuperioribus opuſculis meis. In quo li bro, Quod autem ait, inquã, Scimus quia Lex *Lib. expoſit. in Epiſt. ad Rom. 42* ſpiritalis eſt: ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato, ſatis oſtendit nõ poſſe impleri Legem, niſi à ſpiritalibus, quales facit gratia Dei. Quod vtique nõ ex perſona Apoſtoli accipi volui, qui iam ſpiritalis erat, ſed hominis ſub Lege poſiti, nondum ſub gratia. Sic enim prius hæc verba ſapiebam, quæ poſtea lectis quibuſdam Diuinorum eloquiorum tractatoribus, quorum me moueret auctoritas, conſyderaui diligentius, & vidi etiã de ipſo Apoſtolo poſſe intelligi, quod ait, Scimus quoniã Lex *Roman. 7* ſpiritalis eſt: ego autẽ carnalis ſum. Quod in eis libris, quos contra Pelagianos nuper ſcripſi, quantum potui diligenter oſtendi. In iſto ergo libro & hoc quod dictum eſt, Ego autem carnalis ſum, & deinde cætera vſque ad eum locum vbi dicit, Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, dixi hominem deſcribi adhuc ſub Lege, nondum ſub gratia conſtitutum benefacere volentem, ſed victum concupiſcentia carnis malefacientem. A cuius concupiſcentię dominatu non liberat, niſi gratia Dei per Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum dono Spiritus ſancti, per quem diffu- *Roman. 5* ſa charitas in cordibus noſtris vincit concupiſcentias carnis, ne conſentiamus eis ad malefaciendum, ſed potius bona faciamus. Vnde iam euertitur hæreſis Pelagiana, quæ vult, non ex

Deo

Deo nobis, sed ex nobis esse charitatem, qua bene piéque viuimus. Sed in illis libris, quos aduersus eos edidimus, etiam spiritalis hominis, iámque sub gratia constituti melius intelligi verba ista monstrauimus, propter carnis corpus, quod spiritale nõdum est (erit autem in resurrectione mortuorũ) & propter carnis concupiscentiam, cum qua ita confligunt Sancti, non ei consentientes ad malum, vt tamen eius motibus quibus repugnantibus resistunt, non careant in hac vita. Non eos autẽ habebunt in
1. Corinth. 15 illa, vbi absorbebitur mors in victoria. Propter hanc itaque concupiscentiam motúsque, quibus ita resistitur, vt tamen sint in nobis, potest quisque Sanctus iam sub gratia positus, dicere ista omnia quæ hîc esse dixi verba hominis nõdum sub gratia positi, sed sub Lege. Quod hîc
cap. 60 ostendere longum est, & hoc vbi ostenderim, dictum est. Item disputans quid elegerit Deus in nondum nato, cui dixit seruiturum esse maiorem, & quid in eodem maiore similiter nondum nato reprobauerit, de quibus propter hoc commemoratur, quanuis longè postea prolatum Propheticum testimonium, Iacob dilexi,
Malach. 1 Esau autem odio habui: ad hoc perduxi ratiocinationem, vt dicerem, Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in præscientia, quæ ipse daturus est, sed fidem elegit in præscientia, vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui Spiritum sanctum daret, vt bona operando etiam vitam æternam consequeretur. Nondum diligentius quæsieram, nec adhuc inueneram qualis sit electio gratiæ, de qua idem di-
Roman. 11 cit Apostolus, Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt: quæ vtique non est gratia, si iam merita illa præcedant, ne iam quod datur, non secundum gratiam, sed secundum debitum reddatur potius meritis, quàm donetur. Proinde quod continuò dixi, Dicit enim idem
capite 16 Apostolus, Idem Deus qui operatur omnia in omnibus. Nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus: ac deinde subiunxi, Quod ergo credimus, nostrum est: quod autem bonum operamur, illius est qui credẽtibus dat Spiritum sanctũ. profectò non dicerem, si iam scirem etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri, quę dantur in eodem Spiritu. Vtrunque ergo nostrum est propter arbitrium volũtatis, & vtrunque tamen datum est per Spiritum fidei & charitatis. Neque enim sola charitas, sed sicut scriptum est, Charitas cum fide à Deo Pa-
cap. 62 tre & Domino nostro Iesu Christo. Et quod paulò pòst dixi, Nostrum est enim credere & velle, illius autem dare credentibus & volentibus facultatẽ bene operandi per Spiritum sanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus nostris: verum est quidem, sed eadem regula & vtrunque ipsius est: quia ipse præparat voluntatem, & vtrunque nostrum: quia non fit nisi volentibus nobis. Ac per hoc quod etiam
cap. 62 postea dixi, Quia neque velle possumus, nisi vocemur: & quum post vocationem volueri-mus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quò vocat. Ac deinde subiunxi, Manifestum est ergo, non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei esse quod bene operamur: omnino verissimum est. Sed parum de ipsa vocatione disserui, quæ fit secundum propositum Dei. Non enim omnium qui vocantur talis est, sed tãtùm electorum. Itaque quod paulò pòst dixi, Sicut enim in iis, quos elegit Deus, non opera, sed fides inchoat meritum,
Ibidem. vt per munus Dei bene operẽtur. sic in iis quos damnat, infidelitas & impietas inchoat pœnæ meritum, vt per ipsam pœnam etiam malè operentur: verissimè dixi. sed fidei meritum etiam ipsum esse donũ Dei, nec putaui quęrẽdum esse, nec dixi. Et alio loco, Cui⁹ enim miseretur,
Ibidem. facit eum bene operari, inquã, & quẽ obdurat, relinquit eum vt mala operetur. Sed & illa misericordia præcedenti merito fidei tribuitur: & ista obduratio præcedenti impietati. Quod quidem verum est, sed adhuc quærẽdum erat, vtrùm & meritum fidei misericordiam Dei præueniat, id est, vtrùm ista misericordia ideo tantummodo fiat in homine, quia fidelis est, an etiam facta fuerit vt fidelis esset. Legim⁹ enim
1. Timoth. 1 dicente Apostolo, Misericordiam consequutus sum, vt fidelis essem. Non ait, Quia fidelis eram. Fideli ergo datur quidem, sed data est etiam vt esset fidelis. Rectissimè itaque alio loco in eodem libro dixi, Quoniam si non ex o-
cap. 63 peribus, sed misericordia Dei, & vocamur vt credamus, & credentibus præstatur vt bene operemur: non est gentibus ista inuidẽda misericordia: quanuis minus ibi diligenter de illa quæ per Dei propositum fit vocatione tractauerim. Hic liber sic incipit, Sensus hi sunt.

Expositio Epistolæ Pauli ad Galatas, Liber vnus.

POst hunc librum exposui eiusdem Apostoli Epistolam ad Galatas, nõ carptim, id est, aliqua prætermittens, sed continuanter & totam. Hanc autem expositionem vno volumine comprehendi. In quo illud quod dictum est, *Lib. exposit. in Epist. ad Gal. cap. 1* Priores ergo Apostoli veraces, qui non ab hominibus, sed à Deo per hominem missi sunt, per Iesum Christum, scilicet adhuc mortalem. Verax etiam nouissimus Apostolus, qui per Iesum Christum totum iam Deum, post resurrectionem eius missus est. Propter immortalitatem dictum est, totum iam Deum, quam post resurrectionem habere cœpit, non propter Diuinitatem semper immortalem, à qua nũquam recessit, in qua totus Deus erat, & tamen moriturus adhuc erat. Hunc autẽ sensum sequentia manifestant. Adiunxi enim dicens, Priores sunt cæteri Apostoli per Iesum Christum, adhuc ex parte hominem, id est, mortalem. No-
ibidem. uissimus est Paulus Apostolus per Iesum Christum iam totum Deum, id est, ex omni parte immortalem. Hoc enim dixi, exponens quod ait Apostolus, Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum

Patrem, quasi iam Iesus Christus non sit homo. Sequitur enim, Qui suscitauit eum à mortuis, vt hinc appareret cur dixerit, Neque per hominem. Proinde propter immortalitatem iam nunc non homo Christus Deus: propter substantiã verò naturæ humanæ, in qua ascendit in cœlum, etiã nũc Mediator Dei & hominũ homo Christus Iesus: quoniam sic veniet quomodo eum viderunt euntem in cælum. Item quod dixi, Gratia Dei est, qua nobis donantur peccata, vt reconciliemur Deo, Pax autem qua reconciliamur Deo: sic accipiendum est, vt tamen sciamus etiam vtrunq; ad generalem Dei gratiam pertinere, quomodo in populo Dei aliud specialiter Israel, aliud Iudas: & tamen vtrunque generaliter Israel. Item quum exponerem, Quid ergo Lex? Trãsgressionis gratia posita est: ita distinguendum putaui, vt interrogatio esset. Quid ergo? Ac deinde responsio, Lex trãsgressionis gratia posita est. Quod quidem nõ abhorret à vero: sed melior mihi videtur ista distinctio, vt interrogatio sit, Quid ergo Lex? & inferatur responsio, Transgressionis gratia posita est. Quod autem dixi, Ordinatissimè itaq; subiunxit, Quòd si Spiritu ducimini, non adhuc estis sub Lege, vt intelligamus eos esse sub Lege, quorum spiritus ita cõcupiscit aduersus carnem, vt non ea quæ volunt faciant, id est, non se teneant inuictos in charitate iustitiæ, sed à concupiscente aduersum se carne vincantur. Hoc ex illo sensu est, quo sentiebam id quod dictum est, Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non ea quæ vultis faciatis: ad eos pertinere qui sub Lege sunt, nondum sub gratia. Adhuc enim nondum intellexeram hæc verba, & illis qui sub gratia sunt, non sub Lege, propterea conuenire, quia & ipsi concupiscentias carnis, contra quas spiritu concupiscunt, quanuis eis non consentiant, nollent tamen eas habere si possent. Et ideo non quæcunque volunt, faciunt: quia volunt eis carere, nec possunt. Tunc enim eas non habebunt, quando nec corruptibilem carnem. Hic liber sic incipit, Causa propter quam scribit Apostolus.

1. Timoth. 2
Actorum 1
Ibidem.
cap. 3
cap. 5
Galat. 5

Expositio Epistolæ Pauli ad Romanos inchoatæ, Liber vnus.

25 EPistolæ quoque ad Romanos, sicut ad Galatas expositionem susceperam. Sed huius operis si perficeretur, plures libri erant futuri. Quorum vnum in sola disputatione ipsius salutationis absolui, ab initio scilicet vsq; ad illud vbi ait, Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino nostro Iesu Christo. Factũ est quippe vt immoraremur, quum vellemus soluere incidẽtem sermoni nostro difficillimam quæstionem de peccato in Spiritum sanctum, quod non remittatur, neque in hoc seculo, neque in futuro. Sed deinde alia volumina cessaui adiũgere, exponendo Epistolam totam, ipsius operis magnitudine ac labore deterritus, & in alia faciliora deflexus sum. Ita factum est, vt librum quẽ feceram primum, relinquerem solum, cuius esse titulum volui, Epistolæ ad Romanos inchoatę expositio. Vbi quod dixi, Gratiam esse in remissione peccatorum: pacem verò in reconciliatione Dei: vbicunque hoc dixi, nõ sic accipiendum est, acsi pax ipsa & reconciliatio non pertineat ad gratiam generalem, sed quod specialiter nomine gratię remissionem significauerit peccatorum. Sicut & Legem specialiter dicimus secundũ quod dictum est, Lex & Prophetæ, & generaliter vt in ea sint & Prophetæ. Hic liber sic incipit, In Epistola quam Paulus Apostolus scripsit.

Roman. 1
Matt. 12

Liber exposita. Epist. ad Roma. inchoata, ia. 7

De diuersis quæstionibus octogintatribus, Liber vnus.

EST etiam inter illa quæ scripsimus quoddam prolixum opus, quod tamen vnus deputatur liber, cuius titul⁹ est, De diuersis quæstionibus octogintatribus. Quum autem dispersæ fuissent per chartulas multas, quoniam ab ipso primo tempore conuersionis nostræ, posteaquam in Aphricam venimus, sicut interrogabar à fratribus, quando me vacantem videbant, nulla obseruata ordinatione dictatæ sunt, iussi eas iam Episcopus colligi, & vnum ex eis librum fieri, adhibitis numeris, vt quod quisque legere voluerit facilè inueniat. Harum quæstionum est, 1 Vtrùm anima à seipsa sit. 2 De libero arbitrio. 3 Vtrùm Deo auctore sit homo deterior. 4 Quæ sit causa vt sit homo deterior. 5 Vtrùm animal irrationale beatũ esse possit. 6 De malo. 7 Quæ propriè in animante anima esse dicatur. 8 Vtrùm per se anima moueatur. 9 Vtrùm corporeis sensib⁹ percipi veritas possit. In qua illud quod dixi, Omne quod corporeus sensus attingit, quod & sẽsibile dicitur, sine vlla intermissione tẽporis cõmutatur: sine dubio verum quidem non est in corporibus resurrectionis incorruptibilib⁹: sed nũc ea nullus nostri corporis sensus attingit, nisi fortè Diuinitus tale aliquid reueletur. 10 Vtrùm corp⁹ à Deo sit. 11 Quare Christus de fœmina natus sit. 12 Locus vbi titulus est, Sententia cuiusdam sapientis, non est mea, sed quia per me innotuit quibusdam fratribus, qui tunc à me ista diligentissimè colligebãt, & placuit eis, inter nostras eam scribere voluerunt. Est autem cuiusdam Fontei Carthaginensis, de mente mundãda ad videndum Deum: quod paganus quidem scripsit, sed Christianus baptizatus mortuus est. 13 Quo documento constet homines bestiis excellere. 14 Non fuisse corpus Domini Iesu Christi phantasma. 15 De intellectu. 16 De Filio Dei. 17 De scientia Dei. 18 De trina vnitate. 19 De Deo & creatura. 20 De loco Dei. 21 Vtrùm Deus auctor mali non sit. Vbi videndũ est, ne malè intelligatur quod dixi, Mali auctor nõ est, qui omnium quæ sunt auctor est: quia inquantum sunt, intantum bona sunt. Et ne hinc putetur non ab illo esse pœnam malorum, quæ vtique malum est iis qui puniuntur. Sed hoc ita dixi, quemadmodum

26

Lib. 83.

dictum

Sapient.1 Eccles.11

dictum est, Deus mortem non fecit, quum alibi scriptum sit, Mors & vita à Domino Deo est. Malorum ergo pœna quæ à Domino Deo est, malum est quidem malis: sed in bonis Dei operibus est: quoniam iustum est vt mali puniantur: & vtique bonum omne quod iustū est. 22 Deum non pati necessitatem. 23 De Patre & Filio. Vbi dixi, quòd eam ipse genuerit, qua sapiens dicitur sapientiam: sed melius

Lib.6.de Trinitate,cap.1

istam quęstionem in libro postea de Trinitate tractauimus. 24 Vtrùm & peccatū & rectè factum in libero sit voluntatis arbitrio. Quod ita esse omnino verissimum est. Sed vt ad rectè faciendum liberum sit, gratia Dei liberatur. 25 De cruce Christi. 26 De differentia peccatorum. 27 De prouidentia. 28 Quare Deus mundum facere voluerit. 29 Vtrùm aliquid sit sursum aut deorsum in vniuerso. 30 Vtrùm omnia in vtilitatem hominum creata sint. 31 Eum qui vt vult viuit, beatum esse. Nec ipsa mea est, sed Ciceronis. Vtrùm tamen quia & hæc per me innotuit fratribus, inter illa quæ colligebant scripserunt eam, volentes nosse, quemadmodum virtutes animi ab illo diuisæ ac definitæ sint. 32 Vtrùm rem vllam alius alio magis intelligat, atque ita eiusdem rei per infinitum eat intelligentia. 33 De metu. 34 Vtrùm non aliud amandū sit, quàm metu carere. 35 Quid amandum sit. In qua illud quod dixi, id esse amandū, quod nihil est aliud habere quàm nosse, non satis approbo. Neque enim Deum non

1.Corinth.3

habebant, quibus dictum est, Nescitis quia templum Dei estis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis? nec tamen eum nouerāt, vel non sicut noscendus est, nouerant. Item quod dixi, Nemo igitur beatam vitam nouit & miser est. Nouit, dixi, quomodo noscēda est. Nam quis eam penit° nescit, eorum duntaxat qui iam ratione vtuntur, quandoquidem beatos se esse velle nouerunt? 36 De nutrienda charitate. Vbi dixi, Deus igitur & animus quo amatur, charitas propriè dicitur purgatissima & consummata, si nihil aliud amatur. Quod si verū est, quo-

Ephes.5

modo ergo Apostolus ait, Nemo vnquam carnem suam odio habuit? Et ex hoc admonet, vt diligātur vxores. Sed ideo dictum est, Propriè dilectio dicitur: quoniam caro diligitur quidē, nec tamen propriè, sed propter animā cui subiacet ad vsum. Nam etsi propter seipsam videtur diligi, quum eam nolumus esse deformem, ad aliud referēdum est decus eius, ad illud, scilicet, à quo decora sunt omnia. 37 De semper nato. 38 De conformatione animæ. 39 De alimentis. 40 Cùm animarum natura vna sit, vnde hominum diuersæ volūtates. 41 Quum omnia Deus fecerit, quare non æqualiter fecerit. 42 Quemadmodum Dei sapientia Dominus Iesus Christus & in vtero

Matt.3

matris fuerit, & in cælis. 43 Quare Filius Dei in homine apparuerit, & Spiritus sanctus in columba. 44 Quare tātò pòst venit Dominus Iesus Christus. Vbi cùm generis humani tanquam vnius hominis ætates commemorarem, dixi, Nec oportuit venire Diuinitus magistrū, cuius imitatione in mores optimos formaretur, nisi tempore iuuētutis. Et adiunxi ad hoc valere quod Apostolus dicit, Sub Lege tā-

Galat.3

quam sub pædagogo paruulos custoditos. Sed

Lib.1.de Genesi contra Manichæos cap.23

potest mouere, cur alibi dixerimus Christum in generis humani sexta ætate tanquam in senectute venisse. Hoc ergo quod de iuuentute dictum est, ad vigorem feruorémque fidei refertur, quæ per dilectionem operatur. Illud autem de senectute ad temporum numerum. Potest enim intelligi vtrunque in vniuersitate hominum, quod non potest in ætatibus singulorum. Sicut in corpore non potest esse simul & iuuentus & senectus: in animo autem potest, illa propter alacritatem, ista propter grauitatē. 45 Aduersus Mathematicos. 46 De Idęis. 47 Vtrùm aliquando cogitationes nostras videre possimus. Vbi quod dixi, Angelica corpora, qualia nos speramus habituros, lucidissima atque ætherea esse credendum est: si hoc sine membris quæ nunc habemus, & sine substātia, quāuis incorruptibilis tamē carnis accipiatur,

Lib.22.de ciuitate Dei,ca.29

erratur. Multò autē melius in opere deciuitate Dei, quæstio ista tractata est, de videndis cogitationibus nostris. 48 De credibilibus. 49 Quare filii Israel sacrificabant visibiliter pecorum victimas. 50 De æqualitate Filii. 51 De homine facto ad imaginem & similitudinem Dei. Vbi quod dixi, Homo sine vita nō rectè appellatur, quum dicatur homo etiam cadauer hominis: ego saltem dicere debui, non propriè dicitur, vbi dixi, nō rectè dicitur. Item quod dixi, Neque inscitè distinguitur, quòd aliud sit imago & similitudo Dei, qui etiam Filius dicitur: aliud ad imaginē & similitudinem Dei, sicut hominem factum accepimus. Quod non ita intelligendum est, quasi homo non di-

1.Corinth.11

catur imago Dei, quum dicat Apostolus, Vir quidem non debet velare caput, quum sit imago & gloria Dei: sed dicitur etiā ad imaginem Dei, quod vnigenitus non dicitur, qui tantummodo imago est, non ad imaginem. 52 De

Gene.3

eo quod dictum est, Pœnitet me fecisse hominem. 53 De auro & argento, quod Israelitæ ab AEgyptiis acceperunt. 54 De eo

psal.72

quod scriptum est, Mihi autem adhærere Deo bonum est. Vbi quod dixi, Quod autem est omni anima melius, id Deum dicimus, magis dici debuit, Omni creato spiritu melius. 55 De eo quod scriptum est, Sexaginta sunt reginæ, & octoginta cōcubinę, & adolescētularum non est numerus. 56 De annis quadraginta sex ædificati templi. 57 De centum quinquagintatribus piscibus. 58 De Ioāne Baptista. 59 De decem virginibus. 60 De die au-

Matth.24

tem illo & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, neque Filius hominis, nisi solus Pater. 61 De eo quod scriptum est in Euangelio, turbas Dominum in mōte pauisse de quinque

Matth.14

panibus. Vbi quod dixi duos pisces, duas illas significare personas, regiam scilicet & sacerdotalem, ad quas etiã sacrosancta vnctio illa pertinebat. Dicendum potius fuit, Maximè pertinebat: quoniã vnctos aliquãdo legimus & Prophetas. Item quod dixi, Lucas qui tanquam ascendentem post abolitionem peccatorum, sacerdotem Christum insinuauit, per Nathan ascendit ad Dauid, quia Nathan Propheta missus erat, cuius correptione Dauid ipsius peccati abolitionem pœnitendo impetrauit: non sic accipiendum est, tanquam ipse fuerit Nathan Propheta, qui filius Dauid, quia nec hoc dictum est, quia ipse Propheta missus erat: sed dictum est, quia Nathan Propheta missus erat, vt mysterium non in eodem homine, sed in eodem nomine intelligatur. 62 De eo quod scriptum est in Euangelio, Quòd baptizabat Iesus plures quàm Ioannes, quanuis ipse non baptizaret, sed discipuli eius. Vbi quod dixi, Latro ille cui dictum est à Domino, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso: qui nec ipsum Baptismum acceperat. Hoc quidem & alios ante nos rectores sanctæ Ecclesiæ posuisse in suis literis inuenimus, sed quibus documentis satis possit ostendi, quòd non fuerit baptizatus ille latro, ignoro. De qua re in posterioribus quibusdam opusculis nostris diligentius disputatum est, maximè in eo quod ad Vincẽtium Victorem de animæ origine scripsimus. 63 De verbo. 64 De muliere Samaritana. 65 De resurrectione Lazari. 66 De eo quod scriptum est, An ignoratis fratres (scientibus enim Legem loquor) quia Lex dominatur homini in quantum tempus viuit? Vsque ad eum locum in quo scriptum est, Viuificabit & mortalia corpora vestra, per inhabitantem Spiritum eius in vobis. Vbi illud quod ait Apostolus, Scimus autem quia Lex spiritalis est: ego autem carnalis sum, exponere volens, dixi, id est, carni consentio, nondum spiritali gratia liberatus. Quod non sic accipiendum est, quasi spiritalis homo iam sub gratia constitutus, etiam de seipso nõ possit hoc dicere, Venundatus sum sub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odio malum, illud facio. & cætera quæ sequuntur vsque ad eum locum, vbi dictum est, Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Quod postea didici, sicut iam sum antè cõfessus. Rursus exponens quod ait Apostolus, Corpus quidem mortuum est propter peccatum. Mortuum, inquam, corpus dicit, quãdiu tale est vt indigentia rerum temporalium molestet animam. Sed multò melius mihi postea visum est, & ideo mortuum corpus dictum, quod habeat iam moriendi necessitatem, quam non habuit ante peccatum. 67 De eo quod scriptum est, Existimo enim quòd indignæ sint passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, vsque ad illud quod dictum est, Spe enim salui facti sumus. Vbi quum exponerem quod scriptum est, Et ipsa creatura liberabitur à seruitute interitus, dixi, Et ipsa creatura, id est, ipse homo, quum iam signaculo imaginis propter peccatum amisso remansit tantummodo creatura. Quod non ita accipiendum est, quasi totũ amiserit homo quod habebat imaginis Dei. Nam si omnino non amisisset, non esset propter quod diceretur, Reformamini in nouitate mentis vestræ: &, In eandem imaginem transformamur. Sed rursum si totum amisisset, nihil maneret vnde diceretur, Quanquam in imagine ambulet homo, tamen vanè conturbatur. Item quod dixi spiritaliter summos Angelos viuere, infimos verò animaliter, audacius dictum est de infimis quàm vt possit, vel Scripturis sãctis, vel ipsis rebus ostẽdi: quia etsi forsitan potest, difficillimè potest. 68 De eo quod scriptum est, O homo, tu quis es qui respondeas? Vbi dixi, Quia etiam si leuioribus quisque peccatis, aut certè quanuis grauioribus & multis, tamen magno gemitu & dolore pœnitendi misericordia Dei dignus fuerit, non ipsius est, qui si relinqueretur interiret. sed miserentis Dei, qui eius precibus doloribúque subuenit. Parum est enim velle, nisi Deus misereatur: sed Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit ad pacem. Hoc dictum est post pœnitentiam, Nam est misericordia Dei etiam ipsam præueniens voluntatem, quæ si non esset, non præpararetur voluntas à Domino. Ad eam misericordiam pertinet & ipsa vocatio, quæ etiam fidem præuenit. De qua paulò pòst quum agerem dixi, Hæc autem vocatio, quę siue in singulis hominibus, siue in populis, atq; in ipso genere humano per tẽporum opportunitates operatur, altæ & profundæ Domini ordinationis est. Quò pertinet etiam illud, In vtero sanctificaui te, & quum esses in renibus patris tui, vidi te. Et, Iacob dilexi, Esau autem odio habui, &c. Quanuis testimonium illud, Quum esses in renibus patris tui, vidi te: vnde mihi tanquam scriptum sit, occurrerit, nescio. 69 De eo quod scriptum, Tunc & ipse Filius subiectus ei erit, qui illi subiecit omnia. 70 De eo quod Apostolus dicit, Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors contẽtio tua? vbi est mors aculeus tuus? Aculeus autem mortis peccatum est: virtus verò peccati Lex. 71 De eo quod scriptum est, Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. 72 De temporibus æternis. 73 De eo quod scriptum est, Et habitu inuentus vt homo. 74 De eo quod scriptum est in Epistola ad Colossenses, In quo habemus redemptionem & remissionem peccatorũ, qui est imago Dei inuisibilis. 75 De hæreditate Dei. 76 De eo quod Apostolus Iacobus dicit, Vis autem scire homo inanis, quia fides sine operibus otiosa est? 77 De timore, vtrùm peccatum sit. 78 De pulchritudine simulachrorum. 79 Quare Magi

Lucæ 3

Ioannis 4

Lucæ 23

De origine animæ ad Vincentium Victorem lib. 3. cap. 6

Roman. 7

Roman. 8

Roman. 12
1. Corinth. 3

lib. 6 de Genesi ad literã, cap. 10

Ieremiæ

1. Corinth. 15

Galat. 6

Philip. 3

Coloss. 1

Iacob 2

Magi Pharaonis fecerunt quædã miracula ſicut Moſes famulus Dei. 80 Aduerſus Apollinariſtas. 81 De quadrageſima & quinquageſima. 82 De eo quod ſcriptum eſt, Quem enim diligit Dominus corrigit: flagellat autem omnem filium quem recipit. 83 De coniugio in eo quod Dominus ait, Si dimiſerit vxorem ſuam excepta cauſa fornicationis. Hoc opus ſic incipit, Omne verum.

Matth. 10

De mendacio, Liber vnus.

27 ITem de mendacio ſcripſi librum, qui etſi cum aliquo labore intelligitur, habet tamen non inutilem ingenii & mẽtis exercitationem, magiſſque moribus ad veriloquium diligendum proficit. Hunc quoque auferre ſtatueram de opuſculis meis, quia obſcurus & anfractuoſus, & omnino moleſtus mihi videbatur, propter quod eum nec edideram. Deinde cùm poſtea ſcripſiſſem alterum, cuius titulus eſt, Contra mendacium, multò magis iſtum nõ eſſe decreueram & iuſſeram: ſed non eſt factum. Itaque in iſta retractatione opuſculorum meorũ, quum eum incolumem reperiſſem, etiã ipſum retractatum manere præcepi, maximè quia in eo nonnulla ſunt neceſſaria, quæ in illo altero non ſunt. Propterea verò illius inſcriptio eſt, Contra mendacium: iſtius autem, De mendacio: quoniam per illum totum oppugnatio eſt aperta mendacii: iſtius autem magna pars in inquiſitionis diſputatione verſatur. Ad eundem tamen finem vterque dirigitur. Hic liber ſic incipit, Magna quæſtio eſt de mendacio.

DIVI AVRELII HIPPONENSIS Epiſcopi, Retractationum Liber ſecundus.

De diuerſis quæſtionibus ad ſanctum Simplicianum, Libri duo.

1 LIbrorum quos Epiſcopus elaboraui, primi duo ſunt ad Simplicianum Eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtitem, qui beatiſſimo ſucceſſit Ambroſio, de diuerſis quæſtionib⁹, quarum duas ex Epiſtola Pauli Apoſtoli ad Romanos in primum librum contuli. Harum prior eſt de eo quod ſcriptũ eſt, Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit: vſque ad illud vbi ait, Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. In qua illa Apoſtoli verba, Lex ſpiritalis eſt, ego autẽ carnalis ſum, &c. quibus caro contra ſpiritum confligere oſtenditur, eo modo expoſui, tanquam homo deſcribatur adhuc ſub Lege, nondum ſub gratia conſtitutus. Longè enim poſtea & ſpiritalis hominis, & hoc probabili⁹ eſſe poſſe illa verba cognoui. Poſterior in hoc libro quæſtio eſt, ab eo loco, vbi ait, Non ſolùm autem illa, ſed & Rebecca ex vno concubitu habens Iſaac patris noſtri, vſque ad illud vbi ait, Niſi Dominus ſabaoth reliquiſſet nobis ſemẽ, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſem⁹. In cuius quęſtionis ſolutione, laboratũ eſt quidem pro libero arbitrio voluntatis humanæ, ſed vicit Dei gratia. Nec niſi ad illud potuit peruenire, vt liquidiſſima veritate dixiſſe intelligatur Apoſtolus, Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti? Si autẽ accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Quod volẽs etiã Martyr Cyprianus oſtẽdere, hoc totum ipſo titulo definiuit, dicẽs, In nullo gloriãdum, quãdo noſtrum nihil eſt. In ſecundo libro tractantur cæteræ quæſtiones, & pro noſtra quantulacunque facultate ſoluuntur, quæ ſunt omnes de Scriptura, quæ Regnorum appellatur. Harum prima eſt de eo quod ſcriptum eſt, Et inſiluit Spirit⁹ Domini in Saul, cùm alibi dicatur, Et Spiritus Domini malus in Saul. Quam cùm exponerem, dixi, Quãuis ſit in cuiuſq; poteſtate quid velit, nõ eſt tamẽ in cuiuſquã poteſtate quid poſsit: Quod ideo dictũ eſt, quia non dicimus eſſe in poteſtate noſtra, niſi quod cùm volumus fit. vbi prius & maxime eſt ipſum velle. Sine vllo quippe interuallo tẽporis præſtò eſt voluntas ipſa, cùm volum⁹: ſed hãc quoque ad bene viuẽdum deſuper accipimus poteſtatẽ, cùm præparatur voluntas à Domino. Secunda quæſtio eſt, quomodo dictum ſit, Pœnitet me quòd conſtituerim regẽ Saul. Tertia, vtrùm immundus ſpiritus qui erat in Pythoniſſa, potuerit agere vt Samuel à Saule videretur, & loqueretur cum eo. Quarta de eo quod ſcriptum eſt, Intrauit rex Dauid, & ſedit ante Dominũ. Quinta de eo quod dixit Helias, O Domine teſtis huius viduæ, cum qua ego inhabito apud ipſam, tu malè feciſti occidere filium eius. Hoc opus ſic incipit, Gratiſsimam plane.

In libro de prædeſtinatione Sanctorum, cap. 4

Roman. 7

Roman. 9

Eſaiæ 1

1. Corin. 4

1. reg. 10. & 16

1. Reg. 7

Contra Epiſtolam quam vocant fundamentum, Liber vnus.

2 LIber cõtra Epiſtolam Manichæi, quam vocant fundamenti, principia eius ſola redarguit, ſed in cęteris illius partibus annotationes, vbi videbatur affixæ ſunt, quibus tota ſubuertitur, & quibus commonerer, ſi quando contra totam ſcribere vacauiſſet. Hic liber ſic incipit, Vnum verum Deum.

De agone Chriſtiano, Liber vnus.

3 LIber de agone Chriſtiano fratribus in eloquio Latino ineruditis humili ſermone cõſcriptis eſt, fidei regulam cõtinens & præcepta viuendi. In quo illud quod poſitũ eſt, Nec eos audiamus, qui carnis reſurrectionem futuram negant, & commemorant quod ait Apoſtolus Paulus, Caro & ſanguis regnum Dei nõ poſſidebunt, nõ intelligentes quod ipſe dicit Apoſtol⁹, Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatẽ. Cùm enim hoc factum fuerit, iam non erit caro & ſanguis, ſed cæleſte corpus: non ſic accipiendum eſt, quaſi carnis non ſit futura ſubſtantia: ſed carnis & ſanguinis nomine ipſam corruptionem carnis & ſanguinis intelligendus eſt Apoſtolus nuncupaſſe, quæ vtique in regno illo nõ erit, vbi caro incorruptibilis erit. Quanuis & aliter poſsit intelligi, vt carnem & ſanguinem, opera carnis & ſanguinis dixiſſe

De agone Chriſtiano, cap. 12.

accipiamus Apostolum, & eos regnum Dei nō possessuros, qui perseueranter ista dilexerint. Hic liber sic incipit, Corona victoriæ.

De doctrina Christiana, Libri quatuor.

4 LIbros de doctrina Christiana, quum imperfectos comperissem, perficere malui, quàm eis sic relictis ad alia tractanda transire. Compleui ergo tertium, qui scriptus fuerat vsque ad eum locum, vbi cōmemoratum est ex Euangelio testimonium de muliere, quæ abscondit fermentum in tribus mensuris farinæ, donec fermentaretur totum. Addidi etiam nouissimum librum: & in quatuor libris opus illud impleui: quorum primi tres adiuuant, vt Scripturæ intelligantur: quartus autem quomodo quæ intelligimus proferenda sint. In secundo sanè libro de auctore libri, quem plures vocant Sapiētiam Salomonis, quòd etiam ipsum sicut Ecclesiasticum Iesus filius Syrach scripserit, non ita constare, sicut à me dictum est, postea didici, & omnino probabilius comperi non esse hunc eius libri auctorem. Vbi autem dixi, His quadraginta quatuor libris Testamēti veteris terminatur auctoritas, ex cōsuetudine qua iam loquitur Ecclesia, vetus Testamentum appellaui. Apostolus autem non videtur appellare vetus Testamētum, nisi quod datum est ei in monte Sina. Et in eo quod dixi de tēporum historia secundum Ambrosium soluisse quæstionem, tanquā coætanei fuerint Plato & Hieremias, me fefellit memoria. Nam quid ille Episcop⁹ de hac re senserit, in libro eius legitur, quem de sacramētis siue de Prophetia scripsit. Hoc opus sic incipit, Sunt præcepta quædam.

cap. 25 Lucæ 13

cap. 8

Galat. 4

Contra partem Donati, Libri duo.

5 SVnt duo libri mei, quorum titulus est, Cōtra partem Donati. In quorum primo libro dixi, mihi non placere vllius secularis potestatis impetu schismaticos ad cōmunionem violenter arctari. Quod verè tunc mihi non placebat, quia nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum eis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ. Hoc opus sic incipit, Quoniam Donatistæ nobis.

Confessionum, Libri tredecim.

6 CONfessionum mearū libri tredecim, & de malis & de bonis meis Deum laudant iustū & bonum, atque in eum excitant humanum intellectum & affectum: interim quod ad me attinet, hoc in me egerunt, quum scriberētur, & agunt cùm leguntur. Quid de illis alii sentiāt, ipsi viderint: multis tamen fratribus eos multum placuisse & placere scio. A primo vsque ad decimum de me scripti sunt. In tribus cæteris de Scripturis sanctis, ab eo quod scriptum est, In principio fecit Deus cęlum & terram, vsque ad sabbati requiem. In quarto libro, cùm de amici morte animi mei miseriam confiterer, dicens, quòd anima mea vna quodammodo facta fuerat ex duabus: & ideo, inquam, fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaueram, quæ mihi quasi declamatio leuis quàm grauis confessio videtur, quanuis vtcunque temperata sit hæc ineptia in eo quod additū est, forte. Et illud in libro tertiodecimo quòd dixi firmamentum factum inter spiritales aquas superiores, & corporales inferiores, non satis consyderatè dictum est, Res autem in abdito est valde. Hoc opus sic incipit, Magnus es Domine, & laudabilis valde.

Genes. 1

Contra Faustum Manichæum, Libri triginta tres.

7 CONtra Faustum Manichæum blasphemātem Legē & Prophetas, & eorū Deum & incarnationē Christi, Scripturas autē noui Testamēti, quib⁹ cōuincitur, falsatas esse dicentē, scripsi grāde opus, verbis eius ꝓpositis reddens respōsiones meas. Trigīta & tres disputationes sunt, quas etiā libros cur non dixerim? Nā etsi sunt in eis aliqui perbreues, tamē libri sunt. Vnus verò eorum vbi à nobis aduersum eius criminationes Patriarcharū vita defenditur, tātæ prolixitatis est, quātæ nullus ferè librorū meorū. In libro ergo tertio, cùm soluerē quęstionē quomodo potuerit duos patres habere Ioseph, dixi quidē quòd ex alio natus, ab alio fuerit adoptatus, sed genus quoq; adoptionis dicere debui: sic enim sonat quod dixi, tanquam eum viuus adoptauerit alius pater. Lex autē filios etiā mortuis adoptabat, iubens vt fratris sine filiis mortui duceret frater vxorē, & fratri defuncto semen ex eadē susciteret, quę profectò de duobus vnius hominis patribus expeditior ibi redditur ratio. Vterini autē fratres fuerūt, in quibus hoc contigit, vt vnius defuncti qui vocabatur Heli, duceret alter vxorem, id est, Iacob, à quo Matthæus narrat genitum esse Ioseph: sed vterino fratri suo eum genuit, cuius filium Lucas dicit fuisse Ioseph, nō vtique genitum, sed ex Lege adoptiuū. Hoc in eorum literis inuentum est qui recenti memoria post ascēsionem Domini de hac re scripserunt. Nam etiā nomē eiusdē mulieris quę peperit Iacob patrē Ioseph de priore marito Nathā, qui fuit pater Iacob, auus Ioseph secundū Matthæum, & de marito posteriore Melchi peperit Heli, cui⁹ erat adoptiuus Ioseph, non tacuit Africanus. Quod quidem cum Fausto respondere, nōdum legeram: sed tamen per adoptionē potuisse cōtingere, vt vnus homo duos haberet patres, dubitare nō poterā. In duodecimo & tertiodecimo de filio Noe secundo, qui est appellat⁹ Cham, ita disputatum est, tanquā nō in filio suo Chanaan, sicut Scriptura demonstrat, sed in seipso fuerit à patre maledictus. In quartodecimo de sole & luna talia dicta sunt, tanquam sentiāt, & ideo tolerent vanos adoratores suos, quanuis verba ibi accipi possint ab animali ad inanima le trāslata, modo locutionis, qui vocatur Grecè Metaphora, sicut de mari scriptū est, quòd fremat in vtero matris suę voles progredi, cùm vtique non habeat voluntatem. In vndetricesimo, Absit, inquam, vt sit in mēbris Sāctorum etiam genitalibus aliqua turpitudo. Dicuntur quidem inhonesta, quia non habent eam speciem decoris, quā mēbra quę in prōptu locata

Deuter. 25

sunt,

sunt: sed probabilior in aliis postea Scripturis nostris reddita ratio est, cur ea dixerit etiã Apostolus inhonesta, propter legẽ scilicet in mẽbris repugnantẽ legi mẽtis, quę de peccato accidit, nõ de prima nostrę institutione naturę. Hoc opus sic incipit, Faustꝰ quidã fuit genere Afer.

1. Corinth. 12 Roman. 7

Contra Felicem Manichæum, Libri duo.

8 CONtra Manichęum quendam nomine Felicem, præsente populo in Ecclesia biduo disputaui. Hipponem quippe venerat, eundem seminaturus errorẽ. Vnus enim erat ex doctoribus eorum, quanuis ineruditus liberalibus literis, sed tamẽ verlutior Fortunato. Gesta sunt Ecclesiastica: sed inter meos libros computantur. Duo ergo libri sunt: in quorum secũdo disputatum est de libero voluntatis arbitrio, siue ad malum operandum, siue ad bonum. sed de gratia qua verè liberi sunt, quibus scriptum est, Si vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis, diligentius disputare, quoniam talis erat cum quo agebamus, nulla sumus necessitate compulsi. Hoc opus sic incipit, Honorio Augusto.

Possidonius in vita Augustini, cap. 19

Ioannis 8

De natura boni aduersus Manichæos, Liber vnus.

9 LIber de natura boni aduersus Manichæos est, vbi ostenditur naturam incommutabilem Deum esse, ac summum bonum, atque ab illo esse cæteras naturas, siue spiritales, siue corporales, atque omnes inquantum naturæ sunt, bonas esse, & quid, vel vnde sit malum, & quãta mala Manichęi ponãt in natura boni, & quãta bona in natura mali, quas naturas finxit error ipsorum. Hic liber sic incipit, Summum bonum, quo superius non est, Deus est.

Contra Secundinum Manichæum, Liber vnus.

10 SEcundinus quidam, non ex eis quos Manichęi electos, sed ex eis quos auditores vocãt, quem nec facie quidem noueram, scripsit ad me velut amicus, honorificè obiurgans, quòd oppugnarem literis illam hæresim, & admonens ne facerem, atque ad eam potius sectandam exhortans, cum eius defensione, & fidei catholicæ reprehensione. Huic respondi. Sed quia in eiusdem opusculi capite nõ posui, quis cui scriberem, non in Epistolis meis, sed in libris habetur. Illic ab exordio conscripta est etiam eius Epistola. Huius autẽ mei titulus est, Contra Secundinum Manichæum: quod mea sententia omnibus quæ aduersus illam pestem scribere potui, facilè præpono. Hic liber sic incipit, Tua in me beneuolentia.

Contra Hilarium tribunitium, Liber vnus.

11 INter hæc Hilarius quidam vir tribunitius laicus catholicus, nescio vnde aduersus Dei ministros, vt fieri assolet, irritatus, morem qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, vt hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro, siue ante oblationẽ, siue quum distribueretur populo quod fuisset oblatum, maledica reprehensione vbicunque poterat lacerabat, asserẽs fieri non oportere. Huic respõdi iubẽtibus fratribus. Vocabatur & liber ipse, Cõtra Hilariũ. Hic liber sic incipit, Qui dicunt mentionem.

Quæstionum Euangeliorum, Libri duo.

12 SVnt quædam expositiones quorundam locorum ex Euangelio secundum Matthęum, & aliæ similiter secundum Lucam: in vnum librum illæ, in alterum istæ redactæ sunt. Titulus autem huius operis est, Quæstiones Euangeliorum. Sed quare illa sola de supradictis Euangelicis libris expositа fuerint, quę his libris meis continentur, & quæ ista sint, prologus meus, adiunctis atque enumeratis eisdem quęstionibus, ita vt quisque legere quod voluerit, numeros secutus inueniat, satis indicat. In primo ergo libro in eo quod positum est, Dominum seorsum duobus discipulis suam retulisse passionem, mendositas codicis nos fefellit. Nã duodecim scriptum est, non duobus. In secundo libro volens exponere quomodo duos patres potuerit habere Ioseph, cuius coniunx dicta est virgo Maria, illud quod perhibetur fratrem duxisse defuncti fratris vxorem, vt ei semen secũdum Legem suscitaret, ideo dixi esse infirmum, quoniam qui nasceretur, nomẽ defuncti Lex eum iubebat accipere: non est verũ. Nomen enim defuncti quod dictum est, ad hoc Lex valere præcepit, vt eius filius diceretur, nõ ad hoc, vt hoc quod ille vocaretur. Hoc opus sic incipit, Hoc opus non ita scriptum est.

Deut. 25

Annotationes in Iob, Liber vnus.

13 LIber cuius est titulus, annotationes in Iob, vtrùm meus habendus sit, an potius eorum qui eas sicut potuerunt vel voluerunt, redegere in vnum corpus, descriptas de frontibus codicis, non facilè dixerim. Suaues enim pauciſſimis intelligentibus sunt, qui tamen necesse est offendantur multa non intelligentes: quia nec ipsa verba, quæ exponuntur ita descripta sunt in multis locis, vt appareat quid exponatur. Deinde breuitatem sententiarum tanta est sequuta obscuritas, vt eam lector vix ferre possit, quẽ necesse est plurima non intellecta transire. Postremò tam mendosum comperi opus ipsum in codicibus nostris, vt emendare non possem, nec editum à me dici vellem, nisi quia scio fratres id habere, quorum studio non potuit denegari. Hoc opus sic incipit, Et opera magna erant ei super terram.

De catechizandis rudibus, Liber vnus.

14 EST etiam liber noster de catechizandis rudibus, hocipso titulo prænotatus. In quo libro vbi dixi, Nec Angelus, qui cum spiritibus aliis satellitibus suis superbiendo deseruit obedięt iam Dei, & diabolus factus est, aliquid nocuit Deo, sed sibi. Nouit enim Deus ordinare deferentes se animas: conuenientius dicetur, deferentes se spiritus, quoniam de Angelis agebatur. Hic liber sic incipit, Petisti me, frater Deogratias.

De catechizandis rudibus, capite 18

De Trinitate, libri quindecim.

15 LIbros de Trinitate, quæ Deus est, quindecim scripsi per aliquot annos. Sed cùm eorum duodecimum nondum perfeciſſem, & eos diutius tenerem, quàm possent sustinere qui vehementer habere cupiebant, subtracti sunt

mihi minus emendati, quàm deberent ac posſent, quãdo eos edere voluiſſem. Quod poſteaquam cõperi, quia & alia eorum apud nos exẽplaria remãſerunt, ſtatueram eos iam ipſe non edere, ſed ſic habere vt in alio aliquo opuſculo meo quid mihi de iis euenerit dicerem: vrgentibus tamen fratribus, quia reſiſtere non valui, emendaui eos, quantum emendandos putaui, & compleui, & edidi, adiungens eis à capite Epiſtolam, quam ſcripſi ad venerabilem Aurelium Epiſcopum Carthaginẽſis Eccleſiæ, quo tanquam prologo expoſui, & quid accidiſſet, & quid facere mea cogitatione voluiſſem, & quid fratrum charitate compellẽte feciſſem. In quorum libro vndecimo, quum de corpore viſibili agerem, dixi, Quocirca id amare alienari eſt: *cap. 5* quod ſecundum eum morem dictum eſt, quo aliquid ſic amatur, vt eo fruẽdo exiſtimet beatum ſe eſſe qui hoc amat. Nam nõ eſt alienari, in laudem Creatoris amare ſpeciem corporalem, vt ipſo Creatore fruens quiſque verè beatus ſit. Itémque in eodem vbi dixi, Nec autem *cap. 10* quadrupedem memini, quia non vidi: ſed phãtaſiam talem facillimè intueor, dum alicui formæ volatili qualem vidi, adiungo alios duos pedes, quales itidem vidi. Hæc dicens non potui recolere volatilia, quadrupedia, quæ Lex commemorat. Neque enim computat in pedibus duo poſteriora crura, quibus locuſtæ ſaliunt, quas dicit mundas: & ideo diſcernit ab immundis talibus volatilibus, quæ non ſaliunt illis cruribus, ſicut ſunt ſcarabei. Omnia quippe huiuſmodi volatilia, quadrupedia vocantur in Lege. In duodecimo velut expoſitor verborum Apoſtoli vbi ait, Omne peccatum, quodcunque fecerit homo extra corpus eſt, nõ mihi ſatisfacit, nec ſic puto intelligẽdum quod *1. Corinth. 6* dictum eſt, Qui autem fornicatur in corpus proprium peccat, tanquam ille hoc faciat, qui propter adipiſcẽda ea quæ per corpus ſentiuntur, vt in iis finem boni ſui ponat, aliquid agit. Hoc enim longè plura peccata complectitur, quàm illa fornicatio, quæ cõcubitu perpetratur illicito, de qua loquutum, quum hoc diceret, Apoſtolum apparet. Hoc opus ſic incipit, Lecturis hæc quæ de Trinitate diſſerimus.

De conſenſu Euangeliſtarum, Libri quatuor.

16 PEr eoſdem annos, quibus paulatim libros de Trinitate dictabam, ſcripſi & alios labore continuo, interponens eos illorum temporibus, in quibus ſunt libri quatuor de conſenſu Euangeliſtarum, propter eos qui tanquam diſſentientes calumniantur. Quorum primus *Libr. 1. de conſenſu Euangeliſtarũ, cap. 7* liber aduerſus eos ſcriptus eſt, qui tanquã maximè ſapientem Chriſtum vel honorant, vel honorare ſe fingunt, & ideo nolunt Euangelio credere, quia nõ ab ipſo illa cõſcripta ſunt, ſed ab eius diſcipulis, quos exiſtimãt ei Diuinitatẽ, qua crederetur Deus, errore tribuiſſe. In quo libro, quod dixi ex Abrahã cœpiſſe gentem Hebræorũ, eſt quidem & hoc credibile, vt Hebræi velut Habræi dicti eſſe videantur: ſed ex illo verius intelliguntur appellati, qui vocabatur Heber, tãquam Hebræi: de qua re in libro ſexto decimo de ciuitate Dei ſatis diſſerui. In ſecundo autem libro cùm agerem de duobus patribus Ioſeph, ab altero dixi genitum, ab altero adoptatum. Sed dicendum fuit, alteri adoptatũ. Defuncto enim, quod magis credẽdum eſt, ſecundum Legem fuerat adoptatus, quoniam qui eum genuit, eius matrẽ fratris defuncti coniugem duxerat. Item vbi dixi, Lucas verò ad ipſum Dauid per Nathan aſcendit, per quem Prophetam Deus peccatum illius expiauit: per cuius nominis Prophetam dicere debui, ne putaretur idem fuiſſe homo, cùm alter fuerit, quanuis & ipſe hoc vocaretur. Hoc opus ſic incipit, Inter omnes diuinas auctoritates.

Contra Epiſtolam Parmeniani Donatiſtarum Epiſcopi, Libri tres.

IN tribus libris contra epiſtolam Parmeni- 17
ni Donatiſtarum Charthaginenſis Epiſcopi, ſucceſſoríſque Donati, quæſtio magna verſatur & ſoluitur, vtrùm in vnitate & eorũdem communione ſacramẽtorum mali contaminẽt bonos, & quemadmodum contaminent diſputatur, propter Eccleſiã toto orbe diffuſam, cui calumniando ſchiſma fecerũt. In quorum libro tertio cum differeretur, quomodo ſit accipiendum quod ait Apoſtolus, Auferte malum ex vobiſipſis, illud quod dixi, vt ex ſeipſo quiſque auferat malum, non ſic eſſe intelligendum, ſed ſic potius, vt homo malus auferatur ex hominib⁹ bonis. Quod fieri pro Eccleſiaſtica diſciplina, ſatis lígua Græca indicat, vbi ſine ambiguitate ſcriptum eſt, vt intelligatur, hic malus, non hoc malum: quanuis & ſecundum iſtum intellectũ reſpõderim Parmeniano. Hoc opus ſic incipit, Multa quidẽ & alia aduerſus.

De Baptiſmo, Libri ſeptem.

COntra Donatiſtas auctoritate beatiſsimi 18
Cypriani ſe defendere molientes, ſeptem libros de Baptiſmo ſcripſi, in quibus docui nihil ſic valere ad refellendos Donatiſtas, & ad eorũ ora claudenda, ne aduerſus catholicam Eccleſiam ſuam ſchiſma defendant, quomodo literas factúmque Cypriani. Vbicunque autem in his libris commemoraui Eccleſiam non habẽ- *Epheſ. 5* tem maculam aut rugam, non ſic accipiendum eſt quaſi iã ſit, ſed que præparatur vt ſit, quãdo apparebit etiam glorioſa. Nunc enim propter quaſdã ignorãtias & infirmitates mẽbrorũ ſuorum, habet vnde quotidie tota dicat, Dimitte *Matthæi 6* nobis debita noſtra. In quarto libro cùm dicerem, vicem Baptiſmi poſſe habere paſsionẽ, nõ ſatis idoneũ poſui illius latronis exẽplum, qui vtrùm fuerit baptizatus, incertum eſt. In libro ſeptimo de vaſis aureis & argẽteis in domo magna conſtitutis, ſenſum Cypriani ſecutus ſum, qui hæc accipit in bonis: in malis autẽ lignea & fictilia, ad illa referẽs quod dictũ eſt, Alia quidẽ in honorem: ad hęc autem quod dictũ eſt, Alia verò in cõtumeliam. Sed magis approbo quod apud Tychonium poſtea reperi vel aduerti, in vtriſque intelligẽdum, quædã in honorẽ, non

ſola

sola scilicet aurea & argẽtea, & rursus in vtrisque quædam in contumeliam, non vtique sola lignea & fictilia. Hoc opus sic incipit, In eis libris quos aduersus.

Contra quod attulit Centurius à Donatistis, Liber vnus.

19 CVm aduersus partem Donati multa crebris disputationibus ageremus, attulit ad Ecclesiam quidam laicus tunc eorum, nõnulla contra nos dicta vel scripta in paucis velut testimoniis, quæ suæ causæ suffragari putant. His breuissimè respondi. Huius libelli titulus est, Contra quod attulit Centurius à Donatistis. Et incipit sic, Dicis eò quòd scriptum est à Salomone.

Ad inquisitiones Ianuarii, Libri duo.

20 LIbri duo, quorum est titulus, Ad inquisitiones Ianuarii, multa de sacramentis continent disputata, siue quæ vniuersaliter, siue quæ particulariter, id est, non per ea quæ in omnibus locis obseruat Ecclesia: nec tamen omnia commemorari potuerunt, sed satis ad inquisita respõsum est. Quorum librorum priõr Epistola est. Habet quippe in capite, quis ad quem scribat. sed ideo inter libros annumeratur hoc opus, quoniam sequens, qui nomina nostra non habet, multò est prolixior, & in eo multò plura tractantur. In primo igitur quod de manna dixi, quoniam vnicuique secundum propriam voluntatem in ore sapiebat, non mihi occurrit vnde possit probari, nisi ex libro Sapientiæ, quem Iudæi non recipiunt in auctoritatem canonicam, quod tamen fidelibus potuit prouenire, non illis aduersus Deum murmuratoribus, qui profectò alias escas non desyderarent, si hoc eis saperet manna quod vellent. Hoc opus sic incipit, Ad ea quæ me interrogasti.

Ad inquisitiones Ianuarii, cap. 3

De opere monachorum, Liber vnus.

21 VT de opere monachorum librum conscriberem, illa me necessitas compulit, quòd cùm apud Carthaginẽ monasteria esse cœpissent, alii se suis manibus transigebant, obtemperantes Apostolo: alii verò ita ex oblationibus religiosorum viuere volebant, vt nihil operantes vnde necessaria vel haberent, vel supplerent: sed potius implere præceptum Euangelicum existimarent atque iactarent, vbi Dominus ait, Respicite volatilia cæli, & lilia agri. Vnde etiam inter aliquot inferioris propositi, sed tamen studio feruentes, existere cœperant tumultuosa certamina, quibus Ecclesia turbaretur, aliis hoc, aliis aliud defendentibus. Huc accedebat, quòd criniti erant quidam eorum, qui operandum non esse dicebant. Vnde contentiones, hinc reprehendentium, inde quasi pugnantium pro partium studiis augebantur. Propter hoc venerabilis senex Aurelius, Ecclesiæ ipsius ciuitatis Episcopus, vt hinc aliquid scriberem iussit, & feci. Hic liber sic incipit, Iussioni tuæ sancte frater Aureli.

Matth. 6

De bono coniugali contra Iouinianum, Liber vnus.

IOuiniana hæresis, sacrarum virginum meritum æquando pudicitiæ coniugali, tantum valuit in vrbe Roma, vt nonnullas etiam sanctimoniales, de quarum pudicitia suspicio nulla processerat, deiecisse in nuptias diceretur. Hoc maximè argumento, quum eas vrgeret dicens, Tu ergo melior quàm Sara, melior quàm Susanna, siue Anna? & cæteras commemorando testimonio sanctæ Scripturæ commendatissimas fœminas: quibus se illæ, meliores, vel etiam pares cogitare non possent. Hoc modo etiam virorum sanctorum sanctum cœlibatum commemoratione patrum coniugatorum & prædicatione frangebat. Huic mõstro sancta Ecclesia, quæ ibi est, fidelissimè ac fortissimè restitit. Remanserant autem istæ disputationes eius in quorundam sermunculis ac susurriis, quas palàm suadere nullus audebat. Sed etiam occultè venenis repentibus, facultate quam dominabat Dominus, occurrendum fuit: maximè quoniam iactabatur Iouiniano responderi non posse cum laude, sed cum vituperatione nuptiarum. Propter hoc librum edidi, cuius inscriptio est, De bono coniugali. Vbi de propagatione filiorum priusquam homines mortem peccando mererentur, quoniam concubitus mortalium corporum res videtur, quæstio magna dilata est. Sed in aliis postea literis nostris, satis quantum arbitror explicatur. Dixi etiam quodam loco Quod enim est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis, & vtrumque non est sine delectatione carnali, quæ tamen modificata, & temperantia refrenante in vsum naturalem redacta, libido esse non potest. Quod ideo dictum est, quoniam libido non est bonus & rectus vsus. Sicut enim malum est malè vti bonis, ita bonum est bene vti malis. De qua re alias maximè contra nouos hæreticos Pelagianos diligentius disputaui. De Abraham quod dixi, Ex hac obedientia pater ille Abraham, qui sine vxore non fuit, esse sine vnico filio & à se occiso paratus fuit: non satis approbo. Magis enim filium si esset occisus, resuscitatione sibi mox fuisse reddendum, credidisse credendus est sicut in Epistola legitur, quæ est ad Hebræos. Hic liber sic incipit, Quoniam vnusquisque homo. 22

Hebr. 11

De sancta virginitate, Liber vnus.

POsteaquam scripsi de bono coniugali, expectabatur vt scriberem de sancta virginitate, nec distuli: atque id Dei munus, & quàm magnum, & quanta humilitate custodiendum esset, vno sicut potui volumine ostendi. Hic liber sic incipit, Librum de bono coniugali nuper edidimus. 23

De Genesi ad literam, Libri duodecim.

PEr idem tempus de Genesi libros duodecim scripsi ab exordio, donec de paradiso dimissus est Adam, & flammea rhomphæa posita est custodire viam ligni vitæ. Quum autem ad hoc vsque vndecim libri peracti essent, duo- 24

decimum addidi, in quo diligentius de paradiso disputatum est. Titulus horum librorum inscribitur, De Genesi ad literam, id est, non secundum allegoricas significationes, sed secũdum rerum gestarum proprietatem. In quo opere plura quæsita quàm inuenta sunt, & eorũ quæ inuenta sunt pauciora firmata. Cætera verò ita posita, velut adhuc requirenda sint. Hos sanè libros posterius cœpi: sed prius terminaui quàm de Trinitate: ideo eos nunc ordine quo cœpi recolui. In quinto libro, & vbicunque in eis libris posui, de semine cui repromissum est, quòd dispositum sit per Angelos in manu Mediatoris, nõ sicut habet Apostolus, sicut veriores codices pòst inspexi, maximè Græcos. De Lege enim dictum est, quod tanquam de semine dictum multi Latini codices habent, per interpretantis errorem. In sexto libro quod dixi, Adam imaginem Dei, secundum quam factus est, perdidisse peccato: non sic accipiẽdum est, tanquam in eo nulla remanserit, sed quod tam deformis, vt reformatione opus haberet. In duodecimo, de inferis magis mihi videor docere debuisse quòd sub terris sint, quàm rationem reddere cur sub terris esse credantur, siue dicantur, quasi ita non sit. Hoc opus sic incipit, Omnis diuina Scriptura bipartita est.

Contra literas Petiliani, Libri tres.

25 ANtequam finirem libros de Trinitate, & libros de Genesi ad literã, irruit causa respõdendi literis Petiliani Donatistæ, quas aduersus catholicã scripsit Ecclesiam, quã differre non potui. Et scripsi in hanc rem tria volumina, quorum primo primæ parti Epistolæ ipsius, quam scripsit ad suos, quia non tota in nostras manus venerat, sed prior pars eius parua: quanta potui celeritate & veritate respondi. Etiam ipsa Epistola est ad nostros. sed ideo inter libros habetur, quia cæteri duo in eadem causa libri sunt. Postea quippe inuenimus totam, eíque tanta diligentia respondi, quanta Fausto Manichęo, verba scilicet eius sub ipsius nomine prius ponens particulatim, & sub meo per singula responsionem meã. Sed prius quod scripseram, antequam totam reperiremus, peruenit ad Petilianum. Et iratus respondere conatus est, in me potius dicens quidquid ei libuit: in causa verò omnino deficiens. Quod quum posit collatis vtriusque scriptis, facillimè aduerti: tamen propter tardiores hoc ipse respondendo demonstrare curaui: sic est additus eidem nostro operi liber tertius. Hoc opus in primo libro sic incipit, Nostis nos sępe voluisse. In secundo autem sic, Primis partibus Epistolæ Petiliani. In tertio autem sic, Legi Petiliane literas tuas.

Contra Cresconium Grammaticum, Libri quatuor.

26 GRammaticus etiam quidã Donatista Cresconius, quum inuenisset Epistolam nostram, qua primas partes, quæ in manus meas tunc venerat, Epistolæ Petiliani redargui, putauit mihi esse respõndendum: & hoc ipsum scripsit ad me. Cui operi citius libris quatuor respondi: ita sanè, vt tribus peragerem quod vniuersa responsio flagitabat. Sed quum viderem me sola Maximianensium causa, qua suos schismaticos damnauerunt, & eorum alios rursus in suis honoribus receperunt, Baptismúmque ab eis extra suam cõmunionem datum non repetiuerunt, respondere non posse ad cuncta quæ scripsit, etiam librum quartum addidi, in quo idipsum quantum potui diligenter atque euidenter ostendi. Hos autem quatuor libros, quando scripsi, iam cõtra Donatistas leges dederat Honorius imperator. Hoc opus sic incipit, Quando ad te Cresconi.

Probationum & testimoniorum contra Donatistas, Liber vnus.

POst hęc vt ad Donatistas peruenirent, contra eorum errorem, & pro catholica veritate necessaria documenta curaui, siue de Ecclesiasticis, siue de publicis gestis, siue de Scripturis canonicis. Et primò ad illos eadem promissa direxi, vt ipsi ea si fieri posset exposcerent. Quę quum venissent in eorum quorundam manus, nescio quis extitit, qui suo nomine tacito contra hoc scriberet, ita se confitens Donatistam, tanquam hoc vocaretur. Cui ego respondens, alium librum scripsi. Illa verò documenta, quæ promiseram, eidem libello, quo promiseram iunxi, & ex vtroque vnum esse volui, cúmq; sic edidi, vt in parietibus basilicæ, quę Donatistarum fuerat, prius propositus legeretur: cuius titulus est, Probationum & testimoniorum contra Donatistas. In quo libro absolutionem Felicis Aptugnensis ordinatoris Cæciliani, non hoc ordine proposuimus, quo postea nobis claruit Consulibus diligenter inspectis: sed tanquam post Cæcilianum fuerit absolutus, cùm antè sit factum. Illud quod commemorato Iudæ Apostoli testimonio, vbi ait, Ii sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes: adiunxi etiam dicens, De quibus Paulus Apostolus dicit, Animalis autem homo nõ percipit ea quæ sunt Spiritus Dei: non sunt isti illis equãdi, quos omnino ab Ecclesia schisma pręcidit. Istos quippe idem Apostolus Paulus, paruulos dicit esse in Christo, quos nõdum escam valentes capere, lacte nutrit: tamen illi non filiis paruulis, sed in mortuis & perditis computandi sunt, & si quis eorum correctus Ecclesiæ fuerit copulatus, rectè de illo dici potest, Mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuẽtus est. Hic liber sic incipit, Qui timetis consentire Ecclesiæ catholicæ. 27 1. Corinth. 2 1. Corinth. 3 Luca 15

Contra nescio quem Donatistam, Liber vnus.

ALterius libri, quem suprà commemoraui, titulum hunc esse volui, Contra nescio quem Donatistam: vbi similiter de absolutione ordinatoris Cæciliani verus ordo temporis nõ est. Illud etiã quod dixi, Ad multitudinẽ zizaniorum, vbi intelliguntur omnes hæretici, minus habet vnam necessariam cõiunctionem. Dicendum enim fuit, Vbi intelliguntur etiam omnes hæretici, aut vbi intelliguntur etiam 28

omnes

omnes hæreſes. Nunc verò ita dictum eſt, quaſi prẽter Eccleſiam tantummodo ſint zizania, nõ etiam in Eccleſia, quum ipſa ſit regnum Chriſti, de quo collecturi ſunt Angeli eius, meſsis tempore omnia ſcandala. Vnde & Cyprianus Martyr, Et ſi videntur, inquit, in Eccleſia eſſe zizania, nõ tamen impediri debet, aut fides, aut charitas veſtra, vt quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus. Quem ſenſum etiam nos aliàs, & maximè aduerſus Donatiſtas eoſdem præſentes in collatione defendimus. Hic liber ſic incipit, Probationes rerum neceſſariarum.

Admonitio Donatiſtarum de Maximianiſtis, Liber vnus.

29 CVm viderẽ multos legendi labore impediri à diſcendo, quàm nihil rationis atq; veritatis habeat pars Donati, libellum breuiſsimum feci, quo eos de ſolis Maximianiſtis admonendos putaui, vt poſſet facilitate deſcribendi in manus plurium peruenire, & ipſa ſui breuitate facilius commendari memoriæ, cui titulũ impoſui, Admonitio Donatiſtarum de Maximianiſtis. Hic liber ſic incipit, Quicunque calumniis hominum.

De diuinatione dæmonum, Liber vnus.

30 PER idem tempus accidit mihi ex quadam diſputatione neceſsitas, vt de diuinatione dæmonum libellum ſcriberẽ, cuius titulus iſte ipſe eſt. In quodam autem eius loco dixi, Dæmones aliquando & hominum diſpoſitiones, non ſolùm voce prolatas, verumetiam cogitatione conceptas, quum ſigna quædam ex animo exprimũtur, in corpore tota facilitate perdiſcere. Rem dixi occultiſsimam audaciore aſſeueratione quàm debui. Nam peruenire iſta ad notitiam dæmonum, per nõnulla etiam experimenta cõpertum eſt. Sed vtrùm ſigna quædam dentur ex corpore cogitantium illis ſenſibilia, nos autem latentia: an alia vi, & ea ſpiritali, iſta cognoſcant, aut difficillimè poteſt ab hominibus, aut omnino non poteſt inueniri. Hic liber ſic incipit, Quodam die in diebus ſanctis octauarum.

De diuinatione dæmonum, cap. 5

De ſex quæſtionibus contra Paganos expoſitis ad Deogratias, Liber vnus.

31 INter hæc miſſæ ſunt mihi à Carthagine quæſtiones ſex, quas propoſuit amicꝰ quidã, quẽ cupiebam fieri Chriſtianum, vt cõtra Paganos ſoluer ẽtur, quia nonnullas earum à Porphyrio Philoſopho propoſitas dixit. Sed non eum eſſe arbitror Porphyrium Siculum, cuius celeberrima eſt fama. Harum quæſtionum diſputationes in vnum librum contuli, non prolixum, cuius eſt titulus, Sex quæſtiones contra Paganos expoſitæ. Earum autẽ prima de reſurrectione: ſecunda de tempore Chriſtianę religionis: tertia de ſacrificiorum diſtinctione: quarta de eo quod ſcriptum eſt, In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis: quinta de Filio Dei ſecundum Salomonem: ſexta de Iona Propheta. In quarum ſecunda quòd dixi, Salus religionis huius, per quam ſolam veram ſalus vera, veracitérque promittitur, nulli vnquam defuit, qui dignus fuit: & cui defuit, dignus non fuit: non ita dixi, tanquam ex meritis ſuis quiſquam dignus fuerit: ſed quemadmodum ait Apoſtolus, Nõ ex operibus, ſed ex vocãte dictũ eſſe, Maior ſeruiet minori, quã vocationẽ ad Dei ꝓpoſitũ aſſerit pertinere. Vnde dicit, Nõ ſecundũ opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam. Et vnde item dicit, Scimus quoniam diligentibus Deũ, omnia cooperãtur in bonũ, iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. De qua vocatione ait, Vt dignos vos habeat vocatione ſua ſancta. Hic liber poſt Epiſtolam, quæ poſtmodum à capite addita eſt, ſic incipit, Mouet quoſdam.

Matt. 7

Roman. 9

2. Timoth. 1

Roman. 8

Expoſitio Epiſtolæ ſancti Iacobi, Liber vnus.

32 INter opuſcula mea reperi expoſitionẽ Epiſtolę Iacobi Apoſtoli, quã retractans aduerti annotationes potius expoſitorum quorundam eius locorũ in librum redactas fratrum diligẽtia, qui eas in frontibus codicis eſſe voluerunt. Adiuuãt ergo aliquid, niſi quod ipſam Epiſtolam, quam legebamus, quãdo iſta dictaui, non diligẽter ex Græco habebamus interpretatam. Hic liber ſic incipit, Duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione.

De peccatorum meritis, & remiſſione, ac de Baptiſmo parvulorum ad Marcellinum, Liber vnus.

33 VEnit etiam neceſsitas, quæ me cogeret aduerſus nouam Pelagianam hæreſim ſcribere, cõtra quã prius cùm opus erat, nõ ſcriptis, ſed ſermonibus & collocutionibus agebamus, vt quiſq; poterat aut audebat. Miſsis ergo mihi à Carthagine quæſtionibꝰ eorũ, quas reſcribẽdo diſſoluerã, ſcripſi primùm libros tres, quorum titulus eſt, De peccatorũ meritis & remiſſione, vbi maximè diſputatur de Baptiſmate paruulorum propter originale peccatũ, & gratia Dei, qua iuſtificamur, id eſt, iuſti efficimur: quanuis in hac vita nemo ita ſeruet mãdata iuſtitiæ, vt nõ ſit ei neceſſarium pro ſuis peccatis orando dicere, Dimitte nobis debita noſtra: contra quã omnia ſentientes illi nouam hæreſim cõdiderunt. In his autẽ libris tacẽda adhuc arbitratus ſum nomina eorum, ſic eos facilius poſſe corrigi ſperãs: imò etiam in tertio libro, quæ eſt Epiſtola, ſed in libris habita propter duos, quibus eam connectendam putaui: Pelagii ipſius nomẽ nõ ſine laude aliqua poſui, quia vita eius à multis prædicabatur, & eius illa redargui, quæ in ſuis ſcriptis, non ex perſona ſua poſuit, ſed quid & ab aliis diceretur expoſuit, quæ tamen poſtea iam hæreticus pertinaciſsima animoſitate defendit. Cęleſtius verò diſcipulus eius iam propter tales aſſertiones apud Carthaginẽ in Epiſcopali iudicio, vbi ego interfui, excõmunicationem meruerat. In ſecundo libro in quodam loco, Hoc quibuſdam, inquam, in fine largietur, vt mortẽ repentina cõmutatione non ſentiant: ſeruans locum diligẽtiori de hac re inquiſitioni. Aut enim non morientur, aut de vita iſta in mortem, & de morte in ęternam vitam celerrima commutatione, tanquam in ictu oculi mortem non ſentient.

Roman. 6

Lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione, cap. 31

Hoc opus sic incipit, Quanuis in mediis & magnis curarum æstibus.

De vnico Baptismo, Liber vnus.

34 EO tempore librum de vnico Baptismo amicus quidam meus, à nescio quo Donatista presbytero accepit, indicante quòd Petilianus Episcopus eorum Cõstantinensis eum scripserit. Hũc ad me ille attulit, ac vehemẽter vt ei respõderem rogauit: & factum est. Librum autem meum, in quo respondi, vnde titulum habere volui, hic est, De vnico Baptismo. In quo libro illud quod dixi, Constantinum imperatorem Donatistis criminantibus ordinatorem Cæciliani Felicem Aptugnẽsem, non negasse accusationis locum, quanuis eos in Cęciliani fictis criminibus calumniosos fuisset expertus: in ordine temporum postea consyderatum, aliter inuentum est. Nam prius memoratus Imperator causam Felicis fecit audiri à Proconsule, vbi legitur absolutus, & postea ipse Cęcilianum cum accusatoribus eius auditum, comperit innocẽtem: vbi eos expertus est in eis criminibus calumniosos. Qui ordo temporum per Consules declaratus, multò vehementius in ea causa calumnias Donatistarum conuincit, penitúsque subuertit: quod ibi ostẽdimus. Hic liber sic incipit, Respondere diuersa sentientibus.

De vnico Baptismo, cap. 16

De Maximianistis contra Donatistas, Liber vnus.

35 SCripsi etiam librum inter cætera cõtra Donatistas, non breuissimum sicut antea, sed grandem, multò diligentius, in quo apparet quemadmodum eorum aduersus Ecclesiam catholicam impium ac superbissimum errorem sola funditus Maximianistarum causa subuertat, quod schisma factum est ex ipsa parte Donati. Hic liber sic incipit, Multa iam diximus, multa iam scripsimus.

De gratia noui Testamenti ad Honoratum, Libri tres.

36 EO ipso tempore, quo cõtra Donatistas vehementer exercebamur, & contra Pelagianos exerceri iam cœperamus, amicus quidam mihi misit quinque à Carthagine quæstiones, & rogauit vt eas illi exponerem. Quæ sunt, Quid sibi velit vox illa Domini, Deus meus, Deus me⁹, vt quid me dereliquisti? Et quid sibi quod ait Apostolus, Vt in charitate radicati & fundati, prævaleatis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, altitudo, & profundum. Et quæ sint quinque virgines stultæ, quæve sapientes. Et quæ sint tenebræ exteriores. Et quomodo intelligendum sit, Verbum caro factum est. Ego autem intuens suprà dictam hæresim nouam inimicã gratiæ Dei, sextam mihi proposui quæstionẽ de gratia noui Testamenti. De qua disputans, interposita expositione Psal. 21. in cuius capite scriptũ est, quòd Dominus exclamauit in cruce, quod ille amicus in primis mihi proposuit exponendum, omnia illa quinque dissolui, non hoc ordine quo erant proposita, sed sicut mihi differenti de gratia noui Testamenti, tanquam suis locis congruenter occurrere potuerunt. Hic liber sic incipit, Quinque mihi proposuisti tractandas quæstiones.

Matt. 27

Ephes. 3

Matthæi 25

Ioannis 1

psalm. 25

De spiritu & litera ad Marcellinum, Liber vnus.

37 AD quem scripseram tres libros, quorum titulus est, De peccatorum meritis & remissione, vbi diligenter disputatur etiam de Baptismo paruulorum, rescripsit mihi se fuisse permotum, quòd dixerim fieri posse vt sit homo sine peccato, si voluntas eius non desit, ope adiuuãte Diuina, quanuis nemo tam perfectæ iustitiæ in hac vita vel fuerit, vel sit, vel futurus sit. Quæsiuit enim quomodo dixerim posse fieri, cuius rei desit exemplum. Propter hanc eius inquisitionẽ, scripsi librum, cuius est titulus, De spiritu & litera, pertractans Apostolicam sententiam, vbi ait, Litera occidit, Spiritus autem viuificat. In quo libro quantum Deus adiuuit, acriter disputaui cõtra inimicos gratiæ Dei, qua iustificatur impius. Quum autem agerem de obseruationibus Iudæorum, à quibusdam escis secũdum veterem legem abstinẽtium, dixi, Quarundum escarum ceremoniæ, quod nomen nõ est in vsu literarũ sanctarum: ideo tamen mihi congruens visum est, quòd à carẽdo appellatas ceremonias, quasi carimonias memoria tenebam, eò quòd obseruantes careãt his rebus, quibus abstinẽt. Quòd si est origo alia huius nominis, quæ abhorret à sua religione, secundum hanc ego non sum loquutus, sed secũdum istam, quam suprà memorani. Hic liber sic incipit, Lectis opusculis, quæ ad te nuper elaboraui.

2. Corin. 3

Roman. 4

De spiritu & litera, cap. 22

De fide & operibus, Liber vnus.

38 INterea missa sunt mihi à quibusdam fratribus laicis quidem, sed Diuinorum eloquiorum studiosis scripta nonnulla, quæ ita distinguerent à bonis operibus Christianam fidem, vt sine hac nõ posse, sine illis autem posse peruenire suaderetur ad æternam vitam. Quibus respondens librum scripsi, cuius nomen est, De fide & operibus. In quo disputaui, non solùm quemadmodum viuere debeãt gratia Dei regenerati: verumetiam quales ad lauacrum regenerationis admitti. Hic liber sic incipit, Quibusdam videtur.

Breuiculus collationum, Libri tres.

39 POsteaquam facta est cum Donatistis nostra collatio, breuiter commemoraui quæ gesta sunt, literisque comprehendi secundum tres dies, quibus cum eis contulimus. Idque opus vtile existimaui, quo quisque commonitus, vel sciat sine labore quid actum sit, vel cõsultis numeris, quos rebus singulis annotaui, legat in eisdem gestis ad locum quodcunque voluerit: quoniam fatigant illa nimia prolixitate lectorem. Huius autem operis titulus est, Breuiculus collationum. Hoc opus sic incipit, Quum catholici Episcopi, & partis Donati.

Post collationem contra Donatistas, Liber vnus.

40 LIbrum etiam scripsi grãdem satis, quãtum existimo diligẽter ad ipsos Donatistas post collationem, quam quum Episcopis eorum habuimus, ne ab eis seducerẽtur vlterius. Vbi respondi

respõdi etiam quibusdam vanitatibus eorum, quę ad nos peruenire potuerũt, quas vbi potuerant, & quomodo poterant iactabãt, præter illa quæ dixi de gestis collationis, vbi quid actũ sit breuiter nosceretur. Multò autem breuius id egi in quadã ad eosdem rursus Epistola. Sed quia in cõcilio Numidiæ omnibus qui ibi aderamus hoc fieri placuit, non est in Epistolis meis. Sic quippe incipit, Syluanus senex, Valẽtinus, Aurelius, Innocentius, Maximinus, Optatus, Augustinus, Donatus, & cæteri Episcopi de cõcilio Zertensi, ad Donatistas. Hic liber sic incipit, Quid adhuc Donatistę seducimini?

De videndo Deo ad Paulinam, Liber vnus.

41 DE videndo Deo scripsi librum, vbi de spiritali corpore quid erit in resurrectione Sanctorum, inquisitionem diligẽtiorem distuli, vtrùm, vel quomodo Deus, qui spiritus est, etiam per corpus tale videatur: sed eam postea quæstionem sanè difficillimam in nouissimo, id est, in vicesimo & secundo libro de ciuitate Dei, satis quantùm arbitror explicaui. Inueni etiam in quodam nostro codice, in quo & iste liber est, quoddam cõmonitorium à me factum de hac re ad Episcopum Siccensem Fortunatianum, quod in opusculorum meorum indiculo, nec inter libros, nec inter Epistolas est nominatum. Hic liber sic incipit, Memor debiti. Illud autem, Sicut præsens rogaui.

Lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 29

De natura & gratia contra Pelagianos, Liber vnus.

42 VEnit etiam tunc in manus meas quidem liber Pelagii, vbi hominis naturam contra Dei gratiã, qua iustificatur impius, & qua Christiani sumus, quanta potuit argumẽtatione defendit. Librum ergo quo huic respondi, defendens gratiam, non contra naturam, sed per quã natura liberatur & regitur, De natura & gratia nuncupaui. In quo verba quædã quę velut Sixti Romani Episcopi & Martyris, Pelagius posuit, ita defendi, tanquam re vera eiusdem Sixti essent: id enim putauerã. Sed postea legi Xisti Philosophi esse, non Christiani. Hic liber sic incipit, Librum quem misistis.

Rom. 4

In libro de natura & gratia cap. 64

De ciuitate Dei, Libri viginti duo.

43 INterea quum Roma Gotthorum irruptione, agentium sub rege Alarico, atque impetu magnę cladis euersa est: eius euersionẽ deorum falsorum multorúmque cultores, quos vsitato nomine Paganos vocamus, in Christianam religionem referre conantes, solitò acerbius & amarius Deum verum blasphemare cœperunt. Vnde ego exardescẽs zelo domus Dei, aduersº eorum blasphemias vel errores, libros de ciuitate Dei scribere instituí. Quod opº per aliquot annos me tenuit, eò quòd alia multa intercurrebant, quę differre nõ oporteret, & me prius ad soluendum occupabant. Hoc autem de ciuitate Dei grande opus, tandem viginti duobus libris est terminatum. Quorum quinque primi eos refellunt, qui res humanas ita prosperari volunt, vt ad hoc multorum deorum cultum, quos Pagani colere consueuerunt, necessarium esse arbitrentur. & quia prohibentur mala ista exoriri atque abundare contendunt. Sequentes autem quinque aduersus eos loquuntur, qui fatentur hæc mala, nec defuisse vnquam, nec defutura mortalibus, & ea nunc magna, nunc parua, locis, temporibus, personisque variari, sed deorum multorum cultum, quo eis sacrificatur, propter vitam post mortem futuram esse vtilem disputant. His ergo decem libris, duæ istæ vanæ opiniones Christianæ religioni aduersariæ refellũtur. Sed ne quis quam nos aliena tantùm redarguisse, non autẽ nostra asseruisse reprehenderet, id agit pars altera operis huius, quæ duodecim libris continetur. Quanquam vbi opus est, & in prioribus decem, quæ nostra sunt asseramus, & in duodecim posteriorib⁹ redarguam⁹ aduersa. Duodecim ergo librorum sequentium primi quatuor continent exortum duarum ciuitatũ, quarum est vna Dei, altera huius mundi. Secundi quatuor excursum earum siue procursum. Tertii verò, qui & postremi, debitos fines. Ita omnes viginti & duo libri cùm sint de vtraque ciuitate conscripti, titulum tamen à meliore acceperunt, vt de ciuitate Dei potius vocarẽtur. In quorum decimo libro non debuit pro miraculo poni in Abrahæ sacrificio flammam cælitus factam inter diuisas victimas cucurrisse, quoniam hoc illi in visione monstratum est. In decimoseptimo libro, quod dictum est de Samuele, Non erat de filiis Aaron, dicendum potius fuit, non erat filius sacerdotis. Filios quippe sacerdotum defunctis sacerdotibus succedere magis legitimi moris fuit. Nã in filiis Aaron reperitur pater Samuelis: sed sacerdos nõ fuit, nec ita in filiis, vt eum ipse genuerit Aarõ, sed sicut omnes illius populi dicuntur filii Israel. Hoc opus sic incipit, Gloriosissimam ciuitatem Dei.

De ciuitate Dei, libro 10. cap. 8

1. Reg. 23

Ad Orosium contra Priscillianistas & Origenistas, Liber vnus.

44 INter hæc Orosii cuiusdam Hispani presbyteri cõsultationi de Priscillianistis, & de quibusdam Origenis sensibus, quos catholica fides improbat, quanta potui breuitate ac perspicuitate respondi. Cuius opusculi titulus est, Ad Orosium contra Priscillianistas & Origenistas. Et ipsa enim cõsultatio respõsioni meæ à capite adiuncta est. Hic liber sic incipit, Respondere tibi quærenti.

De origine animæ, & de sententia Iacobi Apostoli, ad beatum Hieronymum, Libri duo.

45 SCripsi etiã duos libros ad Hieronymũ presbyterum sedentem in Bethlehem, vnum de origine animæ hominis, alterum de sententia Iacobi Apostoli vbi ait, Quicũque totam Legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus: de vtroque consulens eum. Sed in illo priore quæstionem quam proposui ipse non solui: in posteriore autem quid mihi de illa soluenda videretur ipse non tacui. Sed vtrùm hoc approbaret etiam illum consului.

Iacob. 2

Reſcripſit autem, laudans eandem cõſultationem meam: ſed tamen ſibi tunc ad reſcribendum otium non eſſe reſpondit. Ego verò quouſque eſſet in corpore, hos libros edere nolui, ne fortè reſponderet aliquando, & cum ipſa reſponſione eius potius ederẽtur. Illo autem defuncto ad hoc edidi priorem, vt qui legit admoneatur, aut nõ quærere omnino quomodo detur anima naſcentibus, aut certè de re obſcuriſſima eam ſolutionem quæſtionis huius admittere, quæ contraria non ſit apertiſſimis rebus, quas de originali peccato fides catholica nouit in paruulis, niſi regenerentur in Chriſto ſine dubitatione damnandis. Poſteriorem verò ad hoc, vt quæſtionis de qua ibi agitur, etiam quę nobis viſa eſt ſolutio ipſa noſcatur. Hoc opus ſic incipit, Deum noſtrum qui nos vocauit.

Ad Emeritum Donatiſtarum Epiſcopum, Liber vnus.

46 AD Emeritum Donatiſtarum Epiſcopum, qui in collatione noſtra, quam cum illis habuimus, eorum cauſam maximè agere videbatur, aliquãdo poſt eandem collationem ſcripſi librum ſatis vtilem, quoniam res quibus vincuntur, vel victi eſſe monſtrãtur, cõmoda breuitate complectitur. Hic liber ſic incipit, Si vel nunc frater Emerite.

De geſtis Pelagii, Liber vnus.

47 PEr idem tempus in Oriente, hoc eſt, in Syria Paleſtina, Pelagius à quibuſdam catholicis fratribus ad Epiſcopalia geſta perductus eſt, eſſque abſentibus qui de illo libellum dederant, quoniam ad diem Synodi non potuerunt occurrere, ab Epiſcopis quatuordecim auditus eſt. Vbi eum dogmata ipſa damnantem, quæ inimica gratię Dei aduerſus eam de libello legebantur, catholicũ pronuntiauerunt. Sed quum in manus noſtras eadem geſta veniſſent, ſcripſi de iis librum, ne illo vel abſoluto eadem quoque dogmata putarẽtur iudices approbaſſe, quæ ille niſi damnaſſet, nullo modo ab eis indemnis exiſſet. Hic liber ſic incipit, Poſteaquam in manus noſtras.

De correctione Donatiſtarum ad Bonifacium, Liber vnus.

48 EOdem tempore ſcripſi etiã librum de correctione Donatiſtarum, propter eos qui nolebant illos legibus imperialibus corrigi. Hic liber ſic incipit, Laudo & gratulor & admiror, ſi li dilectiſſime Boniface.

De præſentia Dei ad Dardanum, Liber vnus.

49 DE præſentia Dei ſcripſi librum, vbi noſtra intentio contra hæreſim Pelagianam maximè vigilat, nõ expreſſè nominatam, ſed in eo etiam de præſentia Dei naturæ, quem Deum verum & ſummum dicimus, & de templo eius operoſè ac ſubtiliter diſputatur. Hic liber ſic incipit, Fateor frater dilectiſſime Dardane.

De gratia Chriſti & peccato originali, contra Pelagium & Cæleſtium, Libri duo.

50 POſteaquam Pelagiana hæreſis cum ſuis auctoribus ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zoſimo, cooperantibus conciliorum Aphricanorum literis, conuicta atque damnata eſt, ſcripſi duos libros aduerſus eos, vnum de gratia Chriſti, alterum de peccato originali. Hoc opus ſic incipit, Quantum de veſtra corporali, & maximè ſpiritali ſalute gaudeamus.

De geſtis cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo, Liber vnus.

ALiquando poſt collationẽ, quam cum hæ- 51
reticis Donatiſtis habuimus, orta eſt nobis neceſſitas pergendi in Mauritaniam Cæſarienſem. Ibi apud ipſam Cæſaream Emeritum Donatiſtarum Epiſcopum vidimus, vnum ſcilicet eorum ſeptem, quos pro ſuæ cauſæ defenſione delegerant, & qui in eadem cauſa maximè laborauerat. Quæ cum illo egerimus præſentibus Epiſcopis eiuſdem prouinciæ, & plebe Cæſarienſis Eccleſiæ, in qua ciuitate & ciuis & memoratorũ hæreticorum Epiſcopus fuit, Eccleſiaſtica geſta teſtantur, quæ in meis habentur opuſculis. Vbi non inueniens quid reſponderet, totum ſermonem meum, quem de ſolis Maximianiſtis in auribus eius & omnium qui aderant explicaui, tanquam mutus audiuit. Hic liber vel hæc geſta ſic incipiunt, Glorioſiſſimis imperatoribus Honorio duodecimum & Theodoſio octauum conſulibus.

Contra ſermonem Arrianorum, Liber vnus.

INter hęc venit in manus noſtras quidam ſer- 52
mo Arrianorum, ſine nomine auctoris ſui. Huic petente atque inſtante qui eum mihi miſerat, quanta potui etiã breuitate reſpondi, adiuncto eodem ſermone à capite reſponſionis meæ, & adhibitis ad ſingula numeris, quib⁹ inſpectis, quid cui locorum reſponderim, facilè poſſit aduerti. Hic liber poſt eorum ſermonẽ, qui à capite adiunctus eſt ſic incipit, Eorũ præcedenti, hac diſputatione reſpondeo.

De nuptiis & concupiſcentia ad Valerium comitem, Libri duo.

SCripſi duos libros ad illuſtrem virum co- 53
mitem Valerium, quum audiſſem Pelagianos ei neſcio quid ſcripſiſſe de nobis, quòd ſcilicet nuptias damnaremus, aſſerendo originale peccatum: quorum titulus eſt De nuptiis & cõcupiſcẽtia. Bonitatem quippe defendimus nuptiarum, ne putaretur earũ eſſe vitium cõcupiſcentia carnis, & lex in membris repugnans legi mentis, quo malo libidinis bene vtitur ad filios procreãdos pudicitia coniugalis. Vt autem duo libri eſſent, primus venit in Iuliani Pelagiani manus, & ſcripſit aduerſus eũ libros quatuor, ex quibus quidem nonnulla decerpſit, & comiti Valerio miſit, ille verò ad nos. Quæ cũ accepiſſem, alio libro ad eadem ipſa reſpondi. Huius operis primus liber ſic incipit, Hæretici noui, dilectiſſimè fili Valeri. Secundus autẽ ſic, Inter militiæ tuæ curas.

Locutionum Libri ſeptem.

SEptem libros de ſeptẽ libris Diuinarũ Scri- 54
pturarum, id eſt, Moſi quinque, & vno Ieſu Naue, & altero Iudicum feci, notatis locutionibus ſingulorum, quæ minus vſitatæ ſunt linguæ noſtræ,

noſtræ, quas parum aduertendo ſenſum quærunt qui legunt Diuinorum eloquiorum, cùm ſit locutionis genus, & nonnunquam exculpũt aliquid, quod à veritate quidem nõ abhorreat: non tamen id ſenſiſſe auctor à quo ſcriptum eſt inuenitur, ſed genere locutionis hoc dixiſſe credibilius apparet. Multa autẽ in Scripturis ſanctis obſcura, cognito locutionis genere diluceſcunt. Propter quod cognoſcenda ſunt eadem genera locutionum, vbi ſententiæ patent, vt etiam vbi latent, cognitio ipſa ſuccurrat, eáſque intentioni legentis aperiat. Huius operis titul⁹ eſt, Locutiones de Geneſi, atque ita de ſingulis libris. Quòd autem in primo libro poſui ſcriptum eſſe, Et fecit Noe omnia verba quæcunque præcepit illi Dominus, ſic fecit. eámque locutionem dixi ſimilem eſſe ei quod in conditione creaturæ poſteaquam dicitur, Et ſic eſt factum, additur, Et fecit Deus: non omni modo ſimile hoc idem mihi videtur. Denique ibi etiam ſenſus latet, hîc ſola locutio eſt. Hoc op⁹ ſic incipit, Locutiones Scripturarum.

Genes. 6

Quæſtionum Libri ſeptem.

55 EOdem tempore ſcripſi etiam libros Quæſtionum de libris eiſdẽ Diuinis ſeptẽ, quos ideo ſic appellare volui, quia ea quæ ibi diſputantur, magis quærenda propoſui, quàm quęſita diſſolui. Quanuis multò plura in eis mihi videantur ita pertractata, vt poſſint etiam ſoluta & expoſita non immeritò iudicari. Regnorũ quoque libros eodem modo iam conſyderare cœperamus, ſed nõ multò progreſſi, in alia quę magis vrgebant animum intendimus. In primo autẽ libro, vbi agitur de virgis variatis, quas ponebat Iacob in aqua, vt in conceptu poſitæ oues eas viderent quum biberent, & varios fœtus parerent: non bene à nobis expoſita eſt cauſa, cur iterum concipientibus non ponebat, id eſt, quum alios fœtus conciperent, ſed in priore conceptu. Nam quæſtionis alterius expoſitio, vbi quæritur cur dixerit ſocero ſuo Iacob, Et decepiſti mercedem meam decem agnabus, ſatis veraciter enodata demonſtrat iſtam, ſicut ſolui debuit, non ſolutam. In tertio quoque libro vbi de ſummo agitur ſacerdote, quomodo creabat filios, cùm haberet neceſſitatem bis in die ingredi in Sancta ſanctorum, vbi erat altare incenſi, ad offerendum incenſum manè & veſperè, quò non poſſet, ſicut Lex dicit, immundus intrare, & eadem Lex dicat, immundum fieri hominem etiam ex concubitu coniugali, quem iubet quidem lauari aqua: ſed & lotum dicit immundum eſſe vſque ad veſperam. Vnde dixi cõſequens eſſe, vt aut continens eſſet, aut diebus aliquibus intermitteretur incẽſum, non vidi nõ fuiſſe cõſequens. Poteſt enim ſic intelligi quod ſcriptum eſt, Immundus erit vſque ad veſperam, vt poſt ipſam veſperã iam nõ eſſet immundus, ſed vſque ad ipſam, & veſpertino iam tempore incenſum mundus offerret, quum propter creandos filios poſt matutinum incenſum mixtus eſſet vxori. Itémque vbi

Libro 1. quæſt. quæſtio. 93
Gene. 30

Gene. 31

Leuit. 6

Leuit. 15

quęſitum eſt, quomodo prohibitus eſſet ſuper funus patris ſacerdos ſũmus intrare, quum eum fieri ſacerdotẽ (quãdo vnus erat) niſi poſt mortem ſacerdotis patris non oporteret, dixi propter hoc neceſſe fuiſſe nondum ſepulto patre, ſtatim poſt eius mortem, filium eius conſtitui qui ſuccederet patri, etiam propter continuationis incẽſum, quod bis in die neceſſe erat offerri, qui ſacerdos ſuper mortem nondum ſepulti patris prohibetur intrare. Sed parum attendi, potuiſſe hoc præcipi magis propter illos qui futuri fuerant ſummi ſacerdotes, non patribus ſummis ſacerdotibus ſuccedentes: ſed tamen ex filiis, id eſt, ex poſteris Aaron, ſi fortè ſummus ſacerdos, aut filios non haberet, aut ita reprobos haberet, vt nullus eorum patri deberet ſuccedere. Sicut Samuel ſummo ſacerdoti Heli ſucceſſit, quum ſacerdotis filius ipſe non eſſet, ſed tamen ex filiis, id eſt, ex poſteris eſſet Aaron. De latrone etiam cui dictum eſt, Hodie mecum eris in paradiſo, quòd non fuerit viſibiliter baptizatus, quaſi certum poſui, quum ſit incertum: magíque illum baptizatũ fuiſſe credendũ ſit, ſicut ego quoq; alibi poſtea diſputaui. Item quod in quinto libro dixi, vbi commemorantur matres in generationibus Euangelicis, nõ eas poſitas niſi cum patribus, verum eſt quidẽ, ſed ad rem de qua agebatur non pertinet. Agebatur autem de iis qui ducebant fratrum vel propinquorum coniuges, eorũ qui ſine filiis defuncti eſſent, propter duos patres Ioſeph, quorum alterum Matthæus commemorat, alterum Lucas. De qua quæſtione diligenter in hoc opere diſſerui, quum retractaremus opus noſtrũ contra Fauſtum Manichęum. Hoc opus ſic incipit, Cùm Scripturas ſanctas.

1. Reg. 1. & 2

De Baptiſmo contra Donat. libro 4. cap. 22

De anima & eius origine Libri quatuor.

56 EOdem tempore quidam Vincẽtius Victor in Mauritania Cæſariẽſi, inuenit apud Hiſpanum quendam preſbyterum Petrum, nonnullum opuſculum meum, vbi quodã loco de origine animæ hominum ſingulorum, vtrùm ex illa vna primi hominis, ac deinde ex parentibus propagẽtur, an ſicut illi vni, ſine vlla propagatione ſingulæ ſingulis dentur, me neſcire confeſſus ſum. Veruntamen ſcire animam non corpus eſſe, ſed ſpiritum. Et contra iſta mea ad eundem Petrum ſcripſit ille duos libros, quos mihi de Cęſarea Renat⁹ monach⁹ miſit. Quibus ego lectis, reſponſione mea, quatuor reddidi, vnum ad Renatum monachum, alterum ad preſbyterum Petrum, & duos ad eundem Victorem. Sed ad Petrum, quanuis habeat libri prolixitatem, tamen Epiſtola eſt, quam nolui à tribus cæteris ſeparari. In iis autem omnibus in quibus multa neceſſaria diſſeruntur, defendi de origine animarum, quæ ſingulis hominibus dantur, cunctationem meam, & multos errores atque prauitates præſumptionis eius oſtendi. Quem tamen iuuenem nõ præproperè deteſtandum, ſed adhuc docendum quanta potui lenitate tractaui, & ab eo reſcripta cor

rectionis eius accepi. Huius operis liber ad Renatum sic incipit, Synceritatem tuam erga nos. Ad Petrum autē sic, Domino dilectissimo fratri & compresbytero Petro. Duorum verò nouissimorum ad Vincētium Victorem, Primus sic, Quòd mihi ad te scribēdum putaui. Secundus autē sic, Accipe nunc iam etiā de meipso.

De adulterinis coniugiis ad Pollentium, Libri duo.

57 SCripsi duos libros de coniugiis adulterinis, quantum potui secundū Scripturas, cupiens dissoluere difficillimam quæstionem. Quod vtrùm enodatissimè fecerim, nescio: imò verò non me peruenisse ad huius rei perfectionem sentio, quantuis multos sinus eius aperuerim, quod iudicare poterit quisquis intelligenter legit. Huius operis primi liber sic incipit, Prima quæstio est, frater. Secundus autem sic, Ad ea quæ mihi scripseras.

Contra aduersarium Legis & Prophetarum, Libri duo.

58 INterea liber quidam cuiusdam hæretici siue Marcionistæ, siue cuiuslibet eorum, quorum error opinatur, quòd istum mundū Deus non fecerit, nec Deus Legis, quæ data est per Mosen, & Prophetarum ad eandē Legem pertinentium, verus sit Deus, sed pessimus dæmō, quum apud Carthaginem multis confluentibus & attentissimè audientibus, in platea maritima legeretur, peruenerunt fratres ad eum studiosissimè Christiani, cúmque mihi redarguendum sine vlla dilatione miserunt, multum rogantes, vt nec ego respondere differrem. Refelli eum libris duobus, quos ideo prænotaui, Cōtra aduersariū Legis & Prophetarum, quia codex ipse qui missus est, nomen auctoris non habebat. Hoc opus sic incipit, Librum quē misistis fratres dilectissimi.

Contra Gaudentium Donatistarum Episcopum, Libri duo.

59 PEr idem tempus Dulcitius tribunus & notarius, hic erat in Aphrica executor imperialium iussionum contra Donatistas datarum. Qui quum dedisset literas ad Gaudētium Tamugadēsem Donatistarum Episcopum, vnum illorum septem quos in nostra collatione auctores suæ defensionis elegerant, exhortans eum ad vnitatem catholicam, & dissuadens incēdium, quo se ac suos cū ipsa in qua erat Ecclesia consumere minabatur, addens etiam, vt si se iustos putarent, fugerēt potius secundum præceptum Domini Christi, quam nefandis se ignibus concremarent. Ille rescripsit Epistolas duas, vnam breuem, festinante vt asseruit perlatore, aliā prolixam, quasi plenius diligētiúsque respōdēs. Has mihi suprà memoratus Tribunus existimauit mittendas, vt eas potius ipse refellerē. Quas ambas vno libro redargui. Qui quum in eiusdem Gaudentii peruenisset manus, rescripsit quod ei visum est ad meipsum, nulla ratione respondens, sed magis se nec respondere, nec tacere potuisse declarans. Quod quum satis posset intelligenter legentibus, & nostra atque ipsius dicta conferentibus apparere, nolui tamē sine rescripto relinquere quid quid illud fuit. Hinc factum est, vt ii nostri ad illū duo libri essent. Hoc opus sic incipit, Gaudentius Donatistarū Tamugadēsis Episcopus.

Contra mendacium, Liber vnus.

60 TVnc etiam contra mendacium scripsi librum, cuius operis ea causa extitit, quod ad Priscillianistas hęreticos inuestigandos, qui hæresim suā, nō solùm negādo atque mentiendo, verumetiam peierando existimant occulēdam, visum est quibusdam catholicis Priscillianistas se debere simulare, vt eorū latebras penetrarent. Quod ego fieri prohibens, hunc librum scripsi. Hic liber sic incipit, Multa mihi legenda misisti.

Contra duas Epistolas Pelagianorum, Libri quatuor.

61 SEquuntur libri quatuor, quos contra duas Epistolas Pelagianorū ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ Bonifacium scripsi: quia cùm in manus eius venissent, ipse mihi miserat, inueniens in illis calumniosè tunc positum nomen meum. Hoc opus sic incipit, Noueram te quidem fama.

Contra Iulianum, Libri sex.

62 INterea libri quatuor Iuliani Pelagiani, quos suprà commemoraui, venerunt etiam in manus meas, in quibus comperi illa quæ ex eis decerpserat, qui ea comiti Valerio miserat, non eodem modo quo à Iuliano dicta sunt, ad eundem comitem scripta: sed nonnulla eorum aliquantum fuisse mutata. Scripsi ergo sex libros aduersus illos quatuor: sed in eorū duobus primis, testimoniis Sanctorum qui fidē catholicā post Apostolos defenderūt, Iuliani impudētia redarguitur, qui tanquā Manichęorum dogma nobis obiiciendum putauit, quia ex Adam trahi dicimus originale peccatum, quod per lauacrum regenerationis, non solùm in maioribus, verumetiam in paruulis soluitur. Quātum autem ipse Iulianus quibusdam sentētiis suis adiuuet Manichæos, in primi libri mei parte posteriore monstraui. Cæteri autem quatuor nostri redduntur illis singulis singuli. Verùm in huius tanti támque elaborati operis quinto volumine, vbi cōmemoraui deformem maritum coniugi suæ, ne deformes pareret, proponere in concubitu formosam solere picturam, nomē hominis qui hoc facere solebat, quasi certum posui, cùm sit incertum, quia memoria me fefellit. Hoc autem Soranus Medicinæ artis magister scripsit regē Cyprium facere solere, sed nomen eius proprium non expressit. Hoc opus sic incipit, Contumelias tuas.

Enchiridion de fide, spe, & charitate, Liber vnus.

63 SCripsi etiam librum de fide, spe, & charitate, quum à me ad quem scriptus est postulasset, vt aliquod opusculum haberet meū, de suis manibus non recessurū. Quod genus Græci Enchiridion vocant. Vbi satis diligenter mihi videor esse complexus, quomodo sit colendus Deus, quam sapientiam esse hominis vtique verā diuina Scriptura definit. Hic liber sic incipit,

incipit, Dici non potest.

De cura pro mortuis gerenda, Liber vnus.

64 LIbrum de cura pro mortuis gerenda scripsi, cùm interrogat⁹ literis fuissem, vtrùm prosit cuique post mortem, quòd corpus eius apud Sancti alicuius memoriam sepeliatur. Hic liber sic incipit, Diu sanctitati tuę, coepiscope veneran de Pauline.

De octo Dulcitii quæstionibus, Liber vnus.

65 LIber quem prænotaui de octo Dulcitii quęstionibus, non esset in hoc opere commemorandus inter libros meos, quum sit confectus ex iis, quę à me in aliis antea cõscripta sũt, nisi & disputationis aliquid à nobis interpositum reperiretur in eo, & vni earũ quæstionum non ex opusculo aliquo alio meo responsionẽ, sed tũc quæ potuit occurrere reddidissem. Hic liber sic incipit, Quantùm mihi videtur.

De gratia & libero arbitrio ad Valentinum, Liber vnus.

66 PRopter eos, qui cùm defenditur Dei gratia putantes negari liberum arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitriũ, vt negent Dei gratiam, asserentes eam secundum merita nostra dari, scripsi librũ, cuius titulus est, De gratia & libero arbitrio. Ad eos autem scripsi monachos Adrumettinos, in quorum monasterio de hac re cœperat esse contentio, ita vt me consulere aliqui eorum cogerentur. Hic liber sic incipit, Propter eos qui liberum hominis arbitrium sic prædicant.

De correptione & gratia ad quos suprà, Liber vnus.

RVrsus ad eosdem scripsi alterum librum, 67
quem de correptione & gratia prænotaui, quum mihi nuntiatum esset, dixisse ibi quendam, neminem corripiendum, si Dei præcepta non facit: sed pro illo vt faciat tantummodo orandum. Hic liber sic incipit, Lectis literis vestris.

Hæc opera nonagintaquatuor, in libris ducentis triginta duobus me dictasse recolui, quando hæc retractaui, vtrùm aliquos adhuc essem dictaturus ignorans, atque ipsã eorũ retractationẽ in libris duobus edidi vrgẽtibus fratrib⁹, antequã Epistolas ac sermones ad populum alios dictatos, alios à me dictos retractare cœpissem.

FINIS TERTII TOMI.

LECTORI.

Piscatorius coagmentator huius epitomes, amicè Lector, vsus est exemplaribus longè diuersis ab iis quæ postea tum Basileæ tum Lutetiæ Parisiorum excusa sunt. Quare non miraberis sicubi hæ rapsodiæ ab illis variant. Contulimus sanè omnia cum fidei probatæ archetypis, & hæc maximè vel sensui officere vel eum peruertere deprehendimus.

Pagina 1. columna 2. versu 7. quo iam 10.1.14, desunt quædã, quæ in hunc modum supplenda sunt* etiã extra Ecclesiam, nec ideo non est ipse: & fides vna habetur sine charitate etiam extra Ecclesiam, nec ideo non est ipsa. 11.1.20, asseramus bonum & Diuinæ congruum: versu 22. alium modum possibilem Deo defuisse 16.2.20, Quid est vnius substantiæ? 17.2.48, interior per subtilitatem, 53. & immensibilitatem 19.2.52, adde titulum, DE CHRISTO DEO ET HOMINE. 21.2, in marginali spatio, Christus noluit. 24.1.49, commutabilibus 27.2.12, eos subuertat. 29.21.2, aduertere potuimus Scripturas 36.2.8, & per illud donum. 48.1.37, omnis species 52.2.13, Deus est. 70.2.53, Cap. XI. 59, dele & religionem 78.1.50, typho 90.1.81, & inuisibilẽ 99.1.15, Cum picridiis 101.2.51, Cap. XXII. 107. 2.15, merita pensantur, inuenio. 110.1.38, prius inerat 120.1.37, nulla sua voluntate 132.1. 26, Credo 151.2.55, Miraris, noui. 204.1.54, populus ille tenebatur. 218.2.35, nolentes carere. 220.1.23, indiciis. 340.2.49, videatur. Tomo 3. pag. 45. col. 2. ver. 24, volet

INDEX COPIOSISSIMVS IN PRIMVM ET

secundum Tomum huius Epitomes, in quo prior numerus paginam, posterior columnam denotat.

ABortiui fœtus sintne resurrecturi 341.2
Abraham verum tacuit, non mentitus est 372.1
Aquum nos Accusamus, deum laudamus 330.2
Adoptio filiorum plena quando fiet 18.
Acceptio personarum fugienda 188.2
AEthnæ montis mirum incendium 242.2
Abstinentiæ ex scripturis exempla 405.2
Abstinent multi vino & carnibus absque vlla superstitione 314.1
Abstinendum à cibis quo fine 314.1
deus cur Adæ præceptū dedit, quod eum sciebat non seruaturum 185.1
Aduentus domini causa 398.2.
Aduentus christi opportunitas 27.1
Adulterium quid sit 317.2
Adulatores cauendi vt inimici capitales 407.2
Aduentus domini tempus incognitum 350.2.351.1
Aduocati repetundarum postulari possunt 387.2
Aduocati pauci male extorta restituunt 387.2
Aduocatorum lingua fluuius alter babylonis 388.1
Aduocatus ob iustum patrocinium potest aliquid accipere 388.1
AEthna mons perpetuò ardet 358.2
Aer quandoque cælum dicitur 267.1
Alaricus in excidio Romæ ad martyrum memorias confugientes incolumes præstitit 238.1,2
Alexander magnus, latro magnus piratæ testimonio 290.1
Altaria duo in templo Solomonis 331.2
Altiora non scrutanda 150.1
Amazonum virtus bellica 381.2
Ambrosius contra platonem 286.1
Amandum cum deo nihil est nisi propter deum 87.1
Amicitia simulata pernicio sissima 269.2
Anaxagoræ mors 276.1
Angelus nomen est officii non naturæ 47.1
Angeli fiunt spiritus quando mittuntur 47.1
Angeli quando creati, incertum 47.1
Angelica ruina hominibus supplenda 43.1
Angeli cum qualibus corporibus apparuerunt incertum 43.2
Angelis cōducit salus per christū parta 43.2
Angelorum æqualitas qualis futura 44.1
Angeli dei contemplatione beati 44.1
Angeli nobis ministrant & subseruiunt 44.1
Angeli quomodo deum discunt 48.1
Angelicæ naturæ præstantia 48.1
Angeli non in phantasmate comederunt 48.2
Angeli dicti sunt homines dei 49.1
Angelis quomodo deus loquitur 49.2
Angelorum bonorum & malorum opera quædam similia 50.1
Angelorū erga nos solicitudo & charitas 50.2
Angeli sancti adorari nolunt 41.2
Angeli faciem patris semper vident 41.2
Angeli natura mutabiles 42.1
Angeli animas ne habeant 42.1
Angelorum visione nemo beatus esse potest 42.1
Angelis templa non construenda 42.1
Angelorum scientia in quo à nostra differat 45.1
Angeli charitate non seruitute honorandi 42.1
cur Angelorum panis dictum sit mānna 42.2
Angeli omnes æquales creati 42.2
Angeli boni à gratia dei non possunt excidere 42.2
Angeli humana natura maiores dicēdi non sunt 42.2
Angelis minor christus quomodo dictus 42.2
Angeli dei cōparatione iusti nō sunt 43.1
Angelorum bonorum & malorū opera quædam similia 270.2
Angeli deum non vident, vt est in sua natura 10.2
Angeli boni peccare potuerunt 44.2
Angeli definitio, & scita descriptio 44.2
Angeli continentur sub præcepto diligendi proximi 41.2
Angeli quomodo ederint ac biberint 340.1
Angelo præstantior homo per christum 47.1
Angelus & homo solo deo beati 47.1
Angeli operantur sine passionibus 47.2
Angelos honorare debemus charitate nō seruitute, nec eis templa construere 322.1
Angelis homo inferior 255.1
Angeli nostras preces offerunt deo 302.1
Animales fideles pertinent ad vetus testamentum 200.1
Anima quid sit 296.1
Anima quando creata 290.1
Anima præcellit omnē creaturā corporalem 289.2
Anima non est è quinta quadam essentia 289.2
Anima non se nescit, etiam quando se inquirit 289.2
Anima cur spiritus vitæ dicta 290.1
Anima sitne ex aliqua materia, an ex nihilo 290.1
Anima non est angelorum nec cæli filia 290.1
Anima vnde probatur immortalis 293.2
Animæ substantia nominari non potest 293.2
Animæ habitatio & patria, deus 293.2
Animæ quantitas dici non potest 294.1
Animæ quod naturaliter inest, nō ascribetur peccato 294.1
Anima de nihilo facta est 294.1
Anima sexu caret 294.2
Anima ad imaginem dei facta 287.1
Anima non est de dei substantia 287.1
Anima flatu dei facta 288.1
Anima non est dei flatus 288.1
Anima substantia spiritualis 286.2
Animarum reuolutionis confutatio 292.1
Animæ in corpore officia 292.2
Anima rationalis sola deum inuocat 292.2
Anima sine corpore est, sed habere potest similitudinem corporis 355.2
Anima quomodo dicitur mori 285.2
Anima immortalis 285.2
Animam dei partem non esse probatur 285.2
Anima, omnium rerū similitudo, definita à philosophis 296.2
Animæ pœna vel præmium confert aliquid proportioni pulchritudinis vniuersi 73.1
Anima in parte corporis tota sentit 285.2
Anima sponte sua lapsa 286.1
Animas peccatrices melius est esse quàm non esse 74.1
Anima corpore exuta quò migret 352.2
Anima hominis formato corpori inseritur 295.2
circa Animarum creationem errores 295.2
Anima in singulis membris tota 295.2
Animas simul omnes an deus creauerit 290.1
Anima secundum quendam modum mortalis 290.2
Anima verti non potest in aliam naturam 290.2
Anima facta ex nihilo 290.2
Anima ad deum redit 290.2
Animam & deum corpus habere scripsit tertullianus 292
de Animarū reuolutione philosophorum opiniones 288.2
Animæ vera mors 156.1
Animæ seruitus quæ sit 156.1
Animæ vita deus, vt ipsa corporis 291.1
Anima non beatificatur nisi à dei substantia 291.1
Anima non fit beata participatione angeli aut sanctæ animæ, sed dei solius 291.2
Animæ nesciunt quid sit actum de suis corporibus 354.2
Anima simplicior corpore 287.1

Animæ an singulatim quotidie creentur, an à primi hominis anima propagentur 293.1,294.1
Animæ origo nesciri potest sine periculo 293.1
Animarum rationabilium tripartita diuisio secundum platonicos 259.2
Anima princeps & domina carnis 286.2
Animæ sintne ex traduce 286.2
Animæ cum corpore amor & societas 296.2
Animæ virtus in quo consistat 296.1
Animarum status ante resurrectionem 355.1
Animalcula quædam in igne viuunt 578.2
Aurelius quod scit in se habet 293.2
Animus semper viuit 293.2
Animæ naturam non esse de elementis 289.1
Animabus hominum non immiscentur dæmones sed applicantur 278.1
Anima incorporea 285.2
Anima per corpus diffunditur non locali diffusione, sed vitali intentione 285.2
quæstio de Anima valde difficilis 287.1
Animæ defunctorum ignorant quæ hic aguntur 354.1
Animas in cælo peccasse falsum est vel conuersatas esse 291.2
Anima in modū oculi seipsam videre non potest, cætera omnia videns 277.1
Animam esse immortalem doctiores philosophi senserunt 292.1
Antichristus vnde dicatur 339.1
Antichristi persecutionis tempus incognitum 337.2
Antichristus venturus ante nouissimum iudicium 338.1
Antichristus est totum impiorum corpus 338.2
Antichristus quomodo in templo dei sedebit 338.2
de Antichristo variæ opiniones 338.2
Antichristi, qui de ecclesia exeunt 339.2
Antichristi & christi antitheſis 340.1
Antichristus regnaturus deficiente romano imperio 340.2
Antichristus vim habebit in imperio, dolum in miraculis 337.2
qui Antichristo tradendi 337.2
Antonius sine vllis literis scripturarum sanctarum scientissimus 157.1
Anthropomorphitarum hæresis 9.2
Apocryphæ scripturæ quare suspectæ 153.1
Apocryphæ scripturæ omittendæ 153.1
Apostolis per spiritum tres formæ officiorum datæ 133.1
Apostoli vbi & quando baptizati, ignoratur 102.2
Apostoli & euangelistæ differentia 392.2
Apostoli non iusti electi sed iustificandi 77.2
Apostoli quare ab imperatoribus non petierunt auxilium 224.2
Apis dæmonis opera offerebatur ægyptiis 823.1
Apotelesmata mathematicorū 269.1
Apparere quis dicatur 386.1
Apollinaristarum error 27.1
Apuleius artis magicæ accusatus 260.1
Arbitrium in malo est liberum 63.2
Arbitrium nō est liberum nisi per liberatorem christum 63.2
Arbusta vi intrinseca mouentur 289.2
Archangeli vox & tuba in nouissimo iudicio 43.1
contra Astrologorum ineptias 258.1
Athanasius in sua ecclesia cantum non admisit præterquam moderatum 162.2
Athanasius ecclesiæ defensor contra arrianos 375.1
Athanasii fuga 375.1
Auaritiæ nomine omnis cupiditas comprehenditur 408.2
Auarus animā venalem habet 408.1
Augustini constantia in verbo prædicando 140.1
Augustini modestia 390.1,2
Augustini fletus inter cantica ecclesiæ 162.2
Augustinus cur mutarit sententiam de schismaticis à Magistratu violenter ad cōmunionem arctādis 144.1
Augurum signa nulla sunt nisi ex eorum præscripto 267.1
Auguria non obseruanda 256.2

B

Baptismi veri definitio 101.1
Baptismus dari potest ab iis qui non sunt in ecclesia 112.1
Baptismi expertes an eum dare possint 112.1
Baptismus ioco datus an valeat 112.2
Baptismus in necessitate à laico dari potest 113.1
Baptismus impœnitentibus non prodest 110.1
Baptismus christi cur datus iis qui ioānis baptismo tincti erant 110.1,2
Baptismus inseparabiliter in baptizato permanet 110.2
Baptismo cōtrariarum sectarū auctores 115.1
Baptismus communis, non tamen gratia 105.1
in Baptismo reatus tollitur, carnis infirmitas remanet 121.2
non Baptizari an rebaptizari pernicio sius 107.2
Baptismus ab hæreticis datus quando valeat 108
Baptismus extra ecclesiam non prodest 104.1
Baptismus etiam post acceptum spiritum sanctum non contemnendus 101.1
à quo quis Baptizetur nihil interest 101.2
Baptismus nouæ vitæ sacramentum 101.2
Baptismum, salutem, cœnam, vitam punici vocabant 98.2
in Baptismo peccatū remittitur, non vt non insit, sed ne obsit 105.2
Baptismus hæreticorum integer 111.1
adegismi vis non permittit quenquam iterum baptizari 111.2
Baptismata sua habent & idololatræ 111.2
Baptizatus non caret concupiscentia 102.2
Baptismi ministerium hominis, potestas dei est 103.1
Baptismus non est sine verbo & aqua 103.2
Baptizare paruulos omni die licet 124.2
in Baptismo omnia peccata remitti 102.1
Baptismus non iterandus sicut nec christi mors 114.2
Baptismus repeti non potest sicut nec vterus 115.1
Baptismi exortes paruuli ob originale peccatum damnantur 66.2
cur de Baptizato non nascitur baptizatus 119.1
in Baptismo omnis vetustas absumitur 183.2
in Baptismo fideiussorum partes 118.2
Barbarus miraculo literas edoctus 157.1
Beatorum præmium erit ipse deus 365.2
Beati efficimur non ex angelo, sed vnde angelus 291.2
Beatorum diuersa erunt præmia 363.1
Beatitudo in aliis atque aliis rebus quæritur 363.1
Beatitudinem omnes appetunt, sed diuersis viis eam quærunt 362.2
Beati sumus videndo veritatem non angelos 322.1
Bellandi consilium penes reges, exequendi ministerium penes milites esse debet 237.1
Bellum auctore deo cur suscipitur 237.1
Bella auxilio domini gesta 237.2
Bellis deus emēdat mores hominum vel exercet 238.1
Bella per mosen gesta iusta fuerunt 236.2
in Bellis quæ iure culpentur 36.2
Bellum quando licitum 236.2
Bellorum exitus à deo pendent 243.2
Belli suscipiendi legitimæ duæ causæ 246.1
qui Bella deo iubente gesserunt sceleratos occiderunt 239.1
Bellum sociale, & ante illud prodigia 240.2
Belli incommoda & miseriæ 238.2
secundi Belli punici clades 240.1
Bestiis homo sæuior 243.2
multæ Bestiæ sensuum acrimonia & viribus homini præeunt 259.2
Bibendum quantum naturæ imbecillitas exigit 311.2
Bibens mensuras sine mensura laudatur 227.1
Bona terrena amaritudinibus mixta 244.1
Boni ob malos non deserēdi, sed mali ob bonos tolerandi 131.2
Bonus si seruiat, liber est, malus si regnet seruus est 230.1
Bos ab ægyptiis cultus 283.1
Brutus & torquatus filiorum necatores 231.1
Bruti in collegam iniustitia 229.2
Brutus finxit insaniam 382.1

C

Calamitas aures aperit obiurgationibus 140.2
Cantus origo in occidentalibus ecclesiis 162.2
Cantus psalmorum à scripturis habet auctoritatem 301.2
Cantus non tã delectare debet quam id quod canitur 163.1
Cantus in ecclesia vtilitas 163.1
Canticis se solari manibus operantes debent 162.1
Cantionum turpium pernicies 146.1
quis Canticum deo cantare dicatur 161.2
Canticis se solari possunt operantes manibus 376.2
Cannensis pugna romanis luctuosa 240.1
Capernaitarum prima hæresis 368.1
vbi Caput, ibi membra 344.2
in Carne non esse qui dicantur 186.1
Caro ita nutrienda ne ferociat 311.1
Caro debet ancillari animæ 311.1
Carni frenum ieiuniis, vigiliis & orationibus imponendum 311.1
Caro spiritui seruiens iure spiritalis dicenda 341.1
Caro quomodocunque mutetur resurget 346.2
Caro & sanguis in resurrectione immutabitur 345.2
Carnem nostram deus integram restituet 346.2
Carnem filii hominis mãducare quid sit 100.1
Carnem christi secundun carnem non debemus sapere 92.1
Caro non prodest quicquã quomodo intelligendum 92.1
Castitatis & probitatis quãta vis 257.2
Catholicæ nomen nec hæreticorũ sectæ audent vsurpare 136.2
Catilinæ patientia similis apostolorũ sed diuerso fine 166.2
Catechesis temperanda pro captu atque statu catechizandorum 399.2
Catechizandus monendus ne spem ponat in homine 399.1
Cato vxorem prostituit 318.2
Catonis lepidum dictum 266.1
Ceremoniæ quænam resecãdæ 164.1
Ceremoniæ vel hoc nomine abrogandæ, quod religionem premant seruilibus oneribus 164.1
Ceremoniarum vsus debet esse liber 93.1
Ceremoniæ tẽpli iudaici ad dilectionẽ dei & proximi referendæ 333.2
in Ceremoniis quid maxime obseruãdum 301.2
Ceremoniarũ varietas non debet scindere vnitatem 175.1
Ceremoniæ seruandę pro eorum more quibus conniuitur 163.1
de Ceremoniis ambrosii sentẽtia 163.1
ob Ceremonias infirmorum scandala 163.1
Ceremoniæ seruãdæ quæ non sunt cõtra fidem & bonos mores 163.2
Ceremoniarũ maiorẽ habere rationẽ, quam dei præceptorũ impium 164.1
à Ceremonialibus christus liberos nos reddidit 211.1
Charitas plenissima hic in nullo est 188.1
Charitas, summa totius boni 309.2
Charitas nec cupiditatem seculi nec timorem habet 170.1
Charitas hic semper potest proficere 402.2
Charitas virtutum mater 403.1
Charitas debetur omnibus, nulli munia 139.1
Charitas per bitumen designata 133.1
Chiliastarum error 341.2
Christus vnde dictus 26.2
Christus quali forma apparebit in iudicio 26.2
Christus doctor internus 26.2
Christus solus fuit sine peccato 185.2
Christus totus & caput & corpus est 138.2
Christus quomodo se nescire quædã dicat 21.1
Christus aliter à piis, aliter ab impijs videbitur 21.2
Christus quare missus dicitur 21.2
Christi vna est persona in natura Dei & hominis 22.2
Christus solus natus de virgine 23.1
Christi humanitatis testimonia 23.1
Christus eodem die passus quo conceptus 23.1
Christi mors nostrum sacrificium 23.2
Christus animam & mentem & corpus habuit 20.1
Christus resurrexit cum eo corpore in quo passus 20.2
Christus cum suo corpore ascendit in cælum 20.2
Christi incarnatio quibus displiceat 20.1
Christum adiisse inferos probabile 355.2
Christus non alibi quærendus quam vbi se prædicari voluit 26.1
cur Christum auferri à suorum oculis oportuit 21.1
Christi gratia omnes seruari 62.2
quid est Christum tradere regnũ Deo & patri 21.1
Christus loculos habuit 129.2
sine participatione corporis & sanguinis Christi nemo saluatur 306.2
Christi incarnatione modus conuenientior non fuit liberandi hominis 11.1
Christus carnis præsentia nobis absens 90.1
in Christo substantia diuina & humana distincta est 12.2
Christum ad inferna descendisse quomodo intelligendum 25.1
Christus quare tempus, quo incarnatus est delegerit 25.1
Christi humanitas certo loco circunscripta 25.2
Christus quo ad humanitatem non est vbique diffusus, aliter auferetur corporis veritas 26.1
Christum fides non libido matris concepit 26.1
Christus cur mariæ & non spiritus sancti dicatur filius 23.2
Christus sacerdos, offerens & oblatio 24.1
Christi hostes eius nomine abutuntur ad suas nefarias artes & hæreses 30.2
de Christo quicquid annũtiatur vel ad caput vel ad corpus referendum est 133.2
Christus variis modis prædicatur & repræsentatur 4.1
quod sit Christi corpus, quis sanguis 4.2
Christi incarnatio quot bonorum nobis causa 24.1
Christus tribus modis per scripturas prædicatur. 29.2
Christus in suo verbo quærẽdus 254.2
Christus viam in cælum aperuit 27.2
Christus laudatus etiam dæmonum oraculis 30.2
Christus maluit esse sacrificiũ quam sumere 334.1
Christus sacerdos, offerens & oblatio 334.1
Christi incarnatione vnius dei sacramentum reuelatum est 8.2
in Christo quomodo plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitet 28.2
cur de Christiano non nascatur Christianus 124.2
Christianus quilibet quomodo omnibus linguis loquitur 129.2
Christianorum omnium vna respublica 307.1
Christianus legibus terrenis obtemperare non dubitat 234.1
Christianorum scopus 344.2
Christianus non est qui christum non imitatur 143.1
Christianus non est sine tribulationibus 398
Christianum fieri non est ei necesse qui non peccauit 62.2
Christiana doctrina vtilitati reipublicæ conuenit 153.2
Ciborum vsum qui damnant 314.1.2
in Cibis non genus sed intemperãtia damnatur 210.2
Circuncisio spiritalis & vera 199.2
Circũcellionum hæreticorum violentia 217.2
Ciuilium discordiarum initiũ à græcis 240.2
Ciuitas terrena hic habet bonũ suum 244.1
Ciuitatis terrenæ primus conditor 244.1
Ciuitas conditur & custoditur vinculo fidei & concordiæ 153.2
Clamor cordis quis sit 305.1
Clamor vocis sine corde inanis est 305.1
Claues ecclesiæ datæ quæ sint 139.2
Cleõbrotus scriptum præcipitauit persuasus de animæ immortalitate 293.2
ad Cœnam nemo debet accedere peccatis deturpatus 97.1
Cœnam aditurus quomodo probare se debet 89.2
Cœna cur patribus dicta oblatio 89.2
Cœna etsi visibiliter agitur, inuisibiliter tamen intelligitur 89.2
Cogendi sunt errantes vt redeant 142.1
Cogitationes nostræ non sunt in nostra potestate 83.2
Cognoscere deum vita eterna 361.1
Colere vnum deum secum nos volunt angeli 322.1
Colendus esset potius artifex quam opus ipsius 321.2
quod Colit summus angelus, hoc & ab infimo homine colendum; 321.2
Colere impium est quod digito possis ostendere 325.1

à Communione quis sit prohibendus 99.2
Concordia, vinculum est incolumitatis reipublicæ 229.1
Consentit qui malum non prohibet cum potest 140.2
qui non Concupiscit, omnis peccati expers est 107.1
Concupiscendo omne peccatum committitur 107.1
Concupitū, sit iucundius vetitū 207.1
Confessio prodest apud deum, non fallax defensio 220.1
Confessio sine vocis strepitu 330.1
Confessorum genus curiosum 330.1
Coniugii bonum 317.1
Coniugii bonum quod sit 314.2
Coniugatorum alter sine alterius cōsensu vouere non potest continentiam 382.2
Coniugalis pudor & honestas 319.1
Coniugium infidelis sitne prohibitū 321.1
Coniugiū posse dici sine coitu 321.1
Coniugium non nisi morte dissoluitur 318.1
Concupiscentiæ æstus reprimit meditatio prolis 317.2
Coniugia eorum qui castitatem vouerant sunt vera coniugia 382.1
in Coniugio damnando satanæ præstigiæ 316.2
Confiteri deo quid sit 329.2,330.1
Continētiæ officiū & eius laus 405.1
Cōciliorū in ecclesia auctoritas 163.2
Concupiscentia carnis proli propagandæ seruire debet 320.2
quin Concupiscamus fieri non potest 215.2
Confessionis medicamenta quærēda 330.2
Confessio deo fieri debet 331.1
Continētia in quibus cōsistat 405.1
Constātini magni excellentia 232.2
Consecrationes & purificationes magicæ animas inquinant 268.1
Consuetudinem excludit veritas & ratio 164.1
in Conuentu ecclesiæ quæ peragi debeant 161.2
Corda patrum ad filios conuertere 349.2
Cordis vox deo sonat 304.2
Cordis secreta solus nouit dominus 278.1
Corpus quid est 285.2
Corpus christi manducandum spiritualiter 96.2
Corpus christi esse debēt fideles 96.1
Corporis sui figuram christus dedit apostolis 93.2
Corpus suum cur post cœnam christus dedit discipulis 93.2
Corpus suum dixit christus signum corporis 94.1
Corp' christi glorificatū quale 344.1
Corpus & sanguis christi quid dicatur 90.1
Corpus christi fideles esse debent & quomodo 90.2
Corporis christi quando primum participes quis efficitur 91.1
Corpora sanctorum qualia in resurrectione futura 340.2
Corpus dominicū quomodo sit in cælo, curiosissimū est quærere 24.2 361.2
Corporis humani mira harmonia 377.1
Corporis natura temperatur quatuor humoribus 344.2
Corpus non vertetur in spiritū 361.2
Corpus terrenū in cælo esse posse 24.2 361.2
Corporis harmonia mirabilis in futuro seculo plane videbitur 365.2
de Corporibus hominum comestis quæstio 343.1
Corporibus vitia detrahentur in resurrectione, natura seruabitur 342.2
Corpora quomodo in igne perpetua 358.2
in Corpore quod vtile, etiam decorum 377.1
Corpora cælestia non dominantur inferioribus 269.1
Corpora sanctorum in resurrectione immortalia & impassibilia 341.1
Corpora resurgent integra 343.2
Corpora animalia quæ dicantur 340.1
Corporeisne oculis videbitur deus in gloria 364.1,2
Cornelius sine fide non orabat & eleemosynas dabat 82.1
Correptio errantium in charitate fieri debet 140.1
Corripiendi animaduertenda opportunitas 144.2
à Corripiendo quo consilio desistendum 144.2
Correptio addenda est doctrinæ 143.2
Corripiendus est qui non vult corripi 143.2
Correptio adhibenda pro culparum diuersitate 143.2
Correptionem vtilem facere, dei est 143.2
Crapula causa multarum ægritudinū 311.2
Crassus agelastus dictus 382.1
Creaturæ omnes bonæ inquantum sunt 14.1
nulla Creatura media est interposita inter mētem nostram & deum 322.1
Credere deo, deū, in deū differūt 178.1
Credere doni est non meriti 71.2
Credit nemo nisi volens 400.2
Credere deū & in deū differunt 168.1
Credunt homines ea tantum que facile capiunt 32.1
Criminis definitio 191.1
Cultus dei olim erat visibilis, nunc est inuisibilis 198.2
Cultus hominum mortuorum nobis est prohibitus 321.2
Cupiditas edendi nescit vbi finiatur necessitas 311.1
Curiositas philosophorum 388.1
Curiosus pisci assimilatur 388.2
Cyniphes quid sint 267.1
Cynicorum philosophorum impudentia 319.2
Cyprianus errans vnitatem tamen cum aliis seruauit 135.2
Cyprianus cum diuersa à se sentientibus pacem habuit 107.1
Cypriani error denuo baptizari volētis hæreticorū baptismo lotos 106.2

D

DAEmones vnde dicti 261.2
Dæmonum malicia in futuris prædicendis 29.2
Dæmones immortales sunt 269.2
Dæmones virtutum internam speciem videre nequeunt 270.2
Dæmones quomodo vertere videantur naturas 263.1
Dæmones subtilioris substātiæ facile homini terreno illudunt 267.2
Dæmones à gallis dicti dusii 272.1
Dæmonum præstigiæ 239.1
Dæmonum mille nocendi artes 275.2
de Dæmonibus incubis & succubis 272.1
de Dæmonum ludificationibus 263.1
Dæmones an corpora habeant quæ pati possint 270.1
Dæmones longe facta quomodo norunt 270.2
Dæmones an norint cogitationes hominum 273.1
Dæmones secundum quosdam habēt sua corpora 359.2
Dæmones vnde furentur vera quæ nuntiant 268.2
Dæmones quare vera quædam enuntient 268.2
Dæmones bestiis antecellunt 270.1
Dæmones miscent falsa veris 265.1
Dæmonibus homines traduntur illudendi per artes magicas & mathematicas 266.2
Dæmones subtilioris naturæ quam homines 277.2
Dæmones quæ sunt facturi prænuntiant 280.1
Dæmones quo modo se miscent cogitationibus hominum 280.1
Dæmonum præscientia vnde 280.1
Dæmonum natura qualis 260.2
Dæmones in aere habitant 260.2
Dæmonum fallacia 261.1
Dæmones quo modo futura prænoscant 262.1
Dæmonum potestas in sanctos 262.2
Dæmonia diuersa & disparem voluntatem habentia 275.2
Dæmones acrimonia sensus & celeritate motus præditi 280.1
Dæmonum illusiones in bello ciuili 257.2
Dæmones longua rerum experientia docti 280.1
Dæmonibus quomodo christus innotuit 261.2 & quatenus 262.1
Dæmones christum cognouerunt, sed non eius diuinitatem 274.2
Dæmonium socratis 259.1
Dæmones de iesu an esset christ' dubitauerunt 262
inter Dæmonum scientiam & angelorum quid intersit 262.1
de Dæmonib' apuleii sententia 260.1
Dæmones solo christi nomine vincuntur 282.2
Damnatorum ali' alio vel mitius vel grauius punietur 128.1
Damnatis peccandi facultas deerit nō voluntas 357.1
Dandum pro mensura facultatū 310.1
Dauid quomodo sedisse ante dominū dicitur 301.2
Dauid docet exemplo non lugendos mortuos 337.1
quid sit Deus, scire impossibile: quid non sit scire magnum est 4.1
quis sit Deus quem colimus 15.1
Deus pater quomodo relatiue dicatur pater & principium 3.1
Deus, dominus & pater quare dicatur 10.2
Deus summum bonum 12.2
Deus trinitas est, nec tamen triplex 31

Deus sibi vnitas est, bonitas, omnipotentia 3.1
Deus verius cogitatur quàm dicitur 3.2
ad Deum quomodo moueri nos oporteat 10.2
Deo nihil est accidens 3.1
à Deo bona omnia nō de deo 10.2
Deus tēporaliter neminē diligit 3.1
Dei bonitas & sapientia &c. non sunt aliud quàm eius esse 3.1
Deus locutusne cum adam in humana specie 1.2
Deus nec mutabilis nec visibilis 2.1
Deus per subiectam creaturam hominibus apparuit 1.2
Deus quomodo solus dicitur 3.2
à Deo sunt corporis bona & animæ 158.
Deus scit in nobis quod ipsi nescimus 201.2
Deus per ministros signis extrinsecus admonet, sed intrinsecus per seipsū docet 158.2
Deus natura inuisibilis est 5.2
Deus in nobis posuit quod requirit à nobis 328.1
Deus humanæ menti incomprehensibilis 6.1
aliter Deus in homine, aliter christus homo in deo 6.1
Deus substantialiter vbique totus, & quomodo 6.1
Deo non conuenit vllum ex prædicamentis dialecticis 6.2
de Deo nihil proprie loqui possumus 6.2
Dei definitio ænigmatica 7.1
Deus substantialiter spiritus nominatur 7.1
Dei similitudo in homine quò referēda 5.1
Deus vnus in natura, trinus in personis 5.1
Deus non iubet impossibilia 10.1
Deus pro voluntate apparet 5.2
Deus amando colitur 10.1
Deus præscit peccata, quæ non facit 10.1
Deus vocando præstat fidem 54.1
Deus voluntate sibi seruiri vult non necessitate 72.1
Deo debemus nos nostraque 382.1
Deus vbique totus non continetur loco 15.2
Deus non est qualitas mundi 15.2
Deum non esse nemo vnquam ausus est dicere 16.2
de Dei substantia notanda 16.2
Deus nobis talis est, quales sumus 17.1
à Deo irato ad deum placatum fugiēdum 17.1
quid nō sit Deus facili⁹ dicitur, quàm quid sit 17.1
Deum mundi auctorem pene fatentur omnes 14.2
Deus sic administrat omnia, vt ea ꝑprios actus & motus agere sinat 14.2
in Deitate non est naturarum vel voluntatum diuersitas 9.1
Deus quomodo dicatur vel meminisse vel obliuisci 9.2
Deus nihil in miraculis contra naturam facit 9.2
Deus neminem ad hoc creauit vt pereat 55.1
Dei voluntate nullus perit, sed per sui psum pro electione arbitrii 76.2
Deus omnem excedit creaturam 18.2
Dei essentia & effectus mirabiles 8.1
Deo facile est mutare rerum naturas 284.2
Deus naturas facit & ordinat, speciem priuationes tantum ordinat & naturarum defectus 14.1
Deus boni tantum auctor 14.1
Deus omniscius 13.1
Deus non cessat à creaturæ gubernatione 13.2
Deus creauit omnia simul 13.2
Deo nefas est simulachrum vel in templo vel in corde christiano ponere 13.2
Deus humana forma non est circunscribendus 13.2
quando Dei templum est cor hominis 13.2
Deus non est auctor vitiorum sed ordinator 14.1
Deus est nomen potestatis non proprietatis 19.1
Deus obdurat non impartiendo misericordiam, non autem impartiendo malitiam 53.2
ad Deum amando venitur 71.2
de Deo videndum ne sentiamus aliquid quod non sit 2.2
Deus quomodo seducat vel obduret homines 68.2
Deus quomodo vel appareat vel loquatur hominibus 47.2
Deum esse rerum vniuersitas proclamat 4.1
Deus non impellit peccantes 54.1
Dei ad ignoscendum propensio 299.1
Deus solus inuisibilis & incorporeus 12.2
Deus per angelos patribus se visibilem exhibuit 2.1
Deus non iubet impossibilia 63.1
Deus nec diabolo nec malis hominibus indidit peccandi voluntatem 55.2
Dei voluntate non peccant homines 56.1
Deus puniturus est quod ipse non fecit 55.2
De⁹ in homine coronat dona sua 52.2
Deus nulla necessitate quicquam agit 28.1
Deus sibi bonum est quo beatus est 166.2
quod Deus omnia bona agat in nobis hinc ansam pigritiæ nemo debet arripere 69.1
Deus mortem nullius quærit 70.1
Deus non corporalibus oculis sed mundo corde videndus 362.1
Deum velle peccatum impium est dicere 378.2
de nullo Desperandum quandiu viuit 327.2
Deorum, dæmonum & hominum distinctio 259.2
Dei posteriora, christus 151.1
Deus penitius nouit corda nostra quàm nosipsi 74.1
Deus cur iubet quæ scit neminem effecturum 185.1
Deum in suis creaturis quo modo in cælo videbimus 365.1,2
cur Deus istum potius quàm illum liberet, occultum 82.1
Deus ex tempore dominus est hominis 3.1
sub Dei nomine infinitum quid & incomprehensibile continetur 9.2
Denari⁹ quis sit, qui ex æquo singulis datur 363.1
quæ sit patris Dextera, ad quam sedere christus dicitur 20.2
Dextræ & sinistræ interpretatio 307.2
Diabolus malarum voluntatum adiutor non generator 56.1.
Diabolus nihil potest nisi permissus 254.2
Diabolum cur deus fecit, quem peccaturum præsciebat 273.2
Diabolus non natura hoc est, sed suo vitio 273.2
Diaboli e malitia deus bona elicit 273.2
Diabolus victor hominis victus per hominem 23.2
Diaboli angeli præcellentis lapsus 273.2
in Diaboli accusationem homo conditus 273.2
Diabolus à malo inconuertibilis 271.2
Diabolus natura bonum quid 271.2
Diabolus princeps ciuitatis babyloniæ 269.1
Diaboli malitia deus bene vtitur 70.2
Diabolo quidam corporum vitia & ægritudines asciscunt 272.1
Diabolus quomodo in cor iudæ intrauit 268.2
Diabolus qua causa nobis aduersarius 278.1
Diabolus fideli non præualet 275.2
Diabolus quare homicida ab initio 270.1
Diabolus per sua sacra sibi fidentibus fucum facit 268.1
Diabol⁹ caput & finis mendacii 278.2
Diaboli impetus in morientes 278.2
Diabolus in solo christo nihil habuit 190.2
Diabol⁹ ad malum cogere non potest 256.1
Diabolus quo modo cogitationes nostras deprehendat 278.1
Diaboli ludificatio nihil obest 270.2
Diaboli furore sapientia dei vtitur ad salutem suorum 268.1
Diabolus nomen commune 274.2
Diaboli filii qui sint 275.1
Diaboli peccatū quādo admissū 278.1
Diabolus mille insidiis nos appetit 276.2
Diabolus quare dictus spirit⁹ domini 264.1
Diabolus à morte carnis alienus 268.1
Diabolus duas ob causas permittitur nos vel nostra lædere 257.1
Diabolus voluntatem habēs malam, potestatē nō nisi iuste accipit 267.2
Diabolus quo modo hominem suis præstigiis circumuenit 267.2
Diabolus exauditus sed non ad salutē 303.1
Diaconorū ordinandorū ratio 160.2
Differentiæ sexus & conditionis ablatæ sunt ab vnitate fidei, manent in conuersatione 205.1

præceptum Dilectionis dei in futura vita implebitur, in ista non 186.1
Dilectio, legis & scripturæ finis 155.1
Dilectio inimicorum homini posibilis 194.1
Dilectio dei cum proximi coniuncta 401.2
Diligendi mali vt non sint mali 188.2
Dinocratis perpetuæ fratris fabula, similis traiano gregorii 126.1
Diomedis socii in aues mutati 262.2
Diogenis impudentia 319.2
vt Discamus vel doceamus mouere quid nos debeat 150.2
ad Discendum nulla ætas sera 150.1
Disciplinæ laus 227.1
Discendum potius quàm docendum 150.2
Dispensatoris verbi officium 148.1
Diserta praua, valde noxia 150.1
a Diuinitate ad humanitatem christi reflectendus mentis oculus 11.2
Diuitiæ non damnantur, sed impietas 393.2.394.1.2
Diuitibus in victu aliquid indulgendum 405.2
de Diuortio quæstiones variæ 315.2
Doceri homines per homines deus vult 152.2
Docentis vox externa quid prosit 144.2
Docentis sermo inanis, nisi sit qui intus doceat 144.1
qui Docet corda cathedram habet in cælo 144.2
Doctrina quando prosit 156.2
Doctrina christi non est aduersa reipublicæ 246.2
in Doctrinis humanis consenescere mortiferum 151.1
Doctrinæ corruptio vel disciplinæ dissolutio non dissimulanda 139.2
Doctrinarum humanarum vanitas 151.1
Doctores seruata vnitate aliquãdo in rebus obscuris diuersa sentiũt 146.1
Doctrinæ genus superstitiosum 265.2
Docti quomodo catechizandi 399.1
Doctor in vanum perstrepit nisi spiritus intus doceat 144.2
Dolor ex morte charorum prohiberi non potest hominibus 335.1
Dominandi libido, vitium primum 226.2
Dominandi appetentia à superbia est 221.1
Dominus sursum est, sed hic est eius veritas 159.2
Domini quid seruis debeant & vicissim serui dominis 139.1
Donatistarum vesania 137.1
Donatistæ vsi magistratus auxilio 217.1
Donatistę se martyres iactabant quòd coercerentur ab imperatoribus 224.1
Donatistæ boatu perstrepebãt in suis templis 301.2
Donatistæ ex suis mittebãt episcopos in alias regiones 135.2
Dormientes quare dicantur mortui 337.1
Dubitari de quibus rebus potest 153.1
vnde Duritia in corde hominis, & quid sit 78.2

E

Ecclesiæ fundamentum christus 328.2,130.1
in Ecclesia sexus & ætates omnes sui commonefiunt officii 138.2
Ecclesia concutitur sed non ruit 130.1
Ecclesiam præfigurabat petrus 130.1
in Ecclesia peccatorum est remissio 130.1
Ecclesia corpus est christi 132.2
extra Ecclesiam haberi non potest spiritus sanctus 132.2
Ecclesia hic non est sine ruga & macula 132.2
Ecclesia claues regni cælorum accepit 130.1
Ecclesia super fidem petri ædificata, non super petrum 139.1
vbi Ecclesia, ibi peccatorum remissio 131.1
Ecclesiæ duo status & duæ vitæ 130.1
Ecclesia militans & triumphans 130.1
Ecclesia hic misera 130.2
Ecclesia vbique terrarum diffusa 110.2,132.1
Ecclesiæ auctoritas mouet vt credamus euangelio 136.2
Ecclesiam debemus credere, non in ecclesiam 138.2
Ecclesia cur dicatur catholica 138.2
Ecclesia nullam creaturam adorandã inducit, sed solum deum 118.2
Ecclesia est conspicua 130.2
ad Ecclesiam nemo pertinere potest sine cognitione mediatoris christi 138.1
Ecclesiæ bona opera succurrunt pœnitenti 131.1
extra Ecclesiam nec eleemosynæ nec martyrium prodest 131.1
Ecclesiæ vnitas per omnes gentes 138.1
ad Ecclesiam quidam gentiles ante aduentum christi pertinuerunt 138.1
Ecclesia non deserẽda propter zizania 135.2,136.1
de Ecclesia exierunt omnes hæreses 131.2
Ecclesiæ non præualebunt portæ inferorum 131.2
Ecclesia pro matre agnoscenda 132.1
Ecclesiæ matrimoniales tabulæ 132.1
qui Eccesiam matrem non habet, nec deum patrem habiturus est 132.1
Ecclesia super christum non petrum fundata 326.2,327.2
Ecclesiæ lenitas in filios 327.1
in Ecclesia boni cum malis mixti 131.2
Ecclesiæ duæ piscationes & duo tempora 136.1
Ecclesia bonis & malis nunc permixta 97.2
Ecclesia in christo passa est, & christus in ecclesia patitur 136.1,137.2
Ecclesia dei non facit nec approbat nec dissimulat quæ sunt contra fidẽ & bonos mores 164.1
extra Ecclesiam nemo seruatur 133.1
Ecclesia certo loco circunscribẽda nõ est 133.2
in Ecclesia non sunt qui scripturis non consentiunt 133.2
Ecclesia linguis omnium gentium loquitur 129.2
Ecclesia area est domini, postea horreum erit 135.2,138.2
Ecclesia christũ fide tenet, oculis non videt 90.1
Ecclesia supra montem posita abscondi non potest 137.1
Ecclesia cogit perditos filios vt redeãt 142.1
Ecclesia omnibus linguis loquitur 34.1
Ecclesiæ filii iamiude ab initio 134.1
Ecclesiæ varia epitheta 134.2
Ecclesiæ suæ non deerit dominus 140.2
Ecclesiæ disciplina dormire non debet 139.2
Ecclesia hic in membris non caret ruga aut macula 181.1
in Ecclesia quæ aliquem retinere debeant 136.2
in Ecclesiis quid agendum 162.1
Ecstasis sanctorum 397.1
Electis etiam peccata cooperãtur in bonum 75.1
Electio in deo libera est 79.1
non Elegit deus suos quòd bonos futuros præuiderit 60.2
non Eligit deus bonos sed facit 61.1
Eleemosyna opus est iustitiæ 175.2
Eleemosynã dans fœneratur domino 307.1
Eleemosynis deus non emendus vt impune peccare liceat 308.1
Eleemosynarum varia genera 308.1
Eleemosyna perfectissima diligere inimicos 308.2
Eleemosynam debet quisque à seipso incipere 308.2
Eleemosyna non de rapto sed de iustis laboribus facienda 309.1
Eleemosynam quis in manifesto vel abscondito dicatur facere 309.1
Eleemosyna facienda hilariter 310.1
Eleemosynæ impœnitentibus inutiles 309.2
Eleemosyna est veniam petenti dimittere 190.2
Eleemosyna fit etiam bona voluntate 307.2
Energumenus vaticinatur 271.1
Episcopi officium indecenter appetitur 145.1
Episcopi officium quo modo suscipiendum 145.1
Episcopi officio nihil facilius si adulari velit hominibus 142.2
in Episcopo quid requiratur 145.2
Episcopus qualis esse debeat 145.2
Episcopi officio nihil difficilius aut laboriosius 142.2
Episcopus contra donatistas ab imperatore petit auxilium 142.1
Episcopus episcoporum nullus est 140.1
Episcopi olim intercedebant pro sceleratis 227.2
Episcopi nomen vnde deducitur 145.1
Episcopus non est qui præesse diligit non prodesse 145.1
Episcopatu se quidam cum laude abdicarunt 147.2
Episcopus propter se non constituitur 147.2
Episcopatus nomen est operis non honoris 145.1

Errorum tria genera interlegendum 152.1
iniquus est qui vult alios Errare, vt suus error lateat 390
Euangelio per omnes gentes prædicato, mox finis veniet 134.1
Euangelii prædicatio, vita fidelibus, incredulis mors 158.1
Euangelium paulus non vendidit 376.1
præter Euangelium nihil in ecclesiis recipiendum 134.1
Euangelium non prædicandum ob victum 146.1
Euangelizare christū quid est 170.2
Euangelio scripta hominū non comparanda 148.1
Exaudiri ad vtilitatem non ad voluntatem optandum 304.1
Excæcare & repellere quomodo deus dicatur 78.2
Excellentes ratione excellere debent dominatione 236.1
Excommunicatio medicinalis est nō mortalis 220.1
Excommunicationis iniusta vincula disrumpit iustitia 140.1
Excommunicatione non vtendum vbi schisma timetur 140.2
quo ordine Excommunicandus est aliquis 145.2
Excommunicatione quædam grauia peccata sunt plectenda 139.2
Excōmunicatio hoc agit hodie quod apud iudæos interfectio 142.2
Excommunicati à communione remouendi 147.1
Excusat se qui se accusat apud deum 299.2

F

Fabius tarentinis deos iratos reliquit 239.1
Facies dei quæ sit 363.2
Faciendum aliis quod nobis volumus fieri 195.2
Fama bona vnicuique curāda 395.1
Fatum appellatam dei voluntatem 379.2
Fato nil fieri multis argumentis probatur 379.2 380.1.2
Fatis aduersatur lex 276.1
sub Fato christum non esse natum 378.2
Fictio christi non est mendacium 372.2
Fidei definitio & eius præmium 177.1
Fidei commendatio 177.2
Fides vna patrum & nostra 211.2
Fides non sufficit si quis male viuat 67.2
Fides christianorum, resurrectio christi 176.2
Fides vna in diuersis ceremoniis 175.1
Fides gratuitum dei donum 175.2
Fidei doctrina quomodo cū operum conueniat 179.1
Fides impium inuenit quem iustum facit 179.2
Fides an sit in potestate nostra & voluntate 181.2
Fidei obseruandum exemplum in regulo 248.1
Fides videndo fiet veritas 165.1
Fides valet ad cognitionem & dilectionem dei 165.2
Fides quando est in nobis videtur à nobis 165.2
Fides non numero sed genere vna est 166.1
aliud sunt quæ creduntur, aliud Fides qua creduntur 166.1
Fidei gaudium reprimat lachrymas in obitu nostrorum 337.2
Fides à bona vita separari non potest 171.2
Fide non operibus iusti ab iniustis discernendi 172.1
sine Fide opera quæ videntur bona peccata sunt 172.1.2
Fides visibilium & inuisibilium multiplex 174.2.175.1
ad Fidem quibus modis deus nos vocet 62.1
Fides breuissime in ecclesia traditur 170.1
vbi Fides non est nec bonum opus esse potest 87.1
Fides fundamentum est pœnitentiæ 168.1
Fide lapsa ruit charitas 170.1
si vides non est Fides 172.2
Fides in partibus est iustitiæ 173.1
Fideli totus mundus diuitiarum est 374.2
Fides potest esse sine charitate 166.2
ad Fidem nemo cogendus 216.1
Festi dies ad recolendam beneficiorum dei memoriam 333.1
Fides sine charitate operari non potest 52.1
Fides christi quare quibusdam non credituris annuntiata sit 82.2
Fideles omnes in sacerdotes & reges vnguntur 143.1
Fideli munda sunt omnia 314.1
Fidelitas saguntinorum erga romanos 249.1
Fidelis deus quo modo dicitur 180.1
Fideles cuiuslibet temporis ad ecclesiæ corpus pertinent 137.2
Figura est manducare carnem christi 100.1
Figurata locutio non est ad literam intelligenda 156.1
Figurata locutio quomodo animaduertenda 100.1
Figurata omnia in scriptura valent ad excitandum amorem 200.2
Figurata locutio ad literam non accipienda 213.2
Filii dei partim sumus, partim seculi 184.1
Filii sapientiæ qui sint 175.1
Filii dei hic cum morte confligunt 180.2
ex eo quod Filii dei sumus peccare non possumus 184.2
Filius dei quare incarnatus, non angelorum aliquis 27.2
Filius dei assumptione carnis inquinari non potuit 20.1
Filius dei inquantum homo prædestinatus est 83.1
Filius cur solus incarnatus dicitur 23.2
Filii promissionis ad nouum testamentum pertinent 211.2
Filiorum procreatio ad gloriam connubii pertinet, non ad pœnam peccati 319.2
Finis veteris hominis & noui 203.2
Finis facit vt opera sint in pretio 166.2
Finis in operibus præcipue spectādus 179.1
Finis noster est peruenire ad regnum vbi nullus est finis 367.1
Flagellis deus medetur hominibus 221.1
cur dominus fleuit lazarum 336.2
Fœmina quare formata de viri latere 317.1
Fœnus publice exercetur 374.1
Fœneratorum excusatio sacrilega & impia 374.1
Fontium duorum natura mirabilis 283.1
Fornicatio spiritualis 256.1
Fortuitum & fatale quid sit 379.1
Frater fratrem occidit in bello ciuili 239.2
Frater sororē in vxorem duxit mundi initio 320.1
Fratres quomodo & quo animo arguendi 140.2
Fratres percutiunt qui volunt eis dominari 351.1
Fratrum amor quò referendus 139.1
Fugere non licet ministris quandiu sunt quibus ministrent 375.1
Fugiendæ steriles passiones 374.2
Fucare faciem detestandum 383.1,2
Furtum, omnis illicita vsurpatio rei alienæ 390.1

G

Gedeon quo animo signū petierit 272.1
Gehennæ horror 356.1
Gentiles quo modo sua sacra & ritus impios excusabant 324.2
Gentiles multi extra populum iudæorum saluati per fidem in christū 82.2
Gentilium stultitia & impia 353.2
in nullo Gloriandum quia nostrum nihil est 85.2
Gothi mitiores in romanos 241.2
Gradus quibus itur ad beatitudinem 206.1
Græcorum orientalium in cœnæ sumptione mos 96.1
Gratia vnde dicitur 52.2
Gratia dei christi incarnatione gratissime nobis commendatur 24.1
nulli hominum nato Gratia dei deneganda 124.1
Gratia dei eluceſcit in conuersione pessimorum 64.2
Gratia christi in veteri testamento velata 208.2
Gratia dei communis omnibus 198.1
Gratia euacuatur si meritum opponatur 53.2
Gratia dei ad singulos actus necessaria 52.1
Gratiam secundum merita nostra dari hæreticum est 51.2
Gratia dei non datur secundum merita sed secundum dei beneplacitū 84.2
Gratiarum actio, noui testamenti sacrificium 331.1
Gula & libido homines maxime decipiunt 406.1

H

Hebræi tradunt ionā viduæ filiū fuisse quē suscitauit helias 12.1

Hæreſes vnde ortæ 150.1
Hæreſes concubinæ ſunt non matronæ 132.1
Hæreſes variæ circa Chriſti incarnationem 29.1
Hæreſibus exercitatur & probatur doctrina eccleſiæ & patientia 137.1
Hæretici nō libeter diſputāt 368.1
Hæreticorum eccleſiis bona tollunt leges imperatoriæ 368.2
Hæreticos & ſchiſmaticos multos tolerat eccleſia 369.1
inter Hæreticum, malum catholicum & ſchiſmaticū differētia 368.2
Hæretici pro chriſtiana lenitate coercendi 369.1
Hæreticos corrigi cupimus non necari 369.1
Hæreticorū peccata ſic cōpeſcenda vt ſint quos peccaſſe pœniteat 369.1
Hæretici nō ſunt in chriſti corpore, etiam ſi ſint ſacramentorum participes 135.1
Hæreticis quomodo vrendū 368.1
Hæreticos nihil poſsidere voluerunt imperatores 218.1
in Hæreticos vſque ad mortem ſæuire bonis non placet 136.1
occidi mauult auguſtinus quàm Hæreticos occidendos iudicibus deferre 369.1
Hæretici reſurrectionem carnis negantes 347.1
Hæreticos cur deus oriri permittit 368.1
Hannibal ſaguntum funditus diruit 249.1.2
Harmonia ordinum inter ſe conſentientium 229.1
Haruſpices, arioli incātatores 396.2
Heli nimia indulgentia 219.1
Hierachitæ monachos tantum & coniugio non deuinctos recipiunt in cōmunionem 117.2
Hierachitæ paruulos dicunt non pertinere ad regnū cælorū 117.2
Hierachitæ nuptias malas dicebant 317.1
Hiſtoria de muliere quæ ſe proſtituit ob redimendā viri vitā 222.1
Hiſtoriæ cognitio ad ſacras literas vtilis 155.2
Homo nouus quis ſit 201.2
Homo cōſtat duabus ſubſtātiis 296.1
Homo de ſuo ſatanas, de deo beatus 59.2
Homo poſsitne eſſe ſine peccato 183.1
Homo factus in animam viuam quomodo intelligitur 289.2
Homo ſecundum mentem ad imaginem dei factus 165.2
Homo ante peccatum ſine dei gratia in illa integritate ſeruare ſe nō poterat 51.1
Homo omni miraculo maior 281.2
Homo nullus eſt ſine peccato 183.1
Homines credunt eſſe nō poſſe quod experti non ſunt 358.2
per Homines deus reddit ſua oracula & tradit euangelium 157.2
Homines omnes æquales creati 245.1
Hoſtia viua viuo deo offerenda 332.2
Humanitas chriſti quare adoranda 29.2
Humanitatis chriſti fructus 274.1
Humilitas tutior quàm ventoſa celſitudo 322.2
Hypocritæ qui dicantur 307.2
Hypocritæ nomen vnde deductum 369.2

I

Iacobi locus de fide cum paulo conciliatus 167.1,179.1
Iaſon ſimoniacus 373.2
Idiomatum ſeruanda proprietas in chriſto 28.1
Idola quomodo ad ſui cultum infirmos alliciant 324.1
in Idola tarentinorum iocus fabii 325.2
Idola chriſtum confracturum prædictum 324.2
Idola prius in corde frangenda 324.1
Idola tollere priuatus homo non poteſt 216.2
in Idolorum deſtructione quo modo ſe quiſque gerere debet 324.1
Idolorum euerſor auguſtinus 324.1
Idolorum ſeruitus vltima fornicatio animæ 323.2
Idololatræ timent peierare per falſos deos 154.1
Idololatræ qui dicantur 324.2
Ieiunium verum quod ſit 310.1
Ieiunia quorundam ſuperſtitioſa 313.1
Ieiunium comitari debet oratio & eleemoſyna 310.2
Ieiunio ſananda adæ intemperantia 311.1
Ieiuniū ventri aliquando militat 311.1
Ieiunii ex veteri teſtamento exempla 310.2
Ieiunia ſpiritaliter obſeruanda potius quàm carnaliter 312.1
Ieiunia duo corporis & animæ 311.2
Ieiuniorum certi dies in ſcriptura non ſunt nobis præſcripti 312.2
Ieiunia & ſimiles obſeruationes ad finem charitatis reducendæ 313.2
Ieiunium quod elegit dominus & contra 311.1
Ieiunare nil prodeſt ſi poſtea cibis anima obruatur 312.1
non ieiunandum neque manducandum cum ſcandalo 164.1
Igne & verme pœnæ deſignatæ 359.1
Ignis corporeus quo modo aget in ſpiritus 359.2
Ignis vnus ſupplicio dæmonum & hominum 359.2
Ignorantia omnis non eſt excuſabilis 396.2
Ignorantia eſt pœna peccati 396.2
Imago dei vlla nec fingenda nec colenda eſt 324.2
Imagines vocantur nominibus rerum quas repræſentant 264.2,265.1
per Imagines quo modo veritas dei commutetur in mendacium 325.2
in Imaginibus deteſtandis pretioſior materia & charior quare commemorata 325.1
Imagines viſibiles nil ſunt aliud quā aurum, argentum, &c. 325.1
Imperant qui conſulunt 133.2
Imperatorum chriſtianorum felicitas quo metienda 232.1
Imperatores terrendo & coercendo hæreticos coegerunt reſipiſcere 142.2
Imperatores chriſto colla ſubdiderunt 350.1,2
Impœnitentia finalis peccatum eſt in ſpiritum ſanctum 36.2
Incarnationis myſterium ineffabile 28.2
Incātatores immiſcent nomen chriſti ſuis carminibus 254.2
Incantatores non conſulendi 256.2
Incarnationis Chriſti ſumma vtilitas 24.2
Incerta in hoc mundo omnia 387.1
Indulgentiā talem accepturi ſumus, qualem dederimus aliis 328.1
Inferos eſſe probatur 355.2
Inferorum horribiles miſeriæ 357.2
Inferi an ſub terra ſint incertum 355.2
Infernum non eſſe corporeum 358.1
Inferni ignis inextinguibilis 356.2
Inferi in ſcriptura varia ſignificant 356.2
contra Inficientes crines, barbam vel faciem fucis & coloribus 383.2
Inimici litigantes plerūque corrigunt 408.1
Iniquitas duplex, ſimulata æquitas 369.2 219.2
Iniuſtitia regum quas calamitates in regna inuehat
Innocens ſæpe reum ſe fatetur in tormentis 133.1
Innocentes ſæpe quæſtioni admouentur 133.1
Innocentis officium eſt punire nocentes 145.1
Inſidiæ in bello licitæ 236.2
Iob quare tentandus diabolo permiſſus 191.1
Iouinianus monialibus ſuaſit nuptias 124.2
de Iphigenia agamēnonis filia 263.2
Ira eſt vlciſcendi libido 384.1
Iſrael, deinde iudæ captiuitas 244.2
Iudam inter ſuos cur chriſtus ferre voluerit 374.1
Iudas euchariſtiam à chriſto accepit 89.1,91.1
Iudæi romanorum tributarii 244.2
Iudæus fidelis auis rara 198.1
Iudæi ante iudicium in chriſtū crediturī 349.2
quæ Iudæis imagines fuerant nobis ſunt veritates 99.1
Iudæi quare victi à romanis
de Iudæorum noſtrorum hoſtiū libris probatur chriſti veritas 30.2
Iudæus ridicule otioſus die ſabbati 389.1
Iudæi fideles chriſtianis ex gentibus quare ſe præponebant 167.2
Iudæi ſub ceremoniis, liberiores fuere chriſtianis pontificiis 164.1
Iudicia dei in paruulorum electione 122.2
Iudicia dei admiranda 58.2,59.1
ad Iudicia dei debemus cōtremiſcere 60.1
Iudicia dei in paruulorum afflictionibus occulta 116.1
Iudex viuorum & mortuorum chriſtus 349.1
Iudicii extremi horror 351.2
Iudicii diem filius hominis quomodo neſciat 352.1
circa Iudicium ventura 350.1
in Iudicio extremo omnia reuelabuntur 349.2
extremo dei Iudicio frenabitur impietas 197.2

in Iudicio solus apparebit filius 348.2
Iudicio futuro parare nos debemus 351.1
Iudicis officium. 220.1
Iudex in malorum vindictam ordinatus 217.1
Iudex & accusator nullus esse debet 220.1
Iudicis ignorantia, calamitas innocentis. 133.1
Iudici non licet vendere iustum iudicium 388.1
Iudici non licet de legibus iudicare, sed secundum ipsas 221.2
Iudici etiam vera non facile credenda 220.1
Iudicem esse christiano licitum 133.1
Iudicio contendere Christianis illicitum 226.1
Iudicare temere qui dicantur. 395.1
Iudicatur quisque qualis inuentus fuerit moriens 386.2
Iudiciales leges coercent humanam malitiam 227.2
Iulius cæsar in senatu cæsus 242.1
Iurare quid sit 252.1
Iurare non est peccatum 261.1
paulus sæpe iurasse reperitur. 252.1
Iurādi formulæ omnes vitādæ 247.2
deus quare Iurat 247.2,249.2
Iurauit apostolus scripto non verbo 247.1
augustinus suos Iurare non sinebat 247.2
Iuratur falsum duobus modis 251.1
Iuramentum quomodo à malo est 250.2
Iuramentum gabaonitis cur seruatū 246.2
Iuratio etiam vera, periculosa 252.1
Iure humano possidet quisque quod habet 217.2
Iure imperatorio ablato nihil erit cuiusquam proprium 218.1
Iurisperito licet vendere iustum consilium 388.1
Iustitiæ definitio 223.2
de Iustitia dei non est disputandum lege humanæ iustitiæ 78.1
de Iusiurandum exigentibus 253.2
Iustitia in præsenti constat remissione peccatorum non perfectione virtutum 193.1
Iustus ex fide viuit ea parte qua non cedit concupiscentiæ 212.2
Iustitia christianorum constat remissione peccatorum 404.1
Iustitia quid sit 404.1
Iustitia sua nemo iustus est. 132.2
Iustitia vera non est nisi in christi republica 229.1
de Iustitia dei nemo potest conqueri 54.2
Iustitia nostra imperfecta, gratuita remissione peccatorū suppletur & perficitur 185.1
Iustitia regis in quo consistat 219.2
Iustitia vænalis 236.1
Iustitia iudicis non est causa supplicii sed meritum criminis 217.1
Iustitia nimia incurrit peccatū 182.2
Iustitia à deo data iusti sumus 180.1
Iust⁹ nimiū nō est sine malitia 220.1
Iustus lætatur de malorum supplicio 384.2
Iusti spirituales fuerunt in veteri testamento. 210.1
Iusti pro peccatis orant 184.1
Iussus dei etiam contra morem, faciendus 221.1
Iuuenilis ætas circa triginta annos 342.2

L

Laborem manualem iniunxit apostolus 375.2
Labore ne quis furetur præcauetur 376.1
Lapidū asbesti & pyritis natura 283.1
Latro in cruce suo sanguine baptizatus 126.1
Latrocinia sunt parua regna 130.1
Lectioni velle vacare & ei quod legitur nolle obtēperare, peruersū 376.2
Lex quare data 197.1
Lex data lege naturali obliterata 197 1,2
Lex cur spiritualis dicitur 211.1
Lex naturalis & scripta quid exigat 195.2
Lex compellit nos confugere ad gratiam 196.2
Lex quare noster aduersarius 197.1
Lex quare scripta in tabulis 195.1,2
Lex scripta in cordibus quid sit 209.1
Legis dandæ ratio 210.2
Lex seipsam mollire non potest 220.1
Lex dei in futura vita perfecte seruabitur 190.2
Lex naturalis in animis inscripta facit vt decorum seruetur 223.2
Lex cogit nos confugere ad gratiam vt deus det quod iubet 55.1
Lex noua veteres ritus in summā redigit 197.2
Lex quando à prophetis distinguitur 201.2
Lex hominem sibi ipsi ostendit 215.2
Lex primò scripta erat in cordibus 192.1,2
Lex per fidem quo modo statuitur 205.2
Lex mortis, euangelium vitæ minister 209.1
quæque Lex in sui principio dat sui specimen 198.2
Lex mittit hominem ad iustificātem christum 211.2
Lex vitam conferre non potuit 212.1
Lex peccatores conuincebat non soluebat 201.1
Lex christi quæ sit 200.1
Lex in quibus impletur 210.1
Lex sine gratia facit abundare delictum 55.1
Lex vitium monstrat, gratia sanat 199.2
Lex quomodo delictorū plurium occasio 171.1
Lex non nisi à spiritalibus perficitur 205.1
Lex auget peccandi desiderium 205.2
Lex peccati cur dicatur 205.2
Lex peccatum scire facit non cauere 199.2
Lex quibus est litera 213.1
Legis dei studiosis quomodo viuendum 151.1
Legis opera sunt bipartita in sacramentis & moribus 205.1
Legis & fidei discrimen 62.1
Legis onera in perpetuum cessarunt 198.2
Legis factorum & fidei discrimen 209.2
egis preuaricatores sunt omnes homines. 195
Legis cognitio facit superbum præuaricatorem 212.1
Legis Mosi principia aspera, nouæ mitia 169.1
quod deus iubet per Legem dat per gratiam 196.2
Legem vocat dominus scripturas omnes 201.2
per Legem homo intelligit quid iusti tiæ habeat & quid sibi desit 196.1
qui Legem seruat, viuit in ea, sed temporaliter 212.1
per Legem spiritalem cessant carnalia 198.1
Sub Lege esse & in lege quomodo differunt 214.2
aliud est esse sub Lege, aliud in lege, aliud sine lege 200,2
in Lege christus inuenitur 203.2
Lege delectatur homo per spiritum 208.2
ex Lege iustificari potest quis coram hominibus non coram deo 207.2
Legum bonarum & malarum vtilitas 223.2
Legibus malis probantur boni, bonis emendantur mali 217.1
Legibus humana licentia comprimenda 225.2
Leges imperatoriæ contra sectarios vtiles 141.1
Lex imperatoria contra schismaticos 217.2
Lex voconia 229.2
Legislator æternæ legis regulas debet consulere 221.2
Liberum arbitrium vnde dictum 57.1
Liberum arbitrium integrum solus adam habuit 57.1
Liberum arbitrium solus homo primus ante peccatum habuit 10.1
Libertas arbitrii per peccatum periit 63.2
Liberum arbitrium tantum ad peccandum valet, si lateat veritatis via 61.2
Liberum arbitrium & seipsum homo perdidit 64.2
Liberum arbitrium ad diligendum deum perditum est 52.1
Libero arbitrio homines peccant 63.2
Liberum arbitrium etiam integrum nihil valuisset sine gratia 66.1
Liberum arbitrium in sanctis erit potentissimum quia peccare non potest 366.1
Liberum arbitrium sine dei adiutorio inflatur legis scientia, non iustificatur 88.2
Liberum arbitrium sine gratia nihil valet 66.2
Liberum arbitrium sine dei gratia nil boni potest 88.1
circa Liberum arbitrium manichæi & iouiniani errores 72.1
Liberum arbitrium dei gratia est liberum, à se captiuum 51.1
sine Libero arbitrio non est obedientia 66.2
ex parte Liberi sumus, ex parte serui 191.1
Libertas piorum nec regia potestate superari potest 216.2
Libertas vbi spiritus domini est 208.2

Libido post peccatum orta est 319.2
Libido ad multa refertur vitia 244.1
Libellus repudii quare institutus dari 316.2
sine Libris multi vixerunt in solitudinibus 155.1
Liberalibus disciplinis verè eruditus 391.1.2
Ligare & soluere alii alios quo modo possumus 330.2
Linguæ lubricitas 254.1
Linguarum cognitio ad scripturarum intelligentiam vtilis 155.2
Litera iubens non præstat dilectionē, sed spiritus iuuans 210.2
Literam occidere, spiritum viuificare quo modo intelligendum 207.1,208.1
Locus nullꝰ est medius inter regnum dei & inferos 95.1
Locustarū in africa multitudo 242.2
Lucerna inextinguibilis in templo veneris 283
Lucta fidelis hominis periculosissima 194.1
Luxerunt suos mortuos patres sub lege 336.2

M

Macchabæi in tormentis mortui, tres vero pueri liberati 218.2
Magia legibus vetita 258.2
Magica ars duodecim tabularum legibus vetita 260.1
Magicæ artis impietas 260.1
Magicis artibus christum vsum, falsissimum 268.2
Magi cur muscas facere non potuerunt 267.1,2
Magorum miracula dæmonum opera fiunt 260.2
Magistratus in hæreticos & schismaticos leges ferre potest 217.1
Magistratus arguit virum 219.1
Magistratui tribus opus est 219.1
à Magistratu & legibus paulus auxilium petiit 142.1
Magistratu & potestatibus deus pro arbitrio vtitur 218.1
Magnetis vi pensile simulachrum 284.1
Magni status magis infestātur 219.1
Maiorum instituta pro lege tenenda modò non sint contra fidem 163.2
Malum duplici modo capitur 73.2
Malum in carne nostra vnde 182.2
Mali pœnæ non culpæ auctor deus 73.2
Mala pœnæ à deo 220.2.
Mali vel malitiæ diabolus est auctor 77.1
Malitia hominum vnde habeat originem 68.2
Mali dum plectuntur, frangitur licentia peccatorum 384.1
Manichæi suos non baptizabāt 106.1
Manichæorum deliramenta 255.1
Manichæorum de anima impia opinio 288.2
Marcelli victoris humanitas 238.1
Mariæ & ioseph verum fuit matrimonium 321.1
Mari & Syllæ crudelitas in bello ciuili 241.1.2
Marsorum vires contra serpentes 270.1
Martyrium supplet defectum baptismi 202.1
Martyrem pœna non facit sed causa 141.1
Martyres quomodo honorādi 322.2
Martyrum constantia inuincibilis 245.2.246.1
Martyrum cineres in rhodanum proiecti 336.2
Martyrum meminerunt christiani vt mortuorum hominum 94.2
Martyribus non sacrificatur, nec ipsi à sacerdote inuocantur 94.2
Martyribus nec templa nec altaria christiani erigunt, sed vni deo 94.2
Martyres veri à falsis quomodo seiungendi 141.1
Martyres alieni à mendacio, corde crediderunt, & ore confessi sunt 371.2
Martyres, nostri heroes dici possent 262.2
Mathesis legi dei inimica 275.1
Mathematici roma prohibiti 276.1
Mathematicorum horoscopi fallaces 269.2
contra Mathematicorum insaniam 258.1.2
Mathematicorum disputationes precandi solicitudinem auferunt 269.1
Matrimonii sacramentum 320.2
Matrimonii bona & fructus 318.2
Matrimonii vinculum ad quid institutum 138.2
Matrimonium verum est inter senio confectos 317.2
Matrimonia eorum qui cōtinentiam vouerant non sunt dirimenda 382.2
Mediator vnus est, christus 301.1
Mediator falsus non traiicit ad superiora 268.1
Mediatorem qualē esse deceat 27.1
Medicinæ vsus duplex 377.1
Medicina interdum asperior est 377.2
Medici post curationem ægrotos deo committant 377.1
Medicorū anatomicorum crudelitas 377.1
Medicandi per contraria & similia duplex modus 377.2
Membra omnia latenter sunt in semine 342.1
Mendacium nunquam licitum 370.2
Mendacium non admittēdum etiam boni alicuius spe 371.1
Mendacium omnegenus odio habendum 371.2
Mendacium proferre & veritatem occultare non sunt eadem 371.2
Mendacii omne genus peccatum est 371.1.373.1
de Mēdacio magna est quæstio 370.1
Mendacio nullus ad salutem ducendus 371.1
Mēdacia omnia remouenda à doctrina religionis 371.1
inter Mendacia non sunt computanda ioco dicta 370.1
Mendacia patrum in exemplum non trahenda 370.2
Mendaciū iehu in cultores baal 371.1
Mendaciorum duo genera minus noxia 373.2
Mentiri quis dicatur 370.1
Mentiri vel fingere non licet diaboli cultū exterius in corpore, & dei cultum seruare in mente 371.2
Mens non corpus ad imaginem dei creata 10.1
Mens rea linguam peccato obligat 251.2
Meritum nullum est ante fidem 53.2
Merita nostra nō nisi mala sunt 87.2
Metamorphosis sociorū vlyssis 262.2
Metempsychosis pythagorica reiicienda 288.1
Meteororum administratio à deo 269.2
Militiam deserendam non suasit ioannes 236.1
Milites persequūtur indefensos 235.2
Milites de rapinis deo agunt gratias 235.2
Militare quis inculpate potest 235.1
Militi præcepta dei seruanda sunt vt & cæteris 235.1
in Ministros ecclesiæ negotiatores 236.1
per Ministros dispares dei munus æquale 101.2
Ministri ecclesiæ alendi 146.1
Ministri indocti & indocte pronuntiantes non spernendi 399.2
Minister sine crimine esse debet, non sine peccato 189.2
propter Ministros malos societas christiana non diuidenda 147.1
Ministros conuenire cum principibus fidei nihil derogat 147.1
Miraculi definitio 280.2
Miraculorum bipartita diuisio 280.2
Miraculorum finis 281.2
Miracula quare cessarint 167.1
Mirabiliarii qui dicantur 254.2
Miracula quotidiana quæ fiunt in anima 256.1
Miracula arte dæmonū facta 182.1,2
Miracula vbi fiunt non ab omnibus sciri 397.1
Miracula quare in tyro & sydone fieri dominus non permiserit 84.1
Miracula si quis faciat, gaudere inde non debet 255.2
Miracula christi per scripturam omnibus innotuerunt 285.1
Miracula initio fidei necessaria 285.1
Miracula in creaturis consuetudine viluerunt 31.1
Miracula quotidiana vilescunt 281.1
Miracula quæ à factis & quæ à magis fiunt in quo distent 281.1
Miraculorum in veteri testamento scopus 281.1
Miracula facere extra vnitatem nihil est 254.2
Miraculis dæmonum non stupescit fidelis 268.1
Miraculorum faciendorum cupiditas frenanda 255.2
Misericordiæ opus sacrificium est 333.2.354.1
Misericordia & veritas dei inuestigabilis 84.2
Misericordia puniens, crudelitas parcens 393.2
est aliquando Misericordia puniens & crudelitas parcens 228.1
Mithridatis in romanos truculenta immanitas 230.1
Monachorum otiosorū excusationes 375.2
Monachorū otiosorum, mendicantiū vel quæstuariorū descriptio 376.2

Mona

Monachi ob capillorum rasuram turbantes ecclesiam 165.1
Monstra, prodigia, ostenta 284.2
Monstra & gemini quomodo resurrecturi 346.2
Mores hominum quales in initio 230.2
Mortis definitio 387.2
Morborum occasione medicinæ repertæ 397.2
Mors discessio est in alios modos 345.2
Mors animæ quæ sit 172.2
Mors bonum est, quia auget patientium gloriam 202.2
Mors, culpæ pœna 337.1
Mors pro summo beneficio Iosiæ promissa 354.2
Mors christi contra originale peccatum, singulare remedium 28.2
Mors à christo passo non est terribilis fidelibus 336.2
Mors bona & mala 291.2
Mortis dies incertus 386.2
Mortis immaturæ ratio 387.1
Mors æquat omnia 387.2
Mortis dies cur incertus 297.1
quatuor dies Mortis 202.1
Mortem alacriter multi desyderant 386.2
Mortem horret natura 337.1
Mortem sibi nemo debet conscisscere 248.2
Morte nihil incertius 387.1
Mortui quomodo viuis apparere videantur 354.1
Mortui plures in anima qui carne viuunt 253.1
Mortuis nullo modo iusti subuenire possunt 352.2
Mortui curã agunt viuorum 354.1
Mortui possunt nosse quædam quæ hic fiunt 355.1
Mortui non miscentur viuorum actibus & rebus 354.2
Mortuorum diuersæ custodiæ 352.2
Mortuorum spiritus quomodo sciãt quæ circa viuos agantur 353.1
Mortuos lugeri paulus vetat 336.2
de Mortuis philosophorum opiniones 353.1
Moralia præcepta non sunt figurate accipienda, sed ad literam 211.1
Mori potest quis ex quo incipit viuere 346.1
qualis Moritur quisque, talis iudicabitur 351.1
an Morientur qui superstites erunt in aduentu domini. 341.2
Moriẽdum seculo ne moriamur deo 346.1
Mos populi dei & instituta maiorum pro lege tenenda 312.2
Moses soceri consilio vti non dedignatus est 157.2
Mosi facies velata quid designet 208.2
Mosi tabulæ fractæ quid significent 209.2
Moses quo tempore eduxerit populum ex ægypto 203.1
Motus & membra in deo spiritualiter intelligenda sunt 150.2
Mulieri nuptæ non licet de suo facere quod vult 315.1
Mulieres sortilegæ à diabolo illusæ 77.2
Mulierum syrarum continentia 405.2
Mulier quædam vndecim viros habuit 381.2
Mulieri relicto viro adultero non licet nubere 318.1
Mulierẽ plures maritos simul habuisse nusquam legitur 316.1
Mulieri repudiatæ an liceat alteri nubere 315.2
Multiloquium in oratione à gentilibus est 303.2
sex Mundi ætates 132.2
Mundus in deo æternus 78.2
in Mundo periculis plena omnia 194.1
Mundum æternũ sensit cicero 246.1
in Mundo confusa omnia 197.2
Munda omnia, nisi propter consuetudinem & societatem 311.2
Munera accipere non semper illicitũ 389.2
nouem Musæ iouis & memoriæ finguntur esse filiæ 265.2
Mutatio in natura quædam mors est 286.2

N

NAbuchodonosor flagellis emendatus, pharao contrà induratus 80.2
Nabuchodonosor edictum aduersus dei blasphematores 218.1
Naficæ prudentia 228.2
Natali die domini tantum reuocatur in memoriam quòd sit natus 164.2
Natiuitas carnalis non est otiosa 275.2
Natiuitas duplex 115.1
contra Naturam non sunt, quæ fiunt dei voluntate 284.2
Naturæ rerum quarundam admirandæ 283.1,2
Necessitate nec ad virtutes nec ad vitia trahimur 63.2
Nero ex vitiis contrariis monstrum conflatum 231.2
Ninus primus finitimos inuasit, suo regno non contentus 230.2
Noe ebrius fuit, non tamen ebriosus 184.1
in Noe, daniele, iob, tres status 184.1
non Nosse aliquem quomodo dominus dicatur 206.2
Nosse prius est quàm facere 289.2
quæ Nolum⁹ quomodo facim⁹ 193.2
de Nomine nõ est certandum, vbi de re constat 285.2
Nomina sunt ex accidenti 274.1
Notiones in animo fidelis hominis 166.2
Nouatianorum error reiiciendus 192.1
contra Nouatianos 299.1,300.2
Numa pompilius hydromanticus 258.2
Numeris inter se connexa omnia 377.1
Nuptiæ quare bonæ 317.1
Nuptiæ prolabentium à proposito castitatis sunt veræ nuptiæ 382.1
Nuptias non secundum indulgẽtiam concedit apostolus 318.1
Nuptiarum triplex bonum, fides, proles, sacramentum 319.1
Nuptias honorauit christus sua præsentia 214.2
Nuptias dãnantiũ hypocrisis 316.2
Nuptias deus instituit 214.2
Numæ libri senatusconsulto exusti 259.1
Numina falsa sua sceleravoluerunt recitari 257.2

O

OBduratio dei est nolle misereri 54.1
Obediendum deo potius quàm hominibus 226.2
Obseruationes superstitiosæ 266.1
Obiurgatio generalis quãdo opportuna videtur 140.2
Octauus dies christi resurrectione sacratus æternam requiem præfigurat 367.1
quod Offerat homo in se habet 331.2
Officiũ humanitatis est sepelire mortuos 337.2
Opera nostra bona, dei potius sunt quàm nostra 366.2
Opera nostra bona si nobis tribuerimus, seruilia erunt 366.2
Opera nostra bona à deo sunt 176.2
Opera bona quomodo clàm & palàm facienda 173.2
Opera ex intẽtione diiudicãda 174.1
Opera ex gratia, non gratia ex operibus 52.1
Opera bona gratia pariuntur, non gratiam pariunt 54.1
Opera bona nil prosunt infidelibus 165.2
Opera quæ de bono naturæ oriuntur 57.1
de Operibus præsumentes non perueniunt ad gratiam 329.1
Opera misericordiæ forte prosunt vt quis mitius torqueatur 104.1
Opera laudabilia ante fidem sunt inania 179.1
bona Opera quando seruilia 173.2
Opera bona sine pensanda 177.1
Opera bona ante fidem inania sunt 87.1
in Operibus gloria dei intuẽda 177.1
summũ Opus hominis, laus dei 175.2
Opera bona ex iustificatione ducũt originem 170.2
ad Opus bonum vel incipiendum vel perficiendũ, nemo sibi sufficit 81.1
Oratio perit fide deficiente 174.1
Oratio iusti, clauis est cæli 304.2
Oratio vna obediẽtis exauditur citius quàm decem millia contemptoris 376.2
Oratio non intermissa quæ sit 304.2
Oratio vera christianorum oblatio 331.2
in Oratione rationalis creatura temporales causas refert ad æternã veritatem 44.2
Oratione cur sit opus, cum sciat deus quibus indigeamus 303.2
Orationes, iterpellationes, postulationes, &c. in quo differat 305.1,306.1,2
Orandum in nobis, tanquam in dei templo 302.2
Orandũ quid nobis sit, nescim⁹ 301.2
quomodo Orctur in spiritu & veritate 305.1
Orant pro se inuicem fideles 301.2
Orare multum & multum loqui, differunt 305.1,2
Orare clausis cubiculis, quid sit 305.1,2
Orabãt ad oriẽtẽ versi, & quare 304.1
Orantiũ gestus & motus varii 30.1,2

Ordo naturalis vt fœminæ viris seruiant 236.1
Origenes damnatorum pœnas finem habituras male credidit 360.2
Origenistarum hæresis 276.2
Ornamenta externa sunt hominis interioris detrimenta 383.2

P

PAcis multiplicis definitio 245.1
Pacis bono nihil optabilius 246.1
Pacis intētione bella geruntur 246.1
Pacem nec seditiosi oderunt 246.1
sine Pace nec grassatores esse possunt 246.2
Pacta ciuitatum & gentium seruanda 221.1
Panis pascit non qui videtur sed qui creditur 96.
Paruulorum reatus vnde 128.1
Paruuli baptizati inter credentes numerandi 119.1
Paruuli sine baptismo damnantur 118.1.121.1
Paruuli quomodo fidem habeant 120.2
Paruulorum etiam iesus saluator 124.1
Paruuli credunt per corda & ora gestantium 128.2
Paruuli condemnationi sunt obnoxii nisi per christum liberentur 117.2
Paruuli origine non voluntate rei 116.1
in Paruulis baptizatis spiritus sanctus habitat 125.1
Paruuli offeruntur baptizādi ab vniuersa societate fidelium 120.1,2
Paruuli cur diabolo traduntur vexandi 272.2
Paruuli nec sine manducatione corporis christi possunt habere vitā 98.1
Paruuli damnati omnium mitissime punientur 128.1
Paruuli per baptismum christo incorporantur 124.1
Paruulorum doloribus & mortibus parentes flagellat dominus 116.1
Paruulis melius est dānatos esse quā omnino non esse 128.1
Paruulos non excusat à culpa ignorātia 118.1
Paruulis dum baptizantur prodest aliena fides offerentium 115.2
Paruulos nihil impedit à gratia christi 119.2
in Paruulis sopita est ratio 125.1
Pars omnis turpis est suo vniuerso nō congruens 221.1
Pascere seipsum quis dicatur 146.1
Passiones mēs moderari debet 149.2
pastorum est perditas oues quoquo modo ad ouile reuocare 142.1
Pater, filius & spiritus sanctus, vnum sunt substantia 2.2
Pater & filius vnum non vnus 4.2
Patrem vocare deū quorū est 190.2
Patrū vita & lingua ꝓphetica 214.1
Patribus olim licita nunc nobis sunt illicita 318.2
Patriarchæ de humandis suis corporibus soliciti 335.1
Patribus deus per subiectam creaturam ostensus 386.1
Paulus vocatus per gratiam ad fidem 178.1
Paulꝰ fatetur se nondū perfectū 189.1
Paulus ad fidem coactus est 142.1
Paulus quare non oret pro alexandro ærario 181.2
Paulus & barnabbas adorari noluere 323.1
Paulus petit pro se orari 147.1
Paulus fidelium se commendat orationibus 301.1
Paulus & cæteri sancti non sunt mediatores 301.1
Pauper misericors laudabilis 307.1
Pauperes veri, sunt dei inimici 308.1
Pauperes à nobis petentes non sunt relegandi ad alios 309.1
Paupertatis amantium ex prophanis historiis exempla 308.2
Pax qualis in vita beata 193.1
Pax mundi quæ sit 235.1
Pax domestica refertur ad pacem ciuilem 233.2
Pax in præsenti solatium est miseriæ non beatitudinis 193.1
Pax bellando quæritur 244.1
Pax domestica quomodo alatur 220.2
Peccatum languor vocatur & infirmitas, vnde illicita desideria commouentur 105.2
Peccatum non est à deo, quia est contra naturam 55.2
Peccatum quo modo hominem fallit 206.2
Peccatum in spiritum sanctū quod sit 33.1
Peccatum originale ad damnationem sufficit 126.2
Peccatum quomodo transeat in filios cum fidelibus parentibus sit dimissum 121.2
Peccatum & si sit in nobis, regnare tamen non debet 191.2
Peccatum in membris habitans est etiam pœna peccatorum 192.2
Peccatum de quo mundum spiritus arguit 174.2
Peccatum momentaneum iuste diuturna pœna plectitur 234.2
Peccatum magnum Iudæorum quod fuit 191.2
Peccato perdidit homo naturæ bonum & vigorem arbitrii, non tamen electionem 75.2
Peccato suo adam diuinum non potuit perturbare consilium 70.2
Peccato infidelitatis cætera tenentur peccata 191.2
de Peccato primi hominis deus bonum elicuit 66.1
Peccati seruitus non institutio dei est, sed iudicium 55.2
sine Peccato qui dici possint esse in hac vita 181.1
sine Peccato in scripturis nemo praeter christum dicitur, etiam si quidam sine querela 186.1
se sine Peccato esse nemo audet dicere 185.1
Peccata oblique in deum non referenda 379.1
Peccata remittuntur solius christi nomine 329.1
Peccatum ad mortem quod sit 190.2
Peccata tribus modis remittuntur 192.2
Peccata magnorum virorum erudire nos debent 182.1
Peccata temporaria cur pœnis plectuntur perpetuis 358.2
Peccata aliena non præiudicant 136.2
Peccati non est auctor deus 55.2
Peccata sanctorum ad quid scripta 182.1
Peccato nullꝰ sanctus aut iustus caret 180.2
Peccata parua, collecta grauant 297.1
Peccata fato vel stellis non sunt ascribenda 378.2
Peccata quædā sunt pœnæ peccatorū, & ibi non dei est peccatum sed iudicium 83.1
Peccatorum deus non est auctor sed ordinator 237.1
Peccare nos quotidie vnde colligitur 190.1
Peccandi necessitatem aut voluntatē deus nemini infert 56.2
Peccandi contagio vbi multitudinem inuaserit quid agendum 140.2
Peccatores aliquando exaudit deus 301.1
Peccatores sua inordinatione non possunt rectum rerum ordinem peruertere 71.1
Pecunia vnde dicta 395.1
Peierare quantum sit scelus 252.2
Peierare nō potest qui nō iurat 250.1
Pelagii error, gratiam dari secundum nostra merita 67.2
Pelagianæ hæresis impietas 188.2
Pelagiani negant originale peccatum 117.2
Pelagianorum & cælestianorum error 125.2
Periuria romanorum 249.1
Perfectus est qui se scit imperfectum 189.2
Perfectos quosdā quo sensu scriptura nominet 185.1
Pernicies malorum valet ad aliorum salutem 217.2
Persecutio iusta esse potest 147.2
Persecutio non semper iniusta 141.1
in Persecutione licet ministris fugere si soli quæruntur ad necem 375.1
Personæ nomen in diuinis, scripturæ non est contrarium 3.2
Pestilentia late peruagata 243.1
quæ à deo Petenda 303.1
Petere in nomine saluatoris quid sit 302.2
Petrus à petra, non contra 130.1
cur Petrū dominus subdeseruit 72.1
Pœnitentia vera duobus cōstat 298.1
Pœnitentia publica quibus iniungebatur 192.2
Pœnitentia nulli deneganda 327.2
Pœnitentia publica ministrorum ecclesiæ arbitrio imponebatur 297.2
Pœnitentia quanto cum periculo negligatur 300.2
Pœnitentia in hac vita debet esse perpetua 300.1
Pœnitentia infructuosa esse nequit 300.1
Pœnitentia non differenda 298.1
Pœnitentiæ publicæ vsus 92.2
Pœnitentiæ fundamentū fides 300.2
Pœnitentiæ digni fructus 298.2
Pœnitentiæ locus est & post baptismum 296.2
Pœnitentiæ tres actiones 300.1
Pœnitentiæ virtus 300.2
Pœnitentiæ hic tantum locus 296.2
Pœnitentiam sibi promittentes sub finem vitæ 299.2

poſt Pœnitentiam nemo erat clericus 297.2
Pœnitentium in ſcripturis exempla 288.1,2
Pœna malorũ prædeſtinata eſt 58.2
Pœna paruulorum erit omnium mitiſsima 357.1
Pœnæ impiorum æternæ 357.1,2
Pœnæ damnatorum variæ 355.2
Pœnarum æternarũ qualitas 359.1
Pœnarum octo genera ex ciceronе 234.2
Pœnarum gradus quidam 356.2
neminem Pœnitet niſi à deo conuerſum 75.1
Pœnitenti bona eccleſiæ opera vniuerſa ſubueniunt 301.1
Pharao ſeipſum indurauit per liberũ arbitrium 68.2
Pharao vnde meruit vt induraretur 72.2
Pharao iuſto iudicio induratus à deo 68.2
Phantaſia differt à phãtaſmate 273.2
Pherecides aſſyrius primus de anima diſputauit 292.2
Philoſophis ad fidem venientibus habitum vel cõſuetudinem victus mutare nihil neceſſe 161.2
quidam Philoſophi veritatem de deo cognouerunt 18.1
Photini error 29.2
Phreneticus à dæmone poſſideri exiſtimatur 271.1
Platonis de anima opinio 286.1
Platonis & porphyrii de anima opiniones 343.2
Platonicorũ & virgilii opinio de purgandis poſt mortem hominibus 360.1
Plectendo & ignoſcendo enitendum vt vita hominum corrigatur 228.1
Plotinus ait hominem ſine dei viſione eſſe infeliciſsimum 282.1
Pomorum ſodomorum natura 283.1
Populi definitio 229.1
Portenta quæ ſint 284.2
Poteſtas non eſt niſi a deo 227.2
Poteſtas quando contẽnenda 226.2
Poteſtas maior minori ad obediendũ præponitur 221.2
Poteſtati obediendum propter conſcientiam 223.1
Poteſtati obediendi neceſsitas vnde 223.1
Poteſtates quæ dicantur 222.2
Poteſtatum obedientiæ libertas chriſtiana neminẽ eximit 222.2
Potentes potenter tormenta patientur 220.1
Præcepta nõ bona iudæis data 215.1
Præceptum charitatis in futuro ſeculo integrè adimplebitur 190.2
Præcepta tam aſpera cur iudæis data 197.2
Præcepta quare data 66.2
Præcepta dei volẽtibus leuia 192.2
Præſciti ſunt peccatores in ſuis malis non prædeſtinati 58.2
Prædicatio bono exemplo auditorũ cordibus infigenda 145.2
ex Prædicatoris exemplo multi prætextum quærunt malitiæ 148.2
ante Prædicationem concionatori orandum 148.1,2
Prædeſtinatio vnde dicitur 58.1
Prædeſtinationis definitio 75.2
Prædeſtinationis & præſcientiæ differentia 58.1
Prædeſtinatio & gratia in quo differunt 28.2,83.1
Prædeſtinatio prædicationi non eſt aduerſa 85.1
Prædeſtinatio nulla eſt ad peccati perpetrationem 56.2
Prædeſtinatio dei nemini eſt cauſa labendi 56.2
Prædeſtinationis cauſa occulta ſed non iniuſta 51.2
ad Prædeſtinationem diuinam iuſtitiæ tantum retributio & gratiæ largitio referenda 56.1
de Prædeſtinatione quomodo populo prædicandum 86.1
Prædeſtinatorum nullus perire poteſt 75.2
Prædeſtinatorum certus eſt numerus 69.2
Præſumptio noſtra deus eſſe debet 393.1
Prædicatoris vita improba facit vt vi leſcat dei verbum 148.2
Præſcientia aliquando pro prædeſtinatione capitur 85.2
Præſcientia dei quomodo cum libero arbitrio conueniat 74.1
Præſciẽtia dei non cogit hominẽ 80.1
Præſcientia dei non impedit voluntates hominum, nec eos peccare facit 70.2
per Præſcientiã dei certior eſt noſtra voluntas & liberior 73.2
Precatio dominica nemini non neceſſaria 181.2
Presbyteri quo modo duplici honore digni 389.2
Primi parentes ſine libidine filios ſuſtuliſſent 319.2
Principatus & poteſtates ceſſabunt in futuro ſeculo 222.2
Principes ſubditis ſeruiunt 221.1
Principes quomodo ferendi 220.2
Priſcillianiſtæ licitum contendunt mendacium 372.2
Priuilegio abutens, ab obtenta dignitate deiicitur 227.2
diſcrimen inter Procedere & naſci temerarie definitur 41.1
Prodigia belli ciuilis 242.2
Prodigia mendacii vnde dicta 339.1
Promiſſa chriſti & legis diuerſa 201.1,2
quis in hac vita multum Profeciſſe dici poſsit 186.1
Prophetia multis modis capitur 392.1
Prophetia ad mentalem viſionem pertinet 386.1
Prophetia de chriſto ab orbe condito reuelata 149.2
Prophetiæ quæ videntur impletæ fidem confirmant
Propoſitum noſtrum perpetuum debet eſſe vincẽdi in bono malũ 369.1
Proprietates trium perſonarum 4.2
Prudentiæ officium 403.2
Prudentiæ fructus 403.2
Pugnæ fidelis hominis 206.2
Pulchritudo corporis, dei donũ 390.2
Punitio quorſum adhibenda 145.1
Punitionum gradus 225.2
Pythagoras ex athleta verſus in philoſophum 292.2
Punitio obduratorum aliis tamen proficit 217.2
Purgatio animæ vera vnde petenda 282.2
Purgatio peccatorum fit per chriſtum 331.2
Pythagoras necromanticus 258.2
Pythoniſſa an ſamuelem excitauerit 274.1

Q

QVadrageſimæ ſuperſtitioſi obſeruatores 312.1
Quadrageſimæ voluptarii obſeruatores 312.1
Quadripartitæ veſtis domini ſignificatio 129.2
Quadrata forma quid ſignificet 133.1
de Quæſtionibus & torturis 133.1

R

RAtio reddenda deo 352.1
Rebus ſecundis fatigantur ſapientium animi 232
Rebaptizare catholicos diabolicæ eſt præſumptionis 114.1
Regnum bonorum plus rebus humanis quam illis prodeſt 230.1
Regnum cælorum quomodo vim patitur 209.2
Regni cælorum claues datæ eccleſiæ 327.1
Regna ſine iuſtitia magna ſunt latrocinia 230.1
Regna cur deus malis itidem vt bonis det 230.2
Regna dantur dei prouidentia 230.2
in Regem quis eligendus 225.1
Reges terræ quomodo domino ſeruiunt 141.2
Reges amicitia iuncti patribus 147.1
Reges infenſi fidelibus 216.1
Reges iſrael omnes reprobi 133.1
Reges ob vnctionem chriſti dicti 220.2
Reges moueri debent chriſti iniuria 218.2
Reges qui & quales initio eligebãtur 230.2
Reges de eccleſia debent eſſe ſoliciti 141.2
Reges præter priuatos habent vnde domino ſeruiant 216.2
ad Reges chriſtianos pertinet vt pacata ſit eccleſia 218.1
Regum intereſt tueri religionem 217.1
Regum officium 139.1
Regibus obedire generale pactum eſt ſocietatis humanæ 221.2
pro Regibus etiam ſi ſint tyranni orandum eſt 234.1
Regulus captus à carthaginenſibus 240.1
Reguli crudeliſsima mors 248.1
Religio nobis eſſe non debet in operibus manufactis vel rebus viſibilibus 321.2
Religio in quo à ſuperſtitione diſtinguitur 325.2
Religio chriſtiana eſt vt colatur vnus deus 321.2
Renaſci nequit qui natus nõ eſt 124.1
Renouatio hominis quando incipitur 183.2
Reprobis omnia cooperantur in malum 75.1
Repudia apud gentiles legitima 318.1
cur Res ſecundas deus largiatur quibuſdam petentibus 304.1
Reſurrectio dei potentiæ facilis 345.1

Resurrectio nostra cum christo quæ sit 344.1
Resurrectio carnis præ omnibus articulis fidei impugnatur 292.2
Resurrectio maxime impugnatur à philosophis 345.1
Resurrectio piorum & impiorum dispar 204.1
Resurrectionis animæ & corporis causa efficiens 345.2
Resurrectionis spes inculcanda 398.2
Resurrectionis fides a gentilibus nos discernit 347.2
error Resurrectionē iam factam credentium 344.1
Resurrectionem corporum non esse contra naturam 345.2
in Resurrectione nulla apparebit deformitas in corporibus 343.1
de Resurrectione gentilium somnia 343.2
de Resurrectione quæstiones omnes solui non possunt 346.1
in Resurrectione spes christianorum est 347.2
Resurrectione christi libertas nobis parta 99.2
in Resurrectione mutua erit cordium cognitio 347.2
Resurrectiones duæ, animarum & corporum 341.1
Resurget vterque sexus 342.2
Resurrecturi sunt in iuuenili ætate ad mensuram ætatis plenitudinis christi 342.2,1
Resurrecturi iusti & iniusti 344.2
Resurrecturi ne sint fœtus abortiui 346.1
Resurrecturi infantes virili ætate 342.1
Resurgentium statura æqualis an contra 347.1
Respublica quādo dicitur, quādo non 229.1
Rex est qui sibi imperat 221.1
Rex qualiter se gerere debeat 219.2
Rex etiam gentilis, honoradus 220.2
Rex dei gestat imaginem, episcopus christi 220.1
Rhadagaisi exercitus ad internecionē cæsus 243.2
Rhetores ne simplicitatē ecclesiasticam irrideant 399.1
Roma fraterno sanguine inaugurata 244.2
Romæ miserabile excidium 351.2
Romani imperii magnitudinis causa 230.2
Romani a maioribus degeneres 231.1
Romani suas calamitates imputabant religioni christianæ, vt fit hodie 228.2
Romani quibus artibus suum auxere imperium 231.1
Romani quare deum iudæorum nunquam colere voluerunt 30.1
Romani amore laudis alia vitia compresserunt 231.1
Romani mutuis seditionibus oppressi 228.2
Romanorum in bello sedulitas 239.2
Romani vi & rapto prima iniere coniugia 239.2
Romani quo malorum ruerunt dempto metu carthaginis 228.1
Romanorum leges ab athenienſibus 228.2
Romanorum monarchia cæteris illustrior 231.1
Romanorum in scipionē ingratitudo 229.2
Romanorū regū horrēdi exitus 229.2
Romanorū veterū continentia 381.1
Romanorum enumeratio qui pro patria admiranda vel gessere vel passi sunt 231.1,2
Romanorum artes imperandi 243.1
Romanorum ambitio 228.2
Romanis vnde incrementum imperii 30.2
Romanos cur deus in tantum potentiæ euexit 231.1
Romulus metu romanorum pro deo cultus 245.2
Rudis quo modo imbuendus 398.1,2

S

Sabbatum non ad literā obseruandum 164.2
Sabbatum male celebrat qui à bonis operibus cessat 389.1
Sabbatum cur non obseruēt christiani 389.1
Sabbatum quando perfectē obseruabimus 366.2
Sabbatum verum & perpetuum quis obseruat 162.1
Sabbati obseruatio a iudæis non intellecta 204.1
Sabbatum christiani spiritualiter obseruant 204.1
Sabellianorū hæresis confutatur 8.2
Sacramentum aliud est, aliud virtus sacramenti 91.2
duo tantum Sacramenta instituta a domino 100.1
Sacramentum est tanquā visibile verbum 103.2
Sacramenta christi numero paucissima 92.2
Sacramentum corporis christi qua ratione corpus christi dicatur 90.1
Sacrametum fit dum accedit verbum ad elementum 103.2
propter Sacramentum cœnæ quidam existimarunt christianos colere cererem & liberum 100.2
Sacramentum christi cur pane & vino institutum 92.1
Sacramentum in verbo efficitur creatoris 95.2
sine signis vel Sacramentis in quantibet religionem homines conuenire nequeunt 101.1
Sacramenta pietatis habere possunt impii 101.1
in Sacramentis aliud videtur, aliud intelligitur 90.2
Sacramenti rem non potest percipere qui non est in vnitate ecclesiæ 95.1
Sacramenti res omnibus ad vitā proficit, signum non item 91.2
in Sacramentis verbi virtus est non quia dicitur, sed quia creditur 103.2
Sacramenta veterum eadem virtute fuerunt, diuersa specie 91.2
Sacramenta non carent suo effectu etiam malis administrantibus 111.1
Sacramentorum substantia hæreticorum impietate non destruitur 108.1
Sacramenta rerum nomina accipiunt quarum sunt sacramenta 90.1
Sacrificium visibile inuisibilis sacrificii fuit sacramentum 333.2
Sacrificiū christianorum est vera concordia 334.1
Sacrificia veterum in quo differant a nostro 94.2
Sacrificia veterum carnis christi figuræ fuerunt 94.2
Sacrificiū nec martyri nec angelo nec cuiquā sanctæ animæ offerendū 323.1
Sacrificium est omne opus bonū 333.2
Sacrificia vno in loco iudæis offerre cur præceptum 331.2
Sacrificiis nostris vel laudibus deus nō eget 333.1
Sacerdos noster christus purgat peccata 182.2
Sacerdotes ex suæ gratiæ dono christus eligit 145.1
Sacerdotes sūt omnes christiani 334.2
nulli creaturæ Sacrificandum est 334.1
Sacrificia veterum ta multiplicia quò tendebant 24.1
Sacrificia veterum erant verba promissiua, corpus christi verba completiua 91.1
Sacrificio christi vero falsa omnia cessarunt 24.1
Salis agrigentini natura 283.1
Salus eorum non negligenda qui fratres non sunt 140.1
Samuel an à pythonissa excitatus sit 264.1,2
Sanctus nullus in se gloriatur sed in deo 322.2
Sanctus nullus caret peccato 322.2
si te non dixeris Sanctum, ingratus es 323.2
Sancti quomodo præteritorum malorum erunt memores 366.1,2
Sancti, quia sanctificati 323.1
in Sanctis vnde sanctitas 322.2
non à Sanctis sed a domino sperandū auxilium 323.1
Sancti nolunt se coli à nobis, sed vnū deum 321.2
Sancti honorandi propter imitationē non adorādi propter religionē 321.2
Sancti sæpe ad ea ute exaudiūtur 230.2
Sancti omnes qui sunt in christo 323.
Sancti impiorū pœnas cognoscēt 366.2
Sancti quid acturi in altero seculo 362.2
Sancti pœnas impiorum visuri 358.1
Sancti volunt in deo honorari 323.1
Sanctorum negotiū vel quies potius, pax & otium 363.1,2
Sanctorum animæ modò sunt in requie 340.2
Sanctorū facta non omnia imitanda 322.2
Sanctorum conformatio ad imaginē filii dei 342.2
Sanguinem biberunt credentes quem eiuderant fœuientes iudæi 97.2
Sanguine humano deus non lætatur 216.1
Sanctus sine dei gratia nullus est 322.1
Sapientia vera est sola veritas 389.1
de Sapientia diuina non est humanæ vanitatis arbitrio disputandū 78.1
Satanas quo modo hominem inhabitet 277.2
Satanas quo modo mentem implere dicitur 277.2
Satanas neminem cogit inuitū 39.1
Satanas quo modo intret in hominē 277.2
Satanæ præstigiæ 274.1
Scenicorum ludorū turpitudo 257.2

vt Scientia desidentibus & otiosis infundatur non expectandum 157.2
Sschimata vnde 328.2
Scientia maxima scire se nihil esse, & à deo habere omnia 179.2
Scientia optima, nosse seipsum 150.2
Scortorum vsus licitus apud gentiles 319.1
Scripta doctorum ab auctoritate canonis distinguenda 154.1
contra Scripta doctorum sentire licet 154.1
Scriptura sacra excellit omnium gentium literas 152.2
Scriptura rebus imaginatis verarum nomina imponit 151.1
Scriptura sacra cum reuerentia legenda 154.1
Scriptura continet quid cauendum nobis sit & quid sequendum 154.1
Scriptura mysticis figuris repleta 151.1
Scriptura verbis & rebus corporeis de deo loquitur 149.2
Scriptura normam viuendi præscribit omnibus 235.2
in Scriptura quedam mysticè & ad literam accipienda 196.2
Scriptura manifestis pascit, obscuris exercet 223.2
Scripturæ sanctæ studium solidum 153.1
Scripturæ omnes ad christum referendæ 154.2
Scripturæ obscuritas ad quid vtilis 152.2
Scripturæ sanctæ veritas 153.1
Scripturæ studio danda opera, pastori maximè 156.1
Scripturæ canon quibus libris contineatur 156.2 157.1
Scripturæ sacræ facilitas & profunditas paucis penetrabilis 154.2.155.1
Scripturæ finis charitas 154.2
Scripturæ sacræ simplicitas 149.2
Scripturæ solos auctores non errasse credendum 154.1
Scripturæ sanctæ quò referendæ 170.1
Scripturæ aliquando in tria secantur 202.1
Scripturæ mysteria abscondita ne vilescerent 154.2
Scripturæ in varias lingas quam vtilis interpretatio 155.1
in Scriptura sacra, physica, ethica & logica reperitur 153.2
ad Scripturas intelligendas vtendum studio & aliis mediis 157.1,2
quæ Scripturæ pro canonicis habendæ 155.2
in Scripturis sanctis discendi nulluseſt finis 153.1
in Scripturis diuina voluntas reperitur 155.1,2
de Scripturis apostolorum & prophetarum dubitare nefas 154
ex Scripturis sanctis fides concipitur 153.1
Sedens populus in templis orientalibus audiebat verbum dei 163.1
Sensus quatuor in scriptura quos theologi commenti sunt 152.1
Sentire prius est quam mouere 289.2
Sepultura, exequiæ, &c. sunt viuorum solatia non mortuorum subsidia 334.2
Sepultura defunctis nil prodest 385.2
Sepultura christianis non magnifacienda de resurrectione securis 334.2
Sepultura carere nil obest sanctis 336.2
Sepulturæ neglectrix mater augustini 335.2
Sepulturæ curatio, resurrectionis fidem astruit 335.1
Sepulchra sunt domus hominum 335.2
cur Sepelienda fidelium corpora 334.2
Sepeliēdo mortuos tobias deo placuit 335.1
Serapis templi euersio 279.2
Serpens quomodo mulieri colloquutus 273.1,274.2
Serpens quomodo bestiarum prudentissimus 270.2
Serui à seruando dicti 236.1
Seruos bella fecerunt 236.1
Seruos dominis esse subiectos cur paulus iubet 225.1
Seruitutis conditio iure imposita peccatori 245.1
Seruitutis prima causa peccatum 245.2
Seueritate coercendi sunt mali 141.2
Seruitus vel ex aduersitate vel ex iniquitate sumpsit initium 236.1
Seruitus vnde 221.1
Sex ætates mundi & hominis 349.1
Sexus in resurrectione non mutabitur 348.1
Signum venerans nec signatum intelligens seruus est 99.2
Signa & prodigia possunt peccatores facere 280.1
Signa sanctum hominem non faciunt 280.2
Signa pro rebus signatis accipere, error est 100.1
Signa pseudoprophetæ faciunt 285.2
que Signa dominus nobis instituit 100.1
Signorum petendorum ratio 271.2
Signorum multitudine per christum onerati non sumus 100.1
Simulachrum appollinis fleuisse visum 325.2
Simulachra euersa in fidelium cordibus 326.1
Simulachra nocuerunt religioni 15.2
Simulachra seruantur ab hominibus, non contra 326.2
Simulachra varroni displicuerunt 15.2
Simulachrorum pernicies & impietas 325.1
Simulachrorum institutores quantum nocuerunt 325.2
contra Simulachrorū patronos 325.1
Simulachrorum excogitatores varro damnat 325.2
in Simulachris dii facile conténuntur 326.1
romani sine Simulachro centum septuaginta annis deos suos coluerunt 326.1
Simulachris aucta superstitio 326.1
Simulachris colligantur immundi spiritus 326.1
Simplicitas scripturæ non irridenda 399.1
Socratis sententia de deo colendo 164.2
Sol & luna ratione & sensu carent 44.2
Solicitudo de crastino quo sensu vetita 129.2
Solutio peccatorum per ecclesiam 331.1
Somnia multos in errores mittunt 385.2
Sortilegi cum vera dicunt tentat nos dominus 256.2,257.1
de Spectris & mortuorum apparitionibus 385.1
Spes est bonorum & futurarum rerum 401.1
Spes figenda in verbo domini 401.2
Spes sine fide esse non potest 168.1
Spes tam certa ac si res præsens esset 401.2
Spe falsa quidam decipiuntur 401.1
non Speratur quod non creditur 401.1
Spiritus in scripturis multiplex significatio 200.2
Spiritum sanctum de patre & filio procedere testimoniis probatur 34.1
Spiritus sanctus extra ecclesiam nemem viuificat 33.2
Spiritus sanctus cur dicatur charitas 40.1
Spiritus sancti officia & effectus 36.1
Spiritus sanctus in linguis cur apparuit 34.1
ni Spiritus cor afficiat, frustra docemur 41.2
Spiritus sanctus datus est apostolorum ministerio non auctoritate 11.1
Spiritus datus est etiam ante christum glorificatum 37.2
in quo Spiritus sanctus apparuit, columbæ verum corpus fuit 38.1
Spiritus sancti corporales apparitiones vnde & ad quid factæ 35.2
Spiritus sanctus in baptizatis paruulis habitat etiamsi nesciant 38.2
Spiritus sanctus fuit in patribus ante christi aduentum 39.2
Spiritus dono trium officiorum formæ Apostolis collatæ 35.2
sine Spiritu sancto nihil pie vel recte fit 33.2
Spiritus idem in Prophetis & Apostolis 34.2
Spiritus sanctus quomodo legatur apostolis sæpius datus 35.2
Spiritus sanctus quomodo pro nobis interpellare dicatur 35.1
Spiritus sanctus quomodo in columba vel igne apparuit, & vnde sumpsit ea corpora 34.2
Spiritus sanctus quare per impositionem manuum in initio ecclesiæ datus 108.2
in Spiritum sanctum verbum dicere quid est 37.2
habet Spiritum sanctum qui diligit 40.2
Spiritus beati inde nos beatos esse volunt vnde sunt ipsi 323.2
Spiritus & anima idem sunt 296.1
Spiritus hominibus datur ad mensuram 41.1
Spiritus carni seruiens, merito carnalis dicitur 340.2,340.1
Spiritus immundus duobus modis dicitur 273.1
Spiritus seruitutis quis dicatur 205.1

Statuta mutanda pro ratione temporum 164.1
Stoici vim fati asserebant 379.2
Streges inter romam & carthaginem 240.1
Substantia differt ab hypostasi 2.2
Substantia corporum eadem erit in resurrectione 341.1
Substantia & persona quomodo diuinæ essentiæ aptentur 7.1
Substantia nulla malum est 206.2
quanto Sublimior quis tanto peccatum grauius 220.2
Superbia infinitorum malorum origo 407.1
Superbia prima in vitiis 407.2
Superbia peccatis pondus addit 182.2
Superbia intercluſit aditum cælorum 406.2
Superbia in benefactis metuenda 407.1
Superstitiones ex paganismo reliquæ tempore augustini 256.1,2
Superstitionum cauendarum catalogus 278.2,279 1.2
Susanna corde clamabat 305.1
Syderum motum deus instituit 266.1
Symbolum apostolorum quomodo concinnatum 177.2
Symbolum scripturæ summam complectitur 177.2
Sydera, ventos, pluuias per Angelos moueri august. putat, itemque irrationalia animalia 24.2

T

TAciani qui & encratitæ nuptias damnabant 317.1
Tardi & scientiæ incapaces ferendi 399.2
Temperantiæ definitio 404.2
Tempus non fuit ante tempora 3.1
Tenebræ exteriores quæ sint 356.1,2
Tentatio tantum proficit, quantum oratio deficit, & contra 174.1
Tentatio probat quis vere sit fidelis 339.2
Tentandus non est deus, sed mediis ab eo concessis vtendum 235.1
Testamentum vetus quid sit 201.2
Testamentum vetus figura noui 161.2
Testamentum nouum & vetus vnde dicatur 209.1
Testimonium vitæ à conscientia non a fama petendum 408.1
Theodosii imperatoris pœnitentia publica 232.2
Theurgia porphyrii 281.2
Timor pœnarum coerceet cupiditatē 216.1
Timore vel dolore ad bonum cogi multis profuit 225.1
Tributa quare soluantur 237.1
Tribulatio dei beneficium est 397.2
Trinitas vna est naturaliter diuinitas 7.1
Trinitas vnus & verus est deus 1.1
Trinitas sola implet animam quam creauit 277.2
Trinitas humano visui non aspectabilis 1.2
Trinitas in æternis rebus inquirenda 4.1
Trinitas coæterna est 2.2
Trinitas non est incarnata 1.1
Trinitatis opera sunt inseparabilia 1.1.2.2
in vnitate Trinitatis erratur periculosissime 1.1
circa Trinitatem variæ hæreses 12.2
in Trinitate non sunt tres dii 1.1
in Trinitate quælibet persona ad alteram dicitur 14.2
in Trinitate tres personæ dicuntur inopia humani eloquii 3.1
in Trinitate gradus aut affectus nulli sunt 5.2
Tropi & figuræ non sunt mendacia 372.1
Tyrannus fideli in bonum minister est 223.1
Tyrannico terrore ad obsequium nemo est adigendus 139.2

V

VArro romanorum doctissimus 265.2
Vaticinantis pueri miraculum 271.1
Veneficæ mulieres quomodo putant se interesse cœtui dearum 277.2
Veneficæ vertentes homines in iumenta 263.1
Velle deum omnes homines saluos fieri quomodo intelligendum 65.2
vt Velimus bonum deus facit 68.1
Venia peccatorum non longe petenda 328.1
Veneficorum vires 284.1
Verbum dei cur etiam verbum apostolorum dicitur 160.2
Verbum filius quomodo intelligendum 1.1
Verbum caro factum spiritaliter noscendum 41.1
Verbum deus pater ad se indicandum genuit idem quod ipse est 161.1
Verbum dei æque dignum ac corpus christi 391.1
Verbum christi & verbum christus differunt 158.2
Verbum dei quare noster aduersarius 256.1
Verbum dei lucerna nobis est 158.2
Verbum patris quare christus dicitur 160.2
Verbi auditor animali ruminanti debet esse similis 158.1
Verba non gignimus sed facimus 161.1
per Verba animum nostrum cupimus ostendere 161.1
non Verbis cum deo agendum sed cordis intentione 303.2
vbi Veritas ibi deus 393.1
Veritas inuincibilis est 158.2
Veritas vndecunque prodeat à deo est 157.2
Veritas tutius auditur quàm prædicatur 159.2,160.1
Veritas forma est omnium ab vno deo factorum 322.1
Veritas pigrius quæreretur si non essent hæretici 280.2
Veritati consuetudo non præiudicat 162.1
Veritatem in tempore occultare licet 371.1
Veritatem loquentem audierunt & reprobi 159.2
Veritatem se dixit christus non consuetudinem 164.2
Veritatem quidam annuntiant, cui tamen non credunt 359.1
ad Veritatem quidam cogendi 226.1
Verum tacendi causa præcipua 86.1
Vera quædam melius nesciuntur 292.1
à Vero quærendo nulla deterrere debet auctoritas 140.1
Vestalium in stupro deprehensarum pœna 319.1
Vestes atras gestare in obitu charorum illicitum & indecens fideli 337.1
Vestis non facit monachum 383.1
in Vestitu superbo haberi potest cor humile 383.1
Victimæ, incensum & dona, quæ deus à nobis requirit 333.1
Vidua quæ vere dicenda 377.2
Viduæ ne sint verbosæ 377.2
Viduarum tria genera 378.1
Vindicationis definitio 384.1
Vindictam postulare quomodo sancti legantur 384.2
Vindictæ christianus nescius 384.1
Vini vsus romanis mulieribus olim interdictus 381.1
Vir quidam duodecim vxores habuit 381.2
Viri abstinere debent grauidis vxoribus 317.2
Vir & vxor prima humanæ societatis copula 317.1
Viros plures habere vxores cur magis decens & licitum quàm contra 320.1
Virtutis definitio 400.1
Virtutum tria genera 400.1
Virtutes veræ esse nequeunt sine fide 166.2
Virtutes ad deum non relatæ vitia sunt 400.2
Virtutibus à romanis dedicatæ ædes 400.1
Visionum in scripturis varia genera 385.1
Visionum tria genera 386.1
Visio dei summum beatorum præmium 360.2
de Visione dei quid plotinus senserit 363.1
de Visionibus phantasticis 277.1
omne Visibile, mutabile est 2.1
Vita beata quid sit 360.2
Vita vere beata esse nequit nisi sit sempiterna 287.1
Vita hominis militia est laborum plena 193.1,2
Vita christi respersa angustiis 397.2
in Vita æterna vacabimus & videbimus 366.2
Vitæ æternæ felicitas & gaudium 367.2
Vitam à fletu auspicamur 264.1
Vitam decursam nemo remetiri velit 264.1
Vitium naturæ ab auctore naturæ separandum est 55.1
Vitiovno deuicto exurgit aliud 104.1
Vitia quædam à virtutibus discerni vix possunt 406.2
Vitia non diuino operi, sed humanæ voluntati & iustæ illius vindictæ tribuenda 186.2
Viuere fœtus quando incipit in matris vtero 346.1
quo Viuendi more fidem quisque sectetur, nihil refert 161.2

Viuorum & mortuorum nominibus qui sint intelligendi 25.1
quid Viuis fiet qui deprehendentur veniente christo 348.1
Viuentes quomodo videntur aliquando apparere viuentibus 385.2
Vocati omnes sunt docibiles dei 83.2
Voluntas bona dei donum est 54.1
Voluntas dei bona impletur per malã voluntatem hominis 65.2
Voluntates hominum in manu dei sunt 65.1
Voluntates tam bonas quàm malas deus ordinat 202.1
Voluntates bonæ interdum deivoluntati sunt contrariæ: malæ contra consentientes 65.2
Voluntates malæ à deo nõ sunt 202.2
Voluntates hominũ quocunque vult deus inclinat siue ad bonum siue ad malum 68.2
Voluntatum diuersitas vnde sit in homine 80.1
Voluntatibus hominum malis deus bene vtitur 70.2
non fit præter dei Voluntatem quod fit contra eius voluntatem 65.2
Voluptas & timor arma diaboli 278.2
Voluptas edendi & potandi tolerabilis 311.1
Voluptate quam timore plures decipiuntur 278.2
Voluptas edendi non nos impedit a cogitationibus sapientiæ 311.1
Votum optimum & perfectum 382.1
Votum matris samuelis 382.1
Vota deo ingrata 382.1
quod Vouet quis ne præsumat se suis viribus impleturum 382.2
Vsurã & fœnus deus prohibet 374.1
Vsuras leges iubent restitui 374.2
Vxor quando dimittenda 314.2,315.1
Vxor potest dimitti si virum cogat sacrificare idolis 315.2
Vxor sterilis non dimittenda 318.1
Vxorem ducat qui continere non potest 320.2
Vxorem non ducere melius quam ducere 318.1
Vxores plures patres habuisse 318.2

X.

Xenocrates polemonem conuertit ad frugem 198.2

Z

Zacharias probatur peccator ex eo quod sacerdos erat; 181.1
Zacharias & elizabeth quomodo fuisse sine querela dicti sunt 187.2
Zoroastres magiæ inuentor a risu vitam auspicatus 264.1

INDEX TOMI TERTII.

Abeloitarum insania 301.2
Abraham a Chaldæis in ignem missus 4.2
Academicis obscura & incerta omnia 304.1
Adam multos genuit præter eos quorum scriptura meminit 2.1
Adam quo modo mortem timere poterat 215.1
Adam in anima mortuus die quo peccauit 215.1
Adamiani nudi degunt 294.1
Adnominare filiam quomodo intelligitur 44.2
Aeones Valentini 292.2
Aeternum non est quod visibile sentitur & tangitur 162.1
in Aeterna requie non est desidia, sed tranquillitas actionis otiosæ 286.1
Afflictiones visibiles dominus sua prouidentia dispensat 126.1
Angelus in sacrificio gedeon officio ministri functus est 139.1
Angeli nomine omnis sancta creatura spiritualis intelligitur 312.1
Angeli quo die creati 211.2
Angeli omnes æquales creati 211.1
Angeli solent appellari virorum nomine 138.2
Angelos non habere animas 312.1
Anabaptistæ non se poliunt tutari exemplo Iosue circuncidentis filios Israel 125.2
Anima connectitur intelligibilibus & immutabilibus rebus 308.1
Anima pro homine sæpe ponitur 24.2
Anima compagem corporis tenet ne defluat 311.2
Anima viua nõ est in eo corpore quod sensu caret 46.1
Anima mortua pro corpore mortuo 90.2
Animas mori cum corporibus deinde resurgere senserunt arabici 301.1
Animalia seipsa non intelligunt 220.1
Anthropomorphitæ deum fingunt imaginatione carnali 298.1
Apostolorum quatuor genera 220.1
Apostolos elegit Christus sine literis 197.1
Apostolici qui se hoc arrogantissimo nomine nuncuparunt 294.2
Apponi ad patres suos quid sit 28.1
Asina balaam verba nõ intellecta protulit 106.2
Astarte iunonis nomen 136.1
Auarus comparatur hydropico 261.1
Audire spiritui sancto idem est quod esse 210.1

B

Baal nomen iouis 136.1
Balaam cupiditas 101.2
Bella iusta quomodo gerantur 105.1
Benedicere maioris est 17.1
de Bobus quomodo cura non est deo 47.1
Boni perfectio vt nulla sit concupiscentia in homine 315.1

C

Canis symbolum contéptus 140.1
Cantus sobrius africanarum ecclesiarum 290.2
Caro quid paulo significet 211.2
Ceremoniarum nouarum institutio improbanda 290.2
Cerinthiani idem qui & chiliastæ 292.1
Charitatis ardor hic nasci & crescere potest, sed non perfici
Christus alienis impendiis sepultus 180.1
Christus sola via ad sapientiæ cognitionem 306.1
Christus quo modo peccatum factus 180.1
Christus vix reperitur deum patrem nominasse dominum 10.2
Christus quare tam sero venit 183.1
Christus hora tertia & sexta crucifixus 210.1
Christus quare dictus homo cælestis 209.1
Christus agnus paschalis 184.2
Christus octauo calendas aprilis passus & conceptus 213.2
Christum esse filium dei patri consubstantialem 191.2,192.1,194.
Christianorũ genus est ab initio 153.2
Christianus quare non generet christianum 182.2
Circuncisio sine fide inutilis 167.1
Circuncisio nõ est iudaismus sed eius signum 182.2
Circuncisio non indecora iudæis 156.2
Clamor mosi 39.1
Cõsendum nihil eorum quæ videntur aut sensibus subiacent 304.1
Cõmune duobus modis dicitur 156.1
Confessio duplex 203.1
Cognationes & affinitates fuissent etiamsi homo non deliquisset 311.2
Connubia instituta propter filios 271.1
Consuetudinis mutatio nouitate perturbat 281.1
Corpus omne locale 215.2
Corpus mouetur loco & tẽpore 216.2
Corporis eadẽ substãtia resurget 316.1
Corpora appetunt requiescere a motibus suis 286.1
Corpora post resurrectionem meliora quam primorum hominum 311.2
Creatura plus videtur in deo quam in seipsa 212.2
Creatura in dei verbo ab angelis cognita 212.2
Creaturæ vita sunt in dei verbo non in seipsis 212.2
omnis Creaturæ causa dei est voluntas 216.1
Credentes soli vere viuunt 165.1
Crucis tempus in hoc seculo 287.2
Cultores cain, chore, dathan & abiron 293.1
Custodiæ dicuntur à vigiliis & excubiis militaribus 94.2

D

Damnatur haud ali⁹ pro alio 126.1
Decalogus quomodo diuidendus 42.2
Deus qui sit 150.2
Deus quid sit nec cherubim aut seraphim comprehendunt 150.2
Deus omnium mentes excedit 150.2
Dei attributa 150.2
Deus in seipso requiescit 217.1
Deus quomodo creat mala 299.2
Deus per reprobos multa bona suis confert 145.1
Deus agit in cordibus vt det exitum quem constituit 138.1
Deus quorumnam miseretur 239.1

Deus omnia creauit beneficentia non indigentia 212.1
Deus eo modo videt opera sua facta quo vidit facienda 212.2
Deus nos ad pœnitentiam vocat nolens perire opus suum 299.2
Deus restringit excessus prosperitatis suorum 134.2
Deꝰ de peccatoribꝰ cõqueritur 239.1
Deus in malis non creat naturam ad malitiam 34.2
Deus peccatis antiquorum vsus est ad præsignificanda quæ voluit 145.2
Deus ibi esse dicitur, vbi expressiora eius signa fiunt 44.1,2
Deus non odit esau hominem sed peccatorem 239.2
Deus malis bene vti nouit 34.2
Dei adiutorium si desit, tamen non est excusabile hominis vitiũ 122.1
Deum esse cum malis, est illos punire 57.1
Deum alienum quis sibi fingit 132.1
Diabolus vnde nuncupatus 106.1
Diabolꝰ in malo sibi auctor est 186.2
Diabolus hæreseon seminator 205.1
Diaboli astutia in seducenda muliere 183.2
Diabolus & satanas non sunt naturæ nomina, sed malæ voluntatis 152.1
Diabolus si natura malus esset reus agi non posset 152.2
Diuitiæ momentaneæ ne excludant æternas 163.1
Diuitiæ cur mammona iniquitatis dictæ 264.2
Diuitiarũ licite augendarum modus 163.1
Diuites quidam male sani seruari nõ posse crediderunt 226.1,2
Diuina potentia etiam factis loquitur 278.1
Diuites volent aliquando se pauperes fuisse 163.1
Doctrina attemperanda ad discentis captum 204.1
Domini est imperare, serui obsequi 30.1
Dominatione debent excellere qui excellunt ratione 25.2
Donatistæ legibus imperialibus ad meliora coacti 334.1
Donatistarum boatus in tẽplis 290.2
Duodecim apostoli nominati post iudam suspensum 19.1

E

Ebriosi satietate se non replent, sed mergunt diluuio 23.2
Ecclesia pro ipsis fidelibus 86.2
Ecclesia pro domo orationis 89.2
Ecclesia vnum caput habet christum 171.1
Ecclesiæ in qua viuimꝰ ceremoniis ac quiescendum 280.1
Ecstasis isaac 14.1
Electio non est vbi nulla est distantia 235.1
Emortuum corpus abrahæ quomodo dictum à paulo 6.1
Eucharistia an quotidie sumẽda 280.2
Eucharistia semel in anno à quibusdam statim à cibo sumebatur 281.2
Eucharistia infantis sanguine intincta 294.1
Eucharistiam cur post cœnam dominus instituit 281.2
Euchitæ existimant monachis operari non licere 298.2
Euphrates flumine nomine plurimum intelligitur 6.1

F

Fides donum dei est 321.1,2
Fides operum meritis non retribuitur 38.2
Fides anteponenda operibus 38.2
Fides patrũ & nostra eadem est 273.2
Fidem quærit dominus non sermonis cultum 197.1
pro Fide aliquid amittere, lucrum est 157.1
Filiorum nomen variis modis in scriptura dicitur 320.1
Fœcunditas mansisset in primis parentibus si non peccassent vsque ad certum sanctorum numerum à deo prædestinatum 313.2
Fortunæ nomen quo modo intelligendum 304.1
Fratres cognati dicti apud Iudæos 207.1
Fratris nomine quis intelligatur 3.2
Futura, deo iam facta sunt 210.1
Furtum israelitarum licitum 35.2

G

Græcorum nomine omnes gẽtes significat apostolus 140.1
Gedeon non tentauit dominum sed consuluit 11.1
Genethliacos reuincit tanta in iacob & esau diuersitas 234.2
Geometricus cubitus quantum valeat 2.2
Gentilis in potestate positus honorandus 163.2
Gentilis per canem significatus 164.2
Gigantes qui dicantur 2.1

H

Hæretici quid à schismaticis differant 230.2
Hæretici quando interficiendi 205.1
Hæreticorum errores conferunt ad profectum bonorum 205.1
Hieracithæ monachos tantum & monachas in communionem recipiunt 297.2
Hippocrates suspicione adulterii mulierem eximit 15.2
Homo pictus homo dicitur 249.1
de Homine desperare saluberrimum 196.2
Homines mali patientia dei durescũt 35.2
Homicidiũ mosi fueritne licitũ 30.1
in Homicidio laudãda dei æquitas & punienda hominis iniquitas 45.2
Homicida suæ cupiditati seruit non deo ministerium præbet 45.2
Homiliæ nomine scriptura quid intelligat 45.1

I

Ieiunium non est tantũ à cibis sed ab omnibus delectationibus 260.1
Ieiunis christianis mos est sumere eu charistiam 281.2
Iephte inter sanctos viros connumeratus 144.1
Iethro an dei cultor fuerit 42.1
Ignorantia & difficultas si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus esset deus 310.1
quæ Ignorantia excusari potest à pœna 177.2
Imaginis & similitudinis differentia 110.1,2
Imaginem habet deus, sed nulla eius imago coli debet 286.2
Imagines visorum in memoria retinemus 220.1
Imperiti quomodo quædam vera de disciplinis respondent 306.1
Impii hac vita indigni 163.1
Indurabo cor pharaonis, id est, quam durum sit demonstrabo 32.2
Indurauit dominus cor pharaonis beneficio suo & patientia 35.2
quod habet Initiũ habet & tẽpus 216.2
Inquinare leprosum quomodo dicitur sacerdos 83.1
Insidiæ in iusto bello licitæ 127.1
Ioannes in spiritu heliæ quomodo venisse dictus 98.1
Ioseph quo modo duos patres habuerit 257
Ioseph quare se ex ægypto transferri voluit 161.1
Iosue nõ circuncidit iam circunciſos 125.2
Iouinianus omnia peccata paria ducebat 301.1
Irrationabilia quomodo deo obtemperant 216.1
Israel secundum carnem & secundum spiritum 55.1
Iudæi sub elementis quare erant 183.1
Iudices quales eligendi 42.1
Iuramentum gabaonitis bene seruatum 128.1
Iustus est qui cõfitetur quod est 162.1
Iusti ad hoc probantur vt proficiant 196.2
Iuste viuere non potest qui non fuerit iustificatus 235.1
Iustificationum nomẽ vnde exortum 48.1

L

Lapsus diaboli per superbiã 152.2
Lauacri vsus apud christianos 281.2,282.1
Legi cur mortui simꝰ si bona est 133.2
Lepra fallã doctrinã significat 267.2
Lex scripta quare non data ab initio 153.2
quod non Licet semper nõ licet 175.2
Lictor licite occidit hominem vt minister iudicis 35.2
Literæ hebraicæ quando initium cœperunt 42.1
Loth perturbatus violandas filias obtulit 8.1
de Lunæ defectu & incremento ridicula opinio 283.2

M

Moechia quam variis modis petretur 43.2
Mœchiæ nomine an intelligatur fornicatio 43.1
Magi non fuerunt creatores draconum, sed nec angeli mali 32.2
Magistri plures quando fiunt 303.2
Malum quid sit 151.1
Malum non est natura, sed priuatio boni 210.2
Mali origo ex libero arbitrio 308.1,2
Malitiæ qualitas fit hominis vitio, sed vt huc vel illuc moueatur occulta dei fit prouidentia 32.1
Malorum permixtio quare bonis necessaria 205.1
Manichæi introducunt mali naturam deo coæternam 308.2

Manichæi hominem factum dicunt satana 153.1
Manichæi introducunt naturam mali æterno bono coæternam 316.1
Manichæorum nugæ & obscœna mysteria 296.1
Manna quare panis angelorum dictũ sit 159.2
per Membra quæ deo attribuuntur intelligendi effectus operationũ 93.1
in Memphi reges ægypti maxime manebant 22.2
Mens aliquando vir, aliquando mulier 21.1
Mente & ratione nihil in homine melius 304.1
Miracula in nostra tempora quare non durarint 313.1
Misericordia non debet aduersa esse iudicio 46.2
inter Monachos turbæ ob capillitium & otium 329.1
Montani paracletus secundas nuptias damnabat 293.2
vbi Mors nõ est, ibi nec cõnubia 271.1
Mosen cur ab alienigena deus admoneri voluit 41.2
Mortis deus inuentor nõ est sed iudex 163.2
Mors temporalis quare relinquitur in regeneratis 225.1
Moniales iouiniani doctrina impulsæ romæ nupserunt 301.1
Mortis auctor, peccatum 163.2
Mors secunda 164.1
Mulieres sacerdotio fungentes 294.1
Mundus quando creatus 173.1
Mundum intelligibilem esse quo modo Plato dixerit 305
Mundum non esse æternum 162.

N

NAtura nulla mala dicipotest 152.2
Necessitate facta, sunt improbanda 309.2
Nicolaitæ non auersantur ritus gentilium 292.1
Nomine fratrũ appellari quid sit 27.2
Nouatianus lapsis veniam denegat 199.2
Nouatianus vult idem esse negare deum & peccare in spiritum sanctum 299.2
Nouem dies in luctu seruati 29.1
Nudis pedibus incedentium hæresis 299.2
Numa pompilius quadraginta annis regnauit 137.1
Nuptiæ septem diebus celebrabantur 15.1
Nuptias taciani damnant, & vsum carnium abominantur 293.2

O

OBseruantes dies & tempora damnandi 285.1
cum malos Occidimus, videndum ne bonos (quod illi forte futuri erant) necemus 205.1
Oculi acies tam citò attingit longinqua quãm propinqua 272.1
Odit deus impietatem in reprobis quam ipse non fecit 240.1
Olympi montis altitudo 3.1
Opera dei inanimata quomodo eum benedicunt 164.2
Opera bona pendent ex fide 38.2
Opifex omnis in suo lætatur opere 153.2
Origenes putauit omnia recursura ad id vnde defecerunt 307.2
Osculandi propinquos mos antiquorum 14.2

P

PAcem violant qui rixantur ob ceremonias 281.1
in Palæsthina messis tritici est initio veris 125.1
Pascha à transitu dicitur non à patiendo 282.1
Patriciani quidam sibi mortem intulerunt vt carne carerent 299.1
Patriarcharum cura pro suis corporibus sepeliendis 27.1
Patriarcharum corpora sunt in mambre 29.1
Paulus in tertium cælum quomodo raptus 220.1
Pauper & diues natura non differunt 163.1
Pax christi distat à pace mundi 189.1
Paruũlorum baptismus non est superfluus 222.2
Peccatum quid sit 239.2
Peccatum est malũ voluntariũ 312.2
Peccatũ quomodo erat mortuũ 231.1
Peccatũ fratris ad mortẽ quid sit 318.2
Peccatum imputari non potest nisi volenti 309.1
Peccatum quomodo reuixisse dicitur 231.2
Peccati & delicti differentia 75.1,2
Peccata nonnulla ex dei ira veniunt 135.2
Peccata patrum quomodo deus reddat filiis 157.2
Peccare neminem nisi volentem 312.2,315.1,2
Peccare in cælum quid sit 263.1
qui fit vt Pecora recognoscant præsepia & aues nidos 220.1
Principia tria à marcione asserta 293.1
Pharao ad bonorum salutem conseruatus 34.2
Pharao iam malignus dispensatione diuina restitit dei iussionibus 32.1
Pharaonis cor suopte vitio impiũ 32.1
Philaster scripsit de hæresibus 295.1
Philumenæ oracula & miracula 293.2
Plato censet animas reminisci cum discunt 306.1
pœna iusta patienti non videtur bona 167.1
Pœna omnis si iusta est peccati pœna est 309.2
Porphyrius omne corpus fugiendum male docet 306.1
Præceptum idem, timenti lex, amanti gratia est 233.2
Precatio augusti ni pro conuertendis in fide errantibus 316.2
Prisillianistæ peicrãt vt sua mysteria non prodant 300.1
Proximus est omnis homo homini 89.2
Puerperium nondum formatum cur enectum noluit deus haberi pro homicidio 45.2
Pudicitia coniugalis libidinis malo bene vtitur 334.2

R

RAtio est in anima, quæ tamen aliud agit 209.1
Rationes seminariæ per elementa prorumpunt in species debitas suis modis 32.2
Regnum cælorum in lege mosi non fuit promissum 320.1
Religio vnde dicta 313.2
Religio christiana per ceremonias oneribus seruilibus premitur 290.2
Religionem christianam paucissimis sacramentis liberam dominus esse voluit 290.2
Religione multi sperant se diuitias & delicias aucturos 228.2
in Religione null⁹ esset error si anima pro deo non coleret animam aut corpus aut phantasmata sua 312.1
Reprobatio impiorum piis prodest 240.1
Requies certa in deo solo 286.2
Requiem amant pii & impii 286.1
Requieuisse deum die septimo quomodo intelligendum 217.1
Resurrectio nullius erat ante christũ 287.2
Rex honorandus vel propter ordinem 163.2
Risus abrahæ, letitiæ, Saræ, dubitationis 7.1

SAbbatum cur requies sancta domino dicitur 10.2
Sabbatum solum inter decem præcepta figurate obseruandum præcipitur 287.1
Sacramentis paucissimis christus nos astrinxit 270.2
Sacerdotium regale quo consecrantur omnes qui ad christi corpus pertinent 267.2
Sacrificium salomonis in excelso reprobatum non fuit 139.2
Sacrificiis humanis deus non delectatur 143.1
Sacrificandi consuetudinem in excelsis tulit deus, ibi exaudiẽs inuocantes 139.2
Salutare dei christus 80.2
Samuel sũm⁹ sacerdos nõ fuit 169.1,2
Samaria cum hierusalem in captiuitatem abducta 164.1
Sanctis hæc vita peregrinatio est 26.1
Sancti defuncti adhuc expectant redemptionem corporis sui 314.1
Sancti defuncti an modo videant facie ad faciem 314.1
Sapiens perturbationum expers non est 6.1
Saul iam reprobatus, tamen christus domini dicitur 243.2
Sanctificatio inuisibilis quibusdam affuit sine inuisibilibus sacramentis 91.2
Sacrificia cum deo exhibebantur secundum eius doctrinam, vera erat religio 274.2
Sceleratí ad christum collecti 147.1
quod Scimus, debemus rationi, quod credimus, auctoritati
Scriptura anticipatione sæpe vtitur 77.1
Scythæ omnem pene asiam tenuerũt 135.1
Septe gentes in terra chanaan 128.1,2
Serpens minister superbiæ 162.2
Serpentis adoratores 293.1
Seruandi sese media fideli circunspicienda 16.2
Seruum fecit iniquitas vel aduersitas 28.2
Signa in ægypto facta ad terrendũ populũ dei & ad pietatem informãdũ

Silentium perpetuum seruantes hæretici 299.1
Simoniani indifferéter vtebantur fœminis 291.2
Sinus dei patris quis sit 179.1
Sinus abrahæ quis sit 265.2
Solitudines arenosæ austri, obseruatione syderum peragrantur 285.2
Spiritus dei quum sine additaméto dicitur, sæpius spiritus sanctus intelligitur 244.2
Spiritus dei propter diuersos effectus aliter atque aliter nuncupatur 39.2
Spiritus sanctus deus esse probatur 40.1
Spiritus creatus per tempus mouetur non per locum 216.2
Spiritus creator mouetur sine loco & tempore 216.2
Spiritui sancto an mechanicæ scientia attribuenda 55.1
Spiritus hominis mouetur in tempore 216.2
Stoicorum de perturbationibus animi opinio 6.1
Superstitio à carnibus abstinentium 291.1
Synecdoche in scripturis frequens 19.1,2

T

TEmpora quatenus obseruare licet 285.1
Temporalia non nisi à deo dãtur 13.2
Tentatio dei probatio est non ad malum seductio 40.1
Terra quid significet in scripturis 39.1
Terebinthi lignum medicinalem lachrymam exudat 133.1
Timor isaac per quem iurauit iacob 16.2
Timor pœnæ nõ est pietatis timor 35.1
Turpitudinem reuelare quid significet 87.1

V

VEra, eadẽ sunt immortalia 305.2
Verbum consummans & abbreuians 240.2
Verbum pro facto &re scriptura accipit 137.2
Verba propter res significandas inuenta 197.1
Veritas omnis est iustitia 162.2
Veritas disputatione requiritur 1.2
Vespæ in cananæos missæ 48.1
Videre poni solet pro generali sensu tam corporis quam animi 44.1
an iuste Vindicetur in alios pro peccatis aliorum 126
à Vino seueriani abstinent 293
Virgo nomen ætatis apud hebræos 17.2
Viri in dignitate constituti culpa graue peccatum est 158.1
Virtus pro annona 109.2
Visio intellectualis spirituali nec corporali indiget 220.1
Visio corporalis sine spirituali esse nõ potest 210.1
Vitiorum origo est in voluntate hominis, mouentur autem causis corda hominum 34.2
Voces auium & quadrupedum quidã intelligunt 163.1
Voluntas nostra præcedit omne opus 212.2
Voluntate propria quisque peccat 186.2
Vox loquentis signũ est volũtatis 97.1
Vxor vel parentes quando dimittendi 228.1

Z

ZElãs deus quomodo dicitur 59.1
Zizania & palea vsque ad ventilationem toleranda 204.2
Zizaniorum colligendorum officium ad nullum ecclesiæ filium pertinet 204.2